A
10-58

Bibliot. Universitaria
Sig. A
No. 10
58

R. P. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDVLA

Ordinis Min. Conuent. Magistri

Tomus Quintus

CONTINENS DISPVTATIONES
AD MENTEM SCOTI
In duodecim Aristotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORVM.

PARS POSTERIOR.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS INNVMERIS, quibus priores scatebant, repurgata.



VENETIIS, MDCLXXXVIII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

R. P. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDVLA

Ordinis Min. Conuent. Magistri

Tomus Quintus

CONTINENS DISPVTATIONES

AD MENTEM SCOTI

In duodecim Aristotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORVM.

PARS POSTERIOR.

VENETIIS, M DC LXXXVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Tomi Posterioris Metaph.

Numerus Prior Disputationem, posterior verò marginalem numerum denotat.

A

Absolutum.

Absolutum non includit in suo formali conceptu respectum 12. 15.

Abstractio, & Abstractum.

Abstractio naturæ à singularitate quomodo explicanda 9. 56. *quomodo abstractio fiet cum reali identitate naturæ cum ea ibidem, & 9.* 16. *quid requiratur, vt sine mendacio fiat* 9.81. *quomodo possit natura abstrahi à differentijs sine falsitate* 9. 189. *in abstractis à materia idem est quod quid est cum eo cuius est* 10. 78.

Accidens.

Accidens quam admittat compositionem 7. 9. *accipitur dupliciter* 7.22. *aliud prædicabile, & aliud prædicamentale* 8. 87. *habet propriam existentiam aliam ab existentia subiecti* 8. 166. *&* 12. 8. *est forma simplex non compositum ex materia, & forma* 8. 189. *quænam sit differentia inter accidens commune, & proprium* 10. 52. *accidens non indiuiduatur per subiectum* 10. 112. *non ei conuenit subsistentia* 11. 149. *Accidens duplex* 12. 1. *Quid sit accidens proprie dictum* 12. 2. *quo sensu dici possit ens simpliciter, & secundum quid* 12. 4. *habet propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ* 12. 8. *est ens realiter à substantia distinctum* 12. 10. *est forma simplex physicè, esto sit metaphysicè composita* 12. 11. *omne accidens absolutum per Dei potentiam potest à subiecto separari* 12. 35. *est agens principale, & instrumentale in ordine ad diuersas actiones* 12. 176. *cur substantia cadat in definitionem accidentis* 12. 147. *accidens supernaturale non est perfectius substantia in genere entis, sed tantum in genere moris* 12. 249. *nequit naturaliter accidens corporeum recipi in subiecto incorporeo, neque è contra* 12. 257. *imo nec etiam supernaturaliter* 12. 258. *& seq.*

Accidens idem nequit esse in pluribus subiectis nec simul, nec successiue naturaliter 12. 264. *non potest simul esse in pluribus etiam supernaturaliter ibid. plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto esse possunt nedum supernaturaliter, sed etiam naturaliter* 12. 274. *quænam accidentia solo numero distincta possint simul esse in eodem subiecto* 12. 281.

Actio.

Actio alia physica, alia metaphysica 9. 42. *opus non est quamcunque actionem esse suppositi* 11. 128. *actiones supposito denominatiuè conueniunt, & tribuuntur* 11. 129. *&* 140. *subsistentia creata non habet proprium, & immediatum influxum, nec totalem, nec partialem in actiones suppositi* 11. 131. *nec tamen se habet ad eas mere per accidens, & concomitanter* 11. 136. *imò se habet antecedenter, & prius prioritate saltim præsuppositionis, si non causalitatis* 11. 137. *in natura supposita se habet vt conditio sine qua non* 11. 138.

Actus, & Actualitas.

Actualitas existentiæ alia non est ab actualitate essentiæ 8. 94. *actus singularis supponit potentiam singularem quomodo verificetur* 10. 27. *actus vitalis est entitas absoluta, & relatiua solum secundum dici* 10. 30. *non est actio physicè, sed tantum gramaticaliter* 11. 147. *actualitas à totogenere est maior perfectio, quam simplicitas, & independentia* 12. 14. *ac etiam quam sit perennitas* 12. 187. 188.

Actus, & potentia.

Ens in actu, & in potentia sunt eiusdem generis, speciei, & indiuidui 8. 48.

Agens.

Agens naturale in omni sua actione subiectum supponit 12. 71. *non verò supernaturale* 13. 24.

Æqualitas.

Æqualitas, vel inæqualitas benè transfertur ad significandos varios gradus perfectionis essentiæ rerum 8. 224. 225. *alia prædicamentalis, alia transcendens ibid. sunt proprietates solum quantitatis, & essentiæ finitæ* 8. 238.

Analoga, & Analogia.

Analogia inter substantiam, & accidens in quo consistat 12. 5.

Angelus. vide Intelligentiæ, seu substantiæ separatæ.

Angelus quoque habet subsistentiam naturæ realiter superadditam 11. 157. *admittit compositionem ex natura & subsistentia, etiamsi non ex materia, & forma* 11. 158. *quid sit Angelus* 13. 17.

Anima rationalis.

Anima est vna simplex forma physicè, & multiplex metaphysicè 8. 210. *vnde sumatur necessitas multiplicandi potentias in anima* 8. 211. *non indiuiduatur per corpus* 10. 18. *vna non est indiuidualiter perfectior alia* 10. 172. *producitur de nihilo immediatè à Deo* 12. 46. *cur dicatur creari, & non educi* 12. 85. 149. 153. *non est forma materialis* 12. 154. *quomodo possit dici forma subsistens* 12. 157. *præsertim separata potest sic appellari* 12. 160. *non potest naturaliter redire ad corpus denuo informandum* 12. 207. *censura talis reditus* 12. 208. *quomodo separata intelligat* 12. 232. *ante corpus non præexistit* 12. 236. *quomodo status coniunctionis, & separationis opponantur* 12. 237. 240. *quo pacto exigat necessario corpus, in quo fiat* 12. 293. 294.

Annihilatio. vide Creatio.

Annihilatio quid sit 12. 66.

Aptitudo.

Aptitudo naturæ ad essendum in multis alia proxima, alia remota 9. 73. *talis aptitudo non est in ea nec per modum potentiæ, nec per modum meræ non repugnantiæ* 9. 76. *non addit rem distinctam supra naturam aptam* 12. 25. *&* 39. *aptitudo duplex* 12. 42.

Auctoritas.

Quanti valeat Arist. auctoritas 12. 48. 49. *non debet adduci sine ratione ibid. &* 188.

B

Beatitudo.

Beatitudo destruitur posita animarum circulatione 12.

C

Causa, & Causalitas.

Causa alia physica, alia metaphysica 9. 42. *causa est vtique prior effectu, sed non causalitas* 12. 21. *&* 24. *quo-*

24. quomodo se habeat ad effectum quoad causalitatem 12.95. quomodo causalitas sit posterior effectu ibid.

Cognitio,

Cognitio una potest ab alia præcisè distingui ex diuerso modo attingendi idem obiectum, 8.133. cognitio vniuersalis, ad quid terminetur 9.22.

Compositum, & Compositio,

Compositio multiplex 7.9. componibilitas ostenditur de creatura per finitatem, & contingentiam 7.10. compositio ex esse, & essentia non est propriè realis in creatura 8.123. & 146. qualis sit declaratur 8.149. an ex actu entitatiuo, & potentia obiectiua fiat compositio aliqua 8.148. compositio metaphysica declaratur 8.193. 9.53. est aliquo modo realis, ideo Deo repugnat 8.197. discrimen inter compositionem physicam, & Metaphysicam 9.38.

Communitas, & Communicabilitas,

Communitas conuenit naturæ à parte rei, licet non vniuersalitas 9.2. & 98. communitas naturæ duplex 9.72.73. communitas non semper excludit omnem determinationem 9.84. conuenit naturæ, vt supponit simpliciter 9.98. quæ communicabilitas per suppositalitatem excludatur à natura 11.109.

Contradictio.

Contradictio qualem inferat distinctionem 8.139. & 200. non semper infert realem distinctionem 9.33. quid requiratur ad eam euitandam 9.48.100.

Conceptus,

Quinam dicatur conceptus simpliciter simplex 7.9. ad vnitatem conceptus vniuersalis non sufficit vnitas similitudinis 9.7.

Conuenientia,

Conuenientia fundatur super vnum 8.200.9.142. non potest esse eadem omnino ratio conuenientiæ, & disconuenientiæ ibid. & seq. item disp. 9.45. & seq. conuenientia inter plura eiusdem speciei indiuidua nequit melius explicari, quam per vnitatem, & indifferentiam naturæ in vtroque 9.45. conuenientia melius conuenit constitutis, quam constituiuis. 9.62. cur conuenientia inter Deum, & creaturam in ratione entis sit virtualis, & non actualis 9.48. & 144.

Creatio, & Creatura,

Quid sit creatura, seu ens creatum 7.7. non habuit ab æterno aliquod esse reale actuale essentiæ 8.4. neque aliquod esse diminutum medium inter ens reale, & rationis 8.12. sed tantum esse cognitum, & quid hoc sit 8.16. quomodo diuinus intellectus dicatur creaturas ab æterno producere in esse cognito 8.18. quo pacto creatura cognita ab æterno dici possit partim ens reale, & partim rationis 8.21. cur dicatur contingenter existere etiamsi existentia sit ei realiter identificata 8.123. & 90. non componitur realiter ex esse, & essentia proprie loquendo 8.123. vnde dicatur limitata 8.124. Creatio, & productio totius entis ex nihilo 12.56. quare scriptura cum vocabulo creationis particulam ex nihilo non coniungat 12.63. huius vocabuli acceptiones variæ ibid. ad excludendam creationem sufficit concursus causæ materialis, seu subiecti 12.85 creatura nequit creare 12.86. ad ponendam rationem creationis necessaria est negatio tam partis, quam subiecti præexistentis, ad eam excludendam sufficit suppositio vel partis, vel subiecti disiunctim 12.103. creatio vel saltim æterna fuit Arist. nota 13.32. quo pacto particula ex sumatur in definitione creationis, 13.36.

Creatio quo sensu dicatur esse productio rei de nihilo 8.52. 13.36.

Christus,

Christi humanitas propriam habet existentiam in Verbo 8. 169. qua ratione eius actiones humanæ dicebantur Dei operationes, etiamsi suppositum diuinum non physice influeret in eas 11.135.

D

Definitio,

Definitio constat ex pluribus gradibus metaphysicis 8.178. exprimit naturam rei, vt est parte rei, non autem in intellectu nostro 8.204. quæ definitiones inducant distinctionem formalem inter definita 8.205.224. quomodo constet ex partibus 8.209. alia est quidditatiua, alia per additamentum 9.247.

Dependentia,

Quæ dependentia possit impedire separationem realiter distinctorum 8.117. dependentia naturæ ad proprium suppositum non est vera, & propria dependentia 11.55. dependentia naturæ ad diuinum suppositum dicit perfectionem 11.106. dependentia prouenit ex indigentia 12.84. non semper dependens est imperfectius independenti absolutè loquendo 12.91.

Determinatio,

Determinatio alia diminuens, alia distrahens 8.20. determinatio naturæ ad singularitatem est & extrinseca 9.15. non est determinata ad aliquod indiuiduum citra singularitatem, sed præcisè per ipsam 9.68.69.

Deus,

Quomodo Deus dicatur cognoscere res possibiles ab æterno 8.57. non admittit compositionem metaphysicam 8.197. est summe simplex, non simpliciter simplex 7.9. non conuenit cum creaturis in gradu essendi actualiter, sed tantum virtualiter 8.200.9.48. quomodo dicitur infinitis modis imitabilis. 8.243. est in multiplicabilis, quia essentialiter singularis 9.52.78.79. sub ratione Deitatis non est naturali lumine cognoscibilis, sed sub rationibus communibus, vel proprijs ex communibus 13.2. Deum esse est demonstrabile naturaliter non à priori. sed à posteriori 13.3. quomodo sit naturaliter cognoscibilis quo ad quid est 13.13. quinam sit perfectior conceptus de Deo nobis possibilis pro statu isto ibid. triplex via cognoscendi Deum naturaliter 13.15. potuit perfectius condere vniuersum 13.20. apud Arist. est infinitæ virtutis, & naturali lumine notum 13.24. quo sensu id sit intelligendum 13.28.

Differentia,

Differentia est quidam gradus metaphysicus 8.178. superior non includitur quidditatiuè in inferiori 8.213. differentia formalis, & differentia formarum 9.100. differentia indiuidualis alia intrinseca, alia extrinseca 10.54. differentia indiuidualis dicitur interdum materia totius 10.74. & 129. declaratur eius natura 10.127. præsertim per comparationem ad specificam 10.128. non est ens quidditatiue, sed identice 10.160. non bene explicatur differentia specifica per hoc præcisè, quod sit notabilis differentia 10.167.

Distinctio,

Distinctio realis quæ sit 8.104. distinctio modalis extrinseca coincidit cum reali 8.93. modalis intrinseca est minima inter omnes anteuertentes opus intellectus 8.141. distinctio formalis media inter realem, & rationis 8.187. sola distinctio formalis, vt sic, non infert compositionem inter sic distincta 8.197. quænam sit distinctio formalis 8.204. quænam definitiones hanc inducant inter definita 8.204.205. distinctio formalis quomodo extrema sua supponat in esse constituta 9.64. distinctio inter indiuidua alia materialis alia formalis 9.131. distinctio quantitatiua in rebus materialibus non debet cum entitatiua confundi 10.64. quo sensu distinctio indiuidualis dicatur materialis 10.81. & 122. non est tanta distinctio in constitutis, quanta in constituentibus 10.141.

Di-

Diuersitas.

Diuersitas prædicatorum non semper arguit diuersitatem formarum 8.188. *non semper ex diuersitate operationum licet colligere diuersitatem formarum* 8.195. *quando id liceat ibid. diuersitas, siue disconuenientia fundatur super multa* 8.200. *diuersitas specifica infert inæqualitatem in essentia* 8.238. *diuersitas specifica non est idem, quod inæqualitas in perfectione essentiali* 8.242. *quomodo intelligi debeat primo distinctiua esse primò diuersa* 10. 144. *non potest dari media diuersitas substantialis inter specificam, & numericam* 10.174.

Diuisio.

Primitas alicuius diuisionis ex tribus capitibus procedere potest 7.51. *diuisio totius vniuersalis differt à diuisione totius integralis* 10.57. & 62.

E

Effectus.

Effectus non indiuiduatur per ordinem ad circumstantias extrinsecas 10. 53. *effectus formalis quomodo debeat proportionari formæ* 11.79. *nedum dependet à causis externis, sed etiam internis* 12. 88. *quomodo dicatur contineri in suis causis* 12. 94. *quidam effectus dependent in conseruari à sua causa, quidam non* 12.182. *inter causas, & effectus non datur progressus in infinitum* 13.4.

Ens, & eius diuisiones.

Qualis sit diuisio in ens reale, & rationis 7.2. *coincidit cum diuisione entis in anima, & extra animam* 7.3. *in ens infinitum, & finitum* 7.4. *in independens, & dependens* 7.6. *quomodo hæc diuisio coincidat, vel non coincidat cum præcedenti* 7.7. *coincidit cum quibusdam alijs ibid. in ens necessarium, & contingens* 7.8. *in simplex, & compositum* 7.9. *in ens in actu, & in ens in potentia* 7. 11. *in ens per se, & in ens per accidens* 7.12. *hæc non est vera, & propria diuisio* 7.13. *in vnum, & multa* 7.14. *quæ tamen non est vera, & propria diuisio* 7.18. *in absolutum, & respectiuum* 7. 19. *in substantiam, & accidens* 7.22. *declaratur hæc diuisio* 7.24. *aliæ diuisiones entis realis* 7.25. *Diuiditur præcipuè in quantum, & non quantum* 7.26. *non est diuisio mere theologica* 7.30. *quæ sint entia non quanta* 7.31. *non est propriè vniuoca* 7.34. *quomodo intelligatur ens prius diuidi in quantum, & non quantum, quam in finitum, & infinitum* 7. 35. *ens non quantum non est perfectionis capax* 7.37. *quænam sit prima entis diuisio* 7. 55. *quem ordinem seruent inter se aliæ entis diuisiones* 7.57. *diuisio entis in finitum, & infinitum præcedit diuisio uem in vnum, & multa* 7.60.

Ens quodlibet considerari potest, vt quid, vt quantum, vt quale 8.225.

Ens rationis quid sit 7.2. *figmentum continetur sub ente rationis, vt sic, vt propria eius species ibid.*

Essentia.

Essentia possibilis dici potest verum ens reale, & positiuum. 8. 46. *quo sensu dici possit ens potentiale* 8. 53. *est ens nominaliter dictum, non verbaliter* 8. 47. *quo sensu rerum essentiæ dicantur æternæ* 8. 57. & 90. *essentia rerum dupliciter sumi potest vel sub statu possibilitatis, vel actualitatis* 8.68. & *secundum se abstrahit ab vtroque statu* 8. 84. *essentia possibilis ita respicit existentiam possibilem, sicut actualis actualem* 8. 88. *non potest dari essentia in actu, quæ non sit existens* 6.94. & *seqq. nec etiam essentia possibilis benè dicitur distingui ab existentia actuali* 8.129.69. & 70. *non distinguitur realiter ab existentia* 8. 93. *nec sola ratione* 8. 134. *sed formaliter modaliter* 8. 141. *quo pacto essentia dicatur præscindere ab existentia* 8. 143. *est perfectior, quam sit existentia* 8. 151. *cuicumque essentiæ propria correspondet existentia* 8.166. *in quo significato sumenda sit essentia, ad id verificandum* 8. 175.218.

Essentia rei constat ex pluribus gradibus metaphysicis 8. 178. *præcedit quodcunque diuinæ voluntatis decretum* 8. 198. *non solum esse physicum, sed etiam esse metaphysicum est à parte rei per identitatem in eo immersum* 8. 218. *prius natura est esse physicum, quam esse metaphysicum, & hoc consequitur ad illud* 8. 220. *essentiæ rerum sunt in perfectione essentiali necessariò inæquales* 8. 227.

Existentia.

Quid sit existentia quoad quid nominis 8. 71. *est quid reale intrinsecum rei existenti* 8. 72. *quomodo dicitur primus, & vltimus actus cuiuscumque rei ibidem. accidit essentiæ creatæ* 8. 63. *dicitur primus, & proprius effectus causæ efficientis ibidem est quid positiuum, nec datur existentia negatiua ibidem. non est accidens commune essentiæ* 8. 78. *neque accidens proprium* 8. 81. *immo est intimior essentiæ quacunque passione* 8. 82. *est modus intrinsecus essentiæ* 8. 83. *quo sensu dici possit accidens essentiæ* 8. 85. & 90. *non debet constitui propria coordinatio existentiarum alia à coordinatione essentiarum* 8. 87. *de nulla creatura quidditatiue prædicatur ibidem. non spectat ad prædicamentum directè, sed tantum reductiuè* 8. 88. *quomodo dicitur actus essentiæ, & essentiam actuare* 8.89. *quid propriè sit existentia* 8.94. *cur dicatur creaturę contingere, quamuis sit ei realiter identificata* 8.123. *non facit realem compositionem cum essentia* 8.123. 146. *non distinguitur realiter ab essentia* 8.93. *nec sola ratione* 8. 134. *sed formaliter modaliter* 8. 141. *non habet propriam possibilitatem obiectiuam aliam à possibilitate essentiæ* 8. 142. *qualem compositionem faciat cum essentia* 8.149. *non est effectus solius Dei, sed etiam causę secundæ* 8. 156. & *quidem tanquam causę principalis, non autem instrumentalis tantum* 8. 158. *quo sensu dici possit effectus solius Dei* 8. 61 *quę sit causa formalis existentię* 8.163.

Existentia prius essentiæ conuenit, quam subsistentia in substantijs, & quam inhærentia in accidentibus 8.164. *non constat ex pluribus gradibus metaphysicis, sicut essentia* 8. 179. *existentia per se ad prædicamentum non spectat ibidem est à toto genere posterior essentia ibidem. quinam sit formalis existentiæ effectus* 8.181. *existentiæ sunt eiusdem rationis etiam in rebus specie distinctis* 8. 184. *existentia non est, nisi rei singularis* 9.31. & 32. *nec conuenit naturę, nisi vt fiat sub singularitate* 8. 176. & 964.

F

Forma substantialis, & accidentalis.

Forma dat vnicum esse completum, & specificum, & plura incompleta dare potest 8. 195. *forma alia partis, alia totius* 10. 74. *forma non est principium indiuiduationis* 10. 97. *non dat esse intrinsecum materię.* 10. 100. *nec vltima eius realitas est princip. indiuid. compositi* 10. 102. *nulla forma indiuiduatur per subiectum* 10.112. *forma substantialis non differt ab accidentali per dependentiam, & independentiam à subiecto, cui innititur* 11. 7. *verum inter ea discrimen* 11. 19. *forma nequit præstare effectum formalem sibi omninò repugnantem* 11. 79. *quantum ad factionem, & eductionem de potentia materiæ est eadem difficultas de forma substantiali, & accidentali* 12. 47. *Forma non fit ex nihilo ab agente naturali* 12. 71. *fit dependenter à materia* 12.76. *forma fit ex materia* 12. 82. *dependet in suo esse à materia* 12. 83. *forma dicit relationem ad materiam* 12. 93. *non præest in materia secundum esse actuale, sed tantum potentiale* 12. 94. *non fit per inchoationes* 12. 118. *nequit esse in materia, nisi per informationem* 12. 119. *vna forma substantialis est alteri incompossibilis etiam si non opposita* 12.122. *quantum ad eductionem eadem est ratio de substantiali, & accidentali forma* 12.135. *quomodo forma habeat, vel non habeat propriam productionem distinctam à productione compositi* 12.141. *quid sit forma educi de potentia materiæ* 12. 149. & 193.

Quid sit forma materialis, & quomodo ab anima rationali secernatur 12.149 *significauit Arist. pluries eductionem formarum à materia, nunquam quod ex nihilo fiant* 12.150. *omnis forma est generabilis, & corruptibilis sola anima rationali excepta* 12. 165. *quid sit formam communicare cum materia in operatione* 12. 177. *forma cur nobilior materiâ* 12. 187. *necessitas essendi formam in materia indicat dependentiam eius ab illa, tanquam à causa* 12.193.

Formalitas.

Formalitas propriam non habet existentiam aliam ab existentia rei, cuius dicitur formalitas 8.174. *quid nomine formalitatis debeat intelligi ibid. quo sensu dicatur habere propriam essentiam* 8. 175. *formalitates metaphysicæ à rebus physicis deriuantur* 8.220. *potest dari formalitas à parte rei, quæ nec sit spiritualis, nec materialis, non tamen quæ nec sit creata, nec increata* 9.66.

G

Generatio rei, vel productio.

Generatio, vel productio nonnisi ad rem existentem terminatur 8.180. *potest dupliciter sumi* 12.72.

Genus.

Genus est quidam gradus metaphysicus 8. 178. *non potest dari sine differentijs* 8. 190. *distinguitur ex natura rei à gradu differentiali* 8. 209. *cur non prædicetur de speciebus secundum magis, & minus* 8.237. *quomodo per differentias diuidatur* 9. 18. *quo sensu dicitur tenuis similitudo singularium* 9. 49. *vnitas formalis naturæ genericæ minor, quam specifica* 9. 91.

Gradus Metaphysici.

Gradus Metaphysici proprias non habent existentias, sed omnes adæquatè existunt per existentiam rei, cuius dicuntur gradus 8.174. *vnde sic appellati* 8. 177. *alij prædicamentales, alij transcendentes* 8.186. *non distinguuntur realiter* 8.188. *sed ex natura rei formaliter* 8. 196. *& inter eos est ordo ex natura rei* 8. 198. *quoad hoc non est eadem ratio de prædicamentalibus, & transcendentalibus* 8.199. *graduum separabilitas abinuicem quomodo accipienda* 8. 207. *gradus superior secundum se formaliter præscindit à contrahentibus* 8.215. *non est eodem modo discurrendum quantum ad distinctionem de gradibus prædicamentalibus, & transcendentalibus* 8. 196. 221. *gradus debent esse inter se perfectione inæquales alioquin gradus non essent* 7. 236. *notabile discrimen inter gradus specificos & indiuiduales* 8. 244. *cur gradus prædicamentales conuenientiam fundent actualem ex natura rei in inferioribus, non verò transcendentales* 9. 48. *aliud notabile discrimen inter hos gradus* 9. 66. *cur plures ponantur in re creata* 9. 102. *omnes gradus communes prædicamentales per vnicam hæcceitatem indiuiduantur* 10.135.

Gratia.

An dici debeat creari, vel potius educi 12.163.

H

Habitus.

Habitus scientifici manent in anima separata 12.228. *habitus supernaturales probabile est educi* 12.282.

Hæcceitas. vide singularitas, Indiuiduatio.

Vna est primò diuersa ab alia à parte rei, nec actu conueniunt 8.200. *quo sensu dicantur eiusdem rationis* 9.40. *quomodo in ratione communi hæceitatis vniuocè conueniant* 9. 63. *hæcceitas num sit bonum vocabulum, vel barbarum* 10.125. *est propriè indiuiduationis principium* 10. 126. *potest dari conceptus communis hæcceitatis, vt sic,* 10.143. *non tamen adæquatus, & in realitate fundatus* 10. 152. *hæcceitates non sunt entia quanta* 10. 160.

Hypostasis.

Quid nomen Hypostasis significet 11.37.

I

Idæa.

Idæe Platonicæ 9.23. *num ab Arist. fideliter relatæ* 9.24.

Identitas.

Identitas formalis dupliciter sumi potest 8.212. *ex non identitate inter aliqua non ritè infertur distinctio positiua inter illa* 8. 221.

Impossibile, & impossibilitas. vide Possibile.

Impossibiles rei vnde sumatur 8.36.

Incommunicabile, & Incommunicabilitas.

Incommunicabilitas duplex, de ratione personæ, & suppositi 11. 39. *incommunicabilitas alteri, vt supposito, est effectus formalis subsistentiæ* 11.49. *incommunicabilitas triplex* 11.50. *sola suppositalis incommunicabilitas est de ratione suppositi* 11.109.

Indifferentia, & Indeterminatio.

Indifferentia naturæ ad hæcceitates diuersa est ab indifferentia materiæ ad formas 9.36. *indifferentia, vel indeterminatio naturæ duplex, positiua, & negatiua* 9.72.73. *indifferentia naturæ quomodo explicanda* 9.100.74 & 75. & 36. ac 37.

Indiuiduatio.

Indiuiduatio quomodo sit essentialis, vel accidentalis naturæ 10.11. *non habet rationem* quid, *sed* quis 10.12. *principium indiuiduationis non est quid realiter naturæ superadditum, & sic ab ea distinctum* 10.14. *distinguitur ab ea saltim ratione* 10.15. *perfectè præscindit à natura* 10. 16. *distinguitur ab ea ex natura rei formaliter* 10. 21. *ab vltimis differentijs abstrahi potest conceptus rationis, & inadæquatus* 10.23. *quo sensu vltimæ differentiæ dicantur primò diuersæ ibidem. quomodo indiuiduationes eiusdem speciei magis inter se conuenire dicantur, quam diuersarum* 10. 24. *dicit quid positiuum, & non solam negationem* 10. 31. *existentia non est principium indiuiduationis, nec formale, nec radicale* 10.40. *quia indiuiduatio est prior existentia* 10. 43. *nec accidentium collectio, aut ordo ad circumstantias extrinsecas* 10.48. & 53. *quo sensu indiuiduatio sit differentia substantialis, vel accidentalis* 10.54. *quantitas non est principium indiuiduationis* 10. 56. *materia nudè sumpta non est principium indiuiduationis* 10. 68. *neque signata* 10.82. *indiuiduationis principium esse debet per se primò incommunicabile* 10. 88. *forma non est principium indiuiduationis* 10. 97. *neque vltima eius realitas est princ. indiuid. compositi* 10.102. *neque forma simul cum materia sumpta* 10.105. *differentia indiuidualis est principium indiuid. omnium rerum* 10.126.

Indiuiduum.

Inter indiuidua maior est conuenientia, quam inter indiuiduantia 9.48. *quid sit indiuiduum* 10.1. *omne existens est indiuiduum* 10.3. *nulla natura creata est ex se in indiuidua* 10.6. *compositus est indiuiduum natura specifica* 10.9. *non dicit solam negationem in plures partes subiectiuas* 10.31. *indiuiduum, vt sic non est incommunicabile, vt quo, sed vt quod* 10. 70. *indiuiduum in prædicamento contentum abstrahit ab existentia* 10.107. *indiuiduum genericum non datur à parte rei, sed tantum apud intellectum inadæquatè concipientem* 10. 130. *non habet definitionem propriè dictam* 10.140. *inter plura eiusdem speciei indiuidua non datur inæqualitas perfectionis entitatiuæ* 10.168. *nec maior substantialis dissimilitudo præter hanc, quod vnum non sit aliud* 10. 173.

Infinitas.

Infinitas, & independentia non sunt omninò idem, & per hanc demonstratur illa 7. 7. *dicit formaliter quid positi-*

positiuum in re infinita 7. 45. *non est prædicatum quidditatiuum, sed modus intrinsecus Dei* 13. 14.

Inhærentia.

Quid sit inhærentia 12. 15. *duplex est, actualis, & aptitudinalis ibid. quid sit actualis* 12. 16. *huiusmodi inhærentia non alia inhærentia inhæret ibid. non est entitas absoluta, sed relatiua* 12. 19. *est respectus extrinsecus adueniens de prædicamento habitus ibid. est accidente posterior* 12. 21. *inter formam, & subiectum vnica inhærentia non sufficit, sed debet esse duplex* 12. 23. *actualis est aliquid accidenti absoluto realiter superadditum* 12. 16. *aptitudinalis est quid superadditum formaliter* 12. 25. *actualis non est de essentia accidentis absoluti* 12. 31. *est tamen de essentia accidentis respectiui, ac ei realiter identificata* 12. 36. *aptitudinalis est realiter eadem cum accidente absoluto, non tamen de eius essentia, cæterum cum accidente respectiuo nedum est idem realiter, sed etiam de eius essentia* 12. 19.

Intellectus.

Quomodo dicatur intellectus locus specierum 12. 226. *quomodo in intelligendo à phantasmatibus dependeat* 12. 233. *intellectio quo pacto sit anima propria, & adhuc dicatur totius* 12. 241.

Intelligentiæ.

Spectat earum contemplatio ad Metaph. 13. 1. *Vide substantiæ separatæ.*

L

Lumen.

VNum Lumen non intendit aliud in medio 12. 176. *est species lucis, & accidens intentionale ibid.*

M

Materia.

MAteria prima radix corruptionis 7. 8. *propriam habet existentiam aliam ab existentia formæ* 8. 166. *qualis sit indifferentia materiæ ad formas* 9. 36. *materia nudè sumptam non est principium indiuiduationis* 10. 68. *est pars quidditatis* 10. 69. *alia est materia partis, & alia totius* 10. 74. *materia totius interdum significat differentiam indiuidualem, interdum ipsum totum* 10. 75. *materia signata non est principium indiuiduationis* 10. 82. *materia non indiuiduatur per formam* 10. 100. *potest dici principium physicum indiuiduationis, sicut etiam forma, non tamen metaph.* 10. 101. & 105. & 109. *materia non est radix multiplicitatis indiuiduorum* 10. 188. *quomodo contineat formas ex ipsa educibiles* 12. 94. *respectu earum nedum habet rationem potentiæ receptiuæ, sed etiam sustentatiuæ ibid. aliam causalitatem exercet in ordine ad formam, & aliam in ordine ad compositum* 12. 97. 98. *quomodo possit explicari causalitas materiæ in formam per habitudinem in qua, & ex qua* 12. 99. *virtus sustentatiua in materia non dicit perfectionem, sicut informatiua in forma* 12. 269. *materiam esse à Deo creatam videtur naturali lumine notum* 13. 35.

Memoria.

Datur memoria intellectiua præter sensitiuam 12. 226. *quomodo intelligatur ab Arist. non dari sine phantasmate memoria* 12. 232.

Mensura.

Quomodo mensura debeat esse vnigenea mensurato 8. 230. *quomodo quidditates mensurentur* 8. 229.

Metaphysica.

Quos attingat de Deo conceptus, ac de substantijs separatis 13. 1.

Metaphora.

An possit metaphora adhiberi in scientijs 12. 166.

Modus.

Regula constituendi modum extrinsecum ab ipsa rediistinctum 8. 10. *modus etiam intrinsecus non pertinet ad essentiam rei* 8. 84. *sed est gradus intrinsecus eius ibidem modus extrinsecus propriam habet existentiam sibi proportionatam* 8. 172. *quo pacto possit dici res* 10. 123. *ita affixus est alicui certo subiecto, vt ad aliud transferri nequeat* 12. 37.

Multitudo.

Multitudinis indiuidualis quænam sit propria radix 10. 189. *quomodo opponatur vnitati. Vide vnitas.*

N

Natura communis.

NAtura communis propriam non habet existentiam aliam ab existentia singularis 8. 174. 176. *datur à parte rei* 95. *prædicatio naturæ communis de inferioribus in eius communitate fundatur* 9. 8. *natura per singularitatem extrinsecè determinatur non intrinsecè* 9. 15. *præcisio formalis naturæ ab hæcceitate fiat cum reali coniunctione cum ipsa* 9. 16. *nedum per intellectum præscindit à singularitate, sed etiam à parte rei* 9. 17. *quomodo sit natura tota in vno indiuiduo, non tamen totaliter* 9. 18. *veritas prædicationis naturæ de indiuiduis fundatur in sua communitate per indifferentiam* 9. 17. 18. 19. *natura communis est perpetuo immersa singularibus* 9. 25. *nedum per coniunctionem, sed per realem quoque identitatem* 9. 30. *natura indifferentia ad singularitates declaratur* 9. 36. 37. *distinguitur ex natura, rei formaliter à singularitate* 9. 44. *nulla natura creata est de se hæc, & singularis* 9. 50. *natura communis à parte rei cur nequeat dici vniuersalis in actu* 9. 57. *natura Petri non distinguitur realiter à natura Pauli citra singularitates, sed dicuntur non eædem* 9. 60. *neque in tali statu sunt propriè conuenientes* 9. 62. *non multiplicatur in indiuiduis, nisi per hæcceitates* 9. 69.

Naturæ etiam in statu realis existentiæ competit aptitudo remota, seu indifferentia negatiua, vt sit in pluribus disiunctim 9. 77. *eius communitas negatiua est realis* 9. 78. & *seq. talis communitas conuenit naturæ ratione suæ essentiæ, non ratione solitudinis* 9. 85. *indeterminatio naturæ intrinseca non tollitur per singularitatem superuenientem* 9. 83. 88. *est communis per indifferentiam, non per inexistentiam* 9. 90. *quomodo dici possit generabilis, & corruptibilis* 9. 91. *eius indifferentia non est physica, & subiectiua, sed metaphysica, & obiectiua* 9. 36. & 37. & *rursus num.* 74. & 75. & *num.* 94. *quomodo dicatur vna num. ibid. tam in statu actualitatis, quam possibilitatis naturæ conuenit indifferentia negatiua* 9. 103. *est tantum communis per indifferentiam, non per inexistentiam* 9. 109. *multiplicatur in indiuiduis etiam in ratione naturæ* 9. 113. *ratione talis indifferentiæ apta est prædicari saltim remotè de pluribus* 9. 123. *duæ naturæ, vt præcedunt singularitates, non sunt realiter distinctæ, sed potius non eædem* 9. 60. & 125. *triplex naturæ status* 9. 130. *in statu essentiæ habet propriam vnitatem positiuam* 9. 133. & *hæc dicitur vnitas formalis* 9. 138. *prædicata conuenientia naturæ in statu essentiæ conueniunt quoque in alijs statibus* 9. 130. *vnitas formalis naturæ est realis, & minor vnitate numerali* 9. 139. *in statu quoque existentiæ hanc formalem retinet vnitatem* 9. 163. & *talis vnitas non est priuatiua, sed positiua* 9. 167. *multiplicatur cum natura in indiuiduis* 9. 168. *non importat solam similitudinem indiuiduorum* 9. 172. *diuisio naturæ per differentias quomodo fiat* 9. 178. *secundum vnitatem vniuersalem dicitur diuidi, secundum formalem verò contrahi, & determinari* 9. 181.

Natura sub vnitate præcisionis est positiuè communis, & indeterminata ad plura 9. 184. *hæc vnitas non conuenit naturæ in statu existentiæ* 9. 186. *quomodo possit natura ab omni differentia præscindi sine falsitate* 9. 189. *conuenit hæc vnitas naturæ in statu tantum existentiæ obiectiuè* 9. 140.

qua-

qualis sit prioritas naturæ ad differentias 9.192. *quo sensu natura de pluribus prædicari dicatur, vt vniuersalis* 9.207. *nulla natura creata est ex se indiuidua* 10.6. *natura quomodo sit tota indiuiduorum quidditas non tamen tota substantia, ac entitas* 10. 11. *perfectè præscindit ab indiuiduatione* 10.16.

Negatio.

Negatio pura nequit esse ratio, cur aliquid alicui simpliciter repugnet 10.32. *Negatio communicabilitatis triplex* 10.33. *quæ negatio conueniat alicui ratione alicuius positiui* 11.103. *nulla negatio perfectionem importare potest* 11.101. *alia est in genere, alia extra genus* 12.106.

Nihil.

Quomodo vnum nihil possit dici magis nihil alio 8.56. *quo sensu creatura, antequam producatur dicatur nihil.* 8. *ibid. varias potest habere acceptionis* 12.106. *latius patet, quam priuatio* 12. 110. *potest sumi vel genericè, vel specificè* 12.111. *cum possibile fit existens nihil non transit in aliquid* 8.56. & 130. *item disput.* 13. *num. vlt.*

Numerus.

Numerus essentiarum non est prædicamentalis, sed transcendentalis 9. 61. *numerus prædicamentalis constat ex vnitatibus quantitatiuis* 10.64. *sola indiuidualis vnitas est principium numeri* 10.182. *numerus non est in solis rebus materialibus* 10.184.

O

Obiectum.

Obiectum quomodo dicatur potentias distinguere 8.132. *qualis sit eius vnitas in potentijs sensitiuis* 9.147. *non accipit vnitatem suam à conceptu, sed è contra* 9.172.

Operatio.

Quomodo ex diuersitate operationum liceat arguere diuersitatem formarum 8.195. *quando diuersitatem saltim formalem principiorum* 8.211.

Opinio.

Nulla opinio est reprobanda sine ratione 12.188.

Oppositio.

Oppositionis vnius realis duo sunt extrema realia 9. 146. *discrimen inter opposita, & disparata* 12.122. *conditio contrariè oppositorum* 12.181.

Ordo.

Ordo quis sit 8.198. *infert distinctionem inter ordinata ibid.*

Origo.

Quid sit prioritas originis, Vide prius, & Prioritas.

P

Pars.

Pars non denominatur agere, & operari, sed totum 11. 140. *pars integralis habet propriam subsistentiam* 11.153. *non tamen pars essentialis* 11.154. *nec in composito, nec extra compositum* 11.155.

Passio.

Passio quam necessario, & intimè conueniat subiecto 8.81. *non habet propriam existentiam aliam ab existentia subiecti* 8.176.

Perfectio.

Quid sit perfectio entitatiua 7.34. *est idem realiter, & formaliter cum essentia rei, & distinguitur modaliter* 7.89. *quomodo dignosci possit vna perfectio, quod sit melior alia* 12.187.

Persona, & Personalitas.

Personalitas quid sit 11. 37. *quid persona* 11. 38. *persona diuina constituitur per positiuum, non verò creata* 11. 68. *quod creata quoque constituitur per positiuum est probabile* 11. 63. *sed quod per negatiuum est probabilius* 11. 72. & *sequent. persona, & personalitas est inassumptibilis* 11. 89. *persona de principali significato dicit duplicem negationem, & connotat naturam intellectuam* 11.100. *cur persona creata dicatur deficere ab increata in ratione personæ* 11. 112. *quo pacto creata, & increata persona vniuocentur ibidem, & 68. & 69. natura potuit esse personata antequam assumeretur à Verbo, licet de facto nunquam fuerit personata in proprio supposito* 11. 121.

Possibile, possibilitas, & potentia.

Potentia logica quid sit 8. 29. *quid sit potentia obiectiua ibid. hæc supponit illam ibid. res dicuntur obiectiuè possibiles à diuina omnipotentia* 8. 30. *logicè verò ex suis rationibus formalibus ibid. possibilitas logica rerum consistere potest præcisa quacunque potentia actiua* 8. 31. *dicit possibilitatem quandam positiuam, & non merè negatiuam* 8. 33. & *hæc per conditionalem explicari solet ibid. possibilitas, & impossibilitas rerum intrinsecè, & formaliter sumitur ex formalibus earum rationibus, extrinsecè verò, & principiatiuè ab intellectu diuino* 8. 36. *non tamen eodem prorsus modo sumuntur ab intellectu diuino* 8. 39. *res possibilis dici potest verum ens reale, & positiuum* 8. 46. *non tamen, quod actu physicè sit, sed quod possit esse* 8. 33. & 55. *cum possibile sit existens non transit nihil in aliquid* 8. 56. & 130. *quid dicat possibilitas in effectu* 12. 96. *potentia obedientialis quomodo distinguatur à naturali* 12. 279.

Præcisio.

Præcisio ex natura rei non est necessaria ad vniuocationem, vt sic, sed sufficit præcisio rationis per conceptus inadæquatos 8. 206. *præcisio alia ex parte actus alia ex parte obiecti* 9. 4. *præcisio formalis naturæ ab hæcceitate fiat cum reali coniunctione cum ipsa* 9. 16. *quid sit vnitas præcisionis* 9. 184. *quænam sit perfecta præcisio* 10. 16.

Prædicatio, & prædicatum.

Prædicatorum diuersitas non semper arguit diuersitatem formarum 8. 188. *prædicatio diuersimodè fit in gradibus prædicamentalibus, & transcendentibus* 8. 206. *ex prædicationibus in concreto non rectè dignoscitur distinctio, aut identitas formalis* 8. 212. *prædicatio naturæ communis de inferioribus in eius communitate fundatur* 9. 8. *sola similitudo plurium indiuiduorum non sufficit ad prædicationem essentialem naturæ de indiuiduis* 9. 18. *veritas alis prædicationis in qua fundetur* 9. 19. *in prædicatione signata prædicatur vniuersalitas in concreto, in exercita verò natura illi subsistat* 9. 207. *quo sensu prædicetur vniuersale prædicatione signata, & exercita* 9. 226. *prædicatio in primo modo quænam sit* 10. 140. *non datur prædicatum essentiale medium inter specificum, & indiuiduale* 10. 166.

Prædicamentum.

Prædicamentum est veluti scala composita ex gradibus metaphysicis superioribus, & inferioribus 8. 177. *hi autem sunt gradus prædicamentales, & limitati, non transcendentales* 9. 1.

Priuatio.

Priuatio potest dici nihil 12. 69. & 107. *licet dici possit aliquid pro connotato* 12. 70. *est negatio in genere* 12. 107. *quatenus res fiunt ex priuatione dici possunt fieri ex nihilo* 12. 107. *omnis priuatio est nihil, non è contra* 12. 110.

Prius, & Prioritas.

Quæ sit prioritas secundum subsistendi consequentiam 9. 198. *quo sensu prius possit esse sine posteriori* 9.41. *prioritas naturæ duplex ibid. talis prioritas non explicatur per verbum est & in quo* 9. 42. *prioritas secundum subsistendi consequentiam non est realis, & in essendo, sed logica, & in prædicando* 9. 55. *prioritas naturæ duplex positiua, & priuatiua* 11. 120. *prius quo pacto ad suum esse petat posterius* 12. 185. *quo pacto prioritas temporis coincidat cum prioritate naturæ* 12. 253. *duplex naturæ prioritas positiua, & negatiua* 12. 298.

Pro-

Proportio.

Proportio alia geometrica, alia arithmetica 8. 242. *discrimen inter proportionem, & similitudinem* 12.132.

Propositio.

Propositio necessaria quomodo dicatur æternæ veritatis 8.64. *in quo fundetur eius veritas* 8.65. *potest hoc etiam applicari suo modo entibus rationis* 8.65. *quænam sit causa veritatis eius* 8.66. *diuina voluntas est causa veritatem contingentium, non necessarium ibid.*

Proprium, & proprietas.

Non habet aliam existentiam ab existentia subiecti 8. 176. *quam sit intima subiecto* 8. 81. *discrimen notabile inter proprietates graduum prædicamentalium, & transcendentium* 9.54.

Q

Quantitas.

Quantitas alia molis, alia virtutis 7.26. *quantitas virtutis est modus intrinsecus entis* 7.73. *benè transfertur ad significandam perfectionem essentialem rerum* 8. 224. *quantitas dupliciter sumi potest* 8. 225. *quantitas non est principium indiuiduationis* 10.56. *alia est terminata, alia interminata* 10. 57. *inter substantiam, & qualitatem mediat in ratione subiecti* 12.22.

Quidditas, vide essentia.

Quidditas an sit idem, quod essentia 8.118. *quomodo quidditates mensurentur adinuicem* 8.229.

R

Res.

Quædam Rei distinctio apud formalistas inutilis 7. 40. *quid propriè significetur nomine rei* 8.174.

Relatio, vel respectus.

Relationes originis in diuinis nec sunt formaliter finitæ, nec infinitæ 7.29. *probabile est non habere propriam entitatem, & existentiam in recto* 7.41. *cur relatio creata sit ens quantum, non diuina* 7. 43. *& habet propriam existentiam aliam ab existentia fundamenti* 8.171. *non clauditur in conceptu absoluti* 12.31. *non potest existere sine subiecto, vel fundamento* 12.36. *affixa est alicui certo subiecto, itaut ad aliud transferri nequeat* 12.37. *non minus essentialiter constituitur per esse in, quam per esse ad* 12. 38. *nequit natura suum terminum præcedere* 12.299.

S

Scientia.

Scientia simplicis intelligentiæ, & visionis in Deo quomodo ex parte obiecti distinguantur 8.133. *scientia est vniuersalium, non singularium* 9.20. *quomodo stare possit cum fide* 13.12.

Scotus.

Scotus ab ingenti defenditur calumnia 12.116. & 222.

Simplicitas.

Simplicitas multiplex 7.9. *demonstratur de Deo per infinitatem, & necessitatem* 7. 10. *diuina simplicitas excludit compositionem metaphysicam* 8.197. *non sic materiæ simplicitas* 12.14. *est minor perfectio, quam actualitas ibid.*

Singularitas, & Singulare.

Singularitas per se ad prædicamentum spectat 8. 179. *potest aliquid dici singulare dupliciter* 9.16. *singularitas ex natura rei formaliter distinguitur à natura communi* 9.44. *potest aliquid dici singulare tripliciter* 9. 152. *quid sit singulare metaphysicè sumptum* 10. 1. *quicquid existit à parte rei est singulare, & indiuiduum* 10.3.

Species.

Species se habent sicut numeri declaratur 8.178. *constat ex pluribus gradibus metaphysicis ibid. inæqualitas specierum non impedit earum conuenientiam in communi genere* 8.222. *species rerum necessario sunt inæquales* 8.227. *non sunt inæquales in perfectione per distantiam à primo ente* 8.232. *species est adæquatum subiectum passionis specificæ, non indiuiduum* 9.11. *species quo sensu dicitur athoma, & indiuisibili* 10.12. *in specie athoma est perfecta inchoatio* 10. 18. *præter speciem logicam non debet admitti physica* 10.166.

Species Intelligibiles, & sensibiles.

Species intelligibiles sunt in potentia intellectiua, sensibiles in toto coniuncto 12.226. *illæ manent post hominis interitum, non istæ ibid. non habent contrarium* 12.228. *plures sensibiles sunt in eadem parte organi* 12.276. *non se inuicem intendunt in medio ibid. species duorum alborum non differant essentialiter, sed numeraliter tantum* 12.277.

Spiritus.

Quid nomen spiritus principaliter significet 12.131. *plura habet significata ibid.*

Subsistentia.

Subsistentia distinguitur à per se existentia 11. 24. & 27. *si propriè accipiatur est aliquid naturæ superadditum* 11.25. *potest sumi tripliciter* 11.27. *non præcedit, sed supponit existentiam in natura* 11.28. *propria differentia inter per se existentiam, & subsistentiam* 11. 38. *subsistentia potest à natura separari, non autem per se existentia ib. quomodo differat à suppositalitate, & personalitate* 11.37. *subsistentiæ formalis effectus est negatiuus, non positiuus* 11.46. *& propriè est incommunicabilitas suppositalis, seu vt natura supposito* 11. 49. *quare natura humana non dicatur in Verbo subsistere violenter* 11.60. *quod consistat in positiuo est opinio probabilis* 11.63. *quod in negatiuo est probabilior* 11. 72. *non potest natura esse sine subsistentia* 11.84.

Difficultates vexantes sententiam de positiuo, prima est qualis sit ista entitas positiua 11.75. *secunda num hæc entitas sit res, vel modus* 11.78. *tertia, an faciat compositionem cum natura* 11. 81. *quarta, an natura possit esse sine subsistentia* 11.84. *quinta de causis eius materiali & efficiente* 11.87. *sexta, an persona ipsa creata potuerit assumi* 11.89.

Subsistentia formaliter sumpta non dicit perfectionem 11.101. *subsistentiæ nomen plures habet significationes* 11.108. *quo pacto in natura suppositata dici possit conditio requisita ad operandum* 11. 138.

Substantia.

Substantia accipitur tripliciter 7.22. *item dupliciter* 8.225. *est à toto genere prior omni accidente* 10.50. *quid sit substantia, vt distinguitur ab accidente* 11.3. *& seq. perfectas constitutiua substantiæ non est simplex negatio* 11.4. *neque simplex respectus* 11. *nec distinguitur ab accidente per hoc, quod ipsa sit res, non autem accidens* 11.15. *quænam sit vera ratio distinctiua vnius ab alio* 11. 22. *seipsa per se existit à subiecto independenter, & non per aliquid superadditum* 11. 24. *per se existentia distinguitur à substantia, vt modus intrinsecus eius* 11.29. *substantia prima, & suppositum, an sint idem* 11. 99. *quomodo sit prior accidente ratione, seu definitione* 12.247. *quomodo sit prior cognitione* 12.248. *quomodo prior tempore* 12.253.

Sub-

Substantiæ separatæ.

Earum contemplatio ad Metaphysicam spectat 13.1. *quid per substantias separatas intelligatur* 13. 17. *earum existentia non potest demonstrari à priori lumine naturali* 13.18. *potest demonstrari à posteriori ratione valde probabili, licet non omnino necessaria* 13.21. *aliæ intelligentiæ sunt à Deo* 13.30.

Suppositum.

Suppositum quid sit 11.37. *dicit duplicem negationem communicabilitatis, vt quo, actualis scilicet & aptitudinalis* 11.51. *an hæc negatio sit explicanda per modum simplicis negationis, vel potius priuationis ibid. negatio tantùm dependentiæ actualis, est de formali ratione suppositi* 11. 58. *est negatio realis, non rationis* 11. 66. *suppositum significat naturam, & negationem per modum unius* 11.96. *an prima substantia sit suppositum* 11.99. *quo sensu dicatur vnum per se* 11.102. *quare actiones tribuantur suppositis etiamsi natura sit principium adequatum elicitiuum earum* 11.140.

T

Totum, & totalitas.

TOtalitas naturæ non est suppositalitas 11. 77. *totum semper operari denominatur, non pars* 11. 129. *totum integrale non distinguitur realiter à partibus* 11.153. *quomodo totum dicatur primus terminus generationis* 12. 141. *est perfectius suis partibus* 12.203.

V

Verbum diuinum.

VErbum *quo sensu dicatur supplere vices personalitatis creatæ in natura assumpta* 11. 116. *quo sensu dicatur consumpsisse personalitatem creatam* 11. 117. *natura à Verbo assumpta nunquam fuit in se personata* 11.120. *Verbum diuinum nequit dici creatum* 12.58.

Veritas.

Veritas propositionum necessariarum 8.64. & 65. *quænam sit eius causa* 8.66. *veritas prædicationis essentialis naturæ de individuis, in quo fundetur* 9.19. & 217.

Vnio.

Vnio materiæ cum forma in composito physico est diuersæ rationis ab vnione naturæ cum differentia in metaphysico 9.36.37. *vnio non est entitas absoluta, sed relatiua* 12.19. *est respectus extrinsecus aduenies de genere habitus ibidem. non est formaliter substantia, sed accidens* 12.125. *dicitur tamen substantialis ibidem.*

Vnitas.

Vnitas non excludit diuisionem nisi sibi oppositam 9.18. *vnitas triplex* 9.131. *maior vnitas est, quæ minorem patitur diuisionem* 9.132. *Vnitas formalis naturæ est realis, & minor vnitate numerali* 9.139. *Vnitas minor numerali vnitate non est sola vnitas similitudinis* 9. 141. *cum omnis vnitas realis est numeralis* 9. 147. *Vnitas formalis naturæ distinguitur ex natura rei formaliter à singulari* 9.149 *gradus vnitatis diuersi* 9.150. *quomodo dicatur media inter vniuersalem, & singularem* 9. 154. *stat cum numerica* 9.163. *multiplicatur cum natura in indiuiduis* 9.168. *est vnitas Metaphysica, non physica* 9. 174. *vnitas essentialis & metaphysica naturæ non debet confundi cum physica, & entitatiua* 9. 182. *Quid sit vnitas præcisionis* 9. 184. *vnitas vniuersalis est rationis, non realis* 9. 214. *vnitas præcisionis non est vnitas vniuersalis* 9. 219. *vnitas numeralis est positiua, & omnium maior, ac perfectior* 10. 36. *vnitas entitatiua non debet confundi cum quantitatiua in rebus materialibus* 10. 64. *discrimen inter vtramque ibid. sola vnitas indiuidualis est principium numeri* 10. 182. *vnitas quæ est principium numeri in omni ente reperitur* 10.184. *nec est aliquid rei numerata realiter superadditum* 10. 189. *vnitas quantitatiua negat diuisionem continui* 10. 186.

Vniuersale, & Vniuersalitas.

Vniuersale non est obiectum sensus 8. 208. *multiplex eius acceptio* 9. 2. *vniuersale in essendo est fundamentum vniuersalis in prædicando ibid. vniuersalitas non conuenit naturæ à parte rei, bene tamen communitas ibidem, Vniuersale in esse ndo non est nuda vox, vel conceptus* 9.5. *singularia non sunt immediatum significatum vniuersalis* 9.6. *ad vnitatem conceptus vniuersalis non sufficit vnitas similitudinis* 9. 7. *debet tribui vniuersalitas cuidam idolo ficto* 9.13. *vniuersalis cognitio ad quid terminetur* 9.22. *vniuersale Platonicum non datur* 9.25. *nulla enim est eius necessitas, aut vtilitas* 9.28. & 29. *an ad naturæ vniuersalitatem debeat necessario abstrahi à pluribus* 9.195. & *seq. Quid sit vniuersale in actu* 9.200. *vniuersale triplex physicum, metaphysicum, & logicum* 9.201. *solum vniuersale logicum est verè, & propriè vniuersale* 9.203. *metaphysicum non est completum ibidem vnitas, & communitas concurrunt ad rationem vniuersalis* 9.208. *eius communitas non est rationis, non realis* 9. 208. *vniuersale debet esse proximè de pluribus prædicabile* 9.209. *debet esse indifferens, vt sit in pluribus simul, & coniunctim* 9. 210. *indifferentia negatiua est sufficiens fundamentum vniuersalitatis* 9. 211. *vnitas vniuersalis non stat cum singularitate* 9.216. *vnitas vniuersalis non est vnitas similitudinis* 9. 217. *licet sit vnitas rationis, est tamen cum fundamento in re* 9.218. *fundamentum vnitatis vniuersalis est vnitas formalis, quam habet natura à parte rei* 9.218.

Vniuersale potest sumi tripliciter 9.219. *vnitas vniuersalis est per inexistentiam, non per indifferentiam* 9.220. *declaratur essentia vnitatis vniuersalis* 9.221. *vniuersalitas stat cum statu contractionis per intellectum* 9.226. *quærenda est causa vniuersalitatis naturæ, non autem communitatis* 10.10.

Vniuocatio.

Vniuocatio metaphysica minus requirit, quam physica 8. 195. *non est via sufficiens ad conuincendam formalem distinctionem inter gradus metaphysicos* 8.206. *ad uniuocationem prædicamentalem sufficit unitas naturæ per indifferentiam* 9. 121. *non sufficit unitas similitudinis* 9. 112. *in specie athoma est perfecta uniuocatio* 10. 18.

INDEX DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM Posterioris Tomi Metaph.

DISPVTATIO VII.

De diuisionibus entis.

Quæst.1. De multiplici entis diuisione. pag.1
Quæst.2. An benè diuidatur ens reale in quantum, & non quantum. 7
Quæst.3. De ordine Diuisionum entis realis, & quænam sint omnium prima. 12
Artic.1. Resolutio Quæsiti. 13
Artic.2. Satisfit Obiectionibus. 16

DISPVTATIO VIII.

De Entis finiti essentia, & existentia.

Quæst.1. An status essentiæ creaturarum, vt ab existentia præscindit, sit solius possibilitatis, an etiam alicuius actualitatis. 19
Artic.1. Creaturas non ab æterno habuisse aliquod esse reale actuale essentiæ. ibid.
Artic.2. Creaturas ab æterno non habuisse esse diminutum medium inter ens reale, & rationis, vbi explicatur quid sit esse cognitum, quod habuerunt. 21
Artic.3. Essentia rerum, vt ab existentia præscindit, in sola reali possibilitate consistit, vbi explicatur quid sit, & vndè oriatur esse possibile rerum. 24
Artic.4. Soluuntur obiectiones probantes realitatem actualem essentiæ creaturarum ab æterno. 30
Quæst.2. Quid sit rerum existentia, & quomodo ab actuali essentiali distinguatur. 33
Artic.1. Existentia neque est accidens commune, neque proprium actualis essentiæ, sed modus eius intrinsecus. 35
Artic.2. Existentia non distinguitur realiter ab actuali essentia, sed est eadem entitas actualis essentiæ. 38
Artic.3. Thomistarum argumentis occurritur. 42
Artic.4. Essentia realis, & existentiæ non distinguuntur solum per intellectum, sed formaliter ex natura rei modaliter. 45
Quæst.3. Vbi resoluuntur ex dictis varia quæsita de essentia, & existentia. 48
Quæst.4. An quæcunque propriam habent essentiam peculiarem etiam habeant existentiam. 53
Quæst.5. An tam essentia, quàm existentia ex gradibus metaphysicis componantur. 56
Quæst.6. Qualis, & quanta distinctio versetur inter gradus metaphysicos. 58
Artic.1. Diuersi gradus essentiæ non distinguuntur realiter, quia fundentur semper in diuersis formis physicis. 58
Artic.2. Gradus metaphysici prædicamentales non sola ratione distinguuntur, sed media distinctione inter realem, & rationis. 60
Artic.3. Thomistarum, & Nominalium argumentis satisfit. 65
Quæst.7. An omnes rerum essentiæ sint inæqualis perfectionis. 70
Artic.1. Resolutio Quæsiti. 71
Artic.2. Obiectionum solutio. 74

DISPVTATIO IX.

De natura Communi, se Vniuersali.

Quæst.1. An vltrà singularia à parte rei dentur naturæ communes, seu vniuersales. 76
Artic.1. Vltrà singularia dantur naturæ communes à parte rei. 77
Artic.2. Argumenta Nominalium soluta. 80
Quæst.2. Quomodo natura communis habeat esse à parte rei, an scilicet, in singularibus inclusa, & realiter identificata, vel non. 83
Quæst.3. An natura communis saltim ex natura rei formaliter distinguatur à singularibus, seu differentijs contrahentibus. 88
Artic.1. Asseritur pars affirmatiua. ibid.
Artic.2. Argumentum Thomistarum, ac Nominalium soluta. 92
Quæst.4. De communitate, vel aptitudine naturæ, vt sit in multis, num illi conueniat à parte rei, vel solùm per opus intellectus. 96
Artic.1. Naturam habere quandam communitatem à parte rei. ibid.
Artic.2. Argumentum contra communitatem naturæ soluta. 100
Quæst.5. An natura sit communis à parte rei per inexistentiam, num potius per solam indifferentiam. 105
Artic.1. Resolutio Quæsiti. 105
Artic.2. Satisfit Obiectionibus. 108
Quæst.6. De Vnitate naturæ communis; An natura in statu essentiæ habeat quandam vnitatem minorem vnitate singulari, quæ dicitur formalis. 111
Artic.1. Resolutio Quæstionis. 112
Artic.2. Obiectiones in oppositum soluuntur. 116
Quæst.7. An vnitas formalis conueniat naturæ etiam in statu existentiæ, & quomodo. 119
Artic.1. Resolutio Quæstionis. 120
Artic.2. Argumenta ad oppositum soluta. 123
Quæst.8. Quid sit vnitas præcisionis, & in quo statu naturæ conueniat. 126
Quæst.9. Quid sit vnitas vniuersalis, & in quo statu naturæ conueniat. 130
Artic.1. Quodnam sit vniuersale propriè dictum. ibidem.
Artic.2. De communitate Vniuersalis. 132
Artic.3. De Vnitate Vniuersalis. 133

DISPVTATIO X.

De Indiuiduatione naturæ, se principio Indiuiduationis.

Quæst.1. An omnis res existens sit singularis, & debeat principium assignari indiuiduationis eius, itaut non sit seipsa singularis. 138
Quæst.2. Quomodo principium Indiuiduationis sit naturæ superadditum, & ab ea distinctum. 141
Artic.1. Resolutio Quæstionis. ibid.
Artic.2. Rationes ad oppositum solutæ. 143
Quæst.3. An principium indiuiduationis naturæ superadditum sit quid positiuum, vel negatiuum. 146

Quæst.4. An existentia sit principium indiuiduationis. 147
Quæst.5. An accidentia sint principium indiuiduationis. 149
Artic.1. Neque collectio accidentium, nec ordo ad circumstantias extrinsecas est principium indiuiduationis. 150
Artic.2. Quantitas non est principium indiuiduationis. 152
Quæst.6. An materia nudè sumpta, vel saltim quantitate signata sit principium indiuiduationis. 154
Artic.1. Materia nude sumpta non est principium indiuiduationis. 155
Artic.2. Materia signata non est principium indiuiduationis. 159
Quæst.7. An forma per se sumpta, vel saltim cum materia sit principium indiuiduationis. 163
Quæst.8. An formæ substantiales indiuiduentur per materiam, & accidentales per subiectum. 167
Quæst.9. Quodnam re vera sit principium indiuiduationis cuiuscunque rei in creatis. 171
Artic.1. Differentia indiuidualis hæcceitas appellata est principium indiuiduationis omnium rerum. 172
Artic.2. Thomistarum argumentis occurritur. 174
Quæst.10. Nam detur conceptus communis, vel hæceitatis, vt sic. 177
Quæst.11. An inter indiuidua eiusdem speciei detur inæqualitas perfectionis, ac etiam aliqua dissimilitudo maior vltrà hanc, quod vnum non sit aliud. 181
Quæst.12. An vnitas indiuidualis sit principium numeri, & hæc in omnibus rebus reperiatur, vbi etiam de radice multiplicationis indiuidualis. 186

DISPVTATIO XI.

De substantia, eiusque subsistentia.

Quæst.1. Quid sit substantiæ prout ab Accidente distingui. tur. 188
Quæst.2. An substantia singularis constituatur actu per se existens, & subsistens per aliquid realiter superadditum, & ex natura rei distinctum. 192
Quæst.3. Quid significet subsistentia, quidue subsistens. 196
Artic.1. Varij modi dicendi referuntur, ac reijciuntur. 196
Artic.2. Ratio formalis subsistentiæ, eiusque formalis effectus declaratur. 199
Quæst.4. An subsistentia sit quid positiuum, vel negatiuum. 202
Artic.1. Opinio de positiuo est probabilis. 203
Artic.2. Opinio de negatiuo est probabilior. 205
Artic.3. Argumenta Metaphysica contra opinionem de negatiuo soluta. 211
Artic.4. Argumenta Theologica contra eandem opinionem enodata. 215
Quæst.5. An & quando subsistentia concurrat ad operationes suppositi.
Quæst.6. Quibus rebus subsistentia conueniat.

DISPVTATIO XII.

De Accidente, eiusque inhærentia.

Quæst.1. An accidens sit ens simpliciter propriam habens existentiam, ac proinde à substantia realiter distinctum.
Quæst.2. Quid, & quotuplex sit inhærentia accidentis. 229
Quæst.3. An inhærentia sit de essentia accidentis. 233
Quæst.4. De factione, & origine formarum accidentalium, an scilicet, fiant ex nihilo, vel potius ex materia, seu præiacente, subiecto. 236
Artic.1. An factio ex nihilo sit creatio, & è contrà. 237
Artic.2. An formæ fiant ex nihilo ab agente naturali immediato.
Artic.3. An formæ fiant per inchoationes earum in materia præcedentes.
Artic.4. Quomodo formæ materiales fiant per eductionem de potentia materiæ, earumque discrimen ab anima rationali.
Quæst.5. De formarum desitione, vel interitu.
Artic.1. An omnis forma Physica sit corruptibilis. ibid.
Artic.2. An forma semel corrupta, vel à materia separata denuò redire naturaliter possit ad eandem materiam infirmandam.
Quæst.6. De ordine accidentis ad substantiam.
Quæst.7. An accidens corporeum subiectari possit in subiecto incorporeo, & è contra incorporeum in corporeo.
Quæst.8. An idem numero accidens possit simul esse in diuersis subiectis, & plura numero in eodem.
Quæst.9. De accidentibus, & formis supernaturalibus.
Quæst.10. De accidentibus relatiuis.

DISPVTATIO XIII.

De substantijs spiritualibus, Deo, ac Intelligentijs.

Quæst.1. An possit naturaliter demonstrari Deum esse, & quomodo.
Quæst.2. An Deus sit cognoscibilis naturaliter ab intellectu viatoris quoad quid est.
Quæst.3. An possit naturali ratione probari præter Deum extare alias substantias spirituales in vniuerso. 311
Quæst.4. An possit naturaliter ostendi Deum esse infinitæ virtutis, & ex Aristotele, aliasque Intelligentias ab ipso esse productas.

DISPVTATIONES
In duodecim Aristotelis Stagiritæ Libros
METAPHYSICORVM.
PARS POSTERIOR.

DISPVTATIO VII.
De Diuisionibus Entis.

1 *POstquam in superiori tomo, præcedentibusque disputationibus de communi conceptu entis, deque eiusdem principijs, & proprietatibus actum est præscindendo à specialibus rationibus entium: modò in hoc posteriori ad definitas, peculiaresque entium rationes, quantùm abstractio huius scientiæ, & latitudo obiecti eius nobis permittit, descendere opus est; quoniam autem talis descensus fieri nequit, quam per varias entis diuisiones in sua membra, ideò exordium huius secundi Tomi sumimus à disputatione de Diuisionibus entis. Hic autem recolere oportet, quod dicebamus supra disp. 4. q. 2. num. 29. 32 quod quidam modi, vel differentiæ condiuidentes ens in commune, vt finitum & infinitum, necessarium, & contingens, & c. capi possunt dupliciter, vel sic simul sumpta circumscribunt vnicam entis passionem, & cum ipso adæquatè conuertibilem; & in hoc sensu de ipsis actum est disp. præced. vel vt disiunctim important diuersos modos intrinsecos, quibus ens contrahitur, & diuiditur, & in hoc sensu de ipsis agimus in præsenti disput.*

QVÆSTIO PRIMA.

De multiplici entis diuisione.

2 MVltis, ac ferè innumeris modis solet ens diuidi in varia membra, quarum diuisionum præcipuas, atque principaliores hic referemus, & examinabimus; tractant de his diuisionibus entis Formalistæ nostri trac. Formalit. art. 1. princ. & præsertim disputant de ordine illarum inter se, & quænam sit omnium prima; sed ante huius difficultatis examen, prius singulæ diuisiones in se sunt declarandæ, vndè modò illas promiscuè proponemus nullo certo ordine seruato inter ipsas, posteà verò de illarum ordine agemus, & quæ sit omnium prima vestigabimus, nam ordo inter illas seruandus, non nisi ex ipsarum exacta explicatione innotescere potest.

Prima Diuisio.

PRimò itaque diuidi solet ens in maxima sua amplitudine sumptum, seu transcendentissimè in ens reale, quod habet esse vel habere potest præter opus intellectus, seu nullo intellectu considerante, & in ens rationis, quod nequit habere esse, nisi per considerationem intellectus, quæ quidem diuisio est æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata, vt notauit Auctor Formalit. art. 1. prin. ab initio; & quia huius diuisionis explicatio satis constat ex dictis disp. 2. q. 9. art. 2. vbi disputatur, an detur ens præscindens à reali, & rationis, quod sit vniuocum ad illa, hic vlteriori non indiget examine; deducit autem hanc diuisionem Vallo art. 1. Formalit. ex Arist. 6. Met. tex. com. 8. vbi dicit, cum autem complexio, diuisioque non in rebus sit, sed in mente, id autem quod hoc pacto est ens diuersum sit ab hisce, quæ propriè entia sunt; vult dicere, inquit Vallo, quod complexio, & diuisio sunt ab intellectu, & mente, & vocantur entia rationis, & hoc ens rationis isto pacto acceptum diuersum est, & separatum ab his, quæ propriè sunt entia idest ab ente reali; & hoc itaque loco, ac etiam ex lib. 11. Met. sum. 5. cap. 2. deducitur præfata diuisio, nam his locis tradit famosam illam diuisionem entis in anima, & extra animam, vbi per ens in anima intelligitur ens rationis, & per ens extra animam ens reale, vt passim omnes Interpretes exponunt, quam etiam diuisionem recensет Scotus 1. d. 36. q. vn. F.

3 Sed hic occurrit difficultas inter Scotistas, an diuisio illa entis in anima, & extrà animam, quam memorat Doct. loc. c. reuera coincidat cum diuisione entis in ens reale, & rationis. Negat Bargius in 1. d. 36. qu. vn. eius fundamentum est, quia postquam Doctor ibi distinxit ens in ens in anima, & extrà animam, hoc posteà subdiuidit per ens in actu, & ens in potentia, & subdit, quod vtrumque istorum potest esse in anima, quod profectò non assereret, si per ens in anima intelligeret ens rationis, quia ens reale nequit fieri ens rationis. Sed planè decipitur Bargius, nam per ens in anima, & extrà animam re vera nil aliud Doctor intelligit, quam ens rationis, & reale, vt ibi notant Lichet. & Vigerius, quem immeritò redarguit Bargius, Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 28. a. vl. & alij politiores Scotistæ, idque palam ex eius discursu conuincitur, ibi namque Doctor declarare intendit conditionem illius esse cogniti, quod ab æterno habuerunt creaturæ in diuina mente, vtq; ostendat illud non esse aliquod esse reale, & simpliciter, sed rationis, & secundum quid, diuidit ens in ens in anima, & extrà animam; & esse cognitum creaturarum constituit sub esse in anima, & inquit hoc esse in anima esse omninò diuersum ab omni esse extrà animam, siue per esse extrà animam intelligatur ens in actu entitatiuo, siue ens in potentia obiectiua; ergo per ens in anima Doctor præcisè intelligit ens rationis, seu illud, quod præcisè habet esse obiectiuè in intellectu, & nullo modo extrà nec actu, nec potentia. Tum quia inquit ibi Doctor illud esse in anima esse diuersum ab omni esse extra animam, siue actuali, siue potentiali; ergo illud esse in anima excludit omnem realitatem entis realis, quæ consistit in hoc, vt sit actu in rerum natura, vel saltim esse possit. Tum demum, quia si tale esse in anima inuoluit aliquid reale, & non est purum ens rationis, tunc esse cognitum creaturarū, quod habent ab æterno in diuina mente, erit aliquod esse reale, quod esse falsum in sententia Doctoris constabit disp. seq. q. 1. art. 1. consequentia patet, quia Doctor loc. cit. illud esse cognitum creaturarum reducit ad esse in anima. Nec vrget fundamentum Bargij in oppositum, quamuis enim Doctor subdiuidat ens extrà animam in ens actu, & potentia, & dicat vtrumque istorum posse habere esse in anima; non ob id confundit ens extra animam cum ente in anima, imo adhuc subdit illud esse in anima esse aliud ab omni esse extra animam; intantùm ergo dicit ens extra animam, siue actuale, siue potentiale posse habere esse in anima, quatenus intelligi potest verum esse extra animam illi non repugnare in quo adhuc casu illud esse, quod haberet res extra animam potentia, non est formaliter idem cum eo esse, quod habet in anima, vt sic cognitum, quia hoc esse cognitum est esse denominationis extrinsecæ ab intellectu cognoscente, & esse rationis, non reale.

Dubitabis rursus, an ens chimæricum sub hac diuisione contineatur, nempe sub altero membro, scilicet ente rationis. Audiui olim, cum eram Iuuenis, quendam Scotistam iam defunctum id negare sola fretum auctoritate Scoti quol. 3. ab initio, vbi ait eas chimæricum, & quod contradictionem implicat, esse omninò nihil, vt nihil excludit omne esse extrà intellectum, & in intellectu, quod enim est sic includens contradictionem sicut non potest esse extrà animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, vel aliquod ens in anima, quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit vnum intelligibile. Oppositum tamen debet esse omninò certum, vt ostendi disput. 3. Log. quæst. 7. & illum ipsum Scotistam iam reuinxi argumento ineluctabili dicendo, tu qui disputas de ente rationis chimærico, & illud negas, vel concipis, quod dicis, & negas, seu hunc terminum *chimæram* apprehendis, quam negas dari posse intellectu, vel non apprehendis; si concipis, & apprehendis ergo datur tale ens ra-

tionis in intellectu tuo, & dum illud dari negas, iam actu datur; si verò hunc terminum non concipis, quomodo de ipso disputas? Neque Scotus negare intendit loc. cit. ens chimæricum habere esse obiectiuum in intellectu vtcunque; imò quæst. 3. vniuers. in fine concedit figmentum esse quandam speciem entis rationis contra distinctam ab alia, quæ dicitur ens rationis fundatum, illudque distinguit ab ente rationis fundato, sicut est secunda intentio, non quia hæc sola habeat esse obiectiuum in intellectu, non verò illud, sed quia huic correspondet fundamentum à parte rei, figmento verò nihil correspondet in re extrà, quod etiam quo pacto intelligendum sit dictam est loc. cit. disput. 3. log. quæst. 7. vndè supponit vtrumque habere esse in intellectu, & differre per hoc, quod vni correspondet aliquid in re extrà, non verò alteri; intendit ergo solùm ibi figmentum non habere esse in anima, tanquam vnum per se intelligibile, sicut habent cætera entia rationis fundata, vt iam explicui disp. 3. log. cit. qu. 6. quæ est communis expositio Scotistarum ibidem Tatar. Lichet. & Gadij, vbi isti expositores hanc mouent difficultatem, & assignant vnanimiter omnes allatam responsionem; signum euidens Scotum, non excluisse figmenta à numero entium rationis vt sic, si namque talis fuisset mens eius, opus minimè erat eius expositores hanc difficultatem excitare, vel vltrò concedere debebant figmenta in Scoti sententia entia rationis non esse, quia nullum possunt habere esse obiectiuum in intellectu. Vide Gadium ibidem, vbi nonnulla dicit satis consona ijs, quæ disp. 3. log. cit. dixi de ente rationis tam in ordine ad intellectum creatum, quam dinum, ex quo constabit illam doctrinam nec esse Scoto dissonam, neque veteribus Scotistis, vt aliqui ex nostris mussitant.

Secunda Diuisio.

4 SEcundò diuiditur ens per finitum, & infinitum, quæ quidem diuisio entis realis tran|cendenter capti, vt est commune Deo, & creaturæ, vndè per ens finitum intelligitur creatura, & per ens infinitum Deus, & quicquid est illi realiter identificatum, siue sit essentiale, siue notionale, hæc enim omnia sunt infinita, vel formaliter, vt essentialia communia tribus diuinis personis, vel saltim realiter, & identicè, vt docet Scotus de relationibus originis quol. 5. vbi admittit esse infinitas tantùm identicè, & realiter ob realem nempe identitatem cum diuina natura, non autem in seipsis formaliter; quod sufficit, vt præfata diuisio dicatur enti adæquata in tota sua latitudine, sicut enim nil cogitari potest in tota entis latitudine, quod non sit Deus, vel creatura, sic etiam nil cogitari potest quod in sua perfectione essentiali non sit finitum, & limitatum, vel infinitum & illimitatum altero ex prædictis modis, scilicet formaliter, vel identicè, quod addo vt relationes quoque originis sub hac diuisione comprehendi dicantur. Præterea suaderi potest vlterius diuisionis huius sufficientia, quia omne illud, quod habet perfectionem, aut habet perfectionem partialem, aut totalem, si habet totalem, seu claudit totam perfectionem enti compossibilem, sic est ens infinitum, quod est Deus, infinitas enim perfectionis enti non repugnat; si verò perfectionem duntaxat habet partialem, ideò non includit totam entis perfectionem, quæ est enti compossibilis, sic est ens finitum, & creatura, quæ probatio deducitur ex Scoto quol. 5. vbi licet neget relationes originis in diuinis posse dici formaliter finitas, vel infinitas, quia non sunt entia quanta; admittit tamen posse dici infinitas identicè, & realiter ob identitatem cum diuina essentia, quod sufficit vt & ipsæ aliquo pacto sub hac diuisione comprehendi possint, nam de diuisione entis in quantum, & non quantum posteà dicemus quæst. seq.

5 Hic autem notandum est hanc diuisionem entis non esse essentialem, & quidditatiuam, quia non datur per prædicata essentialia, & quidditatiua Dei vel creaturæ, sed per modos intrinsecos, finitas namque est modus intrinsecus creaturæ, & infinitas Dei, vt sæpius monet Doctor, idque fatetur ipse quoque Suarez disput. 28. Met. sec. 1. num. 3. vbi inquit per hanc diuisionem ens diuidi in Deum, & creaturam, sed quia non possumus ea, quæ sunt Dei propria, prout in se sunt, concipere, imo nec per positiuos conceptus simplices, ac proprios Dei; ideò negatiuis vtimus, vt illud excellentissimum ens, quod maximè à cæteris distat, minusque cum illis conuenit, quam ipsa inter se, ab eis separemus, & distinguamus; atque hoc modo conficimus prædictam diuisionem sumendo aliquid, in quo omnes res creatæ, vel creabiles inter se conueniunt, & illud à nobiliori quodam ente remouendo, eo quod excellentiorem gradum essentiæ, vel entitatis habeat, atque hoc modo totam entis latitudinem ad duo illa membra reuocamus; ità Suarez loc. cit. quod valdè aduertendum est, quia hinc posteà iudicandum erit, an hæc sit prima omnium diuisionum entis secundum se, vt ipse contendit ibidem. Disputat etiam ibi Suarez sec. 3. an hæc diuisio sit vniuoca, vel analoga, & quia negat ens esse vniuocum ad finitum, & infinitum, aitque esse purum analogum, consequenter etiam asserit hanc diuisionem esse analogam, non verò vniuocam, nobis autem quia admittimus vniuocationem entis Deo, & creaturæ licet cum analogia permixtam, vt constat ex disput. 2. de natura entis, consequenter tenendum est hanc esse diuisionem vniuocam pariter cum analogia commixtam. Hanc quoque diuisionem recenset Magister formalit. art. 1. prin. cum cæteris Formalistis, sed eam adducunt, vt sub diuisionem entis quanti, vndè ab ea excludunt relationes originis in diuinis, vt potè entia non quanta ab omni perfectione, & imperfectione essentiali præscindentia, iuxtà quem dicendi modum talis diuisio non videtur omninò adæquare, & exhaurire totam entis latitudinem. Verùm, quia Doctor 1. d. 3. qu. 2. & 3. dum asserit entis vniuocationem ad finitum, & infinitum loquitur vniuersim de omnibus per se intelligibilibus, quæ quomodocumque in Deo reperiuntur, & creaturis, videtur consequenter velle hac diuisione totam entis latitudinem adæquare; vndè vt saluetur huius diuisionis sufficientia, & adæquatio, non hic sumere debemus finitum, & infinitum præcisè pro eo, quod est in se, & formaliter tale, sed pro eo quod quouis modo est tale, siue formaliter, siue identice tantùm, siue ratione sui, siue ratione alterius cui identificatur, hoc enim modo explicando membra diuisionis istius, sub ea quoque cadunt relationes originis, cum sint saltim realiter, ac identicè infinitæ; neque in hoc sensu negat Scot. quol. 5. eas cadere sub hac diuisione, sed tantùm in primo sensu, vndè non absolutè negat Doctor hanc diuisionem esse adæquatam, vt ei tribuit Suarez loc. cit. & ideò in sensu iam explicato etiam Meuriss. et nostris lib. 1. suæ Met. q. 5. concl. 1. concedit hanc diuisionem esse adæquatam.

Tertia Diuisio.

6 TErtiò, vt notat Siret. loc. cit. diuiditur etiam ens in dependens, & independens, & per ens independens intelligitur Deus, & quicquid in ipso reperitur, quia à nullo est nec in genere causæ efficientis, nec causæ finalis, nec materialis, nec formalis, vt Doctor probat ex professo 1. d. 2. & d. 8. per ens verò dependens intelligitur, quod est ab alio in aliquo genere causæ, vndè cum omnia alia entia præter Deum ab ipso dependeant in genere causæ efficientis, omnis creatura erit ens dependens, vndè Arist. 12. Met. tex. com. 52. ponit omnia habere ordinem essentialem adinuicem, & magis ordinem essentialem ad vnum primum, scilicet Deum; ex quo vult habere, cum hic ordo sit essentialis dependentiæ, omnia essentialiter à primo ente pendere, & cum nihil sit essentialiter dependens ab aliquo in suo esse, nisi in aliquo genere causæ, intendit omnia à Deo dependere, tanquam à causa efficiente, & finali. Et quamuis multi prædictam Arist. sententiã exponentes dicant secundam intelligentiam à prima effectiuè non dependere, vt à causa efficiente, sed tantùm vt à causa finali, putantes Arist. non admittere secundam intelligentiam effectiuè causari à prima, nihilominus oppositum fusè ostendimus supra d. 6. q. 6. art. 1. Ex quo patet hanc quoque diuisionem esse enti adæquatam in tota sua latitudine, quia nullum ens excogitari potest in rerum natura, quod non sit dependens, vel independens, cum enim hi termini immediatam includant contradictionem, illud disiunctum oportet cuilibet enti conuenire; ergo hæc diuisio est adæquata, & sufficiens, cum assignari nequeat aliquid contentum sub toto diuiso, quod non contineatur sub altero membrorum diuidentium.

7 Suarez disp. 28. cit. velle videtur hanc diuisionem esse eandem cum præcedenti, quod cautè accipiendum est, si enim intelligit esse eandem, inquantum sunt eiusdem amplitudinis, & quatenus vtrobique diuisum est vnum, & idem, scilicet ens, & eadem quoque membra diuidentia. Deus enim est ens infinitum, & independens, creatura est ens finitum, & dependens, in hoc, inquam, sensu verum est hanc diuisionem cum præcedenti coincidere, at non in alio sensu verificari potest, quasi rationes quoque & modi diuidentes sint vtrobique idem, quamuis enim quod est infinitum sit quoque independens, & è contra, ac pariter quod est finitum sit vicissim dependens, tamen finitas, & dependentia, infinitas, & independentia sunt diuersi modi, & diuersæ rationes diuidentes, nam vna est ratio alterius, ac potest demonstrari per aliam, nempe infinitas per independentiam, & finitas per dependentiam, ita Doctor quol. 7. sub lit. T. ex independentia in Deo eius infinitatem deducit, quia quod habet à se aliquid, habet illud in tota plenitudine; quæ sibi competere potest, nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente illud determinante ad certum gradum perfectionis; non ergo hæc diuisio est omninò eadem cum præcedenti. Benè tamen hæc diuisio coincidit cum quibusdam alijs, vt v. g. cum diuisione entis in ens à se, & ens ab alio, in ens per essentiam, & per participationem, in creatum, & increatum, causatum, & incausatum, & similibus: hi namque termini eundem profectò modum important habendi entitatem in membris diuidentibus, nam esse ens à se, est habere entitatem ab alio independentem, & non ab alio communicatam, esse ens ab alio est habere entitatem ab alio dependentem, & communicatam; pariter ens per essentiam dicitur illud, quod ex se, & per se habet esse non receptum, nec participatum ab alio, ens autem per participationem è diuerso dicitur illud, quod non habet esse, nisi communicatum, & participatum ab alio; eandem pariter dependentiam, ac independentiam important termini illi creatum, & increatum, solumque differunt, quod alij termini dependens, & independens, à se, & ab alio, per essentiam, & per participationem, causatum, & incausatum, important habitudinem generalem dependentiæ, vel independentiæ, vt sic; creatum verò, & increatum addit specialem habitudinem sumptã ex peculiari actione, quæ dicitur creatio; at quia creatio est prima emanatio ab alio cum dependentia ab illo & communis est aliquo pacto omnibus entibus ab alio dependentibus, in communi modo loquendi sumitur præcisè pro habitudine dependentiæ ab alio, vt sic, præscindendo à specialibus rationibus dependentiæ, & è contra sumitur increatum, atque ideò concludendum est has, & similes diuisiones omninò coincidere.

Pasqualig. tom. p. Metaph. disp. 28. 29. & 32. omnes relatas entis

realis

realis diuisiones inficiatur, quia nullum agnoscit entis realis conceptum communem Deo, & creaturis, nedum vniuocè, sed nec etiam analogicè, quod ibi longo sermone probare conatur, vndè quia non admittit communitatem conceptus entis, vt sic, nisi ad substantiam, & accidens, sic pariter nullam aliam agnoscit veram, & propriam entis diuisionem, nisi in illa membra, sed singularem hanc Pasqualig. phantasiam potius, quam opinionem, iam disp.2. de nat. entis quæst.2. pluribus insecuti sumus, demonstrando ens esse vniuocum nedum ad substantiam, & accidens, sed etiam respectu Dei, & creaturæ, & mox ostendam diuisionem entis in substantiam, & accidens non esset diuisionem entis, vt sic, immediatè, sed diuisionem entis finiti, hoc enim est quod immediatè diuiditur in substantiam, & accidens.

Quarta Diuisio.

8 QVartò vlterius ex Sirect. cit. diuiditur ens in necessarium, & contingens, vbi non sumitur necessitas, & contingentia complexè, quo pacto pertinet ad propositiones, neq; pro habitudine effectus ad causam naturaliter, vel liberè agentem, vel quæ potest, aut non potest impediri, quia hoc modo pertinet ad actiones: sed sumuntur absolutè prout important modos intrinsecos essendi rerum, quo sensu ens necessarium in essendo dicitur illud, quod per quamcunque potentiam non potest non esse, quia est à se, & non ab alio, qua de causa non potest, non esse simpliciter necessarium, quia nec seipsum destruere potest, neque ab alio destrui, cum ab alio non pendeat in esse, quo gradu necessitatis solus Deus gaudet, & quidquid cum ipso identificatur; per oppositum verò illud dicitur contingens simpliciter in essendo, quod potest esse, & non esse, quia ex se, & à se non habet esse, sed ab alio à se in natura diuerso, vnde cum ex se non habeat esse, ex hac parte non repugnat ei non esse, & quia ab alio pendet in esse, potest per eius potentiam desinere non esse, & sic se habet omnis creatura respectu Dei, etiam substantiæ spirituales, quæ dicuntur suapte natura incorruptibiles, eo quia carèt materia physica, quæ est prima radix corruptionis, qua ratione dici solent entia necessaria secundum quid, cum quo tamen stat, quod sint entia contingentia simpliciter, quatenus ab intrinseco illis non repugnat non esse, & à Deo annihilari. Ex quo constat diuisionem hanc entis per necessarium, & contingens à diuisione præcedenti pendere in ens à se, & ab alio, seu dependens, & independens, & per eam probari; nam necessitas demõstratur de Deo per hoc, quod est ens à se, & independens, sicut contingentia de creatura per hoc, quod est ab alio, & dependens: & nota hic per ens ab alio intelligi, quod ab alio accipit esse per veram causalitatem, & dependentiam in diuersitate naturæ, & non tantùm per simplicem productionem in vnitate naturæ, quo pacto dicunt Theologi in diuinis Filium à Patre procedere, & Spiritum sanctum ab vtroque, nam solùm in eo sensu ens ab alio dicitur simpliciter contingens, & opponitur ei, quod est simpliciter necessarium; alia, quæ dici possent pro intelligentia istius diuisionis, vberè constant ex dictis disputat.6. quæst.6.art.1. & 2. vbi tractatur de necessario, & contingenti.

Quinta Diuisio.

9 QVintò præterea ex eodem Sirect. ens diuiditur in simplex, & compositum; pro cuius diuisionis intelligentia plures assignat modos simplicitatis, & compositionis oppositæ. Primo modo aliquid dicitur summè simplex, & est illud quod non est nec compositum physicè, vel metaphysicè, idest ex re, & re, aut realitate, & realitate, nec est alteri sic componibile, & sic solus Deus est summè simplex, cætera verò entia composita, vt Doctor declarat, 1.d.8.q.1. Secũdo modo aliquid dicitur simpliciter simplex, quo pacto dicitur simplex quicquid habet conceptũ simpliciter simplicem, idest non resolubilem in vlteriores cõceptus, quorũ vnus sit quidditatiuus, & alter qualitatiuos, quo modo simplicia dicuntur ens, passiones entis, modi intrinseci, ac omnes vltimæ differentiæ, vt satis constat ex dictis disp.2.q.7.ar.1. alia verò, quę habent conceptus vlterius resolubiles in quidditatiuum, & qualitatiuum, dici possunt composita compositione huic modo simplicitatis oppositа, vndè quia Deus nõ habet conceptũ simpliciter simplicem, non dicitur hoc modo simplex, quod quidẽ non inconuenit, quia simplicitas huius modi nõ dicit perfectionẽ simpliciter, sed tãtũ simplicitas primi modi ex Sco.cit. Tertio modo dicitur simplex, quod non est physicè cõpositũ ex re, & re, idest ex materia, & forma, & sic simplicia entia dicuntur omnia accidentia, materia, forma, angelus, & anima, hęc enim omnia censentur physica cõpositione expertia, licet Metaph. admittant ex genere, & differẽtia, & huic modo simplicitatis opponitur cõpositio physica ex materia, & forma. Quarto deniq; modo aliquid dicitur simplex, quia non est mixtũ, in quo sensu cęlum, & elemẽta dici solent corpora simplicia, cętera verò composita. Quia mixta. Cum ergo ens, vt sic, diuiditur in simplex, & cõpositum; vt hęc sit adæquata diuisio, & omnem exhauriat entis latitudinem, adeoùt sub primo membro contineatur Deus, sub altero omnis creatura, sumi debet simplicitas primo modo, vt nempe excludit omnem compositionem tam Physicam, quam Metaphysicam, ac omnem quoque componibilitatem, tum quia in eo dũtaxat sensu dicit perfectionem simpliciter soli Deo conuenientem, tum quia nullum ens extra Deum excogitari potest, quod non sit aliquo modo in se compositum Physicè, vel Metaphysicè, vel saltim alteri componibile.

10 Hæc quoque diuisio est vera, & propria, ac vniuoci in vniuocata, quia vt constat ex dictis disp.5.q.2. etiam ens per se vnum vnitate compositionis est verè, ac propriè ens, non autem impropriè, & metaphoricè; verum tamen est esse diuisionem à præcedentibus dependentem, simplicitas enim de Deo demonstratur, & per rationem infinitatis, & per rationem necessitatis, sicut è contra compositio, vel componibilitas ostenditur de creatura ex ratione finitatis, & contingentiæ; ita videre licet apud Doctorem 1.dist.8.q.1. vbi ex hac duplici via demonstrat simplicitatem diuinam, ex necessitate quidem, quia quod potest venire in alterius compositionem, est aliquo modo potẽtiale ad aliam compartem, atq; ita non est ex se necesse esse, ac in vltima actualitate; deinde hoc etiam ostendit via infinitatis, quia omne componibile potest esse pars alicuius totius compositi, quod est ex ipso, & alio componibile, at omnis pars potest excedi à toto, quod est contra rationem infiniti; tum quia omne componibile caret perfectione illius, cum quo componitur, alioquin cum illo non componeretur, sed infinitum habet in se perfectè omnem entitatem, eo modo quo est possibile omnem in seipso continere, ergo quod est infinitum non est in se compositum, nec alteri componibile, sed est summè simplex, ita quoque discurrit Doctor quol.5. hæc ergo entis diuisio pendet ex secunda, & quarta diuisioue, quia per illas probari, & demonstrari potest. Et ad hanc diuisionem reducitur, vel potius cum ea coincidit alia quædam entis diuisio in purum actum, & potentiale, adeoùt sub primo membro solus contineatur Deus, & sub alio omnis creatura; dicitur enim purus actus, quod nec est in se compositum, nec alteri componibile, sed summè simplex, & dicitur potentiale illud, quod vel est in se compositum, vel saltim alteri componibile, vndè patet hanc diuisionem penitus cum illa coincidere, qua ens diuiditur in simplex, & compositum.

Sexta Diuisio.

11 SExtò quoq; diuidi solet ens in ens in actu, & in ens in potentia, vbi per ens in actu intelligi non debet illud, quod est in se simplex, & actualissimum, & per ens in potentia id, quod est compositum, vel componibile, nam hęc diuisio in hoc sensu intellecta, omninò coincideret cum præcedenti; sed per ens in actu intelligi debet illud, quod habet actualem existentiam in re, & in effectu, & dicitur ens in actu entitatiuo; & per ens in potentia intelligitur illud, quod non adhuc existit in rerum natura, sed potest esse obiectum alicuius potentiæ, & ab ea produci, & dici solet ens in potentia obiectiua, quatenus hæc potentia opponitur actui entitatiuo, & in hoc sensu hanc diuisionem tradidit Doctor 1 d.36. quæst.vn. F. vbi diuidit ens reale, & extrà animam in ens in actu, & in ens in potentia tam essentiæ, quam existentiæ; & quia huius diuisionis membra superiùs disp.6.quæst.2. explicata fuerunt ex professo, hic alia superaddere non oportet. Hanc eandem diuisionem tradit Magister Formalit.loc.cit. sub alijs tamen terminis, nam in quarta diuisione principali diuidit ens in ens simpliciter, & in ens secundum quid, siue in ens in potentia subiectiua, & in ens in potentia obiectiua, adeoùt simpliciter, & in potentia subiectiua sit illud quod est actu existens, ens verò secundum quid, & in potentia obiectiua illud est, quod licet actu non existat, tamen existere potest. Qui modus loquendi non satis placet, quia in communi modo loquendi per ens simpliciter intelligitur ens reale, & per ens secundum quid ens rationis, vt fatetur Sirectus loc.cit. atque ita de facto loquitur Doctor loco nunc cit. vbi ens in anima vocat ens secundum quid, & ens extrà animam ens simpliciter appellat, quod posteà subdiuidit in ens in actu, & in ens in potentia. Displicet vlterius, quod ens simpliciter, & in actu vocat ens in potentia subiectiua, licet enim ad hoc vt aliquid dicatur in potentia subiectiua requiratur, quod sit, & existat in rerum natura, vnde quæ actu non existunt, vt Antichristus, vel rosa in hyeme non dicuntur esse in potentia subiectiua, adhuc tamen vlterius requiritur, quod possit aliquid recipere per modum subiecti, vt dictum est disput.6. quæst.2. num.64. potentia namque subiectiua est potentia passiua, & receptiua, vt ex vi nominis constat, & ideò Deus cum sit purissimus actus, nec aliquid recipere possit, dici nequit ens in potentia subiectiua, & tamen benè dicitur ens simpliciter, & ens in actu entitatiuo; ergo malè hoc membrum explicatur per esse ens in potentia subiectiua, vt ergo omnis confusio tollatur tradi debet hęc diuisio per ens in actu, & ens in potentia, idest in actu entitatiuo, & in potentia obiectiua, sub quibus terminis tradita fuit à Scoto loc. cit. & 2. dist.12. quæst. 1. & ab Aristot. ipso pluribus in locis, quos allegauimus disput. 6. cit. quæst. 2. num. 74. Tum etiam quia ens in potentia subiectiua non propriè contraponitur illi, quod est in potentia obiectiua, sed illi quod habet formam, seu est in actu formali.

An verò hæc diuisio sit bona, et vniuoci in vniuocata, vel potius æquiuoci pendet ex resolutione difficultatis inferius tractandæ disp. seq.quæst.1.art.3. num.45. an ens possibile, seu in potentia obiectiua possit verè, et propriè dici ens reale, si enim verè, et propriè entis realis rationem non participat, vt tenent quamplures etiam ex Scotistis, & Scotus ipse probabile iudicare videtur 9.Met. q.2. hæc diuisio non erit vniuoca, sed æquiuoca; si autẽ verè, & propriè rationẽ talis entis participat, erit diuisio vniuoca; & quia hanc partem, vt probabiliorem amplectitur Doctor loc.cit. ac etiam 1. d.36. cit. vbi ipsum

ens reale,& extra animam diuidit in ens in actu,& ens in potentia,ideò concludere licet hanc diuisionem esse veram, & vniuocam, quod adhuc magis constabit inferius ex resolutione totali illius difficultatis.

Septima Diuisio.

12 SEptimò diuiditur ens reale in ens per se, & in ens per accidens, quam diuisionem assignauit Aristot, 5.Met. cap. 6. pro cuius intelligentia notandum ex Scot.6.Metaph. quæst.2. ens reale duplici modo posse appellari per se, vel per accidens; vno quidem modo in ratione effectus, & quoad causari, quo pacto dicitur per se id, quod à determinata causa procedit, & ex intentione agentis; per accidens verò illud dicitur, quod nec à determinata causa procedit, & præter intentionem agentis, quales sunt effectus casuales, & fortuiti; alio autem modo in ratione entis, & quoad esse, & hoc quidem dupliciter, vno quidem modo ratione modi essendi per se, vel in alio, quo pacto substantia dicitur ens per se, reliqua verò dici possunt per accidẽs, sed potius ens in alio; alio autem modo aliquid appellatur in ratione entis ens per se, vel per accidens non quidem in ordine ad modum essendi, sed in ordine ad vnitatem, itaquod illud dicatur ens per se, quod est per se vnum, illud verò per accidens, quod tantùm per accidens vnum est; & in hoc sensu in hac diuisione fit sermo de per se, & per accidens in ratione entis, nam aliquid dicitur ens per se, vel per accidens in ordine ad vnitatem, quam habet, seu ratione talis vnitatis; priori autem modo per se, vel per accidens in ratione entis, vt dicit modos essendi, pertinet ad aliam diuisionem entis, qua dividitur in substantiam, & accidens de qua postea. Cum ergo ens per se, & ens per accidens, vt sunt membra diuisionis istius, ex vnitate rei per se, vel per accidens desumatur, videndum est quid dicat in entibus vnitas per se, & vnitas per accidens, & in quo differant ens per se vnum, & ens per accidens vnum, ex hoc enim discrimine membra istius diuisionis manifesta fient; porrò de hoc tractauimus ex professo disp.5. quæst.2.explicando vnitatem per se, quæ est passio entis, & n.24. concluſimus ens per se vnum dici illud, quod importat vnicam, & veram essentiam, ac in indiuisibili consistentem, siue illud sit per se vnum vnitate simplicitatis, siue vnitate compositionis, è contrà verò ens vnum per accidens dicitur illud, quod non importat vnicam essentiã in indiuisibili consistentem, sed plures, vndè non tam est ens, quam entia plura per se, ex quibus coalescit; quod rursus breuiter suaderi potest, quia vel ens per accidens, vt tale formaliter, suprà illa entia, ex quibus consurgit, addit aliquam rationem enti, vel non, non primum, id enim directè repugnat rationi entis per accidens, quod in hoc præsertim distinguitur ab ente per se vno vnitate compositionis, quod non addit aliquid supra entia per se ex quibus coalescit, sicut illud ex Scot. 3.d.2.q.2.si non, ergo non tam ens est, quam plura entia per se.

13 Hinc palam deducitur, hanc non esse veram, & propriam diuisionem, in qua ens reale diuidatur, vt re vera aliquid superius cõmune ad ens per se, & ens per accidens, nec esse vniuocam, quia ens per accidens veram, & propriam rationem entis, vt sic, non participat, vndè particula illa *per accidens* est omninò distractiua. Tum quia in omni vera, & propria diuisione inter rueniunt duæ rationes dividentes vnam rationem communem, illamq; determinantes ad proprios gradus essendi; si ergo non datur talis vna ratio cõmunis entis ad ens per se, & ens per accidens, profectò hęc non erit vera, & propria diuisio, sed potius assignatio quędam, in qua ex vna parte vnicũ ens assignatur, ex alia verò aggregatum ex pluribus entibus. Disputant hic aliqui, an hęc diuisio coincidat cum illa, qua ens reale dividitur in substantiam, & accidens; resoluit breuiter dubium Scot.5.Met.tex.13. negatiuè, quia diuisio entis in substantiam, & accidens datur secundùm quod accidens absolutè consideratur, sic enim accidens in se consideratum dicitur ens, & similiter substantia dicitur ens; sed diuisio entis in per se, & per accidens est secundùm quod ens consideratur in respectu, scilicet comparando accidens ad substantiam dicendo homo albus, vel accidens ad accidens, vt dicendo albũ musicum, & sic est ens per accidens; circumscripta autem ista comparatione putà accipiẽdo hominem seorsum, vel albedinẽ seorsum erit ens per se, ita Doct. ibidem, ac Alensis. Negandum igitur est absolutè hanc diuisionem coincidere cum illa, qua ens diuiditur in substantiam, & accidens, quia diuisio, de qua hic est sermo, est æquiuoca, vt dictum est, diuisio autem entis in substantiam, & accidens est vniuoca, vt mox dicemus; Tum quia vt dicebamus, hic non accipitur per se, & per accidens ratione modi essendi per se, vel in alio, quo pacto substantia dicitur ens per se, accidens in alio, sed sumitur ens per se, & per accidens in ordine ad vnitatem.

Octaua Diuisio.

14 OCtauò ens dividitur in vnum, & multa ab Arist.10.Met.tex.9. circa quam diuisionem valdè insudant Expositores, & ratio difficultatis est, quia vnum est passio entis, atq; cum ipso adęquatur, vt dictum est disp.5.q.1. & docet Arist. ipse eodem lib.10.Met.tex.6. & 8. ergo nequit esse membrum diuisiuum illius contra multa, quia nũquam membrum dividens adæquatur cum toto diuiso ex regulis bonæ diuisionis. Quidam Expositores ad saluandam hanc diuisionem, & euadendam adductam difficultatem dixerunt vnum quod contra multa ens condiuidit, non esse vnum transcendentale, quod est passio entis, sed prædicamentale, quod est principium numeri, quam explicationem amplectũtur Tatar.4.Met.q.vn. dub.1. & Faber ibid. disp.7. in fine. Sed facilè reijcitur, quia vnum, & multa in hoc sensu sunt membra dividentia genus quantitatis, ad quod pertinent, non autem ens in tota sua latitudine. Tum quia vnum, per quod Arist.tex.9. dividit ens contra multa, est illud idem vnum, de quo locutus erat superius tex.6. & 8. at vnum, de quo in his textibus loquitur est vnum transcendentale, non prædicamentale, quia ponit ipsum conuerti cum ente, ergo &c. Alij rem ita explicant ex D.Th.p.1.q.11.art.1. ad 2. & sequitur Suarez disp.4.Met. sec.4. quia potest quod est vno modo diuisum esse alio modo indiuisum, vt v.g. quod est diuisum numero potest esse indiuisum specie, & quod est diuisum specie, potest esse indiuisum genere, vndè idem potest esse vnum, & multiplex, si diuersimodè accipiatur; sic etiam totum est indiuisum actu, & sic est vnum, est diuisum aptitudine idest est diuisibile, & sic participat rationem multitudinis; subiectum est vnum secundùm substantiam, & multa secundum accidentia, hąc igitur ratione inquiunt, ens dividitur per vnum, & multa, tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid. Solet impugnari hic modus dicendi, quia non saluat sufficientem oppositionem inter vnum, & multa, cum concedat idem ense esse vnum, & multa, membra autem bonæ diuisionis opponi debent, & non coincidere; quæ tamen impugnatio friuola est, quia non semper opus est membra bonæ diuisionis ita opponi, vt neque materialiter coincidere possint, nã causa dividitur in efficientem, finalem, materialem, etc. et tamen idem esse potest efficiens, et finis, potest esse causa materialis, et efficiens respectu eiusdem accidentis; bonum dividitur in honestum, delectabile, et vtile, et tamen idem esse potest bonum honestum, et delectabile, quod et alijs similibus exemplis confirmari posset; sufficit ergo, si membra bonæ diuisionis non coincidant formaliter idest secundum suas rationes formales, et ità dicent Thomistæ euenire in proposito, quod idem esse potest vnum, et multa, sed sub diuersa ratione, ita quod nunquam coincidant ratio formalis vnitatis, et multitudinis.

15 Alia igitur ratione hic dicendi modus Thomistarum impugnari debet; & primò quidem, quia ens ab Arist.loc.cit. dividitur per vnũ, & multa, vt sunt membra opposita, vt constat ex ipso contextu; at vnum, & multa non opponuntur, nisi vtcumq; vniformiter accipiantur, nempe vtrumq; simpliciter, vel vtrumq; secundum quid, ergo benè dicitur ens diuidi per vnum simpliciter, & multa secundum quid, quia sic non opponuntur. Deindè, quia cum dicitur ens diuidi in vnũ simpliciter, & multa secundum quid, vel per hæc multa secundũ quid importatur aliqua ratio multitudinis, vel aliqua ratio vnitatis, quæ habeat multitudinem annexam; non primum, quia tunc adhuc remanet integra difficultas ab initio tacta, quomodo vnitas, quæ opponitur multitudini, sit passio adequata entis, cum sit membrum dividens, quod debet minus patere diuiso; tum quia ipsemet D. Thom. fatetur loc.cit. illa multa secundum quid, vt diuidunt ens, importare aliquã vnitatem, quia ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub vno, pro quo affert D.Dionys.cap.vlt.de diuinis nominibus, & ita etiam intelligit Suar.l.cit.n.4. dum ait formaliter, & propriè loquendo ens non diuidi in multa, vt multa *sunt* actu, & formaliter, quia huiusmodi multa, quatenus talia sunt, re vera non sunt ens, sed entia; Si ergo concedunt secundum, nempe illa multa diuidere ens, vt important aliquam vnitatem, non verò multitudinẽ ipsam formaliter, iam hæc diuisio non erit per vnum, & multa, vt sic, quo pacto traditur ab Arist. & sunt opposita, sed per vnum, & vnum, siue per varios modos vnius, quæ quidem non est diuisio, de qua modo disputamus, & quam intendit Arist. assignare loc.cit.

16 Alij proindè aliter explicant, quod cum ens dividitur in vnũ, & multa; per vnum intelligitur illud ens, quod est ita vnum, & indiuisum, vt sit prorsus simplex, at indiuisibile in plura; per multa verò intelligitur illud ens, quod est cõpositum ex multis, & est diuisibile in plura; vt sensus sit, ens aliud est simplex, actu indiuisum, & potẽtia indiuisibile; aliud compositum, actu indiuisum, potentia tamen diuisibile in multa, ex quibus componitur, & hæc verè sunt duo opposita genera entis; quam expositionem probabilem censet Auersa in sua Philosoph.q.5.sec.1. & nititur probare ex ipso contextu; ceterum id impugnat Pasqualig.to.2.Met.disp.4. sec.3. n.4. quia adhuc sic dicendo redit difficultas facta contra præcedentem modum dicendi Thomistarum; cum enim dicitur diuisibile, seu multa in potentia opponitur diuisibili, quod est omninò vnum, vrgetur denuò; vel per multa in hoc sensu intelligitur ipsa ratio multitudinis formaliter, vel aliqua ratio vnitatis; si primum, adhuc restat difficultas ab initio tacta, quomodo vnitas, quæ opponitur multitudini, sit passio adæquata entis, cum sit membrũ dividens, & adequans ens simul cum multitudine; si secundũ, iam ergo hęc diuisio non erit per vnum, & multa, vt traditur ab Arist. sed per vnũ, & vnũ, seu per talem, & talem vnitatem. Sed facilè euadit Auersa hanc difficultatẽ, dicit enim in hac diuisione entis sic explicata vnitatẽ, quæ dividit ens contra multitudinem, nõ esse illam cõmunem enti adequatam, sed esse vnitatẽ propriã enti simplici. Alia ergo ratione impugnari debet hęc explicatio, nẽpe quia confundit hanc diuisionem cum quinta iam assignata, qua dividebatur ens in simplex, & cõpositum, quam tamen vt distinctam ab ea, de qua loquimur, tradidit Arist. pluribus in locis, vt ostendit Vallo. tract. formal. in conformatione illius diuisionis cũ Arist. Quod si etiam velimus vti contra hanc explicationem ratione adhibita contra præcedentem Thomistarum, vt facit Pasqualig. impugnari potest Auersæ solutio

ex

ex superius dictis, vtpotè manifestè repugnans Arist. qui dum diuidit ens per vnum, & multa, profectò accipit vnum transcendentale, vt est passio adæquata entis.

17 Scotistæ solent passim hanc diuisionem explicare, vnum posse accipi dupliciter, vel communiter, largè, & simpliciter; vel strictè, determinatè, & secundum quid; primo modo est passio conuertibilis cum ente, sic quod de quocunque dicitur ens, dicitur etiam vnum, & sic non distinguitur contra multitudinem, nec cum ipsa condiuidit ens; imo in hoc sensu multitudo ipsa est vna, sicuti ens; secundo autem modo vnum distinguitur contra multitudinem, & opponitur ei, atque ita secum condiuidit ens; ita Ant. And. 4. Met. q. 3. art. 3. Tromb. 10. Met. q. 1. Faber ibidem disp. 2. & alij Scotistæ passim. Verum hæc explicatio in primis deficit, quia vt dicebam dist. 5. qu. 1. num. 5. non explicat distinctionem terminorum, quid nempe significet vnum communiter, largè, & simpliciter sumptum, & quid significet sumptum strictè, determinatè, & secundum quid. Deinde, quia quomodocunque explicentur, semper redeunt difficultates factæ contra præcedentes dicendi modos, vt discurrenti patebit.

Alij dicunt, quod cum ens diuiditur in vnum, & multa, totum diuisum est ens commune enti per se, & enti per accidens, quod abstrahit ab vtroque & ens per se esse quidem vnum, ens autem per accidens esse multa simpliciter; cum autem dicitur vnitatem esse passionem entis adæquatam, dicunt id intelligi debere quod sit passio entis per se, quod est verè ens, non autem illius, quod abstrahit ab ente per se, & per accidens. Hoc tamen passim, & meritò reijcitur, quia sic dicendo hæc diuisio confunditur cum septima, & tamen Arist. eas tradidit, vt distinctas, vt constat ex illius explicatione. Tum quia falsum est, vt ibidem dictum est, dari tale ens superius, & commune ad ens per se, & per accidens, ab vtroque præscindens, & vt superius ad illa. Tum quia si daretur talis conceptus communis, sicut ens per accidens est per accidens ens, ita quoque esset per accidens vnum, quia ens, & vnum pari passu gradiuntur, & cuicunque enti proportionata vnitas correspondet; ergo huic communi conceptui ad ens per se, & per accidens conueniret quoque vnitas procedens ab vnitate per se, & vnitate per accidens, & sic deberet diuidi in ens, & vnum per se ex vna parte, & in ens, & vnum per accidens ex alia, non autem in vnum, & multa.

18 Quia ergo nullus inuenitur modus saluandi hanc diuisionem, & soluendi difficultatem propositam nu. 14. restat dicere, hanc reuera non esse veram, & propriam diuisionem, sed solum quandam assignationem, qua ex vna parte assignatur ens cum vnitate, & ex alia parte entia cum multitudine, ita quod inuicem opponantur vnum, & multa, sicut ens, & entia, vnde illa non est vera, & propria diuisio, sed solum habet similitudinem quandam diuisionis, ita Scotus expresse 4. Met. q. 2. §. *de secundo sic*, vbi inquit, quod hæc diuisio non est propriè per opposita, sed est quasi diceretur ens aliud ens, aliud entia, pro qua opinione adducit Auicen. 3. Met. c. 6. & sequuntur Recentiores passim Auersa loc. cit. Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 31. sect. 1. & tom. 2. disp. 4. sect. 3. Meuriss. lib. 2. suæ Met. cap. 3. quæst. 8. & alij; & quidem id primò conuincitur ex ratione dubitandi proposita n. 14. quæ est ineluctabilis. Deinde, quia omnis vera diuisio, in qua aliquid reale, & positiuum diuiditur, fieri debet per membra pariter positiua; sed vnum, & multa ita se habent, quod alterum eorum est membrum negatiuum, vt constat ex dictis disp. 5. q. 4. art. 1. ergo nequit per ipsa ens diuidi vera diuisione, maior patet; quia ratio communis diuisa, quamuis non contineatur in rationibus differentialibus contrahentibus, includitur tamen in membris diuidentibus, seu in eius speciebus, non poterit autem in eis contineri, & includi ratio communis realis, & positiua, nisi illa pariter sint realia, & positiua. Denique id constat ex toto Arist. processu lib. 10. Met. nullibi enim proposuit vnquam illam assignationem entis in vnum, & multa, tanquam per terminos veræ, & propriæ diuisionis, & præsertim text. 9. vnde colligi solet hæc diuisio, non expremit in terminis vnum, & multa ens diuidere, sed inquit vnum & multa opponi, & sic etiam loquitur 5. Met. tex. 12. Dici tamen potest hæc assignatio habere quandam similitudinem diuisionis, quatenus ens sub duplici statu considerari potest tum vnitatis, tum diuisionis; si enim consideretur in seipso, vt habet proprium esse, sic vnitatem possidet, vt adæquatam passionem; si verò consideretur cum alterius consortio, tunc habet alium statum, & sub multitudine reperitur, vnde vnitas, & multitudo sicuti hoc pacto diuersum statum entis constituere dicuntur, ita hac ratione dici possunt ens diuidere, non autem secundùm rationem ipsam entis; & sic benè saluatur vnitatem adæquari cum ente, prout secundum rationem entis consideratur, & adhuc ens diuidere simul cum multitudine modo iam explicato.

Dices, sic explicando videri hæc diuisio coincidere cum diuisione entis in ens per se, & ens per accidens, quia ens per accidens, vt diximus non est propriè ens, sed entia. Negatur consequentia, quia ens per accidens, tale dicitur ob aliquam vnitatem, quam habet sibi proportionatam, nempe aliquam vnitatem per accidens, dicitur verò multa in ordine ad diuisionem præscindendo ab omni vnitate, quia multitudo formaliter est vnitatis negatio; vnde ens per accidens dupliciter considerari potest, vel enim consideratur cum aliqua vnitate per accidens v. g. aggregationis, vel ordinis, vel informationis accidentalis, vt ait Doctor 1. d. 2. q. 7. Hh. & sic propriè dicitur ens per accidens, vel consideratur absque vlla prorsus vnitate, & cum sola multitudine, & sic nullo modo dici potest ens, sed entia, & in hoc sensu pertinet ad hanc diuisionem. Solet hic disputari ab Auctoribus quo genere oppositionis opponantur vnum, & multa, de quo Ant. And. 10. Met. q. 1. Faber ib. disp. 2. & alij Scotistæ passim, sed de hoc iam diximus disp. 5. quæst. 4. art. 1.

Nona Diuisio.

19 NOnò diuiditur adhuc ens à Sirect. loc. cit. in absolutum, & respectiuum; absolutum inquit esse, quod non est formaliter, seu quidditatiuè ad aliud, sicut est Deus, & omnia attributa in diuinis, & tria genera generalissima tantùm, scilicet substantia, quantitas, & qualitas; notanter verò dixit non esse absolutū formaliter, & quidditatiuè ad aliud, quia bene potest esse ad aliud denominatiuè vel per relationem prædicamentalem, quam fundare potest, quo pacto substātia dicitur eadem cum alia, vel diuersa, quantitas æqualis, vel inæqualis alteri, qualitas similis, vel dissimilis; vel etiam per relationem transcendentalem sibi realiter identificatam, quo pacto cognitio dicitur conformis essentialiter obiecto præsertim necessario, creatura essentialiter à Deo dependens, materia potens ad formam, &c. Ens verò respectiuum è contra dicitur illud, quod est formaliter, & quidditatiuè ad aliud, sicut sunt in diuinis proprietates notionales, & relationes communes, & septem alia prædicamenta in creatis scilicet ad aliquid, actio, passio, quando, vbi, situs, & habitus, quæ postea diuiduntur in relationes, seu respectus intrinsecus aduenientes, quales sunt relationes omnes de prædicamento ad aliquid; & in extrinsecus aduenientes, qualia sunt vltima sex prædicamenta. Hinc patet absolutum, & respectiuum, vt sic, esse transcendentia; absolutum enim commune est ad finitum, & infinitum formaliter, scilicet Deum, & creaturas; sic etiam respectiuum, nam commune est relationibus creatis, quæ omnes sunt formaliter finita; cum sub ente finito contineantur, quod in decem genera diuiditur, & relationibus diuinis, quarum communes conceduntur esse formaliter infinitæ, quia sunt communes tribus, notionales verò, seu relationes originis, esto non ponantur à Scoto formaliter infinitæ, concedit tamen esse saltim identicè, & realiter infinitas; important ergo absolutum, & respectiuum ex sua ratione formali, vt sic, cōceptus transcendentes, omne enim tale, quod de se commune est Deo, & creaturæ, est transcendens ex Scoto 1. d. 8. quæst. 3.

20 Hanc autem diuisionem dicunt formaliste nostri non solum esse veram, & propriam, sed etiam vniuocam, & quidditatiuam, quod probat Tromb. p. 2. ar. 2. formalit. quia ens, vt sic, quidditatiuè dicitur de absoluto, & respectiuo, prius enim diuiditur ens in absolutum, & respectiuum; quàm diuidatur in decem genera generalissima, cum igitur ens quidditatiuè prædicetur de decem illis generibus, vt de primis partibus suis subiectiuis, consequens est, vt etiam sic prædicetur de absoluto, & respectiuo, quæ mediant inter ens, & decem genere. Verùm cōtra hoc opponit Tromb. loc. cit. grauem difficultatem, circa cuius solutionem, & ipse, & alij Scotistæ valde laborant, est autem difficultas, quia si ens prædicatur in quid de absoluto, & respectiuo, quę mediant inter ens, & decem prædicamenta, igitur prædicamenta non erunt genera generalissima, quod est falsum; probatur consequentia, quia absolutum, & respectiuum prædicātur in quid de differentibus specie, ergo quodlibet prædicamentum habebit genus suprauenies. Hęc difficultas ardua priscis Scotistis visa est, quia autumarunt illa decem genera esse simpliciter, & absolutè suprema, ita quod excogitari nequeat conceptus superior illis, qui habeat rationem generis; sed nos iam ostendimus disp. 9. Log. q. 1. ens finitum esse genus ad illa absolutè loquendo, hoc enim est, quod immediatè in illa diuiditur, vt expresse docet Scot. 1. d. 8. q. 3. lit. H. & quol. 5. in fine, & supra statuimus disp. 2. de natura entis q. 6. ar. 2. n. 165. quamobrem dicebamus illa decem genera nō debere poni simpliciter, & absolutè suprema, sed secundùm quid tantū, & in aliquo certo ordine, iuxta quem dicendi modum difficultas illa parum vrget; nam concedendum est ens vtique prius diuidi in absolutum, & respectiuum, quam in decem genera, quia conceptus illi sunt priores, & immediatiores istis decem generum; concedendum insuper est absolotum, quod quidditatiuè prædicatur de tribus primis prædicamentis substantia, quantitate, & qualitate, esse genus ad illa, ac pariter respectiuum ad posteriora septem genera, nam quod in illa prima tria descendit est conceptus entis absoluti finiti, & limitati, & quod descendit in illa septem est pariter conceptus entis respectiui finiti, & limitati. Potiorem ergo difficultatem adduco contra propositum assertum Formalistarum, quod hæc diuisio sit vniuoca, & quidditatiua, quia si quidditatiuè ens, vt sic, prædicaretur de absoluto, & respectiuo, vt communia sunt Deo, & creaturis, tunc relationes originis in diuinis entia quidditatiuè forent, quod falsum esse patebit quæst. seq. eo. quia sunt vltimò constitutiua diuinarum personarum; cum ergo hæc non sint entia quidditatiuè, & formaliter, sed solum identicè, & realiter, vt postea apparebit, fatendum est hanc vtique esse diuisionem alicuius vniuoci non tamen quidditatiuè dicti de ambobus membris diuidentibus, quoad omnia inferiora contenta sub ipsis, quod quidem non inconuenit, quia, vt sæpe dictum est, non est idem esse aliquid vniuocum prædicatum respectu inferiorum, & vniuocè de illis prædicari, vt notat ipse Sirect. art. 1. prin. ex Scot. 1. dist. 3. qu. 3. & dist. 8. qu. 3.

23 Sed Pasqual. tom. 2. Met. disp. 31. sect. 2. n. 6. ait quod licet tam absolutum, quam relatiuum veram rationem entis habeant, & quod omne ens aut sit absolutum, aut respectiuum, itaut absolutum, & relatiuum adæquent omnia entia, adhuc tamen ens vt sic, vera, & propria diuisione non diuidere; quod probat, quia relatiuum ex natu-

ra sua fundatur in absoluto, quod satis constat de relationibus prædicamentalibus, transcendentales verò necessario habent admixtum absolutum; quomodo ergo absolutum, & relatiuum possunt habere oppositionem differentialem, qua se inuicem excludant ab eodem subiecto, & omnino incompossibiles sint? Deinde relatio siue transcendentalis, siue prædicamentalis ex genere suo requirit pluralitatem rerum, nam debet esse inter terminum, & fundamentum, cum igitur non possit dari aliqua pluralitas rerum, nisi facta aliqua entis diuisione, iam relatio ex genere suo supponit diuisiones entis; quomodo ergo potest talis ratio esse diuisiua entis, vt sic?

Cæterum, quamuis illa diuisio, vt diximus, non sit quidditatiua, idest alicuius communis vniuocè, & essentialiter prædicantis de singulis membris diuidentibus ob relationes originis in diuinis, quæ nõ sunt entia quidditatiuè, adhuc tamen negari non debet esse veram, & propriam diuisionem alicuius communis vniuoci membris diuidentibus, quamuis non vniuoce dicti. Ad illam verò doctrinam, qua sepius vtitur Auctor ille ad impugnandas nonnullas diuisiones, quod nempe vna species ab alia contradistincta nequit fundari in ipsa, quia constituitur per oppositam differentiam, & habet incompossibilitatẽ ad essendum simul cum differentia speciei contradistinctæ, iam supra dictum est disp.5.q.7.n.183. qualis sit hæc oppositio, & incompossibilitas specierum adinuicem; dicuntur enim species incompossibiles, & oppositæ, quatenus vna nequit cum alia formaliter coincidere, cum per oppositas constituantur differentias, ita ut vnum non concurrat intrinsecè ad formalem constitutionem alterius, vt ipse ibid. explicat. nu.11. nil tamen obstat, quin possint interdum coincidere materialiter, quo pacto non opponuntur, quod & ibi manifestis exemplis oste̅dimus. Imò argumentum illud potest contra ipsum retorqueri, nam ipse sustinet ibidem diuisionem entis in substantiam, & accidens esse veram, & propriam diuisionem; est tamen certum, & non minus accidens fundari, & subiectari in substantia, quam relatiuum fundetur in absoluto; si igitur hæc ratione absolutum, & relatiuum non diuidunt ens, vt sic, vera diuisione, idem pariter dicendum erit de substantia, & accidente. Aliud argumentum ad summum probaret diuisionem entis in respectiuum, & absolutum non esse primam omninò diuisionem, sed aliam supponere, non autem probat absolutè non esse bonam diuisionem; sed neq; etiam illud bene probat, quia extrema, inter quæ relatio versatur; sunt entia absoluta, vnde solum probat vnum membrum diuisionis scilicet relationem supponere ens absolutum, quod nihil obstat quin adhuc possit cum ipso absoluto diuidere ens, vt sic.

Decima Diuisio.

22 DEcimò; diuiditur ens à Sirecto ar.1.cit. in substantiam, & accidens, & ait hanc esse diuisionem, non quidem entis, vt sic, quia hoc pacto est transcendens commune creaturis, & Deo, in quo nullum reperitur accidens, sed entis finiti, & creati; pro cuius diuisionis intelligentia notat ibidem Trombet. cum Sirect. quod substantia, vt dicitur a subsistendo, vel per se existendo tribus modis capitur; vno modo pro eo quod per se existit, ex se, & à se quo pacto solus Deus dicitur substantia; secundo pro eo, quod per se existit, & ex se, sed non à se, quo pacto substantia dicitur omne illud, quod est proprie in prædicamento substantiæ incipiendo à genere generalissimo vsq; ad individua inclusiuè; tertio pro eo, quod non per se existit ex se nec à se, sed in alio, non quidem per inhærentiam, vt dicitur esse accidens in subiecto, sed eo modo quo pars dicitur esse in toto, siue essentialis fuerit, siue integralis, vnde valde miror, quod Tromb. cit. dixerit substantiam tertio isto modo sumptam non dici de parte integrali, vel essentiali; quia partes substantiæ sub nullo ex his tribus modis accipiendi substantiam cadere possunt, nisi sub tertio, & Auctor Formal. vt patet ex contextu, hunc tertium modum addidit pro partibus substantiæ. Notant insuper quod accidens capi potest dupliciter, vel pro extraneo à quidditate rei, quo pacto etiam propria passio dici solet accidens sui subiecti, esto illi conueniat in secundo modo dicendi per se, & sic accidens sumi solet à Met. alio modo accipitur pro eo, quod perficit accidentaliter aliquid habens esse perfectum, sic quod aduenit ei in esse perfecto, & completo, & sic accipitur à Porph. cap. de accidente, quando definit accidens commune esse illud, quod adest, & abest &c. applicando itaq; ad propositum inquit Tromb. quod quando hic diuiditur ens in substantiam, & accidens, substantia non sumitur primo modo, nec tertio modo, sed secundo modo; & accidens pariter sumitur secundo modo, non primo ex duobus assignatis.

23 Hæc tamen doctrina Tromb. non placet, quia substantia, & accidens in hac diuisione, vt ait Magister Formalit. & concedit ipse Trõbet. ens finitum, & creatum diuidunt, cũ igitur substantia tertio modo sumpta sub accidente non contineatur, opus est fateri, quod contineatur sub substantia, vt est membrum istius diuisionis, atq; ideo cum ens hic diuiditur in substantiam, & accidens, substantia non tantum secundo modo capi debet, sed etiam tertio, & hæc est intentio Magistri Form. loc. cit. nam cum ibi assignasset triplicem illam substantiæ acceptionem, solam primam acceptionem ab hac diuisione excluſit, non autem secundam, nec tertiam; quod autem substantia tertio modo sumpta sub accidente contineri non possit, probatur, quia licet substantia tertio modo sumpta dicatur esse in alio, hoc tamen esse in alio valde diuersum est ab eo, quod conuenit accidenti, vt patet ex Arist. 4. Phys. & Boetio cap. de subst. nam accidens est in alio per inhærentiam, & informatiõẽ, partes autẽ substantiæ, si sunt essentiales, in alio esse dicuntur per simplicẽ informationem, si integrales, vt pars in toto, vt docet Scot. q.15. pred. & 1.d.8. q.3. & quol.3.S. & quol.8. A. immo & Arist. ipse in prædic. de substantia, vbi habet hæc verba; nos verò non conturbent substantiarum partes, quia non sunt in toto, quasi in subiecto sint, ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri, nõ enim in subiecto dicuntur esse, quæ tamquam partes sunt in aliquo; dicendum igitur est, cum ens finitum hic diuiditur in substantiam, & accidens, substantiã non tantũ in secunda acceptione sumi debere, vt aiebat Tromb. sed etiam in tertia, quia ens finitum quidditatiuè dicitur nedum de substantijs completis, quæ sunt directè in prædicamento, sed etiam de incompletis, quæ sunt in ipso reductiuè, vt de materia, & forma ex Scot. 1.d.3.q.3. Verum est tamen, quod si ens finitum accipiatur pro illo præcisè, quod in decem genera directè descendit, tunc substantia accipi deberet tantùm in secunda acceptione, & hoc fortè tantum voluit significare Trombet. cæterum cum ens finitum diuiditur in substantiam, & accidens, non in adeò pressa significatione sumi solet, sed fusius pro quocunque ente creato, siue sit directè, siue reductiuè solum in prædicamento.

Similiter non placet, quod ait Tromb. cum Sirecto accidens, quod hic cum substantia diuidit ens finitum, accipi pro accidente quinto prædicabili, quod definitur à Porph. adesse, & abesse, & nam disput. Log. q.5. art.2. dictum est accidens quintum prædicabile non contraponi substantiæ, imò posse substantiam dici accidens prædicabile, & fundare intentionem quinti vniuersalis; non ergo accidens in hac diuisione pro accidente prædicabili sumi debet, sed pro accidente, quod vocant prædicamentale, & vagatur per nouem accidentium genera, definiturq; esse illud, cuius proprium est inhærere, & facere cum subiecto vnum per accidens; hoc enim modo directè opponitur substantiæ, potestque cum ipsa ens finitum condiuidere.

Pasqualig. disp.31.cit. nedum tenet hanc esse bonam, & propriam diuisionem, sed inquit etiam esse per membra immediata, & prima entis, vt sic, primum probat, nam ad bonam diuisionem duæ præsertim conditiones requiruntur, prima est, vt rationes diuidentes ita se habeant, vt vna non sequatur ex alia, atque ipsam supponat, tanquã fundamentum, in quo radicetur; debent enim rationes diuidentes æquè primò se habere ad rationem diuisam, & non vna illi aduenire ratione alterius, alioquin communem rationem non diuiderent; ex quo sequitur alia conditio, quod rationes diuidentes non seruent ordinem adinuicem prioris, & posterioris, sed æquè immediatè se habeant ad rationem diuisam, ita verò se habent substantia, & accidens in ordine ad ens, quod diuidunt. Probat secundum, quia excogitari non potest aliqua ratio, quæ prius adueniat enti, quam ratio substantiæ, & accidentis, cum enim ens dicat habere essentiam, si hæc essentia determinanda est ad aliquem modum essendi magis peculiarem, certè ad nullum aliud immediatius contrahi potest, quam vel adesse per se, vel ad esse in alio. Confir. quia si non essent primi modi essendi determinantes ens, concedi deberet aliquod ens, quod non esset substantia, aut accidens, illud scilicet quod constitueretur per modos essendi magis immediatos ipsi enti, quod tamen nec cogitari potest.

24 Sed quamuis primum ab hoc Auctore assertum sit verum, nempe hanc diuisionem esse veram, & propriam; eius tamen probatio non valet, assumit enim tam maiorem, quam minorem falsam, maiorem quidem, quia conditiones bonæ diuisionis assignauimus disp.1. Log. q.5. art.1. ex cõmuni omnium sententia, vbi tamen nulla ex illis duabus recensetur, quia sæpè contingere potest, vt commune diuisum descendat in vnum membrum diuidens dependenter ab alio; sic prius descendit numerus in binarium, quam in ternarium; vitalitas prius ad potentiam vitalem contrahitur, quam ad actum vitalem, quia hic est vitalis dependenter ab illa; ens prius in Deum; quam in creaturam, quod & alijs exẽplis confirmari potest; non ergo duæ illæ conditiones necessariæ sunt ad bonã diuisionẽ, sed tantùm interueniunt, quando commune genus eodem ordine descendit in suas species; quod quidem nec in proposito accidit, quia substantia à toto genere est prior accidente ex 7. Metaph. vbi etiam ab initio libri accidens dicitur ens, quia taliter entis idest dependenter à substantia tum in genere causæ materialis, tum efficientis, vt Scot. docet 4.d.12.q.1. falsa est ergo tam maior quã minor à Pasqual. assumpta in probationẽ primi asserti; dicendum ergo est esse bonam diuisionẽ, quia illi conueniunt conditiones illæ assignatæ in logica, vt discurrẽti constabit, ac etiam quia ens diuisum in substantiam, & accidens est commune vniuocum ad illa, vt satis constat ex dictis disp.2. de natura entis. Aliud verò assertum eiusdem Auctoris nempe hanc esse diuisionem entis, vt sic, est contra Sirec. loc. cit. qui vult hanc esse diuisionem entis finiti, & creati; sed pro recta huius dubij resolutione recolendũ ex dictis disp.7. Log. q.1. art.1. ab initio substantiam posse dupliciter accipi; primò cõpatibilitatẽ prout importat omne ens per se, prout perfectas excludit omnem inhærentiam accidentis, tam actualem, quam aptitudinalem, siue talem essendi modum à se habeat, siue ab alio, quo sensu cõprehendit Deũ, & omnes substantias creatas, tam simplices, quam compositas, & partes earum tum essentiales, tum integrales; alio modo sumi potest minus amplè, vt dicit ens per se, & in se existens, & non in alio ad modũ accidentis, non tamen à se, sed ab alio, si substantia primo modo sumatur; ità verum est cum accidente immediatè diuidere ens, vt sic, transcendenter sumptum cõmune Deo, & creaturæ, ac si sumatur secundo modo substantia cum accidente diuidit solum ens finitũ, & crea-

creatum; in quo sensu locutus est Sirectus, non autem ens in communi, & tunc ad rationem eius negandum est assumptum. Ad Conf. quamuis à parte rei, & in esse subiectiuo non detur ens; quod non sit substantia, vel accidens, datur tamen in esse obiectiuo, & apud intellectum abstrahentem cum fundamento in re, quo sensu datur etiam substantia abstrahens à corporea, & incorporea, licet à parte rei non detur substantia, quæ non sit corporea, vel spiritualis.

Sed percontaberis adhuc, an sumendo substantiam secundo modo, vt sumit Sirectus, diuisio illa entis finiti in substantiam, & accidens sit immediata, adeò quod præcedat diuisionem eiusdem entis finiti in decem genera. Negat Mauritius in margine ad formalitates Sirect. loc.cit. quem ibi sequitur Vallo, vbi ait, quod meliùs diuisisset Sirectus ens finitum in decem genera immediatè; inquit tamen excusari posse vel ratione breuitatis, quia breuior sermo est dicere substantiam, & accidens, quam decem genera numerando illa, vel ratione circumlocutionis, quia dicendo accidens circumloquitur nobis omnia nouem genera; Ad disp.6. log.qu.1. ex professo monstrauimus diuisionem entis finiti in substantiam, & accidens re vera ex natura rei priorem esse diuisione eiusdem in decem genera, quia duo illi conceptus priores sunt, & immediatiores singulis conceptibus decem generum; atque ita re vera fensit Magister Formalit. dum hanc tradit diuisionem immediatè per illa duo membra substantiam, & accidens; & quidem omninò ridiculum est respondere ita locutum esse breuitatis gratia, quæ enim prolixitas fuisset dicere, quod ens finitum diuiditur in decem genera, etiamsi noluisset illa sigillatim enumerare? Sed de hoc vide disp. loc.cit.

25 Postremò ens reale diuidi solet quibusdam alijs diuisionibus minoris momenti, nec adeò frequentibus, nimirum in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum, vel priuatiuum, sub primo membro constituunt entitates omnes positiuas, sub altero omnes negationes, & priuationes, quæ à parte rei de suis subiectis verificantur nullo cogitante intellectu; sed de hac diuisione satis diximus disp.2. de natura entis q.9. art.3. vbi conclusum est hanc diuisionem esse merè æquiuoci in æquiuocata, quia non datur ratio vna entis præscindens à positiuo, & negatiuo, quâdoquidem ens reale, vt sic, ex suo formali conceptu dicit quid positiuum, vndè implicat in adiecto dicere ens reale negatiuũ, quod etiam ex instituto probauimus disp.4. Phys. q.1.art.1. Solet etiam diuidi ens per possibile, & impossibile, quæ diuisio habetur ab Arist.5.Metaph.17. & 9.Metaph.6. & 7. de qua idem ferendum est iudicium, quod de præcedenti, nimirum esse æquiuoci in æquiuocata; quia ratio entis realis ab ente impossibili omninò excluditur; ens enim reale dicitur illud, quod vel extat in rerum natura, vel saltim talis existentia ei non repugnat, vndè eo ipso, quod alicui talis existentia repugnat, illud nequaquam ens reale appellari potest, alioquin chimæra quoq; & hircoceruus ens reale dici possent; cum igitur ens impossibile dicatur illud, cui ex sua ratione formali repugnat existentia in rerum natura, fatendum est includere non posse rationem entis realis, velut eius membrum ab ente possibili conditinctum, & dici ens solummodo merè abusiuè. Solet quoq; ens diuidi in materiale, & immateriale, seu corporeum, & spirituale; sed quamuis vtrũq; huius diuisionis membrum sit positiuum, & includat rationem entis, vt sic; atq; ideò dici possit diuisio vera, & vniuoca; adhuc tamen non videtur esse diuisio propria entis, vt sic, quia spiritualitas, & corporeitas sunt rationes quædam peculiares determinatiuæ substantiæ, & accidentis, vndè substantiarum quędam dicuntur materiales, quędam immateriales, accidentium item quædam sunt corporea, quędam spiritualia; non ergo hæ differentiæ diuisiuæ immediatè conueniunt enti, vt sic, sed mediante substantia, & accidente, atq; ideò diuisio data per hæc membra non debet enti appropriari in tota sua latitudine, sed substantiæ, & accidenti.

QVÆSTIO II.

An benè diuidatur ens reale in quantum, & non quantum.

26 VLtrà diuisiones entis hactenus allatas, & explicatas aliam præcipuam assignauit Scotus quol.5. in solutione ad primum principale, nempe in ens quantum, & non quantum; pro qua notat ibidem, & quol.6. quod quantitas dupliciter accipi consueuit; vno modo pro quantitate molis, seu corporea, secundum quam corpora extenduntur, quæ est in prædicamento quantitatis; alio modo pro quantitate perfectionali, seu virtutis, de qua loquitur August. 6. de Trin. cap.7. dum ait, in his, quæ mole magna non sunt, id est maius, quod melius, & hæc est transcendens, reperiturq; tam in rebus corporeis, quam incorporeis, tam in creatis, quàm in diuinis; Neq; immerito ex rebus corporeis vocabulum quantitatis translatũ est ad significandum gradum perfectionis rerum; in corporibus enim apprehendimus hoc in corpus esse tantæ magnitudinis, & non maioris, quia hunc terminum pertingit, & vlterius non extenditur; & illud dicere tur moles infinita, seu infinitæ magnitudinis, si nullum terminum haberet, sed in infinitum extenderetur; cum ergo non concipiamus res, nisi per sensu ex corporibus, & per proportionem ad illa, simili vtimur analogia ad explicandam perfectionem rerum omnium entitatiuam, siue corporales sint, siue spirituales, apprehendimus namq; in ipsis quandam latitudinem perfectionis entitatiuæ, in qua varij perfectionis gradus contineantur, & vnam dicimus esse finitam, & limitatam in perfectione, idest esse tantæ perfectionis, & non maioris, quia tot gradus perfectionis habet, & non plures nec formaliter, nec eminenter; aliam verò dicimus infinitam in perfectione, quia continet omnes gradus possibiles perfectionis in tota latitudine entis vel formaliter, vel eminenter, eo modo quo possibile est omnes illos in vno contineri. Cum ergò diuiditur ens in quantum, & non quantum, non accipitur quantitas primo modo pro quantitate molis, sed secundo modo pro quantitate virtutis, & perfectionis; & ex hoc infert Doctor loc.cit. diuisionem superius traditam entis in finitum, & infinitum ex ista pendere, & esse quandam subdiuisionem alterius membri istius, nimirum entis quanti, quod probat, quia finitum, & infinitum quantitati congruunt 1.Phys.15. quod est verum de finito, & infinito, & quantitate propriè acceptis; ità ergo pariter extensiuè loquendo finitum, & infinitum, vt sunt passiones entis conueniunt præcisè enti in se habenti quantitatem virtutis idest aliquam perfectionem.

27 Tota difficultas circa hanc diuisionem emergens est, quod assignari nequit, vel saltem valdè difficulter, secundum membrum huius diuisionis, scilicet ens non quantum, quia cùm hæc ponatur esse diuisio entis realis, vt est commune Deo, & creaturis, profectò implicare videtur, cum non possit dari aliquod ens reale, quod non habeat propriam perfectionem suam finitam, vel infinitam in toto ordine entium, & per consequens quantitatem virtutis, assumptum probatur, quia bonum de omni ente dicitur, cum sit eius adæquata passio, ergo & perfectum, nam bonum, & perfectum idem sunt, vt fatetur Scot.4. d.31.q.1.§. *ad quæstionem* ex Arist.5.Met.cap.de perfecto, si ergo omne ens est bonum, erit etiam perfectum, quantum. Nec suffragatur, quod aiunt Scotistæ quamplures cum Lichet.1.dist.8.qu.1. & Vallon.tract. formalit.art.1.prin.bonum, & perfectum esse passiones entis quanti, non autem entis communissimè sumpti ad quantum, & non quantũ. Nam contra est, quod vnitas, veritas, & bonitas sunt passiones entis realis in tota sua amplitudine, vt est commune Deo, & creaturis, vt est obiectum adequatũ Metaph. & vt opponitur nihilo, & enti rationis, nõ potest autem sumi ens in ampliori, & latiori significatione, in qua adhuc sit reale: ergo bonum est passio entis realis in amplitudine maiori de ipso possibili; Tum quia istæ passiones probantur, & demonstrantur de ente reali per conceptũ eius quidditatiuũ, quo nempe est, id cui non repugnat esse in rerum natura, vt constat ex disp. de passionibus entis; aut ergo conceptus iste conuenit entis superiori ad ens quantum, & non quantum, aut ei non conuenit; si secundum, ergo non erit ens reale id quod diuiditur in quantum, & non quantum, quod est contra suppositũ; si primum, ergo ei quoq; adequatè conueniunt vnitas, veritas, & bonitas, & sic repugnat ipsum diuidi in ens quantum, & non quantum, cum enim ei conueniat bonitas, vt eius adæquata passio, consequenter erit à toto genere ens quantum. Neque etiam iuuat, quod dicunt alij Scotistæ, & indicat Rada controu.27. p.1. in solutione ad 4.princ. vbi ait aliquid dici posse perfectũ bifariam; primò perfectione transcendentali, quæ solùm excludit negationem entis, vel defectum secundùm propriam naturam in qua significatione concedit omne ens esse perfectum, & appetibile; secundo modo aliquid dicitur perfectum perfectione quantitatiua, secũdũ quam aliquid natum est esse mensuratũ, vel mensuratũ, excedens, vel excessum in ordine ad aliud, & hæc perfectio est propria solius entis quanti ex Scot. loc.cit. & in hoc sensu in præfata diuisione excluditur perfectio ab ente non quanto; & potest dari ens in rerum natura, quod non sit quantum, & perfectum hoc secundo modo. Neq; inquam, iuuat hęc responsio, quia perfectio secundo sũpta non distinguitur à perfectione priori modo capta, vel si distinguitur, & non est passio entis, adhuc tamen est modus eius intrinsecus vt diximus supra disp.5.q.12.ar.1.n.259.ex Scoto quol.6.§. *Contra ista*, & bonitas, quæ est passio entis, fundatur in perfectione entis sic sumpta; ergo si perfectio etiam secundo modo capta est modus intrinsecus entis realis, vt sic, iam redit argumentũ, quod nullum ens reale potest assignari, quod non sit quantum & perfectum; atque ideò hæc diuisio entis realis in quantum, & non quantum in terminis implicare videtur; hæc est ardua difficultas, quæ hanc diuisionem omnino labefactare videtur, & qua vtuntur Recentiores passim ad eam impugnandam, licet non cum tanta euidentia, & tot replicis; vt modo fuit adducta; ita Suarez disp.4.Metaph. sect. 8. & rursus disp.28. sect.2. Pasqualig. tom.1. Metaph. disput. 32. sect. 2. Acerbus lib. 1. quæst. peripat. quæst. 1. & passim Theologi Recentiores, & veteres tractat. de Trinit. dum disputant, an relationes originis in diuinis dicant perfectionem.

28 Hoc tamen non obstante dicendum est hanc diuisionem entis realis in quantum, & non quantum, necessariò admitti debere, licet nõ sit ita vniuoca, & proprie dicta, vt passim putatur à Scotistis, quasi conceptus entis cõmunis ad quantũ, & non quantum sit quidam conceptus distinctus à conceptu entis cõmunis ad finitum, & infinitũ, & verè superior ad illum. Hæc conclusio duas habet partes, quoad primam nempe admitti debere huiusmodi diuisionem tenetur ab omnibus Scotistis, nam manifestè ponitur à Scot. l.cit. eam autem probant assignando, & declarando membrũ illud, quod difficultatẽ ingerebat, dicunt enim hęc entia non quanta, quæ nec perfectionem, nec imperfectionem dicunt, sed ab vtroq; præscindunt, esse relationes originis diuinarum personarũ constitutiuas, scilicet Paternitatem, Filiationẽ, & Spirationem passiuam; atque ideò gratis concedunt hanc diuisionem entis non esse philosophicam, vel Metaphysicam, sed merè Theologicam, nec aliunde nobis illuxisse, quàm ex arcano Trinitatis mysterio; atque ideò mirum non esse si Philosophi eam non agnouerunt,

BIBLIOTECA

runt, atque dixerunt omne ens esse quantum quantitate, & in toto ordine entium in suo gradu propriam possidere perfectionem; ità Vallo trac. Formalit. cum multis alijs ibid. in declaratione diuisionis istius. Quod autem relationes originis in diuinis nec perfectionem dicant formaliter, nec imperfectionem, vt à diuina essentia ex natura rei distinguuntur, probant passim Scotistæ tum loc. citat. tum trac. de Trinit. rationibus ex Doctore desumptis quol. 4. vbi id ex professò probat tribus, vel quatuor rationibus ferè demonstratiuis, quæ apud ipsum videri possunt, aliosq; Scotistas, circa illum locum. At Recentiores nedum rationes illas soluere nituntur, verum etiam Scotum, & Scotistas insimulant apertæ petitionis principij in hac re, ac circuli vitiosi, cum enim queritur ab eis, cur relationes originis in diuinis nec perfectionem formaliter dicant nec imperfectionem, seu cur nec sint formaliter finitæ, nec infinitæ, respondent ex Scoto quol. cit. in fine, quia non sunt etiam quanta quantitate virtutis, quare sicut finitum, & infinitum in extensione non conueniunt, nisi quanto quantitate molis, ita finitum, & infinitum in intensione non nisi quanto quantitate virtutis. Cum rursus interrogantur, quare relationes originis non sint entia quanta, respondent, quia nec sunt finitæ, nec infinitæ formaliter, ens verò quantum est vel finitum, vel infinitũ; quis autem non videt hanc esse manifestam principij petitionẽ, & vitiosum circulum, siquidẽ vnum probatur per aliud vicissim.

29 Cęterum si attentè Scotus, & Scotistæ legantur, in hac materia, quisq; videbit nec petitionem principij ab eis committi nec circulum; asserunt quidem relationes originis non dicere perfectionem, nec imperfectionem formaliter, seu non esse formaliter finitas, vel infinitas, quia non sunt entia quanta, ac posteà non probant illas nõ esse entia quanta, quia nec sunt finitæ, nec infinitæ, nec perfectæ nec imperfectæ formaliter ibi sistendo, sed alijs rationibus id ostendũt, nimirum quia si dicerent perfectionem infinitam, tunc in vna persona esset vna infinita perfectio, quæ non esset in alia, sicut est vna relatio, quæ non reperitur in alia, atq; ita nulla ex diuinis personis esset sũmè perfecta, quia in se omnem perfectionem infinitam non adunaret; tum quia tunc darentur plura formaliter infinita realiter inter se distincta, cum relationes originis in diuinis abinuicem realiter distinguantur; tum quia omne ens quantum ad aliud comparatum est excedens, vel excessum, relatio vero diuina neutrum esse potest, non excessa, quia tunc esset formaliter finita: non excedens, quia tunc esset metrum, & mensura entium, quod est falsum, nam mensura omnium prima necessariò est vna, cum in vno genere sit tantùm vnum primum, quod est aliorum metrum, at relationes diuinæ sunt plures, & inter se realiter distinctæ; his, inquam, & similibus rationibus probant Scotus, & Scotistę relationes diuinas non dicere formaliter nec perfectionem, nec imperfectionem, non autem simpliciter, & absolute, quia non sunt entia quanta absq; alia ratione, tunc enim vtiq; committerent petitionem principij, & vitiorum circulum.

30 Fateor tamen non omninò abs re Recentiores insimulasse Scotistas petitionis principij in hac materia, dum sub ente non quanto solas relationes originis diuinas comprehendere volunt; sic enim asserendo videntur Scotistæ instantiam afferre solum in puncto, de quo est quæstio, quod est committere principij petitionem, quia assumitur, vt verum, ac indubitatum, quod probari deberet, & cadit in controuersiam; hoc ita declaro, punctus qui agitatur inter Scotistas, ac Thomistas est hic, an relationes diuinæ pręcisè sumptæ dicant formaliter perfectionem infinitam, negant Scotistæ, quia non sunt entia quanta, instant Thomistæ omnia, & singula entia in suo ordine propriam possidere perfectionem, saltimq; est gradus, & modus intrinsecus entis, & aiunt diuisionem entis in quantum, & non quantum esse merè fictitiam, nec ad aliud adinuentam, quàm ad saluandum hoc Scoti assertum de relationibus diuinis, quia sub ente non quanto alia entia non assignamus pręter diuinas relationes, de quibus est quæstio, quod est afferre instantiam in proposito, & cõmittere petitionẽ principij; quam instãtiam euadere mihi difficile videtur, si solas relationes originis constituamus sub ente non quanto, dum enim alia entia non quanta pręter ipsas non assignantur, affertur instantia solũ in puncto, de quo est quęstio. Conf. quia asserere omnia, & singula entia creata, etiam ipsas relationes dicere propriam perfectionem in suo ordine, ac esse entia quanta, idq; solum negare de diuinis relationibus, infinitati diuinæ perfectionis pręiudicare videtur, quia nihil esse potest in Deo deterius re creata; ne ergo hoc inconueniens sequatur, nec videamur principij petitionem petere, alia entia non quanta etiã in creatis pręter diuinas relationes assignare debemus, & dicere hanc diuisionem entis non quanti non esse merè theologicam, sed philosophicam, & metaphysicam adeout si per impossibile non extarent diuinæ relationes, adhuc daretur in creatis entia nõ quãta, & subsisteret diuisio entis in quantum, & non quantum contra Vallon. & alios Scotistas loc. cit.

31 Itaq; statuendum est sub ente non quanto non solas contineri diuinas relationes, sed entis passiones, & modos intrinsecos, vltimas differentias pręsertim indiuiduales, & hypostaticas, omnes deniq; vltimas rerum realitates aliquitates entis appellatas, sicut enim hec directè, & quidditatiuè rationem formalem entis non includunt ex dictis disp. 2. q. 7. art. 1. ita neq; includunt propriam, ac formalem bonitatem, quæ est passio entis, nec consequenter propriam quantitatis perfectionem in recto, quæ est modus intrinsecus entis, hæc enim est fundamentum illius; & quidem rem ita declarauit Doctor ipse quol. 19. vbi disertè docet rationes omnes hypostaticas esse entia nõ quanta, quam a ..2 ..f.li D. habet hæc verba, *Et ad propositum entitas hypostatica non habet prioritatem essentialem respectu creaturæ, quia ordo essentialis est per se inter essentias distinguendo essentias contra entitatẽ hypostaticam, formæ enim, idest quidditates rerũ se habent sicut numeri 8. Met. 10. entitas etiam hypostatica non est simpliciter perfecta, vel simpliciter perfectio, prout dictum est in quæstione de hoc mota*, per quam quæstionem intelligit Doctor quod liberalem quintam, vt ibi notatur in margine; & adhuc clarius loquitur ibidem infra lit. R. dicens, *Et cum additur, quod terminans dependentiam oportet esse perfectum licet hic possit distingui, quod perfectio sicut & entitas æquiuocè conuenit entitati quidditatiuæ & hypostaticæ, tamen propriè perfectio non videtur conuenire, nisi entitati quidditatiuæ quia entitas hypostatica non est secundum quam aliquid formaliter perficitur sed secundum quam recipit perfectionem vel saltim determinatur ad perfectionem receptam*, Vnde vera, ac propria ratio à priori, cur relationis originis in diuinis non sint entia quanta, est quia sunt rationes hypostaticæ, ac vltimo constitutiuæ, & distinctiuæ diuinarum personarum; & hanc ipsam rationem assignauit ipse Doctor quol. 5. in fine cũ ait, *posset etiam dici, quod quantitas virtualis non cõuenit, nisi entitati quidditatiuæ vt scilicet distinguitur ab entitate hypostatica & per consequens nec finitas, nec infinitas, ista autem entitas licet sit in se quodammodo quidditatiua, tamen vt est talis, est tantum hypostatica*; & quamuis subdat ibidem hanc responsionem assumere aliqua dubia de entitate hypostatica, quod scilicet non habeat quantitatem virtualem, hoc non ait, quia illa responsio non sit bona, sed quia nondum determinauerat hoc punctum, num entitas hypostatica diceret perfectionem, quia hoc resoluẽdum erat quol. 19. Cum igitur postea resoluat ibi assertiuè rationes hypostaticas nullam formaliter includere perfectionem, consequenter approbat responsionem illam quol. 5. allatam, vt bonam, & præsertim id fecit verbis illis iam relatis *entitas etiam hypostatica non est simpliciter perfecta, vel simpliciter perfectio prout dictum est in quæstione de hoc mota*: his enim verbis innuit responsionem illam quol. 5. adductam esse bonam, quod nempe relationes originis in diuinis ideò non dicunt formaliter perfectionem, quia sunt entitates hypostaticæ.

32 Dices spirationem actiuam in diuinis nullam præseferre perfectionem infinitam, & tamen non est relatio vltima constitutiua alicuius diuinæ personæ, vt passim Theologi docent, ergo falsum est ideò relationes originis in diuinis non dicere perfectionem infinitam, quia sint rationes hypostaticę, & vltimo cõstitutiuæ. Resp. non deesse, qui dicant spirationem actiuam esse relationẽ constitutiuã filij in esse personali, vel aliquo modo pertinere ad constitutiuum filij vt Aureolus 1. d. 11. q. 1. art. 3. prop. 4. vnde in hac sententia argumentũ propositum nullam haberet difficultatem. Verum hic dicendi modus, nedum est contra communem Theologorum, atq; SS. Patrum incunctanter docentium Filium in diuinis vltimò constitui in esse personali per filiationem, sed etiam contra rationem, quia ratio constitutiua, alicuius indiuidui in esse indiuiduali, ac personali, & ipsius distinctiua à quocunq; alio in tali esse, debet esse illi propria, & peculiaris, non autem pluribus cõmunis, imo hoc directè repugnat rationi hypostaticę, quę debet esse incommunicabilis, cum igitur actiua spiratio in diuinis sit pluribus cõmunis scilicet Patri, & Filio, planè repugnat, quod Filium constituat in esse personali. Tum quia Thomistæ, quamuis asserant Filium à Spiritu Sancto personaliter distingui per actiuam spirationem, adeo quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non amplius realiter distingueretur ab eo, adhuc tamen dicere non audent, quod Filius per spirationem actiuam constituatur in esse personali, quia fatentur & ipsi actiuam spirationem esse proprietatem veluti aduentitiam Spiritui Sancto iam in suo esse personali cõstituto; ergo falsum, ac erroneum est asserere Filium per spirationem actiuam in esse personali cõstitui; quem errorẽ vlterius insequi ad Theologũ attinet.

Respondetur itaque non vnica ratione probare Doctorem quol. 5. relationes originis in diuinis perfectionem infinitam non præseferre, sed pluribus; esto igitur ratio allata non valeat pro spiratione actiua, quia non est ratio vltimò constitutiua, & realitas hypostatica, adhuc tamen valet pro cęteris relationibus originis, quæ sunt vltimò constitutiuæ; de spiratione autem actiua hoc ipsum probari poterit per alias rationes supra insinuatas nu. 29. quas Scotus adducit quol. 5. ac probant indifferenter de omnibus, & singulis relationibus originis, siue sint vltimò constitutiuæ, siue non; Neque ego assero sola vltimò constitutiua, & rationes hypostaticas esse entia non quanta, sed solum dico sub ente non quanto hæc quoque contineri, nam præter ipsa alia quoque reperiuntur entia non quanta, vt patet ex dictis.

33 Hic est modus dicendi valde facilis ad explicandam rationem entis non quanti, quam hactenus non satis apertè explicuerunt Scotistæ absq; periculo petitionis principij, iuxta quem etiam facilè intelligitur, ac defenditur diuisio entis in quantum, & non quantum, & absque difficultate assignantur quæcunq; sub secundo membro continetur, quæcunq; enim non formaliter, & quidditatiuè, sed denominatiuè tantum, & realiter rationem entis includunt, hæc omnia, & singula entia non quanta dicũtur, & sub ente non quanto continentur. Ex qua etiam doctrina facilè occurritur difficultati propositæ sub nu. 27. iam enim luculenter constat quodnam sit secundum membrum diuisionis entis in quantum, & non quantũ; constat etiam id quod diuiditur in ens quantum, & non quantũ, non esse ens reale commune Deo, & creaturis, quod in ea membra diuidatur, veluti propriè inferiora, in quibus essentialiter includatur, quia entia non quanta non sunt entia

realia

realia essentialiter,& quidditatiuè,sed identicè tantum,ac denominatiuè, quatenus enti reali realiter identificantur, & ob talem identitatem præcisè sunt extra nihil; vnde inferre non licet, vt ibi deducebatur, singula membra illius diuisionis propriam debere habere perfectionem finitam, vel infinitam in toto ordine entium, & per consequens quantitatem virtutis; hoc enim solum sequeretur, si singula illa membra rationem entis realis formaliter, & quidditatiuè in se continerent, quod enti non quanto minimè conuenit, constat denique hanc diuisionem iuxta istam explicationem non esse merè theologicam, sed metaphysicam, & philosophicam.

34 Hinc probatur altera pars conclusionis positæ numer. 28. nempe hanc diuisionem entis in quantum, & non quantum non esse ita vniuocam, vt conceptus entis communis ad quantum, & non quantum sit quidam conceptus distinctus à conceptu entis communis ad finitum, & infinitum, & verè superior ad illum, vt passim opinantur Scotistæ; Ratio est, quis Doctor 1.dist.3.q.3. & alibi frequenter docet ens,quod est commune Deo,& creaturæ,finito,& infinito,habere conceptum simpliciter simplicem, hoc autem data illa hypothesi esset falsum, quia tunc ens reale, quod in finitum, & infinitum, diuiditur, includeret quidditatiuè alium communiorem conceptum nempe entis superioris ad ens quantum,& non quantum, & sic conceptus entis realis communis finito, & infinito resolubilis foret in vlteriores conceptus, scilicet determinabilem, ac determinantem, & sic non esset simpliciter simplex. Conf. quia si talis conceptus entis, quod diuiditur in quantum, & non quantum, ponitur distinctus à conceptu entis diuisi in infinitum,& infinitum,& reuera superior ad illud, difficultas tacta ab initio quæst.num.27.optimè concludit contra diuisionem entis in quantum, & non quantum, quia vel hic conceptus est entis realis, vel rationis, non secundum, quia tunc ens quantum, & non quantum forent entia rationis, si primum, plane talis diuisio apparet omnino repugnans, quia, vt ibi arguebatur, impossibile est dari aliquod ens reale, quod non habeat propriam perfectionem suam finitam, vel infinitam in toto ordine entium, & per consequens quantitatem virtutis, sicut enim non potest dari ens reale omnis bonitatis expers, cum bonitas sit adæquata passio entis realis, vt sic, ita nec dari potest sine propria perfectione, perfectio namque vel est idem quod bonitas, vel saltim hæc in perfectione essentiali rei fundatur, vt sæpius dictum est, & est omnino irrationabile velle vnam ab alia separare, atque diuidere. Præterea adhuc ex alio capite repugnat hanc diuisionem esse propriè vniuocam, ac sicuti superioris in inferiora, quia quandocunque aliquod superius diuiditur in duo vel plura membra tanquam in sua inferiora, per varias differentias, vel modos,tunc vnum membrum, vel vna species constituta excedit, vel exceditur ab alia, quia vt habetur 10.Metaph.16. vna ex differentijs vel modis contrahentibus est perfectior, vel imperfectior alia, vnde 8. Metaph.10.species dicuntur se habere, sicut numeri, si ergo hæc est vera,ac propria diuisio superioris in inferiora,quodlibet ex membris diuidentibus alteri comparatum erit perfectius, vel imperfectius, sicut perfectior, vel imperfectior alia est differentia, vel modus contrahens, atque ita quodlibet membrum diuidens erit ens quantum, probatur hæc consequentia,quia ens quantum dicitur illud, quod alteri comparatum excedit, vel exceditur ex Scot.quol.5.Denique ens reale in communissima acceptione, iuxta quam ponitur obiectum adæquatum intellectus, & subiectum metaphysicæ, dicitur esse illud, quod est commune Deo, & creaturis, finito, & infinito, vt constat ex Doctore 1.d.3.q.3.& vocatur à Scotistis ens transcendenter sumptum, ergo nequit dari conceptus superior isto, qui adhuc esse dicatur conceptus entis realis, & dicatur communis, & superior ad ens quantum, & non quantum, quia tunc ens sub ista communiori acceptione obiectum adæquatum intellectus, ac metaphysicæ poni deberet, non autem vt est commune dumtaxat enti finito, & infinito, seu Deo, & creaturis.

35 Quare cum insinuat Doctor quol. 5. in fine ens prius debere diuidi in quantum, & non quantum, ac deinceps ens quantum, in finitum, & infinitum, quasi hæc sit subdiuisio illius, non in tanto rigore debet intelligi adeout ambæ ex æquo sint veræ, & propriæ diuisiones superioris vniuoci in inferiora,& conceptus entis communis quanto, & non quanto sit reuera vniuocus vtrique, & distinctus à conceptu entis communis finito,& infinito,ac in re superior illo; sed ita intelligi debet, vt ens dupliciter considerari possit vel in ordine ad illa, in quibus essentialiter includitur, & de quibus quidditatiuè prædicatur, vel etiam in ordine ad ea,quæ sub se continet realiter tantum,ac identicè, non autem tanquam inferiora, in quibus sit essentialiter inclusum, quales sunt passiones entis, modi intrinseci, vltimæ rerum differentiæ præsertim indiuiduales ex dictis disp.2.qu.7.art.1. iuxta duplicem illam primitatem, quam ei Doctor assignat 1. dist. 3. quæst. 3. §.quantum ad 2.art.5.communitatis,& virtualitatis; secundum priorem considerationem diuiditur ens in finitum, & infinitum diuisione vniuoca (licet cum analogia admixta) & propriè dicta, quia diuiditur, tanquam superius in inferiora, in quibus essentialiter includitur, vnde respectu illorum est prædicatum vniuocum, ac etiam vniuocè dictum, & in quid, secundum posteriorem considerationem diuiditur in ea membra non tanquam superius in inferiora, quia non in singulis illorum essentialiter includitur,& quidditatiuè, vnde licet respectu eorum sit prædicatum vniuocum, non tamen est vniuocè dictum, & in quid, vt Doctor monet loc.cit. & fusè declaratum est disp.2.qu.6.art.1.& quia diuisio entis in quantum, & non quantum, cum ista prorsus concidit, ideò probè dictum est hanc non esse diuisionem omnino vniuocam, & cum omni proprietate, quasi conceptus entis communis ad quantum, & non quantum sit propriè distinctus à conceptu entis communis ad finitum, & infinitum, & reuera superior ad ipsum,nam in re est idem omnino conceptus entis realis, qui comparatus ad ea, in quibus essentialiter includitur, dicitur ens quantum, & diuiditur in finitum,& infinitum, & comparatus ad eaquoque quæ tantum identicè,ac, realiter sub se continet, vt sunt passiones eius,modi,vltimæ differentiæ, dicitur abstrahere ab ente quanto, & non quanto ac in ea diuidi, veluti, conceptus communior, & superior; & hac præcisè de causa diuisio entis in quantum, & non quantum dicitur præcedere diuisionem entis in finitum, & infinitum, quia ens maiorem habet latitudinem, & ambitum secundum primitatem virtualitatis,iuxta quam respicit etiam suas passiones, modos, ac vltimas differentias, quam secundum primitatem communitatis, seu prædicationis, iuxta quam respicit solum inferiora sua, in quibus essentialiter includitur:itaque iuxta hanc explicationem intelligi debet Doctor quol.5. in fine, cum ait ens prius diuidi in quantum, & non quantum, quam in finitum, & infinitum.

Soluuntur Obiectiones.

36 HAnc diuisionem entis in quantum, & non quantum tam prisci, quàm Recentiores Thomistæ, ac Neutrales multis impugnant.Primò quidem arguit Pasqualig.tom.2. Met. disp.32. sect. 2. num.8. probant hanc diuisionem omnino repugnare, quia sicut implicat dari ens aliquod reale, quod nullam dicat bonitatem, cum bonitas sit passio entis communissimè sumpti, ita neque dari potest sine sua perfectione, perfectio namque entitatiua vel est ipsa rei bonitas, vel hæc in ea fundatur; tum quia perfectio cuiusque rei loquendo de perfectione essentiali non distinguitur ab essentia, sed est omnino eadem cum ipsa,vnde quanta est essentia: tanta etiam est perfectio, & si essentia est finita, vel infinita, ita quoque perfectio. Deinde ens non quantum dicere deberet rationem aliquam entis superadditam enti, vt sic, & in hoc seruari deberet proportio inter rationem contrahentem, & contractam, nempe vt quod inchoatur in contracta, perficiatur per contrahentem; ens ergo vt sic, quemadmodum est fundamentum, & inchoatio cuiuscunque entis realis, ita etiam est fundamentum, & inchoatio cuiuscunque perfectionis, & immo ratio quæcunque superaddita debet aliqualiter ipsum perficere,quia per ipsas contrahitur ad aliquem gradum essentiæ.Denique hæc diuisio ex eo refelli debet,quod datur per differentias contradictoriè oppositas, quod est impossibile, nam ratio positiua, quæ diuiditur, per rationes positiuas diuidi debet, vt diuersa membra positiua emergant; probatur assumptum,quia quantum,& non quantum contradictoriè opponuntur, siquidem quod vnum dicit, alterum negat. Neque dicas ens non quantum circumscribere quid positiuum, non tamen dicens aliquam perfectionem. Quia id implicat in terminis, cum non perfectum debeat formaliter dicere negationem illius, quod dicit perfectum, vnde si perfectio, vt perfectio dicit quid positiuum, oportet quod non perfectio dicat quid negatiuum.

Resp. hæc & similia argumenta ex eo procedere, quia opinantur Aduersarij nos asserere hanc esse veram, & propriam diuisionem; ac per eam diuidi ens reale in quantum,& non quantum, veluti in inferiora, in quibus essentialiter includatur, quo admisso vtique vim haberent:at iam patet ex dictis non in hoc sensu diuidi ens in quantum, & non quantum, quia quæ continentur sub secundo membro nempe sub ente non quanto non includunt formaliter, & quidditatiuè ens, sed realiter tantum ac identicè, & ideò non dicunt nec propriam bonitatem, nec propriam perfectionem distinctam à bonitate, & perfectione entis realis, cui realiter identificata ponuntur. Ad aliud patet per idem, quia in argumento supponitur in hac diuisione entis in quantum, & non quantum diuidi ens reale, quod est inchoatio cuiuscunque realitatis in entibus, velut in inferiora per differentias, quod est falsum:tum quia si hæc poneretur vera,ac propria diuisio,tunc ens commune diuisum non deberet poni, vt initium, & inchoatio cuiuscunque perfectionis,hoc enim pertineret ad ens quantum præcisè,ens verò abstrahens à quanto,& non quanto esset indifferens ad hoc,vt sit inchoatio perfectionis, vel non sit, quemadmodum de quocunque communi dicimus in ordine ad sua contrahentia. Ad vltimum dico non esse nouum, vt sæpius alterum membrum diuisionis per negationem explicetur, quæ det intelligere gradum essendi positiuum, & sic in proposito ens non quantum importat quid positiuum, quod formaliter nullum dicit gradum quantitatis perfectionalis, sicut cum diuiditur ens in quantum, & non quantum loquendo de quantitate molis, seu in corporeum, & incorporeum, vel non corporeum, sanè per ens non quantum, & non corporeum circumscribitur quid positiuum nempe ens spirituale, non autem simplex, & pura negatio.

37 Secundò Suárez disp.28.Metaph.sect. 2. probat hanc diuisionem entis in quantum,& non quantum ex multis capitibus implicare;sed re vera hic Auctor, vt se declarat ibid.à num.4. impugnat hanc diuisionem, prout præsertim declaratur à Lichet. non autem absolutè, vt traditur à Scoto,quare discursus illius me non molestat, quia hanc diuisionem non explico, sicut Lichet.exponit; alia tamen ratio deduci

potest

potest ex Suarez loc. citat. & lib. 3. de Trin. cap. 9. & 10. quæ absolutè ostendit hanc diuisionem repugnare; nam ens quantum dicitur illud, cui perfectio debetur in aliquo gradu, ens verò non quantum dicitur, cui ex sui natura nulla prorsus debetur perfectio, & ideò quantum est de se ab omni perfectione, & imperfectione præscindit, sed eo ipso quod ita explicatur ens non quantum, iam ponitur non ab omni perfectione, vel imperfectione præscindere, nam quis non fatebitur summam importare imperfectionem esse tale ens, cui nulla debeatur perfectio secundum propriam rationem? ergo hæc diuisio ex suamet explicatione repugnans apparet.

Respondetur facilè negando minorem cum sua probatione, quia imperfectio non est qualiscunque carentia, & negatio perfectionis, sed perfectionis debitæ, & possibilis, vnde si cuipiam nulla debetur perfectio, illud propriè imperfectum dici non potest, quia non caret perfectione sibi debita, quare cum dicitur, esse tale ens, cui nulla debeatur perfectio, esse maximam imperfectionem, respondetur quod vtique hoc verum esset, si sibi possibilis foret perfectio, modo ens quod dicitur non quantum, non est alicuius perfectionis capax, immo ei est impossibilis, atque repugnat, inquantum tale, & ideò propriè imperfectum dici non potest, sed tantum negatiuè, vt imperfectum sonat idem, quod non perfectum.

38 Tertiò arguit Aureol. 1. d. 19. art. 3. omne ens est quantum, quia finitum, vel infinitum, ergo repugnat ens non quantum; probat assumptum, quia nulla res potest poni quin dicat aliquem gradum entitatis, & aliquam actualitatem, illa autem actualitas necessariò, vel est finita, vel infinita. Conf. licet non omnis res sit finita, vel infinita dimensione, quia non angelus, qui abstrahit ab omni dimensione, nec etiam virtualiter, & actiuè, quia non omnis res est principium agendi, omne tamen, quod est finitum, vel infinitum, est infinitum quidem sicuti Deus, finitum verò, & limitatum, vt omnis creatura; & ideò nos quoque supra nu. 4. diximus diuisionem entis per finitum, & infinitum esse adæquatam.

Resp. negando assumptum cum probatione, quia in ea falsum supponitur nempè ens quantum esse rem, & ens formaliter, & quidditatiuè, quod negamus, cum non sit ens nisi identicè, & realiter, quo etiam sensu dici potest finitum, & infinitum. Ad Conf. dicendum omne ens esse finitum, & infinitum, aut ratione sui formaliter, & directè, aut ratione alterius, cui realiter est idem, & in hoc sensu supradiximus diuisionem entis per finitum, & infinitum esse adæquatam, & sub ipsa comprehendi in hoc sensu entia non quanta.

39 Quartò vlterius arguunt ex diuinis relationibus, quas si semel probant dicere perfectionem, putant hanc destruxisse diuisionem, quia ens non quantum ponitur pro diuinis relationibus, vt passim Scotistæ concedunt; probant autem sic, relationes prout distinguuntur ab essentia sunt bonæ, ergo dicunt perfectionem, consequentia patet ex sæpius dictis, probatur assumptum, siue accipias bonitatem pro integritate rei, nam certum est relationes habere totum id, quod requiritur ad conceptum earum, siue pro conuenientia vnius respectu alterius, nam relationes verè conueniunt diuinæ essentiæ, sunt enim terminus ab eius communicabilitate exigitus, siue pro appetibilitate, sunt enim obiectum diuinæ complacentiæ, siue pro dignitate aliqua, nam sunt obiectum adorationis. Dices hæc omnia conuenire relationibus ratione essentiæ. Contra, nam sermo est de relationibus prout ab ipsa distinguuntur; si enim illis, vt sic, competit quæcunque definitio bonitatis, opus est vt & ipsis competat ipsa bonitas. Conf. relationes, vt ab essentia distinguuntur sunt intelligibiles, & habent aliquam intelligibilitatem modalem, ergo etiam habere debent aliquam bonitatem consimilem.

Resp. in primis argumenta deducta ex diuinis relationibus nos parum vrgere, quia præter diuinas relationes adhuc alia entia non quanta dignoscimus in creatis, vt constat ex dictis, attamen quia famosa Scoti sententia est, diuinas relationes contineri sub ente non quanto, argumenta potiora contra ipsam hic tangere, & breuiter diluere non pigebit; itaque ad argumentum propositum dico coincidere cum adductis, supponit siquidem diuinas relationes, vt ab essentia distinguuntur, esse formaliter entia, & consequenter bonas, quod tamen falsum est, cum enim vltimò constituant & distinguant diuinas personas, consequenter realitatem entis formaliter in se non includunt, alioquin daretur processus in infinitum, vt probat Doctor 1. d. 3. quæst. 3. E. quare nec sunt bonæ, nec illæ definitiones illis competunt, nisi ratione essentiæ, cum qua identificantur, vt inter arguendum dicebatur, & denique hoc argumentum ex bonitate, & intelligibilitate deductum solui debet, vt superius dilutum est disp. 2. q. 7. art. 2. dum adducebatur ad probandum passiones entis, modos, ac vltimas differentias esse formaliter bona, ac intelligibilia, atque ideo formaliter entia.

Sed vrgetur contra hanc doctrinam ex ipso Doctore pluribus in locis, nam 1. d. 1. quæst. 2. §. *ad argumenta principalia* respondens duobus argumentis habet, quod bonum, quod conuertitur cum ente, ponitur in quolibet genere, & quod vnitas in diuinis ponitur essentialiter, & notionaliter; quare si relatio est formaliter vna, erit etiam formaliter bona, cum non sit maior ratio de vna passione, quam de alia; Et 1. d. 2. q. 7. KK ait, quod ens per se, & primo modo prædicatur de talibus relationibus & rursus d. 11. quæst. 2. in solutione ad p. inquit relationem tam secundum quidditatem, quam secundum esse manere in diuinis, quoniam quocunque modo manet secundum quidditatem, manet etiam secundum esse, per quod insinuat relationem in diuinis propriam retinere entitatem, & existentiam formaliter à diuina essentia distinctam, idemque significauit quol. 3. Accedit speciale difficultas de spiratione actiua, quando enim de cæteris relationibus concederetur non esse entia quidditatiuè, quia sunt vltimò constitutiua diuinarum personarum, id tamen de spiratione actiua concedi non debet, quia est communis duabus personis, ergo saltim ipsa sub ente non quanto minimè continebitur.

40 Ad hæc, & similia loca solent respondere Scotistæ ex Magistro formal. art. 2 minus prin. ens, & rem dupliciter vsurpari solere, primo pro omni positiuo, quod ex natura rei est extra nihil, & isto modo modi intrinseci, & differentiæ vltimæ dicuntur res, & ens; alio modo magis strictè pro illo, quod est præcisè ens, vel res quidditatiuè, & sic ens vel res dicitur præcisè de Deo, & creatura, absoluto, & respectiuo, & de illis quæ sunt in recta linea prædicamentali, & de materia, & forma, & isto modo nec passiones entis, nec differentiæ vltimæ dicuntur res, vel ens, sed solùm dicuntur aliquid rei, & non res capiendo rem secundo modo; in proposito itaque aiunt Scotum locis citatis relationes diuinas entia, & res appellare iuxtà primam significationem, non iuxtà secundam, & ideò inferre non licet conuenire illis bonitatem, vel perfectionem modalem entitatiuam, quia bonitas est affectio entis secundo modo sumpti. Hæc solutio non placet, primò quia illa distinctio ex Magistro formal. desumpta inutilis est, & vana, vt notauit disp. 2. q. 7. art. 2. num. 211. ens enim reale definitur esse illud, quod est extra nihil, & citrà omne opus intellectus, & per hoc distinguitur ab ente rationis, & bonitas est adæquata passio entis, sic sumpti, quare eo ipso quod aliquid est ita ex natura rei extrà nihil, dicit debet & potest formaliter, & quidditatiuè ens, & res, non ergo ens, & res in secunda significatione distinguitur ab ente in prima significatione, vnde quod est ens, & res primo modo, erit quoque ens secundo modo, & consequenter bonum, & perfectum perfectione modali entitatiua, quare si semel concedatur relationes originis esse res, & entia primo modo, euitari nequit quin sint quoque entia secundo modo, & participent formaliter bonitatem, quæ est passio entis. Deindè admissa quoque illa distinctione de nomine entis, ac *rei, adhuc* non benè explicatur ad propositum, quia Doct. loc. cit. præsertim 1. d. 1. qu. 2. loquitur de ente, cuius passiones sunt bonitas, & vnitas, vt liquet ex ipso contextu, ergo loca illa contendunt relationes originis esse entia etiam in secunda significatione, & non in prima tantùm. Breuiter ad hæc loca dici posset Doctorem ita loqui, quia nondum determinauerat, an vltimò constitutiua essent primò diuersa, & seipsis formaliter differrent, hoc enim inferius determinandum erat d. 3 q. 3. & d. 7. & d. 8. qu. 2. & d. 13. 23. & 26. & hanc solutionem puto esse omnibus absolutiorem.

41 Vt tamen etiam ad singula quæque loca dicamus aliquid; ad 1. aduertendum est, quod licet Doctor in argumentis de relationibus loqui videatur, tamen in responsione loquitur de personis, vt constat dum distinguit ens in ens quidditatiuè, & in ens habens quidditatem, aliud autem est loqui de persona, & aliud de ipsa relatione, per quam constituitur, quia concedi posset suppositum diuinum, cum sit formaliter ens, esse quoque formaliter vnum, & bonum, at de relatione concedi non potest, quia est vltimò constitutiua diuinæ personæ. Ad 2. valde pro eius explicatione laborat Bargius ibidem, & pro resolutione dubij disputat, an vltimò constitutiua dici possint formaliter, & quidditatiuè entia, & affert argumenta plura pro parte affirmatiua; denique oppositum tenens cum communi via Scotistarum illa dissoluit, & pro solutione septimi, quod in Scoti auctoritate confitebatur dicentis ibi ens per se, & primo modo de relationibus originis prædicari, inquit quod ly *per se primo* non debet exponi in primo modo dicendi per se, sed sic debet intelligi, quod secundum suam rationem formalem relatio est ens, & non præcisè inquantum realiter idem cum essentia, sicut diceremus quod rationale est res per se primò, idest secundum suam rationem formalem, & non solum inquantum identificatur realiter cum homine, nec realiter ait exponi posse locum hunc Doctoris difficillimum, de qua solutione valde sibi plaudens inquit circa hanc difficultatem se maximè insudasse, vt eam resolueret. Sed doleo Bargium incassum desudasse circa solutionem, quæ nihil omnino valet, nam nec textui quadrat, vbi Doctor ait non per se primo sed in primo modo dicendi per se ens de diuina relatione prædicari, nec difficultatem resoluit, quia si paternitas in diuinis v. g. secundum suam rationem formalem est ens, & non præcisè inquantum cum diuina essentia identificatur realiter, iam manifestè sequitur ens includi in ratione formali paternitatis; potius ergo dici debet, quod significaui, Doctorem sic loqui, quia nondum determinauerat, an vltimo constitutiua essent primò diuersa. Ad alium locum ex 11. dist. 1. dicendum est Scotum non sumere ibi esse relationis in rigore pro entitate, vel existentia relationis, sed latè pro quolibet esse à parte rei independenter ab intellectu, quo sensu esse, & existere conuenit etiam vltimò constitutiuis, & sufficit ad fundandam formalem distinctionem, quam ibi Doctor saluare contendebat inter relationem, & essentiam. Ad difficultatem ex spiratione actiua deductam dico valde probabile esse nullam diuinarum relationum originis habere propriam, & peculiarem entitatem, ac existentiam in recto, sed omnes, & singulas esse, & existere in obliquo ratione diuinæ naturæ, cui identificantur, quemadmodum expresse significat Doctor 1. d. 5. quæst. 2. infra lit. Q. vbi inquit, quod essentia est veluti forma relationis, quia est, qua relatio est; ergo relatio in diui-

diuinis non per se est, & existit, sed est, & existit per essentiam, veluti per propriam formam; iuxta quem dicendi modum, quem sequitur, & approbat Vulpes disput. 53. de Trin. art. 8. cum alijs politioribus Scotistis spiratio actiua, etsi non sit vltimò constitutiua diuinæ personæ, adhuc tamen non est quidditatiuè ens, & in recto, atque ideò continetur sub ente non quanto; quod si concedatur spirationem actiuam esse formaliter ens fateor difficultatem propositam vrgere, quia vt sæpius dictum est, quantitas virtutis, seu entitatiua perfectio, vel est ipsamet bonitas passio entis realis, vel quidam modus eius intrinseeus, nec vnum sine alio reperiri potest ex Scot. quol. 6. M.

42 Quintò, relatio creata est ens quantum, ergo tanto magis relatio diuina, consequentia patet, quia diuina relatio nobilior est relatione creata, probatur assumptum ex Doctore quol. 5. in fine, vbi ait relationem creatam sub ente quanto contineri, & 1. dist. 28. quæst. vlt. ait genus relationis diuidi per differentias oppositas, quarum vna est alia perfectior.

Respondet Vulpes disp. 53. de Trin. art. 9. num. 15. negando assumptum cum probatione, numquam enim Doctor quol. 5. docuit relationem creatam formaliter contineri sub ente quanto, vt sit ens quidditatiuè; & subdit solum tria genera esse hoc modo entia, vt ens immediatè indifferens ad decem genera sit vtique præcisè ens finitum, sed non ex æquo diuisum in decem genera, quasi omnia sint ens quidditatiuè; cum ergo relationes creatæ dicantur ens tantum identicè, & in obliquo, non autem formaliter, & in recto, solum formaliter includunt imperfectionem, & solum identicè perfectionem ad differentiam diuinarum relationum, quæ identicè includunt infinitam perfectionem diuinæ essentiæ. Hæc responsio plura falsa, ac repugnantia involuit; primò falsum est Doctorem quol. 5. in fine relationem creatam sub ente quanto non subijcere, aut enim quod *ens, vt immediatè indifferens ad decem genera est præcise ens finitum*, sed ens finitum est ens quantum, ergo clarè docet Doctor ibi relationem creatam sub ente quanto contineri, imò id quoque fatetur ipse Vulpes dum ait ens immediatè descendens in decem genera esse ens finitum. Deinde falsum est ens finitum non ita descendere in omnia decem genera, vt singula sint entia quidditatiuè, quamuis enim non omnia, in quæ ens diuiditur, sint æquè perfecta, adhuc tamen singula rationem entis formaliter participant, vt probè docet Scotus 2. d. 1. quæst. 5. §. *quod si adhuc* & sic etiam loquitur quol. 3. ab initio; Et cum inquit Vulpes nu. 16. relationes omnes esse habitudines entis, eiusque circumstantias, & ideo non esse entia quidditatiuè, seu formaliter, & in recto, sed tantum identicè, Hæc versus est falsa deductio, quia vt arguit Doctor in 2. loc. cit. Licet relatio sit habitudo entis eiusque circumstantia, non tamen est omnino nihil, licet enim modus non sit ita res, sicut illa cuius est modus, non tamen nulla res est, sicut nullum ens, quia omnino quod nulla res est, & ita relatio cadit sub diuisione entis in se secundum Philosophum 5. Metaph. licet ergo relatio dici possit modus, & circumstantia entis, tamen si ponatur extra intellectum, & vt aliquid realiter superadditum fundamento, & non modus intrinsecus eius, adhuc dici debet ens formaliter, & quidditatiuè, non autem identicè solum, & in obliquo. Deinde vel concedit Vulpes relationem prædicamentalem distingui realiter à suo fundamento, ac esse quid realiter exremis superadditum, vel non; si non, iam in Nominalismum labitur, & à Scoto recedit; si sic, ergo repugnat relationem identicè dici ens; hoc enim est dici ens ob realem identitatem cum fundamento, quod relationi prædicamentali minimè conuenit, quam nos ponimus à fundamento realiter distingui ex Doctore loc. cit. vt dictum est in logica. Denique repugnat quod ait relationem creatam formaliter includere imperfectionem, repugnat, inquam, ei quod paulò supra dixerat, relationem creatam non contineri sub ente quanto; nam ens quantum est quod alteri comparatum est perfectius, vel imperfectius excedens, vel excessum, ens verò non quantum quod tam a perfectione, quàm ab imperfectione præscindit, si ergo relatio creata secundum se formaliter includit imperfectionem, ob hanc ipsam inclusionem ens quantum dici debebit, non autem ens non quantum, vt contendit Vulpes.

43 Trombeta 1. Met. q. 1. art. 1. & tract. formal. super hanc diuisionem adducit difficultati propositæ responsionem quorundam dicentium, quod non fuit de intentione Doctoris remouere a relatione omnem quantitatem virtutis, sed solum illam, quæ spectat ad rationem principij actiui volès quod relatio nequeat esse principium actiuum, sicut nec potest terminare per se actionem, aut motum ex 5. Phys. Quam solutionem impugnat Tromb. quia ea data sequeretur, quod pariformiter negasset à quantitate molis, quæ est genus, & prædicamentum, quantitatem virtutis, sicut negauit à relatione, quia æquè benè quantitas molis non est de formis actiuis, sicut nec ipsa relatio. Et ideò aliter ipse respondet, quod relatio in creaturis ideò est quanta, quia est finita formaliter; relatio autem diuina non est quanta, quia nec est finita, nec infinita. Sed nec benè impugnat responsionem aliorum, nec ipse benè respondet, porrò non bene illam adoritur solutionem, quia impugnatio illa supponit, quod solutio illorum diceret Doctorem negasse relationi omnem quantitatem virtutis, eo quia negat illi perfectionem principij actiui, vnde contra illos infert Trombet. quod pariter negasset Doctor quantitati molis perfectionem, seu quantitatem virtutis ob eandem rationem, quia nempe quantitas molis non est de genere actiuorum; at hoc non assumit illa responsio imò oppositum dicit, quod nempe Doctor licet negauerit relationi quantitatem virtutis, quæ spectat ad rationem principij actiui, non tamen fuit eius intentio remouere à relatione omnem prorsus quantitatem virtutis, malè ergo deducit Tromb. illam consequentiam contra relatam solutionem; At neque ipse benè respondet, cum enim ait relationem creatam ideò esse quantam, quia est finita, diuinam verò non esse quantam, quia nec finita, nec infinita est, planè videtur manifesta principij petitio, hoc enim est quod quæritur, cur sicut relatio creata est finita, pariter increata non sit formaliter infinita, & quarè sicut relatio creata ponitur sub ente quanto, cur non etiam diuina, quæ longè nobilior est relatione creata, vnde ad euitandam petitionem subdit postea rationem Assignatam à Doctore quol. 5. in fine, ideò nimirum diuinæ relationi finitatem repugnare, quia tunc haberet rationem partis, & esset entitas imperfecta, nec esse posse formaliter in infinitam, quia esset formaliter ens primum, quod est falsum, finitas verò relationi creatatæ non repugnat, quia ei non repugnat esse partem, & hinc est quod relatio creata est quanta, non autem diuina. Breuius dici posset ad argumentum propositum iuxta doctrinam superius traditam, ideò relationem creatam sub ente quanto contineri, non diuinam, quia non est vltimò constitutiua alicuius suppositi, vel personæ, sicut est diuina relatio, quam responsionem etiam indicat Doctor quol. 5. cit. in fine.

44 Sextò Intellectus diuinus est formaliter infinitus, vt omnes concedunt, alioquin diuinam essentiam non comprehenderet, non est autem infinitus, nisi quia est idem essentiæ diuinæ, quæ est primò infinita; sed paternitas est eadem illi, ergo paternitas propter eandem rationem est formaliter infinita. Ad solutionem huius difficultatis, quam mouet Doctor in terminis quol. citat. affert sub lit. X. notabilem doctrinam, tandem ad formam argumenti negat minorem, quia sola identitas essentiæ non est sola ratio habendi infinitatem formalem, sed est ratio sufficiens omni ei, cui formaliter non repugnat infinitas, formaliter autem repugnat omni relationi personali, vt probatum est, & nulli essentiali, qualis est intellectus. Et si quæras, quare compossibilis est infinitas huic, & non illi; potest quæri in oppositum (ait Doctor) quare huic repugnat communicabilitas, & non illi, quod omnes concedunt, & est eadem responsio, quia in ratioue principij formalis, quia scilicet formaliter hoc est hoc, & illud est illud. Ad hanc solutionem acutè Suarez impugnat disp. 23. Met. cit. num. 6. quia in relatione diuina illa aptitudo, vt possit omnino identificari secundum rem essentiæ diuinæ, est magna quædam perfectio, ergo illa relatio quantumuis formaliter præscindatur, sicut intelligitur talis, quæ possit identificari diuinæ essentiæ, ita intelligitur maximæ perfectionis; probaeur assumptum, quia in relatione creata illa limitatio entitatis, ratione cuius non potest esse infinita nec formaliter, neque identicè est imperfectio, ergo in relatione diuina aptitudo, vt possit identificari diuinæ essentiæ secundum rem, erit perfectio ex eius illimitatione exoriens.

Re p. negando assumptum, licet enim in diuinis quod includit aliud per identitatem sit summa perfectio, non tamen id quod includitur, quia hoc non arguit perfectionem ex parte inclusi, sed includentis; at ita est in proposito, quod relatio est diuina essentia ob ipsius essentiæ perfectionem infinitam, propter quam includit identicè eam, sic autem includi in alio nec est perfectionis; nec imperfectionis in incluso, sed in includente dumtaxat, vnde ex hoc quod relatio diuina sit apta identificari essentiæ solum deduci potest, quod de se non sit limitata, neque finita, non autem quod sit infinita, ac illimitata, ita colligitur ex Scot. loc. citato. Cum probabatur assumptum, quod sicut neptitudo in relatione creata, vt cum diuina essentia identificetur, est magna quædam imperfectio, & arguit ipsam esse limitatam, sic è contra in relatione diuina aptitudo ad identitatem cum diuina essentia erit magna perfectio, & arguere debet illimitationem in ipsa. Negatur paritas, quia vt ait Dionys. bonum, & perfectum est ex integra causa, malum ex quocunque defectu, vnde plus requiritur ad perfectionem, quam ad imperfectionem inducendam, quia hæc subrepit ex quocunque defectu, & ideò licet illa ineptitudo ad identitatem cum diuina essentia in relatione creata imperfectionem inducat, non ita è contra aptitudo ad eam in relatione diuina inducit perfectionem, vel arguit illimitationem, nam ad perfectionem simpliciter, & infinitam constituendam quid plus requiritur, vt nempe sit quidditas suaptè natura communicabilis iuxta definitionem Ansel. in Monol. quod in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa, quod diuinis relationibus non conuenit; itaque ex illa aptitudine in ipsis reperta ad identificari cum diuina essentia ad summum deduci potest, quod non sunt finitæ, & limitatæ, non autem quod sint infinitæ.

45 Postremò longo discursu probat Rubion. 1. d. 33. q. 1. relationes originis esse formaliter infinitas, & eius vnium fundamentum consistit in hoc, quod infinitas non dicit quid positiuum in re infinita aliquo pacto ab ea ex natura rei distinctum; sed tantum dicit puram negationem finitatis, vnde sicut inuisibile est carens visibilitate, ita infinitum est carens finitate formaliter loquendo; & sicut inuisibile materialiter, seu fundamentaliter nil aliud est, nisi ipsamet res, cui repugnat videri, & in ipsa proximè, & immediatè fundatur negatio visibilitati, non autem in aliquo positiuo ex natura rei ab ea re distincto, ita quoque infinitum fundamentaliter nil aliud est, nisi res ipsa cui finitas repugnat. Hoc declaratur in Deo, cui propriè conuenit infinitas, nam eo repugnat Deo finitas, quo Deus ipse vltra omnem

pro-

proportionem excedit omne possibile finitum, & quò est impossibile ipsum esse finitum, sed Deus ratione suæ Deitatis præcisè circumscripto omni alio excedit improportionabiliter omnem possibile infinitum, & ex sua ratione formali, non autem per aliquid additum repugnat illi esse finitum, ergo &c. Facto hoc supposito ita deducitur relationes originis esse formaliter infinitas; omne non finitum est formaliter infinitum, quia infinitum formaliter sumptum solam negationem dicit finitatis, fundamentaliter verò solam rem, quam denominat infinitam, non verò gradum aliquem quantitatis perfectionalis, sed proprietates personales diuinæ non sunt finitæ imò sunt non finitæ, cum sint à diuina essentia realiter indistinctæ, ergo &c. Conf. quia diuina essentia non dicitur, nec est formaliter infinita, vt infinitum supponit pro aliquo ab ipsa distinctio, sed tantummodò vt supponit pro illo, cui seipso repugnat omne finitum per ipsum infinitum prædicatum negatum; sed propter eandem rationem penitus relatio ipsa est infinita; scilicet quia non minus ipsi, quam essentiæ repugnat omne finitum, cum sit ab ea non minus, quam ab essentia distinctum, ergo &c.

Resp. falsum esse suppositum illud, quod infinitas non dicat quid positiuum in re infinita, sed solam negationem limitis, & perfectionis quia tunc talis negatio esset extra genus, quæ cũ absolutè nihil requirat, æqualiter dicitur de ente, & de nõ ente, & sic Chimæra dici posset infinita, quia ei conuenit non esse finitum, seu negatio finitatis; quamuis ergo iuxta significatum nominis, & secundum id, per quod explicatur à nobis, infinitas dicat negationem limitis, & perfectionis, tamen iuxta significatum rei veram rationem positiuam importat in re infinita, imò & ab ea aliquo pacto ex natura rei distinctam, saltim vt modum intrinsecum à re, cuius est modus, vt notat Doct. quol. 5. lit. C. & quol. 6. E. & 1. d. 31. quæst. vn. B. & ratio deducitur ex Doctrina ipsius 1. d. 23. quæst. vn. & 3. d. 1. q. 1. lit. G. & alibi sæpè negatio, quæ rei conuenit necessariò, & cum repugnantia oppositi affirmati, opus est vt illi conueniat per aliquod positiuum, quod sit ratio fundandi talem negationem, vt si negatio spiritualitatis inest homini, id vtique est ratione materialitatis, in qua fundatur, cum igitur perfectioni diuinæ ita conueniat à parte rei negatio limitis, & termini, vt ei omninò repugnet terminum limitem habere, planè necesse est eiusmodi negationem per aliquam rationem positiuam ei competere, vnde concluditur tandem infinitatem addere aliquam rationem positiuam ipsi Deitati. Verum tamen est hanc rationem positiuam non esse quidpiam ab ea realiter distinctum, & hoc solum ingenuè probant rationes, quas contra nostram sententiam congerit Rubion loc. cit. vt constat ex his, quæ habet ar. 3. inquit enim quod si finitas, & infinitas dicerent gradum perfectionalem ab ipsa re distinctum, tunc impossibile non esset hominem non esse asino perfectiorem, quia talis gradus (inquit) esset ab homine realiter distinctus, & per consequens posset ab eo per diuinam potentiam separari; solum ergo probant rationes Rubion indistinctionem realem gradus perfectionalis à re, cuius est gradus, non autem in distinctionem ex natura rei modalem, quam nos tantum ponimus, & non maiorem. Et in hoc sensu verum est Deum semetipso præcisè circumscripto quocunque alio realiter imò etiam formaliter in rigore distincto esse infinitum, quia infinitas est modus eius intrinsecus.

46 Et sic etiam pariter respondendum est ad exemplum, quod affert de inuisibili, quia vt benè notat Smising. de Deo vno tract. 2. disp. 6. num. 15. inuisibilitas, vt dicit ineptitudinem alicius entis ad terminandam visionem non est pura negatio, sed modus positiuus intrinsecus talis entis fundans negationem, quia etiam illa ineptitudo terminandi prouenit ex certa limitatione, vel illimitatione intrinseca talis entis. Hinc ad rationes, quibus probat relationes originis esse formaliter infinitas, facilè occurritur, ad p. neganda est maior, quod omne non finitum sit formaliter infinitum, quia non finitum est negatio extra genus, quæ æqualiter dicitur de ente & non ente, infinitas autem dicit negationem in genere, & fundatam in aliquo positiuo, quæ sit ratio proxima, & immediata fundandi talem negationem, quod toti rei quæ infinita dicitur conuenire non potest, vt Rubion contendit; sed alicui peculiari eius rationi, sicut v. g. negatio spiritualitatis conuenit homini, non quidem ratione totius humanitatis, sed ratione materialitatis præcisè, in qua proximè, & immediatè fundatur, & negatio brutalitatis conuenit ei præcisè ratione discursus, & sic de alijs negationibus, quæ alicui subiecto conueniunt non ratione totius entitatis eius, sed alicuius formalitatis in ipso contentæ. Ad Conf. verum est diuinam essentiam non dici formaliter infinitam, vt infinitum supponit pro aliquo ab ipsa realiter distincto, bene tamen vt supponit pro aliqua realitate, quæ est modus eius intrinsecus ei realiter identificatus, & prorsus inseparabilis, quo sensu seipsa dicitur esse infinita, sed hac ratione nequit relatio originis dici seipsa formaliter infinita, quia ipsa non includit talem modum perfectionalem. Dices non minus ipsi, quam essentiæ repugnat esse finitum. Negari posset assumptum, quia relationi repugnat esse finitam ob realem identitatem, quam habet cum essentia, & ideò magis essentiæ repugnare videtur ob illam maximam, propter vnumquodq; tale &c. Tum quia essentiæ repugnat ob propriam, ac formalem ipsius infinitatem, relationi verò ob finitatem alterius, cui identificatur. Vel dicatur, quod esto non minus relationi quam essentiæ repugnaret esse finitum, non tamen id euenit eodem modo, quia vni competit merito propriæ infinitatis, alteri verò ratione solius realis identitatis cum alio infinito. Alias rationes ibidem Rubion adducit contra nostram sententiam, quæ ex modo præmissa doctrina facilè diluuntur; alia quoque argumenta pro infinitate relationum originis solent adduci, quæ missa facio, quia ad proprium quæsitum tract. de Trin. spectant; hic iam allata adducere placuit, quia non passim ab alijs afferuntur, & maiorem difficultatem præseferre videntur.

QVÆSTIO III.

De ordinè diuisionem entis realis, & quanam sit omnium prima.

47 RAtio difficultatis huius quæsiti tangitur à Mauritio in margine ad Magistrum formal. art. 1. prin. vbi agunt formalistæ de diuisionibus entis supra declaratis, inquit enim ibi Mauritius, circa has diuisiones entis sit cautus lector, quia non potest de facili poni ordo in eis, & subdiuisiones, vt in arbore prædicamentali, seu aliquod membrum vnius continet, & continetur à membris alterius vnde vna non subordinatur alteri, vt eius subdiuisio, sed aliquæ æquè primò, & immediatè videntur ipsum ens diuidere, ac adæquare; & ita præsertim se habent diuisiones illæ quibus ens diuidi solet in Deum, & creaturam, dependens, & independens, finitum, & infinitum, causatum, & incausatum, & aliæ huiusmodi, in quibus diuisum est idem, ac membra diuidentia eadem, creatura namque, ens finitum, causatum, & dependens idem significant, sicut è contra Deus ens infinitum, incausatum, & independens. Imò id etiam contingit in quibusdam alijs diuisionibus, quorum membra diuidentia non sunt eadem, sed diuersa, vt diuisio qua ens diuiditur in Deum, & creaturam, & in absolutum, ac respectiuum, vtraque enim est adæquata enti, ac totum ens exhaurit, & vna sub alia non continetur.

Hinc oritur prima sententia, quæ vtiq; plures ac varias, admittit entis diuisiones, sed inquit esse omnes ex æquo primas, ac immediatas, vt cum diuiditur in Deum, & creaturã, substantiam, & accidens, absolutum, & respectiuum, spirituale, & corporeum, vel alio consimili modo, nam omnes istæ diuisiones æquè primò, ac immediatè adæquantur enti, non enim vna est diuisio alicuius membri peculiaris in altera diuisione contenti, sed singulæ totum ens distribuunt & ideò omnes sunt æquè primæ, & immediatæ, ita Auersa in sua Philosoph. quæst. 17. sect. 1. fatetur tamen sect. 2. si diuisiones entis comparentur adinuicem posse vnam, vel alteram adhuc dici priorem iuxta varias acceptiones, & explicationes; si enim vnum v.g. sumatur positiuè, & realiter pro ipso ente, quod vel simplex est, vel compositum, & perfectum sumatur pro passione entis, quæ diuidatur per finitum, & infinitum, sic planè prior est illa diuisio, sicut prior est ipsa ratio entis, quam eius passiones, si è conuersò vnum sumatur pro negatione, & passione, perfectum verò, ac finitum, & infinitum pro ipsa entitate rei, sic prior erit hæc alia diuisio; & sic componere credit varias, ac dissentientes de ordine diuisionum entis opinioner. Neque ab hoc dicendi modo valè distat Zimara in concordantijs Auerrois super 6. Metaph. postquam enim fecit Auerr. hac in re dubium, & ancipitem, ac ferè sibi contrarium, tandem ipse asserit plures esse primas entis diuisiones in suo tamen genere, quia prima diuisio entis in partes subiectiuas est in decem prædicamenta, diuisio vero entis prima per modos, seu analogas differentias est per actum, & potentiam; prima demum diuisio entis per passiones est in vnum, & multa necessarium, & contingens.

48 Alia, ac ferè communis sententia plures vtique ac varias enumerat entium diuisiones, at non omnes agnoscit æquè primas, & immediatas, imò concedit dari vnam omnium primam, ac immediatam, sed quænam sit ista, quot capita, tot sententiæ; Thomistæ aiunt primam entis diuisionem esse in vnum, & multa, ita Soncin. 10. Met. quæst. 1. Zanard. ibidem, vbi præsertim contendunt hanc esse priorem alia diuisione in infinitum, & finitum, Iauell. tamen tract. 1. de Transcend. c. 1. licet & ipse cum alijs Thomistis defendat diuisionem entis in vnum, & multa esse priorem diuisione in finitum, & infinitum, adhuc tamen alias diuisiones hac ipsa priores constituit, & absolutè vult ens reale prima sui diuisione diuidi in ens per se, & ens per accidens, deinde in absolutum, & respectiuum, deinceps in vnum, & multa, rursus in quinque transcendentia, ac denique in finitum, & infinitum. Scotistæ è contra docent primam entis diuisionem esse in quantum, & non quantum, nec solum contendunt esse priorem diuisione entis in vnum, & multa, quam Thomistæ volebant esse primam, sed etiam præcedere diuisionem illam vniuersalissimam entis in finitum, & infinitum, imò volunt hanc esse subdiuisionem illius, quia finitum, & infinitum non diuiduntur nisi ens quantum, quod colligunt ex Doctore quol. 5. in fine, ita Trombet. quæst. 1. Metaph. Magister formal. art. 1. prin. & alij Formalistæ ibid. Sed quia Doctor loc. cit. licet dicat diuisionem entis in quantum, & non quantum esse priorem diuisione in finitum, & infinitum, tamen non exprimit hanc esse absolutè omnium primam, ideo Scotistæ quoque inter se dissentiunt, Vallon. tract. Formal. art. 1. princ. ait quod loquendo de diuisione entis realis in se primò diuiditur in Deum, & creaturam, quam in quantum, & non quantum, aut per finitum, & infinitum, ac respectu nostri, & intellectus confusè concipientis ens prima diuisione diuiditur per finitum, & infinitum, aut per quantum, & non quantum, priusquam per Deum, & creaturam.

Aretí-

49 S. Thomas tract. formal. art. 1. inquit, quod si sermo fiat de diuisione simpliciter prima, & immediata, reali, & Metaphysica, prima entis realis diuisio simpliciter considerati in sua maxima communitate est per quidditatem, & modum, siue per quid, & quale, ad eam namque reducuntur omnes aliæ diuisiones entis, & ab eisdem præsupponitur, cum ipsa sit immediatè contenta sub diuisio, per quam saluatur distinctio quidditatiua omnium entium, & eorundem distinctio modalis, & hoc ait esse Doctoris placitum 4. Metaph. quæst. 1. vbi docet quid, & quale esse immediatas partes entis, itaquod ens non dedecendit prius in partes alias, quam in istas; subdit deinde quod si sermo fiat de diuisione entis facta per quidditates, prima diuisio entis est in Deum, & creaturam; & denique concludit, quod prima diuisio entis per modos est per quantum, & non quantum. Meurisse lib. 1. suæ Metaph. quæst. 5. ait ens prima omnium diuisione in Deum, & creaturas debere diuidi, quia hæc est vniuersalissima, & datur per extrema maximè distantia; deinde sequi potest diuisio in finitum, & infinitum, nedum, & contingens, quia hæ quoque diuisiones dantur per extrema maximè distantia, sequuntur deinceps aliæ diuisiones; quæ sunt æquè vniuersales, ac prædictæ, extrema tamen sunt minus distantia, cuius rationis est illa, qua ens diuiditur in absolutum, & respectiuum, hæc enim est vniuersalis, sicut prædictæ, cum exhauriat totum entis ambitum non minus quam illæ, eius tamen extrema sunt minus distantia, cum etiam entium creatorum alia sint absoluta, alia respectiua, vnde hæc membra non infinitè distant; tertium denique ac vltimum locum obtinent diuisiones illæ, quibus ens subdiuiditur, vt cum ens diuiditur in finitum, & infinitum, in substantiam, & accidens. Bargius 1. d. 36. ait quod prima entis diuisio absolutè loquendo est per ens possibile, & ens impossibile, quæ habetur 5. Met. 17. secunda est entis per positiuum, & negatiuum, quæ habetur 9. Met. 21. tertia est in ens per se, & ens per accidens, quæ habetur 5. Met. 13. & quarta est per ens in anima, & extra animam, quam inquit non esse diuisionem illam, qua ens diuiditur in ens reale, & ens rationis; varietatem hanc opinionum inter Scotistas sigillatim referre placuit circa primam entis diuisionem, quia referuntur passim ab Auctoribus, ac si omnes vnanimiter tenerent eam esse diuisionem entis in quantum, & non quantum.

Alij, & est satis frequens opinio, asserunt primam entis diuisionem esse per quam diuiditur in finitum, & infinitum, quam præcipuè defendit Suarez disp. 4. Met. sect. 8. & rursus disput. 28. sect. 2. Bonetus lib. 9. suæ Metaph. cap. 1. docet primam entis diuisionem esse in limitatum, & illimitatum, vbi exprimit se non intelligere per limitatum, & illimitatum finitatem, & infinitatem, sed ait se insinuare velle duas differentias per se diuisiuas entis, quarum vna cum ente constituat quidditatem primæ Intelligentiæ, scilicet illimitatio, alia verò scilicet limitatio constituat cum ente creaturam, quæ distribuitur in decem prædicamenta. Algazel 1. suæ Metaph. voluit primam entis diuisionem esse in substantiam, & accidens; Albertus 1. Metaph. dixit ens primò diuidi in ens à seipso, & ens ab alio. Acerbus lib. 1. qq. perip. q. 1. inquit principes entis diuisiones esse in actum, & potentiam, substantiam, & accidens, & alij aliter sentiunt.

50 Tertia tandem, ac vltima sententia, vt omnes deuitet difficultates; vnicam tantum ponit diuisionem entis, quæ sit prima, & immediatè se habeat respectu ipsius, & hanc sentiunt quamplures esse illam, qua dicunt ens reale immediatè distribui in decem prædicamenta, idque asserunt, vt saluent illa decem esse summa, & suprema genera, si enim posset prius ens diuidi in gradus superiores, & magis immediatos, vt v. g. in ens finitum, & infinitum, substantiam, & accidens, absolutum, & respectiuum, tunc vtique illa decem non essent suprema genera, quia supra se gradus superiores haberent, quos nil vetat habere rationem generis, nam si v. g. ens finitum ad decem genera subdiuiditur, nil prohibet quin diuidatur vt genus generalissimum in inferiora genera, sic Gandauens, sensisse videtur 5. Metaph. quæst. 13. Pasqualig. quoque eandem tuetur sententiam vnam scilicet tantum esse entis diuisionem, sed hanc ait esse in substantiam, & accidens, cuius præcipuum fundamentum est, quia cum nulla ex diuisionibus, quæ de ente circumferri solent, si vera, ac propria diuisio præter illam, qua ens diuiditur in substantiam, & accidens, vt ipse opinatur, consequenter concludit hanc esse diuisionem omnium primam; ita discurrit præcit. Auctor tom. 1. Metaph. disp. 32. sect. 3. & 4. & disp. 31. sect. 2. n. 12. Hurtad. autem disp. 10. Met. sect. 1. licet plures agnoscat entis diuisiones, primam tamen ac immediatam inquit & ipse esse istam, scilicet in substantiam, & accidens.

ARTICVLVS I.

Resolutio quæsiti.

51 PRo resolutione quæsiti aduertendum est hìc esse sermonem de ente reali, & de veris, ac proprijs eius diuisionibus, in quibus nimirum aliquod commune vniuocum, vel saltim analogum diuiditur, quod à membris diuidentibus participatur; ex hac enim animaduersione statim à nostro proposito excluduntur omnes illæ, quæ non sunt veræ, ac propriæ diuisiones entis, quales sunt ex dictis in prima q. diuisio in ens reale, et rationis, in ens per se, et ens per accidens, in vnum, et multa, in positiuum, et negatiuum, in possibile, et impossibile, hæ namque et consimiles sunt diuisiones æquiuoci in æquiuocata, quia non datur aliquod commune diuisum, quod in ea membra distribuatur, vnde non tam diuisiones censeri debent, quam æquiuocæ vocis interpretationes. Retinendo itaque diuisiones alias magis propriè dictas superius adductas, et declaratas, modo vestigandus est ordo inter illas, et quænam illarum sit prima. Vbi rursus aduertendum est vnam diuisionem posse dici alia priorem dupliciter, vel secundum dignitatem, vel secundum naturam; primo modo illa dicitur prior, cuius membra diuidentia sunt alijs nobiliora, illa verò est prior secundum naturam, cuius membra diuidentia natura præcedunt alia, & hæc est prioritas, quæ in proposito inter membra ens diuidentia propriè exquiritur. Porrò ex triplici capite solent Auctores hanc prioritatem diuisionum entis auspicari, primò quidem ex vniuersalitate maiori, vt nimirum illa diuisio dicatur prior altera, quæ est vniuersalior, & superior, eamque sub se continet, quo sensu diuisio entis in quantum, & non quantum dicitur prior diuisione in finitum, & infinitum, quia hæc est subdiuisio illius, quia solum ens quantum diuiditur in finitum, & infinitum; secundo spectari potest hæc prioritas diuisionum entis ex maiori distantia extremorum diuidentium, quia non semper illa est vniuersalior, cuius extrema sunt magis distantia, nam contingere potest vt extrema vnius diuisionis minus distent extremis alterius, & adhuc sint æquè vniuersales, vt constat de diuisionibus, quibus ens diuiditur in absolutum, & respectiuum, ac in Deum, & creaturam, extrema namque illius diuisionis minus distant extremis istius, quia extrema istius nempe Deus, & creatura infinitè distant, non autem absolutum, & respectiuum, cum ambo intra sphæram entium quoque creatorum reperiantur, quorum alia sunt absoluta, alia respectiua; vnde vbi ex primo capite ambæ diuisiones istæ essent æquè primæ, cum vtraque totum ens exhauriat, nec vna sub alia contineatur, tamen ex hoc secundo capite diuisio entis in Deum, & creaturam dicitur prior diuisione entis in absolutum, & respectiuum. Denique spectari potest prioritas diuisionum entis ex maiori, vel minori intimitate, vel propinquitate rationum diuidentium cum communi diuiso, nam quæ prius communi diuiso adueniunt, prius quoque natura illud diuidunt, & hac via vtebatur Tromb. 1. Met. quæst. 1. ad vestigandam primam entis diuisionem.

52 Et quidem tres istæ viæ satis aptæ sunt ad inueniendam prioritatem alicuius diuisionis respectu communis diuisi, prima quidem ex vniuersalitate petita, quia magis vniuersalia natura præcedunt minus vniuersalia, & sic diuisio facta per differentias communiores iure præcedere debet eam, quæ fit per minus communes; secunda quoque petita ex maiori distantia, seu diuersitate extremorum diuidentium valde idonea est, quia quæ magis distant magis contraria videntur, cum ergo lex bonæ diuisionis sit, vt per membra contraria tradatur, sequitur quod quæ datur per membra magis distantia censenda sit omnium prima secundum naturam; tum quia quæ magis distant minorem inter se conuenientiam habere videntur, distantia namque oritur ex diuersitate, atque ideò pauciores rationes habent supra se, in quibus conueniant, quam quæ minus distant; ergo seruato naturæ ordine prius diuidunt communem rationem, cui adueniunt, quam membra minus distantia, quia non diuidunt medijs alijs rationibus quas supra se habeant, sicut diuidunt membra minus distantia. Demum tertia quoque via, qua solent vti Scotistæ, valde est accommoda ad inueniendam prioritatem diuisionum entis, quia cum aliquod commune diuidi possit tanquam per rationes diuidentes per differentias, per modos intrinsecos, & per passiones eius, sicut ex natura rei differentiæ quidditatiuæ præcedunt in re modos intrinsecos, & modi intrinseci passiones, ita pariter diuisiones factæ per essentiales differentias præcedunt eas, quæ per modos fiunt, & factæ per modos priores sunt ijs, quæ fiunt per passiones. Quod si in serie plurium diuisionum alicuius communis naturæ, vel conceptus vna diuisio inueniretur, quę ex præfatis tribus simul capitibus, vel saltim ex duobus cœteras præcederet, quod non est impossibile, vt postea patebit, nempe quia vniuersalior esset, & facta per extrema magis distantia, quæ proprias, & essentiales differentias importent, non autem passiones, & modos, planè hæc censeri debet omnium prima, & immediata; his prænotatis.

53 Dicendum primò, non dari vnicam tantum entis realis diuisionem, sed plures, quæ sunt veræ, ac propriæ diuisiones. Conclusio est communis contra tertiam sententiam, & quidem quod dentur plures tales diuisiones satis constat ex præcedentibus quæstionibus præsertim prima, vbi plures entis diuisiones veras, & proprias assignauimus in finitum, & infinitum, Deum, & creaturam, absolutum, & respectiuum, simplex, & compositum, substantiam, & accidens, &c. hæ inquam, & consimiles sunt veræ, & propriæ diuisiones, quia in his omnibus diuiditur aliquod commune vniuocum, quod à membris diuidentibus quidditatiuè participatur, vt ibi ostensum est; & rationes, quibus Pasqualig. quasdam labefactare tentauit ibidem diluimus, & alias quoque postea dissoluemus.

Probatur vlterius, quia assignari nequit, quænam sit hæc vnica, & immediata entis diuisio, si enim dicatur eam esse, qua ens reale immediatè diuiditur in decem genera, hoc statim refellitur ex dictis disp. 6. log. q. 1. vbi ex instituto probatum est ens reale posse, ac debere diuidi in gradus immediatiores, ac superiores decem generibus, idque varijs modis contingere posse, potest namque diuidi in infinitum, & finitum, & hoc in absolutum, & respectiuũ, & absolutum deinceps immediatè distribui in substantiam, quantitatem, & qualitatem, respectiuum

uum verò in alia septem genera ; vel si magis libet potest ens finitum immediatè diuidi in substantiam , & accidens hoc verò in alia nouem genera vel immediatè distribui , vel mediante absoluto , & respectiuo , quia accidentium aliud est absolutum; aliud respectiuum, vt fusè ostensum est loc. cit. non ergo opus est immediatè , & proximè ens eale in decem genera diuidere, sed benè diuidi potest in gradus superiores , & magis immediatos, qui etiam habeant rationem generis , vnde disp.2.de natura entis q.6.art.statutum est ens finitum esse genus ad decem prædicamenta . Neq.ex hoc vllum sequitur absurdum, quia decem illa genera poni non debent simpliciter , & absolutè suprema, sed secundum quid tantum , & in aliquo certo ordine , ac rerum coordinatione , vt ibi dictum est . Conf. quia si verum est Deum in serie prædicamentali non concludi , quemadmodum in Logica demonstratum est ex Doctore 1.d.8.q.3. præfata diuisio entis in decem genera, nedum prima non erit , nec immediata , & vnica , sed nec etiam adæquata , & sufficiens , quia ens infinitum , & increatum ab ea subterfugeret.

Præterea probatur hanc vnicam , & primam , ac adæquatam entis diuisionem esse non posse illam , quam ponebat Pasqualig.in substantiam, & accidens , quia in primis fundamentum , vnde motus est hic Auctor ad id asserendum,est quia nullum agnoscit entis realis conceptum Deo , & creaturæ communem nedum vniuocè , sed nec etiam analogicè , sed solum talem agnoscit communem ad substantiam, & accidens , vnde postea concludit hanc solam esse veram, ac propriam eius diuisionem . Sed hoc fundamentum est labile prorsus , ac ruinosum , vt satis constat ex dictis disp.2. de natura entis q.2.vbi solidè demonstrata est vniuocatio entis nedum ad substantiam,& accidens,sed etiam ad Deum, & creaturam, ergo hæc non est vnica, & prima entis diuisio . Deinde, cum asserit Pasqualig. ens reale præcisè, ac adæquatè diuidi in substantiam,& accidens , loquitur de ente finito, quia solum ens finitum, seu creaturam inquit participare verè,ac propriè rationem entis realis, & negat Deum esse ens,ait enim esse aliquid supereminentius ente , ita discurrit disp.29.to.1.sect.6.ergo hæc diuisio nedum vnica non erit , sed nec etiam adæquata,quia ens increatum non complectitur , quod tamen non subterfugit rationem entis realis , vt inquit Pasqualig.per hoc enim , quod Deus à SS. Patribus dicatur superens, & supersubstantia , sanè excludere noluerunt à Deo rationem veri entis,& substantiæ,sed solum innuere nobiliori , ac excellentiori modo rationem entis in Deo reperiri , quam in creatura , vt explicui disp.2.q.2.n.38.Demum neq.hunc diuisionem esse simpliciter , & absolutè primam postea ostendam .

54 Dicendum 2.dari non posse plures entis diuisiones æquè primas ac immediatas simpliciter, & absolutè ; sed tantum secundum quid ex aliquo nimirum capite ex tribus assignatis n.51.ac proinde vnam tantum esse primam , ac immediatam entis diuisionem simpliciter, & absolutè loquendo . Conclusio est contra primam sententiam , quatenus simpliciter , & absolutè absque vlla limitatione admittit plures entis diuisiones æquè primas,ac immediatas, probatur , & declaratur dictum est enim n.51.ex tribus capitibus primitatem alicuius diuisionis spectari posse , nimirum ex maiori vniuersalitate ex maiori distantia extremorum diuidentium , ac denique ex maiori intimitate , seu proximitate rationum diuidentium cum communi diuiso , sed impossibile est pluribus diuisionibus, consimilibus, quæ scilicet habeant omnes , & singulas conditiones allatas , ens contrahi , vel diuidi , ergo &c. probatur minor conferendo inuicem omnes , & singulas entis diuisiones , quæ solent circumferri , nam facta tali collatione statim apparet nullam vna excepta omnes illas conditiones habere simul, & semel, nam si vnam habet , caret alia , vt si conferas simul diuisionem entis in Deum , & creaturam , & in absolutum , & respectiuum, planè vna non est vniuersalior alia , vtraq. enim est adæquata enti,& ambit totam eius latitudinem , nec vna est subdiuisio alterius , vnde ex hoc capite vtiq. dici possunt æquè primæ, ac immediatæ , at deficiunt aliæ duæ conditiones , quia extrema secundæ diuisionis minus abinuicem distant extremis primæ diuisionis, nam tota diuersitas inter absolutum,& relatiuum in creaturis saluatur absq.distantia infinita,quę tamen reperitur inter Deum, & creaturam ; deficit etiam tertia , quia prima diuisio datur per intimiora , vel proximiora communi diuiso nimirum per ipsas quidditates immediatè sub ipso contentas , vt sunt Deus, & creatura. Rursus si conferas simul diuisionem entis in Deum, & creaturam cum ea qua diuiditur in infinitum,& finitum intelligendo per finitatem , & infinitatem modos intrinsecos entis contractiuos , & constitutiuos,Dei , & creaturæ in suo gradu perfectionis entitatiuæ , quamuis sint æquè vniuersales , & extrema vtriusq. eodem modo distent , scilicet infinitè , adhuc tamen deficit tertia conditio cum prima diuisio per intimiora datur , quia pro membris eius diuidentibus designantur ipsæ rerum quidditates , at altera procedit per modos intrinsecos,quod quidem discurrēdo per alias diuisiones quisq. poterit experiri , non ergo dari possunt plures entis diuisiones æquè primæ , ac immediatè simpliciter , & absolutè , sed semper ex aliquo capite vna præcedit aliam, & vna solum inter omnes dici poterit simpliciter , & absolutè prima , illa nimirum quæ omnibus illis erit prędita conditionibus , vel saltim pluribus in comparatione ad cœteras diuisiones .

Dices nonnullas entis diuisiones videri æquè primas , & immediatas ex omni capite, cum diuiditur in Deum , et creaturam, infinitum, et finitum, incausatum , et causatum, independens, et dependens à se, et ab alio , per essentiam , et participationem, etc. nam in his diuisionibus est vnum , et idem , et membra diuidentia eadem ; Deus enim ens infinitum,incausatum, et independens idem significant , item creatura ens finitum , causatum , et dependens, ergo diuisiones istæ, atq.consimiles sunt æquè primæ , ac immediatæ , cum omnino coincidant, vt diximus ab initio quęstionis. Resp.in primis falsum esse has diuisiones omnino coincidere , quia rationes diuidentes non sunt in omnibus eędem,quamuis enim Deus idem importet , quod ens infinitum materialiter, et quod est infinitum sit quoq. independens , et è contra, et creatura idem importet , quod ens finitum , ac dependens, tamen forma diuisio assignatur per ipsas quidditates immediatas , et puras praeciso quocunq. modo,aliæ verò assignantur per modos intrinsecos,non etiam sunt diuersæ rationis , quia alter est alterius ratio , potest per alium demonstrari de ipsa quidditate , vt finitas per dependentiam, et infinitas per independentiam , vt notatum est supra nu.7.solum ergo omnino coincidunt, et quoad totum diuisum , quoad membra dividentia,diuisiones illę entis in causatum , et incausatum,dependens, et indepens, à se,et ab alio,per essentiā,et per participationem, et huiusmodi, hi namq. termini eundem plane modum important habendi entitatem in membris diuidentibus,vnde poterunt istæ diuisiones dici æquè primę , et immediatę in suo ordine , quatenus vna nullo modo præcedit aliam,non tamen simpliciter , et absolutè , quia omnes istas præcedit entis diuisio in Deum , et creaturam , quę etiam præcedit ipsam diuisionem entis in finitum , et infinitum, quia, quoque ipsa infinitas , et finitas de Deo , et creatura demonstrari possunt per ipsas rationes Deitatis , et creaturę , sicut, et ipsa dependentia , ac independentia .

55 Dicendum 3.primam inter omnes entis diuisiones, ac immediatiorem esse illam , qua diuiditur in Deum , et creaturam. Conclusio hęc est meliorum Scotistarum, nec est cur alij reclament ex quo.s. primam diuisionem entis esse in quantum , et non quantum, quia id non asserit Doctor ibidem , sed solum hanc diuisionem comparat cum alia diuisione entis in finitum,et infinitum , quam aliqui primam ponebant , & inquit hanc non esse primam entis diuisionem , quia prius diuidi debet in quantum, & non quantum,non ergo absolutè dicit diuisionem entis in quantum , & non quantum esse primam , sed solum præcedere illam , qua diuiditur , in finitum , & infinitum ; sic pariter cum asserit Tromb.4.Met.qu.1.cum alijs Scotistis primam diuisionem entis esse inquantum,& non quantum,nec etiam ipsi absolutè loquuntur,sed facta comparatione cum diuisione entis in vnum, & multa, quam prætendebant Thomistæ esse omnino primam. Probatur primò ex doctrina iam tradita , nam inter diuisiones entis illa censeri debet simpliciter , & absolutè prima , quæ habet illas tres conditiones, vel saltim plures in comparatione aliarum,sed diuisio sola entis in Deum & creaturam est huiusmodi comparata ad alias , ergo inter omnes alias debet simpliciter , & absolutè prima, & immediata,maior patet ex dictis,probat minor conferēdo hanc diuisionem cum cæteris,vt enim constat ex conclusione secunda facta tali collatione semper hæc diuisio alijs supereminet in aliqua conditione,namsi conferatur cum diuisione entis in absolutum,& respectiuum,vel in substantiam,& accidens sumendo substantiam transcendenter , quamuis vna non sit vniuersalior alia , quia adæquatè totum ens ambæ exhauriunt , adhuc tamen membra primę diuisionis magis distant membris secundæ,quia Deus, & creatura infinitè distant non autem absolutum,& respectiuum,substantia,vel accidens,quia hæc ambo extrema in creaturis reperiuntur quarum vna est absoluta , & alia relatiua, & idem est de substantia, & accidente,si rursus conferatur cum diuisione entis in finitum, & infinitum,licet vna non sit vniuersalior alia,et membra vtriusq. æquè distent,scilicet infinitè,adhuc tamen prima diuisio data est per intimiora,quam secūda,quia illa assignatur per quidditates ista per modos,ut idem apparet discurrendo per alias diuisiones ; cum ergo hæc diuisio entis in Deum , et creaturam cum cœteris comparata semper prestet in aliqua ex conditionibus supradictis,fatendum est ipsam esse simpliciter,et absolutè primam,et immediatam præ cœteris.

56 Confirmatur,quia quodlibet superius diuidi potest,et ad sua inferiora contrahi tribus modis , vel passiones , vel per modos intrinsecos,vel per ipsas essentiales differentias , aut saltim per ipsas quidditates suppressis modis,vel differentijs , vt cum animal diuiditur in hominem , et brutum sine formali expressione rationalis, et irrationalis, quæ sunt rationes diuidentes animal , et constituentes hominem, et brutum , et sicut ex natura rei differentiæ essentiales præcedunt modos intrinsecos , et modi passiones , ita pariter diuisiones eundem inter se seruant ordinem , vt nimirum quę fit per differentias eam præcedat , quę fit per modos , et facta per modos præcedat factam per passiones . Cum igitur his quoq. tribus modis diuidi possit ens in sua inferiora , nimirum per passiones , vt cum diuiditur in vnum et multa , vel per modos intrinsecos,vt cum diuiditur per quantum, et non quantum , per finitum , et infinitum , vel per differentias, aut ipsasmet quidditates, vt cum diuiditur in Deum, & creaturam, planè fatendum est diuisionem factam per quidditates omnes alias præcedere . Conf. vlterius, quia ex Scot.1. d.19.q.1. ex 10.Met.ens quodlibet est quid , quantum , et quale , et prius est quid , quam quantum, priusque quantum , quam quale, quia est quid per suam essentiam, vel differentiam, quantum per modos intrinsecos,pertinentes ad quantitatem virtutis,et quale per passiones ; ergo pariter prior erit diuisio facta per quid , quam facta per quantum, aut quale ; sed diuisio entis in

Deum,

Deum, & creaturam spectat ad quid, cœtera autem ad quantum, vel quale secundum quod fiunt per modos, vel passiones; ergo hæc diuisio est absolutè, & simpliciter omnium prima, ac immediatior.

57 Iuxta hanc doctrinam vestigari debet ordo inter cæteras entis diuisiones, nam quæ præstabit alteri in aliqua ex dictis conditionibus erit prior illa, ac immediatior, vnde hac ratione diuisio entis in quantum, & non quantum prior erit diuisione entis in finitum, & infinitum, quia illa est vniuersalior ista, cum hæc sit eius subdiuisio; ens enim quantum est illud, quod diuiditur in finitum, & infinitum, vbi nota quod finitum, & infinitum hic non sumitur pro ipsis extremis diuidentibus, quia sic coincidit omnino hæc diuisio cum ea, qua diuiditur in Deum, & creaturam, sed pro modis intrinsecis entis, quibus ens determinatur, & opposita membra constituuntur. Deinde ens diuidi debet in absolutum, & respectiuum quia licet hæc diuisio sit vniuersalis, & adequata enti, non secus, ac diuisio in finitum, & infinitum, tamen quia membra diuisionis istius minus distant, cum vtrumq; membrum enti, creato, vel increato conuenire possit, ideò præcedere debet diuisio entis in finitum, & infinitum. Idemq; iudicium de diuisione entis in substantiam, & accidens fieri debet, si nimirum substantia transcendenter sumatur, quia adhuc sic sumpta minus ab accidente distat, quam ens finitum ab infinito, nam tota diuersitas accidentis, & substantiæ etiam sic sumptæ in creaturis saluatur absque infinita distantia, atq; ideò eam præcedere debet diuisio entis in finitum, & infinitum, vt potè data per membra magis diuersa, atque distantia; dixi si substantia transcendenter sumatur, vt est communis Deo, & creaturis, quia si prædicamentaliter sumatur, tunc cum accidente non diuidit ens, vt sic, sed ens finitum præcisè, & hoc pacto re vera sumitur, cum ens in substantiam, & accidens diuidi solet, vt dictum est q. 1. huius disp. n. 22. in huius diuisionis explicatione, vnde nullo modo hæc esse potest prima, & immediata entis diuisio, vt nonnulli sunt opinati, quocunq; modo sumatur.

58 Dico diuisionem entis in finitum, & infinitum hac ratione præcedere debere quoq; ipsam diuisionem entis in quantum, & non quantum, cum enim etiam in creatis reperiantur entia non quanta ex dictis q. 2. certè minus distabunt ens quantum, & non quantum, quam ens finitum, & infinitum, & ideò ob maiorem distantiam extremorũ diuidentium prior erit diuisio entis in finitum, & infinitum. Resp. negando paritatem, ratio namq; benè probat de absoluto, & respectiuo, substantia, & accidente, quod diuidunt ens posterius, quam finitum, & infinitum, quia hæc magis distant, non tamen militat de finito, & infinito comparatione quanti, & non quanti, nam licet magis distent finitum, & infinitum, quam quantum, & non quantum, quia tamen vtrumq; tam, scilicet finitum, quam infinitum, sub ente quanto continentur, ideo ens prius diuidi debet in ens quantum, & non quantũ, quam in finitum, & infinitum, quia hęc est diuisio alicuius membri peculiaris in altera diuisione contenti, quam quidem subordinationem diuisiones entis in absolutum, & respectiuum, substantiam, & accidens non habent ad diuisionem in finitum, & infinitum, sed sunt prorsus vniuersales, & eiusdem amplitudinis, vt illa; vnde sicut quando duæ diuisiones sunt æquè vniuersales, sed membra, vel extrema vnius magis distant extremis alterius, hæc censetur esse prior, quia tanta æqualitate vniuersalitatis, superat aliam in maiori distantia extremorum, ita quando duæ diuisiones ita se habent adinuicem, vt una præstet alteri in vniuersalitate, alia verò in extremorum distantia, quæ est vniuersalior præcedit eam, quæ habet extrema magis distantia, quia prima conditio, scilicet vniuersalitas maioris virtutis est, quam secunda ad prioritatem naturæ inter illas inferendam. Posset etiam hic ordo diuisionum entis in quantum, & non quantum, finitum, & infinitum, absolutum, & respectiuum, substantiam, & accidens confirmari ex tertia via, scilicet ex maiori, vel minori intimitate modorum diuidentium, vestigando an prius enti conueniat esse limitatum, vel illimitatum, ad se, vel ad aliud, in se, & per se, vel in alio, quæ enim seruant ordinem prioritatis inter se inuicem hic modi intrinseci, hunc quoque seruabunt diuisiones in ipsis fundatæ.

59 Quamuis autem præfata diuisio entis in finitum, & infinitum multas præcedat, quæ fiunt per modos, vt declaratum est, non tamen omnes, nam vt dictum est supra n. 7. potest finitas, vel infinitas demonstrari per dependentiam, vel independentiam, quare sicut prius enti conuenit esse à se, vel ab alio, seu independenter, vel dependenter, sic diuisio entis in independens, & dependens, à se vel ab alio diuisionem ipsam in finitum, & infinitum præcedere debet; vnde valde hallucinatur Meurisius loc. cit. concl. 1. in fine, dum ait diuisionem entis in independens, & dependens, à se vel ab alio, & similes esse vltimas, & nouissimas, quia inquit has esse nouissimas rationes per quas Deus, & creatura possunt ens diuidere, hoc, inquam, falsum est, quia si istæ sunt nouissimæ rationes, non posset per eas de Deo, & creatura infinitas, & finitas demonstrari. Deinde sicut necessitas de Deo demonstratur per independentiam, & esse à se, & contingentia de creatura per dependentiam, & esse ab alio, sic etiam diuisio entis in necessarium, & contingens dependet ab illa in ens à se, & ab alio, independens, & dependens vt dictum est supra nu. 8. Deniq; sicut simplicitas de Deo demonstratur per rationem infinitatis, & necessitatis, & compositio vel componibilitas de creatura ratione finitatis, & contingentiæ, sic quoque fatendum est diuisionem entis in simplex, & compositum esse posteriorem diuisionibus entis in finitum, & infinitum, contingens, & necessarium, vt dictum est n. 10. Vnde neq; ex prima via, neq; ex secunda deprehendi potest ordo inter istas entis diuisiones nempe dependens, & independens, finitum, & infinitum, contingens, & necessarium, simplex, & compositum, nam omnes, & singulæ sunt æquè vniuersales, & adæquatæ enti, item singularum extrema æquè distant, quia nullius diuisionis vtrumque extremum potest in creatura simul reperiri; quare solum ex tertia via vestigari potest, scilicet ex maiori, vel intimitate, ac propinquitate rationum diuidentium ad commune diuisum.

60 Præterea nedum diuisionem entis in Deum, & creaturam, sed etiam in finitum, & infinitum præcedere diuisionem entis in vnum, & multa, probatur primò ex generali ratione superius tacta ab initio articuli n. 51. quod hic est sermo de veris, & proprijs diuisionibus entis, hoc autem non est talis, sed impropria, & similitudinaria, vt dixi q. 1. n. 18. Deinde probatur alia generali ratione, quia admisso quod sit bona diuisio, & quod vnum, & multa sint veræ passiones entis, adhuc fatendum est diuisionem in finitum, & infinitum esse priorem, quia hæc est diuisio facta per modos intrinsecos, diuisio autem quæ fit per modos præcedit à toto genere diuisionem factam per passiones. Tandem probatur etiam ex illis tribus vijs agnoscendi prioritatem vnius diuisionis ad aliam, quamuis, enim concederetur neutram esse priorem alia ratione vniuersalitatis, quia vtraq; exhaurit totam latitudinem entis, nullum enim ens reperiri potest, quod non sit finitum, vel infinitum formaliter, vel saltim identicè, & pariter quod non sit vnũ, & multa, tamen extrema diuisionis in vnum, & multa minus distãt, quam finitum, & infinitum, nam sub vno membro eius continentur Deus, & creaturæ, quæ simpliciter, & in rigore sunt vnum per se, sub altera verò aliæ tantum creaturæ, quæ non ita in rigore sunt vnum, magis autem inter se distant ens finitum, & infinitum, quam quælibet ratio entis creati ab alia ratione etiam creata; ergo ex secunda via diuisio in finitum, & infinitum præcedit diuisionem in vnum, et multa, sed etiam id ostenditur præsertim ex tertia via ex intimitate nimirum rationum diuidentium, quia finitas, et infinitas important modos intrinsecos entis, vnitas autem, ac multitudo passiones, sed modi intrinseci sunt intimiores passionibus, ergo etc. Hanc rationem ex intimitate rationum diuidentium deductam latè prosequitur Tromb. 1. Met. q. 1. et approbat Suarez disp. 4. Met. sect. 8. sed quod in eius discursu mihi displicet est, quod quantitatem virtutis ait competere rei in esse quidditatiuo. et essentiali, ita enim arguit ibid. initio ar. 2. quod competit rei in esse quidditatiuo est intimius eo, quod non cõpetit in tali esse, sed ita est quod quantitas virtutis cõpetit quidditati, et naturæ in esse quidditatiuo vnitas autem et multitudo non, quia sunt solũ passiones eius; ergo quantitas virtutis est intimior etc. hęc, inquam, doctrina non placet, quia hęc quantitas virtutis est differentia entis, sed gradus, et modus eius intrinsecus vt et ipse fatetur ibid. modus autẽ intrinsecus licet aliquo pacto dici possit spectare ad primum dicẽdi modũ, quatenus est intimior passione, vt explicui p. 2. Instit. n. 15. tamen nõ constituit rem in esse quidditatiuo, neq; ad tale esse pertinet, licet immediatè consequatur illud, vt dictum est supra disp. 2. n. 72. Et certè ad concludendum contra Thomistas diuisionẽ entis in vnum, et multa non esse priorem diuisione entis in quantum, et non quantum, vel in finitum, et infinitũ, opus non erat tantam inuehere intimitatem modi intrinseci, sed sat erat ostendere, quod quãtitas virtutis, seu gradus perfectionis entitatiuæ competit cuicunq; rei in suo ordine prius, quam vnitas, et multitudo, quod quidem optimè demonstratur per discursum ibi factum à Tromb. ad quem remitto lectorem.

61 Denique quod prima omnino entis diuisio non sit in quidditatem, et modum, vt aiebat Aret. supracit. nu. 49. exinde probatur, quia hic sermo est de veris, ac proprijs diuisionibus entis realis, in quibus tanquam commune vniuocum per rationes diuidentes ab inferioribus participatur, et in eis essentialiter includitur, at licet quidditas rei entis rationem essentialiter includat, non tamen modus, qui est tantum ens identicè, et realiter, vt sæpius dictum est cum Doctore; ergo talis diuisio nedum non est prima, sed nec etiam inter veras, ac proprias entis diuisiones recensenda. At respondet, quod cum ens sic primò diuiditur, sumi non debet pro eo quod est præcisè ens formaliter, et quidditatiuè, in hoc enim sensu ipse quoq; concedit concl. secunda ens primò diuidi in Deum, et creaturam, sed sumi debere latius pro omni illo positiuo, quod est extra nihil, et in suo esse ab opere intellectus non dependet, sic enim ens reale, nedum à Deo, et creatura præscindit, verum etiam à quidditate, et modo in quibus saluatur, quo pacto sumptum opponitur enti rationis, et primò diuiditur in quidditatem, et modum. Sed distinctionem hanc, et duplicem entis acceptionem Scotistis valde familiarem reieci supra n. 40. quia ens reale vt est commune Deo, et creaturis definitur esse illud, quod habet esse, vel saltim habere potest extrà nihil, & citrà omne opus intellectus, vnde quod est ita ens, eo ipso est formaliter, ac quidditatiuè ens, ideoq; vna acceptio cum alia coincidit; & falsum est hanc duplicem entis acceptionem sumi ex Doctore quol. 3. ab initio, vt inquit Aret. nam Doctor ibi triplicem assignat entis, & rei acceptionem, communissimam, communiter, & strictissimam, sub primo membro ait contineri ens rationis, & ens quodcunq; reale ab ente rationis conditinctum, sub secundo ens reale, & absolutum, sub tertio ens reale, absolutum, & per se, vt est substantia; & quamuis dicat Scotus rem & ens in prima acceptione sumi, vt est commune ad rem, & modum, & in secunda vt res distinguitur contra modum, planè Doctor non loquebatur de modo intrinseco, vt opi-

opinatur Aret. sed extrinseco rei, vt palam ibi se declarat, nam in prima acceptione ait rem, & ens dici indifferenter de omnibus decem generibus, & in secunda tria tantum prima genera absoluta rem dici alia verò rei circumstantias, & modos, non de modis intrinsecis, sed extrinsecis loquitur, quæ vtique sunt entia quidditatiuè, & formaliter.

62 Deinde admissa etiam prima entis acceptione, vt legitima, adhuc faltum est ens illo modo sumptum esse quid reale præcisum nedum à Deo, & creatura, verumetiam à quidditate, & modo, in quibus saluatur, talem enim præcisionem esse omnino fictitiam superius ostendi disp.2.qu.7.art.1.nu.182. tum quia si daretur talis communitas entis cum præcisione ad quidditatem, & modum, tunc ista non haberent conceptum simpliciter simplicem, sed adhuc resolui possent in vlteriores conceptus, nempe in illum entis vtrique communis, & in determinatiuos illius, cuius oppositum asserit ibi hic Auctor. Tandem inconsultò prorsus pro hoc suo asserto adducit Doctorem 4. Met.q.1.ab initio, cum enim inquit ibi *ens est statim quid, & quale &c. quia sunt immediatæ partes entis, ita quod non descendit ens in alias partes priusquam in istas*, hoc ibi refert vt Arist. dictum 4. Met. 4. & lib.8.16. & per quid & quale non intelligit quidditatem, & modum, sed substantiam, qualitatem, & quantitatem, & cœtera prædicamenta, vt patet euidenter ex ipso contextu, vnde solet hæc auctoritas adduci in fauorem opinionis immediatè ens diuidentis in decem prædicamenta, cuius intelligentiam dedi disput. 2. de natura entis num.28. & 174.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

63 IN contrarium primò contra primam conclusionem instat Pasqualig.tom.1.Met.disp.32.sect. 3. probans ens vnica tantum diuisione diuidi posse, quæ sit prima, & immediata; non potest ens diuidi pluribus diuisionibus quæ sint æquè primæ, & immediatæ, nisi plures rationes diuidentes cadant supra rationem entis essentialem contradistinctam à passionibus, sed hoc est impossibile, quia si rationes diuisiuæ plures, quam duæ, caderent supra rationem entis vel immediatè ipsam afficerent, vel vna mediante alia; si primum habetur intentum, quia tunc non erunt plures diuisiones, sed vnica tantum facta per plura membra diuidentia, quia tunc ens adæquaretur per omnia illa membra diuidentia, & non per aliqua tantum; si secundum adhuc etiam habetur intentum, quia tunc vnica tantum esset diuisio prima, & immediata, cœtera verò immediatæ, cum vna ratio diuidens afficeret ens mediante alia, vnde etiam hæ rationes seruarent inter se ordinem prioris, & posterioris. Tum 2. facta semel vna entis diuisione prima, et immediata, vel remanet vlterius diuisibile alia consimili diuisione, scilicet prima, et immediata vel non; si secundum habetur intentum, primum dici non potest, quia per illam primam diuisionem iam ens est adæquatè diuisum, itaut illa membra diuidentia adæquatè expleant latitudinem ipsius, quia est primò contrahibile ad inferiora, vnde non remanet ei aliqua alia capacitas, aut latitudo diuisibilis, qua æquè primò per alia membra diuidatur. Tum 3.omnis diuisio debet esse per membra opposita, et consequenter extremè distantia, vel saltim ad talia membra reduci debet; facta ergo aliqua entis diuisione quæritur, an adhuc diuidi possit ens per membra magis distantia, atque diuersa, vel non; si secundum ergo hæc ipsa erunt extrema maximè distantia, quæ adæquant totam eius latitudinem, si primum, procedam vlterius in infinitum, vel saltim quousque deueniatur ad extrema maximè opposita, distantia. Tum 4. primæ rationes contrahentes ens proportionem habere debent cum eius ratione contrahibili, nimirum quod sicut ipsum importat inchoationem primam cuiusq. realitatis, ita illæ rationes omnes, et singulæ incipiant primò determinare ens; ergo immediatè solum coniungi poterit cum illis gradibus essendi, qui sunt primæ determinationes ipsius, vnde cum omnes illæ rationes quæ diuidunt ens immediatè sint in vno certo genere; scilicet intra genus rationum, quæ sunt primæ determinationes entis, sequitur tantum vnicam esse primam, et immediatam entis diuisionem. Tum tandem quæ diuidunt aliquam rationem communem non possunt deinceps assumi ad diuidendum aliquod inferius; ergo non benè diuiditur primo, et immediatè ens per absolutum, et respectiuum; spirituale et corporeum, quia hæc quoque diuidunt accidens, quod est inferius ad ens, probatur assumptum, quia tunc eadem ratio faceret differre primò, et simul secundario, seu remotè, et proximè, et eadem ratio afferret enti primam determinationem eius, et etiam posteriorem, quod implicat.

64 Resp.hæc argumenta si quid probant, probare solum quod in secunda conclusione dictum est, scilicet non posse dari plures æquè primas, ac immediatas entis diuisiones simpliciter, et absolutè, non tamen probat, quod nequeant esse plures primæ, et immediatæ secundum quid nimirum ex aliquo capite ex assignatis numer. 51. modo explicato conclusione secunda, vnde opus non esset ad illa respondere, tamen quia prætendit Pasqualig. per ea probare dari. non posse plures primas entis diuisiones simpliciter, et absolutè loquendo, ad singul. figillatim placet respondere; Ad p. neg. min. ad probationem dico, quod in casu plures illę rationes diuisiuę afficerent immediatè rationem entis, et quia contraherent illud secum diuersas rationes, essent plures diuisiones ratione diuersitatis diuidentium, et singulę essent enti diuiso adęquatę, quia per singulas totum ens exhaurietur, vt si ens diuidatur per finitum, et infinitum, absolutum et respectiuum, spirituale, et corporeum, substantiam, et accidens etc. omnes sunt equè primę, et immediatę ratione vniuersalitatis quia vna non est vniuersaliter alia; Deus et creatura, ens finitum, et infinitum sunt equè primę, et immediatę ex duab. conditionibus, scilicet ratione vniuersalitatis, et distantię extremorum, quia extrema infinitè distant vtrobiq. quod non euenit in alijs diuisionibus assignatis, et sic patet quomodo, et in quo sensu dari possunt plures diuisiones entis equè primę, et immediatę ex aliquo tantum capite ex assignatis, non tamen ex omnibus quia extrema vnius diuisionis semper precedunt alia vel in vniuersalitate, vel in distantia, et diuersitate, vel in maiori intimitate, aut propinquitate cum communi diuiso. Ad 2. facta semel vna entis diuisione v.g. per substantiam, et accidens remanet adhuc ens vlterius diuisibile alia consimili diuisione, scilicet prima, et immediata, non tamen per membra eiusdem rationis, nimirum, per finitum, et infinitum, absolutum, et respectiuum etc. quę rursus in suo ordine exhauriunt adęquatè latitudinem entis, nam licet adęquatè exhausta foret per primam diuisionem in vno ordine diuidentium, scilicet per substantiam et accidens, non tamen in alio ordine, vel genere diuidentium. Ad 3. dari possunt plures entis diuisiones per extrema maximè distantia, vt cum diuiditur in Deum, et creaturam, finitum, et infinitum, necessarium, et contingens, simplex, et compositum etc. hę inquam, et consimiles diuisiones dantur per extrema maximè distantia, quia in omnibus, et singulis infinitè distant, nec vtrumque extremum potest reperiri in altero membrorum diuidentium vt contingit de absoluto, et respectiuo, substantia, et accidente, etc. quę reperiuntur in creatura.

65 Ad 4. potest ens primò determinari ad plures gradus essendi, sed diuersę rationis, puta à se vel ab alio, ad se vel ad aliud, in se vel ut alio, et similiter, quęlibet enim combinatio harũ rationum concepti entis primò determinare possunt in suo ordine, vnde quamuis omnes illę rationes sint in vno certo genere, scilicet intra genus rationum quæ sunt primæ determinationes entis, non tamen sunt in eodem ordine, quod sufficit, vt censeantur plures entis diuisiones equè primæ, & immediatę secundum quid modo explicato. Ad vltimam, quæ est cœteris efficacior, verum est assumptum, ac etiam consequentia inde deducta, quod si semel assumantur absolutum, & respectiuum, spirituale, & corporeum, substantia, & accidens ad diuidendum ens, vtic. commune Deo, & creaturæ, deinceps sumi nequeunt rursus ad diuidendum aliquod inferius, vt propriæ eius differentiæ, vnde cum dicitur accidentium aliud esse absolutum, aliud respectiuum, & aliud spirituale, aliud vero corporeum, solum significare volumus hæc omnia ens diuidentia non adeò distare, quin sub eodem membro diuiso, scilicet sub accidente saluari possit eorum diuersitas, non autem quod proprie diuidant aliquid inferius ad ens; quamuis enim de ratione diuidentium sit, vt sint opposita, nec coincidere possint, itaquod ambo intrinsecè concurrant ad idem constituendum, non tamen est de ratione ipsorum quod ita distent, vt amborũ diuersitas adhuc saluari nequeat sub latitudine alterius membri modo prædeclarato in adductis exemplis de absoluto, & respectiuo, spirituali, & corporeo, quæ æquè primò, & adæquatè ens diuidunt periode, ac finitum, & infinitum, & tamen non adeò distant, quin possint saluari in creatura. Quod si opponatio diuidentium ens tantum quoq. distantiam inter ipsa exposcat, vt nequeat eorum diuersitas saluari in Deo, & creatura, tunc dicendum est ens primò, & immediatè solum benè diuidi per Deum, & creaturam, finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, dependens, & independens, simplex, & compositum, & si quæ alia sunt extrema talis distantia, vnde adhuc bene iuxta hunc dicendi modum plures diuisiones entis admitti debent æquè primæ, & immediatæ, quatenus omnes sunt æquè vniuersales, & extrema habent æque distantia. Verum tamen est dari non posse plures diuisiones entis æquè primas, & immediatas ex omnibus tribus conditionibus assignatis, quia dari nequeunt plures rationes diuisiuæ, quam duæ quæ primo attingant, & immediatè, vt differentiæ essentiales rationem communem contrahibilem, vnde hac assignata diuisione per primas intimas differentias, cęteris deinceps deficit tertia conditio primitatis ex intimitate petita, & in hoc sensu benè concludunt rationes Pasqualig. quod nequeunt dari plures diuisiones entis æque primæ, & immediatæ quia solum dari possunt æquè primæ primitate petita ab vniuersalitate, & distantia differentium, non autem ab intimitate.

66 Secundo instat Auersa contra secundam conclusionem probans ens æquè primò, & immediatè diuidi posse per plures diuisiones, nam vno modo immediatè diuiditur ens in substantiam, & accidens, alio modo in Deum, & creaturam, alio modo in absolutum, & respectiuum, in spirituale, & corporeum, & aliæ sunt similes, quæ omnes æquè primò, & immediatè adæquantur ipsi enti, quia omnes exhauriunt totam latitudinem entis, nec vna est subdiuisio alterius. Fundamentum eius est, quia non inconuenit vnum, et idem prædicatum commune poni sic varijs modis proximè, et adæquatè diuidi, quia necesse non est, vt prædicatum commune, etiamsi sumatur genus propriè dictum habeat certas differentias vno tantum certo modo designandas, sed operatur potest per varias differentiarum combinationes contrahi, et determinari ad species, et ita potest varijs modis diuidi, et possunt varijs modis

eius

eius species designari, quod ait probasse in log. qu. 13. sect. 1.

Resp. si intendit hic Auctor admittere plures entis diuisiones æquè primas secundum quid tantum, nimirum ex aliquo capite, non autem ex omnibus; vnde solet attendi primitas, gratis conceditur totum ex dictis in secunda conclusione, & planè nil aliud probant exempla ab ipsa adducta, nam diuisiones entis quas affert sunt æquè primæ solum ratione vniuersalitatis, non autem distantiæ extremorum, nec ratione intimitatis diuidentium, sic enim prior est diuisio entis in Deum, & creaturam, imò si de ratione diuidentium ens, vt volunt aliqui, est talis distantia, & diuersitas extremorum, vt saluari nequeat talis diuersitas in sola creatura, exempla allata ab Auersa non erunt ad rem, nam absolutè negabitur primò, & immediatè diuisi ens in substantiam, & accidens, absolutum, & respectiuum, spirituale, & corporeum, quia hæc extremorum diuersitas saluari potest in sola creatura, vnde ad tuendam secundam conclusionem aptiora erunt exempla diuisionum entis in finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, dependens, & independens, & similes, in quibus extrema infinitè distant. Eius autem fundamentum ex instituto, impugnaui disp. 6. log. q. 4.

67 Tertiò arguitur contra tertiam conclusionem probando diuisionem entis in Deum, & creaturam non esse omnium primam, sed potius diuisionem entis in quantum, & non quantum, tum quia ita docet Scot. quol. 5. in fine, tum quia id suadet manifesta ratio, nam diuisio entis in quantum, & non quantum vtiq; præcedit diuisionem entis in finitum, ac infinitum, ergo etiam diuisionem entis in Deum, & creaturam præcedere debet, cum hæc diuisio prorsus cum ea coincidat, præsertim si finitum, ac infinitum supponant non pro modis entis, sed potius pro entibus ipsis finito, & infinito, hæc consequentia patet, assumptum verò satis patet ex dictis.

Resp. Doctorem l. c. nunquà dixisse diuisionem entis in quantum omnes alias præcedere, sed solù ait precedere diuisionem entis in finitum, & infinitum, quà multi censent esse omnium primam, ne diuinas relationes ab entium serie excludamus. Ad rationem concesso antecedente negatur consequentia, ad probationē dico diuisiones illas entis in Deum, & creaturam, finitum, & infinitum materialiter coincidere, quatenus ens infinitum est Deus, & ens finitum creatura, formaliter tamen non coincidunt, quia diuisio entis per finitum, & infinitum datur per modos, alia verò per quidditates ipsas totales. Vnde fit vt cū diuiditur ens per finitum, & infinitum ex modo loquendi nomine finiti, & infiniti concipi debeat id cui formaliter, & per se competit ratio infinitatis, vel finitatis, cum verò diuiditur in Deum, & creaturam significetur tota quidditas, & ideò nomine Dei possit intelligi quicquid est in diuinis, siue sit formaliter infinitum, vt essentia, & attributa diuina; siue identicè tantum, & realiter, vt relationes originis; non ergo est omnino par ratio vtriusq; diuisionis in rigore loquendo, cum enim sub nomine Dei etiam relationes originis benè comprehendi possint, non item sub nomine infiniti rigorose loquendo, potest diuisio entis in Deum, & creaturam poni omnium prima, non autem diuisio in finitum, & infinitum. Addo tamen quod sumendo infinitum, & finitum largè pro eo nempe, quod quouismodo in finitum, vel finitum est siue ratione sui, siue ratione alterius, quo sensu vulgariter sumi solet, cum ens diuiditur in finitum, & infinitum, vt dixi supra n. 4. in explicatione illius diuisionis, in hoc, inquam, sensu admitti potest esse diuisionem omnium primam, neq; illi præmitti debere diuisionem entis in quantum, & non quantum, quia hanc præmittit Doctor, ne relationes originis in diuinis ab entis latitudine omnino excludantur, non excludūtur autem sic explicando diuisionē entis in finitum, & infinitum, nam sub hoc secundo membro comprehenduntur, quia si non ratione sui, saltim ratione alterius sunt infinitæ, nempe diuinæ essentiæ, cui sunt realiter identificatæ.

68 Quartò arguit Aret. loc. cit. concl. 1. probando diuisionem entis omnium primam esse in quidditatem, & modum, siue per quid, & quale: illa diuidentia prius, & immediatius diuidunt ens reale, quam Deus, & creatura, vel quelibet alia diuidentia, in quæ resolubiles sūt tam conceptus Dei, quam creaturæ, & quilibet alter conceptus contentus sub ente, sed in quidditatem, & modum, seu in quid, & quale resolubiles sunt conceptus Dei, & creaturę, ergo quidditas, & modus, quid, & quale, prius diuidunt ens reale, quam Deus, & creatura, maior patet, probatur minor, omnis conceptus resolubilis prius resolutur in conceptū determinabilē, & determinantē, sed conceptus Dei, & creaturæ sunt resolubiles, quia non simpliciter simplices, ergo &c.

Resp. iam ex dictis n. 61. satis constare diuisionem entis in quidditatem, & modum non esse veram, & propriè dictam; quia ens reale non includitur in modo, de quo loquitur Aret. sed quando etiam foret apta diuisio, ratio illa est prorsus inepta ad probandum intentum, quia membra contrahentia aliquod commune, aut illud diuidentia habent rationem qualis, quatenus se habent vt differentiæ contrahentes, & qualificantes, & solum cōmune diuisum habet rationem determinabilis, quamuis ergo Dei, & creaturæ conceptus resolui possint in conceptum determinantem, & determinabilem, non sequitur in eos resolui, vt in primas rationes diuisiuas entis, quia omnes rationes diuisiuæ, quatenus tales, habent rationem determinantis, & non determinabilis. Tum quia conceptus Dei, & creaturæ resoluuntur in ens, & suum determinatiuum, vt in quid, & quale; vnde si ratio illa valet, concludit ens esse sui ipsius primum diuisiuum; neganda est ergo maior, quia ea, in quæ resoluuntur conceptus Dei, & creaturæ, benè dici possunt rationes constituentes, & componentes illos conceptus resolubiles, non tamen rationes diuisiuæ entis.

69 Quintò arguit Suarez loc. cit. probans diuisionem entis omniū primam esse in infinitum, & finitum, illa est prior diuisio, quæ datur per intimiora, finitas, & infinitas sunt quid intimius rei quocunq; alio entis attributo, siue illud sit vnitas, siue bonitas, siue aliquid aliud, nā important perfectionem rei, quæ est idem, ac ipsum esse rei. Conf. finitas, & infinitas dicitur secundum essentiam, & consequenter diuisio quoq; quæ fit per ipsam, ergo diuisio hæc præcedit cęteras omnes, quæ fit per modos, vel passiones; quia priora sunt quæ pertinent ad essentiam, quam quæ pertinent ad passiones. Demum illa diuisio est prior, quæ datur per membra magis distantia, sed hæc est huiusmodi respectu aliarum, nam hæc infinitè distant, non autem vnum, & multa, substantia, & accidens, absolutum, & respectiuum, & alia membra diuidentia, quæ assignari solent, ergo &c.

Resp. re vera non fuisse mentem Suarez diuisionē entis in finitum, & infinitū cęteris omnibus absolutè præferre, sed tantū comparationē facit cū diuisione in vnum, & multa, quam iactabant Thomistæ esse priorem, & oppositum contendit Suarez allatis rationibus demonstrare; ne quis tamen suspicetur eas absolutè probare. Ad p. dico, quod licet finitas, & infinitas propinquius attingant rationē entis, quoniā diuidunt ens secundū rationem perfectionis entitatiuæ, quæ est modus intrinsecus eius, non tamen sunt prædicata essentialia Dei, vel creaturæ, adeout diuisio facta per illas sit essentialis, & quidditatiua, sed sunt modi eorum intrinseci finitas creaturæ, & infinitas Dei; & licet gradus perfectionis entitatiuæ rei sit idem realiter, & formaliter cum essentia rei, adhuc tamē distinguitur modaliter eo pacto, quo solet modus intrinsecus distingui à re, cuius est modus, & semper supponit essentiam in suo esse quidditatiuo constitutam; quare licet possit diuisio entis in finitum, & infinitum dici prior alijs, quæ dantur per modos, & passiones, non tamen prior illa, quæ datur immediatè per ipsas quidditates sub ente contentas, scilicet in Deū, & creaturam. Imò vt notatū est n. 59. neq; est prior omniū, quæ datur per modos, quia adhuc prior ipsa est diuisio entis in dependens, & independens, seu à se, & ab alio, quia per dependentiā ostēditur à priori finitas de creatura, & per independentiā infinitas de Deo, vt monet Doctor quol. 7. Ad Conf. patet per idē, quod finitas, & infinitas non dicuntur secundū essentiam, quasi sint prędicata quidditatiua rei, quia formaliter loquendo nō important ipsāmet rei essentiam, sed tantū modum participandi eā, ideoque præsupponere debent essentiā, quæ participetur in suo esse constitutā, vnde cū essentia sit prior, quam modus quo participatur, ideò diuisio facta per gradus essentiales vel per ipsas essentias, qualis est diuisio entis in Deū, & creaturā, præcedet diuisionem factam per finitatē, & infinitatē. Ad vlt. patet ex dictis non ex sola distantia extremorum argui debere absolutam prioritatem vnius diuisionis ad alias, sed etiā ex alijs conditionibus, imo in hac ipsa conditione diuisio entis in finitum, & infinitum æquiparatur à multis alijs puta à diuisione entis in dependens, & independens, à se & ab alio, necessarium, & contingens, & alijs huiusmodi, in quibus extrema diuisionis infinitè distant perinde, ac finitum, & infinitum, quare illa ratio concludit solum diuisionem entis in finitum, & infinitum ex maiori extremorum distantia præcedere illas, in quibus extrema non infinitè distant, quales sunt enumeratæ in argumento.

70 Sextò arguit Hurt. disp. 10. Met. sect. 1. probans immediatā entis diuisionem esse in substantiā, & accidens, non autem in Deū, & creaturā, illa diuidentia sunt immediata diuisio, sub quo nullā aliā habent conueniētiā essentialē, & illa diuisio, quia est vniuersalior, cōtinet sub vtroq; omnia inferiora in illo similia oppositis inferioribus alterius diuidentis, at verò diuisio per conceptus particulares in illis debet cōfundere rationes diuisi, ergo diuisio conceptus vniuersalis debet immediatè dari per diuidentia vniuersaliora, tunc sic, sed ens est vniuersalissimus cōceptus, Deus autem singularissimus, qui magis quam in ratione entis cum alijs conuenit, & multæ particulæ alterius diuidentis sunt necessariò repetendæ in explicatione Dei, nempe conceptus substantiæ viuentis, &c. quod non contingit in diuisione substantiæ, & accidentis, ergo ens non immediatè diuidendum in Deum, & creaturam, sed in substantiam, & accidens. Deinde ens est idem, quod ratio essendi, ergo diuidi debet per immediatas, & oppositas rationes essendi, sed esse Deum, & creaturas non sunt modi essendi, ergo non benè diuiditur per illas; probatur minor, quia modi essendi sunt perfectas, & inhærentia, non autem finitudo, & infinitudo, vnde cum substantia, & accidens sint modi determinantes ens, per illos debet ens immediatè diuidi, non autem per Deum, & creaturam.

Resp. negando de ratione bonæ diuisionis esse, quod ait ibi Hurtad. vt nempe partes diuidentes ita constituantur; vt in explicatione alterius non includatur altera, sufficit enim solum, quod membra non coincidant, ita quod ratio constitutiua vnius non sit quoq; formaliter constitutiua alterius; quod autem interdum in explicatione vnius membri diuidentis misceantur rationes communes alteri, hoc parum refert, neq; obest bonitati diuisionis, nam id quoq; contingit in ipsa diuisione entis in substantiam, & accidens, quam Hurtad. ponit immediatam, & optimam, vt ipse benè præuidit ibidem, imò in quibusdam diuisionibus id euitari non potest, sicut ergo id non tollit bonitatem diuisionis entis in substantiam, & accidens, ita neq; bonitatē diuisionis in Deum, & creaturam. Et quamuis conceptus entis sit vniuersalissimus, Deus autem singularissimus, adhuc tamen assumi potest Deus, vt alterum membrū ad diuidendum ens cum creatura, quia adhuc sub tali singularitate in infinitum distat ab altero mēbro, quod

de substantia; & accidente dici non potest, nam vt supra dictũ est primitas, & vniuersalitas alicuius diuisionis nõ ex vniuersalitate extremorum duntaxat auspicari, debet sed etiam ex eorumdem maiori distantia. Ad aliud posset argumentum retorqueri, sicut enim Deus, & creatura non sunt diuersi modi essendi, sed diuersi gradus entis, ita quoq. accidens, & substantia non sunt modi determinantes ens, sed potius determinatæ quædam entitates sub ente, & ideò sicut hac ratione non est bona nostra diuisio entis in Deum, & creaturam, ita nec diuisio Hurtad. entis in substantiam, & accidens; dicendum ergo, quod cum ens diuiditur in Deum, & creaturam, non diuiditur vtiq. tanquam in diuersos modos essendi, sed veluti in ipsa membra per diuisionem constituta, sicut etiam cum diuiditur in substantiam, & accidens; si verò diuisio fieri debeat per ipsas rationes diuidendi non autem per ipsa membra ex diuisione resultantia, sicut diuiditur ens in substantiam & accidens per perfeitatem, & inhærentiam, ita quoque diuidi potest in Deum, & creaturam per esse à se, vel ab alio, aut per infinitatem, & finitatem, tam enim benè est modus essendi à se, vel infinitas, quàm perfeitas, & ab alio, quàm inhærentia; immo sicut modus essendi à se, vel cum tota plenitudine perfectionis, vel ab alio citrà talem plenitudinem præcedit natura modum essendi in se vel per se, aut in alio, ita diuisio ex illis modis desumpta præcedit eam, quæ sumitur ex istis.

71 Septimò arguit ad idem Pasqualig. citat. disp. 32. sect. 4. duo sunt, quæ constituere debent primam entis diuisionem, primum est, quod rationes diuidentes cadant formaliter supra ipsam rationem entis, prout contradistinguitur à passionibus, alterum quod primò determinent ipsum ens ad aliquem certum modum essendi, sed hæc duo saluantur in ratione accidentis, & substantiæ, ergo hæc est prima, & immediata diuisio, minor quoad primam partem patet, quia esse per se, & esse in alio, quæ sunt rationes substantiæ, & accidentis, non diuidunt ens secundum quod vnum, verum, vel bonum, sed secundum quod est prima ratio essendi, & fundamentum omnis realitatis; quoad secundam probatur, tum quia esse per se, & esse in alio, vnumquodq. in suo genere est prima ratio, itaut in tali genere nõ habeat aliquid prius, ergo oportet quod sint primæ rationes determinantes ens secundum modum essendi, & consequenter illud primò, & immediatè diuidentes. Tum 2. esse per se, & esse in alio sunt rationes immediatè oppositæ & fundantes contradictionem; ergo etiam sunt rationes primo contrahentes, & diuidentes ens secundum determinatum essendi modum, patet assumptum, & cõsequentia probatur, quia dum immediatè opponuntur in ratione essendi, oportet quod supra se nullam habeant rationem, quæ determinatum modum essendi importet, si enim illam haberent, iam in ea ratione essendi conuenirent, & sic non essent rationes totaliter, ac immediatè oppositæ. Tum 3. Vnumquodq. debet habere proprium modum participationis, quo suum esse participet, vel ergo ita participat esse in se, vt ad illud habendum non indigeat adminiculo alterius, sed per se subsistat, & tunc erit substantia, vel indiget adminiculo alterius, itaut ad hoc quod possideat suum esse debeat ab alio sustentari, & tunc erit accidens; cum ergo alij modi nequeant excogitari, quibus entia suum esse contineant, dicendum est per hos modos ens primo, ac immediatè diuidi. Tum tandem quia si isti non sunt primi modi essendi determinantes ens, sed darentur alij superiores, & communiores illis reperiretur aliquod ens, quod haberet esse, & non per aliquem ex illis duobus modis, & proinde neq; esset accidens, neque substantia, quod est impossibile.

Resp. negando minorem quoad secundam partem, ad primam probationem concesso antecedente negatur consequentia, quia cum hoc quod esse per se, ac esse in alio sint primæ rationes essendi vnaquæq. in suo genere, adhuc benè stat quod dentur aliæ rationes essendi priores, & communiores supra illa genera, vt v.g. esse à se, vel ab alio, habere esse cum plenitudine perfectionis, & illimitatè, vel limitato modo per essentiam, vel per participationem &c. Ad 2. negatur consequentia cum probatione, quia cum hoc quod perfeitas, & inhærentia immediatè, & totaliter oppponantur, adhuc stat, quod habeant rationem superiorem, quę determinatum modum essendi importet (esto non ita determinatum, sicut important illa) puta esse à se, vel ab alio, quia non obid illi duo modi essendi conueniunt essentialiter in isto, sicut enim differentia inferior quidditatiuè superiorem nunquam includit, ita quoq. dicendum de modis, vnde nec perfeitas, nec inhærentia dicuntur esse à se, vel ab alio propriè loquendo, sed res quæ per se est, vel in alio, quæ adhuc immediatè opponuntur in talibus modis essendi per se, vel in alio. Ad 3. conceditur ens vnumquoq. habere proprium modum participationis, quo suum esse participet, sed negatur hos esse dumtaxat perfeitatem, & inhærentiam, nam alij dantur modi essendi præter hos, & priores istis, scilicet esse à se, vel ab alio, habere esse limitatè, vel illimitatè, defectibiliter, vel indefectibiliter, & similes. prius namq. cogitatur, vel cogitari debet aliquod ens habere esse à se, vel ab alio, quam esse in se, vel in alio. Ad vlt. alias dictum est in simili, quod licet à parte rei, ac in esse subiectiuo nullum ens reperiatur, quod non sit substantia, vel accidens, datur tamen in esse obiectiuo, & apud intellectum abstrahentem cum fundamento, in re, quod à simili probari posset in quocunq. genere, vt in genere substantię datur substantia præscindens à materiali, & spirituali, & tamen à parte rei nulla reperitur substantia, quæ non sit corporea, vel spiritualis; in genere accidentis datur accidens abstrahens ab absoluto, & respectiuo, licet à parte rei nullum sit accidens, quod sit absolutum, vel respectiuum; de quo vide rursus supr. q. 1. nu. 24.

72 Postremò vrgent Thomistæ probantes diuisionem entis in vnum & multa præcedere diuisionem entis in quantum, & non quantum, finitum, ac infinitum, eus ex natura rei, prius est vnum, quam finitum, vel infinitum, ergo prius diuiditur in vnum, & multa, quam in finitum & infinitum. Consequentia patet, quia diuisiones seruant ordinem eorum, à quibus desumuntur; probatur assumptum, ens per Scotum discernitur ex natura rei saltim modaliter à finito, & infinito, sed quocunque distinguitur ab alio prius est vnum in se, quia vnumquodq. per propriam vnitatem est indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio, cum distinctio super vnitatem fundetur ex 5. Met. ergo ens prius est vnum, quam sit infinitum, vel finitum, probatur hæc consequentia, in eo signo, in quo ens intelligitur esse distinctum è finito, & infinito, non intelligitur ei competere finitas, vel infinitas, alioquin non distingueretur ab ipsis, & in tali signo est vnum, ergo intimior est vnitas enti, quam finitas, vel infinitas.

Respondent Scotistæ negando antecedens, ad probationem respondent cum Tromb. 1. Met. q. 1. a. 3. distinctionem posse accipi dupliciter, vel positiuè, vt est passio entis, vel negatiuè, vt coincidit cum non identitate, quæ quidem est communis enti, & non enti, atq. alicui eo aliquo signo competere potest, pro quo ei non competit distinctio, hinc respondent finitum, & infinitum prius enti conuenire, quam vnitas, vel multitudo, quia modi intrinseci præcedunt passiones, & in tali statu adhuc ab infinito, & finito distingui non quidem positiuè, sed negatiuè, quatenus est non idem. Dices, quod non est idem alteri prius est idem sibi ipsi, sed quolibet, quod est idem sibi ipsi prius est vnum in se, quoniam identitas per Arist. ex 5. Met. super vnitatem fundatur, ergo sequitur, quod illud est sic non idem, prius est vnum in se, & sic habetur propositum, quod ens in ista præcisione prius est vnum, quam finitum, vel infinitum. Rursus occurrit Tromb. loc. cit. quod identitas potest dupliciter sumi formalirer, vel fundamentaliter, identitas primo modo sumpta est relatio actualis præsupponens extrema secundum propriam rationem vnitatis, secũdo modo identitas nil aliud est, quam fundamentum ipsum, cui non est idem alteri, est idem sibi ipsi fundamentaliter, hoc est, est aliquod fundamentum, cui non repugnat vnitas, & identitas ad se, quod nihil aliud est, quam ipsum esse ipsum.

73 Hæc communis Scotistarum solutio non placet, quamuis enim verum sit, quod infinitas in Deo, & finitas in creatura præcedunt diuinam, & creatam vnitatem, ac bonitatem, quia sunt modi intrinseci, quibus esse ab vnoquoq. participatur intrinsecè imbibiti in essentia cuiuscunq. rei antecedenter ad passiones, tamen si comparentur ad ens, vt sic, præscindens à finito, & infinito, falsum est, quod in ente præcedant vnitatem transcendentalem eius, sic enim vnum prius enti conuenit, quam finitum, & infinitum, alijq. modi contrahentes ipsum, sicut à simili in omnibus generibus prius vtiq. conuenit generi adæquata eius proprietas, quam differentiæ contrahentes, quia differentia contrahens conuenit ei ratione inferioris, at talis proprietas conuenirei secundum se præcisè abstrahendo ab inferioribus; hac ergo pariter ratione prius enti conuenit esse vnum, quam finitum, vel infinitum, quia est formaliter vnum secundum se præcisè abstrahendo ab inferioribus, sed non est formaliter finitum, vel infinitum nisi ratione inferiorum. Itaque dicendum aliud esse loqui de finitate, & infinitate, & aliud loqui de quantitate virtutis, vt ab vtraq. præscindit, quamuis vnitas prius enti conueniat; quam finitas, & infinitas, attamen quantitas virtutis ab vtraq. præscindens prius enti conuenit ipsa vnitati, quia hæc est modus intrinsecus ipsius entis, vt sic, sicut enim quantumcunque essentiam sequitur quantitas perfectionalis in gradu determinato, sic essentiam in communi, vt sic, comitatur quantitas perfectionalis, vt sic, ab omni gradu determinato præscindens; esto igitur ens, vt sic, prius sit vnum, quam finitum, & infinitum, tamen quia diuisi per finitum, & infinitum, conuenit ei non vt vnum, sed vt quantum, hinc est, quod diuisio facta per finitum, & infinitum dicitur præcedere diuisionem, quæ sit per vnum, & multa.

74 Accedit, quod vt diuisio per vnum, & multa speciem aliquam bonæ diuisionis inducat explicari non debet per vnitatem transcendentalem communissimè sumptam, quasi ipsa sit membrum diuidens ipsum ens contra multa, cum enim sit passio cum ente conuertibilis repugnat esse differentiam ipsius diuisiuam vt constat ex dictis nu. 14. in explicatione illius diuisionis; debet ergo intelligi de aliqua vnitate magis determinata, quæ scilicet sit quidam gradus vnitati transcendenti superadditus, & quamuis etiam sic explicando hanc diuisionem adhuc semper à conditionibus veræ diuisionis aliquo modo deficiat, tamen admisso, quod sic explicata sit bona, hinc tamen non concludunt esse absolutè primam inter omnes quia talis diuisio caderet supra ens, non secundum rationem suam essentialem, vt à passionibus condistinctam, quod ad primitatem diuisionis requiritur, sed prout diceret vnitatem, quæ est passio eius, ex quo statim sequitur non esse omninò primam entis diuisionem, sed aliam supponere, quæ fieret secundum primam rationem entis, & pertineret ad ens, vt quid, non autem vt quale, & hæc est diuisio eius in Deum, & creaturam; imò aliam quoq. supponeret, quæ ad ens pertinet, vt quantum, quæ est diuisio in finitum, & infinitum, quia ens adhuc est prius quantum, quam quale, quâtificatur autem per modos, & qualificatur per passiones; quocunq. ergo modo explicetur hæc diuisio Thomistarum in vnum, & multa, nedum stabit nequit omnium prima, sed nec etiam præcedere poterit diuisionem entis in quantum, & non quantum, aut in finitum, vel infinitum; alia Thomistarum argumenta contra hoc punctum vide soluta apud Tromb. loc. cit.

DI-

DISPVTATIO VIII.

De Entis finiti essentia, ac existentia.

1 *QVoniam in præcedenti disp. diximus præcipuam entis diuisionem esse in finitum, & infinitum, eius membra deinceps declaranda proponentur. Et quamuis ordini naturæ insistendo prius de ente infinito agere deberemus, vt primo, ac præcipuo membro, ac principali analogato, quod proinde disp. 1. statuimus Metaph. primarium obiectum, quod principalitatis, appellant; ordo tamen doctrinæ, qdi incipit à notioribus nobis, & facilioribus, postulat, vt prius agamus de ente finito, quod nobis est obuium, & proximum sensibus, quam de ente infinito, quod est remotissimum, iuxta illud Apost. ad Corint. 1. inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

QVÆSTIO PRIMA.

An status essentiæ creaturarum, vt ab existentia præscindit sit solius possibilitatis, an etiam alicuius actualitatis.

2 APud omnes exploratum est creaturas, antequam fiant in actu, suum statum possibilitatis habere, de quo ex vi productionis trasnferuntur ad statum actualitatis, quia si res non esset possibilis, nequaquam fieri posset, ac in rerum natura produci, per hoc enim res possibiles ab impossibilibus secernuntur, quales sunt Chimeræ, quibus nulla præsupponitur possibilitas; quia rerum essentiæ per rationem possibilitatis, ac non repugnantiæ explicari solent, vt diximus disp. 3. ab initio, quia statim, ac ab existentia præscindunt, intelliguntur esse in statu possibilitatis, difficultas est, quid dicant sub isti statu, & an hic status sit meræ possibilitatis, vel an etiam alicuius actualitatis, in qua talis possibilitas fundetur. Et prima opinio, cuius Auctor censetur. Henricus in sum. art. 2. qu. 23. & 25. & quol. 8. q. 9. & quol. 9. q. 1. & 2. & quol. 11. q. 3. tenet creaturas, siue rerum essentias secundum statum possibilitatis præcisè sumptas præscindentem ab existentia non esse merum nihil, neq. habere solum esse potentiale in causa, in qua virtualiter continetur, sed vlterius habere in seipsis ab æterno esse intrinsecum actuale quidditatiuum suæ essentiæ, quod quidem est à parte rei extra intellectum diuinum, secundum quod esse sunt obiectum diuinæ scientiæ, quæ vocatur simplicis intelligentiæ, ita quod quando postea in tempore producuntur, acquirant solum esse actuale existentiæ; pro qua sententia citatur etiam Ægid. opusc. de ente, & essentia, Capreol. 2. d. 1. q. 2. ad 4. & ex Recentioribus sequitur Albertinus tom. 2. princip. 1. Philosoph. disp. 1. q. 1. concl. 1. Vbi addit creaturas habere hoc esse actuale independenter à Deo, tanquam à causa efficiente, dependent enim ab eo in hoc esse duntaxat, tanquam à causa exemplari, quod antea docuerat Capreol. loc. cit. ex ipso Henrico.

Alia quoq. in hac quæstione solet referri opinio, quæ quidē licet nō attribuat essentijs rerum ab æterno esse quoddam actuale verum, & reale, vt faciebat Henricus, admitti tamen quoddam esse diminutum medium quodammodo inter esse reale & rationis, quam opinionem Scoto impingere solet Thomistæ p. 1. q. 14. art. 5. & 6. quia Scotum non intelligentes existimant illud esse cognitum, quod Doctor tribuit creaturis ab æterno in mente diuina, esse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei, ideoq. acriter ipsum redarguunt, vt turpiter lapsum in errorem Vuicleffi asserentis creaturas in mente diuina habuisse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei sicut refert Vualdensis lib. 1. doctrin. fidei antiq. c. 8. à qua grauissima calumnia nedum Scotistæ omnes Magistrum suum inconstanter defendunt, & vindicant, sed etiam alij extra scholam nostram melius, quam Thomistæ Scotum intelligentes, nam duo Societatis proceres Vasquez p. 1. disp. 70. c. 2. num. 8. disput. 104. c. 3. num. 9. inquit nec per somnium id Scotum vnquam cogitasse, & Suarez ait disp. 31. Met. sect. 2. num. 2. tantum ab esse, vt hoc Scotus asseruerit, quod potius seriò, & ex professo impugnauerit Henricum, eò quia varijs in locis dixerit essentias rerum ex se habere quoddam esse essentiæ, quod vocat esse reale, æternum, & improductum conueniens creaturis independenter à Deo, quodq. in eis supponit non solum ante efficientiam, sed etiam ante scientiam Dei, vt ratione illius possint esse obiecta scientiæ diuinæ, quam Theologi vocant simplicis intelligentiæ.

3 Sed quod vehementer doleo, est, quod cum Scotistæ, & alij Doctores Scoto non infensi à tanta calumnia eum vindicare conantur Poncius tom. 3. sui cursus Scotici disp. 18. q. 5. loquens de esse creaturarum ab æterno fauens mendacijs Bannes Caiet. & aliorum Thomistarum Scoto relatam opinionem tribuentium eam tenet, vt de mente Doctoris, ait enim concl. 4. num. 52. illud esse quod habent creaturæ ab æterno, est esse quoddam diminutum quasi medium inter esse rationis, & esse simpliciter reale, & ait hanc conclusionem esse Scoti cum suis omnibus, cum tamen nec Scotus, nec vllus ex eius discipulis, quem viderim, hoc vnquam asseruerint, imò acriter damnent, vt calumniam Scoto impositam à Thomistis, vt infra videbimus. Sed quod magis admireris est, quod peiorem adhuc, & pernicioſiorem opinionem ibi tribuit Scoto, quam fecerint Thomistæ citati, illi namq. Scoto adscribunt, quod dixerit creaturas ab æterno habuisse aliquod esse diminutum medium inter esse reale, & rationis dependenter à cognitione Dei, at Ponc. concl. 5. nu. 53. & seq. ait creaturas ab æterno tale esse habere à seipsis independenter à Deo, & ab operatione diuini intellectus, ex quo patet peiorem errorem Scoto tribuere, & velut eius opinionem defendere quam fecerint Thomistæ, & Franciscus Herrera 1. sent. disp. 16. q. 3. vbi licet & ipse hunc dicendi modum amplectatur, vt Scoticum, non tamen ponit illud esse prorsus à Deo independens, vt Poncius.

Communis sententia docet statim essentiæ creaturarum ab æterno esse meræ possibilitatis itaut nullum esse reale actuale habeant seclusa existentia, nec medium inter esse reale, & rationis, ita passim tenent Thomistæ, Scotistæ, & Neutrales omnes; Scotus autem addit, quod si aliquod esse actuale hadent creaturæ possibiles ab æterno, hoc nequit esse aliud, quam esse rationis, seu esse cognitum, quod ab intellectu diuino recipiunt eo ipso, quod cognoscuntur, vt possibiles, vt magis infra explicabitur.

ARTICVLVS I.

Creaturas non ab æterno habuisse aliquod esse reale actuale essentiæ.

4 HAnc conclusionem docet, & probat Doctor ex professo 1. d. 36. q. vn. contra Henricum, quam omnes passim amplectuntur tam veteres, quàm Recentiores, Suarez disp. 31. Met. sect. 2 Auersa qu. 8. Philosoph. sect. 2. Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 76. Hurtad. disp. 8. Met. sect. 2. Arriag. disp. 2. Met. sect. 1. Ouied. controu. 2. Met. punct. 1. Fonsec. 5. Met. c. 3. q. 1. ex nostris Rada p. 1. controuers. 29. art. 3. Faber 9. Metaph. disputat. 1. Canon. 2. Phys. quæst. 1. Meurisse libr. 1. suæ Met. q. 15. Smisinch. tract. 2. de Deo vno disp. 2. q. 3. Vulp. tom. 1. p. 1. disp. 21. art. 1. Nolan. in sua Pinac. quæst. 13. Saxius in sua Catastros. tom. 1. disp. 14. quæst. prim. & denique omnes Scoti interpretes in loc. cit. 1. d. 36. vbi eam probat efficacissimis rationibus, & planè demonstratiuis.

Primò itaq. probat quia ex oppositæ sententia sequitur nullam creaturam posse verè, & propriè creari, nec etiam annihilari, probatur consequentia, quia creatio est productio de nihilo, sed si lapis præhabuit verum esse reale, ab æterno, igitur quando producitur ab efficiente non producitur de nihilo, & eodem modo probatur non posse annihilari, sicut enim producitur de ente secundum essentiam, ita videtur redire in ens secundum essentiam, & non in nihil. Respondent creari esse fieri ex nihilo existentiæ, non autem essentiæ, & sic pariter annihilari esse resolui in nihilum existentiæ, & hoc sufficere ad saluandam rerum creationem, & annihilationem. Sed hæc solutio meritò ab omnibus reicitur, vt in sufficiens ex ipso Doctore loc. citat. quia tunc aliquid re vera creatur, cum ex nihilo sui prorsus producitur, quia creatio est productio totius entis ex nihilo, & hoc patet per differentiam ipsius creationis ab alijs productionibus, quæ aliquid præsupponunt, licet primo terminentur ad totum, alioquin generatio compositi posset dici creatio, quia si non fit ex nihilo materiæ saltim fit ex nihilo formæ, sed si res prius haberet esse essentiæ verum, & reale, quam crearetur, non esset productio totalis, ergo non esset creatio, probatur minor, quia plus ei præsupponeretur, vel saltim non minus, quam generationi, generationi siquidem sola præsupponitur materia, sed illi productioni tota præsupponeretur essentia rei. Conf. quia si res dum creatur fit ex nihilo existentiæ tantum, & non essentiæ, tunc sola existentia crearetur, nō autem tota ipsa res existens. Consequentia patet quia sola existentia fieret ex nihilo, non autem tota res. Imò neq; ipsa existētia propriè crearetur, quia tūc existētia fieret, & reciperetur in essentia, tamquam modus in re, & forma in

præsuppositio subiecto, at forma quæ fit in præsuppositio subiecto non creatur, ergo si pariter existentia non fit ex nihilo essentiæ, tanquam ex nihilo subiecti, non diceretur verè creari, quia etiamsi fieret ex nihilo sui, non tamen fieret ex nihilo subiecti. Denique eandem solutionem confutat Suarez loc.cit.& Vulpes noster cum ipso, aut enim quod nihil habet existentiæ est simpliciter, & omnino nihil, vel non; si non ergo productio rerum à Deo ab initio temporis non fuisset creatio, quia non ex omnino nihilo; si sic, ergo illud esse essentiæ, quod eis dicitur præsupponi, non est verum esse, & reale, vt dicebatur. Sed hæc instantia facilè eluderetur per illam eandem solutionem dicendo, quod nihil habet existentiæ non esse simpliciter, & omnino nihil, sed habere verum esse essentiæ, nec inde sequi productionem rerum à Deo non fuisse creationem, quia ad creationem sufficit, vt res producantur ex nihilo existentiæ; & ideo solutio illa melius euertitur per replicas à nobis factas.

5 Secundò probat Doctor, quia productio illa rerum secundum esse essentiæ verissimè esset creatio, ipsa enim est merè de nihilo, vt de termino à quo, & ad verum ens, vt ad terminum ad quem, & cum tale esse res habuerant ab æterno, sequitur res fuisse ab æterno creatas, & non in tempore, quod fidei aduersatur, qua docemur Genes. 1. in principio temporis Deum creasse Cœlum, & Terram. Respondent aliquid talem productionem nequaquam dici posse creationem, quia creatio propriè loquendo est productio rei in esse existentiæ, non autem solius essentiæ. Contra hoc vtique verum est, quia esse verum, & reale essentiæ separari nequit ab esse existentiæ, cum sint prorsus realiter idem, sed ex hypothesi quod res habeant ab æterno verum esse essentiæ, iam esse reale essentiæ separatur ab esse existentiæ, atque ideò ex hypothesi sequitur esse essentiæ terminum sufficientem esse creationis absque esse existentiæ cum enim nihil exeat de potentia causæ efficientis, nisi per productionem, consequenter asserendum erit essentiam fuisse terminum productionis, ex vi cuius facta sit actualis, & extracta à possibilitate sua, & rursus cum illa productio facta sit ex nihilo, nihil ei deficiet ad rationem creationis. Deinde falsum est res ex vi existentiæ tantum creationem terminare, & non ex vi essentiæ, quia quando Deus hominem creauit, eius creatio nedum ad existentiam hominis, sed, & ad eius essentiam terminata est, quatenus per talem productionem illi communicauit esse essentiale, quo constituitur in esse hominis; tum quia res petunt diuersimodè produci, quædam nempe per creationem, vt Angeli, quædam per generationem, vt composita, non vtique ex diuersitate existentiarum, quæ similes videntur, sed ex diuersitate essentiarum, quia modus productionis non proportionatur cum existentia rei, sed cum essentia, vnde, & videmus, quod productiones non specificantur à rebus, quatenus dicunt existentiam, sed quatenus dicunt essentiam, ergo essentia secundum se est aptus terminus productionis, & creationis, vnde si semel ponitur separabilis ab existentia, vt aiebat Henricus, statim sequitur posse ipsa, absque existentia terminare creationem.

Deinde absolutè loquendo, & non ex hypotesi, omnis vera effectio attingit essentiam rei simul cum eius existentia, quia re vera non potest poni essentia actu extra causas, nisi ponatur existens; ergo eo ipso quod essentia rerum ponitur extra Deum, & extracta est à virtute primæ causæ ad actum, statim censetur existens, ex vero principio, quod infra docebimus essentiam non esse ab existentia reipsa distinctam, quare si rerum essentia ab æterno habet aliquod esse verum, ratum, & reale in seipsa extra Deum, & à Deo distinctum, sequitur creaturas ab æterno productas esse etiam quoad existentiam, quia existentia non est nisi essentia creaturæ extra causas. Dices creaturas ab æterno esse extra Deum quoad esse essentiæ non existentiæ. Contra, quia existere, vt etiam constat ex vi nominis est extra causas stare, si ergo habent creaturæ ab æterno suam essentiam, extra Deum, & suum esse essentiæ distinctum ab esse diuino, iam habebunt quoque esse existentiæ, quia esse essentiæ extra causas est ipsum esse existentiæ. Rursus actualitas ex vi suę rationis formalis facit rem in actu, hic enim est suus effectus formalis, si ergo actualitas, cadit super essentiam rerum ab æterno, vtique illi suum effectum formalem præstabit, qui est ponere in actu à parte rei extrahendo illam à causis suis, & à statu suæ, possibilitatis, quare essentia tale habens esse actuale ab æterno non erit amplius sub statu possibilitatis, neque amplius ab existentia præscinder, sed re vera erit existens. Deinde ex vi essentiæ positę in esse, & extra causas profluunt omnes eius modi connaturales, atque passiones, vt posito Sole statim ab ipso lux dimanaret, calor ab igne; sed maiorem longè connexionem habet existentia cum essentia posita in actu, & extra causas, quam habeat lux cum Sole, calor cum igne, ergo si essentia haberet actuale suum esse ab æterno extra Deum, & à diuino esse distinctum, sanè necessariò dimanaret statim ab ea modus existentiæ, qui eam formaliter redderet existentem, ergo à primo ad vltimum in opposita sententia res essent ab æterno productæ. Denique siue illa productio æterna rerum in esse essentiæ dicatur creatio, siue non, parum refert, sufficit quod sit vera productio, cum enim hæc, vt diximus in Physicis, qualiscunque sit, ad existentiam in terminetur, vnde actiones dicuntur esse singularium, requiritur res ab æterno nedum esse essentiæ, sed etiam existentię possidere. Imò rursus quæri potest, num illa rerum ab æterno in esse essentiæ productio à Deo sit libera, vel necessaria, hoc secundum dici non potest, quia Deus ad extra est agens liberum; si primum, ergo potuit non producere ab æterno esse essentiæ rerum, quo dato casu non potuisset mundum deinceps in tempore creare quod est falsum. Et rursus si illud esse essentię est à Deo productum, quæri potest an prius saltim prioritate rationis esset possibile produci, nec enim dici potest, quod esset impossibile; & si illa sola possibilitas sufficiens erat, vt produceretur ab æterno quoad esse essentiæ, pariter dici potuit, ac debebit illam solam sufficere ab æterno, vt possint res in tempore produci.

7 Respondent proinde illi negando rerum essentias ab æterno esse re vera productas, quia essentiæ rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, sed tales esse ex seipsis, & à seipsis, & in tali esse non dependere à Deo, tanquam à causa efficiente; neque ex hoc sequitur non esse creaturam, quia ad hoc sufficit, vt in esse existentiæ pendeant à Deo, nec existere possint, nisi dependenter à Deo. Contra est, quia illud esse actuale essentiæ, quod ex seipsis possiderent ab æterno, foret esse existentiæ, vt probatum est, quia rem existere aliud non est, quam actu in rerum natura reperiri, & extra nihil. Tum quia de essentia, & quidditate ipsius creaturę, vt sic, est à Deo dependere, & esse eos participatum, ergo debet à Deo dependere nedum quoad esse existentiæ, sed etiam essentiæ. Tum quia gloriari possent creaturæ, quod aliquod esse ex seipsis haberent, independenter à Deo, imò melius & perfectius suum esse, quale est esse essentiæ, quod valde excedit esse existentiæ, quæ est purus modus, & sic creaturæ essent quidam Semidij, quia portionem potiorem sui esse haberent à seipsis. Dices fortè esse à se quoad existentiam esse proprium Dei, non autem quoad essentiam præcisè, sicut conuenit creaturis ab æterno. Contra, quia nedum esse à se quoad existentiam est Dei proprium, qua Deus est, sed etiam quoad essentiam, Deus enim essentialiter est natura intellectualis imparticipata, ac independens, ergo esse à se quoad essentiam nequit competere creaturæ. Tum quia implicat aliquid esse à se quoad essentiam, & non esse etiam à se quoad existentiam, existentia namque debet proportionari essentiæ, & sic essentiam necessariam, ac independentem concomitatur existentia necessaria, ac independens, vt constat de Deo, qui cum sit ens necessarium, & independens quoad essentiam, ex hoc veluti à priori infertur, quod sit ens quoque independens quoad existentiam. Demum eadem prædicata essentialia dicit homo ab æterno in statu possibilitatis, & in tempore in statu actualitatis, vt latis de se constat alioquin non esset eadem hominis essentia quę nunc existit, & quę possibilis erat, sed essentia hominis quę modò extat est essentialiter dependens, & participat, ergo sic etiam erat ab æterno, si quid reale in seipsa importabat.

8 Albertinus loc. cit. non audens asserere illud esse imparticipatum, & à Deo independens, ait quod licet non dependeat a Deo, tanquam à causa efficiente, adhuc tamen dependet ab eo, velut a causa exemplari, quod sufficit, vt sit ens participatum, ac à Deo dependens, quæ erat responsio Henrici, & Capreoli. Sed optimè reijcitur à Scoto loc.cit. quia secundum Arist. 2. Phys. 49. causa exemplaris, seu idealis non est diuersa causa ab efficiente, cum non sit nisi causa efficiens per intellectum, & rationabiliter, vnde idem est effectus causę exemplaris, ac efficientis, ergo quod dependet à Deo in genere causę exemplaris, dependet quoque in genere causæ efficientis. Conf. quia Idea ex natura sua ordinatur ad operationem, & effectionem, suum enim munus est efficienti repræsentare quod debet producere, & quomodo, & ideo exemplar definitur esse illud, ad quod aspiciens agens operatur, ergo implicat effectum dependere ab aliquo in genere causæ exemplaris, & non efficientis. Tandem illud esse essentiæ creaturarum qualecunque sit finitum erit, sed de ratione entis finiti est a Deo dependere nedum in genere causæ exemplaris, sed etiam efficientis, qua media causalitate physice ab eo recipiat esse, ergo &c. prob. minor, tum quia dependentia creaturarum à Deo est dependentia præsertim in genere causæ efficientis, quia quicquid est in creatura, fit, & dependet a Deo, tum quia causa exemplaris, vt sic precisè, non influit physicè in effectum, sed tantùm moraliter, & directiue, vnde meritò SS. Patres dicere solent quod non est productum ab alio, vel esse Deum, vel minus, quo loquendi modo docent dependentiam creaturarum a Deo, in genere causę efficientis esse debere, ita D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 6. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 6. Iustinus in expositione fidei, & alij passim.

9 Tertiò principaliter arguit Doctor destruendo precipuum Henrici fundamentum, tribuit enim hoc esse essentiæ actuale creaturis ab æterno, vt secundum hoc esse sint obiecta diuinæ scientię, quę vocatur simplicis intelligentiæ; at inf at Scotus §. *concedo conclusionem istam*, quia Deus ab æterno non minus cognouit rerum existentias, quam essentias, secundum enim August. 5. super Genes. cap. 7. non aliter Deus nouit facta, quam fienda, præcognouit igitur esse existentię, sicut esse essentiæ, & tamen propter istam relationem tantam non concedit aliquis esse existentiæ creaturæ fuisse verum reale esse ab æterno; ergo pari ratione non est concludendum de esse essentię, atque ita sicut ex eo quod cognoscit per scientiam, quam visionis appellant Theologi, rerum existentias ab æterno, non dicuntur res habere esse reale existentiæ ab æterno, sic nec eo quod cognoscit rerum essentias ab æterno per scientiam simplicis intelligentię, dici non debet, quod res habeant esse reale essentiæ ab æterno. Fortè dices cum Albertino cit. nedum ratione diuinæ scientię, seu præsertim ratione possibilitatis rerum, ac non repugnantię præcedere debere esse actuale essentiæ ab æterno, in quo talis possibilitas, seu non repugnantia fundetur, quod quidem minimè necessarium est dicere de essentia ipsius existentiæ, quia essentia, v.g. existentiæ lapidis

lapidis ex eo præcisè, quod supponit esse actuale essentiæ lapidis, intelligitur non repugnans ad existendum, quia per illud esse formaliter constituitur lapis non repugnans ad existendum, quod est constitutivum non repugnantem existentiam lapidis, & ita opus non est existentiam lapidis supponere esse actuale propriæ essentiæ, vt supponatur formaliter non repugnans. Contra, quia inferius ostendam benè multiplicari possibilitatem rerum ab æterno absque actuali esse essentiæ præcedente. Tum quia si tale esse supponi deberet, id etiam de essentia ipsiusmet existentiæ asserendum foret, quia essentia talis modi per se ipsam à chimæra distinguitur, & per seipsam est non repugnans, & non per aliquid ab ipso realiter distinctum, quælibet enim entitas per se propria prædicata essentialia in se constituitur, & ab omni alio distinguitur; cum ergò in hac sententia existentia distinguatur realiter ab essentia, sanè nequibit existentia constitui non repugnans, & à chimera distincta per solam non repugnantiam essentiæ, seu per esse actuale ipsius essentiæ ab æterno precedens, vt Albertin. aiebat.

10 Aliter ad hoc argumentum ab existentia deductum occurrit Mairon. r.d.42.quæst.1. vbi huic sententiæ fauere videtur, dicens non dari paritatem de essentia, & existentia, quia nihil ponitur esse in potentia, nisi quod est producibile, existentia autem, & actualitas non est, quod producitur, sed quo, aut ad quod productum deducitur, & per consequens sibi competere non potest esse in potentia obiectiua; quod declarari potest à simili in consimilibus modis, quia substantia dicitur per quantitatem extendi, sed ipsa quantitas per seipsam, corpus dicitur esse in loco per præsentiam, nec præsentia sibi infert alia præsentia, & sic de alijs modis, cuius vniuersalis ratio est, vt alibi dictum est, quia quod est alicui ratio essendi tale, illud ipsi est tale, ne detur processus in infinitum. Contra, imò potius Auctores huius opinionis dicere solent essentiam rerum esse ingenerabilem, & incorruptibilem, & solam existentiam produci, ergo existentia non est tantum quo, sed etiam quod producitur. Tum quia hæc est regula constituendi modum ab ipsa re distinctum, cum nimirum rem videmus indifferentem ad suscipiendum, vel non suscipiendum effectum formalem illius modi, hac enim de causa in allatis exemplis distinguimus quantitatem à substantia, præsentiam à corpore, quia substantia potest esse extensa, & non extensa, impenetrabiliter, & corpus potest esse, & non esse in hoc loco; cum ergo existentia possit esse, & non esse actu in rerum natura, dici debebit ejus quoque essentiam realem præcedere ab æterno, si hæc necessaria est in alijs rebus ad fundandam earum possibilitatem, vel sicut necesse non est existentiam habuisse aliquod esse reale sui ab æterno, vt esse possit in tempore, idipsum quoque dici debebit, & poterit de cæteris rerum essentijs.

11 Quartò tandem inquit Doctor posse contra hanc opinionem vrgere rationes omnes, quas ipse vrgebat 1. d. 8. quæst. 5. contra Auic. probantes nil aliud à Deo poni posse formaliter necessarium, immutabile, ac æternum de facto, quia rationes illę (inquit Doctor) ita concludunt de esse quidditatiuo, si sit verum esse, sicut de esse existentiæ, non enim voluntas magis necessariò vult aliud à se esse in esse quidditatiuo, quam velit aliud à se esse in esse existentiæ, quia eadem est ratio vtrobique & ita de alijs medijs, quæ ibi adducit contra Auic. Conatur tamen adhuc ad ista respondere Mair. loc. cit. dicendo essentias rerum ab æterno non esse necesse esse, sed abstrahere necessitate, & contingentia, quandocunque enim subiectum abstrahit à duobus, si vnum accedit, & aliud similiter accidit, & ideò cum contingentia conueniat creaturis per accidens, pariter & necessitas; sic etiam ad illud de æternitate occurrit, quod sicut quidditas abstrahit ab existentia, ita abstrahit à duratione, duratio enim non est, nisi existentis, æternitas autem est mensura durationis, & ideò ita abstrahit ab æternitate, sicut à tempore. Sed Contrà, quia falsum est contingentiam per accidens conuenire creaturæ, & creaturam esse indifferentem ad contingentiam, & necessitatem, quia isti duo modi ita diuidunt ens in communi, vt necessitas per se competat enti infinito, & contingentia finito, quia de ratione creaturæ est, vt possit esse, & non esse, alioquin creatura non esset, tum quia tunc necessarium, & contingens, non sufficienter diuiderent ens in communi ad finitum, & infinitum, quia essentia creaturæ secundum se nec esset necessaria, nec contingens. Nec etiam satisfacit, quod de æternitate dicit, cum enim dicitur æternitatem esse durationem rei existentis, & durationem conuenire rei existenti, ita intelligi debet, vt conueniat rei, quæ actu sit in rerum natura, & actu suum esse habeat extrà nihil, ex quo sequitur quod si semel conceditur creaturas habere verum, & actuale esse essentiæ ab æterno distinctum ab esse diuino, propria quoque duratione durabunt per totam æternitatem, quia per totam æternitatem perseuerant in illo suo esse reali; solet autem regulariter duratio assignari existentiæ rei, non autem essentiæ ab existentia præcisę, quia essentia ab existentia præcisa non est realis, & actualis entitas in rerum natura perseuerans; at si essentia quoque præcisa existentia ponatur in rerum natura perseuerans, & creaturis ab æterno conueniens, debebit consequenter essentiæ, non minus quam existentiæ propria assignari duratio, nam quælibet entitas actualiter in rerum natura perseuerans propriam habet durationem. Obiectiones pro opposita sententia, quia facilè dissolui non possunt, nisi post exactam Scoticę sententię explicationem mox habendam ar. 3. non adducimus in hoc articulo, sed inferius commodius afferemus; & diluemus ar. 4.

ARTICVLVS II.

Creaturas ab æterno non habuisse esse diminutum medium inter ens reale, & rationis, vbi explicatur quid sit esse cognitum, quod habuerunt.

12 CONclusio est Scoti locis mox citandis, & est communis inter Scotistas contra Poncium, & Herreram supracitatos, qui vnicè in schola nostra calumniam hanc à Thomistis Scoto impositam approbarunt, imo vt Scoticam opinionem defendunt, hanc tenet Rada 1. part. controuers. 29. art. 3. vbi vocat Scotimagistes, qui hanc opinionem Doctori subtili adscribunt, Nolanus in sua Pinacot. q. 13. Vulpes tom. 1. part. 1. disput. 28. art. vlt. vbi ait hoc figmentum Scoto tribui ex imperitia doctrinæ eius. Smisinch. trac. 3. de Deo vno disp. 2. q. 3. Saxius tom. 1. suæ Catastros. disp. 14. art. 2. vbi ait Scotum non intelligentes stultitiam hanc ei imponere, Posnanienſis in 1. sent. dist. 35. disp. 2. & omnes denique antiquiores Scotistæ, & præsertim Expositores in 1. d. 35. & 36. & in 2. d. 1. q. 1. solum reperio Maironem, qui 1. d. 42. qu. 2. in fine dicit quidditates rerum ab æterno non esse entia rationis nec etiam realia, quod etiam in bono sensu potest intelligi, vt posteà explicabimus.

Primò itaque probatur hoc esse diminutum, medium inter ens reale, & rationis, quod Poncius, ex Thomistarum suggestione tribuit creaturis ab æterno in Scoti sententia, esse omninò chimæricum, & fictitium, præsertim quia illud ponit medium inter ens reale, & rationis, veluti per extremorum participationem, ait enim disp. cit. 18. num. 52. esse medium inter esse reale simpliciter, & esse rationis, quatenus partim cum vno conuenit, partim cum alio; conuenit cum esse rationis in hoc, quod non repugnet ipsi existere; probatur, inquam, id esse purum figmentum, quia implicat dari medium hoc modo inter contradictoria, sed ens reale, & rationis in suis conceptibus, ac rationibus formalibus contradicunt, ergo &c. patet maior, probatur minor, quia ens reale dicitur illud, quod extat, vel saltim extare non repugnat in rerum natura nullo cogitante intellectu, vt constat ex communi omnium conceptu, quem habent de ente reali, ens autem rationis dicitur illud, quod nec extat, nec extare potest, nisi per solam intellectus cogitationem; ergo in suis rationibus formalibus inuicem contradicunt, ergo nequit dari medium inter ea per participationem extremorum. Tum quia ens prima sui diuisione æquiuoca diuiditur in ens in anima, & ens extrà animam, seu in ens reale, & rationis, vt docet Doct. 1. d. 36. qu. vn. lit. F. ergo omne ens, vel est in anima, & sic est ens rationis, vel extrà animam, & sic est reale, & non datur medium in vtrumque, ergo hoc esse diminutum creaturarum ab æterno partim reale, partim rationis est omninò fictitium, & chimæricum.

13 Dices cum Herrera 1. sent. disp. 16. quæst. 3. à quo fortè Poncius occasionem sui erroris desumpsit, esse illud diminutum poni posse medium inter ens reale, & rationis saltim per abnegationem extremorum, & indifferentiam ad vtrumque quo pacto animal mediare dicitur inter hominem, & leonem. Sed rationes allatæ, si benè perpendantur, vtrumque medium excludunt tam per participationem extremorum, quam per indifferentiam, siquidem contradictoria neutrum medium admittunt. Tum quia admisso tali medio inter ens reale, & rationis, tunc dari posset ens transcendentissimè sumptum commune vniuocum illis, cuius oppositum docet Doctor 1. d. 29. q. vn. & nos cum ipso disp. 2. quæst. hoc enim magis propriè diceretur medium per abnegationem extremorum, ac indifferentiam ad vtrumque, quam illud esse diminutum creaturarum ab æterno. Tum quia talis mediatio per indifferentiam conuenire solet cuicunque vniuersali, prout præscindit à differentijs contrahentibus, ratione quarum descendit ad hanc, & illam speciem constituendam; at esse diminutum rerum ab æterno non est esse vniuersale, sed esse particulare cuiuscunque creaturę possibilis, quomodo ergo dici potest mediare inter ens reale, & rationis per indifferentiam, quemadmodum mediat animal inter hominem, & leonem? planè si ita foret, dicendum esset, quod sicut animal per diuersas differentias contrahentes potest esse homo, & leo, ita illud esse diminutum modò esse posset ens reale, modò rationis, quod nec mente concipi potest; quare concludendum est neutro modo dici posse ens medium inter ens reale, & rationis, nec per participationem extremorum, vt Poncius aiebat, nec per indifferentiam ad vtrumque vt asserebat Herrera.

14 Secundò adhuc minus rationabiliter tribuitur hoc esse diminutum creaturis à Poncio omninò independenter à Deo, & ab operatione diuini intellectus, vel voluntatis, quia vt arguebamus contra Henricum, & Albertin. art. præcedenti gloriari vtique possent creaturæ quod aliquod esse saltim diminutum haberent à seipsis omninò independenter à Deo. Tum quia de ratione creaturę, vt sic, est quod in quocunque suo esse, quo recedit à nihilo, siue sit esse diminutum, siue completum dependeat à Deo, nam totum esse creaturæ est participatum. Tum quia, quod semel est imparticipatum, semper deinceps est tale, quia tale censetur ab intrinseco suo, & essentialiter; ergo si semel ab æterno hoc esse diminutum creaturarum est imparticipatum, & à Deo independens, quando posteà completur in tempore, participatum esse non poterit, quia tunc mutaretur essentia rei, & non foret eadem essentialiter res quæ modò producitur, & quæ possibilis erat. Tum,

quia hic dicendi modus adhuc absurdior est, quam opinio Henrici siquidem ipse quamuis ponere videretur res à seipsis ab æterno habere esse essentiæ independenter à Deo in genere efficientis causæ, tamen admittebat dependentiam in genere causæ exemplaris, & idæalis; verùm Poncius ponit hoc esse creaturarum diminutum etiam independens à Deo in genere causæ exemplaris, quia ait num. 13. illud esse diminutum non produci per actum diuini intellectus. Tum tandem quia hoc est directè contrà mentem Doctoris, qui 1.d.36.& 39. & d. 43. ex professo probat creaturas ab æterno habere illud esse formaliter, ex se ipsis, & principiatiuè ab intellectu diuino.

15 Respondet Poncius esse de ratione creaturæ duntaxat, quod sit ab alio quantum ad esse reale simpliciter, quod est esse realis existentiæ, non autem quantum ad esse possibile, & diminutum; & ait quod nulla est ratio, cur ad esse creaturæ requiretur maior dependentia, quam talis ratione cuius non posset habere esse reale simpliciter absque Deo; talis autem dependentia adhuc esset in creatura possibilis, quamuis à Deo non acciperet esse suum possibile per operationem intellectus diuini; & tandem inquit id non esse contra Scotum, quia cum inquit esse possibile creaturis, conuenire ex se formaliter, & principiatiuè ab intellectu diuino, ait hoc intelligi debere de esse possibili proximo, non autem remoto, quia hoc prorsus habent à seipsis, & independenter à Deo. Hæc solutio reijcitur ex dictis quia de ratione creaturæ est quod à Deo dependeant quantum ad omne suum esse, quod habet extra Deum, & à Deo realiter distinctum, siue sit esse essentiæ, siue existentiæ, siue completum, siue diminutum. Tum quia vt dicebamus, esse imparticipatum reddit rem omninò independentem à quocumque alio, & excludit ab essentia rei quamcumque dependentiam; ergo si semel creatura esset ab æterno independens à Deo in illo esse suo diminuto, talis quoque esset in tempore quoad esse existentiæ. Tum quia, vt supra arguebamus num. 7. existentia rei proportionatur essentiæ, quia essentia exigit existentiam tanquam vltimum complementum, & vltimum actum; ergo si essentia creaturæ, quæ vtique in illo esse diminuto, quod haberet ab æterno, consisteret, foret independens, talis etiam esse deberet eius existentia. Tum quia cum res producitur in tempore in esse realis existentiæ, vel adhuc retinet illud esse diminutum, quod ab æterno habuit, vel non non secundum, quia existentia est complementum eius & illud velut inchoatio istius, sed creatura quæ nunc producta existit, quoad omne suum esse quantumuis minimum à Deo dependet; ergo etiam ab æterno illud esse diminutum, quod dicebatur habere, erat participatum, alioquin non eadem essentia foret rei existentis, & possibilis. Tum quia Deus vtique Deus non esset, si haberet esse independens quoad existentiam, & dependens, quoad essentiam, quia ex ratione Deitatis petit vt sit independens in omni suo esse; ergo è contra creatura non erit creatura si ponatur dependens solum quoad esse existentiæ, non autem quoad esse essentiæ, vel esse diminutum, quod ab æterno habere dicebatur, quia ex sua ratione petit, vt sit dependens in omni suo esse reali, quantumuis minimo. Denique dubio procul hic dicendi modus valdè accedit ad errorem Vuicleffi, tribuentis creaturis ab æterno aliquod esse reale distinctum ab esse Dei, imò in hoc excedit, quod hoc esse diminutum adscribit creaturis ab æterno independenter prorsus à Deo, quod Vuicleff. asserere non videtur.

Quod autem ait Poncius hunc dicendi modum non esse contra Scotum, quia dum Doctor asserit res habere esse possibile principiatiuè ab intellectu diuino, loquitur, de esse possibili proximo non remoto; est etiam prorsus falsum, ac voluntariè dictum, quia vt latè explicamus art. sequenti id præsertim asserit de esse possibili remoto, quod est esse possibile logicum, esse autem possibile proximum, quod dicitur possibile obiectiuum non auspicatur Doctor ab intellectu diuino, sed in ordine ad diuinam voluntatem, si quidem ex ordine ad diuinam omnipotentiam creaturæ habent, quod dicantur possibiles obiectiuè, vt dicemus art. sequenti. Denique Doctor illud esse diminutum ait esse suo modo participatum 1.d.30.quæst.2.lit.O.

16 Tertiò ad rectè intelligendum quid sit illud esse cognitum, quod Scotus tribuit creaturis ab æterno in mente diuina, adeò Thomistis insensum, & abominabile, statuendum est omnes fateri debere, vt certum nedum in fide nostra, sed etiam in vera Philosophia, diuinum intellectum omnes creaturas possibiles cognoscere ab æterno quod earum possibilitatem scientia, quam dicunt simplicis intelligentiæ, quæ si ex cognitione diuina res ab æterno cognitæ denominantur, planè vt inquit Suarez disp. 31. Met. sec. 2. num. 2. eadem necessitate fatendum est hoc esse conuenire creaturis ab æterno, qua conuenit ipsi Deo scire creaturas, quare sicut prorsus irrationabile foret concedere oculum parietem videre, & deinde negare parietem esse visum, ità in proposito mera dementia foret concedere Deum ab æterno scientia simplicis intelligentiæ cognoscere creaturas possibiles, & negare illas habere esse cognitum ab æterno in diuina mente. Cum igitur hoc solùm sonet illud esse cognitum, quod Scotus tribuit creaturis ab æterno, quodque appellat diminutum, secundum quid, & ab intellectu diuino productum, vt illud distingueret ab esse reale simpliciter, quod postea in tempore à voluntate diuina accipiunt per veram, & physicam productionem, consequenter omnes fateri tenentur res ab æterno habuisse in diuina mente tale esse cognitum, secundum quid, & diminutum, vt benè Vasquez adnotauit 1.par. q. 15. disp. 70. num. 8. vbi etiam subdit Vualdens. lib. 1. de antiquit. fidei cap. 1. 2. & 3. tale esse diminutum creaturis ab æterno concedere cum Scoto ex D. Aug. v. super Genes. ad lit. cap. 14. atque ideò frustra laborare Thomistas, vt contra Scotum probent res ab æterno non habuisse illud esse diminutum, intelligentes illud esse aliquid reale extrà causas existens, vel saltim aliquod medium inter esse reale, & rationis, quod Scotus nec quidem somniauit, siquidem per tale esse cognitum, ac diminutum, quod tribuit creaturis ab æterno in mente diuina, solùm intelligit illud esse possibile creaturarum, secundum quod ab æterno obijciatur intellectui diuino virtute suæ intellectionis ratione cuius dicuntur ab ipso diuino intellectu secundum quid produci, hoc est, præsentari, ità Doctorem explicat, ac intelligit Vasq. loc. c. & benè ad intentionem eius.

17 Quartò ad maiorem adhuc intelligentiam istius esse cogniti, quod habent res ab æterno in diuina mente, maximè notandum est, quod acutissimè Lichetus aduertit 1.d.36. & Vulpes cit. cum ipso omninò distinguendum esse illud esse cognitum, quod creaturæ possibiles accipiunt formaliter in intellectu diuino cognoscente, ab illo esse, quod attingitur per diuinam cognitionem eis non repugnare, posse quod dicuntur esse in potentia logica, ac etiam in potentia obiectiua ipsius Dei, à quo realiter produci possunt; quamuis enim hoc esse, quod eis cognoscitur non repugnare, & est terminus diuinæ cognitionis, velut obiectum secundarium eius, sit esse reale potentiale, quod appellari solet ens reale nominaliter, vt latè explicabimus art. sequenti; tamen illud esse cognitum prius quod in creaturas possibiles deriuatur ex terminatione diuinæ cognitionis non est aliquod esse reale, vel medium inter esse reale, & rationis, vt Thomistæ Scoticum idioma non intelligentes comminiscuntur, sed est purum esse rationis, qualis est esse visum in pariete, & esse intellectum in obiecto intellectui representato, non quidem esse rationis formale, & fabricatum, sed materiale, & derelictum, quemadmodum iam explicauimus disp. 3. logicæ quæst. 2. art. 1. concl. 2. in fine conclusionis. Hoc autem ex plerisque locis ipsius Doctoris manifestè colligitur, quæ hic afferre iuuabit, vt constet quam immeritò Thomista in hoc contra ipsum oblatrent; nam in 1.d.8.q.5.§. *contra istam conclusionem in fine lit. N.* explicans hoc esse cognitum rerum ab æterno sic loquitur, *intellectum esse respectu alicuius obiecti non ponit illud esse aliquid in entitate reali aliud à primo obiecto, quia esse cognitum ab intellectu diuino non ponit illud esse in se, sed in intellectu præsentialiter* & d.13. q.vn. § *aliter ponitur*, sic loquitur, *ens rationis tantum habet esse in intellectu, quia ens rationis non causatur ab obiecto, nisi in quantum cognitum, & vt sic non habet esse nisi in intellectu, quod est ens diminutum ex 6. Met. nihil autem secundum quod ens diminutum est, est propria ratio entis veri*, sed hoc expressius habet 1.d.36.q.vn. per totum, vbi ex professo de hoc esse cognito loquitur, & in primis §. *contra istud obijcitur* sub lit. E. ait esse cognitum creaturarum esse eiusdem rationis cum esse exemplato, & repræsentato Homeri dum est in opinione, quod esse opinatum satis de se constat esse purum ens rationis. Deinde lit. F. ens prima sui diuisione æquiuoca diuidit in ens in anima, & ens extrà animam ideſt reale, & rationis, vt ibi explicat, & illud esse in anima, sub quo constituit esse cognitum creaturarum, ait omninò esse diuersum ab omni esse extrà animam. Item lit. G. in resp. ad 2. inquit quod productio ista creaturarum in esse cognito in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter; & tale esse inquit esse omninò eiusdem rationis cum esse Cæsaris repræsentato in statua, si foret simpliciter annihilatus. Et ibidem paulopost, vt excluderet omnem dubitationem de illo esse cognito, an esset aliquo modo esse reale, vel purum ens rationis subdit hæc verba, *& si velis quærere aliquod esse verum huius obiecti, sic, nullum est quærere, nisi secundum quid, nisi dicatur, quod istud esse secundum quid reducitur ad aliquod esse simpliciter, quod est esse ipsum intellectionis, sed istud esse simpliciter non est esse formaliter eius quod dicitur esse secundum quid, sed est eius terminatiuè, vel principiatiuè*, scilicet tanquam cogniti in cognoscente, quam doctrinam etiam docet in 4.d.1.q.1.lit.Q. Rursus sub lit. M. inquit hominem ab æterno ex quo habuit esse cognitum à Deo non magis habere esse, quam chimæram, sed tam esse nihil, quam istam. Et tandem in 2.d.1.qu.1.lit.H. esse cognitum creaturarum comparat Doctor illi esse, quod habent secundæ intentiones in intellectu nostro, quod nulli dubium est esse entis rationis.

18 Quintò adhuc magis declarandum est, quo pacto dixerit Scotus creaturas ab æterno esse productas in esse cognito, secundum quid, & diminuto 1.d.35.36.& 39.& 2.d.1.q.1.ex quol. 14. art. 2. & alibi sæpè; & hoc ad excludendum calumnias Thomistarum, qui meutem Doctoris non assecuti, vt ait Vasquez loc. cit. acerbius, quam par sit, damnant hunc loquendi modum, vnde Caiet. p. 1. qu. 34. art. 3. hanc productionem creaturarum in esse cognito vocat chimeram, & periculosam; ait itaque Doctor 1.d.36.q.vn.§. *contra conclusionem istarum*, non tantùm diuino intellectui conuenire, cum res intelligit, & cognoscit, in esse quodam cognito, & intellecto producere, sed hoc ei commune esse cum intellectu creato, qui etiam suo modo cum obiecta intelligit, dicitur ea in esse quodam cognito, & intentionali producere; sicut enim ait Doctor, quia esse album non est, nisi esse qualitatiuum, ideò producere in esse albo, non est producere in esse substantiæ, vel simpliciter, sed tantùm in illo esse qualitatiuo, quia productio à termino, seu forma producta denominatur, iuxtà esse simpliciter, vel secundum quid quod ipsa tribuit; ita in proposito cum denominatio cogniti, & intellecti obiecto, cui aduenit, non tribuat esse aliquod simpliciter, & extra ani-

animam, sed tantum secundum quid, & anima, ac intentionale, consequenter talis productio rerum in esse cognito ab intellectu diuino ab æterno non est, nisi productio in esse secundum, quid, ac diminuto. Cæterum aduertit Doctor ibidem hoc versari discrimen inter diuinum intellectum, & creatum quoad productionem rerum in esse cognito, quod cum intellectus creatus res intelligit, non præstat eis per talem intellectionem primum omninò earum esse, quia in prio esse supponuntur eius intellectioni, quia respectu intellectus creatires sunt prius intelligibiles, quam intellectæ, at intellectus diuinus cum res intelligit producit eas in primo esse intelligibili, vel intellecto, res enim nequeunt habere esse intelligibile proprium, & formale priusquam ab intellectu diuino intelligantur, sed tantùm virtuale in diuina essentia; cuius ratio est, vt dicitur in tractatu de scientia Dei, essentia diuina, vt prior intellectione præcisè secundum rationem essentiæ non est exemplar actuale, & formale creaturarum, nec in ea veluti in speculo res ipsæ relucent, sed tantùm virtuale, & eminentiale, vt declarat Bassolius 1.d.36.q.1.art.2.vndè antequam diuini intellectus creatura nullum esse formale proprium habet in Deo nec cognitum, nec possibile, nec intelligibile, licet hæc quasi virtualiter habeat in diuina essentia, vt disertè Doctor ipse docet 2.d.1.qu.1. §. *sequitur secundum instans naturæ*, vbi proindè comparat productionem hanc creaturarum in esse cognito effectioni secundarum intentionum in intellectu nostro, in quo non dicuntur habere prius esse intelligibile, quam intellectum. Hinc deducitur quod esse cognitum ab intellectu nostro rebus tributum, non est primum omnino earum esse (nisi in entibus rationis, ac secundis intentionibus) sed secundarium, sed esse cognitum, quod eis tribuitur ab intellectu diuino est primum omninò earum esse, ante quod nullum est prius, per quod res formaliter esse dicantur, & hæc est ratio, cur eas dicatur diuinus intellectus potius producere in esse cognito, quam intellectus creatus, non quia ex vi intellectionis diuinæ res ab æterno accipiant aliquod esse reale simpliciter, vel diminutum medium inter esse reale, & rationis, vt Thomistæ perperam intellexerunt, sed quia primum esse formale, quod habent, est hoc esse cognitum, & diminutum; per quod ruunt omnia argumenta à Nominalibus congesta præsertim à Rubion. 1.d.43. contra hanc productionem in esse cognito.

19 Hinc tandem resolui potest illud quæsitum, quod hìc proponi solet, an hoc esse cognitum positum à Scoto dicatur tale per extrinsecam, vel potius per intrinsecam denominationem; volunt enim Scotistæ quamplures creaturis conuenire per extrinsecam duntaxat denominationem, & ita loqui, ac supponere videtur Vulpes loc. cit. contra quos acriter agit Nolan. cit. qu. 13. vbi contendit eis conuenire per denominationem intrinsecam; sed est ferè contentio de nomine, nam certum est ex vna parte, esse cognitum diuinum non conuenire rebus per denominationem adeò extrinsecam, sicut eis conuenit esse cognitum per intellectum creatum, quia cum esse cognitum à nostro intellectu rebus tributum non sit primum earum esse, sed secundarium, vt dicebamus, sequitur esse illis omninò extrinsecum, & aduentitium, & meram denominationem extrinsecam duntaxat in illis ponere, & è contra cum esse cognitum à diuino intellectu rebus tributum sit omninò primum earum esse formale, ante quod nullum est prius, per quod res formaliter esse dicantur, sequitur esse illis aliquo pacto intrinsecum, quatenus est id, quo primò, & formaliter habent esse, licet diminutum, & secundùm quid, vt optimè aduotauit Rada loc. cit. notab. 4. vndè sicut hac ratione esse quod noster intellectus secundis tribuit intentionibus, non est eis extrinsecum, nec eis omninò conuenit per extrinsecam denominationem, quæ rem supponere solet, cui aduenit, in proprio esse, sed est eis intrinsecum, & formale, licet secundum quid, ac diminutum, est tamen extrinsecum primis intentionibus; ita esse cognitum, in quo producuntur creaturæ à Deo, est intrinsecum, proprium, & formale ipsis creaturis, licet diminutum, & secundum quid. Sed ex alia parte certum quoque esse debet, esse illud cognitum rebus tributum ab intellectu diuino non esse ita intrinsecum, vt ponat aliquid in creaturis, ratione cuius dici queant esse in seipsis absolutè loquendo, quemadmodum velle videtur Nolan. loc. cit. quia concedi nequit in rigore loquendo, quod res in esse cognito sit in seipsa absolutè, quia cum illud esse sit omninò diminutum, & secundum quid nullo modo concedi debet absolutè per ipsum in seipsa esse, vt etiam notauit Rada cit. concl. 4. sed tantùm in mente diuina, vt cognitum in cognoscente.

20 Sextò tandem, vt pateat qua ratione Doctor 1. d. 39. vocet hoc esse cognitum creaturarum esse diminutum, & esse rationis absolutum, notandum ex eodem ibid. sub. lit. E. duplicem esse determinationem, vnam diminuentem, alteram prorsus distrahentem, prima dicitur, quæ non tollit omoimodam significationem termini, cui additur, minuit tamen maiorem, & principaliorem partem eius, vt cum dicimus aliquem esse album secundum dentes, ly *secundum dentes* dicitur determinatio diminuens, quia non aufert omnimodam albedinis significationem, sed minuit, at determinatio distrahens dicitur quæ tollit omnimodam significationem termini cui additur, & oppositum eius inducit, distrahere namque est propriam termini significationem tollere, & oppositam inducere, vt cum dicitur homo mortuus, ly *mortuus* est determinatio distrahens, quia non solùm tollit proprium hominis significatum, sed etiam oppositum inducit, scilicet humanitatis priuationem. Itaque in proposito esse cognitum creaturarum, quod habent ab æterno in mente diuina vocat Doctor secundum quid, & diminutum, quia ly *cognitum* estò non sit determinatio distrahens, quia non tollit significationem creaturæ, nec oppositum inducit, scilicet priuationem omnimodam possibilitatis; est nihilominus determinatio diminuens quia minuit esse creaturarum, & constituit illud in esse secundum quid, & diminuto. Quare autem hoc esse cognitum appellet Doctor esse rationis absolutum, quod respectum rationis fundat ad diuinam cognitionem, veluti per eam secundum quid productum, pendet ex dictis disp. 3. log. quæst. 7. vbi docuimus ens rationis diuidi in absolutum, & respectiuum ad instar entis realis, ad modum cuius & concipitur, & diuiditur; absolutum nempe est, quod concipitur, vel concipi potest ad modum entis ad se, respectiuum verò quod concipitur per modum entis ad aliud, sicut sunt omnes secundæ intentiones; cum igitur esse cognitum creaturarum possit concipi per modum fundamenti respectum rationis fundantis ad diuinam cognitionem, seu diuinum intellectum, veluti ad causam producentem secundum quid, hac ratione optimè appellatur ens rationis absolutum, nam propriè munus absoluti est fundare respectum. Addo Scotum in illa quæst. per illud esse absolutum creaturarum ab æterno sæpius intelligere esse possibile logicum, quia possibilitas logica, vt distinguitur à possibilitate obiectiua, quæ præcisè attenditur penes ordinem ad diuinam omnipotentiam, solet dici possibilitas absoluta vt seq. art. constabit, per illud ergo esse absolutum intelligit esse possibile logicum, quod propriè constituit fundamentum relationis ad ipsum Deum cognoscentem; vocat autem illud esse rationis, non quidem præcisè, & nudè consideratum, quia sic est ens reale potentiale, vt videbimus art. seq. sed vt cognitum reduplicatiuè; vt enim substat illi determinationi diminuenti dicitur esse rationis, quemadmodum lapis, vt cognitus, dicitur in mente nostra habere tantùm esse rationis, & obiectiuum.

Ex hactenus dictis facilè dilui possunt quæcunque obiecta solent conglomerare Thomistæ contra hoc esse cognitum creaturarum; cum enim probant esse medium inter esse reale, & rationis; quia vel id esse cognitum est ens reale, vel rationis, non primum, vt Scotus ipse concedit, neque secundum, quia id etiam conuenit chimæris, ergo est quid medium inter vtrumque. Deinde quia creaturæ ab æterno cognitæ à Deo sunt verè effectibiles, atque creabiles, ergo non sunt pura entia rationis, alioquin etiam chimeræ forent producibiles, cum ergo ex alia parte non sint entia realia simpliciter habebunt esse medium inter esse reale, & rationis. Demum hoc esse cognitum, quod habent creaturæ ab æterno non est esse simpliciter reale, vt de se patet, neque esse simpliciter rationis, cum non habeant repugnantiam est autem aliquod esse conueniens cum esse rationis in hoc, quod non sit esse reale simpliciter, & cum esse reale simpliciter in hoc, quod non repugnet ipsi existere; est magis perfectum, quam esse rationis propter non repugnantiam, & minus perfectum, quam esse simpliciter, ergo est medium inter ese rationis, & simpliciter.

Resp. Thomistas quoque teneri ad solutionem difficultatis propositæ, quia & ipsi fateri tenentur Deum cognoscere ab æterno creaturas possibiles, quod idem est ac eas esse à Deo cognitas in sua possibilitate per scientiam simplicis intelligentiæ, cumque cognoscantur à Deo, vt possibiles, ac producibiles, non erunt pura entia rationis, quia hæc non sunt producibilia ad extra, at neque sunt entia simpliciter realia, vt ipsi vltrò concedunt, erunt ergo quid medium inter esse reale, & rationis; quare dicendum est aliud esse loqui de creaturis ab æterno cognitis, aliud de esse possibili; quod à diuino intellectu noscitur eis non repugnare, & aliud tandem de simplici denominatione cogniti, quam suscipiunt ex eo quod terminant diuinam cognitionem, nam hoc esse simplicis denominationis est purum esse rationis, vt diximus esse verò possibile creaturarum quod à diuina cognitione attingitur, est esse reale potentiale, seu nominaliter vt dicemus art. seq. creatura tandem si præcisè accipitur secundum illud esse possibile est ens reale potentiale, si verò reduplicatiuè, vt subsitat denominationi cogniti est ens rationis; & sic creaturæ ipsæ hac ratione partim entia realia, partim entia rationis dici possunt, entia quidem realia secundum illud esse, quod à diuino intellectu noscitur eis non repugnare; entia verò rationis, prout secùdum illud esse subsistant denominationi cogniti, quia sic considerantur solum, vt habent esse obiectiuum in diuina mente; at illud esse cognitum pro simplici denominatione acceptum est omninò esse rationis, vndè inconsultò confundunt Thomistæ hoc esse cognitũ, cũ ipsis creaturis cognitis, vt illud ostendat esse ens partim reale, partim rationis. Quod si præcisè sermo fiat de esse possibili creaturarum, vt procedere videtur vltima confirmatio hoc absolutè, & in rigore loquendo est ens reale, quia per hoc esse secernitur creatura ab æterno ab entibus rationis, & chimæris, attamen dici quoque posset quodammodo medium inter ens reale, & rationis, si per esse reale intelligatur esse realis existentiæ, sic enim vtique mediat inter ens rationis, & ens reale verbaliter sumptum, ideſt existens, verum quia simpliciter, & absolutè loquendo nomine entis realis nõ solum intelligendũ venit, quod est existens rerum natura extra causas, vt confirmatio illa supponere videtur, sed etiã id cui nõ repugnat esse sic in rerũ natura, hinc est quod simpliciter, & absolutè loquendo nõ debet dici medium inter ens reale, & rationis, sed potius esse reale, vt videbimus art. seq.

22 Secundò obijcies cum Herrera probando, quod hoc esse cognitum sit saltim medium per indifferentiam inter ens reale, & rationis, quia tam vni, quàm alteri conuenire potest, dum ab intellectum concipiuntur, tunc enim vtrumq; habet esse cognitum in intellectu, ergo

hoc esse cognitum nec est ens reale formaliter, nec rationis, sed quid medium per indifferentiam, & vtrique commune. Conf. quia in plus se habet, quam esse reale, & rationis, conuenit enim etiam chimæris, & impossibilibus, quæ æquè habent esse cognitum in Deo, ac ipsæ creaturæ possibiles. Demum minorem habet entitatem, quam ens reale, vt satis de se constat, & maiorem ente rationis; cum enim concipitur ab intellectu per intelligentiam reflexam, recipit esse minus eo, quod habet in se, nam res accepta inquantum cognita semper ab esse proprio diminuitur, hoc autem est esse formale rationis.

Resp. suppositâ distinctione data in logica de ente rationis materiali, & formali, seu fabricato, & derelicto, negando esse cognitum præcisè acceptum pro denominatione cogniti à potentia cognoscente in obiectum deriuata esse quid commune ad ens reale, & ens rationis, vt comprehendit tam ens rationis formale, quàm materiale, quia continetur sub ente rationis sic accepto. Ad Conf. pariter respondetur falsum esse assumptum, quia esse cognitum pro simplici denominatione acceptum continetur sub ente rationis in ea generalitate accepto, quatenus sub se comprehendit tam ens rationis formale, quam materiale. Ad vltimum negatur assumptum quoad 2. partem cum sua probatione, quia cum esse cognitum in obiecto concipitur per intelligentiam reflexam accipit maius esse intrà latitudinem entis rationis, quia vbi prius erat ens rationis materiale duntaxat, & derelictum, acquirit per intelligentiam reflexam formale esse rationis; cum autem dicebatur rem inquantum cognitam semper ab esse proprio diminui, vel hoc duntaxat de entibus realibus intelligi debet, vel si hoc quoque ad entia rationis extendere placet, id debet intelligi intrà solam latitudinem entis rationis, vndè solum sequitur esse cognitum esse minus ente rationis specificè sumpto, scilicet pro ente formali rationis, non autem genericè, prout, scilicet comprehendit tam materiale, quam formale, pro quorum recta intelligentia recurras ad disp. de ente rationis in Logica.

23 Tertiò arguitur ex Caiet. Bannes, Zumel, & alijs Thomistis p. 1. q. 14. quia argumenta sumpserunt à Nominalibus 1. d. 43. productio creaturarum in esse cognito ab æterno est chimærica, & periculosa, quia sequitur ex ea Deum esse non posse absque illo esse cognito & diminuto, quod dicere scandalosum est. Tum 2. quia tunc res essent ab æterno creatæ, nam hoc esse diminutum esset ens participatum, & omne tale est à Deo creatum. Tum 3. quia creaturæ in illo esse intelligibili forent in seipsis, sed non essent creator, ergo creaturæ. Tum 4. esse cognitum, & repræsentatum non ponit aliquid in re cognita præter solam extrinsecam denominationem; ergo esse cognitum in creaturis nil ponit præter extrinsecam denominationem à diuina cognitione desumptam. Tum 5. quia si Angelus cognosceret modo rem aliquam possibilem, vel impossibilem, per hoc quod cognosceret eam, non produceret illam extrà se in aliquo esse intelligibili, ac diminuto, ergo si Deus intelligit aliquid absque actu voluntatis quo velit illud esse, nihil extra se producit. Tum. 6. quia hinc sequeretur Deum naturali necessitate, & non liberè producere extrà se creaturas in tali esse cognito, & diminuto. Tum 7. cum Deus producit creaturas in esse cognito, vel eas producit intelligens, vel non, si primum ergo frustrà ponitur hæc noua productio in esse cognito, quia anteà erant cognitæ, si secundum ergo merè naturaliter eas producit, velut ignis ignem. Tum 8. vel eas producit mediantibus idæis, vel sine illis, non secundum quia nil Deus extrà se producit, nisi medijs Idæis, sed neque primum, quia ideæ non præcedunt nisi productionem creaturarum in esse reali. Tum tandem, quia creaturæ in tali esse diminuto productæ essent æternæ, & posteà quando producuntur in tempore non fierent ex nihilo, sed ex tali esse cognito, ac diminuto.

24 Resp. hæc, & similia argumenta Thomistis congesta procedere ex falsa sententiæ Scoti intelligentia; sicut ergò nec periculosum, nec scandalosum est, imò prorsus necessarium asserere, quod Deus scientia simplicis intelligentiæ cognoscat creaturas possibiles, ità nec ponere istas esse intellectui diuino ab æterno obiectiuè præsentes, hoc enim & non aliud vult innuere Doctor per illam productionem rerum in esse cognito in diuina mente, quia apud Scotum res intelligere est formaliter eas in esse cognito producere. Et sicut absurdum non est apud Thomistas Deum ab æterno esse non posse sine respectibus imitabilitatis, & participabilitatis ad creaturas, per quos diuina essentia constituitur in ratione Ideæ; ita apud Scotum inconueniens non est sine esse cognito creaturarum esse non posse, tum quia hoc non est esse aliquod creaturarum in seipsis, sed tantùm in diuina mente; tum quia vt notat Doctor quol. 8. S. propriè loquendo hoc esse nec præexigitur, nec coexigitur ad esse Dei, sed potius ad eius summam perfectionem necessario sequitur, virtute cuius res omnes possibiles necessariò intelligens dicitur consequenter eas producere in esse cognito, quod nullam arguit dependentiam Dei à creaturis in suo esse, sed potius è contra. Ad 2. negatur conseq. quia creatio terminatur ad verum esse simpliciter, non autem ad esse secundum quid, & diminutum, quale duntaxat est esse creaturarum ab æterno, quod proindè nequit etiam participatum dici, nisi secundum quid. Ad 3. negatur creaturas in esse cognito propriè dici posse esse in seipsis, quasi res reales habentes esse essentiæ, vel existentiæ extra Deum, sed sunt obiectiuè tantùm in diuino intellectu secundum esse reale, quod nouit eis non repugnare, & ideò nec sunt creator, nec creaturæ, quia hæc soli enti reali competunt. Ad 4. satis constat ex dictis num. 19. Ad 5. etiam constat ex dictis num. 18. quale interueniat discrimen inter productionem rerum in esse cognito factam ab intellectu diuino, & ab intellectu creato, & quomodo Deus producendo res in esse cognito non propriè dicatur illas ponere extrà seipsum, quia nullum esse reale actuale illis confert per talem productionem. Ad 6. concedit Doctor consequentiam sine vlla absurditate 1. d. 8. q. 5. lit. N. vbi air, quod non se habet diuinus intellectus ad intelligibilia alia à se, sicut voluntas ad alia volibilia, quia ille intellectus potest esse necessario omnium intelligibilium, quatenus sunt sibi præsentia; productiuus in esse cognito, quia per hoc non ponitur aliud à Deo formaliter necessarium in esse reali, voluntas autem non potest esse necessario aliquorum aliorum volibilium, nisi illa essent aliquando necessaria in aliquo esse reali alio ab esse diuino; ita Doctor, quod intelligendum est de voluntate efficaci, non autem simplicis complacentiæ, nam loquendo de tali amore nullum foret absurdum concedere, quod necessariò diligat creaturas in esse cognito, ac earum possibilitatem, nam passim hoc admittunt omnes Theologi, saltim necessitate libertatem specificationis excludente, si non exercitij.

25 Ad 7. quod est argumentum ab ipso Doctore confectum contra Henricum 1. d. 36. lit. B. dico minimè cogitandum esse in productione rerum in esse cognito ab intellectu diuino duos quasi actus distinctos interuenire, vt Aduersarij imaginantur, alterum producendi, alterum intelligendi creaturas nec proindè diuinum intellectum prius producere, quam intelligere, vel è contrà, sed potius est vnus, & idem actus formalissimus, quo verè intelligendo, secundum quid producit, & secundum quid producendo, verè intelligit, nam eas intelligere est formaliter producere in esse cognito, & è conuerso. Ad 8. cum Idæa sit ratio in mente diuina, secundum quam aliquid est formabile ad extra, vt Doctor docet 1. d. 35. ex Aug. & esse cognitum, vt sic, nec sit formatum, nec sit formabile ad extra, consequenter in sui productione nulla indiget idæa, sed potius est ipsamet idæa creaturæ possibilis ad extrà, & cum dicitur Deum, nihil ad extrà producere sine idæis, verum est in esse realis existentiæ, præterquamquod, vt sæpè dictum est, per productionem rerum in esse cognito nihil propriè loquendo extra ponit, quia per eam nullum esse reale actuale illis confert. Ad vlt. creaturæ in illo statu, scilicet in esse cognito dicuntur tantùm æternæ secundum quid, & in esse obiectiuo, quod nullum est inconueniens, alioquin in esse realis essentiæ, & existentiæ sunt simpliciter contingentes, & quamuis autem hoc esse cognitum præcedat in æternitate, falsum tamen est creaturam ex ipso produci in esse reali, tanquam ex aliquo positiuo, sed potius ex eo producitur tanquam ex exemplari, ad quod aspiciens supremus opifex dicitur creaturam extrà producere in esse reali, vt docet Doctor 2. d. 1. quæst. 1.

Postremò hic nota, quod Meurisse loc. cit. aduertit, tantùm abesse, vt Scotus hanc opinionem teneat, quam ei impingunt Thomistæ, vt potius ipsi in eam incidere cogantur, si consequenter loqui volunt ad sua principia de distinctione reali existentiæ ab essentia, & quod essentiæ rerum secundum esse reale essentiæ sunt æternæ, ex hoc enim præsertim deducunt distinctionem realem existentiæ ab essentia, quia res secundum esse essentiæ sunt æternæ, non autem secundum esse existentiæ, vt infrà videbimus in proprio quæsito; ergo potius ad eorum principia sequitur ista opinio, quam ex principijs Doctoris subtilis, qui semper constantissimè negauit realem distinctionem existentiæ ab essentia.

ARTICVLVS III.

Essentia rerum, vt ab existentiam præscindit, in sola reali possibilitate consistit, vbi explicatur quid sit, & vndè oriatur esse possibile rerum.

26 COnclusio huius articuli communis est tam apud Veteres, quam apud Recentiores, & sequitur manifestè ex determinatis in præcedentibus articulis; si enim creaturæ ab æterno non habent aliquod esse reale actuale essentiæ vt asserebat prima opinio à quæstionis initio citata, nec aliquod esse diminutum medium inter esse reale, & esse rationis, vt aiebat secunda opinio citata ibidem, & tandem aliud esse actuale ab æterno non habent, nisi purum esse cognitum, & obiectiuum, quod est esse rationis in eas deriuatum ab intellectu diuino, dum scientia simplicis intelligentiæ eas attingit secundum illud esse, quod nouit ex earum natura illis non repugnare, vt dictum est art. præced. planè, inquam, ex hoc sequitur nil remanere, per quod possit explicari rerum essentia ab æterno, vt ab existentia præscindit, nisi sola realis possibilitas, per quam præcisæ creaturæ ab æterno distinguuntur à chimæris, & alijs impossibilibus. Tres tamen arduæ difficultates occurrunt circa rectam huius conclusionis intelligentiam. Prima est quo pacto sit explicanda hæc rerum possibilitas; secunda an habeat causas, & quæ sint; tertia an sit in tali gradu realis, vt essentia rei possibilis secluſa existentia possit dici verè ens reale.

27 Circa primam difficultatem Hurtad. disp. 8. Met. sec. 1. explicat possibilitatem rerum per denominationem possibilis sumptam à diuina omnipotentia, quæ eo ipso quod aliquem effectum producere potest, illum possibilem denominat, quæ videtur fuisse sententia Henrici quol. 6. q. 3. & Gabriel. 1. d. 43. qu. 2. & Canonici 2. Phys. q. 1. art. 2. Quem dicendi modum sic absolutè prolatum reijcit Doctor pluribus in

in locis, & in primis 1.d.36.ad 2.prin. quia circumscripta omni potentia actiua in rerum natura, adhuc multa dicerentur possibilia potentia logica, ideſt multa non repugnarent in rerum natura, vt quod homo ſit animal rationale, equus irrationalis, &c. cum hæc prædicata adinuicem non repugnent; ac etiam alia quamplura eſſent impoſſibilia, vt homo irrationalis, equus rationalis, quia tales enunciationes ſunt implicatoriæ, ergo res non habent, vt dicantur poſſibiles, vel impoſſibiles logicè per reſpectum ad diuinam omnipotentiam, ſed potius ex ſuis rationibus formalibus. Deindè arguit Doctor 1.d.43. nihil eſt ſimpliciter impoſſibile, niſi quia ſimpliciter repugnat ſibi eſſe, cui autem repugnat eſſe, repugnat ei ex ſe primò, & non propter reſpectum aliquem affirmatiuum, vel negatiuum eius ad aliquid aliud, repugnantia enim quæcunque extremorum eſt ex ratione ſua formali, & per ſe eſſentiali circumſcripto quocunque alio reſpectu vtriuſque extremi poſitiuo, vel negatiuo ad quodcunque aliud, ſicut album, & nigrum per ſe ex ſuis rationibus formalibus contrariantur, & habent repugnantiam formalem circumſcribendo per impoſſibile omnem reſpectu ad quodcunque aliud; illud igitur eſt ſimpliciter impoſſibile, cui per ſe repugnat eſſe, & quod ex ſe primò eſt tale, quod ſibi omninò repugnat eſſe, & non propter aliquem reſpectum ad diuinam omnipotentiam affirmatiuum, vel negatiuum, imò ſibi repugnaret eſſe, ſi per impoſſibile Deus non eſſet. Conf. quia ſi chimæra eſt impoſſibilis, ſanè ex parte diuinæ omnipotentiæ talis impoſſibilitas attendi nequit, quia diuina omnipotentia, quantum eſt ex ſe eſt virtus infinita, ac proindè æquè valens ad producendum hominem, ac chimæram quantum eſt ex parte ſui; defectus ergo procedit ex parte chimeræ, quatenus in ſe aliquam habet repugnantiam ad produci, quam non habet homo, atque ideò hic dicitur poſſibilis, illa impoſſibilis, ergo talis poſſibilitas, vel impoſſibilitas logica non eſt mera denominatio extrinſeca ex omnipotentia Dei deſumenda, ſed ex rationibus formalibus hominis, & chimeræ.

28 Forte dices hoc probare dumtaxat impoſſibilitatem rerum, vtique ex parte diuinæ omnipotentiæ attendi non poſſe, quia hoc in ea imperfectionem argueret, benè tamen attendi poſſe poſſibilitatem, quia hæc nullam infert imperfectionem, imò magis maximam perfectionem in diuina omnipotentia. Contra hoc inſtat Doctor cit. 1.d.43. quia in cauſis præciſis ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, ità negatio eſt cauſa negationis ex 1.poſt. tex. com. 30. vbi ait Ariſtot. quod ſi habere pulmonem eſt cauſa reſpirandi, non habere pulmonem eſt cauſa non reſpirandi; ergo ſi potentia actiua, quæ eſt omnipotentia in Deo, eſt præciſa ratio poſſibilitatis in creatura, negatio potentiæ actiuæ in Deo erit cauſa negationis poſſibilitatis in creatura. Tum quia ſicut iſta propoſitio falſa eſt, quia Deus chimæram producere nequit, ideò chimæra repugnat, nam potius oppoſita eſt vera, ideò Deus chimæram producere nequit, quia chimæra eſt in ſe repugnans; ſic à pari iſta propoſitio erit falſa quia Deus poteſt producere hominem, homo non repugnat, & potius oppoſita erit vera; quia homo non eſt in ſe repugnans, ideò poteſt à Deo produci, ergo nedum impoſſibilitas, ſed etiam poſſibilitas ex rationibus formalibus rerum attendenda erit, & non ex parte diuinæ omnipotentiæ. Tandem nouit Deus aliquam rationem in lapide, ratione cuius ſit poſſibilis, & poſſit habere denominationem poſſibilis à diuina omnipotentia, quam non cognoſcit in chimæra; ergo aliquam repugnantiam habet in ſe chimæra, quam non habet lapis, ratione cuius dicitur impoſſibilis, & aliquam non repugnantiam habet lapis, ob quam poſſibilis dicitur, quæ non reperitur in chimæra, independenter ab omnipotentia diuina.

29 Itaque dicendum eſt aliquid poſſe dici poſſibile dupliciter, vel logicè, vel etiam obiectiuè, non enim idem ſunt præſertim apud Scotum, & Ariſt. potentia logica, & obiectiua, vt ſuperius ſuo loco diximus diſp.6. qu.2. nam logica potentia, vt explicat Doctor 1.d.7. qu.vn.§. *ad quæſtionem* dicit modum compoſitionis factæ ab intellectu, & iſtanotat non repugnantiam extremorum, de qua ait Philoſophus 5.Met.cap. de potentia, *illud eſt poſſibile, cuius contrarium non eſt de neceſſitate verum*, vndè ſubdit Doctor, quod ſi antè mundi creationem mundus non ſolum non fuiſſet, ſed nec etiam per impoſſibile Deus, fuiſſet tamen aliquis intellectus, tunc antè mundi creationem hanc componens propoſitionem, mundus poterit eſſe, mundus eſſet poſſibilis potentia logica, quia termini non repugnarent. Potentia verò obiectiua, vt Scotus idem docet 2.d.12.q.1.§. *eſt igitur videndum*, eſt illa, per quam aliquid dicitur poſſibile, vt terminus potentiæ actiuæ agentis, vndè hoc modo dicitur res eſſe in potentia, quando non eſt, niſi in virtute productiua ſuæ cauſæ, quo pacto roſa in hyeme dicitur eſſe in potentia obiectiua, albedo enim ait Doctor, eſt in potentia obiectiua, quando non eſt, quæ tamen ſecundum quid eſt, quia eſt in virtute cauſæ, vel cauſarum ſuarum. Ex quo fit nec potentiam logicam, nec obiectiuam aliquid in re ponere eius, quod eſt ſic in potentia, nec aliquid reale in rebus ipſis præferre, quia vna attenditur pœnes ordinem ad intellectum connectentem inter ſe extrema non repugnantia, vt quod homo ſit animal ratione, altera verò penes ordinem ad potentiam agentis productiuam. Ex quo rurſus ſequitur potentiam obiectiuam ſupponere logicam, veluti fundamentum eius adeoquod res prius dicitur poſſibilis logicè, quam obiectiuè, ſi enim aliquid in ſe implicaret ſanè terminus potentiæ agentis eſſe non poſſet, vt Doctor ſignificat 1.d.36. M. vbi ait, quod poſſibilitatem logicam conſequitur poſſibilitas obiectiua, & hoc ſuppoſita omnipotentia Dei, quæ reſpicit omne poſſibile aliud à ſe.

30 Vt ergo propoſitæ difficultati reſpondeamus, dicendum eſt, aliud eſſe loqui de poſſibilitate rerum logica, aliud de obiectiua, nam ſi de iſta ſit ſermo, verum eſt, quod relata aſſerebat ſententia res dici poſſibiles à diuina omnipotentia, poſſibiles, inquam, extrinſecè, & obiectiuè, vt conſtat ex allata poſſibilitatis obiectiuæ explicatione, ſiquidem rem eſſe in potentia obiectiua eſt obiici virtuti alicuius agentis eam producere valentis, ſed prima omnium potentia actiua eſt diuina omnipotentia, ergo prima poſſibilitas obiectiua rerum à diuina omnipotentia auſpicanda eſt, adeout ſi per impoſſibile iſta in Deo non eſſet, non amplius res dicerentur obiectiuè poſſibiles, ſed impoſſibiles. Conf. quia hoc vniuerſaliter contingit in quocumque effectu ad ſuam cauſam comparato, ex hoc enim quod cauſa dicitur potens ſuum effectum producere, ſtatim in effectu reſultat denominatio quædam extrinſeca producibilis à tali cauſa, ergo pariter idem dicendum eſt de effectibus omnibus creatis reſpectu diuinæ omnipotentiæ. At loquendo de poſſibilitate logica, quam Recentiores intrinſecam appellant, falſum eſt hanc denominationem ſumi ab omnipotentia diuina, potius enim deſumenda eſt ex rationibus formalibus ipſarum rerum poſſibilium, vt euidenter oſtendunt rationes factæ contra relatam opinionem, & probat Doctor cit.1.d.36. M. veluti à priori, quicquid enim repugnat alicui formaliter, ex ſe repugnat ei, & quod non repugnat formaliter, ex ſe non repugnat, nec eſt hoc fingendum, quod homini non repugnat, quia eſt ens in potentia, & chimeræ repugnat, quia non eſt ens in potentia, imò magis è conuerſo, quia homini non repugnat, ideò poſſibile eſt potentia logica, & quia chimeræ repugnat, ideò eſt impoſſibile impoſſibilitate oppoſita; vndè tandem concludit, quod prima omninò ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnet eſſe, eſt, quia homo formaliter eſt homo, & hoc ſiue in ſe realiter, ſiue in intellectu concèptibiliter, & prima ratio quare chimeræ repugnet eſſe, eſt chimæra inquantum chimæra; quem dicendi modum præter omnes Scotiſtas amplectuntur paſſim Recentiores & præſertim Arriag. diſputat.2. Metaph. ſec.1. ſubſec. 1. & Ouuied. controuerſ.2.Metaph.punct.1.

Sed obijcies, non poſſunt concipi creaturæ poſſibiles priuſquam Deus concipiatur eas producere poſſe, ergo illa non repugnantia rerum, ſeu earum intrinſeca poſſibilitas non anteuertit omnipotentiam Dei, probatur aſſumptum, quia aptitudo creaturæ ad exiſtendum non eſt niſi ad exiſtendum cum dependentia ab alio, alioquin creatura non eſſet; Conf. quia creaturæ poſſibiles, vt ſic, dicunt ordinem eſſentialem ad Deum, ergo nequeunt eſſe poſſibiles antequam intelligatur omnipotentia Dei, quia relatiuum intelligi nequit ante ſuum correlatiuum. Rurſus ſi res ſupponerentur diuinæ omnipotentiæ poſſibiles, adeout ſit verum dicere, ideò poteſt hoc à Deo fieri, quia non repugnat, iam omnipotentia Dei penderet à creaturis, ita vt ſi illæ poſſibiles non forent, Deus non eſſet omnipotens. Demum cuicunque potentiæ paſſiuæ correſpondet aliqua actiua, ergo nequeunt concipi res paſſiuè poſſibiles ſine potentia actiua correſpondente.

31 Reſpondetur hæc, & ſimilia argumenta concludere tantum de potentia obiectiua, extrinſeca, & proxima, quia hæc re vera conſtituitur per reſpectum ad potentiam actiuam agentis non autem de logica, intrinſeca, & remota, quæ à tali reſpectu præſcindit, & ideo dici ſolet poſſibilitas abſoluta, quia conſiſtit in ſola non repugnantia rei præſcindendo ab eo, quod illa res ſit ab alio producibilis, vel à ſeipſa exiſtat, qua de cauſa etiam ipſe Deus dicitur poſſibilis logicè, quod vtique dici non poſſet, ſi hæc poſſibilitas imbiberet reſpectum ad potentiam actiuam agentis; quapropter inquit Doctor loc. cit. poſſibilitatem logicam poſſe conſiſtere, licet per impoſſibile nulla potentia eam reſpiceret, ità loquitur 1.d.7.q.vn.L. & d.36. M. Vndè ad p. negatur aſſumptum de poſſibili logico cum eius probatione, quia licet creatura non ſit poſſibilis obiectiuè, niſi cum dependentia ab alio, quia talis poſſibilitas eſt eius propria, eſt tamen poſſibilis logicè præſcindendo à tali dependentia, ſiquidem talis poſſibilitas eſt ei communis cum Deo, & ideò talem dependentiam in ſuo conceptu non includit. Ad 2. reſpondetur per idem, & falſum eſt poſſibilitatem logicam eſſe poſſibilitatem relatiuam, cuius correlatiuum ſit potentia actiua, potius enim eſt poſſibilitas abſoluta ab omni potentia actiua præſcindens, ac in ſola & pura non repugnantia rei conſiſtens. Ad 3. negatur ſequela, nam illa particula *quia* dicit potius notam concomitantiæ, quam propriæ cauſalitatis, tum quia Deus non dicitur à parte rei omnipotens per aliquam relationem tranſcendentalem, quam ex natura rei dicat ad creaturas poſſibiles, ſed ab intrinſeca perfectione abſoluta nata fundare reſpectum rationis ad illas ſi ſunt poſſibiles, vndè ſi homo eſſet impoſſibilis, & quælibet alia creatura, adhuc Deus eſſet omnipotens quantum ad intrinſecam perfectionem, quam dicit omnipotentia in ipſo, qua ſolutione paſſim vtuntur omnes Auctores, qui negant relationes tranſcendentales Dei ad creaturas, quæ eſt familiaris doctrina Scoti 1.d.33. & 36. & 43. & alibi ſæpè, de quo diximus diſput.8.log.qu.5.art.1. in fine. Ad vlt. valet illud famigeratum aſſumptum de potentia paſſiua ſubiectiua, vel obiectiua, non autem de potentia paſſiua logica ob rationem allatam, quia, ſcilicet hæc etiam Deo conuenit, qui dicitur poſſibilis

lis logicè, quamuis non obiectiuè. Dices, ergo ablata Dei omnipotentia stante præfata responsione non sequeretur omnem rerum possibilitatem prorsus auferri. Resp. ita esse, si sermo sit de possibilitate rerum logica, & intrinseca, idque apertis verbis concedit Doctor loc.cit.1.d.7.q.vn.L.& d.36.M. neque hoc vllum est inconueniens, nisi sermo sit de possibilitate obiectiua, & proxima.

32 At adhuc est aliqua difficultas in explicanda hac rerum possibilitate logica, & intrinseca, quamuis enim fateantur omnes cum Scoto loc.cit. quod dicat non repugnantiam rei, seu non repugnantiam extremorum per compositionem factam ab intellectu, non tamen omnes rectam huius dicti intelligentiam habent. Aliqui enim, ne videantur creaturis ab æterno tribuere aliquod esse positiuum, per eam non repugnantiam nolunt intelligi possibilitatem positiuam ad existendum, sed meram negationem repugnantiæ, & impossibilitatis, quam vocant realitatem priuatiuam, ità loquitur Smisinch. trac.2. de Deo vno disp.4.q.4. num.99 & seq. quo etiam modo locutus est Fonsec.4. Met. c.5.q.1. sec.4. vbi connexionem extremorum, quam importat logica possibilitas, explicat per negationem diuersitatis prædicati à subiecto. Hic dicendi modus non placet, quia conceptus obiectiui rerum in mente diuina sunt positiui, & important esse essentiale rerum, quod est esse positiuum. Tum quia negatio negationis est quid positiuum, vt negatio tenebræ est lux, negatio cæcitatis est visus, sed negatio repugnantiæ est negatio negationis, quia est negatio impossibilitatis, ergo quid positiuum importare debet. Tum quia vt ait Doctor 1. d.36. M. homini non repugnat existere, & chimeræ repugnat, quia homo habet naturam alterius rationis à chimæra, ergo talis non repugnantia non est mera negatio impossibilitatis, sed in aliquo positiuo fundatur. Tum tandem quia paulò infrà ostendam possibile ab æterno significare illud ens positiuum, quod posteà existet in tempore, ergo non repugnantia logica non consistit in sola non repugnantia negatiua ad existendum, sed est vera possibilitas, & positiua.

33 Dicendum igitur est non repugnantiam logicam importare possibilitatem quandam positiuam, & non negatiuam tantùm, & explicari debere per connexionem extremorum positiuam quasi conditionalem, ita quod si existeret talis eorum connexio in rerum natura, nulla indè sequerentur contradictoria, adeò quod hominem esse logicè possibilem aliud non est, quam quod si existeret connexio animalis cum rationali nulla hinc sequuntur contradictoria; ità explicat Doctor logicam possibilitatem loc.cit.5.d.7.q.vn. & d.36. & præsertim d.43. vbi è contra impossibilitatem logicam exprimit per hoc, quod si talis connexio prædicatorum daretur v.g.chimeræ, contradictoria ponuntur quod sit partim rationalis, partim irrationalis, quem dicendi modum amplectuntur passim Recentiores omnes & præsertim Arriag. & Ouied. loc. cit. & probatur in primis ex communi loquendi modo de possibilitate, & impossibilitate rerum, quia cum quærimus an aliquid sit impossibile, nil aliud inquirimus nisi num ex eo quod existeret, contradictoria sequerentur, quæ si sequuntur, statim dicimus illud esse impossibile, & repugnare, si non sequuntur, asserimus illud esse possibile, ergo possibilitas rei benè explicatur per hanc conditionalem, quod si existeret, nullum inde infertur contradictorium, & quia tales conditionales sunt ab æterno in mente diuina, hinc dicimus possibilia habere ab æterno in intellectu diuino esse cognitum, & obiectiuum. Imò Arist. ipse 9.Metaph. tex.7. hoc pacto logicam possibilitatem explicuit, vt notat Doctor 9.Met.q.2. ad argumenta 1.quæst. cum possibile logicum definiuit esse illud *cuius si illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit*, quod est per conditionalem explicari, ex quo loquendi modo constat hominem possibilem non differre à chimæra impossibili per aliquod reale, quod actu sit, quia vt ait Doctor tam nihil, quantum ad hoc, est homo ab æterno, quàm chimæra, sed per aliquod reale, quod esset si homo existeret in rerum natura, & ratio huius est, quia rem esse possibilem, vt sic, non dicit aliquid, quod physicè actu sit, sed quod actu est obiectiuè in diuino intellectu, & physicè esset absque vlla implicantia, si poneretur in rerum natura extrà Deum. Conf. quia per hunc dicendi modum exprimitur intrinseca differentia rei possibilis, & impossibilis, etiamsi vtrumque sit nihil ab æterno, vt ly *nihil* excludit omnem realitatem actualem, & rursus per eam conditionalem apposita redditur ratio, cur possit Deus si velit, producere hominem, & non chimæram, quia nimirum, si existeret homo, non sequuntur contradictoria, sicut si existeret chimæra.

34 Quamuis autem per hanc conditionalem explicetur tam possibilitas connexionum necessarium vt v.gr. rationalitatis cum homine, quam contingentium, vt albedinis cum eodem, ad huc tamen maiorem habent necessitatem conditionalem connexiones necessariæ, quam contingentes, quia conditionalis expressiua connexionum necessariarum non solùm exprimit, quod si v.g. homo existeret, nullum hinc sequeretur contradictorium, quod etiam commune est connexionibus contingentibus, sed vlterius exprimit, quod si existeret, existere debet cum talibus prædicatis, scilicet cum animalitate, & rationalitate, & in quocunque instanti ponatur, cum tali prædicatorum connexione poni debet, quod non conuenit connexionibus contingentibus, & hinc est quod illæ connexiones dicuntur æternæ veritatis, non illæ, quia verum non est, quod pro quocumque instanti ponitur homo, debeat esse albus, sed solum quod si ponatur albus, nullum inde sequitur contradictorium. Et quia essentiæ rerum propriè consistunt in connexione prædicatorum necessariorum, ideò possibilitas essentiæ, prout ab existentia præscindit, non per quamcunque conditionalem exprimi debet, sed per eam quæ necessitatem inferat connexionis prædicati cum subiecto; ex quo etiam fit connexiones necessarias intellectui diuino repræsentari per modum conditionalis de inesse, v.g. si homo existeret, rationalis esset; connexiones autem contingentes per conditionalem modalem de possibili v.g. si homo existit, potest esse albus, licet hæc omnia intelligat simplicissimè, & absque vlla prorsus compositione; sed de veritate propositionum necessariarum art.seq. redibit sermo.

Secunda Difficultas.

35 Circa secundam difficultatem nu. 26. propositam, an possibilitas rerum causam habeat, & quæ sit, vt sensus quæsiti pateat, sciendum est non hic esse sermonem de causa verè, & propriè dicta, cum enim creatura ab æterno nullum esse reale, & actuale importet, & illa sua possibilitas nullam prorsus importet actualem realitatem, fruſtrà quæreretur aliqua talis eius causa, sumitur ergo causa pro ratione, quo pacto nedum quæri potest causa possibilitatis, sed etiam impossibilitatis, de qua certum est nihil realitatis prorsus præseferre, adeout sensus quæsiti sit, vndè attendenda sit prima ratio possibilitatis, & impossibilitatis rerum, num ex parte Dei, aut potius ipsarum rerum, adeout ex se, & à se dicantur possibiles, vel impossibiles independenter à Deo. Hoc postremum asserunt quamplures Thomistæ Cajet. 1.post.c.6. circa finem Soncin. 5. Met. qu. 10. Suar.disp.31. Met.sec.12. n.46. Vasquez 1.par.disp.104. c.4. Molin.disp. 1.par. Auersa q.8.sec.4. quibus subscribit Ponc.disp. cit. 18. conc. 5. Oppositum ex diametro defendunt alij omnem rerum possibilitatem, vel impossibilitatem sumentes ex parte Dei, aliqui quidem ex diuina voluntate, seu ex omnipotentia Dei, vt Gabriel 1.d.43.qu.2.quidam verò à diuino intellectu mediantibus diuinis Idæis, vt Pasqual. t.2. Met. dis.77. sec.2. vbi opinatur essentias possibiles creaturarum dependere in sua possibilitate à diuinis Idæis, tanquam à causa exemplari. Mediam sententiam docet Scotus 1.d.36.& d.43. vbi ait rerum possibilitatem, ac etiam impossibilitatem extrinsecè quidem, & principiatiuè sumi ab intellectu diuino, intrinsecè verò, & formaliter ex suis rationibus formalibus, & adeò apertè loquitur illis in locis vt immeritò prorsus illi imponat Vasquez cit. asseruisse possibilitatem rerum ab intellectu diuino totaliter causari, non autem ex rerum rationibus formalibus vllo pacto desumi, ait enim lit.M. quod prima ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnet esse, est, quia homo formaliter est homo, & hoc siue in re reliter, siue in intellectu conceptibiliter, & prima ratio quare chimeræ repugnat esse, est chimæra, inquantum chimæra, & sic etiam loquitur d.43. inquit. enim lit.B. quod lapis productus in esse intelligibili per intellectum diuinum habet ista ex se formaliter, & quasi principiatiuè per intellectum, quem dicendi modum circa ea amplectuntur, & declarant Scotistæ omnes.

36 Dicendum itaque est res possibilitatem, vel impossibilitatem non omnino ex seipsis, & à seipsis habere independenter prorsus à Deo, sed nec omninò à Diuina omnipotentia, aut Diuino intellectu mediantibus Idæis; sed intrinsecè, & formaliter ex seipsis, extrinsecè verò, & principiatiuè ab intellectu diuino. Ità Doctor loc.cit. probaturque & declaratur conclusio quoad singulas partes. Et quidem in primis quod non habeant esse possibile totaliter à seipsis, & ex seipsis independenter à Deo iam probatum est supra num.14.& 15. contra Poncium; vt autem adhuc amplius in præsenti absurditas huius asserti eniteat, aduertendum est quod aliud est dicere, quod res habeant possibilitatem ex seipsis, & aliud, quod habeant à seipsis, primum est omnino verum, quia per id solum significatur, quod intrinsecè ità se habeant, vt non inuoluant aliquam implicantiam, nec eis repugnet esse, quod verissimum est; at secundum est prorsus falsum, quia significat quod illam intrinsecam possibilitatem habeant à seipsis, & non communicatam ab altero, sed independenter à quocumque extrinseco, quod sine falsitate asseri nequit. Conf. quia esse possibile creaturarum, quod ab æterno cognoscitur à Deo eis non repugnare, licet non ponat aliquid actu reale in creatura fic possibile, dicit tamen realitatem potentialem, non tantùm negatiuam, sed etiam positiuam, vt dicebamus, num.32. immò potest dici ens reale nominaliter, vt mox dicemus, ergo poni debet aliquo modo dependens à Deo etiam in illa sua realitate potentiali. Confirm. vlterius, quia si haberet creatura intrinsecam possibilitatem à seipsa, ergo à seipsa quoque posset habere actualitatem, cum ergo à se esse actuale habere nequeat, id quoque asserendum est suo modo de esse possibili, prima consequentia probatur, quia possibilitas à se, & independens excludit omnem causam efficientem, quæ ipsam promoueat ad actualitatem, vt cernimus in Deo, quia enim eius possibilitas est independens, ideò est à se, & non ab alio.

37 Deinde verò, quod non accipiant creaturæ suam possibilitatem à diuina omnipotentia, iam probatum est num.27. quia hic non est sermo de possibilitate obiectiua, quam vtique concedimus à diuina omnipotentia desumi, sed possibilitate logica, & intrinseca, quæ in rebus obiectiuam, & extrinsecam anteuertit. Quod nec etiam eam ab intellectu diuino præcise accipiant, probatur, quia si res præ-

præcisè ex eo quod cognoscitur ab intellectu diuino virtute cognitionis huius accipit esse possibile, tunc etiam chimæra possibilis esset, quia æquè Deus possibilia, ac impossibilia nouit, non ergo præcisè ex cognito in primo signo naturæ resultat esse possibile in rebus in secundo signo naturæ, neque in hoc sensu intelligendus est Doctor 1. dist. 43. §. *aliter dico*, quemadmodum eum intellexit Vasquez cit. & nonnulli Nominales præsertim Rubion. 1. d. 43. ex qua falsa intelligentia multa contra ipsum obijciunt; non, inquam, est ità intelligendus Doctor, quia vt aiebam si præcisè ratione esse cogniti vt sic, acciperent res esse possibile, hoc quoque acciperet chimæra, cum & ipsa habeat esse cognitum in mente diuina; sed sensus eius est, quemadmodum ibi explicat Lichetus, quod lapis v. gr. habet esse possibile ex se formaliter, quia per rationem suam intrinsecam, si enim quæratur, quare lapis potest verè existere, respondetur quia est talis entitas, cui non repugnant formaliter existere; & sic quidditas lapidis est ratio formalis, quare lapidi non repugnat formalis existentia, & per ipsam quidditatem potest à priori demonstrari aptitudo existendi, vt patet à Doctore 2. d. 1. quæst. 3. reducendo tamen istud quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus diuinus erit illud, a quo est prima ratio possibilitatis in lapide, ità quod loquendo de ratione extrinseca, siue originatiua, siue productiua dante esse tale, vel tale, intellectus diuinus, siue actus intellectus diuini est ille, qui producit lapidem in tali esse possibili. Vnde sicut diuina voluntas ad extra in tempore re producit in esse simpliciter, & actuali, vt sunt saltem natura producibiles cum his, scilicet vel illis prædicatis, quæ ei ex suis rationibus formalibus conueniunt, ità intellectus diuinus ab æterno res producit in esse cognito cum possibilitate, vel impossibilitate annexa, vt petunt naturæ rerum; quod explicari potest exemplo Solis per eandem virtutem calefactiuam liquatis ceram, & lutum indurantis, sic intellectus diuinus eodem suo actu attingens lapidem ei principiatiuè possibilitatem illam communicat, quam lapis ex sua ratione formali postulat & attingens chimæram eodem actu communicat illi impossibilitatem ex sua ratione formali illi competentem; non ergo ex solo esse cognito redundat possibilitas in rebus, sed etiam ex suis rationibus formalibus.

38 Demum quod possibilitas, & impossibilitas rerum principiatiuè & extrinsecè sumi debeat ab intellectu diuino, formaliter verò, & intrinsecè ex rationibus formalibus earundem, quæ est sententia Doctoris, probatur primò ex ipsa ratione superius assignata potentiæ logicæ, nam potentia logica, ex ipso Doctore 1. d. 7. lit. K. est modus quidam compositionis factæ ab intellectu iudicante prædicatum in aliqua propositione conuenire subiecto, & nullam esse repugnantiam inter ea ex suis rationibus formalibus subortam; ergo possibilitas logica in rebus consurgit ex rationibus earum formalibus interueniente iudicio intellectus & vnum absque alio non sufficit. Confirm. quia si nullus daretur intellectus potens iudicare aliqua extrema esse inter se compossibilia, vel incompossibilia, nulla daretur possibilitas, vel impossibilitas logica, quia hæc attenditur in ordine ad intellectum sic, vel sic iudicantem, nulla etiam daretur, si non darentur termini inuicem ex suis rationibus formalibus conuenientes, vel repugnantes, ergo vtrumque in solidum concurrit ad constituendam possibilitatem, vel impossibilitatem logicam. Præterea hoc interest ex superius dictis inter potentiam logicam, & obiectiuam, quod vna attenditur ex ordine ad intellectum iudicantem extremorum possibilitatem, altera verò in ordine ad potentiam actiuam agentis, sicut ergo prima rerum obiectiuas possibilitas desumitur à prima voluntate, quæ est diuina omnipotentia, ità valdè consentaneum est, vt prima rerum possibilitas logica, nedum ex rationibus intrinsecis rerum attendatur, sed etiam principiatiuè ab intellectu diuino, qui est omnium primus. Rursus à quo res prius habent, vt sint in aliquo esse, etiam ab eodem habent, vt tale sint, vel tales, at res à diuino intellectu primum esse recipiunt, cum cognoscuntur secundum verum esse, quod eis non repugnat, vt dictum est num. 18. & 19. ergo ab eodem principiatiuè habent, & extrinsecè rationes suas formales, penes quas sunt compossibiles, vel incompossibiles, conuenientes, vel repugnantes. Tandem calor, & frigus à quo agente producuntur, ab eodem etiam effectiuè, & principiatiuè habere dicuntur suas rationes formales, quibus inuicem formaliter repugnant, si ergo rerum quidditates primum omninò esse qualecunque sit illud, à diuino intellectu recipiunt, qui primum circa eas operatur, quam diuina voluntas; sanè rationes formales, quibus inuicem repugnant, vel conueniunt, ab eodem diuino intellectu censendum est habere principiatiuè; & hunc dicendi modum amplectitur quoque Pasqual. loc. cit. quamuis enim sec. 2. dicat rerum possibilitatem sumi debere ab intellectu diuino principiatiuè mediantibus diuinis Idæis, fatetur tamen posteà sec. 3. etiam à rationibus formalibus earum debere attendi intrinsecè, & formaliter, quæ est ipsa Scoti sententia.

39 Addit tamen Doctor 1. d. 43. non eodem prorsus modo res dici principiatiuè impossibiles ab intellectu diuino, sicut dicunt possibiles, possibilitas enim procedit ab intellectu diuino proximè, & immediatè, impossibilitas verò remotè, & mediatè, quod sub lit. E. his verbis ita declarat. Sicut Deus suo intellectu producit possibile in esse possibili, ità producit duo entia formaliter vtrumque esse possibili, & illa producta seipsi formaliter sunt incompossibilia, vt non possint simul esse vnum, neque aliquid tertium ex eis, hanc autem incompossibilitatem, quam habent formaliter, habent ex se, & principiatiuè ab eo quo dammodo, qui produxit ea, idest quasi mediatè, & remotè. Et hinc paulò infrà deducit vanum esse quærere impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo vno, quia omne impossibile, qua tale, includit rationes plurium inuicem repugnantium, ita quod ipsum non est primò nihil ratione sui, sed ex rationibus illorum, quæ intelligitur includere propter formalem repugnantiam illorum inclusorum plurium. Et ex hoc dicto Doctoris Bassolius, Bargius, & alij Scotistæ explicant, quare Doctor in ea quæstione dixerit ex esse cognito creaturarum resultare in ipsis esse possibile; negant enim chimeram, & quodcumque aliud impossibile obijci diuino intellectui, veluti vnum per se obiectum primarium, vel secundarium, & ab eo intelligi immediatè, sed intantum dicitur cognosci, inquantum cognoscit illa plura possibilia, quæ inuicem repugnant; & ideò sicuti non habet vnam naturam sibi propriam, ita nec dici debet habere esse proprium intelligibile, in quo producatur intentionaliter ab intellectu diuino, quemadmodum produci dicuntur possibilia.

In oppositum instat 1. Poncius loc. cit. probans creaturas non habere esse possibile principiatiuè ab intellectu diuino, sed præcisè à seipsis, quia obiectum scientiæ speculatiuè non fit per illam, sed potius præsupponitur ipsi, sed scientia, qua nouit Deus creaturas ad æterno est speculatiua, ergo non dat creaturis esse illud, secundum quod cognoscit illas. Tum 2. quia prius natura terminatur scientia diuina ad obiectum primarium, quam secundarium, sed in illo priori creaturæ habent esse possibile saltim remotum, & fundamentale, non enim repugnabant, ergo non recipiunt illud esse à scientia Dei, qua cognoscuntur. Tum 3. quia si per impossibile Deus non cognosceret creaturas, & tamen posset eas, tanquam causa naturaliter agens, producere in tempore, haberent esse possibile ab æterno; & quod non possint sic produci, non oritur ex natura ipsorum sed ex modo agendi, & perfectione Dei, ergo non habent esse suum possibile à scientia Dei neque à diuino intellectu. Tum 4. quia illud esse, quod tunc haberent esset esse distinctæ rationis ab esse chimeræ, sed nihil aliud volumus, quamquod creaturæ ab æterno habeant aliquod esse distinctæ rationis ab esse chimræ, & hoc independenter ab operatione diuini intellectus. Tum 5. quia nisi creaturæ haberent esse aliquod possibile à seipsis independenter ab actu intellectus diuini, non esset ratio, quare homo potius esset possibilis, quam chimæra, nam intellectus diuinus intelligit vtrumque tanquam obiectum secundarium, nec esset vlla ratio, cur tribuere possibilitatem vni potius, quam alteri. Tum tandem quia non haberet creatura esse creaturæ ex eo quod haberet esse ab intellectu diuino, ergo ex eo quod sit creatura, non sequitur quod sit ab intellectu diuino, probatur sequela, quia filius diuinus habet esse ab intellectu diuino, & tamen non est creatura, ergo ex eo præcisè quod habet aliquod esse ab intellectu diuino, non sequitur quod sit creatura.

40 Ad 1. quod est argumentum desumptum à Vasquez, maior est vera duntaxat de obiecto primario diuini intellectus, quod est diuina essentia, non autem de obiecto secundario, quale est omne ens creatum, hoc enim non præsupponitur diuinæ cognitioni, sed potius per ipsam recipit esse, quia vt notat Doctor 2. d. 1. quæst. 1. creaturæ apud diuinum intellectum non sunt prius intelligibiles, quam intellectæ, cum non prius sint formaliter in memoria, quam in Dei intelligentia, & ideò dicuntur obiectum secundarium eius, & purè terminatiuum; & ratio est, quia si creaturæ essent prius ex seipsis formaliter possibiles, & actu intelligibiles, & non potius id esse reciperent per actionem diuini intellectus per motionem diuinæ essentiæ, tunc non essent amplius secundarium obiectum, sed primarium, sicut diuina essentia, æqualem siquidem cum ea haberent habitudinem ad diuinum intellectum, vnde nec diuina essentia esset simpliciter prima in genere intelligibilium. Quod si etiam concederetur cum Lichet. 1. dist. 43. creaturas etiam apud diuinum intellectum esse in aliquo signo prius formaliter intelligibiles, quam actu intellectæ (quod non arbitror satis Scoticè dictum, quia esse cognitum est primum omninò esse, quod accipiunt creaturæ à Deo, vnde eas assimilat Doctor secundis intentionibus quæ per actum intellectus simul accipiunt esse intelligibile, & intellectum, & ideò arguitur à Nolan. cit. quæst. 13. vt parum Scoticè locutus) si inquam id concederetur, non adhuc argumentum vrget, quia tunc diceretur cum Lichet. quod in illo actu intelligendi prius creatura producitur in esse intelligibili, quam actus eius terminetur ad ipsam, ita quod in aliquo signo priori producitur in esse intelligibili, & in alio signo posteriori producitur in esse cognito, & sic semper saluatur quod recipit esse possibile, ac intelligibile è diuino intellectu. Cum verò instat Vasquez intellectum diuinum apud Scotum esse merè speculatiuum, atque ideò non operatiuum rerum, hoc non obstat, quominus sit earum operatiuus, & productiuus in esse cognito, sed tantùm quin nequeat dictare voluntati diuinæ res extra faciendas per modum regulæ, & luculenter declarat Doctor 1. d. 38. ad 1.

41 Ad 2. quod est argumentum à Rubion. loc. cit. desumptum, vbi quærit an in eo priori signo, antequam producatur creatura in esse cognito, sit possibilis vel impossibilis; si primum habetur intentum; si secundum ergo sibi repugnat produci, & poni in esse possibili; huic, inquam, argumento Bargius 1. dist. 43. dat

varias

varias responsiones, & potior tandem sibi videtur, quod tunc in illo priori habeat esse possibile logicum, non autem obiectiuum; quæ sanè solutio totum concedit, quòd argumentum prætendit, cum hic sermo sit de esse possibili logico, non obiectiuo; & falsa est, quia res non accipiunt à diuino intellectu, cum producuntur in esse cognito, esse possibile obiectiuum, sed logicum; obiectiuum verò suscipiunt deinceps, cum comparantur ad diuinam voluntatem, vt potentiam earum productiuam in esse simpliciter, quam doctrinam ex ipso Scoto alibi millies docet Bargius ipse. Quare dicendum est vt in superioribus diximus, creaturam ante actum diuini intellectus eam attingentis per scientiam simplicis intelligentiæ nullum esse formale proprium habere in Deo, nec cognitum, nec possibile, nec intelligibile, sed hæc habere dunta xat virtualiter, & radicaliter in diuina essentia ob eius virtualem, & eminentialem continentiam omnium rerum quoad entitatem, & intelligibilitatem. Nec dicat Poncius hoc ei sufficere, vt creaturæ dicantur possibiles logicè, & non repugnantes. Quia hoc non sufficit, non esse rei virtuale, & radicale in causa non est esse formale, & proprium eius, cuius dicitur esse, sed est esse ipsius causæ effectum producere valentis, vnde esse caloris in Sole non est esse aliquod formale, & proprium ipsius caloris, sed formalissimè est esse ipsius Solis calorem producere potentis, & esse lapidis in Deo, vt causa, nil aliud est, quam esse ipsius Dei potentis lapidem producere; in præsenti autem sermo est de esse creaturæ proprio, ac formali distincto ab esse causæ, quod primò accipere dicimus ab actu diuini intellectus secundum quid, & intentionaliter; & posteà ab actu efficaci diuinæ voluntatis simpliciter, & realiter, cum extrà producitur.

42 Ad 3. quod fuit etiam argumentum Vasquez loc. cit. vbi ait, quod si alias Deus esset, etiamsi non cognosceret, per locum tamen intrinsecum creaturæ essent possibiles, hoc est ex se non implicarent contradictionem, possentque in tempore produci, si alio modo quam cognitione, & voluntate Deus esset omnipotens; ad hoc itaque dicimus, quod dato vno impossibili multa sequuntur, atque ideò ex casu impossibili à Vasquez adducto hoc aliud impossibile sequitur in sententia nostra, quod res forent obiectiuè possibiles, sed non logicè, quia hæc prima possibilitas in rebus attenditur originatiuè à primo intellectu, qui est diuinus intellectus. Neque dicas implicare dari possibile obiectiuum, quod non sit logicè possibile, quia etiam secundum Scotum possibilitas obiectiua fundatur in logica 1. dist. 36. M. Non, inquam, id dicas; quia pariter impossibile est Deum esse omnipotentem, & non esse omniscientem, & tamen Vasquez hunc casum admittit, vt suum probet intentum; ergo & pariter noster admittendus erit eo vel maximè, quia sicut ablata omni scientia à Deo non aufertur per locum intrinsecum omnipotentia, ita neque per locũ intrinsecũ sequitur auferri possibile obiectiuũ ablato possibili logico, vt benè notauit Vasp. l.c. Ad 4. si ly *tunc* referatur ad casũ præcedentis argumenti conceditur assumptum, quia dato vno impossibili multa sequuntur, vt dicebam, sed negatur quod modò res ita se habuerit ab æterno, cum simus extrà casum; si verò ly *tunc* referatur ad illud prius signum in quo scientia diuina terminatur ad obiectum primarium, negatur tunc creaturas habere in se esse distinctæ rationis ab esse chimeræ, quia tunc non habent aliud esse, quam esse suæ causæ, vnde non nisi virtualiter possunt dici distinctæ à chimæris, inquantum continentur in virtute suæ causæ eas producere valentis, non ita chimeræ. Ad 5. quod est commune argumentum Nominalium constat ex dictis num. 37. & 39. quare ex eadem cognitione diuina accipiant extrinsecè creaturæ suam possibilitatem logicam, non ita chimeræ. Ad vlt. sicut creatura à voluntate diuina accipit esse simpliciter creaturæ per actum eius efficacem, ità accipit esse creaturæ secundum quid ab actu diuini intellectus; & cum ait ex eo quod aliquid habeat esse ab intellectu diuino non sequi quod sit creatura, quia filius diuinus habet esse à diuino intellectu, & tamen non est creatura, poterat eodem modo arguere de voluntate, non sufficere quod aliquid habeat esse à voluntate diuina, vt dicatur esse creatura, quia Spiritus sanctus habet esse à diuina voluntate, sicut Filius ab intellectu, & tamen non est creatura; insuper dum itaq; est esse, quod à diuino intellectu vel voluntate tribuitur producto, vt inde arguamus an productum sit Deus, vel creatura, si enim est esse prorsus necessarium, tunc productum est Deus, at si est esse compossibile cum contingentia, tunc non est Deus, sed creatura; tale autem est esse possibile logicum, quod ab actu diuini intellectus suscipiunt creaturæ, quia est non repugnantia compossibilis cum contingentia, creatura enim ab æterno in illo esse producta ab intellectu diuino ita dicitur possibilis esse, vt etiam sit possibilis non esse, quale non est possibile logicum Dei, quo ità potest esse, vt nequeat non esse.

43 Secundò arguit Vasquez, quia sicut res non dicuntur fore, aut esse talis naturæ, quia cognoscuntur à Deo, quia potius ideò sciuntur futuræ, aut talis esse naturæ, quia sunt futuræ; sic etiam res non sunt possibiles, quia cognoscuntur, sed ideò cognoscuntur quia sunt possibiles, hoc est, ideo cognoscuntur posse esse, & nullam implicare contradictionem, quia re vera possunt esse. Accedit, quod aliqua peccata non ideò sunt mala, quia cognoscuntur esse mala, aut quia prohibita sunt à Deo, sed potius è contrà, ita in proposito res erunt possibiles, vel impossibiles, non quia cognoscuntur à Deo, sed quia suaptenatura sunt tales. Respond. quod si per hæc argumenta intendit probare Vasquez res non habere totaliter suam possibilitatem, vel impossibilitatem à diuino intellectu, sicut Scotum tenuisse putauit, nobis non aduersantur, quia nos non asserimus res totaliter à diuino intellectu suam recipere possibilitatem, neque hęc fuit Doctoris sententia, sed quia quid plus probare videntur nimirum res esse præcisè possibiles, vel impossibiles à seipsis independenter omnino à diuino intellectu; ideò respondetur disparem prorsus esse rationem de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis in ordine ad possibilia, & futura, quia res non accipiunt futuritionem, seu esse futurum à scientia visionis, sed à decreto diuinæ voluntatis, vt docet Doctor 1.dist.39. cui posteà succedit scientia visionis, & libera, at benè accipiunt à scientia naturali, seu simplicis intelligentiæ suam possibilitatem, qua etiam ratione dici solet causa rerum, quod vtique intelligi non debet quoad existentiam, quia sic earum causa est diuina voluntas, sed quoad possibilitatem quatenus, scilicet in suo genere quasi efficientis causæ rebus possibilitatem communicat modo superius explicato. Ad Confirmat. transeat aliqua esse mala ex obiecto, & non præcisè quia prohibita, cum hoc tamen quod ex seipsis sint mala formaliter, stat etiam quod sint principiatiuè talia ab intellectu diuino, à quo intentionaliter originantur primæ rationes formales eorum.

44 Tertiò arguunt alij, quia possibilitas ita videtur intrinseca vnicuique essentiæ possibili, vt non eam aliunde recipiat, sed omninò ex se habeat, si enim inquiramus, cur chimæra habeat repugnantiam ad existendum, homo verò non habeat, optimè respondetur, quia chimæra inuoluit intrinsecam impossibilitatem, homo verò non, ergo rerum essentiæ habent ex se præcisè suam possibilitatem, & non ab aliqua causa extrinseca. Conf. quia si tam possibilitas, quam impossibilitas non attendatur precisè ex parte ipsarum rerum, sed etiam ex parte diuini intellectus, tunc defectus producendi chimæram, etiam in Deum redundabit, quod est contra communem loquendi modum, quo assignatur defectus ex parte rei, non ex parte Dei.

Resp. concedendo formalem, & intrinsecam rationem possibilitatis, vel impossibilitatis spectandam esse ex parte rerum neque id negat Scotus; sed negat hanc rationem ad aliquod primum principium extrinsecum non esse reducendam, cum omne esse creaturæ siue possibile, siue actuale suo modo participatum atque dependens esse debeat; tum quia repugnantia, vel non repugnantia terminorum non est absolutè, & simpliciter prima ratio possibilitatis, vel impossibilitatis in omni genere, sed prima duntaxat in genere causæ formalis, intellectus verò diuinus est prima ratio in genere causæ quasi efficientis. Ad Conf. negatur sequela, quia vt dictum est nu. 39. diuinus intellectus proximè, & immediatè non nisi noscibilia producit; quæ posteà inuicem comparata cum inter se repugnare inueniuntur ex proprijs rationibus formalibus ex eorum combinatione consurgit impossibile, qua de causa inquit Doctor 1.dist.43. non eodem modo res dici possibiles, & impossibiles principiatiuè ab intellectu diuino, possibilitas enim ab eo trahit originem proximè, & immediatè, impossibilitas verò non nisi mediatè, & remotè, & hinc est quod defectus producendi chimæram propriè loquendo assignari debet ex parte rei, & non ex parte Dei; alia argumenta ad hoc solent adduci, quæ quia solùm probant possibilitatem, & impossibilitatem rerum ex earum rationibus intrinsecè, & formaliter peti debere, quod nos negamus, ideò missa facimus.

Tertia Difficultas.

45 CIrca tertiam difficultatem num. 26. propositam, an essentia rei possibilis secluſa existentia possit dici verè ens reale, seu veram rationem entis possidere, etiam apud negantes esse reale actuale essentiæ rerum ab æterno (nam in opinione admittente tale esse actuale rerum ab æterno nulla est dubitatio, quin dici debeat verum ens reale) sunt varij modi dicendi quidam enim absolutè negant posse dici ens reale, sed potius non ens & nihil debere dici, ità contendit Hurtad. disp. 8. Met. sec. 2. Faber theor. 32. c. 3. ab initio ac etiam Suarez ita loqui videtur disp. 31. Met. sec. 2. vbi ait essentiam secluso esse existentiæ non esse rem aliquam, sed omninò esse nihil, cui modo dicendi etiam Scotus fauere videtur 1.d.36.M. vbi ait hominem ab æterno tam esse nihil, quam chimæram, cuius verba sunt ista, *homini in æternitate inest non esse aliquid, & chimæræ non esse aliquid, & chimeræ non esse aliquid, sed homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid, sed tantùm inest negatio propter negationem actus vel causæ non ponentis in esse, chimeræ autem repugnat, quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid*, & hunc dicendi modum sequuntur Auctores cit. num. 32. qui possibilitatem rerum ab æterno negant esse positiuam, & dicunt importare meram negationem repugnantiæ, & solam realitatem priuatiuam, omnes, inquam, isti dicunt rerum essentias esse merum nihil, nec vllo pacto ijs conuenire rationem entis, prout à nihilo contradistinguitur, ità Smisinch. loc. cit. & trac. 1. disput. 2. num. 46. ad 3. 50. & 54. Canon. 1. Phys. q. 9. art. 1. vbi ait, quod nulla res in potentia obiectiua dicit aliquam entitatem, sed est purum nihil Meuris. lib. 2. suæ Met. cap. 3. part. 6. q. 1. pro se Doctorem adducens nedum 1.d.36. sed etiam 5. Metaph. cap. 7. vbi negat ens in potentia dici posse simpliciter, & absolutè ens, quia illa particula *in potentia* est distractiua, nam potẽtia distrahit ab ente.

46 Di-

46 Dicendum tamen est essentiæ rei possibilis etiam secluſa exiſtentia conuenire veram rationem entis, prout ab omninò nihilo contradiſtinguitur, atque ideò in hoc ſenſu dici poſſe, ac debere verum ens reale, & poſitiuum; ita manifeſtè colligi ur ex Scoto 1.d.36. vt mox videbimus, & 9.Metaph.q.2. vbi in terminis hoc dubium mouet, & ad hanc partem declinat, licet oppoſitam quoque vt probabilem admittere videatur, ſequuntur Auerſa qu.8.cit. ſect.3. Paſqualig.diſp.76.cit.ſect.5. Arriaga diſp.2.Met.ſect.1, ſubſec.2. vbi ait non rectè conſtitui poſſibilitatem rerum in ſola non repugnantia negatiua ad exiſtendum, Ouied. controuerſ.2. Met. punct.1,nu.14. vbi ait hoc predicatum *poſſibile* non deſtruere, imò nec minuere veram rationem ſignificatam per nomen entis realis, & alij paſſim; idipſum quoque Caiet.docuiſſe videtur cap.4. de ente,& eſſentia q.6. vbi monet ens reale dupliciter accipi, & prout diſtinguitur à nihilo, & ente rationis, & prout contradiſtinguitur ab ente exiſtente; & hoc tandem admittere tenentur quicunque admittunt famigeratam illam in ſcholis diſtinctionem de ente nominaliter, & verbaliter ſumpto, ſeu participaliter, quam declarauimus diſp.2.de natura entis ab initio nu.1. non enim aliud per hanc concluſionem ſtatuere intendimus, niſi in eſſentia rei poſſibilis, vt ab actuali exiſtentia præſcindit, optimè ſaluari rationem entis nominaliter ſumpti, quæ apud Metaph. eſt potiſſima eius acceptio, vt ad ſcientias magis accommodata, poſſeque in hoc ſenſu rem poſſibilem ens reale dici,& appellari; & hoc etiam concedit Suarez loc.cit.n.10.

47 Probatur, itaque, & explicatur ex ipſo Doctore loc.cit.1.d.36. nam §.*ad 1. principale*, inquit, quod ens ratum aut appellatur illud, quod habet eſſe firmum, & verum eſſe ſiue eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ, quia vnum non eſt ſine altero, qualitercumque diſtinguantur, aut ens ratum dicitur illud, quod primò diſtinguitur à figmentis, cui, ſcilicet non repugnat eſſe verum eſſentiæ, vel exiſtentiæ; ſi primo modo accipiatur ens ratum ait, quod homo non eſt ex ſe ens ratum, ſed ab ente, à quo habet eſſe verum & eſſentiæ, & exiſtentiæ; ſi ſecundo modo intelligatur ens ratum ait, quod homo poſſibilis eſt ex ſe ens ratum, quia formaliter ex ſe non repugnat ſibi eſſe, ita Doctor, adeout creatura omnis ens præcisè dicitur, quatenus eſt capax eſſe per virtutem actiuam ſuæ cauſæ, & qualis eſt exiſtentia, quam dicitur habere, talem etiam entis rationem ſibi vendicare cenſenda eſt, ſi exiſtentia eſt actualis, ens verbaliter dicitur, ſi verò exiſtentia eſt tantùm potentialis, dicetur ens reale nominaliter duntaxat, quatenus ei verum eſſe exiſtentiæ non repugnat, & quia ens propriè dictum, vt diſtinguitur à nihilo, & ab ente rationis definitur eſſe illud, *quod habet, vel habere poteſt entitatem extra animam*, vt ipſe docet quol.3.ab initio lit.A. hinc eſt, quod in eſſentia creaturæ poſſibilis tota ſaluatur ratio veri entis, vt diſtinguitur à nihilo, quia ſi non habet propriam entitatem, & exiſtentiam extrà cauſas, ſaltim eam habere poteſt, quod non conuenit nihilo, nihil enim propriè dictum dicitur illud ex Doctore *quod nec eſt, nec eſſe poteſt aliquod ens extra animam*, & ſic expreſsè loquitur 9.Metaph.q.2. dicens, quod in eſſentia poſſibili admitti debet aliqua realitas, qualis non eſt in chimæra, quia hæc repugnat, & illa non repugnat. Rurſus eadem diſt. 36. lit.F. ait ens prima ſui diuiſione æquiuocè diuidi in ens extrà animã, & ens in anima, & illud extra animam poteſt diſtingui in actum, & potentiam eſſentiæ, & exiſtentiæ; quibus verbis iuxtà Lichet. expoſitionem per ens actu extra animam intelligit ens verbaliter ſumptum, ideſt ens reale actu exiſtens extra ſuas cauſas, & per ens potentia extra animam intelligit Doctor ens in potentia obiectiua, ſeu ens nominaliter ſumptum, cum ergo ens reale, vt diſtinguitur à nihilo, & ab ente rationis, quod eſt ens in anima ſit vel id, quod actu verum, & reale eſſe habet, quod vocat Doctor ens extra animam actu, vel id cui verum eſſe non repugnat, quod vocat ens extra animam potentiale, ſanè in eſſentia creaturæ poſſibilis propria ratio entis ſaluabitur, vt diſtinguitur ab ente rationis, & à nihilo, quia neutrum dici poteſt ens extrà animam nec actu, nec potentia. Denique ibidem reſpondendo ad 2. princ. concedit intellectionem lapidis ab æterno fuiſſe Metaphyſicam, & realem ex parte obiecti, non autem logicam; ergo lapis poſſibilis, etiam vt ab exiſtentia præſcindit, poteſt & debet dici ens reale, alioquin cognitio diuina lapidem attingens ab æterno non poſſet dici realis obiectiuè, quod negat Doctor ibidem.

48 Dices cum aliquibus poſſibilitatem rei non eſſe niſi meram non repugnantiam negatiuam ad exiſtendum, ac proinde minimè ſufficere, vt res poſſibilis dicatur ens reale, prout à nihilo contradiſtinguitur. Contra, quia oppoſitum oſtendi ſupra num.32.tum quia oſtendo modo, quod ibi ſum pollicitus, ens poſſibile ſignificare formaliter, & in recto illud ens poſitiuum, quod poſteà in tempore exiſteret, ſi produceretur, nam vt docet Doctor 2.d.16.quæſt.vn.§.*rationes ipſa* ens in actu, & ens in potentia ex 9.Met.tex.com.13.non ſunt tantùm eiuſdem generis, & ſpeciei, ſed etiam eiuſdem numeri, illud enim individuum, quod nunc eſt in actu, illud idem fuit in potentia, cuius rei manifeſtum indicium eſt, quia eundem prorſus formamus eſſentialem conceptum de homine exiſtente, & non exiſtente, & hominem poſſibilem prædicamus in recto de ipſo iam exiſtente, vt hic homo exiſtens eſt qui fuit poſſibilis; ſed homo, qui nunc exiſtit, eſt verum ens reale, & per poſitiuum conceptum explicatur, ergo etiam antea ens reale erat, & per conceptum poſitiuum explicari debebat. Forte dices opus non eſſe, vt ſint poſitiuè idem, ad hoc vt poſſint inuicem prædicari, ſed ſufficere quòd ſint idem negatiuè, ideſt quod non ſint duo poſitiua diſtincta. Contrà, quia cum dicimus, homo hic, & nunc exiſtens, eſt, qui fuit poſſibilis, copula *eſt*, nedum negat realem diſtinctionem, ſed vlterius ponit realem identitatem,hæc autem inter extremum poſitiuum, & negatiuum verſari nequit.Præterea contra hanc ſolutionem inſtat Arriag. quia homo, & non ens ſunt indiſtincta in hoc ſenſu,ideſt non ſunt duæ entitates poſitiuæ diſtinctæ, & tamen non poſſunt inuicem prædicari, ergo nec poſſibile poſſet de actuali affirmari præcisè, quia realiter eſſet indiſtincta negatiuè. Verùm hæc inſtantia non admodum vrget, quia ſic reſpondentes per identitatem negatiuam non intelligunt præfatam indiſtinctionem, quæ verſatur etiam inter hominem, & non ens, ſed meram, & puram non diuerſitatem, quæ non item inter ea reperitur, falſum enim eſt hominem, ac non ens non eſſe diuerſa, & è contra, verum eſt hominem nunc exiſtentem non eſſe diuerſum ab eo, qui poſſibilis erat. Potius ergo ex eo inſtandum eſt, quod copula *eſt*, nedum negat diuerſitatem, ſed vlterius affirmat realem identitatem, vt poſteà arguit ipſe Arriaga quoque.

49 Dices cum alijs hoc prædicatum *poſſibile* deſtruere, vel ſaltim minuere vim ſignificationis ipſius entis. Contra, quia licet hoc prædicatum, quod eſt eſſe *cognitum* minuat ſignificatum ipſius entis, vt dictum eſt num.20.ex Scoto 1.d.36.lit.E. hoc tamen non minuitur per prædicatum poſſibile, quia cum hoc prædicato tota adhuc, & integra ſeruatur ratio intrinſeca entis,ſed ſolùm per hoc prædicatum minuitur in propoſitione vis ſignificationis ipſius copulæ *eſt*, quæ ſimpliciter, & abſolutè ſumpta ex ſe ſignificat eſſe actuale, & exiſtentiæ, vndè non valet dicere, lapis eſt poſſibilis, ſeu eſt ens poſſibile, ergo eſt, ſed eſt fallacia à ſecundùm quid ad ſimpliciter, & hæc eſt doctrina Scoti in terminis 9. Met. qu.2. vbi in ſolutione ad 4. ait quod licet ens in potentia non ſit ens ita ſimpliciter, ſicut ens in actu, ac ſic ratio poſſibilis diminuat ens, non tamen omninò deſtruit rationem entis, vt ſic, cum ergo dicitur lapis eſt ens poſſibile, prædicatum *poſſibile* non deſtruit, nec minuit rationem intrinſecam entis, cui additur, quaſi ſenſus ſit, quod lapis non ſit ens, vel ſit ens ſecundum quid, deſtruendo, vel minuendo realitatem entis; ſed tantum deſtruit in copula vim, & modum ſignificandi eius, itaut ex vi huius prædicati *poſſibile* non ſignificetur rem ſimpliciter, & abſolutè eſſe, ſeu exiſtere, ſed præſcindatur ab hoc rigoroſo modo eſſendi, & relinquatur ſubiectum indifferens, vt ſalua veritatis propoſitione poſſit ſimpliciter eſſe, quod eſt exiſtere, & non eſſe ſimpliciter, ſeu exiſtere, & in hoc ſenſu intelligendus eſt Doctor cit.5.Met.c.7. cum ait, ens in potentia non poſſe dici ſimpliciter ens.

30 Confirmatur tandem totus iſte diſcurſus, quia nihil, & non ens prout opponitur enti reali propriè dicto ſignificatur illud, quod nec eſt, nec realiter, & poſitiuè eſſe poteſt à parte rei, & extra animam, vt docet Doctor quol.3.cit.ab initio, ergo ad hoc vt quidpiam non dicatur nihil, ſicut ſunt negationes, ac entia ficta, non abſolutè opus eſt, vt exiſtat in rerum natura, ſed ſufficit vt ſic exiſtere poſſit, quia per ſolam talem potentiam logicam, vel obiectiuam ſufficienter ſecernitur ens reale à nihilo, & ab ente rationis, hæc enim quoque pertinet ad oppoſitionem, quæ verſatur inter ens, & non ens, ſeu inter rem, & nihil; quando ergo fit ſermo de eſſentia alicuius entis realis, quamuis non exiſtentis v.g. Antichriſti, vel alterius mundi poſſibilis, non debet dici abſolutè loquendo, talis eſſentia eſt nihil, eſt non ens, vt volebat Hurtad. quia per talem loquendi modum non ſolùm ſignificaretur Antichriſtum, vel alium mundum non actu exiſtere à parte rei extrà cauſas, ſed vlterius denotaretur nec poſſe exiſtere, & eſſe veluti negationem, vel parum ens rationis; potius ergo abſolutè loquendo dici debet eſſe ens reale, & veram rem, quia per hoc non ſignificatur, quod Antichriſtus, vel alter mundus actu realiter exiſtat, ſed quod ſaltim poſſit realiter exiſtere, vel ſi mauis, ne contingat amphibologia in vocabulo, addere potes, quod eſt ens reale potentiale; & hæc probatio ſufficiat pro concluſione, quia hæc quæſtio potius eſt de modo loquendi, quam de re. Auctoritas verò Scoti adducta nu.45. pro oppoſito modo dicendi ſeipſam declarat, dum enim ait hominem poſſibilem eſſe nihil, non eſſe aliquid, conſtat ex ipſis verbis quod loquitur de aliquitate reali actuali, & de nihilo, vt excludit eſſe reale exiſtentiæ, & in hoc ſenſu ait hominem ab æterno tam eſſe nihil, quam chimeram; ſubdit tamen, quod homini non repugnat affirmatio, quæ eſt eſſe aliquid, chimeræ autem repugnat, quod quidem diſcrimen a Doctore poſitum inter chimæram, & hominem poſſibilem ſufficit, vt abſolutè loquendo chimæra nihil dicatur, & non ens, non autem homo poſſibilis.

51 In oppoſitum obijcit Hurtad. cit. auctoritates Ariſt. & D. Anſelmi; ille namque 9. Met. cap.3. inter non entia conſtituit ea quæ cum poſſint exiſtere, non exiſtunt, & ratio, ob quam dicit ea eſſe non entia, & non eſſe, eſt, quia actu non ſunt, ità enim loquitur *non entium enim quædam potentia ſunt, non autem ſunt quoniam endelechia (ideſt actu, non ſunt* idem docet D. Anſel.in Monolog.c.8. his verbis *vniuerſa facta ſunt de nihilo, ideſt quæ prius nihil erant, nunc ſunt aliquid*. Conſ. quia potentia excludit actum, vnde poſſe eſſe excludit eſſe, ergo cum poſſibile poſſit eſſe, non habet eſſe. Demum prædicata quæ conueniunt alicui in potentia, dicuntur ei conuenire tantùm ſecundum quid, & non ſimpliciter, ſed poſſibilibus actu non exiſtentibus hoc prædicatum *eſſe* conuenit tantùm in po-

potentia, ergo vel sunt non entia, vel entia tantum secundum quid, & non simpliciter.

Respond. has, & similes auctoritates exponendas esse, vt auctoritatem Scoti modò exponebam, quod possibilia dicuntur non entia sumendo ens verbaliter, vt sensus sit, quod non sunt existentia, at sumendo ens nominaliter, & essentialiter falsum est, quod negari possit de possibilibus, verè enim de homine siue existente, siue non enunciatur quod sit ens, substantia, animal rationale &c. Ad Confirm. posse esse excludit esse, prout esse est actus potentiæ ad essendum, est autem actus talis potentiæ solùm, vt dicit actualitatem essendi, & esse aliquid in seipso, atque ideò solùm in hoc sensu possibile excludit esse idest esse realiter actualiter extrà causas, ex quo non sequitur quod excludat veram rationem entis prout secernitur à nihilo, in qua acceptione non solum comprehendit ens actuale, & rem existentem, sed etiam possibilia. Ad aliud pariter dicitur esse actuale conuenire vtique enti possibili secundum quid tantum, & non simpliciter, idest in potentia, & non in actu, atque ideò dici non posse ens actuale simpliciter; at prædicata essentialia, vt diximus, æquè conueniunt rebus existentibus, & possibilibus, & ideò sumendo ens nominaliter, & vt est prædicatum essentiale, dici non debet conuenire ijs, quæ actu non sunt, in potentia & secundum quid, sed essentialiter, & simpliciter.

52 Dices, si ens possibile etiam in præfato sensu potest dici aliquid, sequeretur Deum nullam rem creare posse, nec annihilare, quia ante eius productionem præcederet illud aliquid, ex quo produceretur, & post eius destructionem semper illa aliquitas remaneret, vt art. 1. contra Henricum cum Scoto arguebamus. Et rursus si enti possibili essentialia prædicata conueniunt, eius essentiam exprimentia, sequitur non posse cognoscere quid res sit, ignorando an sit, cuius oppositum Arist. docet 1. Post. vbi vnl præcognitionem, an sit, priorem esse præcognitione quid sit. Resp. negando primam sequelam, nam ad saluandam creationem, & annihilationem, sufficit, vt nullum rei esse reale, & actuale præcedat eius productionem, nec post eius destructionem remaneat, in hoc enim sensu creatio dicitur esse productio de nihilo, & annihilatio resolutio rei in nihilum, & in hoc denique sensu arguebat Doctor contra Henricum, qui admittebat præcedere in æternitate esse reale actuale essentiæ rerum. Negatur item altera consequentia, cum enim Aristot. ait de re prius cognosci debere, quod sit, deinde quid sit, non est intelligendum de esse existentiæ, idest quod existat, sed quemadmodum in logica diximus intelligi debet de eius possibilitate, nimirum quod rei non repugnet existere, quia vt ibi dicebamus scientiæ præscindunt ab actuali existentia rerum, quas contemplantur.

53 Auersa licet in hac quæstione nobiscum sentiat, tamen sec. illa 3. cit. concl. 2. ait, quod essentia rerum secundum se, & secluſa existentia, sicut dici non debet ens actuale, quia non actu exiſtit, sic pariter nec dici debet ens potentiale, eius ratio est, quia ens potentiale, prout ab actuali differt, intelligitur negatiuè, quod, scilicet actu non exiſtit, sed essentia verè est essentia, & est essentialiter ens etiam quando actu exiſtit, nec de ratione ipsius essentiæ est ipsa negatio existendi, ergo essentia secundum se, non debet dici ens potentiale, sed absolutè debet dici ens abstrahendo tam ab actualitate, quàm à potentialitate. Sed hoc videtur contra ipsum ibidem, quia immediatè suprà concluſ. 2. contendit essentiam secluſa existentia simpliciter, & absolute dici debere esse veram rem, esse ens reale, quia per hoc non significatur, quod actu realiter existat, sed quod saltim possit realiter existere: si ergo ità est, iam essentia secluſa existentia, & secundum se considerata dici poterit ens potentiale, quatenus potest realiter existere, tum quia essentia præciſa existentia secundum ipsum participat rationem entis nominaliter, at ens nominaliter sumptum dicitur illud, quod esto non existat, ei tamen existere non repugnat, ergo dici potest ens potentiale. Quamuis ergo nequeat dici ens potentiale potentia obiectiua, quia hæc re vera opponitur actui, ac in sua ratione inuoluit negationem existentiæ, benè tamen dici potest ens potentiale potentia logica, quia hæc non destruitur, sed potius perficitur per actum, à quo ad hanc potentiam valet consequentia affirmatiuè, nam semper Deus existit, & habet potentiam logicam existendi, neque hæc potentia in sua ratione dicit negationem existentiæ, sed quantum est de se tam ab existentia præcindit, quam ab eius negatione, & cum vtraque disiunctim est compossibilis.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur obiectiones probantes realitatem actualem essentiæ creaturarum ab æterno.

54 AD hunc vsque articulum distulimus solutionem rationum probantium creaturas ab æterno habuisse aliquod esse reale actuale, quod dicatur esse essentiæ, vt distinguitur ab esse existentiæ, quia vt diximus artic. 1. in fine, non poterat eis exactè satisfieri, nisi præhabita notitia status possibilitatis creaturarum ab æterno, quem præcedentibus articulis fusè explicuimus, ex qua explicatione modo non erit difficile occurrere omnibus, & singulis rationibus, quæ pro sententia Henrici solent adduci.

Primò itaque solent argumenta deduci ex possibilitate creaturarum, quia creatura antequam creetur est possibilis, aliàs impossibile crearetur, sed omne possibile est ens verum reale, quia ens reale dicitur per actum, & potentiam, ergo &c. Tum 2. quia si creatura est ens possibile, hæc potentia cogitari nequit, nisi fundata in aliqua entitate creaturæ, per eam enim essentialiter distinguitur ens reale ab ente ficto, hoc autem esse nequit nisi reale esse essentiæ, vt existentiam præcedit, ergo &c. Tum 3. quia creatura vt ab æterno possibilis vel est ens reale, vel rationis, non secundum, quia ens rationis non est ad extrà producibile, ergo primum. Tum 4. quia si creatura non haberet hoc esse essentiæ actuale ab æterno, vnum nihil esset magis nihil, quam aliud, quia cum creaturæ non repugnet existere, repugnet autem chimæræ, chimæra esset magis nihil, quam creatura possibilis. Tum 5. quia si nullum prorsus habet esse reale actuale, sed est nihil, dum postea in tempore essentia fit existens, quod esset nihil, fieret ens, quod est absurdum, quia non ens conuerteretur in ens, & nihil in aliquid. Denique argumentum inducunt à permutata proportione, sicut se habet ens ad non ens, ità possibile ad impossibile, ergo permutatim sicut ens ad possibile, ità non ens ad impossibile, sed omne ens est possibile, ergo omne quod est purum non ens est impossibile.

55 Resp. hæc argumenta ex possibilitate creaturæ deducta retequeri posse contra existentiam ipsam, quia non est minus possibilis existentia, quam essentia, vt ostendi artic. 1. num. 9. sicut igitur ex hoc, quod rerum existentia fuerit possibilis ab æterno non rectè deducitur, quod habuerint aliquod esse reale existentiæ ab æterno, ita pariter dicendum est de esse essentiæ. Itaque ad 1. respondet Rada cit. controuers. 29. negando minorem, ad cuius probationem ait quod potentia obiectiua, & actus sibi oppositus vt dicit Commentator 1. de anim. sunt differentiæ oppositæ, & diuidunt ens, sicut viuum, & mortuum diuidunt hominem, vnde sicut homo mortuus non est homo simpliciter, ità nec homo in potentia obiectiua, quocirca non sequitur, quod si creatura est possibilis, *quod sit* verum ens reale, imò sequitur oppositum, nam sicut homo in potentia non est homo, ità ens in potentia non est simpliciter ens, sed ens in potentia. Sed falsitas huius solutionis constat ex dictis à num. 49. & seq. vbi ostendimus hoc prædicatum possibile nec destruere, nec minuere rationem intrinsecam entis, cui additur, & quod homo etiamsi non existat, dicitur simpliciter homo, animal rationale, substantia, ens, &c. Quapropter ex ibi dictis concedenda est minor, quod res possibilis est verum ens reale, non quidem ens verbaliter dictum, seu actuale, sed tantùm nominaliter dictum, & potentiale, quod quidem nullam ponit realem actualitatem essentiæ, vt volebat Henricus. Ad 2. aiunt Thomistæ quos sequitur Auer. q. 1. cit. sec. 2. creaturam antequam sit denominari possibilem, seu pertentem existere non per potentiam positiuam inuentam in ipsa creatura, vel essentia eius, sed denominari extrinsecè per potentiam effectiuam agentis, & ideò non sequi ante existentiam præcedere aliquam potentiam, aut entitatem positiuam creaturæ. *Sed præterquam quod hæc doctrina est falsa*, vt liquet ex dictis num. 27. & inde, & num. 32. & rursus num. 48. adhuc difficultatem non euitat, quia nulla est denominatio extrinseca absque denominato, & denominatio extrinseca supponit subiectum, quod denominare debet, si ergo esse possibile in creatura ab æterno dicit extrinsecam denominationem à diuina omnipotentia deluniptam, debebit aliquid importare, quod per ipsam denominetur possibile. Concesso igitur quod possibilitas creaturæ ad existendum sit positiua, ac etiam extrinseca, negatur adhuc talem potentiam fundari debere in aliqua entitate actuali creaturæ, quam habeat ab æterno, quia vt constat ex dictis num. 35. & seq. rem esse possibilem non dicit aliquid, quod physicè actu sit, sed quod actu est obiectiuè in mente diuina, & physicè esset absque vlla contradictione, si Deus vellet illud producere, vndè per hoc præcisè Petrus in mente diuina constitutus est possibilis ab æterno, quia terminauit notitiam huius complexi, *si volo Petrum producere, Petrus existet absque vlla contradictione*; licut ergo potest actu terminare cognitionem obiectum, quod non est, sed esset, sic dici potest creatura actu possibilis, quæ actu non est, sed esset; solent tamen dicere Scotistæ ex Doctore 1. d. 36. M. & d. 43. D. possibilitatem creaturæ fundari in esse cognito, quod habet ab intellectu diuino, quod quidem intelligendum est, vt supra explicuimus num. 38. quatenus extrinsecè, & principiatiuè illam possibilitatem habet à diuina cognitione, quam terminat. Ad 3. constat ex num. 46. creaturam possibilem ab æterno esse ens reale nominaliter, licet non verbaliter, constat etiam ex dictis num. 11. posse quoque dici ens rationis, quatenus subsistat diuinæ cognitioni, & habet esse obiectiuum in diuina mente, licet non secundum hanc rationem dicatur creabilis, sed secundum priorem.

56 Ad 4. Doctor 1. d. 36. lit. L. negat consequentiam, inde enim solùm sequitur negationem essendi aliter creaturis, & aliter chimeræ conuenire; creaturis namque inquit negationem existentiæ conuenire ob solam negationem actus, vel causæ non ponentis illas in esse, chimæris verò conuenit non tantùm ex hoc capite, sed præsertim quia existentia eis formaliter, & ab intrinseco repugnat. Posset etiam ex dictis num. 50. negari, quod creatura possibilis sit purum nihil, quia purum nihil dicitur illud ex quol. 3. ab initio, quod nec est, nec esse potest aliquid extrà animam, & ideo cum creatura possibilis possit esse aliquid in rerum natura, poterit dici ens reale nominaliter,

minaliter, nec potest dici nihil simpliciter, & absolutè, sed solùm quatenus excludit esse actuale, & existentiæ, quo sensu dici potest minus nihil quam sit chimæra, quæ est omninò nihil, quia à sua ratione excludit tam esse actuale, quàm esse possibile, quo pacto non inconuenit vnum nihil esse magis nihil alio, neque id voluit negare Doctor loc. cit. Ad 5. quod aliquibus magnum faceſſit negotium, faciliter occurritur ex eadem doctrina, quamuis enim impossibile sit nihilum simpliciter, & omninò, sicut est chimæra, fieri aliquid, quia tale nihilum est omninò impossibile, nec vllam ad existendum potentiam habet, tamen quod est aliquid in potentia, & nihil solùm in actu, quatenus excludit esse actuale, & existentiæ, sicut est creatura possibilis, benè per creationem fieri potest aliquid actuale transeundo de potentia ad actum; vbi notandum est ad tollendam omnem, quæ in argumento fieri posset, cauillationem, quod monet Bassolius 2.d.1. quæst.4. ad 6. creaturam antequam producatur, non dici nihil intrinsecè, & quidditatiuè quasi sit ipsa negatio entitatis actualis, & existentiæ, sed dici duntaxat nihil denominatiuè, & connotatiuè, quatenus antequam ereetur cum illa negatione coexistit, quæ post creationem recedit; vndè nunquam sequitur in creatione non ens conuerti in ens, & nihil in aliquid hoc est, negationem existentiæ in ipsam actualem existentiam, id namque prorsus repugnat, sed solùm sequitur iucipere esse, quod anteà non erat, & existere, quod anteà non existebat, nec aliud mysterium maiori reflexione dignum in hoc argumento reperio. Ad vlt. optimè respondet ipse Doctor lit. K. vbi eleganter ex Euclide demonstrat legitimum arguendi modum ex permutata proportione, qui minimè obseruatur in argumento, vt videri potest in textu, nos breuiter dicamus illum arguendi modum valere in terminis conuertibilibus, quorum, scilicet duo, & duo conuertuntur, & contradicunt, quod in casu proposito non contingit, quia non ens, & impossibile non conuertuntur, quæ si conuerti contendas, tandem negandum est iuxta doctrinam articul. præcedent. traditam negando creaturam possibilem esse non ens simpliciter, & absolutè loquendo, quia est ens realeominaliter.

57 Secundò, argumenta deducunt ex diuina cognitione, nam essentia creaturæ antequam existat terminat scientia Dei, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vt autem terminet talem notitiam, & fundet relationem ad intellectum diuinum scientem requirit aliquod esse reale. Conf. quia scientia, qua diuinus intellectus cognoscit lapidem possibilem est realis ab æterno, vt aiunt Theologi, ergo obiectum cognitum est reale. Denique scientiæ sunt de rebus realibus, & æternis, sed scientiæ sunt de essentijs, & quidditatibus, ergo essentiæ rerum sunt æternæ, & reales.

Resp. pariter hæc argumenta retorqueri contra existentiam ipsam, vt constat ex dictis n. 9. quia non minus Deus cognouit rerum essentias ab æterno, quam existentias, & tamen ex hoc non infertur res habere esse reale existentię ab æterno, ergo neque ex eo, quod cognoscat rerum essentias ab æterno ritè deducitur, quod habeant ab æterno esse reale essentiæ simpliciter. Ad 1. itaque dicendum ex tractatu theologico de scientia Dei, Deum non cognoscere res possibiles ab æterno in seipsis, quasi in seipsis aliquod esse haberent, per quod moueant diuinum intellectum, vel eius actum primariò terminent, sed Deus illa attingit per modum obiecti secundarij, & purè terminatiui, illaque cognoscit in seipsis esse nihil, & solum posse esse aliquid, si illis communicet esse, quod præstare potest; & secundum hoc esse reale, quod eis non repugnare cognoscit fundant relationem cogniti ad cognoscentem, & diuinam cognitionem terminant; quod etiam in nobis experimur, cum intellectui nostro obuersatur obiectum aliquod non actu existens, sed tamen existere potens, sicut rosa in hyeme, tunc enim nobis obijcitur verum esse reale, non quidem quod actu existat in effectu, sed quod existere potest. Ad Confirm. patet per idem nempe scientiam possibilium in Deo esse realem, non quia terminetur ad esse reale aliquod, quod actu possideant creaturæ ab æterno, sed quatenus terminatur ad esse reale, quod eis non repugnat, quod sufficit ad denominandam diuinam scientiam realem etiam & ex parte obiecti secundarij, vt notat Doctor 1.d.36.ad 2.prin. lit K. & Bassol. cit. ad 5. vbi etiam notat realitatem diuinæ scientiæ præsertim ex parte obiecti primarij, & motiui attendi debere, quod est diuina essentia. Ad vlt. pariter scientiæ dicuntur esse de entibus realibus, & non rationis, quia rerum quidditates considerant, non secundum esse obiectiuum, quem habent in intellectu, sed secundum se, vel quatenus aptæ sunt ad existendum à parte rei cum talibus naturis, ac proprietatibus, dicuntur etiam esse de rebus æternis, quatenus abstrahunt ab existentia rerum hic, & nunc, quæ sunt conditiones contingentiam inducentes; solent autem rerum essentiæ dici æternæ non quidem simpliciter, & incomplexè, quia solus Deus sic est æternus, sed secundum quid, & complexè, vt monet Doctor 1. d. 3. q.4. §. *ad quæstionem* quatenus dum de illis propria, ac essentialia enunciamus prędicata, proportiones æternę veritatis efformamus, vt mox explicabitur; dicuntur etiam æternæ, vt notat Doctor 3.d.22.qu.vn lit.G. quatenus non sunt proximè corruptibiles, ignis enim non est in potentia propinqua ad corruptionem, nisi sit in esse existentiæ.

58 Tertiò, argumenta deducunt ex æterna veritate, ac immutabili propositionum necessariarum, quia propositiones essentiales primi, & secundi modi dicendi per se sunt semper veræ & necessariæ etiam antè existentiam, ergo & ipsæ rerum essentiæ, de quibus verificantur, reales erunt antè existentiam, consequentia patet, quia omnis veritas realis in aliquo esse vero fundatur. Confirm. quia ab æterno verum erat dicere quod homo erat animal rationale, & hinc propositio illa dicitur æternæ veritatis, & non dependere ab actuali existentia hominis, non videtur autem quo pacto possit esse vera, nisi homo haberet aliquod esse reale ab æterno.

Respond. hoc argumentum re vera nihil concludere, retorqueri namque potest in non entibus ac entibus rationis, in quibus similis necessitas propositionum essentialium reperitur, cæcitas enim est priuatio, chimæra est ens rationis, non ens est non ens, &c. potest etiam retorqueri in ipsis existentijs, quia non minus fuit verum dicere ab æterno hominem esse animal rationale, quam existentiam esse modum essentiæ, & distingui realiter, aut non realiter ab essentia distingui; sicut ergo ex his propositionibus non rectè deducitur existentiam ab æterno fuisse, nec in entibus rationis, vel priuationibus arguunt aliquod esse essentiæ reale, in quibus fundetur, ita neque in proposito, & hoc solum sufficeret pro exacta argumenti solutione cum sua confirmatione. Verùm ad vberiorem doctrinam, & dubij solutionem, hic explicare iuuabit, vnde pendet necessitas veritatis earum propositionum, & quo pacto etiam ab æterno veræ dicebantur, quamuis nullum esse essentiæ reale præcederet, in quo earum veritas fundaretur; varios in hac re dicendi modo refert Maironus 1. d. 3. quæst. 5. & rursus 1. dis. 42. quæst. 6.

59 Primus dicendis modus asserit veritates necessarias suam incommutabilitatem habere ex natura terminorum necessaria, idest ex eo quod termini, de quibus formantur, sint in se necessarij, & ideò dicit tales veritates formari non posse, nisi de obiecto incommutabili, scilicet Deo, & circa obiecta creata nullam esse veritatem sic necessariam, vnde omnibus hominibus annihilatis inquit hanc esse falsam, omnis homo est animal; quæ fuit opinio Ocham quol. 3. quæst. 5. & quol. 4. quæst. 37. idem indicauit Heruæus quol. 1. quæst. 10. & ità defendit Iandun. 4. Metaph. quæst. 15. vbi docet tunc tantum verum esse dicere, Sortes est homo, donec Sortes actu viuit, eo autem mortuo non verè dici, Sortes est homo; quod etiam significauit Auerr. cum 1. Physic. com. 63. dixit rem in corruptione substantiali nomen perdere, ac definitionem. Hunc tamen dicendi modum meritò refellit Mairo 1. ibidem, quia ex eo sequitur omnem scientiam præter Theologiam esse de contingentibus, vel nullam scientiam reperiri præter Theologiam, quia omnis alia scientia habet extrema propositionum contingentia, & consequenter omnes illæ propositiones essent contingentes, & non verè scibiles. Tum quia tunc impossibile foret accipere aliquod principium necessarium, quod verificetur in Deo, & in creaturis, cuius oppositum docet Aug. 1. de Trin. c. 1. vbi docet, quod hoc principium, nulla res seipsam gignit, verificatur necessario tam in Deo, quàm in creaturis, ergo &c. & ideò meritò inquit Suarez disp. 31. Metaph. sec. 12. præfatam opinionem nedum Philosophis contrariam esse, sed etiam Ecclesiæ Patribus, vt ibi manifestè demonstrat. Tum tandem quia, vt constat ex dictis, verè dicitur de homine siue existat, siue non, quod sit ens, substantia, animal rationale, & alia prædicata essentialia illi cum veritate attribuuntur in communi modo loquendi apud Philosophos.

60 Sed obijcies, Arist. 2. Post. 32. & 39. ait non posse cognosci quid res sit, nisi prius cognoscatur an sit, ergo nequeunt prædicata essentialia de re non existente affirmari; & 2. Perih. cap. 2. inquit hominem mortuum non verè hominem dici; & in prædicam. substantiæ ait ex eo quod res est, vel non est, orationem dici veram, vel falsam. Deinde arguitur ratione, homo importat animam corpori vnitam, sed Sorte corrupto corrumpitur talis vnio, ergo Sorte mortuo non amplius verum est dicere, Sortes est homo. Tandem cum verum est dicere Sortes est homo, inde quoque inferri valet, Sortes est, sed hęc non est vera, nisi Sorte existente, ergo nec illa.

Resp. iam explicatum esse num. 52. Arist. per *an sit* non intelligere esse actuale, & existentiæ, sed esse possibile, nimirum quod obiectum scibile non sit ens prohibitum, nec ei repugnet existere; in 2. loco loquitur de homine mortuo, vt sic, reduplicatiuè sumpto, quia ly mortuum est additum distrahens, non autem de homine secundum se, & quoad sua essentialia considerato, in 3. loco re vera loquitur Arist. de solis propositionibus contingentibus, vt patet ex ipso contextu, sed verificatur etiam illud dictum etiam in necessarijs, si ly *est* sumatur prout significat, non quidem existentiam actualem subiecti, sed essentialem identitatem eius cum prædicato, quo sensu verum est dicere hominem esse animal rationale, idest idem esse, quod animal rationale, quod constat verificari etiam homine non existente, quia tam homo existens identificatur cum rationali existenti, quam homo possibilis cum rationali possibili. Ad rationem neg. sequela homo enim secundum sua prædicata essentialia consideratus dicit compositum ex anima, & corpore abstrahendo ab actuali existentia partium, & vnionis, quare destructa actuali vnione illarum, adhuc verum est dicere, quod Sortes est homo, licet dicit nequeat, est homo actualiter viuens, quia ad hoc necessaria est existentia partium, & actualis earum vnio. Ad aliud, in propositionibus necessarijs inquiunt logici consequentiam non valere à propositione de tertio adiacente ad propositionem de secundo adiacente, quia subiectum talium propositionum non habet statum, & abstrahit ab hic, & nunc; benè tamen valet in contingentibus quia earum subiectum habet statum, nec abstrahit ab hic, & nunc, vt diximus par. 1. Inst. Logic. tract. 1. c. 11. ita significat Doctor 1. Perier. q. 8. ad 3.

61 Se-

61 Secundus dicendi modus fatetur has veritates non esse incommutabiles quantum ad esse, quod habent res in se, sed quantum ad esse, quod habent in intellectu nostro obiectiuè, & in esse diminuto, nam de quidditatibus, vt concipiuntur à nobis, formantur istæ veritates necessariæ; ita sentire videntur nonnulli Scotistæ, vt Canon. 2. Phys. qu. 1. art. 2. cum aiunt veritates necessarias non vtique fundari in esse reali rerum, de quibus formantur, sed in esse cognito, ac diminuto, quod habere dicuntur in intellectu nostro obiectiuè. At hoc etiam benè reijcitur à Mairon. nam accidit quidditatibus, quod à nobis concipiantur, vnde sublato tali esse cognito, rueret veritas illarum propositionum. Rursus non magis est incommutabile aliquod ens in esse diminuto, quam sit illud esse reale, & simplex, ad quod reducitur, sed tam conceptio, siue actus concipiendi, quam etiam intellectus sunt commutabiles, ergo & esse conceptum terminorum, ergo in tali esse cognito fundari nequit necessitas, & immutabilitas illarum propositionum.

62 Tertius proindè dicendi modus ait has veritates esse incommutabiles quantum ad esse, quod habent in intellectu diuino tantùm, quia earum extrema semper sunt incommutabilia ibi, & in nullo intellectu sunt incommutabilia præterquam in illo; ità significat S. Thom. part. 1. quæst. 10. articul. 3. ad 3. quæst. 26. articul. 7. ad 1. & quæst. 1. de veritate articul. 5. ad 11. & articul. 6. ad 2. & 3. vbi ait destructa creaturarum existentia has enunciationes esse veras, non in se, sed in intellectu diuino, & non fuisse veras ab æterno, nisi quatenus erant obiectiuè in mente diuina. Sed & hic quoque dicendi modus meritò reijcitur ab omnibus quia non solum enunciationes, in quibus essentialia prædicata de subiectis affirmantur, sed etiam propositiones omnes contingentes hoc pacto veritatem habent in intellectu diuino perpetuam, quia non minus Deus istas nouit ab æterno; quam illas. Tum quia cum dicitur has propositiones esse necessarias, semper veras, non solum hoc dicitur in ordine ad intellectum diuinum, sed in ordine ad quemcunque intellectum tam creatum, quam diuinum, nam euidentia harum propositionum oritur formaliter ex terminis præsertim in per se notis, sed termini illarum v.gr. istius omne totum est maius sua parte, sunt etiam in intellectu creato, ergo etiam apud ipsum erit incommutabilis veritatis.

63 Quartus dicendi modus asseruerat perpetuam veritatem earum propositionum procedere ex incommutabilitate terminorum in esse esse quidditatiuo qualitercumque ponantur, nam quidditates, & esse quidditatiuum ab omni esse in anima, & reali sunt abstractæ, aliquæ enim habitudines conueniunt terminis ex rationibus formalibus terminorum, vt ista, homo est animal, aliquæ autem non; sicut quod homo sit albus, primæ autem consequuntur esse quidditatiuum, secundæ autem non, sed fortè esse reale, vel in anima; quem dicendi modum Mairon. ipse amplecti videtur. Sed hic etiam dicendi modus non satisfacit, quia coincidit omninò cum opinione Henrici fundantis has veritates in esse essentiæ, & quidditatiuo, vt distinguitur ab esse existentiæ, vt notat Bargius 1. d. 3. quæst. 4. & facilè reijcitur per ipsammet instantiam à Mairon. adductam, quam non benè soluit. Est autem ista, quia termini harum complexionum, siue sumantur secundum esse existentiæ, siue secundum esse essentiæ semper sunt contingentes, ac definere possunt vel per creationem, vel per annihilationem. Tum quia vel illa habitudo conuenit eis, vt sunt in anima, vel vt sunt extrà animam, & quocumque dato sequitur, quod sint contingens, nisi aliter explicetur. Respondet Mairon. rationes formales terminorum ab his abstrahere prædicatis, scilicet à creari, vel annihilari, & ideò secundum tale esse potest esse incommutabilis habitudo inter illos. Ad aliud pariter ait euidentiam, vel habitudinem non eis conuenire, vt sunt in anima, vel extrà animam, sed secundum esse quidditatiuum, quod abstrahit ab esse in anima, vel extrà animam. Verùm vt aduertit Lichet. 1. d. 36. hæc doctrina de quidditatibus rerum, quam semper Mairon. habet in ore, quod sint ab æterno, & tamen non sint quid productum, vel improductum, non aliquid in anima, vel extrà animam, sed ab his abstrahant, est omninò voluntaria, & irrationabilis; hæc enim est manifesta implicantia, quod tale esse quidditatiuum sit verum esse essentiæ ab existentia distinctum, & non sit nec reale, nec rationis, nec productum, nec improductum, cum omne aliud à Deo eo modo quo est aliud, sit etiam productum, ita quod si habet esse secundum quid, est productum secundum quid, à fortiori ergo quando habet esse essentiæ, quod est esse simpliciter erit productum; & sic vanum est dicere (ait Lichet.) quod tale esse nec erit productum, nec improductum; implicat etiam dari aliquod esse medium inter esse reale, & rationis ex dictis artic. 2. ergo hæc Mairon. solutio est mera fuga.

64 Vltimus dicendi modus docet has propositiones esse necessariæ, ac immutabilis veritatis, quia suppositis terminis, & per intellectum apprehensis, siue creatum, siue increatum, impossibile est quin habitudo consurgat, & connexio inter illa per quamcunque potentiam; & hic est modus dicendi Doctoris, vt notat Bargius cit. quem docuit 1. Periher. quæst. 8. & 1. d. 3. quæst. 4. artic. 3. vbi ait duplicem esse necessitatem, & immutabilitatem connexionis, vnam simpliciter, quæ competit extremis desitioni non obnoxijs, alteram secundum quid, quæ cadit inter extrema, quæ licet in se sint corruptibilia, habitudo tamen inter ea nunquam mutari potest in falsam, quotiescunque ab intellectu apprehenduntur, & hanc ait esse necessitatem, quæ pertinet ad scientiam, vt etiam nos diximus disp. 15. log. quæst 1. explicando quartam scientiæ conditionem, nam prima necessitas soli Deo competit. Dicendum itaque est propositiones necessarias dici æternæ veritatis veluti sub conditione, ideò sunt tales vt quandocunque vel interius ab intellectu apprehendantur, vel exterius proferantur, semper sint veræ, ac necessariæ, etiam si ab æterno prolatæ fuissent; & sic ab æterno fuit verum dicere, homo est animal, non quia ab æterno cum animalitate extiterit, sed quia in quocunque æternitatis instanti vera est hæc conditionalis, *si hic, & nunc homo existeret, animal esset*, quæ quidem non verificatur de propositionibus contingentibus, non enim verum est, quod si homo hic, & nunc existeret, albus esset, quia potest in aliquo instanti existere, in quo non sit albus; & hunc modum explicandi veritatem propositionum necessariarum amplexi sunt Recentiores omnes Suarez disput. 31. sec. 12. num. 45. Auersa quæst. 8. cit. quæst. 4. Ouied. controuers. 2. Metaph. punct. 1. nu. 12.

65 Ex quo constat benè saluari veritatem earum propositionum in rebus etiamsi in seipsis non existant nec quoad esse existentiæ, nec quoad esse essentiæ dicendo per eas propositiones non exprimit actualitatem aliquam essendi, sed tantùm connexionem prædicatorum præscindendo ab actualitate, adeout sensus huius propositionis, homo est animal, sit iste, homo existens est animal existens, homo possibilis est animal possibile, quod si eam explicare velimus in ordine ad actualitatem, oportebit eam explicare, veluti sub conditione, quod in quocunque instanti homo, erit talis esse debebit, sicut enunciatur, nimirum animal; ex quo etiam dicendi modo optimè declaratur quo pacto hæc propositionum necessitas transferri suo modo potest ad entia rationis ipsaque priuationes, ens enim quoque rationis adeò necessariò sua essentialia prædicata respicit, quod si hic, & nunc per intellectum existat, existere omninò debeat cum talibus vel talibus prædicatis. Hinc tandem infertur quod veritas propositionum necessariarum licet non fundentur in aliquo esse reali actuali, quod extrema possideant, fundatur tamen in esse reali potentiali, cum enim dicimus, si hic, & nunc homo existeret, animal esset, iam per hanc conditionalem supponimus hominem, atque animal possibilia esse in rerum natura, & in tali possibilitate ac eorum possibili identitate veritas illius conditionalis fundatur; quod etiam suo modo entibus rationis applicari debebit, quia veritas propositionum necessariarum in ipsis fundabitur in eo, quod ipsa essentia entis rationis possibilis sit, vt actu sit, & actu ponatur in esse per intellectum; quicquid enim simpliciter, & verè dicimus de ente reali, hoc totum per propositionem dicendum de ente rationis, vt in suo tractatu dictum est in Logica.

Contra hunc dicendi modum instat Mairon. cit. quia si veritas, & necessitas propositionum essentialium reducitur ad sensum conditionalem modo explicato, sequitur nullam veritatem in creaturis esse absolutam, sed omnem esse conditionatam, & cum ista *non* sufficiat ad scientiæ certitudinē, sequitur nullam scientiam esse de creaturis. Secundò, nullum posterius potest esse magis necessarium, quam prius, sed habitudo illa est posterior extremis, & ipsa extrema sunt contingentia, ergo & ipsa quoque habitudo erit contingens. Tertiò, ipsa connexio extremorum habet causam à qua fiat, ergo non potest enunciari, nisi quando actu fit, & si ab extremis resultat, nequit enunciari, nisi quando extrema sunt actu. Quartò per illam propositionem, homo est animal, non exprimitur solùm, hominem posse esse animal rationale, sed actualiter, & necessariò esse animal rationale, ergo sola identitas potentialis illorum extremorum non videtur sufficiens fundamentum veritatis eius, vt dicebatur. Tandem neque illa conditionalis sufficiens videtur ad exprimendam necessitatem propositionum essentialium, tunc enim hæc quoque propositio, homo est existens, necessaria foret, quia ad illam conditionalem reducitur, si homo est, existit, & non potest fieri homo, quin sit existens.

66 Resp. negando veritatem propositionum essentialium non esse absolutam, aliud enim est dicere, quod non sit absoluta veritas earum, sed conditionata; aliud quod per conditionalem explicetur, hoc secundum asserimus non primum, cum quo stat adhuc quod veritas earum in se, & à parte rei sit absoluta; est igitur absoluta veritas earum, quia consistit in absoluta identitate extremorum vel obiectiua, & possibili, vel actuali, si extrema cum proportione sumantur, scilicet hominis existentis cum animali existenti & hominis possibilis cum animali possibili; verum tamen est hanc absolutam veritatem optimè explicari per eam conditionalem in ordine ad actualitatem essendi; deinde negandum quoque est veritatem conditionalium ad certitudinem scientiæ non sufficere, hæc enim conditionalis est perpetuæ veritatis si homo est, est animal, vel si currit mouetur, & in veritate, ac necessitate æquiualet illis absolutis homo est animal, currus est motus. Ad 2. libenter fateor, quod sicut extrema sunt corruptibilia, ita quoq; habitudo inter illa definere potest quoad actualitatem essendi, qua de causa dixit Doctor illam connexionem non esse necessariam simpliciter, sed secundum quid, & ex suppositione nimirum quod sint extrema à parte rei, vel saltim in intellectu obiectiue; accedit veritatem earum propositionum fundari præsertim in esse possibili extremorum, quod non est contingens, sed necessarium; vide Bargiū loc. cit. minus tamen clare has duas Mairon. obiectiones soluentem. Ad 3. ob

ob illud arg. negant quamplures Auctores veritates necessarias habere causam sui, quia licèt detur causa, quæ faciat actu existere hominem cum animalitate sua, nulla tamen causa assignari potest, quæ faciat vt verum sit hominem esse essentialiter animal, animal esse de essentia hominis, ita docuit Soncin. 4. met. q. 10. & lib. 5. quæst. 10. & sequitur Aversa loc. cit. qua ratione veritates illas appellant perpetuas ac æternas, quia non habent causam sui; sed breuiter dicendum est, quod sicut creaturæ omnes ab æterno intrinsecè, & formaliter habuerunt, quod essent possibiles talis, vel talis naturæ, ac conditionis, extrinsecè verò, & principiatiuè ab intellectu diuino eas secundum quid producente in esse cognito, vt declaratum est à n. 38. ex Scoto p. d. 43. ità veritates necessariæ, quæ de ipsis formantur, ex earum natura deriuantur quasi in genere causæ formalis, & ab intellectu diuino quasi in genere causæ efficientis, & in hoc sensu dicuntur habere causam sui, ita rem eleganter explicat Doctor. p. d. 3. q. 4. ad quæstionem illis verbis; ad intellectum primi dico, quod omnia intelligibilia actu intellectus diuini habent esse intelligibile, & ea omnes veritates de se relucent, ita quod intellectus intelligens se, & virtute eorum intelligens necessarias veritates de eis, videt in eis sicut in obiectis istas veritates necessarias, illa autem inquantum sunt obiecta secundaria intellectus diuini, sunt veritates, quia conformes suo exemplari intellectui, scilicet diuino, & sunt immutabiles sibi, & necessariæ sed æternæ sunt secundum quid, quia æternitas est conditio existentis, & illa non habent existentiam, nisi secundum quid, hæc Doctor, ex quibus deducitur veritates necessarias causari, & ex ipsis rerum naturis, & ab intellectu diuino modo iam explicato; vnde concedo in propositione necessaria connexionem extremorum habere causam, & ab ipsis extremis veluti in genere causæ formalis resultare, at quia non resultat ab eis, vt sunt sub actuali existentia, sed sub esse possibili, ideo de eis verificari potest etiam quando non sunt in rerum natura, sed tantum possibilia. Hinc collige inter præfatarum 9. Met. d. p. c. 3. ad 6. assignare pro causa veritatis propositionum necessariarum diuinam voluntatem, hæc enim est causa veritatum contingentium: & rursus falsum est, quod ibi ait veritates contingentes differre à necessarijs, quia istæ pendent solum à voluntate diuina, illæ verò etiam à creata; nam hæc Antichristus erit, est contingens, nec pendet à voluntate creata.

67 Ad 4. omnis veritas propositionis affirmatiuæ in aliqua extremorum identitate fundatur, sicut è contra veritas negatiuæ fundatur in eorundem diuersitate, identitas autem, & diuersitas cum sint entis affectiones in omni ente, ac in omni entis statu reperiuntur, vndè sicut homo est idem in re cum animali existenti, ita homo possibilis identitatem habet cum animali possibili, & quidem suo modo actualem, quatenus hoc extremum possibile animal est actualiter de ratione huius extremi possibilis, scilicet hominis, quia homo possibilis intrinsecè, & quidditatiuè est possibile animal, atq; ideo hæc identitas sufficiens est fundamentum veritatis illius propositionis, homo est animal, quia licèt extrema sint merè possibilia, identitas tamen inter ea in esse obiectiuo est actualis. Ad vltimum si prædicatum *existens* cum proportione sumatur vel in actu, vel in potentia, posset admitti illa propositio, homo est existens, veluti necessaria, verùm quia prædicatum illud simpliciter dictum ex vi suæ significationis non significat potentiam existendi, sed exercitium, & actualitatem essendi, ideo propositio illa absolutè prolata non debet admitti, quia non reddit sensum conditionalem, sed absolutum, vnde si admitteretur, vt necessaria, absolutè significaret existentiam, & actualitatem essendi necessario homini conuenire, quod est falsum, vt bene notauit Suarez loc. cit.

68 Quartò tandem principaliter argumenta deducunt ex ipso conceptu essentiæ, quia in creaturis distingui solet esse essentiæ, & esse existentiæ, & illud se habere dicitur vt prius, hoc verò vt posterius, ergo secluſa existentia adhuc creaturæ retinent esse essentiæ. Conf. quia essentiæ rerum in prædicamento disponuntur, vt ab existentia præscindunt, sed quæ in prædicamento disponuntur sunt entia realia, ergo essentia realis conuenit creaturis independenter ab existentia. Resp. quia essentia ex vi suæ significationis non denotat actualitatem essendi, sicut facit existentia, ideò dupliciter sumi solet, vel pro esse possibili rerū, quo pacto in cōmuni modo loquendi attribui solet creaturis etiam non existentibus, & in hoc sensu non est aliquod verum esse reale, & actuale in creatura, vt contendebat Henricus, sed est purum esse possibile, quod nullum habet esse actuale, nisi cognitū, & obiectiuum in diuino intellectu, vt supra ostensum est alio modo accipitur esse essentiæ, vt actu conuenit creaturis iam existentibus, & hoc quidem est esse reale, & actuale (quomodocumq; ab existentia distinguatur, de quo q. seq.) sed non conuenit eis, nisi per creationem, & productionem agentis, & per realem coniunctionem cum existentia, atq; ideò secluſa existentia non retinent creaturæ esse essentiæ, nisi primo modo inspectum, quo pacto non est esse aliquod reale actuale, quod habeant in seipsis ab æterno, sed tantum esse possibile, quod habent in suis causis modo suprà explicato. Cum autem dicebatur essentiam esse priorem existentia, si sermo sit de prioritate durationis, hoc verificari nequit, nisi de essentia primo modo sumpta, hac enim prioritate certum est esse possibile creaturarum præcedere esse reale actuale earundem, quod habent in tempore, at essentia secundo modo sumpta non hac prioritate præcedit existentiam, sed tantum prioritate illa naturæ, quæ apud Doctorem dicitur naturalis præ-

suppositionis, & versatur inter duo, quæ licèt sint inseparabilia, vnū tamen præsupponitur alteri necessariò, cum intelligitur, non è contrà, quo pacto subiectum dicitur prius natura passione, & intellectus prior voluntate, de qua prioritate satis diximus disp. 9. Log. quæst. 2. artic. 1.

69 Ad Conf. concessa maiori dicimus ad minorem res in prædicamento dispositas, vt ab actuali existentia præscindunt, dici entia realia accipiendo ens reale nominaliter pro eo nimirum, cui verum esse non repugnat extra causas, non autem verbaliter pro eo, quod actu existit extra causas, & ideo non sequitur creaturas possidere posse esse reale, & actuale essentiæ independenter ab existentia. Dices, res vt possibilis, & vt facta est prorsus eiusdem speciei, & numeri, eiusdem nam; speciei est rosa in vere, & in hyeme, & eadem numero essentia humanitas Petri creati, & creabilis, sed dum rosa existit, & Petrus existit, eorum essentia aliquam realem, & actualem entitatem importat, ergo etiam antequam existat. Nec valet vulgata responsio, quæ ad hoc adduci solet, nimirum rem producibilem, & productam esse eiusdem speciei, & numeri, duntaxat negatiuè, quatenus non sunt diuersæ, quia iam n. 48. diximus intercedere veram identitatem positiuam. Resp. ita ibi diximus, non ad indicandum essentiam etiam ab existentia præcisam importare actualem aliquam entitatem, sed vt ostenderemus non importare conceptum merè negatiuum per simplicem nō repugnantiam negatiuam explicatum, vt quidam contendebant, quia eundem prorsus essentialem conceptum formamus de homine existente, & non existente; ex hoc tamen non rectè deducitur, quod si humanitas Petri, dum existit, importat realitatem aliquam actualem, ita etiam dum non existit, quia est vna, & eadem res, non (inquam) hoc sequitur, alioquin etiam deduci posset, quod ante productionem haberet realitatem existentiæ, quam possidet post productionem, quia Petrus producibilis est idem cum seipso producto. Ex hoc ergo, quod est eadem res, quæ nunc est producta, & quæ iam producibilis erat, solum sequitur quod in vtroque statu eundem retineat prorsus essentialem conceptum; idem enim concipitur, quando dicitur hoc est possibile, & quando dicitur, hoc existit, licèt sub diuerso statu, & in hoc sensu solum dici possunt idem positiuè, non autem quia in vtroq; statu aliquam eandem retineant realitatem actualem, conceptus namque essentialis vtrique statui communis ab omni tali actualitate præscindit.

70 Dices ergo res possibilis erit aliquo pacto realiter diuersa à seipsa iam producta, & existente, quia existens includit aliquam realitatem actualem, quam non includit in esse possibili. Concedunt aliqui distingui aliquo pacto realiter, non quidem positiuè, quasi habeant duas species, aut essentias, sed negatiuè, idest non sunt idem realiter, quod sic probant, quia nihil, & aliquid non sunt idem realiter, sed essentia possibilis, & in esse obiectiuo est nihil, existentia autem realis est aliquid, ergo non sunt idem realiter; ita Meurisse lib. 1. suæ Met. quæst. 21. concl. 1. quod quidem dictum familiare quoque esse solet alijs quibusdam Scotistis. Hæc tamen doctrina mihi nunquam placere potuit, quia tunc inter eundem Petrum, vt possibilem, & vt existentem maior differentia inueniretur, quam inter ipsum, & lapidem. Consequentia patet, quia differret, vt ens, & non ens, vt nihil & aliquid, quæ vtique inter se magis differunt, quam Petrus, & lapis, quæ in multis quidditatiuè conueniunt. Accedit quod falsò etiam nititur fundamento, vt enim constat ex n. 46. & 56. falsum est essentiam possibilem esse absolutè nihil; aliud namque est creaturam purè possibilem nondum productam non esse, seu non existere, aliud esse nihil, seu negationem existentiæ; primum vtiq; verum est, at secundum est prorsus falsum, quia creatura possibilis non est illa negatio; sed illi negationi coexistit, quamdiu producta nō est, secundùm se autem est verum ens reale, & positiuum, non quidem actuale, sed possibile; vndè in statu possibilitatis, & existentiæ considerata non se habet, veluti ens, & non ens, seu vt nihil, & aliquid, vt aiebat Meurisse, sed vt ens anteà possibile, & posteà existens; certum autem est esse omninò idem ens, quod prius erat possibile, & posteà existit, nam si illud quod existit & ponitur in actu, non est illud idem quod erat in potentia, percuntari licebit, numquid quod erat in potentia, possit illud ipsum ad actum deduci, si non, ergo non erat in potentia, sed potius impossibile; si sic, habetur intentum; sunt ergo prorsus idem ens possibile, & ipsum in actu positum, seu existēs, & eodem prorsus conceptu essentiali explicatur, & solum assignari potest diuersitas status, quia antequam producatur, sub statu possibilitatis concipitur, cum deindè est productum, sub statu actualitatis reperitur: hoc totum elegantissimè declarauit noster Alenses 7. Metaph. tex. 22. quæstiuncula vltima his verbis, *hoc autem ens non prohibitum, seu ens possibile, & ens in actu non sunt duo entia, sed vnum, & idem sub alio, & alio modo, qui tamen alius, & alius modus non est alia, & alia res, & potest saluari istud fieri, quia ad istud fieri non plus requiritur, nisi quod eadem realitas tota primò sit sub natura possibilis, & tota postea fiat in actu.*

QVÆSTIO II.

Quid sit rerum existentia, & quomodo ab actuali essentia distinguatur.

71 HActenus de essentia creaturarum actum est in statu possibilitatis, antequam, scilicet à Deo extra producerentur,

nunc de eadem sub statu actualitatis, quem possident, cum sunt extra productæ, agendum est; & quia in tali statu est actualiter existens, & existentiæ reipsa coniuncta, videndum est in hac quæstione quid sit hæc existentia, cuius beneficio essentia possibilis de statu possibilitatis deducitur ad actum existendi extra causas, & quo pacto ab essentia sic extra causas posita distinguatur; quo enim modo distinguatur ab ea sub statu possibilitatis considerata, satis liquet ex dictis præcedenti quæstione præsertim à num.69. & 70. Quantum ergo ad quid nominis attinet, sicut existere, est quasi extra sistere, sic existentia in abstracto est quasi extra sistentia, quatenus quod existit, sistit extra nihil sui, cum antea nihil actu esset, sistit extra potentialitatem essendi, cum antea solum in potentia esset, sistit denique extra causas, in quarum virtute antea continebatur; & ideò quantum ad quid rei existentia apud omnes dicitur esse ipsa ratio, *qua essentia constituitur formaliter actu, & extra causas*, quæ definitio colligitur ex Arist.9 Metaph.text.11.dum existentiam definiens dixit, *est autem actu existere rem non ita sicut diximus in potentia*.

72 Hinc primo deducitur existentiam esse quid reale intrinsecum rei existenti, quia res non dicitur existere per extrinsecam denominationem, sed per suum esse intrinsecum, seu per aliquid sibi intrinsecum, cuius ratio est, quia existentia exercere debet effectum realem, qualis est constituere rem extra causas; & quia hunc effectum exercere debet in genere causæ quasi formalis, hunc præstare debet per intrinsecam sui met exhibitionem rei existenti, quod quidem omnibus causis formalibus commune est, quando exhibent realem effectum, & non denominant tantum; nam causa formalis, vt dictum est in Physicis suum præstat effectum seipsam exhibendo. Deducitur secundo, quod sit veluti quidam actus essentiæ, quo ipsa constituatur in esse actuali, seu à parte, rei nihil enim aliud est rem existere, quam actu esse, cum antea esset solum in potentia, vnde dicitur actus, quia correspondet potentiæ obiectiuæ, & totaliter actuat id quod antea totum, & totaliter possibile fuerat; dici autem solet primus, & vltimus actus, seu prima, & vltima actualitas, quod varijs modis explicatur a Thomistis, sed breuiter, vt docet Scot.2.d.3.q.3.in fine dicitur vltimus actus respectu omnium predicatorum essentialium, quæ supponit, quia supponit totum esse essentiæ completum, & in seipso constitutum, non quidem secundum esse reale, vt enim constat ex præcedenti quæstione creaturæ ante productionem non sunt aliquid in seipsis, sed secundum esse obiectiuum, quia dum intellectui res existens obijcitur, essentiam abstrahit ab existentia, considerando illam, vt priorem, hanc verò, vt posteriorem, ac veluti vltimum illius actum; dicitur vero primus actus, tum quia est primus respectu omnium operationum, & attributorum accidentalium, quæ rem existentem supponunt, tum quia primò conuenit essentiæ statim, vt ponitur extra causas, imò est formaliter id, quo essentia ipsa ponitur à parte rei, & in rerum natura.

73 Rursus hinc tertiò deducitur existentiam, prout importat exercitium existendi, quo sensu de ea loquimur in hac quæstione, contingenter se habere ad essentiam, & non esse partem essentiæ, aut prædicatum quidditatiuum eius, quia vt diximus existentia supponit totum esse essentiæ iam completum, & constitutum, & in rebus creatis integrâ possumus earum essentiam concipere nihil interim cogitando de existentia, & solius Dei proprium est, quod ex vi suæ essentiæ existat, vnde fieri nequit, vt Deus essentialiter concipiatur, nisi etiam concipiatur existens, vt suo loco dicemus. Deducitur quartò existentiam esse aliquid rebus creatis ex vi productionis conueniés, cum enim sit actus rem de potentia obiectiua ad esse actuale reducens, & potentia obiectiua attendatur in ordine ad agens, sequitur actum huiusmodi rebus communicari per actionem agentis, vnde dici solet, quod existentia est primus, & proprius effectus efficientis causæ, vt notat Doctor 4.d.1.q.1.§. *Sed ista rationes*, quia dum causæ efficiens operatur, rei possibili existentiam communicat causando totum esse actuale, quod in seipsa deinceps possidet. Ex dictis tandem deducitur existentiam ex vi suæ formalitatis quid positiuum præseferre, sic enim indicant munera iam relata ei conuenientia, atque ideò non dari illam negatiuam existentiam, quam Recentiores quidam commiscuntur, vt ostendant quo pacto materia prima ex se sit extra causas, & tamen propriam non habeat existentiam; & dicunt in hoc differre ab existentia positiua; quod res per existentiam positiuã fiunt habent, quod non sunt amplius in causis: Hæc inquam, negatiua existentia est merè chimærica, & fictitia, quia munus existentiæ, vt existentia est rem extrahere de potentia causarum, & eam reddere actu de se constat, ergo omnis existentia ex suo genere est positiua, & cogitari nequit existentia negatiua; tum quia vt diximus, est primus, & proprius effectus efficientis causæ, at talis effectus est omnino positiuus, ergo &c. Nec minus inanis est illa distinctio allata de esse extra causas, & non esse in causis, nam eo ipso quod res non est in causis, statim est extra causas, nam rem non esse amplius in causis formalissimè aliud non est, quam à causis egressam esse, & ab ipsis extractam virtute alicuius agentis; tum quia rem esse extra causas, & non extra causas, seu esse intra causas, & non intra causas sunt contradictoria, quorum alterum tantum verificari debet: ergo si res non est intra causas, iam erit extra illas, & si non est extra causas, adhuc erit in causis, & hoc est adeò certum, & exploratum vt vlteriori probatione non egeat; fusius contra hoc nouum commentum agit Pal. qualig.tom.2.Met.disp.8.1.sect.3.

74 His itaque præacceptis, veluti in omni schola concessis, scitu cet existentiam esse quid reale, & positiuum, ac rei existenti intrinsecum, se habens respectu essentiæ ad modum actus, ac veluti contingenter eam respiciens, dubium est quidnam sit iste actus, an scilicet sit accidens aliquod commune ipsius essentiæ actualis, & ab ea separabile, an accidens proprium, vel potius quidam modus eius intrinsecus; & in quo prædicamẽto ponatur. Prima opinio asserit esse quoddam accidens rebus creatis superadditum, ac in ipsa essentia recepti, cui formaliter hoc præstet, quod fiat extra nihil, ita docuerunt olim quidam Arabes, vt Auic.& Alpharab. vt refert D.Thom.4.Metaph. sect.2. quos multi Latinorum secuti sunt, existentiam ab essentia realiter distinguentium, licet non eodem modo omnes rem explicent ac in eodem prædicamento constituant. Molina namque par.1. quæst.4.disp.2. significat esse accidens absolutum ad aliquod certum ex nouem prædicamentis accidentium directè spectans à duratione non distinctum, quia duratio, & existentia idem sunt, vnde in eo prædicamento reponitur, in quo duratio collocatur. Henricus verò, vt refert Doctor 1.d.36. docebat quol.9. & 10. existentiam esse respectum ad causam productiuam essentiæ superadditum, quo ordinetur ad causam efficientem, tanquam ad principium, à quo esse recipit: quem dicendi modum inconsultò prorsus Pasqualig.cit. sect.1.nu.6. adscribit Scoto, quia illum ex professo ibi Doctor impugnat. Alia opinio asserit, quod licet non sit accidens commune, & prædicamentale, est tamen accidens proprium, comitatur namq; essentiam creatam, vt propria eius passio, & ex principijs intrinsecis essentiæ dimanat ad instar proprietatis, ita docet Ferrar.2.contra gentes cap.55. licet speciatim ibi loquatur de existentia Angelorum, & animæ rationalis, quo etiam modo loqui videtur Sanch.in Log.q.74.

75 Alij verò Thomistæ communiter etiamsi realiter existentiam ab essentia distinguant, adhuc tamen negant esse accidens prædicamentale rei existentis, & aiunt quantum est de se, neq; substantiam esse, neque accidens, sed existentiam substantiæ esse substantiam, & existentiam accidentis esse accidens, vt loquitur Caiet.lib.de Ente, & essentia cap.5. q.11. ad 8. itaut existentia secundum se ad nullum prædicamentum directè pertineat; sed tantum reductiuè ad illud cuius est existentia, vnde existentia substantiæ spectabit ad prædicamentum substantiæ, & existentia accidentis pariter ad prædicamentum accidentis, illius nimirum, cuius est existentia, & sic fatentur existentiam esse quidem accidens (vt aiunt) prædicabile, non tamen prædicamentale; ita veteres passim, & Recentiores Thomistæ ex D. Thoma qu.5.de potent.art.4. ad 3.Caiet.loc.citat.Soncin.4.Met.qu.2. Flandria ibid.q.3.art.7. Barnes p.1.qu.3.art.4.dub.1. Ledesma de perfect.diuin.q.12.art.3.Nauaret.p.1.controuer.14. §.1.Iauellus, & Masius tract.de transcendent. Nazarius p.1.qu.3.ar.4.controu.1.concl.9. Blasius à Conceptione disp.6. Met. qu.2. Manca 1. Phyl.qu.5.dub.1. & 2. qui alios citant. Quæ autem fuerit mens Scoti *in hoc puncto* postea dicam.

76 Quoad aliam quæsiti partem de distinctione, scilicet existentiæ ab essentia Thomistę omnes supracit.circa eadem loca incunctanter affirmant distingui realiter cum omni proprietate, scilicet realiter entitatiuè, & vt rem à re, cuius sententiæ præcipuus habetur Auctor D.Thomas p.1.quæst.3.art.4.& 2.contra gentes cap.52. & de Ente, & essentia cap.5. & adeò in eius schola inualuit, vt principium fit apud Thomistas indubitatum esse realiter ab essentia distingui; sequuntur nonnulli Auerroistæ, & omnes præsertim qui dicebant existentiam esse accidens prædicamentale ipsius essentiæ, eltò nonnulli eam distinctionem nolint vocare realem, sed modalem, quos infra referam. Oppositæ ex diametro sententia affirmat nullo prorsus modo a parte rei distingui, sed solum per intellectum, itaut existentia à parte rei sit eadem omnino entitas actualis essentiæ, & est communissima, & passim recepta apud Nominales, & Neutrales, quam docuit Alensis 4.Metaph.tex.4.& lib.7.tex.22.Aureol.1.d.8.quæst.1. Durand.ibid.quæst.2.Greg.2.d.6.quæst.1.Gabriel.3.d.6.quæst.2.art.1. & sequuntur Neoterici passim, Pererius lib.6.suæ Philosoph. cap.4. Suar.disp.31.Metaph.per totam. Valq.3.p.to.1.disp.72.& 1.par.disput.179. Valentia tom.1.disp.1.q.3. punct.4. Ruuius 1. Phyl. tract.1. de materia q.4. Auersa q.8.cit.sect.6.7. & 8. Pasqualig. cit. disput.32. sect.3.& seq. Hurtad. disp.8. Metaph. sect.4. Arriag. disp.2. Metaph. sect.3.Ouuied.controu.2.Metaph.punct.2.& 3. hi omnes (inquam) & alij quamplures extra scholam. S.Thomæ aiunt essentiam, & existentiam sola ratione distingui; verum tamen est non omnes conuenire in explicanda hac distinctione rationis, aliqui enim volunt esse distinctionem rationis cum fundamento in re, & ex parte obiecti, quam appellare solent distinctionem rationis ratiocinatæ, & ita videtur sentire Suar.dicens disp.31.citat.sect.6.nu.23. essentiam, & existentiam ratione distingui, vt duas formalitates in eadem re inuentas; alij verò declarant hanc rationis distinctionem nullum fundamentum habere ex parte obiecti, sed solum distingui ex parte modi concipiendi, adeout sit sola distinctio rationis ratiocinantis, & ita loquuntur Moderniores Suario posteriores, vt Pasqualig. disput. cit. sect.6. nu.5. Auersa sect.8. Arriag.sect.4. Ouuied. punct.3. imò Hurtad.disp. cit §.53.ait essentiam, & existentiam nec re, nec ratione distingui dicens non esse duas formalitates ratione distinctas, sed vnam diuersimodè conceptam, quæ fuit opinio Aureoli loc. cit.

77 Me-

77 Media sententia est Scoti locis infra citandis, & Scotistarum, qui admittentes mediam distinctionem inter distinctionem simpliciter realem, & simpliciter rationis, quam vocare solent formalem ex natura rei actualem, vt ostendant anteuertere omne opus intellectus, eam consequenter admittunt inter essentiam, & existentiam, & quia existentia se habet, vt modus intrinsecus essentiæ, vt mox dicemus sumpta denominatione ex parte modi eam vocant formalem modalem. Vnde falsum est cum hac Scotistarum sententia coincidere secundam iam relatam, vt aiunt Smisinch. tract.1.de Deo vno disp.2. quæst.1.num.42. & Posnanienſ.1.d.36.disput. vn. concluſ. 3. eo quia putant distinctionem rationis ratiocinatæ, quam secundæ sentent. Auctores inter essentiam, & existentiam agnoscunt, cum distinctione formali Scotica coincidere; falsum, inquam, est, quia licet quidam ex illis Auctoribus distinctionem rationis ratiocinatæ agnoscant inter illa, maior tamen eorum pars eam negant, solamque ad summum admittunt distinctionem rationis ratiocinantis, vt vidimus, tum quia quando etiam omnes inter illa admitterent distinctionem prioris generis nempe rationis ratiocinatæ, ac cum fundamento in re, falsum adhuc est hanc coincidere cum distinctione formali Scotica, quæ omne opus intellectus anteuertit, vt ostensum est disp. 1. Log. quæst.3.art.2. in declaratione distinctionis rationis, & rursus supra disp.6.quæst.11.Toto insuper, vt aiunt, aberrant Cœlo, qui cum hac nostra sententia coincidere dicunt opinionem quorundam Thomistarum ponentium inter essentiam, & existentiam distinctionem modalem non autem realem, vt loquitur Scoto 2.Physic. qu.2. Molin. loc. cit. Fonsec.4.Metaph.cap.2.quæst.4. Albertin. tom.2. princ.1. Philosoph.disp.2.quæst.1.& alij nonnulli, quia isti non loquuntur de distinctione modali, vt solet accipi in Schola Scotistarum, qualis assignari solet ab eis inter rem, ac modum eius intrinsecum, quam locis supra citatis explicuimus, & supra disp.2.quæst.6. art.1.nu.150. Sed loquuntur de distinctione illa modali, quam Moderni assignare conueuerunt inter rem, & modum eius extrinsecum, qualis est vnio respectu materiæ, sessio respectu sedentis &c. quæ quidem distinctio, vt dictum est locis citatis in Schola nostra est distinctio realis: & ideo horum opinio valdè distat à Scoti sententia, quia nec Doctor existentiam appellauit modum in hoc sensu respectu essentiæ, nec in hoc sensu eorum distinctionem Scotistæ appellant modalem; quo circa eorum opinionem ad primam, & communem Thomistarum sententiam pertinere diximus, quantumuis existentiam appellent modum essentiæ, ac eorum distinctionem modalem. Hanc igitur tertiam sententiam mediam, vt à nobis declaratam, tenent passim Scotistæ omnes, & Formalistæ passim in tract.Formalit.Lichet.2.d.3.quæst.1. Tatar.ibid.& 4.Metaph.9. de ente, & vno dub.2. Smisinch. & Posnaniens. loc.citat. Faber theor.32. Meurisse libr.1.suæ Metaph.quæst.21. Poncius disput. 18. de ente quæst.4. Trombet.5.Metaph.qu.6. ex Scoto 1.d.36.qu.vn.& 2.d.1.qu.2. & d.16.qu.vn. §. *rationes ista* & 3.d. 6. qu.1. & 4.d.11. quæst.3.§. *ad rationes* & d.23. quæst.1.art.3.versicul. *ad argumenta*.

ARTICVLVS I.

Existentia neque est accidens commune, neque proprium actualis essentiæ, sed modus eius intrinsecus.

78 CONclusio huius articuli est Scoti Scotistarum locis iam citatis probatur, ac declaratur quoad omnes, & singulas partes, & quoad primam partem, quod existentia non sit accidens commune, seu prædicamentale actualis essentiæ & communis etiam in Schola Thomistarum melioris notæ, & probatur euidenti ratione, quia accidens commune, vt idem est quod prædicamentale a substantia contradistinctum, dicitur esse illud, quod adueniens enti iam existenti in actu, illique inhæret, & ab eo sustentatur, cum ab eo dependeat tanquam à causa materiali quoad receptionem, & sustentationem, rursus dicitur adesse, & abesse præter subiecti corruptionem; sed hæc existentiæ minimè competere potest comparatæ ad essentiam, ergo non est accidens respectu illius, maior patet ex communi conceptu accidentis prædicamentalis, probatur minor, quia siue loquamur de existentia substantiæ, siue accidentis, falsum est posse adesse, & abesse præter actualis essentiæ corruptionem, quamuis enim existentia abeunte dici possit essentiam substantiæ, vel accidentis remanere in esse possibili, tamen actualis essentia ad eius interitum destruitur; rursus falsum est existentiam in substantia, siue in accidente aduenire essentiæ, velut enti in actu iam existenti, quia potius per ipsam essentia constituitur ens in actu, & redditur existens, ergo non solum respectu essentiæ substantialis, sed nec etiam respectu essentiæ accidentalis potest existentia dici accidēs commune, seu prædicamentale, sed solum dicetur accidens per identitatem, aut proportionem quæ inter essentiam, & existentiam debet intercedere, quatenus nimirum est existentia essentiæ, quæ est accidens. Conf. quia existentia non facit cum essentia vnum per accidens, sed vnum per se, etiamsi ponatur ab ea realiter distincta, & hoc verum est tam de substantia, quam de accidente, tam enim per se vnum est homo existens, quam quantitas, vel qualitas existens, sed accidens commune, & prædicamentale cum subiecto, cui aduenit, facit aggregatum per accidens, ergo &c.

79 Secundò, existentia est eiusdem ambitus, & latitudinis cum ipso ente, quolibet enim ens reale ex possibilitate, quam habet ex suis intrinsecis principijs ad existentiam ordinatur, & quidem sibi proportionatam, substantia nimirum possibilis ad existentiam substantialem, & accidens possibile pariter ad existentiam accidentalem, sed ens, vt sic, ad certum genus non pertinet, sed omnia prædicamenta transcendit, & per singula vagatur, ergo pariter existentia non erit ad aliquod peculiare prædicamentum coarctata, sed per omnia, & singula vagabitur, itaquod eiusdem prædicamenti sit existentia, cuius est essentia cuiusque rei. Conf. quia si existentia ad aliquod prædicamentum coarctari deberet, vel hoc esset prædicamentum, in quo ponitur rerum duratio, à qua non distinguitur, vt quidam Auctores huius opinionis dicebant, nempe prædicamentum quantitatis pro duratione, & existentia rerum successiuarum, & prædicamentum quando pro duratione, & existentia permanentium, vel saltim poneretur in prædicamento relationis, quatenus relationem dicit ad causam efficientem, vt erat Henrici placitum, sed neutrum rectè asseritur, ergo &c. probatur minor quoad primam partem, quia vt visum est disp.14. Physic. negant quamplures durationem, & existentiam identificari realiter, & qui talem identitatem concedunt, vt probabilius ibi indicauimus, negant durationem in se spectatam esse accidens, sed dicunt durationem substantiarum esse substantiam, vel substantialem, & durationem accidentium esse accidentalem, quemadmodum nunc dicimus de existentia; immo si duratio ab existentia non distinguitur, potius duratio trahi debet ad prædicamentum per existentiam, vt ibi dictum est, quam existentia per durationem, probatur etiam minor quoad aliam partem, quia vt probat Doctor d.36. §. *contra istas* aduersus Henricum falsum est existentiam consistere in simplici illo respectu ad causam efficientem, quia si creatura non producitur in esse existentiæ, nisi secundum respectum tantum nouum ad efficiens, non videtur esse productio ad esse simpliciter, sed tantum ad esse secundum quid, & minus erit creatio productio simpliciter, quam sit alteratio, vbi est productio saltim alicuius quantum ad esse absolutum. Tum quia in fundamento eodem, & termino immutabili non potest esse respectus nouus, sed hoc fundamentum idem est, scilicet, esse essentiæ, & terminus est immutabilis, scilicet Deus, ergo nullus respectus nouus potest esse ad talem terminum, qualis respectus ponitur importari per existentiam. Tum quia quamuis res, dum producitur, existentiam recipiat à causa efficiente, & respectum fundet ad illam producti ad producens, hæc tamen relatio non importat formaliter ipsam existentiam, sed potius in ipsa existentia iam producta fundatur, seu in ipso effectu iam existente. Tum tandem quia existentia ex vi formalis sui conceptus habet solum; quod rem in seipsa constituat, seu in esse actuali, relatio verò quod rem ordinet, & referat ad aliud, quæ sunt rationes formales diuersæ; vt satis de se constat, & vna alteram supponit, quia prius supponi debet res in se constituta, vt postea dicatur ad aliud ordinari.

80 Tertiò, tandem adhuc magis euidenter ostenditur existentiam substantiæ non posse esse accidens, quia esse & existere substantiæ est esse simpliciter, & per se, ac substantialiter existere, ergo nequit existere beneficio accidentis, quod tantum esse secundum quid præstare potest. Tum quia existentia debet esse proportionata essentiæ, quam actuare dicitur, sed existentia accidentalis, qualis est quæ ab accidente haberi potest, non est proportionata essentiæ substantiæ. Tum quia generatio substantiæ tunc non esset productio simpliciter, vt docet Arist. 5. Physic. cap. 1. sed secundum quid, existentia namque vel est terminus generationis, vel saltim in eo per se includitur, essentia siquidem præcisè, quatenus essentia non producitur, sed essentia cum existentia, seu essentia actualiter existens. Tum tandem quia nimis derogat perfectioni substantiæ, quam obtinet supra accidens, quod suum esse, suumq. existere ab accidente debeat emendicare, & quod intra genus proprium habeat accidens existentiam, qua existat, non autem substantia.

81 Quoad secundam partem, quod scilicet existentia neq; sit accidens proprium essentiæ probat Suarez disp.31.cit.sec.7.num.2. quia proprium consequitur, & resultat ex re iam existente, & ideò non per se primò fit per generationem, vel creationem, sed resultat ex re producta per generationem, vel creationem. Hæc tamen ratio non absolutè probat, quia negare posset Aduersarius assumptum, nam risibilitas v.g. conuenit per se homini siue existat, siue non existat, vnde dici solet propositiones secundi modi, in quo passiones de proprijs enunciantur subiectis, esse necessarias, & abstrahere ab existentia actuali, nam si ab ea penderent, sicut existentia subiecti contingens est, ita quoq. connexio propriæ passionis cum subiecto contingens esset, & non necessaria. Idcircò Pasqualig. disp.81. cit. sect. 4. aliter probat, quia nimirum passio simpliciter conuenit subiecto præscindendo ab eo, quod existat, vel non existat, at existentia nulli rei creatæ conuenit simpliciter, sed tunc solum, quando existunt, vnde neque per se conuenit, sed contingenter, & consequenter quando existentia prædicatur de his rebus, propositio est contingens, at passio quando prædicatur de subiecto facit propositionem necessariam, quæ vocari solet æternæ Veritatis, eo quod semper vera sit independenter a quacunq. differentia tēporis, & ideo passio potest verè de suo subiecto demonstrari, at non existentia de re creata. At in primis hic Auctor sibi constare non videtur, quia in eadem disp. sect.2.n.2. ad hoc ipsum

probandum vtebatur ratione Suarez, ait enim quod accidentia propria emanant à subiecto, non potest autem intelligi talis emanatio, nisi subiectum concipiatur existens; hinc etiam passiones dicuntur posteriores natura suo subiecto, quare concludit, existentiam non posse se habere vt accidens, proprium essentiæ. Deinde ex illa probabatione sequeretur passiones esse rebus intimiores propria existentia, quod est falsum, quia existentia in omni re creata est modus eius intrinsecus, qui à toto genere est intimior passionibus, vt dictum est disput. 2. numer. 148. declarando naturam modi intrinseci. Quare illa ratio solui debet dicendo, quod licet passio conueniat subiecto præscindendo ab existentia eius actuali, non tamen ab existentia aptitudinali, quia vt docet Aristot. 2. Post. cap. 2. de subiecto præcognoscí debet an sit, idest quod sit possibile, nec in rerum natura repugnet, antequam de ipso demonstretur passio; & rursus quod licet existentia accidat essentiæ possibili, seu essentiæ secundum se consideratæ, quę vt sic abstrahit a statu possibilitatis, & actualitatis, vt dictum est nu. 53. non tamen prorsus accidit essentiæ actuali, quia est modus intrinsecus eius, eique realiter identificatus non minus, quam passio; quod tamen non impedit, quin adhuc creatura contingenter existere dicatur, vt infra constabit n. 90.

82 Hunc itaque in modum illa ratio, quam tangit Suarez confici debet, vt intentum probet, quia in quocunque statu essentia rei consideretur, siue possibilitatis, siue actualitatis, prius natura intelligitur ei conuenire existentia, quam alia quæcunque passio quantumuis intrinseca, ergo existentia non est eius passio, probatur assumptum, quia vt dicebamus ex Arist. antequam passio demonstretur de subiecto, præsupponitur, an sit; tum quia si natura v. g. humana consideratur in statu actualitatis, certum est existentiam risibilitatis pendere ab existentia humanitatis, & hæc causalis est vera, quia humanitas existit, ideò risibilitas existit, & non è contra; si consideretur in statu possibilitatis rursus verum est dicere, quia humanitas est possibilis, seu apta est existere, ideo risibilitas quoque est possibilis, ergo seruata proportione, & vniformiter loquendo de subiecto, & passione, scilicet vel in statu possibilitatis, vel actualitatis, semper verum est existentiam rei precedere quamcumque eius passionem. Aliam quoque rationem ad hoc Palqualig. adducit, quę potest admitti, quia passio consequitur ex principijs intrinsecis sui subiecti, adeoue si suę naturę relinquatur, statim ab eo passio dimanat etiam nullo intrinseco agente concurrente, vt constat de frigore respectu aquę calidę, quę ab igne remota statim se reducit ad pristinam frigiditatem (quamuis frigiditas non sit passio logica, sed physica, vt aiunt respectu aquę) at existentia non ita consequitur rem ex principijs eius intrinsecis, sed potius est effectus causę efficientis, quę dum communicat esse effectui, communicat simul existentiam, nam actio efficientis tendit ad constituendam rem in actu, quod præstare nequit nisi existentiam communicando.

83 Quoad tertiam partem, quod, scilicet existentia sit modus intrinsecus essentię actualis, sicut existentia possibilis est modus intrinsecus seruata proportione essentię possibilis, sequitur & probatur ex dictis, cum enim existentia in creaturis non sit rei quidditas, sed aliquid posterius, nec de quidditate rei, cum nec sit genus, nec differentia, nec materia, nec forma; rursus cum non sit accidens commune, neque proprium, vt probatum est, superest, vt dicatur esse modus quidam essentię intrinsecus, quo formaliter res dicitur esse actu, siue extra causas; antequam enim existeret, dicebatur esse potestate solum, & quasi in suis causis latere, cum autem foras erumpit virtute causarum, tunc incipit existere, cum autem modus sequatur rem, cuius est modus, hinc fit vt si essentia sit substantialis, eius quoque existentia, sit modus substantialis, si verò essentia sit accidentalis, eius quoque existentia sit modus accidentalis. Deinde probari potest, veluti a priori, ratione deducta ex definitione modi intrinseci, qua vtuntur Mairon. 1. d. 2. qu. 1. Trombet. 5. Metaph. qu. 6. & passim alij Scotistæ, existentia non variat rationem formalem essentiæ, cui coniungitur; ergo est modus intrinsecus eius, Consequentia patet per locum a definitione ad definitum; illa enim est definitio modi intrinseci, quam assignauimus, & explicauimus disput. 2. à num. 151. Probatur assumptum, quia homo in potentia, & post in actu est idem homo formaliter, ergo existentia non variat rationem eius formalem. At Vigerius 1. d. 2. q. 2. hanc rationem à Mairon. adductam inficiatur, quia si valeret, probaret etiam, quod accidens esset modus intrinsecus, & similiter passio, quia non variant rationem formalem sui subiecti. Sed hæc instantia procedit ex intelligentia praua illius definitionis modi intrinseci, quæ si rectè intelligatur, cessant omnes huiusmodi obiectiones, vt loc. citato ostendimus.

84 Conf. quia ex ibi dictis modus intrinsecus dicitur, modus, quia propriè non pertinet ad essentiam rei, sed potius ad complementum eius; dicitur verò intrinsecus, quia est veluti gradus internus illius quidditatis, quatenus illam intra seipsam perficit, nam si concipi debet cum perfectione, quam possidet in toto ordine entium, necessariò concipi debet cum suo modo intrinseco, vt ibi fusè explicatum est num. 148. sed existentia ita adamussim se habet ad essentiam comparata, ergo est modus intrinsecus eius. Probatur minor, quamuis enim essentia secluſa existentia concipi possit quoad omnia sua prædicata quidditatiua, nunquam tamen dicitur adæquate, & perfectè concipi, nisi concipiatur cum gradu perfectionali sibi debito in toto ordine entium, talis autem gradus intrinsecus est existentia, omnis enim res possibilis ex suis principijs intrinsecis habet, quod possit perduci vsque ad suum perfectum statum, & vltimum complementum, ita vt in suo proprio genere hunc statum perfectum habeat, substantia quidem in genere substantiæ, & accidens in genere accidentis; ergo existentia pertinet ad complementum rei, cuius est existentia, vt gradus eius intrinsecus, quia eam interne perficit, & veluti intra seipsam, vnde existentia substantię est quoddam complementum eius in genere substantiæ, per ipsam enim substantia ad esse actuale reducitur, ad quod ex vi suæ possibilitatis ordinatur, quia substantia in statu possibilitatis, etiamsi omnia sua quidditatiua prædicata retineat, non est tamen substantialiter completa, neque perfectum statum habet in genere substantiæ, sed secundum proprium esse potest vlterius promoueri, nimirum vsque ad actualitatem, quod fit formaliter per existentiam, atque ideò nunquam adæquatè, & perfectè concipitur, nisi cum existentia, vel in ordine ad existentiam. Denique essentia secundum prædicata sua quidditatiua præcisè considerata abstrahit a possibilitate, & actualitate, tanquam à diuersis modis, sub quibus considerari potest, si magis perfectè, & adæquatè attingi velit, iuxta licet cum gradu perfectionali sibi debito in toto ordine entium, qui enim concipit hominem v. g. existere, non tantum humanam naturam concipit, sed quendam modum adhibet, sub quo concipiatur, puta extra causas suas, ergo propriè loquendo existentia respectu essentiæ est modus, quia est extra totum esse quidditatiuum rei, vt docet Scot. 2. d. 3. quæst. 3. in fine, & ex alia parte est gradus intimior omni passione, vt probatum est, quæ est propria, & peculiaris conditio modi intrinseci; ita etiam significata Alens. 7. Metaph. tex. 22. quæstiuncula vltima.

87 Hinc colligitur quo sensu possit existentia dici accidens essentiæ, & actus accidentalis eius, accidens enim, seu accidentale potest sumi dupliciter, vt notat Doct. 1. d. 2. quæst. 7. Ll, vel enim accipitur propriè pro eo quod contradistinguitur a substantia, & aduenit subiecto iam existenti, & in suo esse completè constituto, & in hoc sensu certum est existentiam non esse accidens essentiæ, vel actum accidentalem eius, vt probatum est; vel sumitur pro extraneo, seu pro eo quod est extra essentiam rei, quo pacto forma substantialis dici solet accidens materiæ, & differentia substantialis accidens generis, & id omne quod extra rationem quidditatiuam alterius dicitur aliquo modo accidens ipsi, & in hoc sensu quia existentia in creaturis non est de ratione quidditatiua eius, cuius est existentia, sed tantum modus intrinsecus, ideò dici potest accidens essentiæ, & actus accidentalis eius; ita docet Doctor 2. d. 3. quæst. 3. in fine, vbi ait quod actualis existentia est vltimus actus posterior tota coordinatione prædicamentali, & quod vltimatè distinguit, sed distinctione, quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem, quæ distinctio est aliquo modo accidentalis, licet non sit verè accidentalis, tamen sequitur totam distinctionem secundum esse quidditatiuum. Quod etiam sub alijs terminis solent docere Thomistæ, dum inquiunt existentiam esse accidens prædicabile respectu essentiæ, non autem prædicamentale, nam accidens prędicamentale est illud, quod contra subiantiam distinguitur, & ad aliquod ex nouem prędicamentis pertinet; prędicabile verò est illud, quod de essentia rei non est, siue illud sit quid substantiale, siue quid accidentale, quę doctrina traditur luculenter à D. Thom. quæst. 5. de potentia articul. 4. ad 3. vbi sic ait; Aduertium dicendum, quod esse non dicitur accidens, quod sit in genere accidentis, si loquamur de esse substantię, est enim actus essentię, sed per quandam similitudinem, quia non est pars essentiæ, nec accidens.

86 Postremò, quia nequit existentia ad vnum prædicamentum restringi, sed per omnia vagari debet, vt ipsa essentia, determinandum est quo pacto existentia reponatur in prædicamento, & quomodo possit per omnia, & singula distribui. Auerla sect. 5. cit. ait existentiam considerari posse, vel vt possibilem in actu signato, vel vt positam in actu, & exercitam, & vtroque modo sumptam per se, & directe ad prædicamentum spectare, & per singula prædicamenta ita distribui posse, nam primo modo considerata, vt sic se habet, tanquam essentia. Secundo autem modo sumpta, licet ad prædicamenta non pertineat, hæc tamen tantum precisè quoad essentiam, nec directe, nec reductiue, tamen si sumantur etiam quoad existentiam, poterit in eis directe collocari, vnde aduertendum est, inquit, quod sicut prędicamenta coordinantur per essentias rerum, & sumitur substantia quoad essentiam, corpus quoad essentiam, & sic de omnibus prędicamentis sub exceptione entis, in qua ens secundum essentiam diuiditur in omnia prędicamenta, ita pariter prędicamenta possunt coordinari secundum existentiam, itaut sumatur substantia existens, corpus existens, & vsque ad individua Petrus existens; & hoc modo existentię rerum, ita res quatenus existentes in prędicamentis directe constituuntur, quod prius in Logica docuerat q. 16. sect. 5.

87 Hęc tamen doctrina falsa est, quia vt docet Scot. 2. d. 3. quæst. 3. §. *Contra istud*, non potest, nec debet constitui propria coordinatio existentiarum alia à coordinatione essentiarum, vt facit Auerla quod probatur primò ratione a posteriori, quia in prędicamentis ponitur superiora, tanquam essentialia prędicata inferiorum, & hęc vt quidditatiuè includentia illa, existentia autem de nulla creatura quidditatiuè prędicatur, ergo apta non est, vt directe in prędicamento collocetur; deinde probatur ratione, veluti a priori, quam tangit Doctor ibidem, quia esse existentię non habet propriam dispo-

differentias alias à differentijs esse essentiæ, ergo nequit constituere propriam coordinationem aliam à coordinatione essentiarum. Consequentia patet, quia prædicamentum integratur ex gradibus generijs, & specificis per varias differentias constitutis, & ideò quæ propriè parent differentijs, nequeunt peculiare prædicamentum constituere. Probatur assumptum, quia cum animal existens contrahitur ad hominem existentem, vel contrahitur per eandem differentiam, qua natura animalis in prædicamento essentiarum contrahebatur ad naturam specificam hominis, scilicet per rationalitatem, vel per aliam diuersam: non secundum quia tunc homo existens, seu in esse existentiæ esset species diuersa à seipso in esse essentiæ considerato, quia in tali esse constitueretur per diuersam differentiam specificam; si primum, ergo existentia non constituit diuersum prædicamentum ab essentia, sed ad prædicamentum essentiæ reducitur, cui identificatur. Tum quia si daretur vna differentia contractiua animalis ad speciem hominis, vt sic; & alia contractiua animalis existentis ad hominem existentem, vt sic, itaut detur coordinatio prædicamentalis existentiarum diuersa à coordinatione essentiarum, ita pariter dari deberet coordinatio passionum, vt arguit Lichet. 2. d. 3. qu. 3. distincta à coordinatione essentiarum, & naturarum, cuius sunt passiones. Consequentia patet, quia passio est magis ab essentia distincta, quàm modus intrinsecus, qualis est existentia, quæ veritas adhuc magis constabit ex infra dicendis qu. 4.

88 Itaque dicendum existentiam propriam coordinationem prædicamentalem non constituere, neque ad prædicamentalem seriem directè spectare, sed tantum reductiuè ad illud idem prædicamentum, ad quod directè spectat essentia, cuius est existentia, vt aliquid illi realiter identificatum, eò modo quo dicere solemus passionem reduci ad prædicamentum, in quo eius subiectum collocatur, cui realiter identificatur, & sic existentia substantiæ reducetur ad prædicamentum substantiæ, existentia quantitatis ad prædicamentum quantitatis, & sic de cæteris: neque existentias habere diuersas differentias ab essentia; vnde vt ait Lichet. citat. natura humana respectu vnius indiuidui præcisè contrahitur ad esse indiuiduale per vnam differentiam indiuidualem, & per eandem concomitanter contrahitur quicquid ad hominem pertinet, siue vt esse essentiale, siue vt passio, siue vt gradus intrinsecus, nunquam enim natura in quocunque sit, potest separari à suo gradu intrinseco, nec à suis passionibus, ideò eadem differentia, quæ primò, & immediatè contrahit naturam ad esse indiuidui, ex consequenti, & concomitanter contrahit omne, quod per realem identitatem includitur in ipsa natura; idem etiam docuit Bassol. 3. d. 6. quæst. vn. art. 1. dum ait, quod esse actualis existentiæ semper ad idem genus, & prædicamentum pertinet cum essentia, aliter tamen, quia essentia per se, existentia autem per reductionem pertinet. Et quod dico de existentia actuali idem dicendum seruata proportione de existentia possibili in actu signato, quod nempe reductiuè tantum est in eo prædicamento, in quo collocatur essentia possibilis, falsum enim est, quod aiebat Auerla existentiam possibilem se habere, tanquam essentiam possibilem, quia vt notat Lichet. 2. d. 3. quæst. 1. §. *ad quæstionem* sicut existentia actualis, & in actu exercito est modus intrinsecus essentiæ actualis, ita pariter seruata proportione existentia possibilis, & in esse signato est modus intrinsecus essentiæ possibilis, & ideò eodem modo seruata proportione loqui debemus de existentia possibili in ordine ad essentiam possibilem, sicut loquimur de existentia actuali in ordine ad essentiam actualem, quæ doctrina clarè traditur à Doctore prim. distinct. 36. quæst. vn.

89 In oppositum arguitur, quod existentia sit accidens essentiæ, quia in ea recipitur vt actus in potentia actuabili, qua ratione dicitur actus essentiæ, & essentiam actuare, ergo est accidens. Neque dicas esse quidem actum essentiæ, non tamen in ea receptum, sicut accidens; non implicat, quod essentia existat per existentiam, quæ non est recepta in ipsa, alioquin vnum posset existere per existentiam alterius. Conf. quia existentia aduenit essentiæ rei iam in suo esse quidditatiuo constitutæ, & de ea prædicatur contingenter, & accidentaliter, ergo verè est accidens. Denique in creaturis adest, & abest præter essentiæ corruptionem, destructo namque esse existentiæ adhuc remanet esse essentiæ, ergo est accidens.

Resp. etiam admisso antecedente consequentiam negari posse, non enim eo ipso quod aliquid in alio recipitur, est accidens, nam forma substantialis recipitur in materia, & tamen non est accidens, sic ergo posset existentia substantiæ recipi in eius essentia, vt quidam modus substantialis, non verò, vt accidens, & ita passim respondent Thomistæ distinguentes existentiam ab essentia realiter. Verum apud nostalem distinctionem negantes non solum est neganda sequela, sed etiam assumptum; cum enim existentia dicitur actus essentiæ, id vtique intelligi non debet physicè, quasi essentia sit quædam entitas passiua per modum materiæ recipiens in seipsa entitatem existentiæ superuenientem per modum formæ, vt intelligunt Thomistæ; vnde posteà deducunt realem distinctionem vnius ab alio, sicut formæ recipientis à subiecto recipiente, sed metaphysicè tantum id debet intelligi comparando existentiam ad essentiam, prout habet esse obiectiuum, seu prout concipitur esse in potentia obiectiua, vt diserte declarat Alens. 7. Metaph. tex. 22. quæstiunc. vlt. vbi dicit, quod res antequam producatur non habet aliquod esse essentiæ actuale, sed tantum possibile, & non prohibitum; cum autem est producta, eadem res, quæ dicebatur esse in potentia, post modum dicitur esse in actu, & existere, ex quo deducit Alens. existentiam non esse aliquem actum partialem, sicut est forma physica, quæ supponit materiam, in qua recipiatur, vel vt differentia, quæ supponit genus, quod actuet, sed est quidam actus totalis, per quem tota res, quæ prius fuerat in potentia obiectiua in suis causis, fit actu, & ponitur extra causas suas; eandem doctrinam tradidit Scot. 2. d. 12. qu. 1. & alibi sæpè, dum ait existentiam non esse aliquem actum formalem alicui potentiæ subiectiuæ correspondentem, vt imaginantur Thomistæ, sed esse actum entitatiuum correspondentem potentiæ obiectiuæ, seu rei tali potentia possibili, quarè concludimus existentiam verè, & propriè non posse dici actum essentiæ, nisi quatenus possibilis, & sub potentia obiectiua tantis modo explicato; quo autem pacto dici etiam possit actus essentiæ actualis dicam infra n. 147.

90 Ad conf. existentia dicitur aduenire essentiæ iam constitutæ, ac de ea contingenter prædicari, quatenus præcisè non est pars essentiæ, aut prædicatum quidditatiuum eius, vt dictum est numer. 73. quarè solum deduci potest esse accidens prædicabile, seu sumptum pro extraneo, non autem accidens prædicamentale, alioquin idipsum inferri posset de omnibus passionibus, ac modis intrinsecis, quia hæc omnia quoque adueniunt essentiæ iam constitutæ, & de ea contingenter prædicantur præfato modo. Addit Tromb. 5. Metaph. quæst. 6. ad 2. princ. existentiam nedum dici accidens pro extraneo, sed etiam in alio significato capiendo nimirum accidens pro esse mutabili, & contingenti, nam in hoc sensu etiam existentia in creaturis est accidens, & contingens, quatenus tale esse est mutabile; contingentia verò existentiæ creaturæ non ex eo procedit, quia contingenter vniatur cum eius essentia, sed quia dependet à causis efficientibus, & conseruantibus ipsam, sine quibus existere non valet, vnde fit quod quamuis creatura habeat existentiam sibi realiter identificatam, adhuc tamen contingenter existat. Ad vltimum patet quid dicendum ex num. 78. nam actualis essentia ad interitum existentiæ quoque destruitur, & solum remanere dicitur quantum ad esse possibile, & obiectiuum, quod abstrahit ab hic, & nunc, idest ab existentia, & quacunque temporis differentia. Dices essentiæ rerum dicuntur æternæ, necessariæ, & incorruptibiles. Resp. ex dictis num. 57. & 58. tales dici non secundum esse actuale, quod contingenter habent à causa efficiente, sed secundum esse possibile, & obiectiuum, quod ex seipsis formaliter habent, & principiatiuè ab intellectu diuino, secundum quod esse fundant propositiones æternæ veritatis, vt ibi fusè explicatum est, quam quidem æternitatem, & necessitatem ait Tromb. cit. 5. Metaph. qu. 6. in fine esse negatiuam, non positiuam, quia æternitas positiuè est conditio existentis, & illius, quod habet coexistentiam ad quamlibet temporis differentiam ex se formaliter, essentia verò dicitur æterna tantum, quatenus abstrahit à quacunque temporis differentia, quod est esse æternum negatiuè dumtaxat; sic etiam necessarium positiuè dicitur illud, quod de se habet existentiam indefectibilem, quod non competit essentiæ, & quidditati creatæ, sed tantum negatiuè dicitur necessaria, quia non est possibile aliter se habere in sua ratione formali; denique essentia dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis, quatenus proximè, ac in esse exercito non generatur, & corrumpitur, nisi coniuncta cum existentia, vt declarat Doctor loc. cit. 3. d. 22. quæst. vn. G. de quo vide eundem Doctorem 1. d. 3. quæst. 4. §. *ad quæstionem*.

91 Secundò, duratio, & existentia sunt idem, durare siquidem aliud non est, quam rem existere, at duratio est accidens vel de prædicamento quantitatis, vel quando, ergo existentia est accidens. Conf. quia existentia substantiæ non est substantia, nam à sufficienti eius diuisione vel esset materia, vel forma, vel compositum, & neutrum est dicendum, quia compositum est essentia tota, materia verò & forma partes essentiales eius, ergo erit accidens. Resp. ex dictis num. 39. vel durationem, & existentiam non esse omnino idem, quia durare est rem manere, & perseuerare in esse, vnde præsupponit rem existere, aut coexistere ad differentias temporis realis, seu imaginarij; vel si sunt idem, sicut existentia identificatur cum re existente, ita & duratio cum re durante, atque ita in substantijs duratio erit substantia, aut substantialis, & in accidentibus accidens; neque spectabit ad prædicamentum quando, nisi ratione coexistentiæ ad differentias temporis, vt disp. 14. Physic. declaratum est. Ad Conf. dicendum existentiam substantiæ esse triplicem illam substantiam identicè, & realiter, quatenus existentia vnicuiusque illarum est modus substantialis intrinsecus singulis realiter identificatus.

92 Tertiò, probat Suarez disp. 31. citat. sect. 7. num. 4. existentiam nec etiam reductiuè in prædicamento collocari, quando aliquid reducitur ad prædicamentum aliquod, tanquam actus constituens, saltim necesse est, vt ipsum constitutum directè collocetur in tali prædicamento sed res existens, vt existens, non collocatur in aliquo prædicamento, quia series prædicamentalis ab actuali existentia, nam in prædicamento solum collocantur res secundum ea prædicata, quæ necessariò, seu essentialiter eis conueniunt, ergo existentia nec reductiuè potest ad prædicamentum pertinere. Resp. cum dicimus existentiam reductiuè pertinere ad prædicamentum, in quo directè collocatur essentia, cuius est existentia, non hoc asserimus, quia cum res existens, vt sic, sit aliquod ens prædicamentale, vt enim diximus ex Doctore 2. d. quæst. 3. antequam vlla concipiatur existentia, tota coordinatio prædicamentalis est completa, quia talis coordinatio vtique ex solis gradibus quidditatiuis est constituta, qualis non est

existentia, sed intantum id asserimus, inquantum ea, ex quibus prædicamentum constituitur, existere debent, vel saltim existere possunt, quia ex impossibilibus, & repugnantibus constitui non potest; vnde cum dicitur rem existentem, vt sic, in prædicamento non reponi, id verum est accipiendo ly *vt* reduplicatiuè, quia sub ratione existentiæ res ad prædicamentum non pertinet, at non obstat, quo minus sint prædicamento sumendo ly *vt* specificatiuè, sic enim sensus est, rem, quæ existit, vel saltim existere potest, in prædicamento collocari, quod sufficit, vt existentia quoque dicatur ad prædicamentum pertinere saltim reductiuè.

Quartò, tandem probat Pasqualig. disputat. 82. sect. 4. num. 6. existentiam non esse modum essentiæ, quia nequit esse modus extrinsecus, quia hic supponit rem existentem, neque intrinsecus, quia hic est de essentia rei, quam modificat, sed existentia non intrat conceptum essentiæ. Resp. esse modum intrinsecum, & falsum esse hunc intrare conceptum rei, vt diximus disputat. 2. à num. 151. explicando eius definitionem.

ARTICVLVS II.

Existentia non distinguitur realiter ab actuali essentia, sed est eadem entitas actualis essentiæ.

93 Conclusio huius articuli est Scoti, & Scotistarum loc. cit. n. 77. est communis apud omnes tam veteres, quam Recentiores extra Scholam D. Thomæ, per quam intendimus excludere omnem distinctionem realem inter existentiam, & actualem essentiam, non solum illam, quam vocant realem entitatiuam, quia est inter rem, & rem, seu inter duas entitates, sed illam quoque quam Recentiores vocant realem modalem, quæ poni solet inter rem, & modum eius extrinsecum, quatenus licet modus esse nequeat sine re, cuius est modus, res tamen esse potest sine illo, quæ quidem distinctio in nostra Schola coincidit omninò cum distinctione reali propriè dicta, vt secernitur à distinctione rationis, & formali ex natura rei, quæ omnem prorsus separabilitatem excludit ab extremis ita distinctis tam mutuam, quam non mutuam; probatur autem hæc conclusio varijs argumentis & quidem meo videri demonstrantibus, quæ fusè prosequar, quia res est magni momenti, cum agatur contra fundamentum maximæ partis doctrinæ S. Thomæ, & quoddam vniuersale principium in ea, vt testatur Soncin. 4. Metaph. quæst. 12.

Primò, probatur argumento deducto ex ipsa ratione existentiæ, assignata ab initio huius quæstionis num. 71. illud, quo ponitur res extra nihil, & extra suas causas est existentia, vt constat ex ibi dictis, sed res ponitur per suam actualem essentiam extra nihil & extra suas causas, ergo essentia actualis cuiuslibet rei est realiter existentia ipsius, & consequenter existentia non erit quid realiter distinctum ab essentia in actu posita, nec vt res à re, nec vt modalis entitas in sensu, quo Thomistæ contendunt; breue quidem argumentum, sed omnino conuincens: quod quidem fuit argumentum Tromb. 5. Met. q. 6. art. 1. licet sub alijs terminis, dum ex quarto medio sic arguebat, esse, & essentia habent eandem contradictionem (vbi per esse intelligit existere) nihil enim priuat esse, quod non priuet essentiam, nec est aliud nihil, quod priuet essentiam à nihilo priuante esse, quare & affirmatio erit eadem, ergo est idem esse, & essentia.

94 Respondet Manca 1. Physic. quæst. 5. dub. 10. ex Caiet. c. 5. de ente, & essentia in responsione ad hoc argumentum Tromb. quod sicut ens accipitur pro actu essentiæ, & existentiæ, ita nihil pro nihilo quidditatiuè, & opponitur actui essentiæ, & pro nihilo existentialiter, & opponitur actui existentiæ, & sic in proposito ait, quod per actum essentiæ res extrahitur à primo nihilo, & per actum existentiæ à secundo, & ideo falsum est, quod per suam actualem essentiam præcisè secluſa existentia res ponatur totaliter extra nihil, nam solum ponitur partialiter extra nihil, scilicet extra nihil essentiæ ex doctrina Caietan. adducta. Contra, quia hæc distinctio destruit definitionem illam existentiæ passim ab omnibus receptam, quod sit id, quo ponitur res extra nihil, probatur sequela, quia tota hæc definitio ex integro ita conueniret essentiæ actuali, sicut existentiæ, quia per vtramq; res aliquo pacto extrahitur à nihilo; vt ergo saluetur illa definitio ita intelligi debet, vt per existentiam res ponatur extra nihil totaliter, quod quidem non sit duplex, sed vnum, vna nimirum negatio totius entitatis effectus, quæ sibi communicatur, dum ab agente producitur, vt Tromb. dicebat. Deinde cum res intelligitur posita extra nihil essentiæ per suam actualem essentiam, aut est aliquid in rerum natura, aut omnino nihil, aut aliquid medium inter nihil, & aliquid, non secundum, vt ipsi concedunt, non tertium, quia inter nihil, & aliquid non datur medium, cum sint contradictoria, ergo primum, sed eo ipso quod intelligitur aliquid productum à causa efficiente intelligitur existens, quia existentia est terminus actionis causæ efficientis, vt diximus numer. 75. ergo &c.

Dices, cum res intelligitur posita extra nihil essentiæ esse vtique aliquid actu in rerum natura non actualitate existentiæ, sed sola actualitate essentiæ, & ideò vlterius desiderari existentiam, vt non solum dicatur esse actu actualitate essentiæ, sed etiam existentiæ. Contra hæc est mera negatio, & petitio principij, hoc enim est quod quæritur, quid addat esse actuale quoad existentiam vltra esse actuale quoad essentiam, nos enim dicimus nihil aliud superaddere, & quod eo ipso, quod res est extra nihil essentialiter, est etiam extra nihil existentialiter, & quod esse actuale existentiæ aliud non est, quam esse extractum à statu puræ possibilitatis, cum ipsamet existentia sit actus potentiæ obiectiuæ oppositus, & quod tu appellas esse actuale essentiæ, nos appellamus ipsammet existentiam; quia tunc res formaliter concipitur existere, cum intelligitur posita extra causas, & educta de nihilo; & sic semper vrgebimus, quousque assignes, & declares quid addat actualitas existentiæ supra actualitatem essentiæ extra causas positæ, quid aliud præstet, & ad quid aliud deseruiat. Si enim solum dicas ludendo & vim faciendo in solis verbis, deseruire, vt res dicatur esse actu actualitate existentiæ, & non solius essentiæ, poterit quis teipsum illudere dicendo præter entitatem essentiæ, & existentiæ (vt benè vrget Auersa) dari aliam entitatem, quæ dicatur consistentiæ, vel persistentiæ, aut alio modo, qui si interrogatur quid præstet, & ad quid requiratur; respondebit necessarium esse, vt res persistat, vel consistat, nec poterit ab hac pertinacia remoueri, nec aliter impugnari, nisi eo prorsus modo, quo nunc à nobis impugnatur existentia ab essentia distincta. Conf. quia entitati rei eo ipso, quod intelligitur posita extra illud nihil, quod tù dicis essentiæ omnia munera, & attributa conueniunt, quæ solent existentiæ attribui; ergo illa entitas sic posita extra nihil, erit ipsamet existentia, & sic dicenda erit esse etiam extra nihil existentiæ. Probatur assumptum, nam per hanc entitatem res terminat actionem agentis, ponitur actu extra causas, est contingenter in rerum natura, & potest exercere operationes sibi competentes, hæc autem sunt munera, & attributa, quæ solent adscribi existentiæ, vel rei existenti, ergo &c. quod adhuc fusius, ac euidenter probat Suarez disp. 31. sect. 4. num. 5.

95 P. Blasius à Conceptione in supplemento Met. Compl. disp. 6. q. 1. § 2. videns præfatam responsionem solis ludere verbis, respondet, quod existentia non est id, per quod quocunque modo potior res extra nihil, sed id quo tanquam vltimo termino, vltimoq; complemento ponitur res extra nihil completè, & perfectè in ordine entis, vnde licet res ponatur extra nihil secundum gradus essentiales per actualitatem essentiæ, quia tamen non ponitur res per eam extra nihil secundum illos gradus, tanquam per vltimum terminum, vltimumque complementum, sed tanquam per aliquod terminabile ab vltimo termino, vltimoque complemento in ordine entis; ideò fit quod essentia actualis non petit vlla ratione realiter cum existentia identificari, sed è conuerso exigit potius ab ea realiter distingui, tanquam terminabile à suo termino, & tanquam potentia à suo actu. Sed & hæc quoque solutio vel in solis verbis consistit, vel certè argumentum non soluit, cum enim ait vltra actualem rei essentiam, qua ponitur res extra nihil essentiæ, esse necessariam existentiam, tanquam vltimum terminum, vltimumque complementum quo ponatur res extra nihil completè, & perfectè in ordine entis; vel intelligit, vt existentia sit purus terminus essentiæ actualis extra causas positæ, sicut subsistentia dicitur esse purus terminus naturæ substantialis, & indiuisibilia in quantitate continua sunt puri termini, sine quibus naturaliter fieri nequit, vt natura substantialis, vel quantitas existat in rerum natura; vel ita intelligit, vt res per actualem essentiam dicatur existere, seu extra causas esse incompletè solum, & inchoatè, & per superuenientem existentiam dicatur postea existere extra causas completè, & perfectè. Et quocunque modo intelligatur incurrit omnes difficultates præcedentis responsionis, & maiores; nam si primo modo intelligatur, iam formalitas existentiæ non amplius consistet in actualitate essendi, & in eo quod sit id, per quod res ponitur extra causas, vt eius definitio significat, sed in hoc quod sit terminus, & complementum talis actualitatis essendi, quod cum nec à longè in definitione existentiæ assignata insinuetur, illa definitio communi calculo recepta non erit bona. Tum quia entitates, quæ ita sunt puri termini rerum supponunt illas iam existentes, subsistentia namq; supponit existentiam naturæ substantialis, similiter indiuisibilia supponunt existentiam partium continui, si ergo existentia solum munus termini exercet circa essentiam rerum actualem; non amplius erit id, quo illa formaliter existit, sed essentia actualis seipsa erit formaliter existens. Tum quia si iam essentia actualis seipsa formaliter existit, superuacanea erit alia entitas existentiæ, quæ sit eius complementum, nam sufficienter compleri dicetur substantialiter per subsistentiam, & accidentaliter per præsentiam, durationem, caeteraq; accidentia. Et rursus quis dicere poterit existentiam non esse vltimum terminum, & complementum essentiæ actualis, sed aliam quandam entitatem, quæ dicatur consistentia, vel persistentia.

96 Si verò secundo modo intelligatur, vt Manca citat. explicare videtur, cum ait essentiam actualem consideratam, vt terminat actionem agentis, & priusquam existentiam in se recipiat, non perficit existere, sed esse in via ad existendum, neque esse perfectè extra causas, quia licet sit extra causam efficientem, adhuc tamen non terminat causalitatem existentiæ, per quam vltimatè completur, & formaliter extrahitur extra nihil existentiæ, vnde tunc tantum intelligitur esse extra omnes causas, & consequenter perfectè, & complete existere, cum existentiam in se recepit, quo etiam sensu non videtur essentiam actualem appellare quid medium inter aliquid, & nihil. Contra hæc recurrunt rursus priores difficultates, & adhuc vlterius arguitur, quia essentia illa actualis posita extra nihil, vt ait, essentiæ, est ens reale, vt igitur est ens realeuo modaliter tantum, & hoc non, quia tale dicitur quod

quod solum est in statu possibilitatis citrà omnem actualitatem, vel est etiam ens verbaliter, & sic erit existens. Tum quia talis essentia intuitiuè videtur à Deo producta in rerum natura hic, & nunc, ergo est existens. Consequentia patet, quia visio intuitiua terminatur ad rem existentem, & res existit, cum ab hinc, & nunc non abstrahit. Demum tunc est extra potentiam logicam, quia non est sub sola non repugnantia, est extra potentiam obiectiuam, quia non est amplius in sola potentia actiua agentis, ergo est perfectè, & completè extra causas; dicere autem, quod non intelligitur adhuc terminasse causalitatem existentiæ, per quam extrahitur penitus extra nihil, est manifesta petitio principij. hoc enim est quod impugnatur, talem causalitatem minimè esse necessariam, vt essentia actualis dicatur perfectè, & completè existere, sed seipsa formaliter, & completè existere eo ipso quod posita est extra causas cum suis prædicatis quidditatiuis.

97 Respondent alij ex Capreolo 1. d. 8. quæst. 1. art. 1. essentiam esse extra nihil formaliter per existentiam prout ly *nihil* opponitur illi enti, quod actu existit, nihilominus adhuc cum hoc stare, quod essentia seipsa sit extra nihil, prout nihil opponitur enti, quod dicit essentiam alicuius prædicati. Hæc distinctio est eadem prorsus, cum illa Cajet. adducta, ac ideò eodem modo reijcienda, quia vel essentia realis absque existentia est in actu, vel in potentia obiectiua, si in actu, ergo existit, si in potentia, ergo nullo pacto est extra nihil. Tum quia quod est extra causas in actu secundum suam essentiam, eo ipso censetur esse extra illas etiam secundum suam existentiam, non enim aliud est rem existere, quam esse in actu, non ita sicut in potentia, vt habetur 9. Metaph. 11. Tum tandem quia, vt sæpè inculcatum est, frustra ponitur alia actualitas existentiæ, si semel essentia potest esse in actu extra causas absque illa actualitate existentiæ, quia ipsamet actualitas essentiæ erit formaliter existentia, illud namque est formaliter existentia, quo formaliter res est in actu oppositio potentiæ obiectiuæ, cum ipsa existentia sit actus tali potentiæ oppositus; si ergo actualitas essentiæ facit rem in actu, non sicut in potentia, vt loquitur Arist. citat. & in actu oppositio potentiæ obiectiuæ, sanè illa actualitas essentiæ erit formalissimè ipsa existentia, & hoc argumentum est adeò euidens, vt nullo modo dissimulari queat; verba autem Arist. loc. citat. 9. Metaph. text. 11. sunt ista, *est autem actu existere rem non ita sicut dicimus in potentia:* hinc quoque dicebat Doct. quol. 9. L. per esse intelligitur illud, quo primò formaliter aliquid recedit à non esse, primo autem recedit à non esse per illud, per quod est extra intellectum, & potentiam suæ causæ, hoc autem modo essentia non est extra nihil per existentiam, sed per propriam actualitatem.

98 Secundò, principaliter, essentia actualis, vt est res distincta ab existentia, vel est quid pendens, & producta à Deo, vel non; si pendens, & producta, ergo existens, quia formaliter existere tantum importat remesse constitutam extra causas, quia ad nihil aliud ponitur existentia, nisi vt per ipsam formaliter res sit extra causas suas; si independens, ergo datur entitas actualis in rerum natura independens à Deo. Respondet Manca loc. citat. essentiam actualem ante aduentum existentiæ inadæquatè solum, ac veluti inchoatiuè dici effectum agentis, compleri verò in ratione effectus, & dependentiæ, ac in suo esse, per receptionem existentiæ, quam recipit ab agente; quia per ipsam totaliter deducitur extra nihil. Contra, quia essentia, prout constituta ab existentia, ex concessis ponitur per actionem efficienter extra causas, & formaliter per suam entitatem, ergo adæquatè, & completè eo ipso intelligitur esse, & existere, & non inchoatiuè tantum. Prob. conseq. quia per actionem agentis terminatam ad seipsam, vt ab existentia condistinctam, tota eius entitas extrahitur à nihilo, nil enim aliud remanere extrahendum, ergo perfectè, & adæquatè dependet in suo esse à causa efficiente. Dices esse totaliter extractam à nihilo in genere causæ efficientis, sed nondum in genere causæ formalis, quia in tali genere solum extrahitur per existentiam in se receptam. Contra, ergo iam perfectè, & adequatè dependet in suo esse ab efficiente etiam ante aduentum existentiæ, & non inchoatè solum, vt dicebatur; sed probo vlterius tunc etiam intelligi extractam à nihilo in genere causæ formalis, tunc enim per suam formalem entitatem terminat productionem, & extrahitur ab esse possibili ad actuale, ergo etiam in genere causæ formalis intelligitur extra nihil extracta per suammet entitatem, nec indiget forma extrinseca, & realiter distincta, per quam ita denominetur.

99 Respondet proinde Io. de S. Thom. quæst. 7. Physic. art. 4. non posse concipi essentiam, vt productam, nisi cum existentia, quia existentia est ratio formalis, quia dicitur res extra causas posita, & extra nihil, & sic si concipitur res aliqua, vt producta in facto esse, hoc ipso concipitur extra causas, atque adeò cum existentia, sed tamen tunc non concipitur sola essentia quidditatiuè, sed etiam cum aliquo accidentali, scilicet cum illa existentia, seu productione passiua, qua de facto est extra causas, & hoc accidentaliter sibi conuenit. Contra, quando sunt duæ entitates abinuicem realiter distinctæ, etiamsi ob aliquam earum affinitatem petant simul produci, adhuc tamen distinctis actionibus producuntur, quia actiones distinguuntur per terminos, cum ergo essentia, & existentia sint res realiter distinctæ, planè distinctis actionibus producentur, atque ideò cogitari poterit essentia in se producta, & extra causas posita præcindendo ab existentia. Tum quia efficaciter instatur contra hanc solutionem exemplo humanitatis Christi, quam dicunt Thomistæ esse propria existentia destitutam, & existere existentia Verbi, nam ex hac responsione sequitur non posse dici creatam, & dependentem à Deo, tanquam à causa efficiente, probatur sequela, quia existentia Verbi, per quam existit Christi humanitas, est increata, ac independens, ergo non potest esse ratio formalis, qua Christi humanitas dicatur extra causas posita, atque dependens, ergo si humanitas Christi secundum suam essentiam non dependet, neque secundum existentiam, quam habet in Verbo, sequitur esse omnino independentem à Deo in genere causæ efficientis.

Respondent aliqui humanitatem Christi produci de nouo, & dependere, quia vnitur existentiæ Verbi, seu quia producitur vnio eius cum Verbo. Contra ergo modus vnionis erit ratio formalis, qua Christi humanitas dicitur extra causas posita, non autem ipsa existentia Verbi. Deinde vt benè notauit Arriag. idem argumentum fieri poterit de vnione, quod vrgebatur de Christi humanitate, nam quæro de productione illius vnionis, num sola essentia eius terminet productionem, vel terminet simul cum existentia, si se sola terminat, ergo concipi potest, imo de facto datur essentia vnionis producta sine existentia, quod si hoc verum est in essentia vnionis, idem quoque dicendum erit de alijs, si verò terminat simul cum existentia, ergo qua ratione asserunt vnionem hypostaticam habere in Verbo propriam existentiam, idipsum de ipsa humanitate Christi dici poterit, ac debebit.

100 Tertiò, si essentia realiter distinguitur ab existentia, ergo non esset in se intrinsecè, & formaliter ens, & existens, neque secundum suum esse intrinsecum esset formaliter extra causas, vnde illud compositum, quod Thomistæ constituunt ex esse, & essentia, non haberet omnes suas partes intrinsecè existentes. Conseq. prob. quia non potest aliquid constitui intrinsecè, & formaliter in ratione entis per aliquid ab ipso realiter diuersum, nam quicquid est, seipso realiter, & formaliter est quicquid est, alias seipso esset nihil, si alio à se distincto esset id, quod est.

Resp. Manca cit. essentiam non constitui per existentiam in ratione entis realis actualis positiui, sed per suam realem quidditatem, & actualitatem, per existentiam verò constitui in ratione entis existentis, quando illam in se recipit. Contra, si essentia per suam realem quidditatem, & actualitatem constituitur in ratione entis realis actualis positiui, ergo etiam in ratione existentis. Prob. conseq. quia apud Philosophos per ens existens aliud non intelligitur, quàm ens reale actuale positiuum, non enim quid plus præstare posset existentia superueniens essentiæ, quam illam reddere ens reale actuale positiuum, quod si id habet ex seipsa formaliter, nulla alia indigebit existentia distincta, sed ipsammet eius actualitas erit formalissimè ipsius existentia. Deinde quantumuis superueniat existentia, eamque in se essentia recipiat, atque subiectet, nunquam redditur intrinsecè, & formaliter existens, ergo dicendum est seipsa esse talem per propriam actualitatem. Probatur assumptum, quia ex eo quod recipit existentiam, non ponitur, neque imbibitur intrinsecè in ipsa essentia ratio existendi, quia semper se habet vt quid contradistinctum ab ea, vnde intrinsecè non existeret, sed tantum denominatiuè, sicut paries tantum denominatiuè dicitur albus per albedinem. Conf. quia vel intrinsecè, & formaliter essentia est extra causas, & in actu oppositio potentiæ obiectiuæ; vel denominatiuè tantum, & per aliud; si primum, ergo erit intrinsecè, & formaliter existens per propriam actualitatem, quia vt sæpè dictum est actualitas excludens potentiam obiectiuam formalissimè est ipsa existentia; si secundum, ergo intrinsecè, & formaliter erit possibilis, & in potentia obiectiua. & quamuis ei ab extrinseco vniatur existentia, adhuc intrinsecè ipsam relinquet in sua possibilitate, vt constat de forma, quæ quantumuis materiæ vniatur, nihil illius esse immutat intrinsecè, sed eam adhuc relinquit in sua potentialitate. Demum quando sunt duæ entitates possibiles inter se diuersæ, non ex positione vnius in rerum natura ponitur formaliter altera, nam sicut habent distinctas possibilitates, ita per diuersas actualitates tolli debent possibilitates illæ; si ergo essentia, & existentia sunt diuersæ entitates, ex actualitate vnius tolli non potest possibilitas alterius, sed vnaquæque per peculiarem actualitatem oppositam tolli debet, ergo essentia realis educetur de potentia obiectiua sibi correspondente per propriam actualitatem, non autem per actualitatem existentiæ, quæ ponitur ab ipsa realiter distincta. Quod etiam confirmari potest ex eo, quod ex Doctore retulimus quol. 9. lit. L. illud censeri esse proprium alicuius, quo primo formaliter recedit à non esse, essentia autem realis primò recedit à non esse per propriam, ac intrinsecam actualitatem, non autem per quidpiam aduentitium à seipsa realiter distinctum.

101 Quartò, probatur vlterius ad hominem ex muneribus, quæ dicunt Aduersarij ab essentia exerceri circa existentiam, aiunt enim quod existentia vnitur essentiæ, & in essentia recipitur, vt actus in potentia subiectiua, atque ideo essentiam exercere veram causalitatem materialem erga existentiam, forma enim verè causatur à subiecto, in quo recipitur, & sustentatur, & modus à re, cuius est modus; sed existentia non posset essentiæ vniri, aut in ea recipi, ac sustentari, nec physicè causari, nisi essentia supponeretur existens saltim pro aliquo naturæ signo, nam quod vnitur alteri supponit illud existens, alioquin vniretur nihilo; quod recipitur & sustentatur in alio, supponit illud existens, alioquin in nihilo reciperetur; & denique quod causatur ab alio, supponit illud existens, quia existentia est ratio, vel saltim conditio prærequisita ad exercitium physicæ causalitatis. Conf.

quia sanè prorsus incapibile est subiectum actuale formæ ab eadem forma quam recipit, & sustentat existentiam accipere, & causam accipere existentiam ab effectu, quem producit, cum ergo essentia sit subiectum in se recipiens, & sustentans modum existentiæ, & hic ab ea dimanet, & producatur saltim in genere materialis causæ, dici non debet essentia à tali modo existentiam sumere, sed potius è contra; & hæc est vna ex præcipius rationibus, qua concluſum est disp. 2. Phys. qu. 2. art. 1. contra Thomistas materiam non accipere existentiam suam à forma.

102 Respondet Io. de S. Thoma ad recipiendum non prærequiri existentiam in recipiente, sed sufficere, quod in re numquam inueniatur sine existentia, & ita non inconuenit, quòd reddatur existens per id, quod recipit, & instantiam adducit de relatione dependentiæ à Deo, quæ est aliquod receptum in creatura, cum distinguatur à parte rei à subiecto, saltim vt modus, & tamen subiectum ante illam dependentiam actualem à Deo nihil est, ergo benè stat recipere aliquid, sine quo subiectum ipsum non est aliquid reale. Ad illud de causalitate ait, quod cum illa prioritas sit tantum à quo, non in quo, non est necesse quod pro illa prioritate explicetur existentia causæ. Contra, quia aliud est dicere non prærequiri existentiam in recipiente ad receptum aliud quod ab ipso recipiente existentiam recipiat, quamuis enim primum concederetur, quod, scilicet simultanea amborum existentia sufficeret, vt vnum in alio dicatur recipi; secundum tamen est prorsus incapibile, quod enim recipitur in aliquo recipi debet, quod sit existens independenter ab ipso. Et præsertim hoc verum est, si subiectum recipiens non est soluni recipiens, sed etiam sustentans receptum, quod & ipse concedit q. 3. Phys. art. 2. vbi ait, quod quando receptio non est purè potentialis, sed etiam sustentatiua, supponit in causa materiali existentiam; sic autem est in proposito, quia modus existentiæ non solum recipitur, sed etiam sustentatur in essentia, hoc enim commune est omnibus formis materialibus è subiecto educibilibus, neque instantia de relatione dependentiæ creaturæ ad Deum aliquid valet, quia cum talis relatio sit transcendentalis est idem cum creatura, & ideo non dicitur recepta in creatura, sed illi identificata. Parum etiam refert quod prioritas causalitatis sit à quo, vel in quo, nam concesso etiam quod sit sola prioritas à quo, & quod pro illa prioritate non oporteat explicare existentiam causæ, hinc tamen non infertur, quin verè à parte rei pro illo signo causæ existat, nam si effectus esset coeuus causæ efficienti, vtique in nullo signo existeret causa, in quo non existere effectus, & tamen in eo genere causæ concedunt etiam ipsi Thomistæ causam supponi existentem ad effectum; ac idipsum concedit ille Auctor loc. cit. in causa materiali sustentante; vt ergo essentia causaret materialiter modum existentiæ, ipsumque sustentaret, deberet supponi existens, in omni autem genere causæ existentiam necessariò supponi ad exercitium physicæ causalitatis fusè probatum est disp. 7. Phys. qu. 4. art. 1. etiam si pro illo priori naturæ opus non sit explicare existentiam causæ, quia existentia explicari solet per instans temporis, non naturæ, & per prioritatem in quo, non à quo ex quo etiam reijcitur solutio Blasij à Conceptione loc. cit. num. 8. quæ cum ista coincidit.

103 Respondet proindè Manca cit. essentiam esse receptiuam existentiæ, prout habet actualitatem essentiæ, & intelligitur in via ad existentiam, & sic pro illo priori intelligimus independentem essentiam ab existentia, sed solum extra nihil essentiæ ab agente eductam, cum in hoc differat causa efficiens à materiali, quod efficiens causat vt perfecta, & ordinata ad aliud perficiendum per aliquod à se distinctum, nempe per actionem, causa verò materialis imò & formalis causat vel constituendo compositum, vel recipiendo existentiam, & sic sufficit illas intelligere cum sua essentia partiali, & non requiritur existentia; quæ est doctrina Complutensium 1. Physic. disp. q. 5. quam postea recipit etiam Io. de S. Thoma cit. in fine articuli, dum ait, quod essentia suscipiens existentiam non est nihil, quia nihil non est capax existentiæ, nec susceptiuum eius, sed contradictoriè illi opponitur, sed de se solum habet subiectiuè, seu per modum capacitatis esse extra nihil, formaliter autem per existentiam, & in hoc sensu concedit esse quid medium inter nihil, & aliquid, licet enim inter ista absolutè sumpta non sit dare medium, tamen inter aliquid, vt formaliter existens, & nihil illi oppositum datur aliquid medium, scilicet capacitas, & entitas subijciens se illi formalitati existendi, quod etiam concedit Manca ibidem, & eisdem verbis.

Sed hæc Thomistica doctrina iam refutata est disp. 2. Phys. q. 2. art. 1. & nunc denuò reijcitur ex dictis, quia si essentia in illo priori, in quo intelligitur recipere, & causare modum existentiæ, est extra causam efficientem secundum propriam actualitatem, & est extra nihil, iam apud nos erit existens, quia per esse existentiæ aliud non intelligimus, quam esse essentiæ extra causas positum; & parum refert dicere, quod de se solum sit extra nihil subiectiuè, & per modum capacitatis, formaliter verò per existentiam superuenientem dumtaxat; hæc namque sunt pura verba, quibus nihil soliditatis subest, imò petitio principij, eo enim ipso quod aliquid est extra nihil, & non amplius in potentia obiectiua dicimus esse formaliter existens, vt nos Arist. docuit 9. Met. tex. 11. absque eo quod aliquod extrinsecum expectet, atque realiter distinctum, a quo dicatur formaliter existens. Tum quia potentia obiectiua connotans negationem existentiæ rei denominat formaliter rem possibilem, & non existentem, ergo actus tali potentiæ oppositus denominabit rem formaliter existentem; sed essentia actualis eo ipso quod intelligitur esse extra potentiam obiectiuam habet actum tali potentiæ oppositum citrà aduentum cuiuscunque realiter distincti ergo per talem actum, seu per propriam actualitatem suam extra nihil dicetur formaliter existens, nam actus potentiæ obiectiuæ oppositus est qui denominat, & facit rem formaliter existentem.

104 Quintò, arguitur ex natura distinctionis realis, nam illa præsertim, quæ est rei à re; poscit extrema realia, & ambo existentia a parte rei, nam importat relationem realem, quæ necessariò debet esse inter duo extrema realia realiter existentia; & non distinguuntur a parte rei actu, nisi quæ sunt actu a parte rei, & consequenter existunt; ergo essentia non distinguitur realiter ab existentia, quia ad hoc opus esset essentiam per se sumptam, & vt ab existentia condistinctam existere actu, quod implicat manifestè,

Respondet Manca, talem realem distinctionem ex parte essentiæ fundari in quidditate potentiali, & ex parte existentiæ in actualitate; & quando dicitur, quod extrema debent esse realiter existentia, intelligitur vel pluribus, vel vna existentia, solum enim existentia requiruntur, vt conditio, & id quod est conditio in vno, est ratio formalis in alio; sic etiam respondet Bannes 1. p. quæst. 3. art. 4. dub. 2. vbi ait, quod ipsamet essentia actualiter est à parte rei, actuata tamen per existentiam à se realiter distinctam eo pacto, quo materia, & forma realiter distinguuntur, & inter illas est relatio realis. Contra; cum aiunt distinctionem realem ex parte essentiæ fundari in quidditate potentiali, vel intelligunt de possibilitate obiectiua, vel subiectiua, & respectiue, secundum quam ponunt illam à parte rei extra nihil, non primum, quia tunc illa non esset distinctio realis actualis ex parte essentiæ, cum quo est in potentia obiectiua nihil est de facto, nec distinctionem realem actualem fundare potest; tum quia vt diximus ab initio quæstionis, cum quæritur an essentia distinguatur ab existentia, sermo hic est de essentia actuali, quæ actu est à parte rei, non de essentia possibili; si secundum, ergo vt contradistinguitur ab existentia est ens reale actuale extra nihil, quod apud nos est esse existens. Conf. quia distinctio realis actualis, quam fundat essentia, habet propriam existentiam, ergo etiam essentia, in qua fundatur alioquin fundatum esset maioris entitatis, quam fundamentum. Dices cum Bannes fundari in essentia, quatenus actuata ab existentia, quo sensu est existens. Contra, quia essentia, vt actuata per existentiam, non distinguitur ab existentia, alioquin distingueretur à seipsa existente, ergo relatio distinctionis realis non fundatur in ea sic actuata, sed fundatur in vtroque extremo eorum sumpto, & cùm vt sic debeat actu reperiri à parte rei vtrumque distinctionis extremum, sequitur ambo existere debere. Deinde in opinione quamplurium Thomistarum talis est ista distinctio realis inter essentiam, & existentiam vertens, vt inferat separabilitatem inter ea, sic quod saltim essentia possit per diuinam potentiam esse sine illo modo existentiæ, à quo ponitur realiter distincta; si ergo potest sic separata manere ex vi talis distinctionis, signum est quod habet intrinsecam existentiam, cuius ope potest se sola manere, sic enim manere non posset, si de se talem existentiam non haberet. Dices distinctionem realem ex parte essentiæ fundari in reali actualitate suæ quidditatis, quam habet, vt condistincta ab existentia. Contra, quia talem actualitatem nos contendimus esse propriam, ac intrinsecam eius existentiam, eique realiter identificatam.

105 Sextò adhuc ex eadem via distinctionis realis solent argumentari Scotistæ nostri, quia si essentia, & existentia realiter distinguantur, saltim per Dei potentiam poterunt abinuicem separari, & separata conseruari, si ponantur distingui vt res, & res, vel saltim essentia poterit conseruari sine existentia, si distinguantur, vt res & modus: sic enim hanc realem distinctionem, quam vocant modalem, explicare solent Scholæ, vt quamuis modus nequeat à re, cuius est modus separari, res tamen potest separari à modo. Consequens autem est falsum, quia si existentia v.g. lapidis posset ab eius essentia separari, tunc lapis existeret, & non esset lapis, quia non haberet prædicata quidditatiua lapidis, quæ eius essentiam constituunt; vel si è contra essentia lapidis separata maneret ab eius existentia, existeret, & non existeret: existeret quidem, quia actu maneret in rerum natura extra causas, sicut alie res à Deo productæ; non existeret verò, quia supponitur destituta esse, & spoliata omni existentia. Consequentia prima, quod nempe ex reali distinctione essentiæ, & existentiæ sequitur talis separabilitas, Probatur, quia quidam præsertim Thomistæ sicut pro sufficienti, & adæquato signo, & fundamento realis identitatis assignare solent inseparationem actualem, & potentialem, ita è contra pro adæquato signo realis distinctionis assignare tenentur separationem in esse actualem, vel potentialem, adeout quæ sunt realiter distincta, sint actu abinuicem separata, vel saltim separari possint per diuinam potentiam. Tum quia vt arguit Scot. 2. d. 12. qu. 2. §. *Respondeo ad quæstionem*, omne absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum potest saltim per diuinam potentiam ab eo separari; & si aliquod absolutum prius sequit separari à posteriori, & talis impossibilitas sit ab intrinseco, hoc prouenire nequit, nisi ex identitate reali posterioris cum ipso, vt constat de subiecto, & passione, quemadmodum ipsemet Doctor. monet d. 2. qu. 2. §. *Contra istud*; cum igitur essentia sit aliquid absolutum prius ipsa existentia, sanè si ponatur ab ipsa realiter distingui, sequitur necessariò essentiam posse ab illa separari; & separatam conseruari; & si separari non potest; idque illi ab intrinseco repugnat, hoc certè est ratione identitatis realis existentiæ cum ipsa.

106 Respondet Bannes loc. cit. neg. conseq. cum probatione, quia etiamli

etiamsi aliqua duo distinguantur tanquam res à re, si tamen alterum illorum intrinsecè dependentiæ ordinem habeat ab altero, quantum ad rationem essendi, non potest sine illo conseruari, & quia essentia in ratione essendi dependet ab esse recepto in illa, implicat contradictionem, quod existat sine existentia. Deinde Io. de S. Th. negat absolute quicquid realiter distinguitur ab alio, posse separari ab illo, & initat tum in relatiuis, quia relatio nequit existere sine termino, nec vnum relatiuum sine alio; tum in absolutis, quia materia non potest esse sine omni forma, & totum non potest esse sine partibus, etiamsi ponatur realiter distingui ab illis simul sumptis, & idem est de essentia, & existentia, quia cum existentia sit terminus productionis, quo agens relinquit rem extra causas, implicat quod essentia intelligatur extra illas sine tali termino, quo formaliter extra causas ponitur. Contra, quamuis verum sit essentialem dependentiam interdum impedire separationem duorum, etiam realiter distinctorum, vt constat de toto, & partibus, & de actu vitali respectu potentiæ vitalis, quod exemplum adducit Bannes, ratione enim talis dependentiæ nec totum potest esse sine partibus, nec actus vitalis separati potest à potentia vitali apud Thomistas, esto hæc sint abinuicem realiter distincta; falsum tamen est in proposito similem dependentiam interuenire essentiæ ab existentia, quia omnis dependentia simpliciter, vt sæpius inquit Doctor, est ad aliquid prius, nam prius dat esse posteriori, non è contra, vt constat in ipso exemplo actus vitalis à Bannes adducto, sed essentia est prior, existentia posterior, ergo quantum ad rationem essendi nequit essentia dependere simpliciter ab existentia. Conf. quia explicari nequit in quo genere causæ essentia dependeat ab existentia quantum ad rationem essendi; non in genere causæ efficientis, quia essentia realis communicatur effectui ab agente, non ab existentia; non finalis, quia potius existentia est propter essentiam, quam è contra; non materialis, quia essentia ponitur à Thomistis subiectum existentiæ, non è contra; non denique; in genere causæ formalis, quia dici nequit existentiam formaliter, & intrinsecè constituere actualitatem essentiæ, cum nihil intrinsecè constituatur impropria, ac intrinseca actualitate per rem à se distinctam ex dicta n. 100.

107 Ex hoc igitur, quod essentiæ actuali repugnat ab intrinseco sine existentia manere, & ab ea separari; deduci debet talem impossibilitatem potius arguere realem identitatem essentiæ cum existentia quam dependentiam illius ad illa; quod probatur per regulam, quam Doctor assignat 2.d.1. qu.5. M. vbi ait, quod intrinseca impossibilitas separationis duorum ex triplici capite prouenire potest, vel quia sunt simul natura, vt est de duobus relatiuis, vel quia vnum est prius, à quo essentialiter dependet posterius, vel quia sunt idem realiter; vnde postea infert in eodem 2.d.2. quæst.2. §. *Contra istud*, quod illud quod si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter, necessario est idem illi, si impossibile est illud aliud esse sine illo; cum ergo in calu nostro repugnet ab intrinseco essentiam realem ab existentia separari, & talis impossibilitas non proueniat ex eo, quod sint simul natura, quia essentia est prior naturaliter existentia, vt res est prior suo modo intrinseco, neq; ex eo quod essentia dependeat in esse ab existentia; quia prius non dependet à posteriori in esse, restat à sufficienti diuisione, quod talis impossibilitas prouenial ex realiam borum identitate, vt nos dicimus. Instantiæ verò, quas adducit Ioan. de S. Thom. ad labefactandam Scoticam illam maximam, omne absolutum prius alio absoluto, & realiter ab eo distinctum potest esse sine eo, friuolæ sunt, nam instantia de relatiuis non officit maximæ Scoticæ, quæ loquitur de absolutis, præterquam quod etiamsi vnus ex relatiuis permanere non possit in tali esse correlatiuo destructo, adhuc tamen separata existunt actualiter, quatenus non sunt necessariò inuicem coniuncta, & connexa, vt constat de Patre, & Filio, ac duobus similibus; instantia quoq; de materia, & forma nulla est apud nos docentes materiam posse à Deo expoliari omni forma, imò ad hoc probandum illa maxima inducitur à Scoto 2. d. 12. quæst.2. instantia tandem de toto, & partibus etiam deficit, quia totum est posterius suis partibus, & maxima Scotica loquitur de absoluto priori.

118 Respondent proinde alij concedendo consequentiam, quod, scilicet essentia separari potest ab existentia; verùm ad vitandam consequentis absurditatem nempe contradictionem illam, quod simul existeret, & non existeret, dicunt posse quidem essentiam sine existentia hac vel illa determinatè conseruari, quod sufficit ad ostendendam realem earum distinctionem, non tamen sine omni, quemadmodum dicimus corpus esse posse sine hac, vel illa præsentia locali, quantitatem sine hac vel illa figura, non tamen sine omni, idq; sufficit ad indicandam realem distinctionem figuræ à quantitate, vbi actionis à corpore, realem, inquam, modalem; licet enim res separetur à modo, tamen aliqui modi sunt, à quibus res non potest omnino separari, quia necessariam habet connexionem cum aliquo, quamuis non cum isto, vel illo determinatè, sicut constat in exemplis allatis; quam solutionem etiam recipit Io. de S. Thoma loc. citat. vbi vlterius addit ex Caiet. c.5. de ente, & essentia q.11. consumi posse existentiam creatam, & subrogari diuinam; vt de facto euenisse dicunt de humanitate Christi, quæ exiitit existentia Verbi ex D. Tho. 3.part. quæst.17.art.2.

Verùm neq; hæc solutio sufficiens est, si enim semel conceditur posse essentiam separari ab hac, vel illa existentia distributiuè, consequenter concedi debebit posse etiam separari ab omni per potentiam saltim diuinam, nec adeò necessaria erit earum connexio, vt à Deo impediri non possit; modi namq; res naturaliter consequentes sunt duplicis ordinis, quidam res insequuntur per naturalem dimanationem ab ipsis absq; actione extrinseci agentis, vt figura respectu quantitatis, intensio, & remissio respectu qualitatis, alij verò non ita dimanant à rebus, sed eis conueniunt media agentis actione, vt vnio respectu materiæ, præsentia respectu corporis, subsistentia respectu substantiæ, inhærentia accidentis &c. quamuis ergo res expoliari nequeat quocunq; modo primi generis ob intimam, ac necessariam rei connexionem cum illis, videtur tamen posse à Deo priuari omnibus modis secundi generis, vt potè qui ab extrinseco illis conueniunt per actionem agentis, nec tantam connexionem habent cum re, sicut modi primi generis, qua ratione potest à Deo substantia omni substantia priuari, accidens omni inhærentia, & corpus omni præsentia, vt multi probabiliter opinantur, cum igitur existentia respectu essentiæ sit modus secundi generis, quia non immediatè dimanat ab ipsa essentia per necessariam connexionem, sed ei communicatur ab agente in productione totius effectus, vt Auctor ille concedit ibidem, gratis negari videtur, quod res nequeat à Deo spoliari omni existentia etiam collectiuè. Sed dato etiam id fieri non posse, nisi distributiuè, sic argumentor, vel essentia dum hanc, & illam mutat, ac mutuat existentiam, eadem perseuerat secundum aliquod esse sibi intrinsecum sub illis existentijs, quas successiuè acquirit, vt de materia dicitur, dum ab vna transit ad aliam formam, vel non; sed noua continuò essentia generatur; si primum, tunc illud esse, quod semper perseuerat in rerum natura, erit esse existentiæ ipsius, non autem illud aduentitium, quod successiuè acquirit; si secundum, hoc ideò erit, quia essentia identificatur cum sua existentia, & ideo simul oriuntur, ac intereunt. Tum quia adhuc sic dicendo contradictoria sequuntur, quia Sortes v.g. mutando existentiam esset idem ens actuale, quod antea, & non esset; esset quidem quia supponitur manere eadem numero actualis essentia in rerum natura, non esset idem ens actuale, quia existentiam mutat. Deniq; illud, quod ex Caiet. addebatur de consumatione existentiæ creatæ in Christi humanitate, & subrogatione diuinæ, nihil vrget, quia falsum est, & ab omnibus negatur extra scholam D. Thomæ humanitatem Christi carere in Verbo propria existentia, vt fusius in materia de Incarnatione.

119 Postremò arguitur vrgentissimè ex Tromb. loc. cit. Tat. 2.d.3 q.3. alijsq; Scotistis passim, destruendo præcipuum fundamentum Aduersariorum, ex eo enim præcipuè ipsi distinguunt essentiam ab existentia in creaturis, quia ipsa rei essentia potest existere, & non existere, vnde deducitur, quod cum existit, aliquid habet à se realiter distinctum, quod non habebat quando non existebat. Sed eadem prorsus indifferentia cernitur in ipsa rei existentia, nam nec ipsa necessariò existit, sed aliquando quidem existit, & aliquando non existit, vt patet de existentia Antichristi, quæ nunc non habetur, sed aliquando habebitur; vnde si valet fundamentum illud Aduersariorum, nedum essentiæ, sed etiam ipsi existentiæ possibili assignari debebit alia existentia realiter distincta, qua postea existat, quod nullum Thomistarum opinor concessurum, sicut ergo existentia possibilis constituitur secundum Thomistas actu existens absq; vllo realiter superaddito per hoc solum quod terminat seipsa actionem causæ producentis, ita pariter dicendum de essentia; quod actu constituatur existens in rerum natura ex hoc præcisè, quod terminat talem productionem, nullo sibi realiter superaddito.

Resp. Caiet. cit. negando existentiam esse indifferentem, vt sic, quia nequit concipi nisi existens, sicut homo nec potest concipi, nec existere, nisi sit animal; nihil enim est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat in sua definitione, quia ergo de conceptu existentiæ est actu existere, ideò repugnat existentiam indifferentem concipere ad esse, & non esse. Addit Sonc. quod existentia non est in potentia ad existentiam, sicut albedo non est in potentia ad albedinem, sed essentia propriè loquendo est illa, quæ est in potentia ad existentiam, vnde valde impropriè dicitur, quod existentia Antichristi modò non est, nam propriè loquendo dici debet, quod ipse Antichristus modo non est. Contra nam mea existentia, qua nunc gaudeo, non fuit ab æterno, & tamen potuit ab æterno produci, & antequam Deus eam produceret, cognouit eam possibilem, & posse produci, ergo mea existentia non minus ab æterno possibilis fuit, quam mea essentia; & non minus existens. Dices existentiam non existentem non esse existentiam, quia de conceptu existentiæ est actu existere. Contra, quia pariter ego dicam essentiam non existentem non esse simpliciter essentiam; recurrendum ergo est ad doctrinam traditam num. 88. pari semper proportione de essentia, & existentia esse loquendum, vt essentiæ possibili correspondeat existentia possibilis, velut modus eius intrinsecus in tali statu, & essentiæ actuali, seu in actu positæ existentia actualis; nec aliter possibilem esse essentiam, & à Deo, vt possibilem cognosci, quam ipsam existentiam. Neque ex hoc sequitur, quod si existentia concipiatur, vt possibilis, concipiatur sine existentia, sed solum id quod concipitur per nomen existentiæ, posse aliquando in se verè esse à parte rei, aliquando tantùm in esse obiectiuo, sicut & homo licet nec possit concipi, nec existere, nisi sit animal, aliquando tamen potest in se à parte rei esse animal, & aliquando tantùm in esse obiectiuo,

vt

vt quando non est adhuc productus. Potest etiam negari quod de conceptu existentiæ sit actu existere absolutè loquendo, sed de conceptu existentiæ potentialis est, vt sit ratio, qua essentia potest existere, & de ratione existentiæ actualis est, quod sit ratio, qua essentia actualiter existat in rerum natura. Et ex hoc refellitur etiam, quod addebat Soncin. quia cum existentia non minus, quam essentia, habeat suam realitatem per participationem, cum non sit ens per essentiam, intelligitur prius in esse possibili, quam actuali, quia tam res, quam modus rei prius dicitur esse in potentia, quam in actu, & hoc ipse concedit q. 13. immediatè sequenti ad 2. princ. hæc autem existentiæ possibilitas non ita debet explicari, vt existentia dicatur in potentia ad existentiam, alioquin & ego dicam essentiam esse in potentia ad essentiam quantum ad actualitatem essentiæ, & suorum prædicatorum quidditatiuorum, quam ei concedunt Thomistæ conditinctam ab actualitate existentiæ; sed ita explicari debet, vt existentia quæ prius erat possibilis, postea sit in actu, sicut albedo prius possibilis postea fit in actu, nec propterea dicitur esse in potentia ad seipsam; non ergo explicari debet possibilitas rerum, antequam fiant, per modum potentiæ subiectiuæ, sicut facit Sonc. vt occasionem sumat cauillandi, sed per modum potentiæ obiectiuæ.

120 Albertinus in prædicam. substan. disp. 1. qu. 1. num. 43. ait existentiam esse possibilem, & non repugnantem, non aliqua possibilitate sibi propria, qua dicatur possibilis ab æterno, sed ex sola possibilitate, & non repugnantia essentiæ, cuius ponitur modus, vnde existentia lapidis, ex eo præcisè, quod supponit lapidis essentiam possibilem, dicitur non repugnans. Hanc solutionem reieci supra nu. 9. quia licet hæc doctrina admitti posset in nostra sententia non distinguente realiter existentiam ab essentia, in opposita tamen nequaquam subsistere potest, quia vt ibi arguebatur, sicut nihil in propria, intrinseca actuali entitate sua constituitur per entitatem alterius realiter distincti, ita neq. aliquid constituitur possibile, vel non repugnans per non repugnantiam alterius realiter distincti, sed vnicuiq. entitati producibili propria correspondet obiectiua possibilitas, cum ergo in opposita sententia existentia realiter distinguatur ab essentia, nequaquam potest existentia dici possibilis, & non repugnans per solam essentiæ non repugnantiam, sed propria potentia obiectiua sibi correspondere debebit non minus, quam essentiæ; vnde vides argumentum hoc ad hominem concludere.

Respondet proinde alij Thomistæ, quos sequitur Io. de S. Thom. concedendo quidem existentiam posse esse, & non esse; tamen ad hoc, vt sit, & existat, non indigere alio modo superaddito, neque alia existentia distincta, quia ipsa est formalis ratio existendi, & ita *quo*, vt non possit esse *quod*, sicut præsentiam dicimus non indigere alia præsentia, vt sit præsens, nec albedinem alia albedine, vt sit alba; homo verò; & reliquæ entitates, ac essentiæ non sunt rationes existendi, ac proinde indigent alio modo. Sed hæc quoq. solutio ibi impugnata est supr. n. 9. quia si ex differentia, quam habet essentia ad existendum, & non existendum bene deducitur, quod indigeat modo superaddito ad existendum, cum eandem quoq. indifferentiam ostendamus in existentia idem quoq. de ipsa concludi debebit; sicut à pari si de præsentia, & vnione ostendere possemus indifferentes esse ad vniri, & non vniri, locari, & non locari, pariter concludi deberet vnionem alia vnione indigere, & præsentiam alia præsentia.

Deniq. respondent alij, quod existentiam posse esse, & non esse, potest dupliciter intelligi, vel ita vt possit esse producta, & non producta, & in hoc sensu verum est; vel ita vt possit habere, & non habere existentiam, & hic est falsum, quia existentia nunquam dicitur habere existentiam, sed semper est existentia, vnde dicunt nostro argumento probari solum productionem existentiæ esse ab ea distinctam, non autem dari aliam existentiam distinctam, qua ipsa existat. Contra, quia hæc responsio concedit, quod euitare contendit, & ex hoc quod existentia possit esse, & non esse in primo sensu, sequitur necessariò posse esse, & non esse etiam in secundo sensu, dum enim existentia de nouo producitur, vtiq. talis productio ad actuale esse existentiæ terminatur, quod postea remanet transeunte actione productiua, ergo non solum potest esse in primo sensu, idest produci, & non produci, sed etiam in secundo, idest habere existentiam, quæ est terminus talis productionis, & ita sequitur ad hominem esse existentiæ, distingui debere à quidditate ipsius existentiæ, adeout ipsa existentia ab esse actuali præcisa sit existentiæ essentia, & esse actuale in rerum natura sit eiusdem existentiæ existentia.

ARTICVLVS III.

Thomistarum argumentis occurritur.

121 PRimò arguunt Thomistæ, quia sine reali distinctione essentiæ, & existentiæ creatæ non subsistunt præcipua quædam discrimina, quæ poni solent inter Deum, & creaturam. Primum quidem discrimen esse solet, quod Deus est suum esse, & suum existere, & existit per essentiam suam, non alia ratione, nisi, quia in ipso essentia non distinguitur ab existentia; sed hoc etiam in creaturis verificabitur si earum essentia non raliter distinguitur ab existentia. Secundum discrimen est, quod Deus dicitur ens imparticipatum, creatura verò participatum, quatenus eius essentia participat existentiam, at hæc participatio existentiæ in creatura subsistere nequit sine eius reali distinctione ab essentia, quia participans differt realiter à participato, cum nihil seipsum participet, ergo &c. Tertium discrimen est, quod Deus est summe simplex, & omnis creatura verè composita, at hoc quoque discrimen concedit, nisi essentia, & existentia realiter distinguantur, & faciant in creaturis veram compositionem, quia nonnullæ sunt creaturæ, quæ aliam compositionem non admittunt præter istam, vt sunt materia prima, formæ rerum substantiales, & accidentales, ac vltimi rerum termini. Quartum discrimen est, quod creatura habet esse receptum, Deus verò esse irreceptum; si enim creatura non haberet esse receptum, eius esse foret illimitatum, cum non haberet vnde limitaretur; at si essentia creaturæ est idem cum existentia, nequit illam recipere, cum nihil seipsum recipiat.

122 Ad 1. Recentiores in primis argumentum retorquent contra Thomistas in ipsa existentia, quæ est creatura, & adhuc est suum esse, & existere, quia non existit per aliud realiter distinctum, deinde dicunt de Deo verificari quod sit suum esse, & suum existere, & ens per essentiam, non autem de creatura; non quia essentia, & existentia identificentur realiter in Deo, non autem in creatura; sed quia Deus existit independenter ab omni causa efficiente, creatura verò dependenter; & ratione huius dependentiæ, ac independentiæ in esse, prædicationes illæ valent in Deo, non in creatura, etiamsi hic, & ibi essentiæ identificetur cum existentia; ita significauit Suarez disput. 31. sect. 6. num. 14. quem passim alij sequuntur. Argumenti conuersionem contra Thomistas approbo, sed solutionem eius non omitto; quamuis enim verum censeam, quod cum Patres vocant Deum ens per essentiam, intelligant quod habeat esse à se, & non ab aliqua causa communicatum, quia non est ens per participationem; non tamen credo veritatem illarum prædicationum, aut falsitatem præcisè attendi debere ex dependentia, vel independentia, adeò vt esse in Deo sit eius prædicatum quidditatiuum, quia in eo reperitur cum independentia, non autem in creatura, quia in ea habetur cum dependentia; nam si ita foret, nullum prædicatum quidditatiuum posset assignari in creatura, quia habet omnia sua prædicata dependenter à Deo, & è contra in Deo omnia prædicata etiam attributalia essent quidditatiua, quia sunt in eo sine vlla dependentia à causa extrinseca; ergo dependere à Deo non tollit rationem, prædicati quidditatiui, dummodo inter illud, & subiectum sit formalis identitas, sicut homo est ens per participationem à Deo, & tamen hæc propositio est essentialis, & quidditatiua, homo est ens; si ergo inter essentiam, & existentiam nedum est realis, sed etiam formalis identitas, vt volunt Recentiores, existentia erit etiam essentiæ creatæ prædicatum quidditatiuum, neque per dependentiam id poterit impediri; Dicendum igitur est quoad illarum propositionum veritatem hoc versari inter Deum, & creaturam discrimen, quod propositiones illæ verificantur in Deo non solum in sensu identico, sed etiam formali, quia actualiter existere est de essentia Dei, in creaturis autem verificari possunt in sensu tantum identico, quia actualiter existere non est essentiale, & necessarium creaturæ.

123 Dices, nec etiam in sensu identico de creatura verificari posse quod sit suũ esse, quia talis identitas sola sufficeret ad impediendam contingentiam in suo esse, ac etiam sufficeret, vt existentia diceretur conuenire creaturæ per suam essentiam, ac per suammet entitatem. Negatur assumptum cum eius probatione, quia vt dixi num. 90. contingentia in esse creaturæ non procedit ex reali distinctione essentiæ, & existentiæ, & ex eo quod contingenter hæc coniugatur illi, vt actus potentiæ, quemadmodum volunt Thomistæ; sed quia creatura dependet in suo esse actuali à causa extrinseca potente illam conseruare, & destruere in quolibet instanti, & hinc est quod semper est contingens, & semper potest non existere, quantumuis habeat existentiam sibi realiter identificatam; neq. etiam hæc realis identitas sufficit, vt existentia dicatur creaturę conuenire per suam essentiam, ac entitatem, quia talis locutio ex communi modo loquendi Patrum, & Theologorum significat habere existentiam à se, & independenter ab alio, quod soli Deo competit; quod si per talem loquendi modum solum indicaretur existentiam conuenire creaturæ intrinsecè, ac immediatè per suam essentiam, ac entitatem actualem, non verò per aliquod aduentitium ab ea realiter distinctum, & in hoc sensu vtique concedi posset existentiam competere etiam creaturis per suam essentiam, ac propriam entitatem.

Ad 2. essentia creata dicitur participare existentiam, non quia illam sibi non identificet, sed quia illam non habet à se, sed à causa efficiente extrinseca; & cum dicebatur participans realiter differt à participato, respondeo essentiam creatam non dici participantem respectu suæ existentiæ, sed respectu causæ efficientis, de cuius esse aliquid participat, ex quo sequitur tantum inter Deum, & creaturam esse realem distinctionem, non autem inter essentiam, & existentiam. Ad 3. retorquetur argumentum cum Scot. 1. d. 8. qu. 2. n. quia talis compositio, quam dicunt esse vniuersalem in omni creatura, non conuenit ipsi essentiæ, & ipsi existentiæ secundum se; negatur itaq. creaturam esse realiter compositam ex esse, & essentia, ad distinguendam enim creaturæ simplicitatem à simplicitate diuina sufficit, quod si non quælibet creatura est vere ex rebus composita, sit saltim composita ex realitatibus generis, & differentiæ, vel saltim cum alia componibilis, quod omni creaturæ conuenire potest, vt docet Scot. loc. cit. sufficit etiam, quod compositio ex esse, & essentia,

sentia, quamuis in creaturis non sit realis, & propria compositio, est tamen formalis compositio, vel quasi compositio, quatenus existentia non est ita omnimodè idenficata cum essentia creata, sicut cum diuina, vt postea dicemus; præterquam quod aliæ quoque formales compositiones inueniuntur in creaturis, per quas à diuina simplicitate valde distant, vt constat est Doctore cit. 1. d. 8. q. 2.

124 Ad 4. Si per esse receptum intelligatur esse acceptum ab alio, vt idem sonat, quod participatum, vtique esse creaturæ est necessariò esse receptum, quia ab alio dependent, at si per esse receptum intelligatur esse receptum in alio realiter distinctio velut in subiecto, vt denotat vis vocabuli, negatur esse creaturæ debere esse receptum, neque ex hoc sequitur illud esse futurum illimitatum, quia ipsum esse essentiæ, secundum Thomistas non recipitur in alio, & tamen non est illimitatum; falsum igitur est vt aliquid sit limitatum, debere habere subiectum, in quo recipiatur, vnde eius limitatio attendatur, quia & de illo ipso subiecto quæri poterit, vnde habeat esse limitatum; & si habet esse illimitatum, quo pacto formas in se receptas limitare possit; itaq. creatura quælibet ex seipsa formaliter est limitata, & efficienter à causis suis, & quidem limitatio existentiæ creatæ in hoc consistit, quod non necessariò existat, nec faciat essentiam sibi correspondentem necessariò existentem, quod quidem euidenter constat habere ex hoc, quod producitur à causa efficiente potentem illam conseruare, & destruere pro quolibet instanti, non autem ex eo, quod recipiatur in essentia realiter distincta; vnde hoc argumentum, quod adeò Thomistæ magnificare solent, nihil prorsus concludit, & cum dicitur esse irreceptum esse infinitum, & illimitatum, eodem modo distinguendum est, quod si per esse receptum intelligatur esse non ab alio acceptum, vtique omne tale est illimitatum, & in hoc sensu esse Dei dicitur irreceptum, at si per esse irreceptum intelligatur esse, quod non in alio recipitur velut in subiecto, negatur omne tale illimitatum esse, nam rationalitas non est aliquid receptum in alio realiter distincto in homine, & tamen non est illimitatum quid, neq. animalitas, alijq. gradus metaphysici substantiales. Caiet. cit. conatur oppositum probare, quia albedo separata includeret totam perfectionem possibilem competere albedini, & esset infinita in tali natura, & simile ferè argumentum conficit Soncin. de calore separato, ergo limitatio talis formæ sumitur à subiecto, in quo recipitur, non ab agente, à quo producitur. Hoc etiam argumentum est prorsus inualidum quia vel ponitur casus, quod albedo separetur à subiecto, vel quod Deus eam de nouo producat extra subiectum; si primum, cum ex sola separatione nihil accrescat albedini, quod non præfuerit, sicut antea non erat infinita, ita nec post separationem; si secundum, non video quo pacto cogatur Deus producere albedinem infinitam ex eo præcisè, quod non producit illam in subiecto.

Instat adhuc Blasius à Conceptione, quia filius æternus habet esse à Patre, & tamen non habet esse finitum, & limitatum ergo non infertur finitas, & limitatio creaturæ ex eo, quod accipiat esse à Deo, quinimò ex eo quod aliquid accipiat esse ab aliquo infinito, potius videretur colligendum illud esse infinitum, quam finitum, ergo si non detur aliquid intrinsecum in creatura, vnde limitetur, atq. finiatur existentia, potius colligetur ex eo habere infinitatem, quam finitatem, & limitationem. Resp. negando paritatem, nam Filius in diuinis necessariò producitur à Patre, itaut nequit non produci, & non procedit ab eo in alietate naturæ, sed tantum in alietate personæ, at creatura non producitur à Deo necessariò, quia potest produci, & non produci; & cum producitur, procedit, & exit ab eo in alietate naturæ, frustrà ergo ad indagandam limitationem existentiæ creatæ recurrunt Thomistæ ad aliquam potentiam realiter distinctam, in qua ipsa recipiatur cum sufficienter eius limitatio colligatur ex eo, quod non producitur necessariò ab vlla causa, neq. ex se petit necessariò existere, nec necessariò facit aliud existens.

125 Secundò, arguunt ex hoc, quod multa tribuuntur essentijs creaturarum, quæ non tibuuntur existentiæ earum, atq. adeò inter illa indicant realem distinctionem. Primò namq. existentia competit rei independenter à causa efficiente, essentia verò independenter, siquidem prædicata essentialia rebus conueniunt secluſa omni causalitate effectiua, datur enim vtiq. causa, quod homo est, sed non quod homo sit animal. Secundò, propositiones formatæ de rei essentia sunt necessariæ, & æternæ veritatis, at quæ formantur de existentia sunt contingentes. Tertiò, existentia est terminus generationis, & corruptionis, non autem essentia, quæ dicitur in generabilis, & incorruptibilis, & ab æterno esse, vnde mortuo homine interit existentia, non essentia. Quartò, res dicuntur prius in potentia, quam in actu, quoad essentiam, non verò quoad existentiam; essentia quoq. dicitur esse in potentia ad existentiam nil autem dicitur in potentia ad seipsum. Quintò, secundùm esse essentiæ cadunt res sub scientiam, & coordinationem prædicamentalem, nõ autem secundum esse existentiæ. Sextò resoluuntur per ipsas diuersæ quæstiones, nempe per existentiam quæstio an sit, per essentiam quæstio quid sit. Septimò, essentia dicitur necessaria, existẽtia contingens, illa dicitur abstrahere à loco, & tempore, hæc verò minimè. Tandem essentia per se conuenit rei, existentia per accidens, at ablata distinctione reali etiam existentia per se conuenit creaturæ, non enim potest aliquis actus esse idem realiter cum aliqua re, & non conuenire illi per se.

126 Respondetur non solum distinctionem realem, sed interdum quoq. solam formalem ex natura rei, quæ est minor illa, sufficere ad verificanda contradictoria de eadem re secundum diuersas formalitates à parte rei, atq. ideò non quælibet contra dictio à parte rei semper infert distinctionem realem, vt dictum est disp. 1. Log. q. 5. art. 2. declarando naturam distinctionis formalis, & rursus supra disp. 6. nu. 130. vnde in proposito etiam si aliqua verificentur contradictoria de essentia, & existentia, non statim ex illis inferri debet realis distinctio inter illa, sed attendenda est natura contradictoriorum illorum, an scilicet sint sufficientia ad inducendam realem distinctionem, nec ne; tamen pro maiori claritate ad singula respondere libet. Ad 1. negatur essentiam non conuenire rebus dependenter à causa efficiente, prout actu illam participant, quia re vera illam habent à causa efficiente communicatam, non minus quam existentiam; & hoc vltro concedit Soncin. cit. cuius est argumentum, sed instat quod nulla detur efficiens causa connexionis prædicatorum essentialium; quod quidem parum nobis obest in proposito, quia veritas talium propositionum non fundatur in essentia rerum actuali, vt hic de ea loquimur, sed possibili, vt diximus supra num. 66. vbi etiam declaratum est quo pacto diuinus intellectus dici queat causa efficiens veritatis illarum propositionum. Ad 2. propositiones necessariæ formantur de essentia in esse possibili, & obiectiuo considerata, vt ibidem dictum est, non autem in esse actuali, quo pacto non abstrahit ab existentia, & cum ea est realiter idem. Ad 3. negatur essentiam actualem, & vt est à parte rei, non esse terminum generationis, & corruptionis, quia terminus adæquatus generationis est tota res, quæ producitur tam secundùm essentiam, quam existentiam, & eadem est terminus corruptionis, cum interit, secundum vtrumque esse, quo autem pacto dici possit essentia ingenerabilis, incorruptibilis, & æterna, iam supra declaratum est n. 90. Ad 4. constat ex dictis nu. 119. quo pacto etiam existentia suo modo potest esse, & non esse in actu, sicut essentia; & ideò sicut res dicuntur in potentia antequam fiant, ad actualem essentiam, sic pariter dici debent in potentia ad existentiam in exercito; & quando essentia dicitur esse in potentia ad existentiam, non vtiq. intelligi debet, quod præcedat vt quid reale in potentia subiectiua ad ipsam recipiendam, tanquam aliquid à se realiter distinctum, vt receptum à recipiente, sed dicitur esse in potentia obiectiua, quatenus est id quod de esse potentiali ad esse actuale transire potest, non quidem aliquid recipiendo in seipso, sed egrediendo de virtute causæ. Ad 5. non ponuntur res in prædicamento secundùm esse actuale esse essentiæ, de quo hic est sermo, sed secundùm esse possibile, & obiectiuum, iuxta quod ab existentia, & actualitate præscindunt, vt constat ex dictis num. 69. & 88. Ad 6. negatur diuersitatem illarum quæstionum inferre realem distinctionem inter essentiam, & existentiam, nam etiam in Deo assignantur illæ quæstiones distinctæ, vbi tamen essentia, & existentia realiter non distinguuntur, ad distinguendas ergo quæstiones illas sufficit minor distinctio, cui accedit quæstionem, an sit, non quærere semper existentiam rei actualem, de qua hic loquimur sed interdum potentialem tantùm. Ad 7. essentia dicitur necessaria, & à tempore, loco q. abstrahere secundùm esse possibile, & obiectiuum, at secundum esse actuale, quod habet à parte rei, tam contingens est, locumq; & tempus connotat, ac ipsa existentia.

127 Ad vltimum dicitur essentia per se conuenire creaturæ, & existentia per accidens, non quia existentia realiter distinguatur ab essentia, sed quia non intrat conceptum eius quidditatiuum, neque ex eo quod identificetur cum essentia creaturæ sequitur, quod ei per se conueniat, & non per accidens, nam rationale in homine identificatur cum animali, & adhuc rationale per accidens conuenit animali. Dices adminus sequi, quod creatura necessariò existat, quia existit per existentiam sibi realiter identificatam, & consequenter per suammet entitatem. Resp. ex num. 123. nec minus id sequi, quia contingentia creaturæ in essendo non fundatur connexione existentiæ cum essentia, vt opinatur Thomistæ, sed in eo quod habet esse communicatum à causa efficiente, in quo esse ita communicato inuoluitur tam existentia, quam essentia creaturæ, & sicut totum esse communicatur creaturæ contingenter, ita etiam actualis essentia, & hac de causa dicitur creatura contingenter existere, etiamsi existentia ponatur sibi realiter identificata. Itaq. hæc & similia argumenta non rectè concludunt, quia vt sæpè dictum est, creatura considerari potest secundùm duplicem statum, scilicet actualitatis, & possibilitatis, & cum existentia sit gradus intrinsecus essentiæ in quocunq. statu, vt diximus num. 88. atque ideo semper cum ea necessariò connexa, consequenter ipsa quoque existentia sub eodem duplici statu considerari potest, & sic datur existentia actualis correspondens, vt gradus intrinsecus essendi, essentiæ actuali, & existentia possibilis correspondens essentiæ possibili, vnde cum quærimus an existentia realiter ab essentia distinguatur, vel illi identificetur, vniformiter loqui debemus de essentia, & existentia, nempe vel de singulis in statu potentialitatis, vel de singulis in statu actualitatis, sic enim vniformiter loquendo semper existentia inuenietur identificata cum essentia, vt gradus eius intrinsecus; at argumenta facta concludunt de existentia actuali, seu in esse exercito comparata ad essentiam, non quidem actualem, sed sub esse possibili, & ideò non rectè procedunt; quomodo autem neque verum sit essentiam ipsam possibilem realiter distingui ab existentia actuali iam diximus nu. 70.

128 Tertiò, illa realiter distinguuntur, quorum vnum manet altero non manente, at essentia potest manere destructa propria existentia naturali, ergo &c. Probatur minor, quia humanitas Christi existit in verbo, & non per propriam, & connaturalem existentiam,

sed

sed per existentiam Verbi; accidentia quoque panis, & vini in Eucharistiæ Sacramento noua, & supernaturali existentia existunt extra subiectum, destructa priori naturali, qua existebant in subiecto; si ergo existentia accidentis potest ab accidente separari, & existentia substantiæ à substantia, vt in præfatis mysterijs constat, sanè concludendum est omnem existentiam creaturæ ab eius essentia distingui.

Resp. neg. min. cum suis probationibus, quia tam Christi humanitas, quam accidentia eucharistica, propria & connaturali existentia existunt, licet careant aliquo connaturali existentiæ modo, nouo succedente modo vel positiuo, qualis est modus vnionis hypostaticæ humanitatis Christi cum Verbo, vel negatiuo, qualis est priuatio vnionis accidentium Sacramentalium cum substantia panis, & vini. Vnde sic arguentes confundunt existentiam substantiæ cum subsistentia, & existentiam accidentis cum inhærentia, quod minimè agendum est, quia nomine existentiæ intelligitur id, quo formaliter ens possibile constituitur extra causas suas in ratione entis in actu, siue hoc sit substantia, siue accidens, nam in ratione entis in actu, seu in ratione existentis, vt sic, substantia, & accidens non differunt; sed peculiaribus existendi modis, nam substantia existit per se, & accidens existit in alio; & primus existendi modus dicitur subsistentia, vel per se existentia proprius substantiarum, alter verò inhærentia proprius accidentium, quorum effectus formalis longè diuersus est ab effectu formali existentiæ, vt sic, non enim ponitur subsistentia, vt constituat naturam substantialem extra causas, & in ratione entis in actu, sed vt reddat illam ità in se, & per se existentem, vt sustentari in alio non indigeat ad instar accidentis; neque pariter ponitur inhærentia, vt naturam accidentalem constituat extra causas in ratione entis in actu, sed vt illam alicui vniat, vt subiecto à quo sustentetur; exactius autem declarare, quomodo modus subsistentiæ in substantia, & inhærentiæ in accidente ab eorum existentia differant, non est præsentis negotij, sed id inferius præstabimus in proprijs Disputationibus; interim pro solutione argumenti sufficiat accidentia in Sacramento Eucharistiæ retinere suam naturalem existentiam, & carere modo inhærentiæ, & humanitatem Christi pariter in Incarnatione suam naturalem existentiam retinere, solumque carere modo propriæ subsistentiæ, vt nunc suppono cum communi Scotistarum, & Scoti 3. d. 6. quem passim sequuntur Neoterici omnes extra Scholam D. Thomæ. Dices subsistentia distinguitur realiter à substantia, & inhærentia ab accidente, ergo etiam existentia à re existente. Negatur consequ. iam enim ostensum est existentiam à re existente, non posse realiter distingui, at infra in proprijs Disputat. ostendetur necessitas distinctionis subsistentiæ à substantia, & inhærentiæ ab accidente; tum quia falsum est subsistentiam sumptam pro per se existentia, vt hic de ea loquimur, distingui à substantia, & solum verificatur de subsistentia sumpta pro incommunicabili existentia, vt patet infra disput. 11. quæst. 2.

Quartò, essentia est indifferens ad esse, & non esse, quia aliquando est, & aliquando non est, ergo realiter distinguitur ab esse, Probatur consequentia, illud quod successiuè subijcitur oppositis, distinguitur à quolibet illorum, & per hanc rationem probat Aristot. 1. Physic. 60. materiam esse realiter distinctam à forma, & priuatione. Conf. nulla res potest intelligi sub oppositio eius, quod sibi realiter identificatur, non enim potest intelligi, quod homo non sit animal, sed essentia potest intelligi sub oppositio existentiæ, intelligo enim in hyeme essentiam rosæ non existere, ergo &c. ita arguit Soncin. loc. cit.

129 Resp. hoc argumentum iam supra num. 119. fuisse retortum in ipsa existentia, quæ etiam potest dari in actu, & non dari in actu, & tamen quando ponitur actu, non superadditur illi aliqua actualitas essendi distincta, qua dicatur existere; vt igitur argumentum concluderet, & procederet, sicut argumentum Arist. loc. citat. opus esset essentiam præcedere, vt quid positiuum existentiam, vt esse in potentia subiectiua, & receptiua respectu illius, quemadmodum dicimus de materia respectu formæ, at hoc de essentia actuali minimè verificari potest, tunc enim est determinata ad esse, vnde solum dici potest indifferens ad esse, & non esse, quando concipitur sub statu possibilitatis, in quo sensu de ea hic non est sermo; imò etiam in eo statu considerata nequit dici ab existentia actuali realiter distingui, quia tunc non est in potentia subiectiua, quæ supponit esse ens reale à parte rei, quod sic denominat possibile, sed tantùm in potentia obiectiua, quæ nihil reale ponit à parte rei, quod ab alio possit realiter distingui. Vel absolutè negandum est assumptum, quod essentia modò sit sub existentia, modò sub negatione illius, nam vniformiter loquendo semper essentia reperitur cum existentia sibi proportionata, nempe essentia actualis cum existentia actuali, & essentia possibilis cum existentia possibili, vnde quando fit mutatio secundum existentiam, fit etiam secundum essentiam eadem mutatio, quatenus modò est potentialis, modò actualis; quare essentia dici solum potest non existere loquendo de ipsa in esse possibili, & de actuali exercitio existentiæ. Ad Conf. patet per idem, falsum enim est essentiam dari vnquam, aut intelligi sine existentia sibi proportionata, nempe essentiam realem sine existentia actuali, & essentiam possibilem pariter sine existentia possibili, potest quidem essentia possibilis cogitari sine existentia actuali, quo pacto procedit illa probatio de rosa in hyeme, sed tunc argumentum non concludit propositum, cum enim in hac quæstione quæritur an essentia distinguatur ab existentia, de vtraque loquimur vniformiter nempe de essentia actuali respectu existentiæ actualis, & de possibili respectu possibilis; vbi etiam aduerte hanc confirmationem retorqueri posse contra Thomistas in ipsa existentia, quia & ipsa existentia potest intelligi non existere actu, & sic intelligi cum negatione existentiæ, & tamen non distinguitur realiter à seipsa.

Instabis contra solutiones allatas essentiam quoque actualem indifferentem dici ad esse, & non esse, alioquin necessariò existeret, & non contingenter; ergo falsum est essentiam tantùm in statu possibilitatis sic indifferenter posse dici, & cum actualiter existens sit, adhuc indifferens ad esse, & non esse; poterit etiam in tali statu intelligi sub oppositio existentiæ, atq; ideò allata argumenta probant realem distinctionem essentiæ actualis, & non tantùm possibilis, ab existentia. Resp. nequaquam cogitandum esse, quod essentia realis, & à parte rei se habeat, vt quid tertium indifferens ad esse, & non esse quemadmodum imaginantur Thomistæ, sed ipsa habens esse ex eo potest non esse (non quidem in sensu compositio, quia sic omne quod est, quando est, necesse est esse, vt ait Aristot.) quia in suo esse, & conseruari dependet à causa efficiente pro quolibet instanti potente eam destruere. Potest etiam ex hac indifferentia, & contingentia rerum intellectus intelligere essentiam citrà existentiam, non quidem diuisiuè, quia tunc falleretur, cogitando essentiam actualem, & extra causas sine existentia, sed abstractiuè, & præcisiuè, ad quod interdum sufficit sola rationis distinctio.

130 Quintò, plura accidentia recipiuntur in creatura, nequeunt autem recipi in existentia, cum hæc sit vltimus actus, ergo recipiuntur in essentia simul cum existentia, & consequenter essentia, & existentia distinguuntur, vt recipiens, & receptum. Deinde in compositis ex materia, & forma existentia non est composita, sed simplex, & indiuisibilis, cadens super vtramq; partem, alioquin materia non esset pura potentia, si propriam haberet existentiam, ergo nequit identificari cum materia, & forma, quæ realiter inter se distinguuntur. Rursus ego non habeo eandem existentiam hodie, quam cras habebo, quia hodierna existentia præsens est, crastina verò est futura, & tamen habeo eandem essentiam, ergo non solum realiter distinguuntur, sed etiam de facto separantur. Tandem essentia Petri existentis est eadem cum essentia ipsius possibili, est enim eadem res, quæ nunc producitur, & quæ ab æterno producibilis erat, sed existentia Petri distinguitur ab eius essentia, quæ fuit ab æterno, ergo &c.

Resp. negando minorem, omnia nam q; accidentia dici possunt recipi in existentia, quatenus omnia recipiuntur in subiecto existente, siquidem vna ex præcipuis conditionibus, vt accidentia in aliquo recipi possint, velut in subiecto, est existentia ipsius; dicitur autem existentia vltimus actus, vt ab initio quæstionis innuimus, non quidem respectu accidentium, imò respectu istorum dicitur primus actus, quatenus cætera accidentia rei aduenientia ipsam iam supponunt existentem, sed in ordine ad prædicata essentialia, quæ supponit. Ad 2. negatur assumptum ex Sco. 4. d. 11. q. 3. §. *Ad rationes*, vt enim constat ex dictis in Physica partes componentes subiectum materialem habent vnaquæque propriam existentiam, vbi etiam ostendimus materiam non esse adeò puram potentiam, vt propria careat existentia, & actu entitatiuo. Ad 3. negatur quoque assumptum, eadem enim prorsus est existentia intrinsecè, & formaliter, qua hodie existo, & qua existam cras; & existentia hodierna, & crastina non nisi extrinsecè distingui possunt ratione coexistentiæ ad diuersa tempora, vnde ad summum inferri potest distinctio in duratione hodierna, & crastina, non autem in ipsa existentia, sed quo pacto nec etiam in ipsa duratione inferatur distinctio intrinsecè, & formaliter, sed extrinsecè tantum, & ratione connotati declaratum est disput. 13. Physic. quæst. 1. Sic à pari existere Petri Romæ, & existere Venetijs intrinsecè non differunt, quasi sit alia, & alia Petri existentia hic, & ibi, sed solum extrinsecè differunt ex coexistentia ad diuersa loca. Ad 4. negatur minor, vt enim constat ex dictis num. 69. & 70. etiam comparando essentiam possibilem cum existentia actuali non distinguuntur realiter, quasi illa ab æterno sit quid positiuum, & in potentia subiectiua ad existentiam, quam deinde recipiat in tempore, sed eadem res prorsus quæ possibilis erat, fit postea in actu, & idem prorsus argumentum fieri potest de ipsa existentia, antequam producatur, & percontari quo pacto fiat in esse exercito.

At hic vrget Soncin. aut Iapide non existente debet eius essentiæ aliquid superaddi, vt dicatur existens, vel non; si primum habetur intentum, si secundum ergo vnum contradictorium mutatur in aliud, scilicet non existens mutatur in existens. Ad hoc satis constat ex dictis num. 56. cum enim ens possibile fit existens, non transit vnum contradictorium in aliud, neque nihil fit aliquid, sed quod erat in virtute causæ, egreditur ab ipsa, & fit in actu, & ratione huius egressus verificatur aliud contradictorium; vnde eadem rei essentia sub diuersis statibus fundare potest contradictionem, cum enim est extra causas dicitur existens, cum verò erat tantum in causis, dicebatur non existens, sed ad exactiorem solutionem vide dicta num. 56. vbi solidè hic cauillus euellitur.

131 Sextò arguit Blasius à Conceptione ex D. Thoma, illud cuius quidditas est suum esse, non potest esse nisi vnicum tantùm, ergo implicat quod creaturæ sint suum esse, Conseq. patet, probatur antece-

recedens, in illa re, cuius quidditas est suum esse non potest dari causa, seu ratio multiplicationis, ergo non potest esse nisi vnum. Consequens patet, prob. antecedens, quia quod vnum plurificetur, hoc solum potest fieri duobus modis, primo per additionem alicuius differentiæ, sicut multiplicatur natura generis in species, & hoc modo res, cuius essentia est suum esse subsistens, & in potentia non receptum, non potest multiplicari; quia cum existentia sit vltima actualitas, non poterit consequenter tanquam potentia generica per vlteriores actualitates contrahi, & multiplicari, sicut deberet fieri, si per modum potentiæ genericæ in diuersis speciebus multiplicaretur. Secundo potest res aliter multiplicari, numero, scilicet per receptionem formæ in diuersis partibus materiæ, sicut multiplicatur natura specifica in diuersis individuis, & hoc etiam modo esse subsistens, & irreceptum non est multiplicabile, quia nihil sic multiplicatur, nisi quod in alio recipitur, tanquam actus in potentia, ergo esse irreceptum in essentia, tanquam in propria potentia, nullo modo est multiplicabile, sed vnicum tantùm.

Resp. verum esse antecedens cum eius probatione in eo, cuius quidditas est suum esse, nedum realiter, sed etiam formaliter, & quidditatiuè, adeout existentia sit de illius quidditate, sicut est in Deo, non autem in eo, cuius quidditas est suum esse realiter tantum, & identicè, sicut est in creatura; nam cum tali identitate, ac irreceptione existentiæ in essentia adhuc benè stat ratio multiplicationis, tam specifica, quàm numerica in natura creata; neque huic obstat, quod existentia dicatur vltima actualitas, dicitur enim talis dumtaxat respectu omnium predicatorum essentialium, quæ supponit in natura, quod non impedit ne sit quoque actuabilis, & contrahibilis per posteriores differentias, neq; existentia ratione suæ actualitatis tollit ea, quæ sunt essentiæ, nam quod ex vi sui esse est in potentia ad aliquod, remanet etiam, quando existit in eadem potentia; atque idcòne potest natura v. g. animalis multiplicari per differentias essentiam contrahentes, etiamsi existentia non recipiatur in essentia; *fallum* insuper est naturam numero multiplicari per receptionem formæ in diuersis partibus materiæ, vt ostendemus infra disputat. 10. potius enim multiplicatur, & plurificatur per varias differentias individuales, quæ dici solent rerum hæcceitates, atq; ideo natura specifica benè intelligitur plurificari per aduentum differentiarum individualium, etiamsi eius existentia non recipiatur in essentia; quod magis infra constabit ex disputationibus de natura communi, & singulari.

132 Postremò illa quæ diuersis potentijs cognitiuis apprehenduntur, quarum vna est intellectiua, & alia sensitiua, realiter distinguuntur, quia realis distinctio potentiarum sumitur ex distinctione reali obiectorum, sed essentia vel quidditas creaturæ apprehenditur ab intellectu, quia quidditas est obiectum intellectus, & suum esse, vel existere apprehenditur à sensu, qui est cognitiuus particularium, & actu existentium tantùm, ergo &c. Conf. etiam in Deo scientia simplicis intelligentiæ, quæ dicitur rerum possibilium, distinguitur à scientia visionis, quæ est futurorum, sed non potest saluari hæc differentia, nisi dicatur existentiam ab essentia distingui, & per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci solam rerum essentiam, & per scientiam visionis attingi existentiam, ergo existentia distinguenda est ab essentia.

Resp. ex Scoto 1.d.3.quæst.3.par.2.§. *ad rationes* & quol. 13. §. *circa secundum* maiorem valere de potentijs cognitiuis disparatis, vt sunt quinque sensus exteriores inuicem comparati, non autem de potentijs subordinatis, quales sunt intellectus, & sensus, quia idem obiectum potest ab vtroque percipi, idem enim quod sentitur, intelligi potest, cum intellectus circa totum ens versetur, potest etiam negari minor, quia vt notat Bassol. citat. essentia præsertim actualis potest intelligi, & potest sentiri; idipsum, enim quod sensus videt, intellectus cognoscit, vnde tam vilus, quam intellectus cognoscit est etiam coloris, differenter tamen, quia intellectus potest eam cognoscere quidditatiuè definiendo ipsam, & abstrahendo ab esse, vel etiam à suo singulari, non autem visus, & ideò quidditas dicitur appropriari intellectui per modum obiecti. Demum hoc etiam concesso, quod intellectus essentiam cognoscat, & sensus existentiam, non idcirco hinc necessariò infertur distinctio realis inter vtramque, sicut neque ob id, quod intellectus sit vniuersalium, & sensus singularium benè deduceretur naturam à suo singulari, seu singularitate realiter distingui. Ad conf. Recentiores primò argumentum retorquent, quia de ipsa existentia, etiam vt ab essentia conuincta, Deus habet scientiam visionis, cum nimirum eam cognoscit determinatè futuram cum ordine ad certum tempus, & simplicis intelligentiæ, cum eam præcisè cognoscit, vt possibilem; deinde varias afferunt solutiones, quas accuratè refert, & refellit Ouied. loc. citat. punct. 4. vbi ait hanc difficultatem de distinctione obiecti scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis Dei esse maiorem, quæ modo in Scholis Societatis controuertatur, & adeò arduam, vt à quibusdam putetur insolubilis; vnde tandem cum Arriag. concludit scientias illas in Deo non per obiecta distingui, sed potius ex diuerso modo cognoscendi idem obiectum, Ratio autem à priori (inquit Arriag.) cur hæ scientiæ non possint per obiecta distingui est quia nulla esse potest entitas, vel status entitatis, aut conditio, quæ non sit possibilis, neq; è contrario nihil possibile, quod non possit esse existens, ergo nihil potest videri per scientiam visionis, quod per scientiam simplicis intelligentiæ fuerit cognitum, non est ergo differentia inter has scientias ex parte obiecti, sed ex parte modi cognoscendi, quia intellectus diuinus per scientiam simplicis intelligentiæ apprehendit essentiam, & existentiam rei non tamen eam indicando nec affirmatiuè, nec negatiuè, sed per actum, qui explicatur per hæc verba, *si esset talis essentia, non inde sequerentur contradictoria*, quo actu res attinguntur præcisè sub ratione possibilitatis; at per scientiam visionis affirmat non solum non-sequi duo contradictoria, si sit talis res, sed omnino affirmat illam esse pro tali, vel tali temporis differentia.

133 Ego tamen aut rei mysterium non percipio, aut tantam difficultatem in hoc puncto non inuenio, vt hi Recentiores iactitant; fateor distinctionem earum scientiarum in diuino intellectu saluari posse, vt ipsi dicunt, ex diuerso dumtaxat modo attingendi idem obiectum, si quidem hoc etiam pacto ostendi apud Scotum inter se distingui notitiam abstractiuam, & intuitiuam disp. 6. de Anim. q. 11. nam nulla formalitas ex parte obiecti exprimitur per vnam, quæ etiam per aliam exprimi non possit, vnde non remanet, vnde distingui possint, nisi diuersitas modi exprimendi idem obiectum, vt ibi fusè explicatum est, attamen in proposito etiam ex parte obiecti aliquid remanere videtur, vnde distinguantur scientia naturalis, & libera, quia res licet ante omnem actum diuinæ voluntatis habeant esse possibile, tamen esse futurum non accipiunt, nisi ex decretis liberis diuinæ voluntatis, vt notat Doct. 1.d.39. N. & quol. 14. art. 2. & omnes concedunt; & ideò benè potest diuinus intellectus ante decreta libera rerum omnium cognoscere, & essentias, & existentias possibiles in ordine ad omnes temporis differentias, nunquam tamen attingere potest futuritionem rei, seu rem esse futuram, nisi post decretum diuinæ voluntatis de illa re producenda in determinata temporis differentia; vnde manifestè deducitur, vt benè aduertit Smisinch. tract. 3. de Deo Vno disp. 5. q. 1. in fine, etiam ex parte obiecti aliquid in re diuinum intellectum attingere in posteriori signo post decreta diuinæ voluntatis per scientiam visionis, quod ante illa in priori signo non attingebat per scientiam simplicis intelligentiæ; solum enim intelligit pro illo signo rei existentiam possibilem, & cum omni ordine possibili ad quamcumque temporis differentiam, sed non cum ordine actuali, qui pendet ex decreto diuinæ voluntatis, & postea attingitur per scientiam visionis. Io. de S. Tho. pro sua opinione obscuram quandam conficit rationem, quæ vel nihil probat, vel ad summum distinctionem ex natura rei formalem, non verò realem.

ARTICVLVS IV.

Essentia realis, & existentia non distinguuntur solum per intellectum, sed formaliter ex natura rei modaliter.

134 STatuitur hæc conclusio contra secundam sententiam relatam n. 76. quæ inter essentiam, & existentiam creatam, solam & puram agnoscebat distinctionem rationis, vel ratiocinantis, vel ad summum ratiocinatæ. Et Scoti, & Scotistarum loc. cit. nu. 77. & colligitur ex omnibus locis, vbi Doctor existentiam creatam appellat modum intrinsecum essentiæ ad differentiam existentiæ diuinæ, quæ intrat conceptum quidditatiuum Dei, vt expressè docet quol. 1. art. 1. hinc enim consequenter deducitur inter essentiam, & existentiam creatam talem debere poni distinctionem in sententia Doctoris, qualis poni solet in eius schola inter quidditatem, & eius modum intrinsecum, quæ quidem distinctio licet minima sit inter omnes distinctiones circa opus intellectus, vt constat ex disp. 1. log. q. 5. art. 2. & disp. 6. Met. q. 10. certum tamen est ex ibi dictis actualiter anteuertere omne opus intellectus, atque ideò potius contineri sub distinctione ex natura rei, quam sub distinctione rationis, quæ fit opus intellectus. Nec quemquam conturbare debet, quod Scotus dixerit 2.d.6. q. 1. §. *respondeo certum esse de essentia, quod tantum differt ab essentia in modo concipiendi*, quæ est pura distinctio rationis; nam ibi accipi *esse* non quidem pro esse existentiæ, vt distinguitur ab essentia, sed prout est concretum huius nominis *essentia* vultque hæc duo differre solum sicut concretum, & abstractum, quæ distinctio est vtique rationis, quia est tantum penes diuersos modos concipiendi logicales eandem quidditatem; ita cum interpretantur Trombet. lib. 5. Metaph. quæst. 6. §. *dimissa ergo* Tatar. 2.d.3. quæst. 5. Posnanien. 1.d.26. disput. vn. & omnes eius expositores in eum locum, quod satis constat ex verbis ipsius Doctoris, nam ibi distinguit inter esse essentiæ, esse subsistentiæ, & esse actualis existentiæ, & de esse essentiæ pronunciat, quod tantum differt ab essentia in modo concipiendi; vnde conantur in vanum Recentiores quidam ex hoc dicto Scoti ab ipsis non intellecto Doctorem trahere inuitum in suam sententiam; & adhuc immeritò Suarez disput. 31. sec. 6. num. 19. & Pasqualig. disput. 82. sec. 6. num. 3. hunc dicendi modum Licheto nostro 2.d.1. quæst. 2. adscribunt, quod nempe ibidem docuerit essentiam, & existentiam non alia ratione distingui, nisi quia vnum concipitur per modum concreti, aliud per modum abstracti; nunquam enim acutissimus Scoti interpres hac protulit ineptiam, sed vel legitur tantùm in nota quadam marginali ibidem ab aliquo rudi adiecta, & cum Suar. id fateatur loc. cit. nescio qua ratione hanc dicat fuisse mentem Licheti, & glosa eius

cum

eum in eius litera ibidem legatur tantùm esse essentię, & esse existentię esse idem, & omninò inseparabilia, non autem quod differant, vt concretum, & abstractum; quod etiam adnotauit Faber 9. Met disp. 2. cap. 1. vbi etiam hanc conclusionem deducit ex Doctore 2. d. 3. quæst. 3. quo loco quædam discrimina ponit Scot. inter essentiam, & existentiam indicantia præfatam distinctionem ex natura rei.

135 Verùm cum hęc sit communis, & receptissima in nostra schola conclusio, mirum est quàm leuiter à Scotistis probetur, & sicco pede prętereatur, putantibus satis fecisse, & de hac controuersia victoriam retulisse, si contra Thomistas ostenderint essentiam, & existentiam realiter non distingui; at non vident difficilioris adhuc esse probationis, quod aliquo pacto ex natura rei distinguantur, & non pręcisè per intellectum; si enim volumus ipsas distinguere saltim tanquam duas realitates, vel formalitates in re existente repertas ex natura rei, aut saltim ab intellectu inuentas cum fundamento in re, vt dicunt, qui eas distinguunt ratione ratiocinata, statim Recentiores citati Auersa, Arriaga, Hurtad. Pasqualig. Ouied. & alij contra nos retorquent rationes factas contra Thomistas, ostendentes seruata proportione sequi eadem absurda in sententia Scotica eas distinguente, velut duas formalitates quę sequebantur in Thomistica eas, velut duas res, distinguente; quia sicut ibi sequebatur processus in infinitum in rebus; ita hic sequitur in ipsis formalitatibus obiectiuis; probatur sequela, quia illa obiectiua formalitas existentię, quę correspondet vt condistincta à formalitate essentię est apta ad non existendum, & potest habere duos status purę possibilitatis, & actualitatis, ergo in illa rursus duę formalitates distinguuntur, vna quę sit essentia, alia quę sit existentia, & de hac rursus idem redibit argumentum vsque in infinitum; probanda igitur nobis est solidè statuta conclusio, & deinde ostendendum quomodo admissa inter essentiam & existentiam distinctione modali nostrę scholæ (quod addo ad excludendam distinctionem modalem iuxtà vsum Recentiorum) non sequitur processus ille in infinitum in formalitatibus obiectiuis.

136 Primò itaque probatur inter existentiam, & essentiam creatam non sufficere solam distinctionem rationis ratiocinantis, & non pręcisè distingui ex parte modi concipiendi, quia compertum est apud omnes ea magis distingui in creaturis, quàm in Deo existentia, cum in Deo sit prędicatum eius quidditatiuum, vt suo loco ostendetur, non autem in creaturis; sed in Deo benè distingui possunt eo genere distinctionis rationis, & ex parte modi concipiendi, ergo maiori adhuc distinctione distinguuntur in creaturis, maior patet, probatur minor, accipiendo explicationem, qua vti solent Recentiores ad ostendendam distinctionem vertentem secundum ipsos inter essentiam, & existentiam creatam, eamque applicando etiam essentię, & existentiæ diuinę, si enim cum Arriag. & Ouied. ita explicetur hæc distinctio rationis sumpta ex parte modi cognoscendi, vt eadem formalitas obiectiua cognita solùm conditionatè dicatur essentia, eadem verò absolutè affirmata dicatur existentia planè talis distinctio rationis assignari etiam potest in Deo, non enim repugnat concipere diuinam essentiam conditionatè, non eam absolutè affirmando, vt si dicatur, *si Deus existat, non sequentur duo contradictoria*, & hoc ipsum concedit Arriag. ibidem. Rursus si explicetur hęc distinctio rationis cum Auersa, vt eadem formalitas, obiectiua cognita solum vt possibilis, & non repugnans dicatur essentia; cognita verò vlterius vt actu posita in rerum natura sit existentia etiam sic assignari potest in Deo, quia antequam Deus concipiatur actu existens, concipi potest non repugnans existere, seu vt possibilis, logicè. Tum denique quia cum distinctio rationis sumpta omnino extrinsecè ex parte modi concipiendi nullam ponat partitionem, vel imperfectionem in obiecto sic concepto, nullum sequitur absurdum, si ponatur in Deo.

137 Respondebit fortè Auersa ex his, quæ habet sect. illa 8. ab initio talem distinctionem rationis in Deo non rectè cogitari, quia non reperitur in eo fundamentum à parte rei fabricandi eam distinctionem inter essentiam, & existentiam, vt reperitur in creaturis fundamentum enim talis distinctionis in creaturis, inquit Auersa, est quia cum creatura realiter sit contingens, possitque existere, & non existere, sequitur posse concipi ipsam entitatem creaturæ, quæ potest esse, & non esse, absque eo quod determinatè concipiamus eam actu esse, quia vel re vera actu non est, vel etiam si actu est, hoc actu esse est illi contingens, & non est de necessitate eius, oppositum autem est in Deo & ideò assignari nequit in eo talis distinctio. Contra, si ita est, vt inquit Auersa, quod datur fundamentum in creaturis distinctionis rationis essentiæ ab existentia; ergo falsum est distingui pręcisè ex parte modi concipiendi, & non ex parte obiecti, vt postea ipse docet; probatur consequentia, quia in hoc differunt distinctio rationis penes formalitates obiectiuas à parte rei inter se identificatas, & ea quæ pręcisè attenditur penes diuersum concipiendi modum, quod illa sit cum fundamento in re, ista verò sine fundamento; illa infert diuersas formalitates obiectiuas in eadem re repertas, ista verò tantum infert diuersum modum concipiendi eandem formalitatem, & ideò illa dicitur distinctio mera rationis ratiocinatæ, vel ratiocinabilis, ista verò dicitur distinctio mera rationis ratiocinantis. Tum quia ex eo, quod tale datur fundamentum à parte rei in creaturis ostendam postea nedum hanc distinctionem inter essentiam, & existentiam inuentam esse rationis ratiocinatæ, sed etiam aliquo pacto esse ex natura rei, & non expectare opus intellectus, vt ea actualiter distinguat.

138 Respondet Arriag. gratis concedendo talem distinctionem rationis ex parte modi concipiendi subortam etiam inter diuinam essentiam, eiusque existentiam admitti posse, ac debere, & nullum hinc sequi absurdum, quia adhuc sine præcisione obiectiua essentiæ ab existentia in creaturis, benè saluatur differentia creaturæ à Deo, quæ consistit in eo, quod formalitas existentiæ creatæ possit corrumpi, non verò existentia Dei, ad hoc autem non requiritur ea distinctio obiectiua, inquit Arriag. Contra, quia si non maior reperitur distinctio inter essentiam, & existentiam creaturæ, quam Dei, vt concedit hic Auctor, ergo erit eadem vtriusque identitas hic, & ibi; atque ideò sicut idem essentialiter, & quidditatiuè existentia cum Deo, erit etiam quidditatiue, & essentialiter eadem cum creatura; ex quo postea consequenter deducetur existentiam creaturæ esse necessariam, sicut in Deo, non autem contingentem, quia esset eius prædicatum quidditatiuum, sicut in Deo. Patet ergo, quod si non admittitur maior distinctio inter essentiam creatam, eiusque existentiam, quam in Deo, pariter differentia creaturæ à Deo, quoad necessitatem existendi. Deinde ea versatur distinctio inter essentiam, & existentiam creatam, vt secundum diuersos earum conceptus, quædam formantur propositiones contingentes, & quædam necessariæ, nam secundum conceptum essentiæ formantur propositiones necessariæ, secundum conceptum verò existentiæ formantur contingentes; at hoc non verificatur in Deo, quia tam necessariæ sunt propositiones extractæ à conceptu existentiæ, quam essentię, ergo maior distinctio admittenda est inter essentiam, & existentiam creaturæ, quam Dei; cum igitur in Deo benè distingui possint ex diuerso modo concipiendi, maior distinctio inter ea astrui debebit in creatura. Fortè dices, hoc tantum inducere posse inter essentiam, & existentiam creatam distinctionem rationis ratiocinatis, non autem omnino ex natura rei. Hoc mihi nunc sufficeret, quia num. 136. non aliud probare proposui, nisi inter essentiam, & existentiam creatam non sufficere solam distinctionem rationis ratiocinantis, & ex parte modi concipiendi præcisè desumptam.

139 Sed iam probo neque sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ, vt explicatur à Recentioribus, sed distingui formaliter ex natura rei; adeout opus non sit expectare intellectus operationem, vt ea actualiter distinguat; ad hoc autem probandum recolenda est via, & methodus, quam tradidimus disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. ad inuenienda distinctionem formalem ex natura rei actualem mediam inter distinctionem realem simpliciter, & inter distinctionem rationis, quam diximus esse contradictionem; contradictio namque infert distinctionem, implicat siquidem de eodem secundum idem contradictoria verificari, & quidem talem infert distinctionem, qualis ipsa est, si est contradictio rationis infert distinctionem tantum secundum diuersum esse rationis, vt cum de Petro posito à parte subiecti in propositione identica affirmamus esse subiectum, & de eodem negamus esse subiectum, vt stat à parte prædicati; si est contradictio secundum esse reale infert distinctionem realem, vt si dicamus quod Petrus est, Antichristus non est; talis contradictio infert inter illa extrema realem distinctionem; & tandem si est contradictio secundum esse formale, distinctionem infert formalem, seu in formalitatibus eiusdem rei; quia multæ propositiones veræ sunt in sensu reali, & identico, quæ non admittuntur in sensu formali, vt in diuinis hæc propositio paternitas est communicabilis, vera est in sensu identico, quatenus est eadem res cum essentia, quæ est communicabilis, at falsa est in sensu formali, qui explicat rationem præcisam rei, quæ per se primò significatur, & per paternitatem in diuinis per se primò importatur realitas incommunicabilis. Rursus dicebamus ibidem contradictionem secundum esse formale, & ex natura rei ita inferre distinctionem ex natura rei, vt ipsa verificatur à parte rei, si enim verificatur formaliter, & actualiter a parte rei, & non virtualiter tantum, aut fundamentaliter, infert distinctionem ex natura rei actualem secundum esse formale inter ea, de quibus verificatur, citrà quodcunque opus intellectus; vt cum dicimus hominem à parte rei actu conuenire cum asino per animalitatem, & actu disconuenire per rationalitatem; quia hæc contradictio verificatur actualiter à parte rei, infert pariter actualem distinctionem ex natura rei secundum diuersas formalitates inter animalitatem, & rationalitatem; si verò fundamentaliter tantum verificaretur contradictio, nunc ex ea inferri nequit, nisi distinctio fundamentalis, & virtualis, quæ postea fit actualis accedente opere intellectus, vnde postea sumit nomen distinctionis rationis ratiocinatæ.

140 Hac itaque doctrina ibi tradita ostendo nunc distinctionem, quæ versatur inter essentiam, ac existentiam creatam non esse rationis ratiocinatæ, seu virtualem, sed esse formalem ex natura rei actualem; de essentia, & existentia creata verificantur contradictoria a parte rei actualiter, nulloq; cogitante intellectu, nisi inquantum enunciat contradictionem à parte rei inter ea repertam; ergo talis contradictio infert inter ea distinctionē ex natura rei actualem, & cum hęc distinctio esse nequeat ex natura rei realis, vt probatum est art. 1. remanet, vt sit distinctio ex natura rei formalis; tum quia contradictio nō verificatur secundum diuersum esse reale, vt mox probabitur, sed tantum secundum diuersum esse formale, ergo nequit inducere inter essentiam, & existentiam, nisi formalem distinctionem. Probatur primum assumptum, quia ex 7. Met. 53. essentia est quidditas rei, existentia verò nec est quidditas nec de quidditate rei; essentia est reponibilis in prædicamento,

to, existentia minimè, in essentia fundantur propositiones necessariæ, in existentia contingentes; & quidem hæc contradictoria verificantur à parte rei de essentia, & existentia, non autem per opus intellectus, non enim intellectus per suam operationem attributa illa appingit illis, seu fingit in illis, sed illas rationes diuersas reperit à parte rei in essentia, & existentia, & nullo operante intellectu verum est dicere humanitatem esse scientiam hominis, existentiam verò non esse de eius quidditate, cum ergo hæc contradictio sit actualis à parte rei, vtique distinctio, super quam fundatur, non erit tantum rationis ratiocinatæ, sed ex natura rei actualis, & anteuertens opus intellectus.

Dices hæc prædicata non verificari nisi de essentia nudè sumpta, & quatenus præcisa ab existentia, quo pacto non extat à parte rei, sed tantum habet esse obiectiuum; atque ideò falsum esse illa contradictoria à parte rei verificari. Contra, licet à parte rei non inueniatur essentia præcisa realiter ab existentia, ideſt ab ea separata, sed semper illi coniuncta, ac realiter identificata, inuenitur tamen præcisa formaliter, quatenus à parte rei suum habet conceptum quidditatiuum, quem non intrat existentia, sicut à parte rei non datur humanitas precisa realiter à risibilitate, benè tamen formaliter quatenus à parte rei non inuenitur risibilitas in essentia hominis, seu conceptu eius quidditatiuo inclusa, ergo prædicata illa verificantur de essentia à parte rei, & non tantum vt subsunt nostris conceptibus obiectiuis, & verificantur de essentia existente, licet non quatenus existens reduplicatiue. Ita pariter disput. sequenti dicemus multa contradictoria verificari de natura, & singularitate, ratione quorum concludemus inter ea distinctionem formalem ex natura rei actualem; quamuis enim non detur à parte rei natura cõmunis præcisa à singularitate realiter, datur tamen præcisa formaliter, quatenus in eius conceptu quidditatiuo non intrat singularitas, neque talis obiectiua præcisio fit ab intellectu, quia non ea prædicata ipse fingit in natura, quibus à singularitate seiungimur, sed ea reperit inclusa in essentia, & quidditate naturæ citrà quicumque eius operationẽ; ità igitur dicendũ est in proposito, quod datur à parte rei essentia præcisa formaliter ab existentia, quatenus hæc non intrat conceptum eius quidditatiuum, & de ea verificantur prædicata, quæ non verificantur de existentia, atque ideò inter ea ex tali contradictione reperta in re, concludi pariter debere aliquam distinctionem citrà opus intellectus, quæ sit minor distinctione reali, & maior distinctione rationis.

141 Verum tamen est hanc distinctionem esse minimam inter omnes distinctiones ex natura rei, siquidem non est distinctio formalis ex natura rei absolutè dicta, sed formalis modalis, cum existentia sit modus essentiæ, quæ est conditio diminuens, quia vt docent Formalistæ nostri, & nos declarauimus disp. 2. num. 150. modus intrinsecus proprie non potest dici formalitas: nam formalitas apud Formalistas significat rationem obiectiuam ex se adæquatè cõceptibilem sine alia, modus autem intrinsecus nullatenus potest quidditatiuè concipi sine re, cuius est modus, cum dicat ordinem transcendentalem ad illam, vndè suapte natura petit concipi cum re, cuius est modus; atque ideò sicut distinctio rei, & modi eius intrinseci seu physici dicitur quidem distinctio realis imperfecta tamen ratione alterius extremi deficientis à ratione rei; ita in proposito distinctio rei, & modi eius intrinseci seu metaphysici est quidem formalis ex natura rei, imperfecta tamen ratione alterius extremi deficientis à ratione rei; ita in proposito distinctio rei, & modi eius intrinseci, seu metaphysici est quidem formalis ex natura rei, imperfecta tamen ratione alterius extremi deficientis à ratione veræ formalitatis, & ideò ad indicandum quod est minima inter omnes distinctiones ex natura rei, distinctio rei, distinctio & modi non dicitur absolutè formalis, sed formalis modalis, quæ est determinatio diminuens, vndè à quibusdam dici solet distinctio formalis negatiua? Cum igitur in proposito ratio existentiæ non sit ratio quidditans essentiam, quia in eius conceptu non inuoluitur, sed tantum modificas, quia nimirum essentia est in sua quidditate completa ante existentiam, & ab ea tantum mutuat modificationem suæ actualitatis, ideò distinctio essentiæ, & existentiæ dicitur formalis modalis.

142 Hinc patet argumenta superius facta contra Thomistas art. 2. non posse retorqueri contra Scotistas, quia omnia illa argumenta directè procedunt contra distinctionem realem, aut modalem in sensu Recentiorum, vt constabit per singula discurrenti, non autem contra nostram distinctionem modalem, quæ minima est inter omnes distinctiones ex natura rei; & præcipuè ità etiam procedit argumentum illud vltimum de processu in infinitum positum nu. 119. quod præsertim Recentiores contra nos retorquere solent, quia sicut sequeretur processus in infinitum in rebus, si essentia realiter distinguatur ab existentia, ita sequeretur processus in infinitum in formalitatibus si ponantur distingui formaliter, quoniam ipsa formalitas existentiæ potest esse, & non esse, vndè & in ipsa geminari debebit duplex alia formalitas, quarum vna dicatur essentia, & alia existentia, & sic in infinitum, vt arguebatur supra num. 135. Hoc, inquam, argumentum non bene retorquetur contra formalitates, quia vt dicebamus num. 120. argumentum illud contra Thomistas non absolutè concludit, sed ad hominem ex suppositione nimirum, quod essentia, & existentia realiter distinguatur, facta enim tali suppositione vtique & ipsa existentia propriam habebit possibilitatem obiectiuam à possibilitate obiectiua essentiæ distinctam, & vnicuique propria & distincta consequenter correspondebit actualitas, qua ponantur in esse, & sic existentiæ possibili alia correspondebit existentia actualis in infinitum, at suppositâ identitate reali existentiæ cum essentia iam diximus ibi argumentum non concludere, quia existentia possibilis erit, ac non repugnans per solam possibilitatem, & non repugnantiam essentiæ, cuius ponitur modus, sicut etiam cum existentia producitur, non alia productione producitur, sed eadem prorsus actione ponitur in esse, qua ponitur essentia, cui identificatur, quo etiam modò loquimur de passione in ordine ad subiectum, cui identificatur; non enim habet propriam possibilitatem obiectiuam, nisi quod propria productione ad extrà produci potest; hoc verò est proprium rerum, non autem formalitatum, quæ per se primò nõ producũtur, sed concomitanter tantùm esse recipiunt per productionẽ rei, cui identificantur, de quo iterũ vide n. 150. Accedit in eo argumento n. 135. supponi semper vnũ falsum, quod existentia formaliter positiuè ab essentia distinguatur, & adæquatè, habeatq; propriam formalitatem à formalitate essentiæ distinctã, quod falsum esse constat ex dictis, quia modus rei, qualis est existentia respectu essentiæ, non habet distinctam formalitatem à re, cuius est modus.

143 Sed adhuc instat Arriag. (& est primum argumentum factum contra Thomistas nu. 93.) essentia actualis, quantumcunq; præcisa obiectiuè ab existentia, eo ipso quod actualis concipiatur, concipitur existens, quia esse actuale formaliter est esse existens, ergo nec existentia ab essentia, nec è contrario possunt obiectiuè præscindi. Ratio à priori est (ait Arriag.) quia essentia possibilis etiam dicit existentiam possibilem, & essentia actualis existentiam actualem; vnde ex parte essentiæ eo modo, quo concipitur, debet correspondere existentia possibilis, si concipitur essentia possibilis, vel actualis si concipitur essentia actualis, ergo non potest vna obiectiuè sine alia correspondere. Respondetur, quod cum dicimus essentiam, & existentiam abinuicem ex natura rei modaliter distingui, id vtique non debet intelligi de essentia actuali, cum totam suam actualitatem essentia habeat ab existentia, & libenter fatemur existentiam ab actuali essentia non distingui ex natura rei, imò dici posse de ius quidditate in hoc sensu, sicut albedo in hoc sensu diceretur de essentia parietis albi, vt sic; nam essentia actualis, vt sic reduplicatiuè, inuoluit in suo cõceptu & quidditatẽ prædicatorũ, & existentiam illorũ extra causas; cum ergo dicimus essentiã ex natura rei ab existentia præscindere, non debet intelligi de essentia actuali sed de essentia nudè sumpta, & in se præcisè spectata secundum sua prædicata quidditatiua, vel si intelligitur de essẽtia quoq; actuali, non debet accipi essentia sub actualitate reduplicatiuè, sed specificatiuè tantũ. Dices essentiã ab existentia præcisam non amplius extare à parte rei, atq; ideò in tali statu præcisionis nequaquã dici posse distinctam ex natura rei ab existentia. Iam nu. 140. negatum est assumptum, quia præcisio formalis essentiæ ab existentia non impedit, quin adhuc in tali statu præcisionis dicatur existens à parte rei ob realem identitatem ipsius cum existẽtia; quod manifesto declaratur exemplo, cum enim humanitatem v.g. à risibilitate præscindimus ea præcisè considerando secundũ sua prædicata quidditatiua, nõ valet dicere tunc humanitatem non esse risibilem, quia tunc fieret abstractio diuisiua, & non præcisiua tantum, sed solũ dicere valet humanitatẽ nõ intelligi risibilẽ; sic ergo in proposito cum intellectus præscindit essẽtiã ab existentia, non valet dicere tunc essentiam non existere à parte rei, sed tantùm non intelligi tunc existere; & quamuis tunc non obijciatur essentia intellectui, vt reduplicatiuè existens, obijcitur tamen existens specificatiuè. Dices si talis præcisio obiectiua fit per intellectum, ergo erit actualis à parte rei. Nego eam præcisionem essentiæ ab existentia propriè fieri per intellectum, quia essentia à parte rei excludit a suo conceptu quidditatiuo existentiam, quod est ab ea a partei rei formaliter præscindere, vnde talis præcisio non fingitur, nec fabricatur ab intellectu, sed eam reperit factam à parte rei, inuenit existentiam excludi a quidditate essentiæ.

144 Neque ratio, quam addit Arriag. inquit à priori, impossibilitatem talis præcisionis ostendit, sed solùm probat existentiam ab essentia præscindi non posse, quia modus non habet propriam, & distinctam conceptibilitatem, itaut concipi possit sine re, cuius est modus non tamen è contra probat essentiam non posse ab existentia præscindi, vel si hoc etiam probat, certè id solùm probat de præcisione omninò perfecta, & adæquata, quatenus si rem volumus omninò perfectè, & adæquatè concipere, non sufficit eam concipere cum suis omnibus prædicatis essentialibus, sed etiam concipi debet cum suo modo intrinseco, & gradu pertectionali sibi debito ex dictis disp. 2. nu. 148. Sed adhuc pro maiori elucidatione difficultati potest assignari modus distinguendi existentiam aliquo pacto etiam ab actuali essentia, vt nimirum per hoc distinguantur, quod essentia actualis dicat principaliter, & de per se significata rationem quidditatiuam rei, & connotat existentiam; existentia verò è contra principaliter dicit actualitatem essendi, connotatiuè verò quidditatem rei existentis; suppositò namque quod alia sit ratio formalis essentiæ, & alia existentiæ, dum dicimus essentiam actualem, vtramque rationem inuoluimus, ita tamen vt ex modo suo significandi ipsa ratio essentiæ principalius importetur, & veluti connotatiuè ratio existentiæ; & idem seruata proportione dicendum est de essentia, & existentia possibili, vt enim sæpè dictum est, quemadmodum existentia actualis essentiæ actuali correspondet, vt eius modus intrinsecus, ita quoque existentia possibilis correspondent essentiæ possibili.

Præ-

145 Prætereà Pasqualig. disp. cit. 32. sec. 4. arguit retorquendo argumentum factum suprà num. 104. contra Thomistas, si essentia citrà opus intellectus distinguitur ab existentia, vtique sumi debet secundum quod est à parte rei non autem in intellectu, alioquin talem distinctionem ex natura rei fundare non posset, at eo ipso quod sumitur secundum quod est à parte rei sumitur cum existentia, ergo implicat essentiam ex natura rei ab existentia distingui. Confirm. quia non potest essentia formaliter ab existentia distingui, nisi eam excludendo à suo conceptu formali, at essentia exclusa existentia nihil remanet à parte rei, ergo nequit sic ab ea distingui. Respond. argumentum illud factum contra Thomistas num. 104. ineptè contra nos retorqueri, siquidem vim sumebat ex natura distinctionis realis, quæ cum sit relatio realis, & versetur inter rem, & rem, vtique supponit extrema distinctis existentijs existentia, vt ibi deducebatur, at ille discursus hic locum non habet, quia nec distinctio formalis importat relationem realem positiuam, vt dictum est disput. 1. log. quæst. 5. articul. 2. neque versatur inter rem, & rem, sed inter formalitatem, & formalitatem, quæ distinctas non habent existentias, sed ambæ eadem existunt existentia nempe illius rei, cui identificantur realiter; itaque ad argumentum concessa maiori dico ad minorem, eo ipso quod essentia sumitur secundum quod est à parte rei sumi cum existentia per realem identitatem, quam habet cum ea, non autem per formalem, quia sumpta essentia cum existentia adhuc verum est dicere hanc non esse de conceptu eius quidditatiuo, & ideò negatur consequentia. Ad Confirm. respondetur eodem modo concessa maiori distinguendo minorem, nam si intelligatur de exclusione reali verum est essentiam secluſa existentia nihil remanere à parte rei, at falsum est si intelligatur de sola exclusione formali, quia talis exclusio formalis existentiæ à conceptu essentiæ benè stat cum identitate & inclusione reali, quæ sufficit vt essentia dicatur à parte rei. Ratio à priori huius solutionis est, quia essentia non censetur existens ob formalem identitatem eius cum existentia, sed ob identitatem realem, & ideò quamdiu ista manet, quantumuis essentia præscindatur formaliter ab existentia, semper dicitur esse à parte rei, quia talis præcisio formalis non præiudicat identitati reali. Potest etiam dici, duod cum asserimus essentiam ex natura rei modaliter ab existentia distingui, sumitur essentiam secundum quod est à parte rei, non quidem duplicatiuè, sed specificatiuè, vt sensus sit essentiam existentem, ideſt quę existit, formaliter distingui ab existentia, per quam existit, in quo nulla cernitur implicantia; sed solùm implicantia esset, si assereretur essentiam existentem reduplicatiuè sumptam ab existentia distingui.

Hic aduertas Trombet. 5. Metaph. quæs. 6. duplici ratione probare distinctionem ex natura rei essentię ab existentia, prima est, illa non sunt penitus idem, quorum vnum est indifferens ad alterum, & oppositum eius circumscripto omni opere intellectus, sed essentia est indifferens ad existere, & non existere, ergo &c. altera est, quod potentia obiectiua repugnat existentiæ reali, & non essentiæ, ergo distinguuntur ex natura rei. Neutra ratio concludet, hoc enim est motiuum Thomistarum, iam solutum n. 129. quo volebant concludere realem distinctionem; & ipse Trombet. ibid. retorquendo hoc argumentum Thomistarum, concedit etiam existentiam ipsam indifferentem esse, vt possit actu existere, & non existere. Neque etiam placet quædam distinctio Fabri 9. Met. disp. 2. cap. 1. in fine, quod per esse essentiæ res sunt extrà nihil realiter; per esse existentiæ sunt extrà nihil formaliter. Hoc prorsus falsum est, quia per existentiam omnes intelligunt illam actualitatem, qua res est extra nihil, itaque alia actualitas necessaria est, vt suprà contra Thomistas arguebatur, qui admittebant essentiam extra causas aliquo pacto ante actualitatem existentiæ.

QVÆSTIO III.

Vbi resoluuntur ex dictis varia quæsita de essentia, & existentia.

146 PRimum quęsitum est, *an in rebus creatis ex essentia, & existentia aliqua fiat compositio, & qualis.* Thomistæ realiter distinguentes essentiam ab existentia, illamque existimantes potentiam veré receptiuam, hanc autem actum veré in ea receptum, consequenter opinantur ex eis vnitis veram, ac realem resultare compositionem, quam aliqui volunt esse compositionem *cum his*, vt tradidit Caiet. de ente & essentia cap. 5. quæst. 11. ad 10. & alij vlterius concedunt esse compositionem *his* vt Blasius à Concep. disput. 8. Metaph. quæst. 3. §. 3. & Cabrer. 3. par. quæst. 2. artic. 4. dub. 6. Quæ opinio ex precedentibus satis remanet impugnata, vbi determinatum est nec essentiam esse realiter ab existentia distinctam, neque esse potentiam veré, ac propriè illius receptiuam in eo rigore, quo contendunt Thomistę, atque ideò in presenti vlteriori non indiget confutatione. Recentiores è contra nullam prorsus agnoscentes differentiam inter essentiam, & existentiam, nisi in modo concipiendi, non solùm negant efficere compositionem realem, sed vlterius negant efficere compositionem rationis, quamuis enim possint per rationem distingui, & inuicem comparari secundum rationem ad modum potentię, & actus, talis tamen distinctio, & comparatio nec etiam sufficit ad compositionem rationis, quoniam non est distinctio, tanquam duarum rationum ex parte obiecti, quæ concipiantur inter se coniungi, & constituere rem, sed solùm est distinctio in modo concipiendi, dum eadem prorsus entitas vel simpliciter concipitur, vel affirmatur in actu esse, vt discurrit Auersa quęst. 8. cit. sec. 10. Sed nec etiam hic dicendi modus est admittendus, quia aliquam differentia m etiam ex parte obiecti spectandam versari demonstrauimus inter essentiam, & existentiam; neque tantam reperiri inter ipsa identitatem in creaturis, quanta in diuinis, ex quo deducitur aliqualem facere posse compositionem in creaturis, quæ non reperitur in Deo. Suarez denique inter has opiniones quodammodo mediat, dicit enim disp. 31. Met. sec. 13. num. 7. & 8. essentiam, & existentiam in creatis facere compositionem rationis cum fundamento in re, quam vocat compositionem analogicam, quia non est realis, sed cum similitudine ad realem concipitur.

147 Dicendum est pro resolutione quæsiti essentiam dupliciter ad existentiam comparari posse, vel quatenus est adhuc in potentia obiectiua, vel quatenus iam actu est à parte rei in rerum natura; si comparentur adinuicem primo modo nulla inter eas interuenit realis compositio, quasi essentia sit potentia verè receptiua existentiæ, velut proprij actus, ita docet Doctor 1. d. 36. quæst. vn. infrà B. & probat aduersus Henricum, quia nihil videtur esse ibi, quod cum alio componatur, si enim tota albedo prœexistat in potentia, vt terminus potentię, & posteà ipsamet sit in actu, non est propter hoc aliqua compositio rei, & rei, quia illudmet numero, quod est in potentia obiectiua est postmodum in actu entitatiuo, idem autem cum seipso compositionem non facit. Tum quia potentia obiectiua, & actus entitatiuus sibi correspondens, qui dicitur existentia, sunt incompossibilia, & vnum excludit alterum, ergo compositionem facere nequaquam possunt, neque per rationem, quia cum fundamento in re cogitari non possunt simul manere, nam potentia obiectiua est omninò diuersa à potentia subiectiua, & ideò fingi non potest ad modum potentiæ receptiuæ respectu existentiæ; hanc eandem doctrinam diserte tradidit Alensis 7. Met. quæstiunc. vlt. in tex. 22. vt dixi num. 89. eiusque verba retuli num. 70. quærit enim ibi, quæ distinctio *inter sic* inter essentiam, & existentiam, & quomodo illa dicatur esse in potentia ad istam, & quæsitum resoluitur dicendo essentiam dici in potentia ad existentiam, quatenus tota natura rei primò fuit tota sub natura potentiali, & tota postea fit in actu, non quod nos imaginemur, quod tota res præcesserit, & fuerit sub natura potentiali, quæ posteà susciperit actum, sed quod tota res quæ præcessit, & fuit sub natura potentiali, modò tota est sub actu; vnde tandem concludit imaginandum non esse, quod essentia recipiat existentiam, velut quoddam diuersum re, sed ex hoc quod illa eadem realitas, quæ primò cecidit sub conceptu faciendi sit terminus eiusdem actionis, & obiectum; cum igitur essentia in statu possibilitatis dicatur tantum in potentia obiectiua ad existentiam, non verò subiectiua, & receptiua falsum est ex ipsis fateri aliquam veram, & realem compositionem, vt contendunt Thomistæ.

148 Instabis, assertum Doctoris esse 1. d. 8. qu. 2. omnem creaturam ex actu, & potentia obiectiua esse compositam, quatenus habet vnum actum entitatiuum, per quem est ens, & aliquid, & est in potentia obiectiua respectu illius perfectionis possibilis, cuius est capax, quatenus est ens. Ad hoc respondet Meurisse lib. 1. suæ Met. qu. 23. non ibi Doctorem sibimet aduersari, quia cum negat ex essentia in potentia obiectiua, & existentia compositionem fieri, hoc negat quasi vtrumque sit positiuum, & vnum in potentia receptiua respectu alterius, vt volebant Henricus, & Thomiste, & cum postmodum docet omnem creaturam esse compositam ex potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non vult hoc vtrumque esse positiuum, imò docet expressè vnum esse positiuum, & aliud priuatiuum. Sed hæc responsio, quamuis etiam à Lichet. insinuata, non valet, quia actus entitatiuus, & potentia obiectiua sunt incompossibilia, vt sæpè monet Doctor præsertim 2. dis. 12. quæs. 1. ergo nedum facere nequeunt compositionem, vt ex positiuo, & positiuo, sed nec etiam tanquam ex positiuo, & priuatiuo; & ideò dicendum nunquam compositionem fieri ex actu entitatiuo, & potentia obiectiua illi actui correspondente, quia sic sunt incompossibilia, sed ex actu, & potentia obiectiua illius gradus entitatis, quo creatura caret, vel ratione sui, vel saltim in ratione entis, vt sic, quia hoc pacto possunt actus entitatiuus, & potentia obiectiua stare simul, & in hoc sensu intelligendus est Doctor, cum ait 1. d. 8. q. 2. ex hoc actu, & potentia omnem creaturam supponi, vt constat ex expressis eius verbis.

149 Si autem existentia conferatur cum essentia iam actuali, & actu posita in rerum natura, in hoc sensu fit ex ipsis aliqua compositio saltim modalis, quæ est minima inter omnes compositiones ex natura rei, quam proinde alij vocant compositionem rationis cum fundamento in re; alij verò appellant *quasi compositionem*, eo quod hæc compositio sit imperfecta, cum componentia non sint adæquatè constituta, quia licet quidditas creata aliqua ratione possit concipi sine esse, vel existentia, tamen existentia nequit concipi sine quidditate. Hæc autem compositio primò sic declarari potest ex generali ratione modi, & rei, in omni namque re modificata per modum aliquem intrinsecum duo secerni possunt aliquo pacto ex natura rei, scilicet modus ipse, & res modificata per modum, quæ quidem licet à parte rei non sint duo entia, sed vna & eadem res alio tantùm vel alio modo se habens, nihilo tamen minus res ipsa modificata, & ratio formalis, qua modificatur sunt duo conceptus obiectiui (licet inadæquatè distincti) quorum vnus habet rationem quasi potentiæ, & subiecti affecti,

affecti, aliud verò rationem actus afficientis, ergo res & modus in creatis aliqualem faciunt compositionem, quia inter ea interuenit aliqualis distinctio, & aliqualis comparatio actus, & potentiæ, quæ duo sufficiunt ad rationem compositionis. Deindè declarari potest ex speciali ratione essentiæ, & existentiæ, quia essentia habet suam propriam quidditatem, quæ mediante existentia esse potest à parte rei; existentia quoq; suam peculiarem habet quidditatem in eo consistentem, quod sit ratio quædam formalis, quæ faciat rem in actu, ex his autem duabus quidditatibus vna res integra consurgit, quæ vel existit à parte rei, si hæ quidditates sunt actuales, vel saltim existere potest, si tantùm sint in virtute causatum; ergo inuicem coniunctæ aliquale faciunt compositionem ex natura rei, præsertim quando sumuntur vt sunt à parte rei. Probatur consequentia, quia istæ rationes sunt ita distinctæ à parte rei, vt vna aliquid superaddat alteri, non quidem realiter, sed formaliter distinctum, siquidem existentia superaddit essentiæ rationem, per quam potest esse in actu, & vna se habet, vt actus, altera verò vt potentia, quia essentia substernitur existentiæ, ex vt cuius formaliter existere dicitur, tanquam per formam, cui totum esse rei subijcitur. Denique essentia existens plus importare videtur, quàm essentia sola simpliciter dicta, ergo conceptus essentiæ, vt sic, simplicior est conceptu eiusdem essentiæ, vt existentis, atque ideò essentia cum existentia aliqualem facit compositionem.

Hoc igitur modo admitti debet in qualibet creatura compositio ex esse, & essentia, quæ sit compositio aliquo pacto ex natura rei, vel saltem ratione, habet tamen reale fundamentum in ipsa creatura; & est finita, ac limitata eiusdem perfectio; nam ex eo quod est limitatæ perfectionis, non habet essendi necessitatem, sed potest esse, & non esse, qua de causa ratio existentiæ concipitur accidere essentiæ. In Deo autem talis compositio admitti non potest, quia non adest in eo fundamentum concipiendi rationem existentiæ accidere essentiæ, & esse extrà rationem formalem eius, non enim Deus est indifferens, vt sit vel non sit, cum necessariò existat, & ideò eius essentia concipi nequit, vt subiectum, quod per existentiam determinetur, tanquam per formam.

150 Sed impugnat Arriag. cit. disp. 2. Met. num. 71. hunc modum explicandi compositionem ex essentia, & existentia; quasi intelligus essentiam eo quod indifferens est ad existendum, & non existendum, apprehendat per modum subiecti, ipsam autem existentiam per modum actus; nam & ipsa existentia sub conceptu existentiæ apprehenditur, vt indifferens ad existendum, & non existendum, ergo illam deberet apprehendere per modum subiecti, & sic in infinitum. Hæc instantia apud Auersam nullius momenti foret, nam ipse docet sect. illa 8. quod quando essentia concipitur, vt actualis, iam concipitur, vt existentia; & è contra cum existentia concipitur, vt potentialis, & non exercita actu, concipitur vt essentia, vndè negaret existentiam sub conceptu existentiæ apprehendi, vt indifferentem ad existendum, & non existendum, sic enim concipitur sub ratione essentiæ. Verùm nescio qua coherentia hoc dicat, nam superius sect. 6. in octauo argumento contra Thomistas probat existentiam sub conceptu existentiæ esse indifferentem ad existendum, & non existendum, & contingens, ac variabile esse, quod sit vel non sit, & existentiam posse esse, & non esse actu non minus, quàm essentiam. Potius ergò occurrendum est ex dictis num. 142. quod licet in opinione distinguente existentiam realiter ab essentia, ad nitti debeat existentiam seipsa sumptam esse indifferentem ad existendum, & non existendum, quia vnicuiq; rei propria correspondet existentia, & propria potentia obiectiua, à qua per eam extrahitur, in nostra tamen sententia eam realiter identificante cum essentia, hoc admittendum non est; sed potius dici debet existentiam constitui possibilem, & non repugnantem per ipsam essentiæ possibilitatem, cui tam in statu possibilitatis, quam actualitatis semper seruata proportione correspondet, vt modus intrinsecus ei realiter identificatus ex dictis nu. 127. vndè sicut in recto non dicitur existentia actualis existere, sed esse id, quo formaliter essentia existit, ita neq; existentia potentialis dici potest in recto posse esse, & non esse, sed esse id quo essentia potest esse, & non esse.

Arguunt Thomistæ compositionem ex esse, & essentia debere esse realem, ne creatura videatur adæquare simplicitatem Dei, sed constat solutio ex supradictis nu. 123. vbi diximus alias non deesse compositiones in creatura, ratione quarum simplicitatem Dei nunquam adæquare potest, vt monet Doctor 1. d. 8. q. 2. & per hanc ipsam quoque qualemcumq; compositionem posse creaturam à Deo discerni, quatenus existentia in creaturis non est ità summè identificata cum essentia, vt in Deo, quia ibi est prædicatum quidditatiuum eius, hic verò modus tantùm intrinsecus potens aliqualem facere compositionem cum re modificata. Arguunt alij è contra nullam ex eis compositionem fieri posse nec realem, nec rationis, quia membra compositionis excludunt se mutuò, at essentia & existentia non se excludunt, nam essentia excluſa existentia nihil remanet. Sed ad hoc quoque constat solutio ex dictis nu. 145. nam faciunt compositionem eo modo, quo se excludunt, quamuis autem non se excludant realiter, quia essentia sine existentia nihil remaneret, se tamen excludunt formaliter, quatenus existentia excluditur à conceptu formali essentiæ, & hoc pacto efficit cum ea compositionem aliquam ex natura rei saltim modalem.

Quæsitum secundum.

151 SEcundum quæsitum est, *vtrùm sit perfectior essentia ne, vel existentia*; quæ quidem comparatio licet fieri nequeat in sententia nullatenus eas distinguente; potest tamen habere locum in opinione eas realiter distinguente, vel saltim aliquo pacto ex natura rei, aut per rationem cum fundamento in re; existentiam esse simpliciter, & absolutè perfectiorem essentia tuentur Thomistæ passim, Bannes 1. p. q. 3. art. 4. dub. 3. Nauarret. controu. 14. §. 7. 8. 9. Ledesm. de perfectionibus diuinis q. 12. Blasius à Concept. disp. 6. Met. quæst. 4. Manca 1. Phys. q. 5. dub. 4.

Oppositum rationabiliùs solent propugnare Scotistæ Tromb. 5. Met. q. 6. Mair. 1. d. 42. qu. 5. Meurisse lib. 1. Met. qu. 24. & sequuntur nonnulli etiam ex Thomistis, vt Soncin. 4. Met. qu. 13. & Ferrarien. 3. contra gentes cap. 28. Probatur, quia perfectio vel imperfectio rerum, seu nobilitas, & ignobilitas entium attenditur penes essentiam, non verò penes existentiam earum, ergo essentia est nobilior existentia. Consequentia patet, & probatur assumptum; nam homo ideò est perfectior asino, quia nobiliorem habet differentiam essentialem, quam sit differentia asini, non autem quia perfectiorem habeat existentiam, tam enim extra causas est asinus, quam homo post eorum productionem. Confir. hac enim ratione diximus hominem existentem perfectiorem esse asino existente, quia homo secundum essentiam suam est perfectior asino, etiam secundum essentiam suam; at hoc non diceretur si existentia perfectior foret essentia. Ratio à priori huius conclusionis ea esse videtur, quia ratione essentiæ varij gradus entium constituuntur, & non ratione existentiæ, nam existentia solum præstat, vt eius beneficio res extare dicantur actu à parte rei, at in essendo sic à parte rei non datur gradus, non enim magis extat à parte rei substantia, quam accidens, licet vnum nobiliori modo existat, quam aliud, quia substantia existit per se, & in se, accidens in alio, quod propriè non infert nobiliorem existentiam, sed nobiliorem modum existentiæ, quia substantia existit in rerum natura subsistendo, accidens autem existit inhærendo; ergo perfectio rerum non attenditur penes existentiam, sed pænes essentiam earum. Deniq; quando etiam ostenderent Thomistæ perfectionem rerum attendi quoque penes existentiam, & hoc eis concederetur, non obid intentum habent, quia non adhuc per hoc probaretur magis attendi debere rerum perfectionem penes existentiam, quam penes essentiam, vt nos asserimus. Hinc posteà fit quod rerum essentiæ directè ponuntur in prædicamento, non existentiæ; & quod illæ sunt obiecta scientiarum, non istæ, & quod illæ necessarias, ac æternas fundant veritates, non istæ, quæ omnia palam indicant essentiam à toto genere præcellere existentiæ in perfectione.

152 Respondent Thomistæ, & præcipuè Bannes negando assumptum, quia omninò negari non potest existentiam, v. g. substantiæ perfectiorem esse existentia accidentis, atq; ideò penes existentiam principaliter mensurantur res in perfectione; & licèt etiam mensurari soleant penes essentiam, vt innuit probatio assumpti, hoc tamen fit dependenter ab existentia, quia nulla perfectio competit homini, etiam quod sit animal rationale, nisi intelligatur intrinsecus ordo ad esse, sicut potentiæ ad actum, vndè inquiunt essentiam nullam importaturam perfectionem, si non haberet existentiam, per quam esset. Contrà, quia si existentia substantiæ v. g. dicitur perfectior existentia accidentis, hoc non est, nisi per ordinem intrinsecum, quem existentia importat ad essentiam, vt modus ad rem, quilibet enim modus proportionari debet rei modificatæ, ergo ex hoc potius colligitur oppositum nempe essentiam esse perfectiorem existentia, quia maior vel minor existentiæ perfectio ex maiori vel minori perfectione essentiæ, quam afficit deriuatur. Deindè quamuis existentia ponat essentiam in actu, & sit ratio, cur vnaquæque res propriam essentialem participet perfectionem, non tamen est formaliter ipsamet perfectio, sicut quamuis approximatio corporis ad ignem sit ratio cur caleſiat, non tamen illa approximatio est ipsa calefactio, aut ipse calor; ergo falsum est res mensurari in perfectione dependenter ab existentia, quasi sit metrum, & mensura perfectionis earum, licet sit ratio cur res actu participent talem perfectionem. Præterea existentia facit tantùm res esse actu in rerum natura, vt sic, ratio verò essentiæ facit esse in tali, vel tali actu v. g. substantiæ, viuentis, rationalis, &c. Sed nobilior, & perfectior est actus determinatus, quam actus, vt sic, ergo &c. Tandem argumentum propositum vrget, & allata responsio non habet locum, si sumatur ratio formalis, & obiectiua tum essentiæ, tum existentiæ præscindendo ab actualitate, ita quod existentia sumatur non pro exercitio existendi, sed in actu signato, prout tale munus exercere potest; sanè hoc pacto sumptæ, & inuicem comparatæ habent rationes suas formales distinctas, & vnaquæque peculiarem suam obtinet perfectionem, neque dici potest essentiam obtinere illam dependenter ab existentia, quia loquimur de essentia in esse obiectiuo, & ab actualitate præcisa.

Deindè principaliter, essentia est primum principium substantiale operationum; est radix passionum, & proprietatum rem consequentium, ergo est nobilior, & perfectior, quam existentia. Consequentia patet, probatur assumptum, quia essentia v. g. Angeli est intellectualis, volitiua, capax diuinæ visionis; humanitas est rationalis, discursiua, &c. quod non habet existentiã, quæ tantùm est conditio, vt

essentia has efficiat operationes. Respondent Thomistæ negando consequentiam, quia tam operationes, quam proprietates non conueniunt essentiæ, nisi per existentiam, quia essentiæ non existenti nulla competit operatio, nullaq; proprietas. Sed hoc, vt dixi, probat solùm existentiam esse conditionem ad operandum, sicut est approximatio ad agendum in passum, quod in ea maiorem non arguit perfectionem, alioquin etiam deducere possemus applicationem agentis ad passum esse nobiliorem, & perfectiorem ipsa natura operante, quia operari non potest, nisi per talem applicationem.

153 Demum arguitur ex Tromb. certum est, quod homo, vt sic, plus excedit asinum in perfectione, quam homo in actu hominem in potentia, sed ita est quod homo excedit asinum per essentiam, & homo in actu excedit hominem in potentia per existentiam, ergo essentia est quid perfectius existentia. Minor patet, probatur maior, quia homo in potentia, & homo in actu sunt eiusdem speciei, cum habeant eandem definitionem, homo autem & asinus sunt alterius speciei, sed illa quæ sunt diuersarum specierum habent maiorem dissimilitudinem in perfectione, & in æqualitate, quam illa, quæ sunt eiusdem speciei. Respondent Manca, & Blasius à Concep. inter hominem existentem, & non existentem esse distantiam infinitam, veluti inter nihil, & aliquid, qualis non est inter hominem, & asinum, atque ideo negant maiorem, ad cuius probationem aiunt hominem existentem, & non existentem esse eiusdem speciei, & essentiæ negatiuè duntaxat, & per aliquam non repugnantiam, non verò positiuè. Contra, Primò, quia falsum est inter nihil, & aliquid esse distantiam infinitam absolutè loquendo, vt docet Doctor 4.d. 1. qu. 1. Secundò, quia falsum est hominem possibilem esse penitus nihil, quamuis enim sit nihil actuale, est tamen aliquid possibile, & est ens reale nominaliter ex num. 46. Tertiò, falsum est hominem possibilem, & existentem esse eiusdem speciei, & essentiæ duntaxat negatiuè, quia eundem prorsus essentialem conceptum formamus de homine existente, & non existente ex num. 32. & 48. Tandem de homine existente, & non existente possumus easdem formare propositiones, ac easdem specificas ostendere passiones, non autem de homine, & asino, ergo de se euidens est minorem esse distantiam inter hominem existentem, & non existentem, quam inter asinum, & hominem, & ratio est quia ista maior, vel minor distantia non fundatur in existentia, vel non existentia, sed in communitate, ac identitate prædicatorum essentialium.

Obijciunt Thomistæ, Primò quia actus à toto genere est nobilior potentia, quam actuat; sed existentia est actus essentiæ, quia essentia per ipsam ponitur in actu, ergo est nobilior, & perfectior. Nec valet communis responsio, non omnem actum esse simpliciter perfectiorem potentia actuabili, sed tantùm secundum quid; vt patet de accidentibus respectum substantiæ, quam perficiunt. Non valet, ait Blasius à Concep. quia accidentia non comparantur solum ad subiectum, tanquam ad potentiam eorum receptiuam, sed etiam tanquã ad causam finalem, & vt plurimum efficientem, siue dimanatiuam, existentia verò solùm comparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam suam, & ideò licet subiectum sit simpliciter perfectius accidentibus, hoc non obstat quin existentia sit perfectior essentia; cui accedit, quod subiectum comparatur solùm ad accidentia; tanquam ad actus suos secundarios, sed existentia est actus, ad quem primariò ordinatur essentia. Confirm. quia existentia est actualitas omnium rerum, ac realitatum, quæ sunt in creatura, ergo est omnium perfectissimum, & præstantissimum, vndè etiam in Deo ratio omnium perfectissima, quam in eo intelligimus, est quod sit ipsum esse subsistens. Demũ actualitas radix est perfectionis, & quo aliquid est actualius etiam perfectius est, sed esse est summè actuale, ergo summè perfectum. Probatur minor, quia omnia in ordine ad esse se habent, vt potentia; omnia per ipsum reducuntur ad actum, & deniq; existentia est talis actus, vt intrà genus illius essentiæ, quam terminat, & actuat, non sit amplius receptiua vlterioris actus, à quo perficiatur, cum sit vltimus terminus, in quo vltimò essentia rei conquiescit.

154 Ad 1. respondetur, vt ibi, neque valet illa replica de disparitate accidentium in ordine ad subiectum, & existentiæ in ordine ad essentiam, licet enim ita se habeant in ordine ad subiectum accidentia quædam illi connaturalia; quod ab eo dimanant, & fluunt in genere efficientis causæ, vt constat de frigore aquæ calidæ se ad pristinum statum reducentis, tamen in alijs accidentibus merè communibus, & aduentitijs id non verificatur, nam albedo v.g. respicit superficiem, vt potentiam merè passiuam, & in ea ab agente extrinseco producitur; & quando non placeat exemplum de accidentibus in ordine ad subiectum ad ostendendam maiorem illam non esse simpliciter veram; afferatur exemplum de vnione, subsistentia, & alijs modis quibusdam substantialibus, qui res actuant, & modificant, & tamen sunt illi simpliciter imperfectiores, vt constat de subsistentia, quæ intrà idem genus substantiæ est actus Angelicæ naturæ, & est longè imperfectior ipsa, & similiter vnio substantialis respectu materiæ, & formæ, quæ ab agente extrinseco inter ea producitur. Ad Confirm. quamuis existentia faciat esse in actu essentiam, & sit ratio cur vnaquæque res propriam essentialem perfectionem participet, hinc tamen non rectè deducitur hæc omnia in perfectione superare, alioquin pari ratione actionem productiuam Angeli asserere possemus esse angelica substantia perfectiorem, quia per ipsam actuatur, & ponitur extrà causas; neque est eadem ratio de existentia Dei, & creaturæ, quia existentia in Deo non facit esse in actu, sed facit esse id, quod est, & est de essentia ipsius, quod non contingit in creatura. Ad vltimum negatur minor, alioquin existentia esset purissimus actus, sicut Deus, ad probationem constat ex modò dictis intantum existentiam dici actum omnium realitatum, quatenus eius beneficio formaliter dicuntur extrà causas poni, & de potentia obiectiua ad actum existentiæ reduci, ex quo tamen non sequitur quod sit ipsa formalis perfectio omnium illarum realitatum; constat etiam ex dictis n. 72. dici actum vltimum respectu duntaxat omnium prædicatorum essentialium, non verò quia non sit receptiua vlterioris actus absolutè loquendo, nam existentia simul cum essentia in genere substantiæ adequatè constituit potentiam receptiuam accidentium, quia ipsa substantia existens est subiectum accidentium, vndè cum existentia non minus, quam essentia in genere substantiæ sit accidentium susceptiua, non apparet quomodo ex hoc capite existentia sit actualior essentia.

Deindè arguitur, quia Dionys. de diuin. nomin. cap. 5. asserit, quod inter omnes perfectiones, quas à Deo suscepimus, esse est quid maius; & Arist. 8. Ethic. cap. 11. ait, quod maximum beneficium nobis à Deo præstitum est, quod simus. Tum 2. illud quod habet rationem finis in productione effectus, debet esse id, quod est perfectius in effectu, sed esse est terminus & finis illius actionis, qua producitur effectus, ergo &c. Tum 3. in essentialiter ordinatis eiusdem generis semper posterius est perfectius, cum ergo existentia sit in eodem genere cum essentia, & sit posterior, erit etiam perfectior. Tum 4. quod dat alteri formaliter, vt sit extrà nihil, est nobilius eo, sed existentia dat essentiæ formaliter, vt sit extrà nihil, ergo &c. Tum 5. illud cui non repugnat non existere est perfectius eo, cui id non repugnat, sed existentiæ repugnat non existere, cum ex vi nominis significet exercitium existendi, non autem repugnat essentiæ, ergo &c. Tum 6. prima actualitas rei est ea nobilior, vndè per hoc probatur, quod forma substantialis est perfectior materia, sed esse est prima actualitas essentiæ, quia essentia antequam sit nullam habet actualitatem. Tum denique dat regulam Caiet. cap. 6. de Ente, & essentia, ad dignoscendum quodnam prædicatum sit perfectius in creatis, & ait inter prædicata quidditatiua illud esse perfectius, & actualius, quod magis appropinquat ad esse, illud verò potentialius, & per consequens imperfectius, quod magis distat ab esse; sit exemplum, Petrus vt substantia maximè elongatur à sua existentia, vt enim existat non sufficit quod sit substantia, sed opus est, quod sit corpus, & dum consideratur in ratione corporis magis appropinquat ad esse, & magis si sit viuens, & adhuc magis si sit animal, ergo perfectio entium mensuratur penes existentiam.

155 Respond. illas, & alias similes auctoritates intelligi debere de esse prout inuoluit simul essentiam, & existentiam, & illud comparatur ad cæteras perfectiones, & beneficia, quæ deinceps accidentaliter superueniunt. Ad 2. respondetur similiter, non enim sola existentia est terminus actionis agentis, sed esse vt inuoluit essentiam, & existentiam. Ad 3. verum est assumptum quoad quidditatiuas perfectiones subordinatas, sicut differentia specifica est posterior, & nobilior, non tamen est vera quantum ad modos intrinsecos, cum differentia vltima sit nobilior hæcceitate ipsa, ità Mairon loc. cit. Ad 4. negatur maior absolutè intellecta, alioquin actio productiua Angeli, quia ponit eum extrà nihil in suo genere, esset perfectior ipsa substantia angelica, quod nemo concedit, solum ergo concedi potest esse perfectiorem existentiam ex hoc capite, quam sit essentia, quod est esse perfectiorem secundum quid. Ad 5. negatur minor, quia in sententia præsertim realiter existentiam distinguente ab essentia, non minus existentia poni debet indifferens ad esse, & non esse, quam essentia ipsa, nam ante productionem rosæ, sicut essentia rosæ non erat in rerum natura, ita nec existentia, quam solutionem affert Soncin. cit. ad 2. cum tamen quæstione immediatè præcedenti id morticus negasset in corpore quæsiti; quo autem pacto in nostra sententia possit existentia dici possibilis, & non repugnans dictum est nu. 142. & 150. Ad 6. sæpius dictum est existentiam esse primam essentiæ actualitatem, non quia ipsam actuet, & informet, velut forma materiam, sed quia est id, quo formaliter essentia dicitur actu poni in rerum natura, quod non infert, ipsam esse perfectiorem simpliciter essentia, vt initiau in actione Angeli productiua. Ad vltimum falsa est illa regula Caiet. quia potius prædicata omnia quidditatiua, vt sic, abstrahunt ab esse, sicut & tota series prædicamentalis, & si illa regula valeret, tunc esse hunc hominem esset perfectius prædicatum omnibus, quia magis accedit ad esse, cum tamen certum sit hæcceitatem nullam dicere quidditatiuam perfectionem; regula igitur ad dignoscenda perfectiora prædicata in serie prædicamentali, & quare inferiora sint perfectiora superioribus, & minus communibus, est quia includunt totam superiorum perfectionem, & aliam quam illis superaddunt, & sic patet ex perfectiori, vel imperfectiori differentia specifica mensurari specierum perfectionem, non autem ex existentia.

Quæsitum tertium.

TErtium quæsitum est, *quænam sit causa proxima effectiua existentiæ*, quidam enim ex Thomistis solum Deum dicunt esse causam effectiuam ipsius esse, nullatenus verò creaturam, aut certè non nisi instrumentalem, ità Bannes part. 1. qu. 43. dub. 4. Eland. 4. Mer. q. 5. art. 6.

art.6.Blasius à Concep. disp.7. Met.qu.2. licet oppositum quoque iudicet probabile in Schola D. Thomæ.

156 Dicendum tamen est etiam causas secundas verè & propriè causare existentiam suorum effectuum per modum causæ principalis, non autem solùm Deum; ita Scotus 4.d.1.qu.1. & est communis extrà Scholam D.Thomæ, imò, & quamplures defendunt ex eisdem Thomistis hanc etiam fuisse mentem S.Thomæ, & præcipuè duo illius Scholæ proceres Caiet.p.1.q.45.art.5. & Ferrariens.2. contra gentes c.21. & super Manca 1 Phys. q.5. dub. 7. qui citat Ledes. & manifestè deducitur ex nostris principijs iam positis, nam si essentia, & existentia sunt prorsus realiter idem, consequenter dicendum est existentiam easdem prorsus causas habere, quas habet essentia, & ideò si causa secunda verè, & propriè producit essentiam sui effectus, vt equus essentiam equi, fateri etiam oportet, quod eodem modo causet existentiam. Quamuis autem hoc solum sufficeret ad conclusionis huius probationem, quia vt ait Suarez disp.31.sec.9.num.18. hæc est ratio maximè à priori, libet tamen vlterius adducere integrum discursum, quem facit Doctor loc cit. §. *sed ista rationes* vbi ita probat etiam causam secundam causare existentiam, vel esse sui effectus; à quocunque efficiente generatur compositum ab eodem effectiuè est esse compositi, sed aliquod compositum generatur ab aliqua causa creata, nisi tollatur omnis actio creaturæ, ergo &c. probatio maioris, tum quia secundùm Philosophum 1.& 5.Phys. & 1. de gen. & cor. & 20. Metaph. generatio est ad esse, ergo causa efficiens generationis est causa efficiens esse, ad quod terminatur ipsa generatio. Tum per rationem, quia à quocunque generatur compositum, per eius actionem formam est in materia, formam autem esse in materia est compositum habere esse, quia si non, aut ergo esse sequitur naturaliter ipsum compositum, quod est terminus generationis, aut præcedit naturaliter; si præter. ergo prius est esse compositi, quam ipsum compositum, quod non est intelligibile; si sequatur, ergo sine contradictione posset compositum produci ab agente absque hoc, quod Deus daret illi composito producto esse, imò simpliciter posset Deus non dare esse illi composito producto, cum non agat extrà se nisi contingenter, & liberè. Nec valet dicere (ait Doctor) quod esse non est à generante compositum, & tamen necessariò concomitatur ipsum; quia per responsionem non concomitatur, vt terminus actionis generantis, si ergo vt terminus agentis primi, & non præcedens compositum, ergo sequens & ita sine contradictione potest non sequi. Si dicas distinguendum esse in quolibet producto esse huiusmodi, & esse simpliciter, & secundo modo est effectus Dei, vel causæ vniuersalissimæ, primo autem modo est effectus causæ particularis, quæ videtur responsio Bannes loc.cit.vbi concl.4. ait causas particulares non causare existentiam, vt sic, sed determinationem existentiæ, idest esse tale. Hoc non soluit subdit Doctor lit.D. quia esse simpliciter in isto, & esse huius non sic distinguitur, quod ab alia causa esse possit esse huiusmodi, quin ab eadem sit esse simpliciter, quod est in isto; qua sive sit distinctio rationis in intellectu, vel qualitercunque quod dat isti esse huius dat sibi esse simpliciter, quod est in isto; & ratio est, quia actio physica non attingit modum, seu differentiam aliquam Metaphysicam in se præcisè, sed rem ipsam totam, cui talis differentia identificatur.

157 Dices non in hoc sensu intelligere Bannes, quod causa particularis effectiuè causet determinationem existentiæ, sed in hoc sensu, quod ipsa præparat essentiam, velut subiectum susceptiuum talis existentiæ, & non alterius; inquit enim in productione effectus creati à causa secundas interuenire actiones, vnam quæ est à causa secunda inducente formam in materiam solùm secundum esse essentiæ; aliam solius Dei conferentis existentiam. Contra, quia superflua omninò est actio specialis Dei, qua producatur existentia, vltrà actionem causæ secundæ, qua producitur essentiæ effectus, ergo &c. probatur assumptum, quia considerando præcisè actionem causæ secundæ, vt præintelligitur actioni Dei existentiam præbenti, res per illam immediatè facta educitur extrà causas, ergo per eam nedum acquirit essentiam realem, sed etiam existentiam, cum hæc non sit aliud, quam essentia extrà causas producta. Dices in eodem instanti, in quo est actio creaturæ tendens ad essentiam, dari etiam actionem Dei attingentem existentiam, & in illo priori naturæ entitatem à creatura productam intelligi solum in via ad esse, quod in eodem instanti per diuinam actionem communicatur. Contra, quia tunc non saluatur in creatura ratio actionis realis, quæ est id, quo res accipit esse reale; cum ergo in effectu inueniatur esse aliquod reale à causa secunda illi communicatum vel hoc erit esse existentiæ, & habetur intentum, vel esse essentiæ, quod cum non possit esse, vt consideratur in potentia, vt sic enim nihil est in re facta, erit esse essentiæ extrà causas, & per consequens cum existentia; & hoc quidem modo, ac eisdem ferè verbis præallegatas suorum Thomistarum responsiones impugnat Manca loc. cit. sed qua cohærentia non video, cum inferius postea dub. 10. eisdem ipse vratur solutionibus ad argumenta probantia realem identitatem existentiæ cum essentia. Deindè contra eandem solutionem benè vrget Suarez inquirendo, an actio quæ progreditur à causa secunda sit existens nec ne, hoc secundum dici non potest, quia cum sit actio egressa ab agente, & extrà causas, proportionatam actualitatem habebit, sicut habent alia accidentia; si primum, rursus quæritur, an illam existentiam habeat ab ipsa causa secunda, vel ab alia actione speciali ipsius Dei; si primum ergo aliqua existentia fit à causa secunda; si secundum, ergo datur processus in infinitum. Et denique de hac ipsa actione speciali diuina, qua producitur existentia quæritur an sit creatio, vel eductio, si primum, ergo omnis existentia creata esse subsistens, & independens in esse, & fieri ab omni susceptiuo, quod falsum esse patet in existentia omnium formarum materialium; si 2. sine causa tribuitur soli Deo, & negatur causæ secundæ, quia talis modus agendi dependenter à subiecto non excedit vires causæ creatæ, neque effectus producendus excedit perfectionem agentis creati, falsum enim apparet ex dictis quæsito præced. quod Thomistæ comminiscuntur de sua & maxima perfectione existentiæ creatæ; & hanc rursus impugnationem contra suos Thomistas adhibet Manca loc.citat. cum tamen in eadem quæst. superius dub.4. cum eis conueniat in his quæ asserunt de perfectione existentiæ suprà essentiam.

158 Respondent alij Thomistæ, quod licet causa secunda non efficiat existentiam, efficit tamen, vt existentia essentiæ vniatur, quia vltimo disponit, & determinat essentiam ad receptionem talis existentiæ, vnde quamuis non efficiat existentiam, efficit rem existentem, sicut homo generat hominem, licet non efficiat animam, quia vnit illam, & sic inquiunt allatam Scoti rationem non concludere, ita Blasius à Concep. cit. §. 2. Sed hoc facilè reijcitur, quia tunc de ipsa vnione producta à causa secunda redeunt eadem argumenta, cum enim & ipsa propriam habeat existentiam, quærendum est an ea producatur à causa ipsa secunda, nec ne, si primum habetur intentum quod aliqua existentia est à causa secunda, & cum non sit maior ratio de vna, quam de alia, idem dici poterit de alijs, si secundum, ergo dabitur processus in infinitum in vnionibus existentiæ cum essentia, & specialibus Dei actionibus existentiæ productiuis. Accedit falsum esse hominem ideò alium generare hominem, quia animam rationalem vnit materiæ, siquidem vnionem illam non attingit ex dictis disput.8.de gen.& cor.num.33 & si eam attingeret, vnio illa licet sit substantialis, quatenus inter extrema substantialia versatur, in se tamen considerata est accidens vt dicebamus disp.5.Phys.quæst.9. non potest autem accidens esse terminus substantialis generationis, inde potius homo dicitur generare hominem, quia producit formam mistionis, quæ est proxima, & immediata dispositio ad animæ rationalis infusionem, & eius actio terminatur ad corpus animæ vnitum, quatenus in eodem instanti, in quo vltimò fit corpus, animatur, vt dictum est disp.8.cit.de gen.& cor.n.35.

Deinde verò, quod causa secunda non sit causa instrumentalis tantum existentiæ suorum effectuum, sed verè, & propriè principalis, facilè probatur ex notione causæ principalis, & instrumentalis; nam si per hoc distinguuntur, vt fert communis opinio, quod causa principalis ea sit, quæ agit propria virtute accommodata, & proportionata effectui, itaut effectus non excedat virtutem causæ, neque in se, neque in modo, quo ab agente fit, iam constat causam secundam ita se habere respectu suorum effectuum, ignem v.g. generantem respectu ignis geniti, quia ignis genitus non excedit virtutem ignis generantis, cum vterque sit eiusdem naturæ, nec etiam in modo quo producitur, quia producitur naturaliter, & dependenter à subiecto; si etiam per hoc distinguuntur causa principalis, & instrumentalis, quod hæc nunquam attingit terminum principaliter intentum, vt illa, qui modus dicendi verior est, & Doctori conformior ex dictis disp.7. Phys. quæst. 5. adhuc patet ignem v.g. esse causam principalem alterius ignis geniti, & non instrumentalem tantùm, quia non attingit solam dispositionem ad formam principaliter intentam, sed verè ipsam formam substantialem ignis, vt extrà causas positam, ergo est causa principalis existentiæ sui effectus, & non instrumentalis tantùm.

159 Respondent quidam Thomistæ apud Manc. cit. quod nulla causa creata potest efficienter physicè principaliter tribuere alicui participationem alicuius naturæ, nisi haberet eam per essentiam, vt nihil potest principaliter ignire, nisi ignis; cum igitur esse soli Deo principaliter conueniat, consequens est quod solus Deus potest principaliter physicè causare ipsum esse. Contra, quia ex hac responsione sequitur causam secundam effectum ei connaturalem producere non posse nedum quoad existentiam, sed nec etiam quoad essentiam, quia solus Deus est sua realis essentia per essentiam, omnes verò creaturæ habent essentiam à Deo participatam, atque ita solus Deus omnem essentiam efficere poterit; falsum ergo est, quod causa vt dicatur principalis respectu esse, quod effectui communicat, debeat possidere illud esse per essentiam, & non sufficere, quod illud habeat per participationem ab ipso Deo.

In oppositum arguit Bannes, nulla creatura ex se, & ex natura sua habet esse, sed illud communicatur, & conseruatur à Deo, ergo nulla creatura per se est causa existentiæ, nec in communi, nec in particulari, sed illa à solo Deo est. Antecedens patet, & consequentia probatur, nam virtus causatiua existentiæ supponit ipsum esse in causa agente, ergo si esse ipsius causæ prouenit, & communicatur ab extrinseco, non habet virtutem per se operatiuam existentiæ; vel saltim non habet, nisi per modum instrumenti, sicut aqua quia per se non est calida, non est etiam per se, & principaliter calefactiua, sed tantum per accidens, & instrumentaliter. Tum 2. omnis creatura in sua actione supponit aliquid à solo Deo productum, quia non potest agere ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, ergo actio creaturæ supponit esse, & per consequens non est causa ipsius esse. Tum 3. materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, quæ à solo Deo conseruatur, ergo solus Deus dat existentiam materiæ primæ, sed materia non

existit nisi per existentiam totius, ergo causa secunda non producit existentiam compositi. Tum tandem, quia non alia ratione possumus explicare Deum esse causam totius entis, nisi quia ipse solus causat esse tam formæ, quam materiæ, & totius, vel si creaturæ hoc ipsum efficiunt, dicentur etiam causæ totius entis.

160 Respond. neg. consequentiam, quia ex hoc quod causa secunda non habeat à se, & ex se existentiam, sed à Deo, non benè deducitur, quod existentiam sui effectus attingere non possit, alioquin nec etiam essentiam attingere posset, vt dicebamus, quia & hanc ex se non habet, sed à Deo; & ad probationem consequentiæ rursus negatur sequela, quia vt causa possit effectui præstare aliquod esse, sufficit quod illud habeat in se, & minimè opus est, quod habeat à se, nisi de prima causa sit sermo; nec etiam sequitur esse causam instrumentalem duntaxat, & per accidens ipsius existentiæ, sicut aqua est causa caloris, nam calor nedum ab extrinseco competit aquæ, sed etiam omninò per accidens, quia nullo pacto ad eius spectat constitutionem, sed existentia licet ab extrinseco creaturæ communicetur, attamen intrinsecè, & per se illi conuenit, quia vt actu creatura sit, indiget existentia, nec potest dici accidens eius, nisi prædicabile, quatenus non est eius prædicatum quidditatiuum. Ad 2. probat solùm argumentum creaturam non efficere existentiam materiæ primæ, quæ eius actioni supponitur, & est à solo Deo producta, at non probat quin efficere possit existentiam formæ, vel compositi, quod est terminus actionis eius. Ad 3. negatur subsumpta minor, quia vt constat ex dictis disp. 2. Phys. materia prima propriam habet existentiam incompletam distinctam ab existentia formæ, atque compositi, quia supponitur omni actioni agentis naturalis; vt habens suum proprium esse essentiæ in se, & entia causam suam efficientem, quod sine esse existentiæ intelligi non potest. Ad 4. Deus dicitur esse causa totius entis, non autem creatura, quia Deus efficit totum, & totaliter, idest quoad omnes, & singulas eius partes nullam præsupponendo, quod nequit facere creatura, vnde solum deduci potest causam secundam efficere non posse totam sui effectus existentiam quoad omnes, & singulas eius partes, quod certè non obstat, quominus dicatur efficere existentiam propriam totius cathegoreticè sumpti, sicut enim agens naturale dicitur generare totum, licet materiam non generet, quia ad hoc sufficit, vt producat formam in materia ex quibus vnitis totum resultat; sic ad hoc vt dicatur producere existentiam totius, sufficit vt formam faciat existere in materia, quia vt ait Doctor 4. d. 1. quæst. 1. B. formam esse in materia est compositum habere esse.

Secundò, arguitur ratione, quæ dicitur esse D. Thomæ 1. p. qu. 45. art. 5. effectus vniuersaliores debent reduci in causas vniuersalissimas; sed inter omnes effectus ipsum esse est vniuersalissima effectus, ergo debet reduci in causam vniuersalissimam, qui est Deus, & per consequens est proprius eius effectus. Confirmat hoc Blasius à Concep. quia dicitur Sap. 1. creauit Deus, vt essent omnia, & in pluribus, scripturæ locis, dicitur quod Deus omnia facit, & plerique Sancti Patres appellant esse effectum proprium Dei; alias etiam quinque rationes adducit hic Auctor ex D. Thom. 3. contra gentes cap. 66. quas non adduco, tum quia ferè omnes recidunt in rationem nunc allatam, tum quia ex dictis facillimè diluuntur; tum tandem quia ipsemet Auctor illas soluit sustinendo probabiliter oppositam sententiam.

161 Respondet Doctor 4. d. 1. qu. 1. lit. C. rationem illam nihil concludere, nisi vniuersalitas causæ, & effectus sumantur difformiter; dupliciter enim potest intelligi causa vniuersalior, scilicet secundum virtutem, seu perfectionem, vel secundum prædicationem, & similiter effectus potest dici vniuersalior dupliciter, scilicet prædicatione, & virtute, seu perfectione; vniuersalius prædicatione dicitur illud, cuius ratio dicitur de pluribus; vniuersalius autem perfectione, cuius perfectio est maior in se, & perfectionum plurium contentiuum; si ergo vniuersalitas causæ, & effectus vniformiter sumantur, itaut effectus vniuersalissimus in prædicatione, sicut est ens, reuocari debeat in causam sic vniuersalissimam, quæ sit Deus, falsa est maior, quia Deus non est causa vniuersalissima in prædicando; si verò intelligatur de vniuersalitate in perfectione, & virtute, ita verum est Deum esse vniuersalissimam causa, sed falsum est in hoc sensu ens esse vniuersalissimum effectum, quia prædicata quò sunt communiora, eò sunt imperfectiora; si verò sumantur difformiter itaut sensus sit effectum vniuersalissimum in prædicando, quale est ens, reduci debere in causam vniuersalissimam in perfectione, qualis est Deus; aliquid vtique concludet in proposito ratio D. Thomæ, nimirum ipsum esse vniuersum, vt comprehendit quodcumque factibile esse proprium effectum ipsius Dei, quia non potest nisi causa perfectissima producere quodcunque factibile, non tamen concludit quodcunque etiam esse particulare esse proprium effectum Dei, sicut ratio deberet inferre, vt contra nos concluderet. Ad Confirmat. si Patres, vel Scriptura id vnquam dicunt, explicari debent in eodem sensu, vt scilicet loquantur de esse in tota sua latitudine, vt comprehendit omne factibile, & causabile, nam si aliqua causa secunda posset in omne ens creabile, & producibile secundum totam suam latitudinem posset in seipsam, cum & ipsa sit ens quoddam creabile, & producibile; dici etiam solet esse effectus proprius Dei, quia solus Deus producit totum esse rei, & totaliter nullam præsupponendo partem; tum quia ipse solus in omni re ponit fundamentum existentiæ, sine quo creatura non potest aliquid existentiæ efficere, cum semper agat in præsuppositum subiectum.

162 Denique probatur, quod causa secunda non sit causa principalis, sed tantùm instrumentalis ipsius esse, nam lib. de causis dicitur, quod nec intelligentia, nec anima rationalis dat esse, nisi in quantum operatur operatione diuina; ex quo sic arguit Blasius à Concept. quod agit in virtute alterius, & non in virtute propria, non agit per modum causæ principalis, sed instrumentalis, sed causa secunda non producit existentiam in virtute propria, sed in virtute Dei, ergo &c. Conf. quia si entitas existentiæ produceretur à causa secunda, tanquam à causa principali, deberet dari in creatura potentia operatiua, quæ dimanaret à substantiæ existentia, quia cum substantia non fit immediatè operatiua, & existentia substantiæ sit substantialis, deberet necessariò dimanare ex se aliquam potentiam actiuam, media qua ordinaretur ad productionem existentiæ, ergo cum non detur talis potentia in creatura, vt patet, nulla creatura producet per modum causæ principalis entitatem existentiæ.

Resp. quod causa secunda dicitur dare esse, inquantum operatur operatione diuina, ac in virtute Dei, quia operatur dependenter à Deo, & cum subordinatione ad Deum tam in essendo, quàm in operando, vt potè quæ totam agendi virtutem accepit à Deo, eamque exercet dependenter à concursu diuino, non vero quia sit purum Dei instrumentum propriè loquendo de instrumento. Ad Confirm. posset negari maior, quia in nostra sententia substantia est immediatè operatiua, vt constat ex dictis disput. 8. Phys. quæst. 6. artic. 2. posset etiam negari minor, quæ non probatur; cui accedit, quod idem prorsus argumentum fieri posset ad probandum, quod causa secunda nequit producere effectum, nedum quoad existentiam, sed nec etiam quoad essentiam, & quicquid dicetur ad illud factum contra productionem essentiæ, dicetur quoque ad idem factum contra productionem existentiæ.

163 Solet etiam hic quæri de causa formali existentiæ; & Thomistæ passim asserunt in rebus materialibus formam esse causam formalem omnis existentiæ, dicunt enim materiam, & formam prius inter se vniri ad faciendum totum, & deindè ipsi toti aduenire existentiam in virtute formæ, & sic tam materiam, quàm formam accipere existentiam, & quidem non semel Arist. significauit omne esse substantiale à forma substantiali proficisci in genere formalis causæ, nam 2. Phys. tex. 12. ait res per materiam esse in potentia, & per formam esse in actu, & 2. de Anim. 36. ait animam esse causam ipsius esse, seu cur sit animal, & 5. Met. 15. ait alia est substantia in rebus quæ est causa existentiæ, vt anima in animali; vndè Conimbric. 1. Phys. quæst. 9. testantur esse commune axioma inter Peripateticos existentiam esse vltimam actualitatem omnis formæ. Cæterum iam disp. 2. Phys. q. 1. art. 2. determinatum est materiam habere propriam, & intrinsecam existentiam ex suis meritis, & non beneficio formæ precisè, vt opinantur Thomistæ, vbi etiam explicatæ sunt prælegatæ auctoritates, quod nimirum non fiat in eis sermo de esse, & existere entitatiuo, seu transcendenti, quod est commune omnibus rebus, vt entia sunt, sed de esse specifico, & completo in determinata specie prædicamentali, hoc enim tam materia, quam compositum obtinent beneficio formæ, & in genere causæ formalis, compositum quidem in genere causæ formalis intrinsecæ, quia ad eius constitutionem concurrit, vt eius pars formalis intrinseca, materia verò in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus in se recipiendo formam trahitur per illam ad hanc, vel illam speciem in prædicamento, cum ipsa quantum est de se ad omnes sit indifferens ratione suæ indeterminatæ potentiæ. Hic autem addo, quod etiam loquendo de ipso esse entitatiuo, ac transcendentaliter sumpto dici potest in bono sensu omne esse vel esse formæ, vel à forma in suo genere causæ pendere; nam si loquamur de esse, seu existentia compositi, certum est hanc pendere à forma in genere causæ formalis intrinsecæ, vt potè quæ est præcipua, & principalior pars quidditatis, & in hoc sensu prælegatas Arist. auctoritates, & alias consimiles explicauimus disput. 3. Phys. q. 12. art. 1. qua de causa hoc peculiariter tribuitur formæ, etiam compositum esse suum habeat quoque a materia, quæ est pars altera eius intrinseca. Quatenus autem hoc modo nequeat forma præstare existentiam intrinsecam materiæ, quia non est pars ipsius materiæ, neque illam intrinsecè componit in sua entitate, nihilominus adhuc dici potest propriam, & intrinsecam materiæ existentiam a forma pendere in genere causæ formalis extrinsecè, quia vt materia sit, & existat in rerum natura indiget informatione formæ, vt dictum est disput. 2. Phys. q. 3. art. 1. atq; ita constat verum esse, quod diximus, nullo esse existentiæ in composito reperiri, nec integrum, nec partiale, quod vel non sit esse ipsius formæ, vel à forma aliquo modo pendeat.

164 Postremum quæsitum est, *an existentia sit actus immediatus essentiæ*. Thomistæ quamplures, quibus præiuit Caiet. 3. p. quæst. 17. art. 2. asserunt existentiam non conuenire immediatè naturæ substantiali, sed subsistentiam prius, ac deindè existentiam, itaut existentia per se primo superueniat toti suppositio ex natura, & subsistentia constituto. Nihilominus cæteri omnes tam Philosophi, quam Theologi pro comperto habent existentiam esse immediatè essentiæ actualitatem, nihilque extraneum illi competere antecedenter ad existentiam; verum quidem est naturam ante existentiam supponi debere singularem, cum enim existentia faciat in actu, opor-

tes vt præsupponatur totum integrum esse rei, & debet existere, tum quia natura non immediatè in se existit, sed in singularibus, quibus identificatur; at opus non est, vt ante existentiam suppositata intelligatur; & hoc præsertim in sententia nostra asseri debet realiter distinguente subsistentiam ab essentia, non tamen existentiam; si enim existentia est cum essentia realiter identificata, & subsistentia è contra est realiter distincta, & separabilis à natura, consequens est, vt existentia prius essentiæ conueniat, quàm subsistentia, vt illi consubstantialis, ac realiter identificata. Immò id etiam asseri debet in sententia Thomistica realiter existentiam distinguente ab essentia, quia subsistentia vel fluit ab ipsa natura, vel in ea recipitur, si primum, ergo natura supponitur existens, cum res prius debeat esse in actu, quàm aliquid ab ipsa fluat, & dimanet; idem etiam sequitur, si dicatur secundum, quod enim existens non est, vtique aliud reale à se distinctum recipere nequit; maneat ergo existentiam esse immediatam actualitatem essentiæ, & essentiam prius intelligi debere existentem, quàm subsistentem in substantijs, vel inhærentem in accidentibus. Solet etiam hic à quibusdam disputari, quomodo existentia requiratur ad operandum, an vt virtus causatiua; an tantum vt conditio, de quo iam diximus disp. 8. Phys. quæst. 4. artic. 1.

QVÆSTIO IV.

An quæcunque propriam habent essentiam, peculiarem etiam habeant existentiam.

165 MOuetur hæc quæstio, ad dignoscendum quibus rebus propria competat existentia. Thomistæ namq; realiter distinguentes essentiam ab existentia, multis rebus propriam adscribunt essentiam, sed non propriam concedunt existentiam, sed aliena existentia dicunt illas existere; ita discurrere solent de materia in ordine ad formam, & accidente respectu subiecti, & de humanitate assumpta à Verbo, volunt enim hæc omnia propriam habere essentiam, sed non propriam existentiam, vnde asserunt materiam existere per existentiã formæ accidens per existentiam subiecti, & Christi humanitatem per existentiam Verbi; quod etiam à fortiori de relationibus asserunt, quamuis enim habeant distinctam essentiam à suis fundamentis, non tamen habent diuersam existentiam, sed eorundem existentia existunt. Et hoc ipsum asserunt nonnulli Recentiores de modis respectu rerum, quod nempe propriam essentiam possideant, verùm non existant, nisi per existentiam rerum, quarum sunt modi, quia si modus, propriam haberet existentiam, non amplius esset modus, sed entitas. Alij verò è contra non distinguentes essentiam actualem ab existentia asserunt omnem essentiam habere debere suam propriam existentiam, nec vnam rem per existentiam alterius existere posse, nec plures res per vnicam existentiam, sed sicut distinguuntur ipsæ res, & earum essentiæ, ità multiplicari, & distingui earum existentias, vnde consequenter volunt materiam propriam habere existentiam distinctam ab existentia formæ, accidentia item nedum absoluta, sed etiam respectiua habere suammet existentiam diuersam ab existentia subiecti, & fundamenti; & rursus humanitatem Christi propriam habere existentiam creatam distinctam ab existentia Verbi, ita Suar. d. sput. 31. Metaph. sect. 11. Auersa quæst. 8. Phys. sec. 10. Arriag. disp. 2. Metaph. sec. 5. Pasqualig. disput. 85. sec. 5. Meurisse lib. 1. suæ Metaph. quæst. 20. de modis verò respectu rerum aiunt, quod sicut habent propriam essentiam ab essentia subiecti modaliter distinctam, ita etiam habent propriam modalem existentiam, ratione cuius possunt produci, & destrui absque eo quod producatur, & destruatur subiectum; ita Suarez, Auersa & Arriag. citat. Vel si negatur habere modos propriam existentiam, negari quoq; debet habere propriam essentiam, vt defendit Pasqualig. loc. cit.

166 Hæc posterior opinio vera est, nobisq; tuenda, sequiturq; necessario ex principio iam posito de identitate essentiæ cum existentia, & probatur primò in generali cuicunq; essentiæ propriam correspondere existentiam, nec aliena existentia existere posse, si enim essentia realiter loquendo non est aliud, quam essentia prout est in actu, sequitur manifestè non posse, nisi per propriam existentiam existere; & sicut impossibile est, quod aliqua res sit ens per alienum, esse, ita etiam impossibile est, quod sit actualis, vel actu ens per alienam actualitatem, probatur consequentia, quia non minus intrinsecè quælibet res in se est actualis, quam sit ens, quia esse actuale nihil aliud dicit, quam reperiri à parte rei secundum proprium esse.

Secundo, Deindè vlterius probatur in speciali discurrendo per singula, quibus Thomistæ propriam concedunt essentiam, & negant existentiam, & quidem materiam primam nedum propriam habere essentiam, sed etiam existentiam distinctam ab existentia formæ, & compositi ex professo probatum est disp. 2. Phys. q. 2. ar. 1. propriam, sequam, existentiam partialem, & incompletam, ibiq; sufficienter satisfit satis omnibus, quæ solent in oppositum conglomerare Thomistæ. Quod etiam accidentia propriam habeant existentiam ab existentia substantiæ distinctam non solùm docet Scotus 4. d. 12. q. 1. §. *Hic dicitur*, sed etiam sanior pars Thomistarum, quos refert, & sequitur Mastrius à Concept. disp. 6. Met. q. 3. immò Bannes 1. p. q. 3. a. 4. dub. 5. interim se aliquando cũ Magistro Soto 1. Phys. qu. 6. sensisse oppositum, rectum re melius perfecta agnouisse esse contrà mentẽ S. Thomæ, hoc etiam probat Doctor loc. cit. hac ratione; vnumquodq; quod est extrà causam suam, & intellectum, sicut habet entitatem propriam, ita & proprium esse, ergo si accidens habet propriam entitatem essentialẽ extrà subiectum, & intellectum, habet, & proprium esse, & ità non existit formaliter per esse subiecti. Assumptum patet ex superioribus, vbi probatum est existentiam aliud non esse quam rei essentiam, & entitatem actu extrà causas positam; alia verò propositio subsumpta à Doctore, quod accidentia propriam habeant entitatem, & essentiam ab essentia subiecti distinctam facilè probatur, quia accidentia de nouo producuntur in subiectis, & corrumpuntur permanentibus subiectis ergo propriam entitatem habent diuersam realiter ab entitate subiecti, & per consequens distinctam quoq; existentiam, & ratio est, quia omnis productio ad aliquam terminatur existentiam, & per omnem corruptionem aliqua deperditur existentia. Confirmatur hoc ineluctabiliter ex mysterio Eucharistiæ, in quo eadem numero accidentia conseruantur sine substantia, certum autem est non conseruari sine existentia; quæ ratio vt benè Suarez adnotauit, procedit etiam in opinione Thomistica distinguente realiter essentiam ab existentia; quod enim aliqui dixerunt ex Thomistis, quod quamuis post consecrationem eucharisticam non maneat essentia panis, manet tamen existentia substantialis panis, cuius beneficio quantitas, & alia accidentia separata existunt, est erronea, quia iuxtà doctrinam Conciliorum, & Patrum præter accidentia panis post eius consecrationem nihil prorsus remanet, quod spectaret ad substantiam panis.

167 Respondet quidam Thomista Deum in Eucharistia creare nouum quoddam esse, per quod accidentia ipsa extrà subiectum conseruantur. Hanc solutionem iamdudum impugnauit ex professo disp. 3. Phys. q. 4. art. 2. ac etiam reiecit ipse Doctor cit. quia cum illud esse nouum non sit esse diuinum, sed creatum vel est substantia, vel accidens, si illud esse nouum est in genere substantiæ, erit independens, & per consequens non erit formaliter esse alicuius accidentis, quia nullum accidens potest esse formaliter independens, vel per se esse, tum quia secundum fidem in Eucharistia alia substantia non reperitur præter corpus Christi; si verò sit accidens, seu in genere accidentis erit æquè dependens, sicut forma cuius est, & per consequens per illud esse formaliter non erit accidens separatum independens, vt ipsi asserunt, dum dicunt virtute talis nouæ existentiæ accidens separatum independenter existere; tum quia si talis noua existentia est accidentalis, iam conceditur vltrò, quod hic contendimus, dari nimirum existentiam inferioris ordinis ad existentiam substantialem proportionatam accidentibus; & hac admissa præstabit magis hanc ponere accidentibus connaturalem, & congenitam, quam nouam, & miraculosam. Rursus hæc solutio omnia illa incurrit incommoda, quibus subiacent dicentes posse eandem numero essentiam conseruari variata existentia, quod impugnatum est, vt impossibile prorsus nu. 118. quia si manet eadem numero actualis entitas, manebit etiam illud esse, à quo intrinsecè res habet talem actualitatem, quod est esse existentiæ.

168 Sed obijcies, quod accidentis esse est ineſſe, & 7. Met. 2. dicitur ens, quia entis ens ideſt quod nec est ens, nec habet esse, nisi quatenus participat esse tui subiecti. Deindè quia si propriam haberet existentiam, ad existentiam substantiæ vlterius non ordinaretur, quia existentia est vltimus terminus essentiæ. Demum si propriam habet existentiam, vel hæc est eius inhærentia actualis, vel aptitudinalis, aliud enim in accidente non reperitur, sed neutrum horũ, quia actualẽ amittit in Eucharistia, & aptitudinalis est eius essentia, non existẽtia, ergo &c. Resp. Ad 1. ex Doctore loc. cit. accidentis esse dici in esse, non quia in ratione entis intrinsecè constituatur per esse sui subiecti, ita quod sit vnum esse, vel entitas accidentis, & subiecti, quia tunc ex ipsis non fieret vnũ per accidens, sed quia ob debilitatẽ, & imperfectionem sui esse dicit transcendentalem habitudinẽ ad subiectum, adeout naturaliter nequeat nisi in alio sustentari; talis autem dependentia in existendo vnius ab alio non arguit carentiam propriæ existentiæ in re sic dependenter alioquin compositum propriam non haberet existentiam, cum nequeat sine partibus consistere, imò & substantia ipsa sine quibusdam accidentibus conseruari non potest, sed arguit debile existentiam, & imperfectam, vt in proposito de accidente, aut aliqua alia ratione dependentem. Et cum ab Arist. accidentia dicuntur entia, quia entis, ait Doctor ibid. lit. G. ly *quia* non dicere notam causæ formalis, sed alicuius causalitatis extrinsecæ, quam subiectum exercet respectu accidentis illud sustentando, ac interdum efficiendo, de quo videatur Alens. 7. Met. tex. 5. q. 1. Ad 2. quicquid hic dicat Blasius à Concep. negandum esse existentiam vt sic esse vltimum terminum essentiæ, hoc enim potius conuenit subsistentiæ, vt notat Scotus quol. 9. §. *de secundo*, vbi ait subsistentiam esse actualitatem vltimatam essentiæ, ita quod subsistens non est per se ordinabile ad aliquem actum simpliciter vltrà istum, quem habet, qui quidem actus vlterior possit esse actus eius per se. Ad 3. concedunt Bannes, & Blasius à Concep. existentiam accidentis esse formaliter eius inhærentiam, & accidens à sua existentia dici formaliter inhærens, seu inexistens; verum tamen vt dictum est nu. 128. sicut in substantia distinguitur eius existentia à subsistentia, ita pariter in accidente distingui debet ab eius inhærentia tam actuali, quam aptitudinali, ab actuali quidem realiter, quia destructa eius inhæsione ad subiectum conseruari potest in rerum natura per potentiam Dei absolutam, vt patet in Sacramento Altaris; ab aptitudinali autem formaliter, quia inhærentia aptitudinalis importat formaliter ordinem ad subiectum, existẽtia

autem omninò à tali ordine præſcindit, & dicit præcisè modum, quo formaliter, & intrinſecè accidens conſtituitur ens in actu, vt ſic, quod quidem exprimi poteſt conceptu abſoluto, aut ſaltim præſcindente ab omni ordine ab ſubiectum, quod quidem inhærentia neceſſariò concernit vel actualiter, vel ſaltim aptitudinaliter; falſum igitur eſt nil aliud in accidente reperiri à parte rei præter inhærentiam actualem, ac aptitudinalem, reperitur enim modus, cui pertinet ad rationem exiſtendi abſolutè, vt ſic, inhærentia verò non ſpectat ad rationem exiſtendi abſolutè, ſed ad determinationem, & modificationem ipſius exiſtentiæ.

169 Tertiò, humanitatem Chriſti non exiſtere per Verbi exiſtentiam, ſed per propriam, & intrinſecam docet, & probat Doctor, quem omnes ſequuntur extrà ſcholam D. Thomæ, 3. d. 6. qu. 1. quia Chriſtus quatenus homo fuit terminus generationis temporalis ex Matre, ſed terminus generationis ex 5. Phyſ. 7. eſt eſſe exiſtentiæ, vel aliquod habens eſſe tale, ergo aliquod eſſe tale fuit terminus generationis temporalis Chriſti, hoc autem non eſt eſſe increatum Verbi, tum quia hoc eſſe non eſt effectum per generationem temporalem, tum quia non pertinet ad ipſum, quatenus homo eſt, ergo fuit eſſe proprium, & creatum humanitatis Chriſti, quia ipſa exiſtebat. Confirm. illam naturam, quam Verbum perſonauit tota Trinitas produxit in ratione cauſæ efficientia, & conſeruauit cauſalitas autem cauſæ efficientis, & conſeruantis non terminabatur, niſi ad aliquod exiſtere, non increatum, quia nihil efficit ſe ergo &c. Dices pro Thomiſtis opus non eſſe ſemper, quod exiſtentia ſit terminus per generationem productus, ſeu per generationem producatur, ſed ſufficere quod producatur res exiſtens, ſic autem euenit in generatione temporali Chriſti, quod B. Virgo, licet non produxerit exiſtentiam humanitatis Chriſti, quia exiſtit per exiſtentiam Verbi, produxit nihilominus hominem exiſtentem, quatenus produxit vnionem, qua humanitas vnita eſt exiſtentiæ Verbi, ſicut homo dicitur hominem generare, licet non attingat animam, non alia ratione, niſi quia vnit illam. Hæc ſolutio iam impugnata eſt ſupra num. 158. quia vnio, cum ſit quidam reſpectus, nequit eſſe terminus formalis generationis ſubſtantialis, tum quia falſum eſt B. Virginem produxiſſe vnionem humanitatis cum Verbo, Deus enim ſolus immediatè copulauit humanitatem cum Verbo; tum quia vnio preſupponit extrema vnibilia iam exiſtentia, non verò per ipſam exiſtentia fiunt; tum quia etiam concedendo B. Virginem vnionem hypoſtaticam attigiſſe, adhuc redit argumentum de ipſa vnione, an à Virgine producta fuerit cum propria exiſtentia, nec ne; ſi primum, idem dici poterat quoque de ipſa humanitate, quod fuerit producta, vt exiſtens; ſi verò dicatur exiſtens per exiſtentiam Verbi, tunc dabitur proceſſus in infinitum, quia hoc vtique erit per aliam vnionem ad exiſtentiam Verbi. Et denique contra eſſentiam vnionis fieri poſſunt omnia argumenta, quæ fiunt contra eſſentiam humanitatis aſſumptæ ſine exiſtentia.

170 Obijcies, Patres plerunque dicere humanitatem Chriſti exiſtere in Verbo; & rurſus humanitatem non exiſtere, niſi vna exiſtentia cum Verbo, quo pacto loquitur Sophronius in 6. Synodo artic. 11. Quod etiam probatur ratione, quia concedunt omnes, & eſt de Fide humanitatem Chriſti ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi diuini, ergo pariter eiuſdem exiſtentia poterit exiſtere. Reſp. etiam accidentia in ſubiecto exiſtere, & formam in materia, & tamen hinc non deducitur formam ſubſtantialem exiſtere exiſtentia materiæ, & accidens per exiſtentiam ſubiecti, imò potius oppoſitum, quia hoc quod eſt exiſtere in alio requirit propriam vtriuſque extremi exiſtentiam, ſi enim exiſteret in alio per exiſtentiam alterius formaliter, ſignum eſſet & illud alterum in alio exiſtere, quia ſi in ſe exiſteret, non poſſet eius exiſtentia denominare formaliter aliquid in alio exiſtere, vndè repugnat dicere, quod accidentia ſint in alio per exiſtentiam ipſius ſubſtantiæ, quia exiſtentia ſubſtantiæ nequit talem effectum formalem præſtare. Cum autem Patres dicunt humanitatem Chriſti non exiſtere niſi vna exiſtentia cum Verbo, vel exiſtentiam ſumunt pro ſubſiſtentia, quæ vtique vnica eſt in Chriſto, aut ſolum inſinuare volunt non extitiſſe prius tempore, quam exiſteret in Verbo. Ad rationem negatur paritas, quia ſubſiſtentia eſt modus realiter diſtinctus ab actuali eſſentia, vt dicemus diſp. 11. & ab ea ſeparabilis, quia non pertinet ad rationem exiſtendi abſolutè, ſed ad rationem ſic, vel ſic eſſendi, vndè etiamſi ſeparetur actualis eſſentia à ſubſiſtentia, adhuc intelligi poteſt, quod maneat eadem actualis eſſentia, licet ſub alio modo eſſendi; at exiſtentia pertinet ad rationem eſſendi abſolutè extra cauſas, & conſtituit eſſentiam in ratione entis in actu, & illud primò, & formaliter diſtinguit ab ente in potentia obiectiua, atque ideò in re non diſtinguitur ab ipſa actuali eſſentia rei; ſed quia hæc controuerſia eſt merè Theologica, ad Theologiam remittatur, vt fuſius tractanda; quam tamen hic obiter tangere libuit, quia pendet ex principijs Metaphyſicis.

171 Quartò vlterius relationes quoque reales propriam habere exiſtentiam ab exiſtentia fundamenti diſtinctam, & ſuæ eſſentiæ proportionatam docet Scot. quol. 3. lit. C. & probatur in primis ea generali ratione, quia nec Deus facere poteſt, vt aliqua eſſentia creata ſit actualis eſſentia, ſeu actu ens extrà nihil per actualitatem extraneam, & diſtinctam ab ipſa; ergo ſi ſemel conceditur relationibus, quod ſint entitates realiter ab extremis diſtinctæ, vt hic ſupponimus, conſequenter earum entitati extrà cauſas propria correſpondebit exiſtentia diſtincta ab exiſtentia extremorum. Deindè etiam ipſæ relationes de nouo producuntur in ſuis fundamentis, & corrumpuntur ipſis permanentibus, ergo propria gaudent exiſtentia, quia omnis productio ad aliquam terminatur exiſtentiam, & per omnem corruptionem aliqua deperditur exiſtentia. Tum quia, vt ſupra dictum eſt, vt aliqua entitas propriam exiſtentiam habere intelligatur, opus non eſt, vt ſit apta exiſtere ſolitariè, multa namque ſine alterius conſortio exiſtere nequeunt, quæ tamen ſolam eſt propriam poſſidere exiſtentiam, vt conſtat de creatura, quæ nequit exiſtere ſine Deo, nec vnum relatiuum ſine alio, nec compoſitum ſine partibus, ſed ſufficit, quod ſit terminus actionis phyſicæ, & realis, quia per hanc fit res exiſtens, & exiſtentia communicatur effectui; non ergo quia relatio ſine fundamento exiſtere nequit, debet illi propria, & peculiaris denegari exiſtentia, ſed tantum deducere licet eſſe exiſtentiam ſatis debilem, & ab exiſtentia alterius dependentem.

Dices, relationes non habere propriam nouitatem, nec per ſe acquiri, qua de cauſa Ariſt. negat dari motum ad relationem 5. Phyſ. 10. ſed eadem omninò actione generantur, & corrumpuntur cum ſuis extremis, ergo non habent exiſtentiam diſtinctam ab illis. Reſpond. hoc argumento probari ſolere à Nominalibus relationem nihil reale extremis ſuperaddere vndè non ſolum concludit (ſi quid probat) relationem non habere exiſtentiam, ſed nec etiam eſſentiam diſtinctam ab extremis; hic autem ſupponimus relationes habere entitatem propriam diſtinctam ab entitate extremorum, & ex hoc contendimus eis quoque deberi propriam exiſtentiam, cum non ſit niſi actualis entitas rei; argumento autem in ſe ſatisfactum eſt diſp. 8. log. quæſt. 3. art. 2. ab initio, vbi diximus Ariſt. loc. cit. non loqui de relationibus in vniuerſum, quia concedit ibi motum ab Vbi, quod tamen eſt de genere reſpectuum, ſed loquitur de relationibus quarti prædicamenti, quæ in noſtra ſchola dicuntur intrinſecus aduenientes, & negat motum ad illas, non quia & ipſæ propriam non habeant productionem diſtinctam à productione extremorum, ſed quia non per ſe primò acquiruntur, ſed neceſſariò conſequuntur extrema iam poſita, & ideò ait ibidem non acquiri, nec modum terminare, niſi per accidens, quatenus ſupponunt acquiſitionem alterius. Deinque licet non appareat tales relationes generari, & corrumpi manentibus extremis, apparet tamen generari, & corrumpi, ſi ad ſolum fundamentum comparentur, quia in eodem fundamento modò incipiunt, modò deſinunt, quod nobis ſufficit ad conuincendum Aduerſarios, qui dicebant relationem non habere diſtinctam exiſtentiam ab exiſtentia ſui fundamenti; non autem loquebantur de exiſtentia amborum extremorum.

172 Quintò tandem modos quoque habere propriam exiſtentiam probatur, quia ij modi, de quibus loquuntur Recentiores, & Aduerſarij, ſunt modi rerum Phyſici, ac extrinſeci, vt figura reſpectu quantitatis, præſentia, vnio, ſeſſio, &c. at iſti ſunt verè, & propriè res capiendo rem, vt conuertitur cum ente reali, ergo nedum propriam eſſentiam habebunt, ſed propriam quoque exiſtentiam, maior probatur à Scoto 2. d. 1. q. 5. §. *quod ſi adhuc* vbi loquens de prædictis entitatibus modalibus alias res determinantibus, & quærens num dici poſſint res, reſpondet quod licet dicantur modi, quia non ſunt res, ſicut illa, quam modificant, poſſunt tamen dici res quatenus eſſentialiter cadunt ſub diuiſione entis realis. Confirmatur etiam ratione communi ſuperius adducta pro ceteris, quia etiam huius generis modi (quod dico ad excludendos modos intrinſecos, de quibus poſtea) producuntur in ſubiectis, & corrumpuntur permanentibus ſubiectis, vt conſtat de præſentia reſpectu corporis, figura reſpectu quantitatis, ergo nedum habent propriam eſſentiam, ſed etiam propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſuorum ſubiectorum.

Sed obijcies modum non eſſe propriè entitatem, ſed entitatis modum, & eius munus eſſe, non quidem nouam entitatem afferre, ſed præexiſtentem duntaxat modificare, ergo non requirit nouam exiſtentiam, noua enim exiſtentia eſt tantùm propter nouum eſſe. Reſp. quidquid in propoſito dicant Recentiores, qui non videntur conſequenter loqui, dum declarando naturam horum modorum pleno ore fatentur non eſſe res, non eſſe entitates, ſed rerum, ac entitatum modificationes, ac determinationes, & hic poſteà nedum illis propriam tribuunt entitatem, ſed etiam propriam, ac peculiarem exiſtentiam; quidquid, inquam, illi dicant, nos breuiter occurrimus ex Scoto loc. cit. ſcil. quæſt. 5. D. quod licet modus non ſit ita res, ſicut illa, cuius eſt modus, non tamen nulla res eſt, ſicut nec vllum ens, quia tunc nihil eſſet, adhuc tamen eſt res cadens ſub diuiſione entis realis, atque ideò in ſuo genere habens propriam eſſentiam, & propriam exiſtentiam correſpondentem nempe modalem.

173 Sed grauior adhuc remanet difficultas de naturis communibus, de modis intrinſecis, de proprietatibus, & alijs rerum formalitatibus in eadem re ex natura rei repertis, num illis propria correſpondeat exiſtentia, & ratio dubitandi eſt, quia hæc omnia propriam habent eſſentiam quæ, & per diſtinctam definitionem exprimitur; ergo ſi verum eſt principium ſupra poſitum, quod cuicunque eſſentiæ propria debet in ſuo genere exiſtentia correſpondere, ſingulæ formalitates propriam habebunt exiſtentiam, & hoc aſſertim aſſerendum videtur in ſententia noſtra admittente diſtinctionem formalem ex natura rei, & actualem inter illas. Arriag. diſp. 2. Metaph. ſec. 5. num. 75. illi principio nixus ait omnibus

lis, quibus conuenit entitas distincta, assignari etiam debere propriam existentiam, quantumuis modalis, vel minimæ entitatis sint, vndè deducit etiam gradibus superioribus, eo modo quo ab inferioribus distinguuntur, propriam conuenire existentiam, & vno verbo eodem omninò modo philosophandum esse in omnibus de existentia, quo de essentia, propter rationem sæpè dictam, quia scilicet hæc quo omninò indistincta sunt inter se, sic etiam discurrit Auersa qu.8. sec.3. *Sequitur secundò*. Insuper Meurisse, ex nostris lib.1.Met.q.20. concl.5. ait proprijs passionibus correspondere propriam existentiam distinctam ab existentia subiecti, quia fluere dicuntur à suis subiectis, & dimanare, cum ergo fluxus ille terminetur ad aliquid actuale consequens naturam, terminatur quoque ad aliquid suo modo existens. Subdit etiam idipsum asseri debere de naturis communibus suppositis distinctione formali graduum superiorum ab inferioribus gradus enim viuentis v.g. est actu in Petro, ergo existit in Petro, & cum sit gradus distinctus formaliter à Petro vel tanquam inclusum ab includente, vel aliter, eius quoque existentia erit formaliter distincta ab existentia Petri; quare concludit gradus superiores, & inferiores sicut habent diuersas essentias, ita quoque diuersas habere existentias, sed sicut eorum essentiæ non sunt nisi formaliter distinctæ, non verò realiter ita quoque dicendum de existentijs, & hanc sententiam colligit ex Scoto 2.d.3.q.3.vbi dicit naturam communem habere existentiam in individuis, & ex Bassolio 1.d.8.qu.1.art.2. & 3.d.6.qu.vn.artic.2. idem tenet Smisinch.tract.1. de Deo vno disp.2.num.36.Faber.9.Met. disp.2.cap.2.

174 Oppositum tamen mihi probabilius videtur, non singulis gradibus rerum, ac earum formalitatibus, quas in eadem re multiplicitas concedimus, ac ex natura rei formaliter distinctas, proprias correspondere existentias, sed omnes adæquatè existere per eandem existentiam illius rei, cui identificantur, ad cuius integritatem spectant, quem dicendi modum docuit Trom.5. Met.qu.6. & trac.formalit. ab omni, vbi existentiam ponit correspondere rebus, non autem formalitatibus, rem autem ipse appellat entitatem potentem se sola existere, & quia formalitates se solis existere nequeunt; ideò illis negat propriam existentiam; in qua explicatione discrepamus ab ipso, quia hæc relationes reales, & multa alia, quæ ex naturali connexione cum alijs nequeunt seipsis existere, propria carerent existentia, hinc docebamus disput.1.log.quæst.5.art.2.& in superioribus disput.6.nu. 60. nomine rei, quæ nata est fundare distinctionem realem, nedum intelligendum esse, quod per se primò, immediatè existit, vel sic existere potest, sed omne id, quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem accipit esse, siue solitariè existere possit, siue non, & ita se habent omnes physicæ entitates, omnes nimirum substantiæ siue completæ, siue incompletæ, vt materia, & forma, omnia item accidentia siue absoluta, siue respectiua, hæc enim omnia verè sunt entia in recto propriam essentiam, & existentiam habentia, & si non omnia solitariè existere nata. Per realitatem verò, seu formalitatem, quæ nata est fundare duntaxat distinctionem ex natura rei formalem intelligitur id, quod est aliquid rei in prædicto sensu explicatę, non quocunq; modo, sed per identitatem realem, atque ita per realitatem omne id intelligendum venit, quod per se non recipit esse, ac immediatè à sua proxima causa per verum influxum physicum, sed per simplicem dimanationem Metaphysicam. Itaque non est immediatè, & formaliter capax existentiæ, nisi id quod esse potest terminus, & effectus physicæ causalitatis, quandoquidem per talem causalitatem communicatur effectui entitas actualis, quæ est existentia; quia ergo formalitates non sunt effectus accipientes esse per aliquam physicam causalitatem, sed per simplicem metaphysicam dimanationem, hinc est quod propria existentia carere dicuntur sed omnes adæquatè existunt per vnicam existentiam, scilicet illius rei, cui identificantur, & ad cuius spectant integritatem, idem tenet Vulp. disput.63. de Trin. artic.8. vide dicta superius disput.6. quæst.7. art.2. num.160. & seq.

175 Dices vtiq; existere omnes formalitates, & gradus eiusdem rei per vnicam realem existentiam, multiplicari tamen existentias formales, & formaliter distinctas, quia multiplicantur essentiæ formaliter distinctæ, & cuicunque essentiæ propria correspondet existentia ex principio iam posito. Contra, quia dictum est, existentiam non correspondere formalitatibus, sed rebus, nec dari posse plures existentias, quæ solùm formaliter distinguantur, cum enim id quod existit, vt sic, sit terminus physicæ causalitatis, secundum suam existentiam natum est fundare realem distinctionem à quolibet alio distincta existentia existente. Cum autem dicitur singulas illas formalitates propriam præseferre essentiam, ac distincta definitione explicabilem per conceptus adequatos negat Trombet.hoc assumptum, quia licet dici possit singulas importare proprias quidditates, non tamen important proprias essentias, in hoc enim (ait) differunt quidditas, & essentia, quod essentia dicitur entitas illa, cui non repugnat esse, & habere esse sine altero, sed quidditas est id, quod exprimitur per definitionem; quæ distinctio non placet, quia nimis coarctat essentiæ nomen, relationes siquidem, & alia multa propriam habent essentiam, quæ tamen solitariè existere non possunt. Potius ergo iuxta aliatam explicationem dicendum essentiæ nomen dupliciter sumi posse nimirum vel pro re, cui non repugnat existere, & potest esse terminus actionis agentis, & physicæ causalitatis, & in hoc sensu verum est cuilibet essentiæ propriam correspondere existentiam, hanc enim accipi ab agente, dum producitur; & hoc modo negatur formalitates propriam essentiam præseferre, quia nequeunt esse terminus immediatus physicæ causalitatis; alio modo sumi potest essentia latius pro quacunque ratione essentiali, quomodo dicimus quicquid est, eo modo quo est habere suam essentiam, quia nihil esse potest absque sua propria, & intrinseca ratione essentiali, & sic vtique verum est etiam formalitates, & varios gradus entitatis rei propriam habere essentiam, sed falsum est essentiæ sic sumptæ propriam, & adæquatam correspondere existentiam, nam omnes adæquatè existunt per vnicam existentiam illius rei, ad cuius integritatem pertinent. Vide supra disput.6. num.180. vbi explicatum est, quænam sit essentia, cui correspondet propria existentia. Et hunc dicendi modum, quem Scoticum esse opinior, non obscurè insinuat Pasqualig. disp. cit. 83. sec. 5. num. 1. explicans dictum illud, quod cuicunque essentiæ propria correspondere debet existentia, ait ita accipiendum esse, vt solum procedat de ijs essentijs, quæ constituunt vnam integram entitatem, non autem de qualibet quidditate, quamuis suo modo etiam quælibet ratio formalis habeat propriam existentiam, quatenus existentia cuiuslibet rei adæquat omnes formalitates ipsius faciendo singulas existere.

176 Et hac eadem ratione negandum est naturis communibus, vt à singularibus præcisis, propriam correspondere existentiam, quia in tali statu natura, vt bene Suarez adnotauit disp. 31. cit. sec. 11. num. 2. non est existentiæ capax, nec post esse immediatus terminus productionis, & physicæ causalitatis, cum ergo non sit capax existentiæ, nisi vt est sub singularitate, & non nisi sub tali statu possit esse terminus generationis, consequenter dici debet existentiam non correspondere adæquatè, nisi naturæ singulari, seu sub singularitate conceptæ, & hoc expresè docet Scot. loc.cit. à Meurisse pro parte opposita 2. d. 3. quæst. 3. vbi ait existentiam sequi naturam etiam singularitatem. Nec valet, quod ait Meuriss. per hoc probari tantùm naturam non esse capacem in tali statu existentiæ, qua se sola existere possit extrà singularia, non autem quod non sit capax existentiæ in singularibus. Imò hæc responsio potius nobis fauet, si enim non est existentiæ capax, nisi vt in singularibus concipitur; ergo quando concipitur, vt communis præcisa singularitate non est proximè capax existentiæ, quia secundum eum statum repugnat ei actualis existentia, ergo concipiendo existentiam, vt actum essentiæ, non debet immediatè referri ad naturam, vt communem, sed vt singularem; & ad communem, vt facta est singularis in re indiuidua. Neque tandem oppositum probat ratio Meuriss. relata num. 173. conceditur enim gradum viuentis v. gr. esse actu in Petro, & existere in Petro, sed nego quod existat existentia distincta etiam formaliter ab illa qua Petrus existit, non enim distingui possunt in Petro ex natura rei duę existentiæ, quarum vna sit Petri, & alia hominis, sed est vna duntaxat, qua immediatè Petrus existit, & mediatè homo; & hoc ipsum significauit Doctor vbicunque dixit naturam communem non existere immediatè, sed mediatè in singularibus, nam si propriam haberet existentiam saltim formaliter distinctam ab existentia singularium tunc non mediatè tantùm, sed etiam immediatè per propriam existentiam diceretur existere. Nec minus concludit ratio, qua probare conatur propriæ passioni, vt à subiecto distinguitur, propriam correspondere essentiam, quia fluxus passionis à subiecto non fit per veram, & propriam causalitatem physicam, sed per solam dimanationem Metaphysicam, quatenus subiectum si non est causa physice illius productiua, est tamen ratio cur ei conueniat; & ideo passio respectu subiecti talem essentiam non habet, quæ fundare queat existentiam propriam ab existentia subiecti distinctam.

Instat Faber loc. cit. natura communis, vt homo, & equus ex parte rei sunt entia realia positiua distincta ab entitate singulari, sed existentia est modus intrinsecus cuiuslibet entis realis positiui, ergo etiam natura communis propriam debet possidere existentiam; maior minor passim conceduntur in nostra schola. Respondet. quod si natura communis esset entitas realiter ab indiuiduo distincta, vtique argumentum concluderet, quia quælibet entitas realiter distincta ab alia habet propriam existentiam ab existentia illius distinctam at natura communis est eadem realis entitas cum indiuiduo, & quia vnicæ entitati vnica correspondet existentia, ideo humanitati & Petro vnica sufficit existentia, qua ambo existant Petrus immediatè, & natura mediatè, & illa eadem existentia dicitur modus intrinsecus vtriusque, quia vtrumque importat vnam solam entitatem, & essentiam; quamuis natura abstracta à singularitate possit adhuc concipi vt apta ad existendum, non tamen vt immediatè, & secundum se habens talem ordinem ad esse, sed mediante indiuiduo, in quo existit, & hic dicendi modus clarè colligitur ex Doctore 2. d. 22. quæst. vn. F. & G. vbi non tribuit esse existentiæ naturæ immediatè, sed indiuiduo. Verum adhuc tamen est, quod infrà dicam. num. 185. oppositam quoque sententiam esse valdè probabilem, & sæpè Scotum in eam inclinare, quam proinde, sit communiorem in schola nostra sum amplexus disput. 6. de anim. quæst. 7. art. 2. vbi & locum ex 4. d. 45. qu. 3. ad 2. prin. pro ea valdè clarum adduxi, immo & eandem in Met. tradere sum pollicitus; at re maturius considerata promissis omnino stare non potui; hoc tibi sufficiat, quod oppositam non inficior, imò adeo probabilem censeo, vt queat pro libito quisque Scotista vnam, vel alteram sequi.

QVÆSTIO V.

An tam essentiæ, quàm existentiæ ex gradibus Metaphysicis componantur.

177 QVia tota linea prædicamentalis à summo genere ad singularia videtur scala quædam constans ex varijs generibus, speciebus, & differentijs secundùm sub, & supra ordinatis, quibus ascenditur ab indiuiduis ad supremum genus, & indè ad singularia descenditur, hinc (inquam) sumpta metaphora conceptus illi superiores, & inferiores dicuntur gradus metaphysici, quia ad Metaph. spectant compositionem. Prima sententia tam in essentia, quam in existentia graduum pluralitatem, ac diuersitatem assignat, adeout sicut rerum essentiæ ex varijs gradibus prædicamentalibus genericis, differentialibus, ac indiuidualibus coalescunt, ita quoque earum existentiæ; vndè quot gradus essentiæ reperiuntur in re, totidem etiam erunt existentiæ, quæ opinio tribui solet Henrico quol. 2. quæst. 1. & defenditur à Recentioribus quibusdam Ouuied. controuers. 2. Met. punct. 5. in fine, Auersa quæst. 8. suæ Philosoph. sec. 8. §. *sequitur secundò*. Alia opinio extrema tam essentiam, quam existentiam ait in indiuisibili consistere; essentiam quidem quia Aris. 8. Met. 10. apertis verbis sanciuit rerum essentias in indiuisibili consistere, nec graduum latitudinem habere, existentiam verò, quia si semel rei essentia tali latitudine caret, consequenter idipsum de existentia quoque affirmari debebit, quia si in existentia talis latitudo daretur, non nisi ex essentia in eam redundare posset; ita nonnulli Recentes. Communis, & vera sententia mediat inter istas, & quidem in essentia agnoscit graduum Metaphysicorum pluralitatem, quos tamen negat in existentia affirmans per vnicum gradum existentiæ totam essentiam existere; ita Scot. expressè 2. dist. 3. quæst. 3. Alensis 3. Met. tex. 7. D. Th. 2. contra gentes cap. 52. vbi Ferrar. Heruæus de vnitate Formarum qu. 5. Suarez disp. 31. Met. sec. 11. num. 2. Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosoph. disp. 2. qu. 4. Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 84. vbi id optimè probat omnibus fundamentis ex Scot. desumptis, quamuis grati animi causa eum non memoret, vt Recentiorum moris est, dum furtis ex Veterum pœnu intendunt.

178 Dicendum itaque est cum hac vltima sententia essentiam rerum equidem habere pluralitatem graduum, ex quibus componitur, & coalescit, non tamen existentiam, sed esse vnicam, & simplicem rationem indiuisibiliter omnes gradus essentiæ afficientem. Ita Doctor loc. cit. 2. d. 3. qu. 3. & quidem quoad essentiam res adeò explorata est, quod ex pluribus gradibus Metaphysicis coalescit, vt nullus remaneat ambigendi locus, videmus enim species constare ex gradu generico, & differentiali, ex gradibus superioribus, & inferioribus in linea prædicamentali coalescere, & denique definitionem, per quam rerum essentia solet exprimi constare ex genere, & differentia, ergo essentia creata necessariò componitur ex pluribus gradibus metaphysicis. Neque oppositum docuit Arist. loc. cit. 8. Met. tex. 10. immo ex illo textu diserte colligitur compositio essentiæ ex gradibus Metaphysicis, comparatque ad hoc declarandum rerum quidditates numeris, & quatuor facit comparationes, vt ibidem eleganter exponit Doctor; prima est, quod sicut numerus diuisionem in infinitum non recipit, sed ad indiuisibiles vnitates deueniendum est, ità essentia in diuisione statum agnoscit. primò enim in partes ipsam exprimentes diuiditur, quæ sunt partes definitionis, mox in vltima differentia terminus est; quæ vlterius diuidi nequit; & ex hac prima comparatione clarè collogitur quo pacto essentia ex pluribus gradibus Metaphysicis componatur, & quomodo adhuc in indiuisibili consistere dicatur ratione vltimæ differentiæ. Secunda comparatio est, quemadmodum si pars aliqua quantumuis modica addatur, vel subtrahatur à numero statim variatur species numeri, addita, enim vnitate, quæ est minimum in numero ipsi ternario, statim fit quaternarius, & sublata fit binarius, quæ sunt aliæ species à numero ternario, sicut, inquam, est in numero, sic est in quidditate, & definitione rerum, nam si à substantia animata sensibili, quæ est quidditas animalis, sensibile subtrahatur statim constituitur quidditas, & definitio plantæ; si addatur rationale, statim fit quidditas hominis; ex qua rursus comparatione liquet quomodo rerum essentiæ constet ex pluribus gradibus Metaphysicis, sicut numerus constat ex pluribus vnitatibus, & quo sensu in indiuisibili consistere dicantur. Tertia comparatio est, quod sicut numerus non est sola vnitatum aggregatio, sed præter illas vnitates materiales, habet etiam vnitatem formalem, qua dicitur vnus, vt numerus ternarius non est sola trium vnitatum aggregatio, sed præter illas tres materiales vnitates habet aliam quandam vnitatem formalem, quæ cum illis non ponit in numerum, sed est forma specifica consequens numerum ternarium à qua dicitur formaliter vnus; ita rei essentia non consistit in sola compositione generis cum differentia, sicut potentiæ cum actu, sed ex istis simul iunctis tertia quædam vnitas formalis oritur, à qua rei essentia dicitur per se, & formaliter vna, non quidem vnitate simplicitatis, sed compositionis. Ex hac comparatione iterum constat quomodo rerum essentiæ ex gradibus Metaphysicis componantur; & solùm dici posse in indiuisibili consistere quatenus ex compositione illorum graduum fit per se vnum, & non aggregatum per accidens. Quarta tandem comparatio est, quod sicut numerus non suscipit magis, & minus, ita nec rei essentia, quia non magis participatur humanitas verb. grat. à Petro, quam à Paulo, quia secundum omnia sua prædicata quidditatiua ita reperitur in vno indiuiduo, sicut in alio, quæ quidem indiuisibilitas non excludit compositionem ex gradibus Metaphysicis.

179 Quod autem existentia non habeat graduum pluralitatem, sicut habet essentia, sed sit simplex quædam actualitas indiuisibiliter afficiens omnes, & singulos ipsius essentiæ gradus tradit expressè Doctor loc. cit. ait enim ibi, quod existentia est natura sua posterior tota essentia, & quoad omnes gradus suos, & in hoc sensu inquit quod est actus vltimus posterior tota coordinatione prædicamentali ex gradibus essentialibus contexta, & quod adæquatè concipere possumus essentiam quoad omnes gradus suos etiam indiuiduales absque eo quod concipiamus existentiam, quia hic homo (ait Doctor) non plus ineludit formaliter existentiam actualem, quam homo; si ergo existentia ità se habet ad essentiam, vt à toto genere, illam supponat completam, & integram in ordine suo, planè nequibit existentia immediatè afficere aliquem gradum antecedenter ad infimum, itaut prius concipiatur animal existens, aut homo existens, quam hic homo existens, patet consequentia, quia in serie formalitatum, quæ in vna, & eadem entitate identificantur, sed vna suaptenatura est priot altera ex natura rei, non potest posterior formalitas coniungi cum priori, nisi præsupponat omnes formalitates, quæ sunt prores ipsa. Confirm. quia cum ille ordo, quem seruant illi gradus inter se sit essentialis, & per se, nequit inuerti, sed semper est inuariabilis, ergo nequit existentia concipi afficere essentiam, nisi prius supponatur completa, & indiuidua, neque singuli gradus essentiæ concipi poterunt cum propria existentia, sed omnes, & singuli eadem existentia existent indiuisibili omnibus, & singulis simul sumptis superueniente. Quod autem existentia sit immediatus actus naturæ singularis, itaut concipi nequeat immediatè coniuncta cum natura communi, vt sic, iam ostendimus supra n. 174. Dices id probare tantùm de existentia totali, & completa, non autem partiali, & completa huius, vel illius gradus; & quod sicut in gradibus ipsis essentialibus inuerta potest ordo saltim ab intellectu inadæquatè concipiente, prius contrahendo genus per differentias indiuiduales, quam per specificas, vt cum dicitur hoc ens, hoc corpus, hoc animal, vt etiam nos concedimus disp. 5. log. qu. 1. art. 1. ita etiam in proposito poterit ordo inuerti, vt existentia prius concipiatur coniuncta cum natura generica, quam cum specifica, & prius cum ista, quam cum indiuiduali dicendo animal existens, homo existens, Petrus existens. Contra hoc arguitur ex Doctore loc. cit. quod est per se à toto genere præcedit illud, quod est per accidens, sed singularitas per se pertinet ad coordinationem, & seriem prædicamentalem, vt fundamentum illius, ac veluti radix uoris prædicamentalis, vt dictum est disp. 6. Log. q. 3. art. 1. existentia verò ad prædicamentum spectat omninò per accidens, ergo non solùm seruata proportione existentia partialis est posterior essentia partiali, & existentia totalis essentia totali, sed à toto genere existentiæ posterior essentia, tam partiali, quam totali. Deindè non valet assumpta illa paritas de indiuiduis genericis, & incompletis cum re, & qua loquimur, quia illa indiuidua fiunt ab intellectu inadæquate concipiente, vt loc. cit. in Log. explicatum est, at cum existentia intelligatur aduenire essentiæ iam in suo esse integro, & completo constitutæ, coniungi debet cum essentia ab intellectu rem adæquatè concipiente. Tandem etiam illa paritate concessa non sequitur ab intellectu inadæquatè concipiente posse existentiam cum natura communi, vt sic, immediatè coniungi, sed tantùm cum indiuiduo generico, itaut dicatur hoc corpus existens, hoc animal existens, ergo semper verum est existentiam non aduenire naturæ nisi completè, vel saltim incompletè indiuiduatæ; oppositum autem contingeret, si darentur diuersi gradus existentiæ, tunc enim concipere possemus quemlibet gradum essentiæ cum gradu existentiæ sibi correspondenti præcisa quacunque indiuiduali differentia.

180 Confirmatur adhuc totus præcedens discursus ex dictis à num. 174. non est immediatè, & formaliter existentiæ capax, nisi id quod potest esse terminus, & effectus productionis, & physicæ causalitatis, tum quia solùm per talem causalitatem communicatur effectus entitas actualis, quæ est existentia, tum quia esse actuale est in ordine ad productionem, & terminus ipsius, tum tandem quia non potest res habere existentiam, nisi prout terminare potest actionem producentis; sed vt aliquid sit terminus productionis opus est quod sit indiuiduum, quia gradus vniuersales seorsim sumpti non sunt per se producibiles, sed tantum, vt sunt in singularibus, qua de causa dicebat Aristot. 1. Met. in prohem. actiones esse duntaxat singularium, & ad singularia tendere; ergo nequit existentia coniungi secundum diuersos gradus diuersis gradibus essentiæ, sed necessariò supponit essentiam ita in se completè constitutam, vt includat omnes gradus subordinatos à gradu entis inchoando vsque ad infimum indiuidualem. Et hæc quidem ratio nedum concludit de essentia completa ad existentiam actualem, sed etiam possibilem, quia ficut nequit aliquid concipi in se actu existens, nisi prout actu terminat actionem agentis, virtute cuius existentiam accepit in rerum natura; ita seruata proportione nequit res concipi, vt potens existere, nisi prout potens in se, & immediatè terminare actionem producentis.

Prætereà probatur idipsum ex eo quod docet Doctor loc. cit. 2. d. 3. q. 3.

q.3. nempe non dari propriam coordinationem existentiarum aliam à coordinatione essentiarum, quia existentia non habet proprias differentias, qua fit contrahibilis ad constituendos varios gradus prædicamentales, quod etiam nos supra docuimus n.87. ex hoc, inquam, manifestè deducitur non posse in existentia distingui varios gradus prædicamentales, quia illi gradus intantùm distinguuntur in essentia, inquantum constant rationibus communibus, & differentialibus, si ergo existentia non habet differentias contractiuas, consequenter neque habebit gradus, qui per illas constituuntur. Quod autem existentia non habeat suas differentias contractiuas præter Doctoris auctoritatem suadetur etiam euidenti ratione, quia plurificas graduum in essentia multiplicat prædicata essentialia, nam ex differentia perfectatis v.g. sumitur gradus substantiæ, ex differentia corporeitatis gradus corporis, ex differentia sensibilitatis sumitur gradus animalis, & ex differentia rationalitatis sumitur gradus humanus, cum ergo in existentia non fundetur talis prædicatorum multiplicitas, hinc clarè deduci debet ipsam carere differentijs contractiuis; quod autem in existentia non fundetur prædicatorum multiplicitas, euidens est, quia de re existente ratione existentiæ aliud prædicari nequit, nisi ipsa essendi actualitas, seu quod actu sit in rerum natura; sed vbi non est diuersitas prædicatorum non est diuersitas graduum, vt patet in rationalitate, quæ quia non fundat nisi vnum prædicatum, ideò est simplex ratio, & in alios gradus indiuisibilis, ergo idem est de existentia dicendum.

181 Denique res omnes adeò conueniunt in eo, quod existunt, vt ipso esse nullo modo differant, quia statim ac sunt in actu à parte rei, habent totum id, quod ratione existentiæ habere possunt; ergo non potest existentia importare diuersos gradus, sed vnicam tantùm simplicem rationem formalem, quæ sit ratio ponens in actu essentiam. Confir. quia etiamsi concipiamus existentiam afficere diuersos essentiæ gradus v.g. animalitatem, & humanitatem Petri, tamen eodem modo se habet respectu omnium, & eundem omnibus præstat effectum formalem faciendo nimirum eos existere, ergo non diuersificantur gradus existentiæ iuxtà diuersitatem graduum essentiæ, si enim darentur diuersi gradus existentiæ, deberet vnusquisque secundum suum esse formale esse diuersus ab alio, & diuersum effectum formalem exhibere, quemadmodum contingit in gradibus essentiæ. Tandem adæquatus existentiæ formalis effectus est facere existere, & omnes eius gradus in actu, nec ad aliud se extendit, nec aliquid amplius fingi potest, quod existentia præter essentiæ, statim cum ac intelligitur in actu, intelligitur completè exhibitus, & consummatus existentiæ effectus, ergo non possunt in ipsa distingui varij gradus iuxtà varietatem graduum essentiæ.

Respondet Ouuied. cit. rationem constituendi rem extra causas, qualis est existentia, esse indiuisibilem intensiuè, quia eademmet formalitas non potest magis extra causas constitui; sed extensiuè est diuisibilis, quia gradus distincti formaliter habent rationes formaliter distinctas inter se, per quas extrà causas constituuntur, in quas est diuisibilis existentia adæquata, seu ratio constituendi extrà causas indiuiduum adæquatum inuoluens rationes superiores, & inferiores. Contra, Quia in hac responsione manifesta committitur petitio principij, hoc enim est, quod impugnatur existentiam nempe non esse diuisibilem in plures rationes extensiuè, iuxtà pluralitatem graduum essentiæ. Tum quia si non est diuisibilis in plures rationes existendi intensiuè, sed solum extensiuè, tunc non est maior ratio cur gradus genericus existentiæ correspondeat gradui generico essentiæ, & specificus specifico, vt ipse defendit, quam è contra, nempe genericus specifico, & specificus generico. Probatur consequentia, quia omnes, & singuli existentiæ gradus præstant eundem prorsus formalem effectum essendi extrà causas, cum non nisi extensiuè inter se differant, ergo si nulla alia inter eos differentia reperitur, potent promiscuè gradus genericus existentiæ afficere specificum essentiæ, & specificus existentiæ genericum essentiæ, quia eundem effectum formalem præstant. Immò quia omnes, & singuli existentiæ gradus eundem prorsus præstant formalem effectum, ex hoc deduci debet non dari hanc graduum diuersitatem in existentia, vbi enim non est diuersitas effectus formalis, neque etiam potest esse diuersitas causæ, cum ergo omnes gradus essentiæ eodem modo ponantur extrà causas, neq; quoad hoc in eis vlla cernatur diuersitas, planè ex hoc sequitur existentiam esse prorsus indiuisibilem etiam extensiuè, quia si talis diuersibilitas in ea daretur, itaut importaret diuersas formalitates iuxtà diuersitatem graduum essentiæ, haberetur etiam diuersitas in effectu formali existentiæ.

182 In oppositum arguit Ouuied. probans existentiam diuisibilem esse in gradus distinctos correspondentes diuersis gradibus essentiæ, quando concipio animal à parte rei, vt ens actuale distinctum à rationali, quod etiam est ens actuale, concipio eandem distinctionem inter actualitates animalis, & rationalis, ac inter animal, & rationale, ergo sicut diuido per rationem hominem in animal, & rationale, sic diuido actualitatem hominis in actualitatem animalis, & rationalis, atque ita dabitur actualitas animalis præcisa ab actualitate rationalis, & è contra, nec vna includet aliam. Confirmat. ens non præsciuditur ex parte obiecti à ratione existendi, ergo ea ratione, qua apprehenditur ens, apprehenditur saltim ex parte obiecti existentia, quæ ab illo ex parte obiecti formaliter non distinguitur, ergo gradui entis propria correspondet existentia.

Resp. verè quidem essentiam secundum omnes suos gradus esse in actu, ita tamen vt existentiæ subijciatur, vt quid completum ex omnibus suis gradibus vsque ad singularitatem inclusiuè, solum enim in tali statu concipi potest, vt immediatè capax existentiæ, & idoneus terminus physicæ causalitatis; dixi *immediatè*, quia natura vt à singularitate præcisa vtique adhuc concipi potest, vt apta ad existendum, non tamen immediatè, sed mediante indiuiduo in quo existit; negatur itaque assumptum in argumento, gradus essentiæ posse seorsim concipi, vt actuales, & actu existentes, sicut enim seorsim sumpti nequeunt terminare productionem, ita nec habere propriam actualitatem, nec cum propria actualitate concipi; & hæc responsio confirmatur, quia formalitates illæ animalis, & rationalis non concipiuntur vllo pacto distingui, vt existentes, imò sub hac ratione omnino conueniunt, tam enim actu à parte rei datur animalitas in Petro, sicut rationalitas, sed solum distinctæ concipiuntur sub specialibus rationibus animalis, & rationalis, & ideò falsum est ita bene diuidi posse actualitatem hominis in actualitatem animalis, & rationalis, sicut homo diuiditur in animal, & rationale, & ita bene concipi distinctas actualitates animalis, & rationalis, sicut distincta concipiuntur animal, & rationale. Ad Confir. falsum est ens præscindere non posse aliquo pacto à ratione existentiæ, quia licet modus concipi nequeat sine re, cuius est modus, res tamen concipi potest non concepto modo; verùm quia ad exactam, & perfectam rei conceptionem exigitur etiam quod concipiatur cum modo, dico quod cum ens concipitur vt potens existere, non vtique concipitur, vt immediatè, & secundum se habens talem ordinem ad esse, sed mediante indiuiduo, in quo existere potest.

183 Secundò, Deinde arguit Auersa loc.cit. quia sicut concipimus omnes gradus intrinsecos indiuidui non existentis v. gr. Antichristi, eosque ratione distinguimus, ita distinctè concipimus eosdem gradus, quatenus actu existentes in indiuiduo iam producto, ergo non solum ipsi gradus essentiæ inter se distinguuntur, sed etiam eorum actualitates. Conf. quia nedum est verum dicere, Petrus habet suam singularitatem actu positam, sed etiam habet humanitatem actu positam, hoc est actualem entitatem ipsius humanitatis, ergo actualitas essendi in Petro non est veluti quædam forma simplex per rationem, sed quot sunt gradus essentiales, tot entitates actuales ratione distinguimus. Probatur consequentia, quia omnem hanc actualitatem intelligimus superuenire omnibus gradibus essentialibus, & singulos a peculiari existentia affici, alioquin omnes non existerent. Demum potest quis affirmare, & scire hominem v.gr. existere, animal existere abstrahendo ab hoc, vel illo homine, ab hac vel illa animalis specie, ergo ratione distinguitur existentia hominis ab existentia singularitatis, & existentia animalis ab existentia specificæ differentiæ contrahentis.

Resp. vt ad argumentum Ouuied. negando gradus essentiæ, quatenus existentes reduplicatiuè concipi vt distinctos, quia sub ratione existentiæ non fundant diuersa prædicata, sed omnino conueniunt. Ad Conf. concesso antecedente negatur consequentia, ad probationem dicimus vtique omnes, & singulos essentiæ gradus ab existentia affici, non tamen seorsim sumptos, sed prout omnes sunt coniuncti in eadem essentia, quia sic sumpti vnum quid tertium constituunt includens omnes illos, quod est aptum susceptiuum existentiæ, & potest esse terminus immediatus productionis; quod si gradus essentiæ seorsim considerentur, tunc non habent proximam aptitudinem, vt producantur, & media productione existentiam recipiant, & ideò non potest cum veritate, & fundamento in re concipi, quod aliquis gradus sit actualis, & existens præcisus ab alijs. Ad vltimum neque in illo casu coniungeretur immediatè existentia cum sola natura communi animalitatis, vel humanitatis, sed cum aliquo indiuiduo vago, & indeterminato hominis, vel animalis, conciperet enim aliquod indiuiduum existens in specie hominis, vel in aliqua alia specie animalis, quia intellectus scit nihil posse esse à parte rei, quod non sit indiuiduum, vel singulare.

184 Tertiò arguitur, quia plures res nequeunt per vnam existentiam existere, vndè in composito physico præter existentiam totalem compositi, admittimus etiam existentias partiales materiæ, & formæ; ergo sic etiam in proposito nequibunt plures formalitates, & gradus metaphysici per vnicam existentiam naturæ singularis existere, sed gradus existentiæ multiplicari debebunt iuxta multiplicationem graduum essentiæ etiam in composito metaphysico. Confirmat. si non assignatur hæc graduum varietas etiam in existentia, sed est vna simplex ratio, & indiuisibilis, tunc existentiæ rerum omnium creaturarum eiusdem forent rationis, & speciei, quod est falsum, quia existentia sequitur conditionem essentiæ, & ideò si essentiæ sunt diuersæ, erunt etiam & existentiæ. Demum aliqua videmus per se existere, vt substantias, alia verò inexistere alteri, vt accidentia, ergo dari debent diuersæ species existentiæ, ac proindè gradus communes, & differentiales correspondentes gradibus essentiæ.

Resp. negando paritatem de rebus, & formalitatibus, & de composito physico, ac metaphysico, quia vt constat ex n.174. res propriè dicitur illa, quæ talem habet essentiam, vt propria debeat ei correspondere existentia, quia in se, & immediatè terminare potest physicam actionem, & ideo quia in composito physico plures reperiuntur res, plures etiam debent multiplicari existentiæ illis adaptatæ; at non

non ità est de formalitatibus, cum enim non habeant esse per physicam causalitatem, sed per simplicem, & metaphysicam dimanationem, non sunt sufficiens subiectum peculiaris existentiæ, sed omnes adæquatè existunt per solam existentiam illius rei, cui identificantur, & ad cuius integritatem spectant. Ad Confirm. cum ratione existentiæ præcisè inspectæ res inter se non differant, nam æqualiter omnes per existentiam sunt extrà causas, nullum inconueniens est dicere existentias rerum esse eiusdem rationis, neque specie multiplicari, aut diuersificari ad diuersitatem essentiarum, qua ratione etiam dictum est in Phys. disput. 15. durationem rerum, quam ab existentia ibi non distinximus, esse eiusdem rationis etiam in rebus specie inter se differentibus, dummodo eundem habeant permanendi modum cum Scot. 2. dist. 2. quæst. 2. itaque existentiæ rerum specie diuersarum materialiter solùm, & fundamentaliter differunt specie, ratione scilicet essentiarum, quas afficiunt, non verò formaliter. Ad vltimum negatur prima consequentia, quia subsistentia, & inexistentia propriè loquendo non sunt differentiæ existentiæ, sed potius ipsius essentiæ, quod enim res inexistat, vel subsistat non prouenit ratione existentiæ præcisè sumptæ, sed ratione essentiæ, quia scilicet est talis, vel talis essentia, vndè esse talis naturæ, vt petat esse in alio est constitutiuum accidentis, sicut petere esse per se est constitutiuum proprium, & essentiale substantiæ; sed concessa etiam prima consequentia adhuc potest negari secunda, ex hoc enim quod subsistentia, & inexistentia sint duæ species existentiæ, vt sic, non sequitur esse diuisibilem in gradus correspondentes essentiæ, quam afficit, sed solum diuisibilem esse in gradus illarum specierum constitutiuos.

185 Quartò, tandem arguitur hoc non esse de mente Scoti loc. cit. 2. d. 3. q. 3. primò quia licet ibi dicat existentiam non habere proprias differentias alias à differentijs essentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam seriem essentiarum aliam à serie essentiarum, affirmat tamen habere easdem, quas habet essentia, & determinari ad determinationem illius, ergo habere potest gradus correspondentes gradibus essentiæ; vndè motus Lichet. ibidem tenet de mente Doctoris oppositam partem, & distinguit gradus existentiæ iuxta distinctionem graduum essentiæ, & naturæ communi etiam vt singularitatem præcedit, propriam tribuit existentiam. Confirmat. quia Scot. ibidem lit. B. negat existentiam esse indiuiduationis principium, quia eadem quæstio est de existentia, quo, & vndè contrahitur, vt sit hæc, quæ est de natura, nam si natura specifica eadem sit in pluribus indiuiduis habet existentiam eiusdem rationis in eis.

Respond. Doctorem loc. cit. in fine quæstionis concludere existentiam esse actum vltimum essentiæ, & esse posteriorem illa etiam indiuiduata, & singularizata, quia hic homo non plus includit formaliter existentiam actualem, quam homo, atque ideo expressè stare pro nobis, ne autem contradictorius appareat in eadem quæstione, dico Doctorem illa non asserere absolute loquendo, sed ex hypotesi, ait enim existentiam non habere proprias differentias; & si aliquas habet, alias esse non posse quam differentias ipsius essentiæ, si enim animal existens, vt sic, contrahi potest ad hominem existentem, planè non alia differentia contrahetur, quam per rationalitatem quæ est differentia contractiua animalitatis ad humanitatem, sic etiam naturæ communi existentiam tribuit communem ex hypotesi, quod sit vna, & eadem in singularibus per inexistentiam, quæ hypotesis non est vera, vt seq. disput. constabit, quia non est eadem, nisi per indifferentiam, neque inuitus ita explicabitur Doctor, si eum attentè consideres; nam præcipua ratio qua ibi negat existentiam esse indiuiduationis principium est illa, quia natura præsupponitur iam indiuiduata ante aduentum actualis essentiæ, quia hæc est actus vltimus posterior tota coordinatione prædicamentali etiam v. que ad indiuidua inclusiuè, non ergo sentit ibidem gradus partiales existentiæ gradibus partialibus essentiæ vicissim correspondere, alioquin hæc sua ratio nihil concluderet, & manifestè sibi contradiceret. Fateor tamen oppositam sententiam non carere probabilitate, ac etiam fundamento in doctrina Scotica, qua de causa præclari Scotistæ eam amplexi sunt, quos qui voluerit imitari, suæ relinquitur libertati, dummodò prius curet rationibus nostris satisfacere.

QVÆSTIO VI.

Qualis, ac quanta distinctio versetur inter gradus metaphysicos eiusdem essentiæ.

186 QVia rerum essentiæ constant ex diuersis gradibus Metaphysicis, vt præcedenti quæstione statutum est; cum enim aliquam naturam integram important, & connexionem diuersorum prædicatorum essentialium, diuersos quoque habent gradus genericos, specificos & differentiales, quibus inter se conueniunt, vel differunt; videndum est qualis, & quanta distinctio inter eos versetur; quæstio autem est non de gradibus Metaphysicis transcendentibus, qualis & conceptus entis, veri, boni &c. cum enim huiusmodi conceptus non sint omninò ex natura rei præcisi à suis inferioribus, suisque contrahentibus, consequenter fundare nequeunt distinctionem aliquam ex natura rei, quæ actu anteuertat omnem operationem intellectus, vt ostensum est disp. 2. quæst. 4. & 5. ex professo, vnde in hoc puncto præsens difficultas non consistit, sed solùm procedit de gradibus in serie predicamentali contentis generibus, specificis, & differentialibus; cum enim in hac disputatione secundo sit de essentia entis finiti, locum hic non habent gradus transcendentes, qui tam communes sunt enti finito, quàm infinito; infinitum etiam quæstio de gradibus eiusdem essentiæ, ideò qui in eodem individuo reperiuntur, quia si comparetur gradus rationalitatis, qui est in homine, cum gradu animalitatis, qui est in equo, certum est apud omnes non inter se realiter identificari, sed omninò ante operationem intellectus abinuicem distingui.

187 Hac igitur præmissa quæstionis intelligentia tres opiniones famosæ circumferuntur, duæ extremæ, & vna media; prima opinio extrema gradus essentiales distinguit realiter, quia putat illos fundari in diuersis formis physicis, itaut debeant formæ physicæ multiplicari ad multiplicationem graduum, & prædicatorum essentialium, quæ sententia apud Auerroistas satis recepta est, tribuitur enim Auerroi in lib. 13. Met. & 1. Met. tex. 17. & proindè sequuntur Auerroistæ posim Iandun. 1. de anim. qu. 8. & 2. Met. q. 9. Venet. 7. Met. Burleus in proæm. Phys. & 1. Phys. tex. 5. & pro ea refert D. Thom. 1. par. q. 50. art. 2. Auicembron. in libro fontis vitæ. Alia opinio extremi inter hos gradus nullam prorsus admittit distinctionem realem, vel ex natura rei citrà opus intellectus, sed solam distinctionem rationis, & per opus intellectus, quam aliqui volunt esse rationis ratiocinantis duntaxat, & fieri ab intellectu per solas præcisiones formales, adeoue distinctio attendi debeat potius ex parte modi concipiendi, quam ex parte obiecti concepti, vt Nominales, & Neutrales eorum assecłæ; alij volunt esse rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re, ità quod fiat ab intellectu per præcisiones etiam obiectiuas, adeoue distinctio non præcisè attendi debeat ex diuersitate modi concipiendi, sed etiam ex diuersitate formalitatum conceptarum, & sic passim loquuntur Thomistæ. & hæc opinio vno, vel alio modo explicata plausibilis est in scholis Thomistarum, & Nominalium, vndè pro ea Auctores sunt penè innumeri D. Th. loc. cit. & opusc. 42. & de ente, & essentia cap. 3. & 4. vbi Caiet. Ferrar. 1. contra gentes cap. 24. Capreol. 1. dist. 8. quæst. 2. ar. 3. Heruæus quol. 1. quæst. 9. Durand. 1. d. 2. q. 2. Iauell. 7. Met. quæst. 18. Soncin. ibid. quæst. 36. Bannes 1. de generatione, & cor. quæst. 8. art. 1. Arefius ibid. quæst. 8. artic. 1. Auerla quæst. 13. log. sec. 4. Suarez disput. 6. Met. sec. 9. Hurtad. disp. 3. Mer. sect. 3. Morilan. disputat. 1. log. quæst. 9. Io. de Sanct. Thom. quæst. 2. vniuers. artic. 6. Pasqualig. rom. 1. Metaphys. disputat. 79. Arriag. disputat. 5. log. sec. 1. subsec. 2. Ouuied. controuers. 4. Met. punc. 3. & alij quamplures. Tertia tandem sententia est Scoti, & Scotistarum quæ mediat inter relatas, quatenus inter gradus essentiales ponit distinctionem formalem ex natura rei, quæ mediat inter distinctionem realem propriè dictam, & distinctionem rationis, est enim maior distinctione rationis, quatenus non fit ab intellectu, sed actu aliter se tenentia omne opus intellectus, est autem minor distinctione reali, quatenus ea quæ distinguuntur formaliter identificantur adhuc in eadem re, ac entitate, vt explicatum est disp. 1. log. q. 5. art. 2. ac etiam superius disp. 6. q. 11. ex quibus locis nunc supponimus dari talem distinctionem mediam inter distinctionem realem, & rationis, & adhuc ex dicendis in hac qu. necessitas talis mediæ distinctionis magis constabit; & hanc sententiam defendunt Scotistæ passim Ant. And. Met. q. 7. & 14. Tromb. ibid. q. 4. Faber. theor. 73. cap. 4. Canon. Phys. q. 7. & alij ex Scoto 2. d. 3. q. 1. & seq. & 7. Metaph. q. 19.

ARTICVLVS I.

Diuersi gradibus essentiæ non distinguuntur realiter, quia sunt semper in diuersis formis physicis.

188 CONclusio huius articuli colligitur ex Scoto vbicunque docet in quolibet viuente vnam tantùm animam reperiri, eteras inferiores continentem 2. d. 1. qu. 5. O. & d. 15. q. vn. ad 1. prin. & 4. d. 11. q. 3. R. & d. 44. qu. 1. A. quibus in locis negat in homine tres animas reperiri, vnam à qua dicatur viuens, aliam à qua dicatur sentiés, vel animal, & tertiam à qua dicatur rationalis, & homo, quia ab eadē anima rationali cęteras inferiores vniriuē, & realiter contentę sumi possunt illa omnia prędicata secundum diuersas realitates, vt explicatū est disp. 1. de anim. q. 8. nō ergo in sententia Doctoris diuersitas, & multiplicitas prędicatorū arguit necessariò diuersitatē, & pluralitatem formarum physicarum, sumi enim possunt ab eadem forma secundum varios gradus, & realitates eiusdem, vt ibi explicatum est & adhuc magis explicabitur hic, & art. seq. Et quāuis Doctor 4. d. 11. q. 3. in viuentibus prēter animam admittat formam mixtionis, seu corporeitatis, non tamen ex hoc capite deducit necessitatem formę mixtionis, sed ex contradictione, quę est immediata ratio distinguendi plura sub ente, quatenus, scilicet abeunte anima adhuc remanet corpus, ergo viuens non est corpus per animam, ita se declarat ibidem lit. Hh. appositè verò dixi gradus essentię non distingui realiter, quia fundentur semper in diuersis formis physicis, quia non minus hoc interdum accidere posse; sic enim accidit ponendo in viuente formam corporeitatis prēter animam, quia viuens dicemus corpus per formam corporeitatis, viuens autem per animam, vt notat Scot. 1. dist. 3. quæst. 3. O. & vt afferatur exemplum ab omnibus admissum, in homine conceduntur ab omnibus hæc duo prædicata, scilicet esse susceptiuum quantitatis, & intellectiuum, quo-

quorum primum sumitur à materia, secundum à forma, & eandem inter se seruant distinctionem illa duo prædicata, quam habent materia, & forma hominis, scilicet realem, & sicut illæ partes sunt realiter separabiles, ita & illa prædicata; & in hoc nulla potest esse dubitatio, vt etiam concedit Auersa loc. cit.

189 Probanda est itaque conclusio ex ea parte, qua vrget difficultas, nimirum ad plurificationem graduum essentiæ, & prædicatorum essentialium non necessariò formas physicas plurificari debere, quia tunc in angelo, & qualibet forma accidentali erunt tot entitates distinctæ, & formæ physicæ, quot prædicata de eis dicuntur in quid, consequens autem est falsum, quia tunc in Michaele v.g. esset vna forma physica per quam est substantia, & alia per quam est spiritus, & alia per quam est Michael, & sic esset multipliciter compositus substantialiter in hoc esset vna entitas per quam est qualitas, & alia per quam est color, & alia per quam est albedo, vndè non esset forma simplex, vt communiter dicitur; ergo dicendum est per eandem entitatem physicam albedinem esse accidens, qualitatem, colorem, & albedinem, & pariter Michaelem per eandem physicam entitatem esse substantiam, spiritum, & Michaelem. Dices conclusionem habere veritatem in solis substantijs, non in accidentibus, & rursus in substantijs compositis, non simplicibus. Contra, non minus essentialiter, & in quid color, & qualitas de albedine, substantia, & spiritus de Michaele prædicantur, quam substantia, & corpus de igne, & aqua, aliisq; compositis materialibus; si ergo in angelo, & albedine plura illa prædicata sumi possunt ab eadem forma, & in eadem physica entitate fundari, quæ sit illimitata ad illa plura prædicata communicanda, idipsum dici poterit, & debebit in compositis materialibus, quæ licet imperfectiora sint angelis, adhuc tamen sunt perfectiora accidentibus, quod addo ad excludendam tacitam responsionem, quæ dari posset dicendo in angelis ab eadem physica entitate sumi posse plura prædicata, quia substantia angelica perfectior est substantia composita. Dices fortè etiam in accidentibus multiplicari formas ad multiplicationem gradus essentiæ. Hæc solutio ab omnibus reijcitur, quia de ipsa albedine quæritur præcisa quacunque alia entitate realiter distincta, an tribuat esse coloris, nec ne, si tribuit esse coloris, ergo iam plures gradus ad entitate sumuntur, si verò non tribuit esse coloris, sequitur quod albedo non sit color, & quod non possit color in recto de albedine prædicari. Tum quia de eadem albedine præcisè sumpta quæritur, an dicat intrinsecam dependentiam ad subiectum, in quo sustentetur, nec ne, non secundum, quia tunc esset substantia, non accidens, si primum ergo intrinsecè, & secundum propriam entitatem erit accidens, & sic ab eadem entitate sume ur gradus genericus, & specificus. Verùm licet hæc impugnatio rectè procedat in sententia negante in vniuersum pluralitatem formarum in composito, tamen in nostra eam admittente in viuentibus patitur instantiam, quia sic etiam argui posset, quod homo non sit essentialiter, ac quidditatiuè corpus, si non est corpus per eandem prorsus formam, per quam est homo, sed per aliam diuersam; atque ideò illa responsio potius impugnari debet probando, quod accidens non sit ens compositum ex materia, & forma, sed forma simplex ex Doct. 8. Met. qnæst. 1. & Ant. And. ibidem q. 5. adhuc tamen in proposito impugnari potest instantia adducta de pluralitate formarum in viuentibus, quia ibi distincta productione, & à distinctis actionibus in homine producitur corpus, & anima; & rursus distinctio interitu corrumpuntur, & desinunt, & anima recedente, adhuc remanet corpus, vndè à posteriori concludimus ibi pluralitatem formarum in compositis animatis; quod quidem in accidentibus non cernitur, quoniam vnica productione ponuntur in esse accidentis secundum omnia sua prædicata, & pariter vnico interitu dilabuntur, & ideò oppositum in ipsis concludere debemus.

190 Secundò principaliter contra hanc opinionem militant argumenta, quæ contra nos facit Aureolus, quia si gradus genericus esset realiter distinctus à differentijs, tunc transmutari posset de vna differentia specifica in aliam, quia quando res potentialis, & prior respicit plures actualitates oppositas, potest illam saltim Deus de vna transmutare in aliam, vt constat de materia habente potentiam ad oppositas formas, non enim alia ratione materia sub formis transmutari potest, nisi quia respectu illarum se habet vt potentia, & ab eisdem realiter distinguitur, vt satis de se patet, & ratio huius est, quia omnis realitas absoluta prior alia, & ab ea realiter distincta, potest separari ab illa, quia non dependet ab illa, vt Doctor ipse concedit 2. d. 12. q. 2. at dari genus sine differentijs prorsus implicat 2. Met. cap. 16. & 3. Met. cap. 5. tum quia sequeretur, quod animalitas hominis potest fieri animalitas leonis, & posset perire rationalitas absque eo, quod periret animalitas; sic etiam eadem prorsus entitas generica accidentis modò fieret calor, modò frigus recipiendo successiuè hanc vel illam differentiam, & sic etiam posset corrumpi ratio albedinis remanente ratione coloris; & quidem hæc consequentia patet, posita enim reali distinctione inter hos gradus sequitur vnum gradum essentialem posse produci, & corrumpi sine alio, quemadmodum destrui potest forma, seu figura non destructa materia, seu quantitate, & in nostra sententia destruitur anima remanente corpore pro altera parte compositi. Tum quia tunc vnusquisq; gradus distincta actione ab alio produceretur, sicut formæ à quibus desumuntur, & sic accidens, anima rationalis, & angelus pluribus actionibus producerentur, & similiter distinctis corruptionibus desinerent, vt constat de anima, & forma corporeitatis. Tum tandem quia quicquid est à parte rei ab alio realiter distinctum debet esse in aliqua specie determinata completa, vel saltim incompleta, quemadmodum nos asserimus de corpore pro altera parte compositi in animatis, sed hoc dici nequit de gradibus prædicamentalibus superioribus, & inferioribus, siquidem gradus genericus nequit esse in specie infima.

191 Tertiò, Deindè ostendo etiam Aduersarios plura prædicata Metaphysica ab eadem entitate physica auspicari, nam si iuxta diuersitatem prædicatorum, quæ igni v.g. conueniunt, multiplicari debent entitates, & formæ; certum est huiusmodi formas debere esse subinuicem subordinatas per modum actus, & potentiæ, vt constituant essentiam ignis per se vnam, alioquin ex eis non fieret vnum per se; ergo in materia ignis forma quæ dat primum gradum generi cum v.gr. substantiæ est actus substantialis respectu materiæ, quam informat; quia verò vniri debet cum alia forma, quæ dat gradum inferiorem, scilicet corporis, opus est vt respectu illius habeat rationem potentiæ, alioquin cum ea non faceret vnum per se, ergo iam in eadem forma, ac physica entitate geminantur, & purificantur gradus essentiæ, nempe ratio substantiæ, ratio actus, & ratio potentiæ. Quod si dicas etiam iuxta hos gradus formas physicas plurificari debere; planè vel dabitur processus in infinitum, vel tandem ad aliquam entitatem deueniendum, quæ simul sit actus, & potentia. Imò hoc idem argumentum de materia prima ipsius ignis vrgeri poterit, quia ipsa est ens, est substantia, & essentialiter potentia, hæcque omnia prædicata includit, vt est subiectum primum illarum formarum; ergo iam plura prædicata in ipsa materia prima sumuntur ab eadem physica entitate. Quod si rursus dicas etiam iuxta hos gradus formas physicas plurificari debere, ergo illa entitas non erit materia prima, primumque subiectum omnium formarum, sed alia anterior entitas de qua rursus idem poterit fieri argumentum, & sic vel in infinitum abibimus, vel tandem erit in aliqua entitate sistendum, quæ secundum se sit ens, & substantia, & primum subiectum omnium formarum.

192 Quartò tandem, & est quasi ratio à priori, non repugnat plura prædicata in vnam integram entitatem coadunari, & identificari, ergo non necessariò diuersitas prædicatorum arguit diuersitatem formarum, vndè sumantur. Probatur assumptum, quia in Deo plures perfectiones in vnam simplicissimam entitatem coadunantur, & ab eadem plura, ac diuersa prædicata sumuntur. Dices ibi coadunari in eandem entitatem ob eius infinitam perfectionem, ratione cuius habet Deus, vt realiter, ac identicè includat quicquid sibi conuenit, vt Scot. ostendit quol. 5. quare in creaturis ratione limitationis ad fundanda plura, ac diuersa prædicata, necessaria erit formarum pluralitas. Contrà, quia non est repugnantia ex parte prædicatorum, vt important diuersas, perfectiones, neque ex eo quod sint rationes limitatæ, ergo ex nullo capite est repugnantia. Probatur assumptum quoad secundam partem, nam quoad primam satis de se patet, quia vt notat Doctor 1. d. 8. q. 4, ad 1. prin. & 2. d. 3. q. 6. sub L. quamuis limitatio impediat ne gradus superior, & inferior in vnam coeant entitatem, si secundum se præcisè spectentur; non tamen obstat, quin possint conuenire simul in aliquo tertio constituto essentialiter per ipsos, & sic ratione tertij inter se realiter identificari iuxtà illam regulam, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se ratione illius tertij; quod autem hoc sit possibile probatur, hæc enim prædicata, quæ se habent, vt superius, & inferius, sunt inter se subordinata in ordine ad vnam essentiam, & habent inter se essentialem connexionem, ita quod vnum est contractiuum alterius intrà idem genus, vt ambo simul tertium quoddam constituant, ergo omnia illa prædicata identificantur in eadem entitate, quam integrant, & constituunt. Probatur consequentia, quia vt ex Doctore colligitur 2. d. 12. q. 2. ad 1. hoc interest inter compositionem physicam, & metaphysicam, quod partes physicæ cum sint res, & res, & veræ, ac propriæ causæ respectu compositi physici, non identificantur cum ipso, atque ideò non vniuntur ad eius constitutionem vnitate identitatis, sed sola vnitate vnionis; sed gradus metaphysici actualis, & potentialis, quia non important res, sed eisdem rei realitates, neque per physicam causalitatem totum constituunt, sed metaphysicam, vniuntur adinuicem ad eius constitutionem non solum vnitate vnionis, sed etiam vnitate identitatis, vt loquitur Doctor; quam etiam disparitatem inter partes physicas, & partes metaphysicas in ordine ad sua tota constituenda notauit Tatar. 2. d. 3. qu. 6. in solutione primi principalis in quadam dubitatione, quam in eius fine proponit.

193 Confirmatur adhuc, declaratur totus iste discursus ex mirabili doctrina, quam docet Scot. cit. 2. d. 3. q. 6. lit. K. & L. ad declarandam compositionem metaphysicam, ait enim, quod quodlibet commune, & tamen determinabile adhuc potest distingui quantumcunq; sit vna res in plures realitates formaliter distinctas, quarum hæc formaliter non est illa, sed hæc est formaliter entitas singularis (loquitur enim de differentia individuali, quam inibi vestigare conatur) & illa est entitas naturæ formaliter, nec possunt istæ duæ realitates esse res, & res, sicut possunt esse realitas, vndè accipitur genus, & realitas vndè accipitur differetia, sed semper sunt realitates eiusdè rei formaliter distinctæ; & istę realitates simul vnitę faciunt cōpositionē, quia illa realitas a qua accipitur differentia specifica potētialis est respectu huius realitatis, a qua accipitur differētia individualis, sicut si essent res, & res, nō

enim

enim realitas specifica ex se habet, vndè per identitatem includat realitatem individualem, sed tantùm aliquod tertium includit ambo ista per identitatem. Et hæc est talis compositio, qualis non potest stare cum simplicitate diuina, illa enim non tantùm non compatitur compositionem rei, & rei actualis, & potentialis, sed nec realitatis actualis cum realitate potentiali, comparando enim quodcunque essentiale ad quodcunque essentiale in diuinis est formaliter infinitum, & ideò ex se habet, vndè per identitatem includat quodcunque quod potest secum esse, & non sunt præcisè illa extrema eadem perfectè, quia aliquid tertium includit vtrumque perfectè, sed in proposito nec entitas specifica includit per identitatem entitatem individualem, nec è conuersò, sed aliquid tertium tantùm cuius ista ambo quasi sunt primò per se partes, includit ambo ista per identitatem, & ità tollitur compositio perfectissima, quæ est ex re, & re, non tamen omnis, vniuersaliter enim quæcunque natura non est de se hæc, sed determinabilis ad essendum hæc, siue determinetur per aliam rem, quod est impossibile in quocunque, siue per aliam realitatem, non est simpliciter simplex; ita discurrit Doctor loc. cit. quibus verbis innuit posse plura prædicata metaphysica desumi ab eadem re, ac entitate physica, licèt secundum aliam, & aliam realitatem in eadem physica entitate per identitatem imbibitas, & immersas, quarum vna est potentialis, & alia actualis, & à prima sumitur ratio generis, ab alia verò ratio differentiæ; itaque eadem physica entitas, & natura v.gr. humanitas, licet sit vna entitas physicè, est tamen metaphysicè multiplex, quia vnitiuè, & identicè plures in se continet realitates, & ratione hujus multiplicitatis possunt plura, ac diuersa desumi prædicata; operosius fortè, quam res exigeret, hanc conclusionem probaui, cum ab omnibus sit recepta; at tota hæc doctrina necessaria fuit, quia licet ab omnibus recipiatur, non tamen eodem modo ab omnibus probatur, & explicatur, quia Thomistæ prædicata essentialia nec penes multitudinem rerum, nec penes pluralitatem realitatum, quas putant figmenta Scoti, attendere volunt; sed illa desumunt ex eadem penitus simplici entitate physica rei, solùm fundamentaliter, & virtualiter multiplici; tum etiam quia ex Thomistis quam plures, imò & ex nostris ad hanc conclusionem probandam inducunt rationes quasdam, quæ faciunt etiam contra pluralitatem formarum in viuentibus, & ideò opus fuit tales adducere rationes, quę conclusionem positam stabilirent, & pluralitatem formarum in composito minimè infirmarent. Alias rationes ad idem vide infrà disp. 9. quæst. 2. num. 30. vbi specialiter probatur naturam communem à singularitate non distingui realiter.

194 In oppositum objicitur, Primò auctoritate Arist. qui 2. Met. cap. 2. ex eo offendit non dari processum in infinitum in causis formalibus, quia non datur in prædicatis quidditatiuis, ergo iuxtà hæc prædicata multiplicantur formæ. Item 7. Met. cap. de definitione inquit parte definitionis nempe genus, & differentiam correspondere semper partibus definiti igitur generi respondet alia pars definiti ab ea, quæ respondet differentiæ. Denique 7. & 8. Met. non semel docet genus sumi à materia, & differentiam à forma, ergo sumuntur semper à diuersis partibus.

Respond. ad 1. negando consequentiam, quia vt ibi exponit Auer. intentio Arist. est probare, quod si darentur infinitæ formæ, infinita quoque forent prædicata quidditatiua, quia ad minus ex quacunque forma vnum sumeretur prædicatum, atque ideò excludendo infinitatem prædicatorum, excludit consequenter infinitatem formarum, non autem intendit, quod tot sint formæ, quot prædicata quidditatiua. Vel si cum alijs dicatur argumentum Aristot. ibi procedere à maiori ad minus, probans quod si non datur processus in infinitum in prædicatis quidditatiuis, quæ multò plura sunt, quàm formæ physicæ, multò minus dabitur in causis formalibus, quarum vna quæque plura continet prædicata, quo pacto explicata auctoritas potius est pro nobis. Ad 2. minimè opus esse genus & differentiam sumi semper ex diuersis partibus physicis, quia non omne definitum tales habet, vt constat de Angelo; & accidente, vndè auctoritas illa accomodatè intelligi debet, quod si definitio est physica, correspondeant partes physicæ definiti, vt cum homo dicitur esse ens compositum ex anima, & corpore; si verò est metaphysica correspondeant partes metaphysicæ nempe realitas potentialis, vndè sumatur genus, & realitas actualis eiusdem naturæ, vndè sumatur differentia, ita explicat Doctor q. 16. vniuers. & 7. Met. quæst. 19. & 1. d. 3. quæst. 3. O. & 2. d. 3. quæst. 6. G. & alibi sæpè. Ad 3. eodem modo respondet Doctor genus sumi à materia, & differentiam a forma, non quidem propriè, quia id nequit habere locum in rebus materia, & forma carentibus, sed per quandam proportionem compositi metaphysici, vt nos ex professo explicuimus disputat. 5. log. quæst. 3. articul. 2. §. *Sed ad maiorem compositionis metaphysicæ notitiam.*

195 Deinde instant rationibus quia idem nequit esse simile, & dissimile alicui secundum eadem formam, sed homo secundum esse animalis est similis brutis, & dissimilis secundum esse rationale, ergo &c. Tum 2. quia si per eandem formam homo est homo, & est animal, tunc quodlibet brutum erit risibile, quia risibilitas conuenit homini per eandem formam, per quam est animal, & quod inest homini, quatenus animal, conuenit etiam omnibus brutis. Tum 3. diuersa quod quid est sunt diuersæ formæ, nam quod quid est forma 7. Metaph. sed in quolibet contento suo genere sunt diuersa quod quid est, ergo &c. Tum 4. si in homine non ponitur forma physica, scilicet anima sensitiua, à qua dicatur animal, distincta ab illa, à qua dicitur homo, destruitur vniuocatio hominis cum brutis in esse animalis. Tum 5. ex diuersitate operationum colligimus diuersitatem formarum, sed diuersis gradibus essentialibus correspondent diuersæ passiones, aut operationes v. g. Petro quatenus est substantia conuenit per se existere, quatenus est corpus conuenit extendi, quatenus est viuens conuenit vegetare, quatenus animal conuenit sentire, & quatenus homo conuenit discurrere, ergo distinctæ sunt formæ substantiales, iuxta distinctos gradus essentiales. Tum tandem, quia vnica forma dat vnicum esse, ergo plura esse à pluribus formis.

Resp. hæc & similia argumenta vel non concludere, vel pariter concludere in angelis, & accidentibus alijsque formis simplicibus, nam etiam albedo secundum esse albedinis differt à nigredine, & tamen ipsa conuenit secundum esse coloris; dicendum igitur in eadem physica entitate fundari posse plurium conuenientiam, & disconuentiam secundum plures realitates in ea identificatas, quarum vna est communior altera, & sic homo per ipsam animam rationalem conuenit cum brutis secundum gradum sensitiuum, differt ab eis secundum gradum intellectiuum, vt dictum est disputat. 1. de anim. qu. 8. vbi declaratum est, quo pacto anima rationalis in se continet vegetatiuam, & sensitiuam. Ad 2. posset per idem probari nigredini competere esse disgregatiuum visus, si per eandem formam albedo est albedo, & color, itaque negatur conseq. quia licet risibilitas conueniat homini per eandem formam, per quam est animal, non tamen per eandem eiusdem formæ realitatem, sed formaliter diuersam, nam anima rationalis dat esse animal secundum gradum sensitiuum, dat esse risibile secundum intellectiuum. Ad 3. quod quid est non semper importat diuersas formas physicas, sed vel diuersas formas, vel diuersas formalitates eiusdem formæ, & in hoc sensu diuersa prædicata quidditatiua dicunt diuersa quodquidest. Ad 4. negatur consequentia, quia ad vniuocationem metaphysicam, *qualis* est vniuocatio animalis ad hominem, & bruta, opus non est dari aliquam formam realem physicè, & realiter participatam ab omnibus; hoc enim est proprium physicè vniuocationis; sed sufficit vt homo habeat aliquam formam, diuersos gradus habentem genericum, scilicet, & specificum, & secundum gradum genericum valeat fundare vniuocationem, & conuenientiam cum brutis, nempe secundum gradum sensitiuum in anima rationali identicè contentum. Ad 5. diximus disput. 1. de anim. num. 90. falsum est ex diuersitate operationum colligi semper diuersitatem formarum, quia eadem anima per diuersas facultates intelligit, & vult, eadem voluntas amat, & odio habet, non ergo ex diuersitate operationum benè deducitur diuersitas formarum, nisi diuersitas operationum talis sit, quod arguat diuersitatem integri esse physici, quo aliqua completa forma constituatur; quod tunc euenit, quando operationes illæ fundantur in gradibus ita diuersis, vt sint in eadem entitate physica incompossibiles; itaque hæc regula seruari poterit, vt benè ex diuersitate operationum deducatur diuersitas formarum; quando operationes sunt disparatæ, & in diuersis subiectis, vt discurrere in homine, hinnire in equo, calefacere in igne, tunc arguendum istas, & alias huiusmodi operationes à diuersis substantialibus formis prodire; sed quando passiones, & operationes sunt in vno, & eodem subiecto, ac inter se connexæ, & subordinatæ iuxta coordinationem generum, specierum, ac differentiarum, tunc non oportet multiplicare formas, sed eadem forma prodire possunt secundum diuersos gradus, vel facultates. Ad vlt. ait Doct. 4. d. 11. q. 3. §. *Ad rationes*, quod vnica forma dat vnicum esse completum, specificum, & vltimatum; sed adhuc dare potest plura esse incompleta, generica, & inuicem subordinata secundum diuersos gradus.

ARTICVLVS II.

Gradus metaphysici prædicamentales non sola ratione distinguuntur, sed media distinctione inter realem, & rationis.

196 Conclusio huius articuli est Scoti 1. d. 8. quæst. 3. §. *tenet opinionem meam mediam*, & 2. d. 3. quæst. 1. & 6. vbi omnes eius expositores, & 7. Metaph. quæst. 13. & 16. & 19. quem sequuntur Scotistæ omnes supracit. ex cæteris verò Amicus tract. 4. log. quæst. 3. dub. 4. art. 3. Fonsec. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 3. & 5. Metaph. cap. 7. quæst. 3. sect. 3. & Ferrar. 1. contra gentes cap. 24. & 42. cæterum ad probationem huius conclusionis sobriè, & cautè procedendum est, sicut enim in probanda conclusione præcedentis articuli periculum erat, ne inducerentur rationes informantes pluralitatem formarum etiam in viuentibus, in quibus eam admittit Doctor; ita periculum est in probanda hac conclusione, ne rationes afferantur, quæ distinctionem formalem ex natura rei mediam inter realem, & rationis astruant, nedum inter gradus metaphysicos prædicamentales, vt hic probare intendimus, sed etiam inter transcendentales; licet igitur à Scotistis soleat diuersis vijs hæc conclusio demonstrari; non tamen omnibus vtar, sed illis tantum quæ id præcisè valeant demonstrare de gradibus prædicamentalibus; alias vero quæ promiscuè de omnibus probare videntur, tam prædicamentalibus, quam transcendentibus reijciam, vt ineptas, & inutiles, quia transcen-

scendentes non tanta distinctione distinguuntur, nec sunt abinuicem præcisis ex natura rei actualiter in ratione actualis, & potentialis ob eorum maximam transcendentiam ex dictis disputat. 2. quæst. 4. &c.

197 Primò itaque probatur conclusio ex via metaphysicę compositionis, quæ resultat ex gradu generico, & differentiali, quæ talis est quod Deo repugnat, ob eius summam simplicitatem, atque ideò est aliquo modo realis, & non rationis tantùm; ergo gradus illi pluscuam ratione distinguuntur, consequentia patet, quia sine distinctione saltim ex natura rei compositio vera, & à parte rei intelligi nequit, quia compositio nil aliud est, quam distinctorum vnio per modum actus, & potentiæ; assumptum verò probatum est ex professo disput. 4. log. quæst. 3. art. 2. Respondet Suarez disput. 6. Metaph. sect. 9. num. 10. & cum eo cæteri Recentiores repugnare quidem Deo hanc compositionem ob summam eius simplicitatem, quia genus se habet, vt quid potentiale, & perfectibile cum fundamento in re, differentia, vt quid actuale, & perfectiuum, & genus est determinatæ perfectionis, ideoque potens à differentia vlteriorem perfectionem recipere; adhæc tamen Suarez non propter solam simplicitatem compositionem hanc Deo repugnare, sed etiam ratione illimitationis, & eminentiæ diuinæ, nam in primis, ob hanc causam non potest habere conuenientiam vniuocam cum creatura, & consequenter nec genericam; deinde non potest in Deo aliqua ratio communis ita abstrahi, & præscindi, vt non includatur in qualibet ratione propria, & particulari propter summam Dei illimitationem, & simplicitatem, quod etiam repugnat compositioni generis, & differentiæ. Addit Arriag. etiam in Deo iuxta Scoti mentem debere admitti hanc compositionem, quia etiam in Deo sunt prædicata communia, & particularia. Et tandem addit Ouuied. Scotistas hic non consequenter loqui, quia asserunt speciem realiter componi ex genere, & differentia propter distinctionem formalem, & negant dari in Deo realem compositionem essentiæ, ac attributorum, etiamsi hæc ab essentia ex natura rei formaliter distinguantur, si enim distinctio illa formalis sufficiens est in specie ad realem compositionem, cur eadem distinctio formalis ad similem compositionem in Deo sufficiens non erit?

Hæc tamen solutio loc. cit. in logica fusè est impugnata, & nunc denuò reijcitur ostendendo compositionem metaphysicam ex genere & differentia Deo præsertim repugnare ob summam eius simplicitatem; non enim repugnat, quia Deus conuenientiam vniuocam cum creatura habere nequeat, nam talem conuenientiam habere possecum ea in prædicatis transcendentibus ostensum est disp. 2. neque quia in Deo præscindi nequeat ratio communis, quæ non includatur in qualibet ratione propria, & particulari, quia oppositum quoque ibi ostensum est, tum quia si talis inclusio, vt ait Suarez, repugnat compositioni generis, & differentiæ, ergo hæc non erit compositio ex solis conceptibus, sed aliquo modo etiam à parte rei alioquin Deo non repugnaret; remanet ergo quod Deo repugnet ob summam eius simplicitatem, ex quo consequenter deducitur esse compositionem aliquo pacto realem, vel ex natura rei, quia si esset sola compositio rationis non repugnaret Deo, quia hæc non lædit summam simplicitatem. Dices compositionem rationis, quando est cum fundamento in re, non stare cum summa simplicitate, talem autem esse istam. Contra, quia vt fatetur Suarez, compositio etiam rationis cum fundamento in re talis est compositio propriè sit tantum in conceptibus obiectiuis, in re verò solum per extrinsecam denominationem à conceptibus mentis, ergo à parte rei, & in re remanet simplicitas, & nulla ponitur compositio, ergo si compositio ex genere, & differentia non ponitur ex natura rei actualis, sed rationis cum fundamento in re poterit etiam in Deo reponi. Tum quia etiam Deus resolui potest in conceptum communem, & proprium saltim ab intellectu rem inadæquatè concipiente cum fundamento in re, ergo vel compositio metaphysica ex genere, & differentia Deo non repugnat, vel si repugnat, vtique maior erit, quam compositio rationis cum fundamento in re; assumptum probatum est disputat. 2. & Suarez ipse quoque tenetur admittere, qui admittit vnitatem, & communitatem conceptus entis ad Deum, & creaturam, licet minus consequenter neget vniuocationem, vt ibi ostensum est. Neque verum est, quod dicebat Arriag. iuxta Scoti mentem admitti debere in Deo hanc compositionem, quia etiamsi in Deo admittat prædicata communia, & particularia, non tamen cum præcisione, & distinctione ex natura rei, vt sunt in creaturis, vt ostensum est disput. 2. quæst. 4. & 5. benè tamen instantia tenet contra Scotistas tenentes præcisionem conceptuentis ex natura rei, imò ex hoc capite contra eos loc. cit. arguebamus, quod si ens in Deo diceret realitatem per vnum adæquatum conceptum expressibilem sequeretur compositio in Deo. Nec etiam verum est, quod dicebat Ouuied. Scotistas asserere compositionem ex genere, & differentia esse quoquo modo realem ob distinctionem formalem generis, & differentiæ, quia si hæc esset ratio præcisa sanè valeret instantia; seu ratio est, quia licet realitates generis, & differentiæ sint idem realiter, & solum distinctæ ex natura rei formaliter, tamen earum realis identitas non est summa, & perfecta, qualis est identitas essentiæ cum attributis in diuinis, sed est identitas redundans in eas ex vnione earum in tertio, à quo si abstrahantur, non sunt idem realiter, vt notat Doctor 1. d. 8. quæst. 3. infra I. & 2. d. 3. quæst. 6. propè finem; ex quo fit realitatem genericam, vt præcedit differentialem esse verè potentialem ad illam, & perfectibilem per illam, & consequenter facere cum ea veram compositionem metaphysicam, & talem quæ nullo pacto reperiri potest in Deo, vbi quantumcumque essentia distinguatur ex natura rei formaliter attributis, ac attributa inter se, vnum tamen dici nequit potentiale ad aliud ob summam realem identitatem eorum ex infinitate diuinæ essentiæ, ac etiam ipsorum originatam, vnde nullus relinquitur potentialitati locus, quia nihil est in potentia ad seipsum; pro quo vide dicta disp. 5. cit. Logic. qu. 3. art. 2. soluendo secundum argumentum, quod erat Ocham, et totam illam quæstionem, vbi ex professo actum est de compositione metaphysica ex genere, ac differentia.

198 Secunda ratio deducitur ex ordine seruato inter hos gradus metaphysicos, & sic arguitur, inter quæ est ordo ex natura rei, inter ea est distinctio ex natura rei, sed inter gradus Metaphysicos superiorem, & inferiorem est ordo ex natura rei, ergo etiam consimilis distinctio. Maior probatur ex Scoto quol. 1. art. 2. quia ordo requirit distinctionem inter extrema, nihil enim ad seipsum ordinatur, & qualis est ordo, talis est distinctio, si ordo est rationis, distinctio quoque rationis erit, si ordo est à parte rei, pariter, & distinctio; probatur minor, quia essentialiter subordinantur gradus superior, et inferior in ratione determinatiui, et determinabilis, et inter illos est prioritas nedum secundum ordinem, sed etiam secundum fusistendi consequentiam, nam ab inferiori ad superius consequentia tenet affirmatiuè, si homo est, animal est, sed non è contra. Respondent aliqui negando minorem cum sua probatione, quia subordinatio in serie prædicamentali inter gradum superiorem, et inferiorem non est, nisi per intellectum, nam à parte rei Petrus v.g. est vna simplex entitas, in quo plures concipiuntur gradus superiores, vel inferiores secundum quod conuenit essentialiter cum pluribus, vel paucioribus. Contra, quia in hac solutione, si benè perpendatur commixtitur manifesta petitio principij, quia in ea fine vlla probatione assertur, quod controuertitur, entitatem scilicet Petri esse omninò simplicem à parte rei sine graduum distinctione, et multiplicitate ex natura rei; tum quia in entitate Petri includitur gradus substantiæ corporis, animalis hominis, et Petreitatis, qui gradus ita se habent, vt priores semper esse possint sine posterioribus non è contra, et hoc quidem ex natura sua, et absque vlla intellectus fictione, nam potest esse substantia sine animalitate, et hæc sine humanitate, et rursus hæc sine Petreitate, non è contra, ergo re vera inter eos est essentialis subordinatio, et prioritas secundum subsistendi consequentiam.

Respondent alij vtique talem ordinem prioris, et posterioris de facto inter gradus prædicamentales reperiri citrà omnem intellectus operationem, non tamen hunc ordinem eis ex eorum natura conuenire, sed omninò ab extrinseco ex decreto diuinæ voluntatis, quæ modò res ita disposuit, quia dispositione sublata vnus non est prior, aut posterior alio, neque hic est magis vnibilis cum isto, quam cum illo, sed omninò indifferèter se habent ad varias prædicatorum combinationes constituendas. Sed præterquamquod etiamsi ita dicatur hic ordo inter gradus esse à parte rei, et citrà operationem intellectus sufficit ad inducendam inter eos distinctionem ex natura rei, quam prætendimus; adhuc tamen omninò falsum est hunc ordinem inter gradus prædicamentales seruatum prioris, et posterioris, determinabilis, et determinatiui ab extrinseco prorsus oriri, & non potius ex intrinseca eorum natura, & exigentia, vt benè probat Pasqualig. citat. sect. 3. (etiamsi postea neget hinc rectè deduci distinctionem inter gradus ex natura rei (quidem res adeò clara est, vt ferè probatione non egeat, quamuis enim rerum existentiæ vtique à decreto diuinæ voluntatis pendeant, quæ est prima regula contingentium, vt docet Doctor 1. d. 38. & 39. essentiæ tamen rerum quoad suorum prædicatorum combinationes præcedunt quodcunque diuinæ voluntatis decretum, & talem, vel talem habent prædicatorum connexionem ex seipsis in genere causæ formalis, & principatiuè ab intellectu diuino, seu ex diuinis idæis, quæ sunt essentiarum moduli, & mensuræ, vt dictum est supra numer. 38. & 66. ex eodem Doctore 1. d. 43. neque enim homo est animal rationale, angelus substantia incorporea, quia sic Deo placuit, & diuina voluntas ita determinauit, sed quia talis est earum naturarum exigentia, atque ita postulat diuinarum idearum exemplar, ad quarum imitationem postea efformantur in tempore. Tù quia ablato hoc rerum ordine, quem Deus de facto instituit, vel rerum gradus propriam retinerent formalitatem, vel non; animalitas nempe, & rationalitas; si non, non amplius datur propositæ quæstioni locus, quæ mouetur de istis gradibus, quæ modò humanitatem constituunt; si sic, ergo data hypotesi eundem adhuc retinebunt ordinem prioris, & posterioris, determinatiui, & determinabilis, quia talis ordo ex earum procedit formalitatibus sic inter se se habentibus. Tum quia vnus gradus dicitur prior vel posterior alio, quia vel se habet per modum partis potentialis, vel actualis, talis enim ordo prioris, & posterioris fundatur in ratione actus, & potentiæ; sed data quacunque hypothesi nequit ab his gradibus tolli ratio actualis, & potentialis, ergo &c. probatur minor, quia ex intrinseca eorum natura habent, quod vnus sit actus, alter verò potentia, & ideò vnus dicitur per se actus, alter per se potètia, quod si ab extrinseco præcisè hanc conditionè haberent actus & potentiæ, tùc essent per accidens actus, & per accidens potentia, & ita non fieret ex eis per se vnù. Tum tandè quia si ordo præfatus gradibus non cõuenit ex intrinseca eorum exigentia, sed omninò ab extrinseco, & per accidens, scientia non erit amplius certa, & de rebus necessa-

cessarijs, quæ aliter se habere non possunt, probatur consequentia, quia certitudo, & necessitas scientificæ cognitionis fundatur in necessaria prædicatorum connexione, hæc autem saluari nequit, nisi gradus essentiæ inter se connectantur ab intrinseco, & ex natura sua; videatur Pasqualig. citatus, vbi id fusè probat, & nonnulla soluit argumenta in oppositum.

199 Respondent proinde alij, quibus subscribit ipse Pasqualig. vtique præfatum ordinem prioris; & posterioris gradibus conuenire ex natura rei, & non mere ab extrinseco, & ex diuinæ voluntatis decreto, hinc tamen deduci non posse distinctionem inter eos ex natura rei actualem, sed tantum virtualem, quia nec ille ordo omninò est actualis à parte rei, sed fundamentalis, quatenus fundamentum habet in re, ratione cuius debet intellectus hunc gradum, qui est principium conueniendi cum pluribus, vt potentialem, illum verò, qui est principium differendi, vt actualem, & determinantem concipere. Sed Contrà, nam stante tali fundamento, & exigentia à parte rei, vt animalitas concipiatur per modum gradus potentialis, & rationalitas per modum actualis, ac determinantis, peto an intellectus possit talem inuertere ordinem, nec ne; si primum ergo talis ordo non est cum fundamento in re, quia per fundamentum in re intelligitur motiuum, seu occasio necessitans intellectum ad sic, vel sic concipiendum, & non alio modo; si secundum, ergo illi conceptus supponunt realitates à parte rei formaliter distinctas, & sic inter se ordinabiles, & non vnam tantùm inadæquatè conceptam, quia ordo requirit distinctionem inter extrema innicem ordinata, nihil enim ad seipsum omninò ordinatur, & qualis est ordo, talis est distinctio, cum igitur ordo sit ex rei ipsius exigentia præfixus; non immutabilis ab intellectu, distinctio quoque erit ex natura rei actualis, & non virtualis tantum. Dices, hinc sequi etiam in Deo dari hanc graduum distinctionem, quia ibi quoque datur hæc subordinatio, & prioritas, secundum subsistendi consequentiam, nam valet dicere, Deus est, ergo ens est, non tamen è contra, est ens, ergo Deus. Contra, quia prioritas graduum communium prædicamentalium secundum subsistendi consequentiam respectu inferiorum non est mera prioritas logica, sicut in Deo, sed vera, & propria naturæ prioritas, quia habent rationem partis potentialis compositi metaphysici, & pars constitutiua præcedit saltim natura suum constitutum, Deus autem est simplicissima omninò entitas, & omnium prorsus prima; tum quia gradus communis in creatura importat veram potentialitatem, & communitatem in ordine ad plura, at non ita est de prædicatis transcendentibus etiam Deo communibus, qui nec communitatem, nec potentialitatem important, nisi per nostrum concipiendi modum, cum aliquo fundamento in re, vt plenè probatum est disputat. 2. assumptum verò plenè etiam ostendetur disputat. sequenti.

200 Tertia ratio deducitur ex via contradictionis, quæ semper aliquam infert distinctionem, iuxta gradum, & conditionem suam, vt explicatum est supra num. 139. & fusius adhuc disputat. 1. Log. quæst. 5. artic. 2. siquidem impossibile est de eodem secundum idem contradictoria verificari; ex hac, inquam, via sic arguitur, animalitas in homine est ratio conueniendi cum equo à parte rei, & rationalitas est ratio disconueniendi, sed impossibile est plura secundum vnam, & eandem rationem à parte rei simul conuenire, & disconuenire, ergo &c. Conf. animal in homine fundat realem similitudinem cum equo, rationale fundat realem dissimilitudinem cum eodem equo, sed idem respectu eiusdem non potest fundare realem similitudinem, & dissimilitudinem, ergo &c. Conf. tandem totus iste discursus ex Arist. 5. Met. text. 20. vbi hac ratione dixit similitudinem, & conuenientiam fundari super vnum, distinctionem verò, & dissimilitudinem super multa, idest super diuersas rationes; vt ostenderet plura non posse simul conuenire, & disconuenire secundum eandem omninò rationem.

Respondent Recentiores passim posse plura per eandem simplicem entitatem, dummodò inadæquatè conceptam, conuenire, & disconuenire, sic enim Deus, & creatura conueniunt, & disconueniunt, nec tamen in Deo distinguuntur plures gradus ex natura rei, quibus conueniant, & disconueniant, quia gradus entis, & substantiæ in Deo, quo conuenit cum creaturis, non est natura rei præcisus ab alijs particularibus; quibus differt; sic etiam hæcceitas Petri similis est, ac dissimilis hæccèitati Pauli, similis quidem, quia ambæ faciunt suum individuum vltimò differre ab alio, dissimilis verò, quia hæc non est illa, vnde dicuntur primò diuersa, & tamen in eadem simplici hæccèitate non distinguuntur varij gradus, qui fundent similitudinem, & dissimilitudinem, quare concludunt solam sufficere distinctionem rationis inter rationem conueniendi, & disconueniendi, assimilandi, & dissimilandi. At hæc solutio facilè reijcitur, quia hæc conuenientia, & disconuenientia inter hominem, & equum ratione animalitatis, & rationalitatis non est per intellectum, sed prorsus à parte rei nullo cogitante intellectu, quia in gradu sentiendi conueniunt brutum, & homo actu à parte rei, & eodem modo differunt per gradum ratiocinandi; per quod excluduntur instantiæ in argumento allatæ; falsum enim est ita actu à parte rei Deum, & creaturam conuenire in gradu essendi, sic enim conueniunt fundamentaliter tantùm, & virtualiter, non autem actualiter, vt explicatum est disput. 2. à num. 87. & sic etiam dicendum de vltimis differentijs, quod à parte rei, & actu sunt primò diuersæ; & non actu conueniunt, nisi per intellectum eas inadæquatè concipientem, vt dictum est disp. 5. Log. quæst. 2. artic. 4. & rursus infra dicetur disp. sequ. pariter etiam similitudo reperta inter lis autem non est similitudo, quæ inuenitur inter Deum, & creaturam in ratione entis, & inter vltimas differentias in ratione faciendi vltimenti non labefactant.

201 Respondent alij ad contradictoria verificanda sufficere distinctionem virtualem, & similitudinem, ac dissimilitudinem fundari posse in vna entitate simplici, dummodò fundamentaliter, & virtualiter multiplici, quia prædicata contradictoria enunciantur de illa re, non quatenus vna, sed vt virtualiter multiplici. Hæc etiam responsio iam impugnata disput. 1. Log. quæst. 5. art. 2. §. *altera quoque solutio*, & disp. 9. Log. q. 1. art. 2. §. *quoad tertium*, cum enim prædicata illa contradictoria actu verificentur à parte rei de animalitate, & rationalitate, & non virtualiter, vel fundamentaliter tantum, sanè oportet earum distinctionem esse ex natura rei actualem, non autem virtualem, aut fundamentalem tantum; vt enim ibi probauimus, contradictio semper infert distinctionem eiusdem gradus, & conditionis cum ipsa, si est contradictio facta per intellectum infert solam distinctionem rationis; si verificatur à parte rei, infert pariter distinctionem à parte rei eo prorsus modo, quo ipsa verificatur à parte rei. Item illa similitudo, & dissimilitudo sunt relationes reales à parte rei, & actuales, ergo pariter earum fundamenta, vel rationes fundandi dari debent à parte rei & actu ex natura rei formaliter distingui, sicut relationes quas fundant. Tum quia res illa, de qua enunciantur contradictoria, licet sit virtualiter multiplex, tamen adhuc à parte rei est vna simplex entitas, & formalitas actualiter, sed contradictoria verificantur secundum id, quod actu est, & actu habet à parte rei, ergo de ipsa verificari nequeunt, vt est tantum virtualiter multiplex, sed actualiter etiam, & formaliter secundum diuersas formalitates in ipsa eadem re realiter identificatas. Dices rem illam vnicam, & simplicem fieri etiam actualiter, & formaliter multiplicem in esse obiectiuo, cum intellectus ex fundamento in re reperto considerat ex vna parte rationem conuenientiæ, & ex alia rationem disconuenientiæ, atque ita illam partitur quasi in duas formalitates obiectiuas. At contra est, quia veritas, & falsitas propositionum non est conuenientia, vel disconuenientia ipsarum cum re, vt habet esse obiectiuum, sed vt habet esse reale, & actuale à parte rei, ergo licet in esse obiectiuo res illa sit multiplex, si in esse reali est vna, iam de eodem contradictoria verificarentur. Et per hoc impugnatur etiam, quod ait Ouuied. supracit. num. 17. conuenientiam, & disconuenientiam inter hominem, & equum inuentam non esse realem, sed rationis; atque ideò solam rationis distinctionem sufficere inter animal, & rationale, vt fundent in ratione prædicati conuenientiam, & disconuenientiam hominis ab equo. Sed certè tam verum puto à parte rei, quod homo est diuersus ab equo, & citra quamcumque intellectus operationem, quam quod Sol est lucidus, & nix alba, imò est verius, quia propositio illa est in maiori gradu necessitatis, ergo falsum est animal, & rationale in ratione prædicati fundare dumtaxat conuenientiam, & disconuenientiam rationis.

202 Respondent alij apud Ouuied. hominem secundum se non esse similem, aut dissimilem equo, sed ratione operationum, quas habet, quibus immediatè similitudo, aut dissimilitudo conuenit, vnde iidem sequitur operationes ipsas esse inter se similes, vel dissimiles, non tantem hominem, & equum; quam solutionem etiam confirmat Ouuied. quia Arist. 5. Metaph. ait similitudinem, & dissimilitudinem fundari in qualitate, sicut æqualitatem, ac inæqualitatem in quantitate. Hæc solutio friuola est, quia homo secundum se, & immediatè præcindendo etiam ab actuali operatione est similis equo in hoc quod est posse sentire, & dissimilis in hoc, quod est posse ratiocinari, ergo non tantùm in ipsis operationibus est similitudo, & dissimilitudo, sed etiam in ipsis principijs operatiuis. Tum quia idem prorsus argumentum fieri potest de ipsis operationibus, nam sensatio v.g. hominis, & equi in ratione sensationis, vt sic, conueniunt, & assimilantur; discrepant verò, & sunt dissimiles in ratione talium, ergo varios habent gradus ex natura rei distinctos, per quos sunt similes, & dissimiles inter se illæ operationes. Nec vrget, quod dicebatur similitudinem, & dissimilitudinem fundari tantum in qualitatibus, hoc enim vtique verum est loquendo de similitudine, & dissimilitudine accidentali, non autem de substantiali, quæ consistit in vniformitate, vel differentiate naturæ, & alicuius prædicati substantialis, & propriè loquendo dicitur ab Aristot. 5. Metaph. capit. 15. identitas, & diuersitas, vbi ait vnitatem in substantia facere identitatem, sicut in qualitate facit similitudinem, & in quantitate, æqualitatem, & hæ relationes fundantur immediatè in substantia sicut illæ in quantitate, & qualitate ex dicta disputat. 8. Logic. quæst. 5. articul. 2.

203 Respondet Arriag. cit. subsec. 4. non repugnare in eadem physica entitate simplici, & indiuisibili fundari similitudinem, & dissimilitudinem vtriusque, sed omnimodam similitudinem cum omnimoda dissimilitudine, sic enim esse simile excludit esse dissimile ab eodem subiecto, sed aliqualis similitudo stat cum aliquali dissimilitudine, quod exemplo declarat, quia non opponitur calor non summus cum frigiditate non summa, componuntur enim calor vt quatuor, & frigus vt quatuor in eodem subiecto, non tamen calor summus cum aliquo frigoris gradu; sic igitur homo secundum eandem prorsus entitatem humanitatis physicè, & indiuisibiliter dicitur similis, & dissimilis equo,

æquo, quia non est summè similis æquo, sed aliquo modo similis, cum quo componi potest etiam aliqua dissimilitudo, quæ tantùm dicit hoc non esse summè simile. Hæc quoque solutio in solis verbis consistit, & contra eam sic argumentor, etiam aliqualis similitudo, & dissimilitudo in eodem subiecto requirunt distinctas ex natura rei rationes fundandi; ergo solutio non satisfacit, Probatur assumptum, tum quia rationes superius allatæ ita concludunt de partiali, sicut de totali similitudine, aut dissimilitudine, tum quia aqua tepida dicitur aliqualiter similis, & aliqualiter dissimilis aquæ in summo frigidæ, non tamen secundum eosdem gradus, sed secundum alios, & alios, nam dicitur similis secundum gradus frigoris, & dissimilis secundum gradus caloris, quos habet cum illis permixtos; vndè benè notauit Quied. hoc ipsum exemplum ab Arriag. adductum suam responsionem destruere, quia in subiecto calido, vt quatuor, & frigido, vt quatuor dantur calor, & frigiditas qualitates distinctæ, à quibus subiectum calidum, & frigidum denominatur, & non potest idem subiectum secundum eandem formam ab alia indistinctam constitui secundum quid calidum, & secundùm quid frigidum; sic ergo erit in proposito dicendum, quod in eodè subiecto simili, ac dissimili ratio fundandi similitudinem sit ex natura rei distincta à ratione fundandi dissimilitudinè.

Respondet denique Quied. eandem entitatem, scilicet hominis respectu eiusdem termini, nimirum equi dici similem in ordine ad aliquas operationes, quas in se continet eiusdem rationis cum operationibus equi, & dissimilem in ordine ad alias operationes alterius rationis, vnde similitudo, & dissimilitudo desumitur in ordine ad operationes tanquam ad rationes fundandi, præcisis enim operationibus, & accidentibus similitudo in subsantis non reperitur. Hæc responsio euincitur cum allata, & impugnata num. 202. vnde ex ibi dictis satis constat eius falsitas; & falsum prorsus est, quod modo additur, operationes ipsas esse rationes fundandi similitudinem, & dissimilitudinem quatenus hominem, & equum reperitur quoad posse sic, vel si operatio; nam aliud est loqui de similitudine, & dissimilitudine, quæ versantur inter ipsas operationes, & aliud est loqui de illis quæ versantur inter principia earum operationum, operationes sunt vtique rationes fundandi illas relationes, prout ipsæ sunt inter se similes, vt sensatio equi, & hominis, vel dissimiles; vt equi hinnitus, & hominis discursus, non tamen sunt rationes fundandi illas relationes, prout principia denominant, sed ratio fundandi tales relationes in ipsis principijs operatiuis inter se similibus, vel diuersis intrinsecè reperitur; quare ad summum sequitur, solum extrinsecè & à posteriori similitudinem, & dissimilitudinem principiorum dignosci posse ab operationibus vt nobis notioribus.

204 Quarta ratio deducitur ex ipsa natura distinctionis ex natura rei formalis, quæ talis est, quod versatur inter formalitates, quæ licet secundum esse subiectiuum, & materiale in eadem re sint realiter identificatæ, adhuc tamen varijs definitionibus, & conceptibus quidditatiuis exprimuntur, vel vnum non includitur quidditatiuè in conceptu alterius, vt satis constat ex disp. sæpè cit. de Identitatibus, & distinctionibus tum in Logica, tum hic in Metaph. vbi sic explicuimus naturam, & conditionem huius mediæ distinctionis, prout secernitur à distinctione reali, & rationis propriè dictis; sed gradus metaphysici ita se habent in eadem re, & ita distinguuntur, ergo &c. probatur minor, nam si loquamur de gradu generico, & specificali constat eos habere diuersas prorsus definitiones, imò & oppositas, nec vnus quidditatiuè includit alterum, sed formaliter mutuò se excludunt, vt exprofesso probauimus disp. 5. log. quæst. 3. art. 3. si verò sit sermo de gradu generico, & specifico satis etiam constat diuersas habere definitiones, alia enim est hominis definitio, & alia animalis, & quamuis gradus superior, scilicet genericus quidditatiuè includatur in specifico, non tamen è contra, ergo omnes illi gradus distinguuntur inter se ex natura rei formaliter.

Respondent Recentiores definitione[m], cum fiat per actum intellectus, non explicare res secundum esse reale, & subiectiuum, quod habent à parte rei, sed tantum secundum esse obiectiuum, quod habent in intellectu, qui dum sua virtute præcisiua vnam formalitatem præscindit ab alia, quæ tamen in re non est præcisa, multiplicat formalitates obiectiuas in eadem re, & causat distinctionem formalem; & ita dicunt animal quod à parte rei est in homine, esse rationale, & in rationalitate includi, & è contra, & solum per intellectum distingui in suis conceptibus obiectiuis; & tandem inquiunt hanc solutionem à nobis quoq. amplecti debere, alioquin propositum argumentum æquè probaret de gradibus transcendentibus sicut de prædicamentalibus quia & illi distinctis conceptibus obiectiuis exprimuntur non secus, ac prædicamentales. Contra hoc est, quia vt dictum est in Logica, definitio exprimit naturam rei, prout est, non enim esse in intellectu dat rei rationem quidditatiuam, vt ait Doctor quol. 1. Q. & res diuersimodè definiuntur, quia diuersas habent naturas in seipsis, & non quia ab intellectu diuersimodè concipiantur, & per definitionem exprimitur esse rei quidditatiuum, & formale, non autem esse quod accipit per apprehensionem intellectus, & hoc præsertim verum est quando definitio datur per conceptum adæquatum, cui scilicet correspondet à parte rei propria realitas adæquatè per ipsum expressibilis, vt in proposito est de gradibus prædicamentalibus, qui proprias singuli important realitates per conceptus adæquatos expressibiles, per quod excluditur instantia de gradibus transcendentibus qui cum talem realitatem, non importent, hoc genere definitionis exprimi non possunt, quæ explicat totum id quod est à parte rei, sed tantum per conceptus inadæquatos, vt constat ex dictis disp. 2. ergo falsum est per definitionem datam per conceptum adæquatum non explicari esse subiectiuum rei, quod habet extra, sed tantum obiectiuum, quod habet in intellectu; & licet definitio fiat per actum intellectus, non hinc rectè deducitur, quod explicet formaliter aliquid intentionale, sed verè explicat id quod est à parte rei. Deinde falsum etiam omninò est animal, quod est in homine includi quidditatiuè in rationalitate, & è contra, quamuis enim animal, quod est in homine, vt est in homine, sit realiter coniunctum, & identificatum cum rationali, & è contra, non tamen est formaliter, & quidditatiuè rationale, itaque animal quod est in homine, est solum rationale per identitatem, & realem eius vnionem cum illa differentia in illo tertio, non autem per formalem inclusionem vnius in alio, nam si in conceptu essentiæ animalis includeretur rationale, non posset abstrahi ab illo. Tum quia si à parte rei in homine per eandem rationem constitueretur animal in esse animalis, & rationalis, tunc vbicunque esset animal, esset etiam rationale, quia à parte rei est eadem prorsus ratio formalis vtriusque constitutiua. Sed Dices in homine constitui per eandem rationem animal, qua constituitur rationale, at in equo non constitui per eam, per quam constituitur in homine, sed per eandem, qua constituitur equus, & sic de alijs animalibus. Contra, quia tunc ratio animalis concipi non posset, vt communis equo, & homini magis, quam rationalitas; probatur consequentia, quia per eandem prorsus rationem constituitur animal in homine, qua constituitur rationale, sed rationale constituitur per talem rationem, cui repugnat concipi communis homini, & equo ergo &c. Tum quia conceptus animalis est ex natura sua multiplicabilis in plures essentias vel species rationalitas verò est immultiplicabilis, ergo non per eandem rationem constituuntur. Tum denique quærendum est, quo formaliter constituatur conceptus animalis, vt abstractus, quod si assignabitur, statim vrgebo per eandem quoque rationem in homine, vel equo constitui, quia dum ad inferiora contrahitur non mutat suum constitutiuum.

205 Respondet aliter Quied. citat. ex sententia Nominalium eandem entitatem physicam posse diuersis definitionibus etiam essentialibus definiri, & per diuersos conceptus essentiales explicari, qui omnes eandem physicam essentiam important, significatam in ordine ad diuersa connotata; ex quo tamen non sequitur entitatem definitam duplici definitione essentiali, habere duplicem essentiam, seu vnam duplici modo explicatam, quia vtraque definitio ex parte conceptus obiectiui directi, & ex parte definiti in nullo differunt, sed tantum connotatis diuersis, vel in diuerso modo significandi eadem connotata, vnde si homo qui est vna simplex entitas metaphysicè loquendo consideratur in ordine ad sensationes, induit animalis nomen, & definitur quod sit substantia animata sensibilis; si in ordine ad discursus, induit nomen hominis, & definitur quod sit animal rationale, quamuis in rei veritate sit eadem omninò res sine vlla in se distinctione, quæ explicetur, & significetur vtroque nomine, & definitione, quatenus tamen respicit effectus diuersos, qui possunt ab illa prouenire. Verùm licet hæc Nominalium doctrina multis recentioribus arrideat, pluribus tamen etiam displicet, quia etiam res quamplures, quæ non ponuntur operatiuæ, neque de genere actiuorum variè possunt definiri, cum possunt definiri, cum possint genere conuenire, & specie differre, vt qualitates non actiuæ, quantitates, relationes, modi &c. malè ergo generaliter loquendo pluralitas definitionum eiusdem rei attenditur præcisè pænes pluralitatem effectuum ab eadem re possibilium. Tum quia idem argumentum fieri potest de ipsismet operationibus, quia & ipsæ inter se possunt genere conuenire, & specie differre, & tamen ipsæ non sunt operatiuæ, nec in ordine ad alias operationes variè definiri possunt, nisi in infinitum abire velimus, vt benè vrget Arriag. Tum quia gratis etiam cõcedimus nonnullas definitiones, vel potius descriptionis, quæ de eadem re assignantur in ordine ad varias operationes, quas exercere potest, non semper inducere formalem distinctionem in principijs earum, vt manifestè constat de intellectu, qui secundum eandem formalitatem à parte rei, & per eandem prorsus virtutem facultatem est principium simplicis apprehensionis, iudicij, & discursus, & quatenus consideratur in ordine ad discursum non habet eandem definitionem, quam habet vt consideratur in ordine ad iudicium, vel simplicem apprehensionem. Falsum id tamen est de definitionibus essentialibus, & quidditatiuis, quæ de rebus traduntur secundum se consideratis, & secundum sua prædicata essentialia præscindendo à quacunque possibili operatione, nam tales definitiones semper inducunt distinctionem saltim formalem in rebus, seu formalitatibus definitis, & de istis vtique definitionibus loquuntur Scotus & Scotistæ cum pœnes earum pluralitatem plurificant etiam rerum formalitates, & gradus entitatis earum. Dices nullam rem aliter posse definiri, nisi in ordine ad propriam operationem. Contra, quia vt diximus, nonnulla sunt definibilia, quæ non sunt de genere actiuorum. Tum quia tunc nullam haberemus essentialem, & quidditatiuam definitionem per genus, & differentiam, sed omnes essent definitiones à posteriori. Tum quia vt ait Doctor 2. d. 1. qu. 6. §. *Dico tunc ad quæstionem*, quicquid est potens agere est aliquod ens habens actum primum, & prior est ibi secundum naturam ratio actus primi secundum se; quam in comparatione ad actum secundum, cuius potest esse principium, ita quod licet illud, quo tale ens est principium actus secundi,

non

non sit aliud à natura sua, non tamen prima entitas sua est natura sua, vt est principium talis actus secundi, sed natura sua, vt in se est hæc, & ita prima distinctio entis non est per naturam suam inquantum est principium talis operationis, sed per naturam suam, vt hæc natura; & ita distinctio prima est, ad quam sequitur illa distinctio principiorum operandi, quia enim est hæc natura, ideò est principium talis operationis, & non è conuerso; ex quo Doctoris discursu manifestè constat aliter rem definiri posse, quam in ordine ad propriam operationem, & definitionem, quæ sic assignantur, scilicet in ordine ad operationem, non esse essentiales, & quidditatiuas, de quibus est sermo in argumento. Tandem arguit Canon. citatus quæ distinguuntur secundum suos primos conceptus, & quidditatiuè non distinguuntur pœnes ea, quæ sunt extra illos conceptus; sed conceptus generis, & differentiæ distinguuntur, quia genus nequit de differentia quidditatiuè prædicari, ergo non per operationes, quæ sunt extra eorum conceptus.

Respondet tandem Arriag. insistens solutioni, quam dedit ad præcedentem rationem num. 203. ad diuersas definitiones sufficere, si in eadem re sit similitudo, & dissimilitudo cum alio, vt inquantum similis vna definitione, & inquantum dissimilis alia definiatur. Quæ solutio iam impugnata est num. citat. quia eadem res nequit dici alteri similis, & dissimilis secundum eandem rationem ad contradictionem euitandam.

206 Quinta ratio deducitur ex via prædicationis, quia si animalitas, & rationalitas essent idem, de quocunque prædicaretur animalitas, prædicaretur etiam & rationalitas, ac proinde equus etiam dici posset rationalis. Negat sequelam Arriaga, quia de equo non prædicatur eadem animalitas, quæ est idem cum rationalitate, sed alia diuersa, vnde non sequitur rationalitatem etiam prædicandam. Fateor hanc rationem non esse efficacem ad concludendam distinctionem ex natura rei formalem inter gradus prædicamentales, non tamen ob solutionem datam ab Arriag. falsum enim est, quod habetur in ea, de equo non prædicari animalitatem, quæ conuenit homini, sed aliam diuersam, quia si ita est, ergo esse animal non erit prædicatum vtrique commune, vel si est prædicatum vtrique commune, ergo animal quod dicitur de equo est illud idem, quod prædicatur de homine. Hæc igitur ratio vtique benè probat gradum communem habere vnitatem, & præcisionem conceptus à suis inferioribus, & contrahentibus secundum quam possit de illis prædicari per modum vniuersalis, non tamen probat hanc præcisionem esse debere ex natura rei citrà quamcumque intellectus operationem, quia ad rationem vniuersalis talis præcisio ex natura rei minimè necessaria est, cum vniuersale per intellectum fiat, & per operationem intellectus habeat esse, non autem per talem præcisionem; tum quia si hæc ratio talem præcisionem probaret sufficienter in gradibus prædicamentalibus æquè etiam probaret de transcendentibus, siquidem etiam in illis non de quocunque prædicatur gradus superior, prædicatur inferior, & tamen gradus ille non est ex natura rei præcisus ab illo; ratio huius assignata est supra disputat. 2. numer. 94. ad 3. quia prædicatio in transcendentibus non fit per id quod importatur à parte rei integrè, & adæquatè sumptum, sed per præcisiones obiectiuas factas ab intellectu inadæquatè concipiente cum fundamento in re, & ideò cum ad prædicationem simpliciter, & absolutè sumptam sufficiat præcisio obiectiua intellectus inadæquatè concipientis, nec semper necessaria sit præcisio ex natura rei, ideò argumentum ex ea deductum non est sufficiens ad conuincendum propositum.

Sexta ratio deducitur ex vniuocatione graduum prædicamentalium, ablata namque tali distinctione ex natura rei inter illa, tolli videtur omnis vniuocatio, nam omnia prædicata communia essent analoga proportionis, quia præcisa eorum distinctione à parte rei, nullum posset assignari discrimen inter vniuoca, & analoga proportionis. Huius tamen rationis infirmitas satis constat ex disput. 2. Log. quæst. 4. art. 2. dub. 2. vbi ostensum est, quod licet ad vniuocationem perfectam, & puram necessaria sit illa præcisio ex natura rei gradus superioris ab inferioribus, & contrahentibus, attamen ad vniuocationem imperfectam, & cum analogia mixtam minimè necessariam esse, sed sufficere præcisionem per conceptus inadæquatos cum fundamento in re, & distinctionem virtualem, seu rationis ratiocinatæ inter gradum superiorem, & inferiorem; vnde consequenter loquendo disputat. 2. statuimus vniuocationem entis, aliorumque prædicatorum transcendentium, etiamsi ab inferioribus ex natura rei non sint distincta, & præcisa, neque ergo hoc argumentum ex vniuocatione simpliciter, & absolutè sumpta deductum benè concludit propositum, scilicet distinctionem formalem ex natura rei inter gradus prædicamentales, quia tunc æquè benè concluderet de prædicatis transcendentibus; sed tantum concludere potest de gradu specifico infimo, seu specie athoma, quæ sola inter omnes gradus prædicamentales est perfectè vniuoca.

207 Septima ratio deducitur ex via separabilitatis, qua nullum euidentius datur signum distinctionis ex natura rei inter aliqua duo; gradus superiores passim separantur ab inferioribus, nam animal potest esse sine rationali, immo de facto inuenitur, vbi non est rationale, scilicet in equo, ergo inter se distinguuntur à parte rei. Respondet Ouied. falsum esse, quod animal hominis possit vnquam separari à rationali, & animal equi ab hinnibili, verum tamen esse animal hominis separari ab hinnibili, & animal equi à rationali, & sic tantum sequitur animal equi distingui ex natura rei à rationali, & non tamen animal hominis; & sic pariter animal hominis ex natura rei distingui ab hinnibili, non tamen à rationali. Hæc solutio non satisfacit, quia videtur negare omnem communitatem animalis ad hominem, & equum; ita enim inter se distincta ponit animal equi, & animal hominis, sicut hinnibile equi & rationale hominis, quod tamen constat euidenter falsum esse, quia homo, & equus aliquo pacto conueniunt in prædicato animalis, sed nullo modo in prædicatis hinnibilis, & rationalis Clarius proinde, ac magis ad rem respondet Suarez disput. 5. sect. 2. num. 15. & disputat. 6. sect. 9. num. 25. animal contractum ad rationale non posse a rationali separari, nec contractum ad irrationale separari ab irrationali, sed animal dumtaxat, vt concipitur pertellectum vtrisque commune, posse separari ab hac, vel illa determinata differentia; cum ergo illa communitas non sit realis, itaquod sit vnum, & idem animal entitatiuè in homine, & brutis, sed ratum idem ratione, & abstractione, hinc concludi nequit, nisi distinctio rationis, cuius in re ipsa potest esse aliquod fundamentum, nimirum similitudo aliqua diuersarum naturarum incompleta, & imperfecta, quæ esse potest in re absque actuali distinctione. Hæc quoque solutio inualida est, quia falsum est naturam animalis, & cuiuscunque alterius gradus prædicamentalis generici, vel specifici habere tantum vnitatem obiectiuam in intellectu, & non habere propriam vnitatem formalem à parte rei, quæ sit minor vnitate numerali secundum quod magis recedit ad vnitate numerali; sed quia de hac re agendum est ex professo disput. sequ. ideò hic supersedeo. Et dico hanc rationem ex eo tantum capite ad propositum probandum non valere, quia eodem modo concluderet de prædicatis, & gradibus transcendentibus, & ideò soluta est disputat. 2. numer. 92. tum quia nisi rectè intelligatur vis illius rationis, planè ex illo separationis modo rationum communium, & propriarum posset inferri inter illas nedum distinctio ex natura rei formalis, sed etiam realis, quia vna inueniri posset, vbi non est alia, quæ separatio sufficiens inditium est realis distinctionis. Posset tamen concludere in proposito etiam, si per separabilitatem intelligatur indifferentia quædam realis, quam habet ab intrinseco quæcunque natura communis prædicamentalis, secundum quam quantum est ex ratione sua ei non repugnat magis sub hac differentia contrahente reperiri, quàm sub alia in quo gradus communes prædicamentales discrepant à transcendentibus qui à parte rei talem indifferentiam non habent sed tantum obiectiuè in intellectu abstrahente, vt ostensum est disput. 2. quare cum differentiæ contrahentes talem à parte rei non possideant indifferentiam, signum est ipsas ex natura rei distingui à gradu communi per eas contrahibili, & ad eas indifferente, quæ indifferentia fusè disp. seq. explicabitur.

208 Octaua ratio ex experientia deducitur, nam à remotis videmus rem esse coloratam, vel animal, non tamen quo colore, vel quonam animal, ergo ratio coloris ex natura rei distinguitur à tali specie coloris v.g. albedine, & animal, vt sic, à tali specie animalis. Hæc quoque ratio non placet, & magis probat, quam opus sit, nimirum distinctionem realem inter gradus metaphysicos, quia sensu visuum potest idem actualiter videri, & non videri magis, quam sensuactus sentiri, & non sentiri; sed ex eo quod per tactum dum percipitur calor non percipitur frigus, vel è contra, deducitur distinctio realis caloris à frigore, & è contra, ergo idem pariter dicendum de colore, & albedine. Facilè autem soluitur ratio ex dictis disputat. 6. de anim. quæst. 8. numer. 255. vbi diximus vniuersale non mouere sensum à longè, sed specialissimum, & de longè, & de propè agere, cum enim ratio specifica sit perfectior, & actualior generica, videtur etiam esse magis actiua, & hoc satis de se constat in alijs sensibus, cum enim calor manum adurit, non agit secundum rationem qualitatis sensibilis, vel tangibilis in communi, vel primæ qualitatis, tunc enim omnes qualitates eiusdem rationis vrerent, sed vrit secundum propriam rationem specialissimam, ita ergo dicendum videtur de alijs sensibilibus in ordine ad proprios sensus, quod nimirum cum album videtur à longè, vt coloratum, quod terminat visum esse ipsam albedinem, non verò gradum genericum coloris, quia vniuersale non videtur, nec esse potest obiectum sensus; ratio autem quare obiectum de longè visum non representat secundum gradum specificum, est quia ad tantam distantiam effundere nequit speciem perfectè similem, & sic tantum se representat imperfecto modo, ac cum notarit in perfecta distantia se manifestat in conceptu specifico, vt Scot. aduertit quæst. 16. de Anim. ad vlt. & 1. d. 3. quæst. 2. lit. O. sicut etiam ignis de longè ob improportionatam distantiam imperfectè, & remissè calefacit; & sic dum album magis ad oculum propinquum, non videt oculus alium colorem, sed eundem magis distincte videt ob perfectiorem speciem, alioquin si ibi essent duo obiecta, & singula ex sua parte mouentia, scilicet color, & albedo, dum è propinquo videtur album, vtique adhuc distingueret illa duo obiecta colorem, scilicet, & hanc albedinem, quia ex propinquitate hic color non fit minus visibilis; quam antea cum à remotis propiciebatur, sed magis.

209 Vltima ratio est ista, quia natura secundum se, ideò secundum prædicata essentialia, neque est singularis, neque vniuersalis, ergo secundum se, & ex natura rei distinguitur à singularitate, quia nulla natura creata secundum se est singularis, & de se hæc. Hæc ratio eadem optima est, & valida satis; sed specialiter probat distinctionem ex

ex natura rei inter naturam specificam, & hæcceitatem eius, de qua quia instituitur specialis disputatio, quæ erit sequens, non vlterius prosequor vim istius rationis, sed in sequentem Disput. remitto. Denique probatur conclusio ex Aristot. 5. Metaph. cap. 2. text. 11. vbi negat dari posse processum in infinitum in prædicatis essentialibus, quia si sola cogitatione distinguerentur nullum esset inconueniens dari sic in processum in infinitum, & 7. Metaph. cap. 10. text. 33 cum dixisset definitionem debere constare ex partibus, nimirum genere, & differentia subdit, *sicut se habet definitio ad totam rem, ita partes definitionis ad partes rei*, ergo inter eas versatur aliqua vera distinctio proportionaliter ad illam, quæ reperitur inter partes rei. Resp. Suar. cita. num. 22. partes definitionis non propriè dici significare partes rei, sed habere quandam proportionem cum partibus rei, quia se habent genus, & differentia ad modum materiæ, & formæ, quæ sunt partes rei, à quibus propterea genus, & differentia sumi dicuntur, quam ait esse explicationem D. Thom. 7. Metaph. sect. 9. Hæc tamen responsio non satisfacit, quia neque nos per hanc auctoritatem contendimus partes definitionis esse partes rei, scilicet materiam, & formam, sed aliquid eis proportione respondens per modum partis actualis, & potentialis, sicut se habent genus, ac differentia; atque ideò, vt teneat proportio, aliquam etiam distinctionem ex natura rei inter partes definitionis versari debere, licet non in eo gradu realitatis, sicut versatur inter materiam, & formam. Tum quia, sicut ibi exponit Commentator, hæc est proportio definitionis ad definitum, quod sicut tota definitio significat totam rei quidditatem, ita pars definitionis partem quidditatis rei, ergo genus seu genericus gradus aliquo pacto ex natura rei distingui debet à differentiali, alioquin genus esse tota quidditas, & tota realitas speciei à parte rei, quo autem pacto genus dicatur à materia, & differentia à forma, vt inibi Arist. significauit iam declarauimus disp. 5. log. q. 3. art. 2. § *Sed ad maiorem*.

ARTICVLVS III.

Thomistarum, & Nominalium argumentis satisfit.

Primò arguunt antiquiores Nominales Ocham Aureol. & alij, quia si gradus essentiales distinguuntur abinuicem, ex natura rei, v. g. genus à differentijs, tunc posset illud de vna differentia specifica in aliam transire, & transmutari, quemadmodum materia de vna forma transit ad aliam, quod in Philosophia inauditum est, probatur sequela, quia omnis realitas absoluta prior alia, & ab ea distincta à parte rei potest ab illa separari, quia non dependet ab illa, vt Scotus concedit 2. d. 12. quæst. 2. Tum 2. quia hinc rursus sequeretur, quod vnus gradus essentialis posset corrumpi, & produci sine alio, quemadmodum destrui potest forma, seu figura non destructa materia, seu quantitate, & de facto vnusquisque gradus produceretur distincta actione ab alio, vnde anima rationalis pluribus actionibus crearetur, quod est pariter absurdum. Tum 3. quia daretur vniuersale à parte rei, nam si animal v. g. ex natura rei distinguitur à rationalitate, distinguetur etiam ab irrationalitate, atque adeò vt distinctum ab illis habebit vnitatem; ergo etiam communitatem constitutiuam naturæ vniuersalis, quia habebit vnitatem, vt possit esse sub multis differentijs, & in multis speciebus, quod est esse vniuersale. Tum 4. quicquid est à parte rei ab alio distinctum debet esse in aliqua specie determinata, quod dici non potest de istis gradibus, siquidem genericus non potest esse in specie infima, vt per se notum est. Tum 5. quia omne quod ab alio distinguitur à parte rei est indiuiduum ex vi sui esse, ergo gradus genericus, vt sic, esset indiuiduus. Tum 6. quia animalitas hominis v. gr. adhuc distincta à rationalitate est diuersa specie ab animalitate equi, quia adhuc distincta dicit ordinem essentialem ad rationalitatem, quem non dicit animalitas equi, hæc enim dicit ordinem ad hinnibilitatem; ergo non rectè distinguitur animalitas à rationalitate, eo quod in illa conueniat cum equo, & in ista differat, quia in ipsa etiam animalitate differunt. Tum tandem, quia gradus vnius essentiæ non potest magis distingui ab alio, quam distinguatur gradus essentiæ ab indiuiduatione; sed gradus essentiæ non distinguitur à parte rei ab indiuiduatione, ergo neque alij; maior patet, quia eadem videtur ratio de omnibus, probatur minor quia adhuc natura, vt præcisa à singularitate est singularis, adhuc enim sub tali præcisione est indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia natura, ergo non distinguitur à singularitate.

209 Resp. etiam Aduersarios ipsos, vt Pasqualig. & Arriag. loc. cit. vltro fateri hæc argumenta non conuincere, procedunt enim ex falsa intelligentia distinctionis formalis, vt ponitur à Scotistis, quia enim illam appellare solent distinctionem ex natura rei, illam prorsus confundunt cum distinctione rigorosè reali, quæ etiam infert separabilitatem inter extrema sic distincta. Ad 1. itaque Doctor 7. Metaph. quæst. 13. numer. 20. negat sequelam, quia esto inter genus, & differentiam admittamus distinctionem formalem, non tamen realem, & ideo propter identitatem realem, ac entitatiuam, ait Doctor, realitates generis, & differentiæ esse inseparabiles, in mutatione autem oportet subiectum realiter differre ab vtroque termino, & quidem realiter separabiliter, vt possit de vno in alium transire, Scotus autem 2. d. 12. quæst. 2. loquitur de entitatibus realiter distinctis, vt sunt materia, & forma. Ad 2. negatur pariter sequela ob eandem rationem, ob realem enim identitatem vnus gradus nequit produci, vel corrumpi sine alio, aut saltim distincta actione produci, qui hi sunt effectus realis distinctionis, & productio tendit ad esse entitatiuum, & ideò solum vbi sunt distinctæ entitates, & res, interueniunt distinctæ productiones. Ad 3. negatur rursus sequela, quamuis enim natura habeat à parte rei vnitatem formalem, & communitatem negatiuam, hæc tamen non sufficit ad vniuersalitatem propriè dictam, sed debet esse communitas positiua, vt nimirum actu sit in multis, vel saltim in potentia proxima ad sic essendum, imo non tantum maior communitas, sed etiam maior vnitas requiritur ad vniuersale, quam habeat natura à parte rei, vt constat ex dictis disp. 4. Log. q. 2. & adhuc constabit ex dicendis disp. seq. Ad 4. valet assumptum de illo, quod per se, ac immediatè existit, & est ab alio realiter ac entitatiuè distinctum, omne enim tale est in aliqua specie infima; non autem de illo quod existit solum ad existentiam alterius, cui realiter identificatur, sicut se habent gradus essentiales in ordine ad speciem, vel indiuiduum, quod constituunt mediante metaphysica compositione. Ad 5. patet per idem, nullus enim gradus superior est indiuiduus ex se, sed indiuiduatur simul cum alijs gradibus ab vltimo gradu, qui superuenit, nempe indiuiduatione ipsa, vel hæcceitate, neque enim placet, quod quidam Scotizantes aiunt, quamlibet formalitatem habere propriam indiuiduationem partialem, & incompletam, quia pro omnibus gradibus essentiæ sufficit vnica indiuiduatio à parte rei, vt potè quia coalescunt omnes in vnam, & eandem indiuiduam entitatem, vt infra constabit disput. 10. Ad 6. negatur assumptum cum probatione, nam animalitas hominis, vt distincta à rationalitate, nullum dicit ordinem determinatum ad rationalitatem, imò sub tali præcisione ab ea est indifferens prorsus, vt sit in homine, vel in equo; & in singulis animalibus animalitates prout distinctæ à suis differentijs contrahentibus, sunt omninò eiusdem rationis, vt dicetur disputat. sequ. Ad vlt. inquit Arriag. posse Scotistas faciliter respondere per distinctionem de singularitate completa, & incompleta, & naturam vt distinctam à singularitate esse singulare incompletè, non verò completè, & ad hoc egere singularitate distincta. Sed istæ singularitates partiales, & incompletæ, quas excogitauit Albertin. tom. 2. princ. 1. Philosoph. disputat. 1. q. 10. dub. 2. ad ostendendam probabilitatem nostræ sententiæ, non benè sonant in Schola nostra, neque opinionis nostræ probabilitas tam debilibus indiget fulcris; gratias interim Albert. de bono in Scotum & Scotistas animo, sed suas singularitates partiales, & incompletas non recipio, quia vnica differentia indiuiduali omnes possunt indiuiduari, vt infra suo loco ostendam; tum quia argumenta nostra, quæ probarent distinctionem naturæ à singularitatibus completis, probarent idem de incompletis, itaque ad arg. negatur minor cum eius probatione, ex hoc enim quod natura etiam vt præcisa à singularitate sit indiuisa à se, & diuisa à qualibet alia, non sequitur quod habeat vnitatem singularem, sed solum entitatiuam, vel formalem.

Secundò, arguit Suarez disputat. 6. Metaph. sect. 9. omnes gradus metaphysici in vno, ac eodem indiuiduo vnica differentia singulari indiuiduantur, à qua sola ratione distinguuntur, ergo nequeunt inter se distingui ex natura rei, probatur consequentia, quæ sunt omninò idem ex natura rei cum eadem differentia indiuiduali, & indiuisibili, non possunt inter se indiuidualiter distingui, ergo nullo modo distinguuntur ex natura rei, quia distinctio ex natura rei non potest intercedere, nisi inter res indiuiduas, & singulares, vt sic. Deinde omnes isti gradus v. g. huius animalis, huius viuentis huius hominis in Petro fundatur in vna simplici radice physica, scilicet anima; sed in anima esse rationale, sensitiuum, & vegetatiuum non sunt gradus distincti ex natura rei; ergo nec gradus hominis, & animalis; probatur minor, quia anima est simplex entitas physica nullas includens partes, aut entitates distinctas, nec vllum est sufficiens inditium distinctionis actualis inter illos gradus. Neque enim quia est principium efficiens omnium operationum hominis, oportet in ea fingere varias entitates, aut modos reales ex natura rei distinctos, per quos sit principale, & radicale principium talium operationum, alioquin etiam in forma, vel luce Solis deberent fingi varij modi entitatis propter varias operationes illuminandi, calefaciendi, exsiccandi &c. tum quia sensus communis percipit colorem, saporem, sonum, & tamen ratione harum operationum non distinguuntur formaliter varij modi entitatis, sed sufficit vna potentia formaliter; ergo eodem modo eadem anima in genere causæ formalis confert homini omnes gradus viuentis, animalis, & hominis secundū eandem omnino realitatem absq; vlla distinctione actuali, patet consequentia, tum quia eadē est ratio de anima in vno, & alio genere causæ cōsiderata; tum etiam quia per idem est anima principium radicale operationum, per quod est principium formaliter constituens operantem, immò non aliter distinguuntur à nobis in anima illi gradus, quā in ordine ad operationes, vnde si in ordine ad illas nō est necessaria distinctio ex natura rei in earum principio, neque in ratione informandi erit necessaria. Denique arguit, velut à priori, quia hæc abstractio genericum, & specierum, vt per intellectum fiat habet sufficiens fundamentum tum in ipso, tum in rebus absque vlla distinctione actuali, quæ in ipsis rebus antecedat; ergo talis distinctio non est ponenda, cōsequentia patet, quia occasio introducendi hanc distinctionem sumpta fuit ex modo concipiendi nostro, & cōsequenter ex modo loquendi in modo concipiendi fundato; probatur assumptum, quia vt intellectus illos conceptus formet, atque præscindat, ex parte rerum suffi-

cit conuenientia, & similitudo earum inter se magis, vel minus perfecta cum aliqua dissimilitudine, & disconuenientia; ex parte verò intellectus sufficit quod possit id, in quo res conueniunt, concipere per modum vnius præcisè illud concipiendo; sed hoc totum fieri potest absque actuali distinctione graduum, quæ in reipsa sit, nam duo homines conueniunt inter se ratione hominis, & distinguuntur, vt individua, absque distinctione in re inter rationem communem, ac individualem differentiam; item Deus, & creatura conueniunt in ratione entis realis, & differrunt in ratione talis entis absque distinctione inter rationem communem, & propriam, alioquin sequeretur compositio in Deo, quod etiam probat ibi Suar. alijs exemplis.

210 Resp. ad 1. negando assumptum quoad secundam partem (nam quoad primam conceditur) cuius probationes sicut ipse remittit ad disput. de principio indiuiduationis, ita nos quoque earundem solutiones; hinc etiam negatur consequentia, ad cuius probationem concesso antecedente iterum negatur consequentia cum eius probatione, nam falsum est distinctionem ex natura rei intercedere tantum inter res individuas, & singulares, hoc enim tantum verificatur de distinctione ex natura rei reali, non autem ex natura rei formali, quæ est distinctio media inter realem propriè dictam, & rationis, imò neque verificatur de omni distinctione reali, quia non de distinctione reali naturarum, cuius meminit Doctor 1. d. 2. quæst. 7. FF. & coincidit cum distinctione essentiali, natura namque Petri etiam præcisa à propria singularitate est realiter diuersa à natura Bucefali, & è contra, distinctione reali naturarum, etsi non suppositum, de quo exactius disput. sequ. Ad 2. negatur minor loquendo de distinctione ex natura rei in eodem sensu, ad probationem dicendum, quod licet anima sit vna simplex forma physicè loquendo, quia non composita ex partibus propriè dictis, est tamen multiplex metaphysicè per multiplicitatem graduum, & potentiarum formaliter distinctarum. Vnde autem sumenda sit ista multiplicitas (in quo consistit punctus difficultatis) ait Amic. loc. citat. non esse attendendam ex quacunque ratione operationum, sed ex illis operationibus, quæ arguunt potentias separabiles connaturaliter, nam ex potentijs connaturaliter separabilibus arguitur distinctio ex natura rei in principio radicali, sicut enim ex operationibus, quæ sunt circa eandem formalem rationem obiecti, etiamsi sint plures, colligitur vnitas specifica potentiæ, ita ex potentijs tanquam ex passionibus, arguitur vnitas, vel distinctio principij radicalis, nam vbi videmus ex aliquo principio oriri varias potentias, & deinde videmus in aliquo supposito illas potentias vnitas, in aliquo verò illas omnes non reperiri, rectè arguimus eas, vbi reperiuntur vnitæ, non oriri ex eodem principio formaliter, sed materialiter, vt v. g. in homine reperiuntur intellectus, & potentiæ sensitiuæ, in bruto autem reperiuntur potentiæ sensitiuæ, & non intellectus, rectè arguitur intellectum oriri ex alio principio formaliter, quam potentias sensitiuas; similiter inter potentias sensitiuas, quia in aliquo animali non reperiuntur omnes sensus, nam reperitur v. g. tactus, non tamen visus, rectè arguitur ex alio principio formaliter oriri tactum, & visum, & sic de alijs.

Hanc tamen solutionem impugnat Quuied. cit. controu. 4. Metaph. punct. 3. numer. 10. quia separatio arguit tantum distinctionem in his, in quibus reperitur; ergo etiamsi sensitiuum animalis non rationalis v. g. sensitiuum equi distinguatur à rationali, à quo separatur, non infertur sensitiuum hominis distingui à rationali, à quo nunquam separatur, sicuti virtus productiua caloris in igne, & virtus productiua frigoris in aqua, in quibus hæ virtutes separantur, distinguuntur realiter, in Deo autem potente producere calorem, & frigiditatem, in quo hæ potentiæ, non separantur, nullo modo distinguuntur, sed eadem omnipotentia indiuisibiliter sumpta est virtus productiua caloris, & frigiditatis. Hæc impugnatio inualida redditur ex dictis supra numer. 207. contra eundem Auctorem, quia falsæ innititur imaginationi, quod ita ex natura rei distinguantur sensitiuum hominis, & sensitiuum equi, sicut rationale hominis, & irrationale equi, quod prorsus falsum est, quia à parte rei conueniunt equus, & homo in esse sensitiuo, & differunt per rationalitatem, & irrationalitatem, & idem omninò est conceptus obiectiuus sensitiui vtriusque per quem exprimitur id quod importat à parte rei in homine & equo absque vlla fictione intellectus nostri, quamuis ergo verum sit, quod sensitiuum hominis nunquam realiter, ac entitatiuè separatur à rationali, quia in homine realiter identificatur cum ipso, dici tamen potest separari obiectiuè, & formaliter, quia secundum suam rationem formalem consideratum non coarctatur ad solum hominem, in quo inuenitur rationalitas, sed etiam ad brutum extenditur in quo non inuenitur, & in hoc sensu dici potest separari, quæ separatio sufficit ad inducendam distinctionem formalem, de qua hic loquimur, inter sensitiuum, & intellectiuum. Neque exemplum ab ipso adductum de omnipotentia Dei, quæ est productiua frigoris, & caloris secundum eandem indiuisibilem entitatem probat sufficienter propositum, quia in Deo non reperitur potentia formaliter calefactiua, vel frigefactiua, vt sunt calor, & frigus, sicut in homine reperitur potentia formaliter sensitiua, à qua in genere causæ formalis dicitur sentiens, & intellectiua, à qua formaliter constituitur intellectiuus, & ideò nulla est ibi necessaria distinctio inter potentiam calefactiuam, & frigefactiuam, benè tamen in homine inter potentiam sensitiuam, & intellectiuam.

211 Quamuis ergo allata responsio quibusdam Scotistis sufficiens videatur pro solutione argumenti; mihi tamen omnino non probatur, nam si multiplicitas potentiarum in anima sumi debet ex eo capite assignato ab Amico, nempe quia sint connaturaliter separabiles, vt constat de sensitiuo, quod in brutis inuenitur separatum ab intellectiuo, sanè ex tali separatione inducenda videtur inter sensitiuum, & intellectiuum, nedum distinctio formalis ex natura rei, sed etiam distinctio realis, quia separatio est maximum indicium talis distinctionis. Tum quia, vt dictum est num. 207. ex hoc capite poni deberet distinctio formalis ex natura rei, nedum inter gradus prædicamentales magis, & minus commune, sed etiam inter transcendentes, quia ens v. g. reperitur in creatura, vbi non inuenitur ratio infinitatis, & dependentiæ, & sic importaret in Deo realitatem ex natura rei distinctam à propriis rationibus Dei. Tum quia talis separabilitas non inuenitur inter intellectiuum, & volitiuum, & adhuc tamen in homine potentia intellectiua, & volitiua distinguuntur ex natura rei formaliter, non ergo regula illa separabilitatis est vniuersalis, & adequata ad inueniendam distinctionem, ac multiplicitatem formalem potentiarum. Melius ergo respondetur ex dictis disput. 2. de Anim. quæst. 1. art. 2. num. 19. & 20. non vtique quamcumque operationum diuersitatem semper arguere diuersitatem realem, aut saltim formalem in principijs, vt benè probant exempla in argumento adducta, sed tunc tantum debere multiplicari saltim formaliter principia agendi in aliqua re, quando operationes ab illa prouenientes requirunt ex suis rationibus aliquam priorem distinctionem in principijs, vt docet Doctor prim. d. 13. respondendo ad argumenta Adami, & loc. citat. explicatum est; itaque ab eodem principio radicali, (excepto prædicto casu) in genere efficientis causæ possunt operationes etiam specie diuersæ procedere, quia ex diuersis causis secum concurrentibus potest illius actio determinari, vt patet in exemplo de Sole ceram liquefaciente, & lutum indurante; hoc tamen esse nequit in genere causæ formalis, quia non est vnde determinetur ad varios specie effectus, nisi in se habeat determinata, & distincta principia, quia forma dans esse per informationem dat illud esse, quod in se formaliter habet secundùm substantiam, per quod patet ad exemplum de Sole, quod Suarez adducit, in cuius forma opus non est assignare diuersa principia realiter, vel formaliter distincta calefaciendi, deficcandi, humectandi &c. quia tales effectus procedunt ab ipso in genere causæ efficientis, non autem formalis, non enim dicitur formaliter calidus, vel siccus, & quia effectum illuminandi nedum in genere causæ efficientis exercet, quatenus medium illuminat, sed etiam in genere causæ formalis, nam ipse quoque denominatur formaliter lucidus, hinc est quod lucem formaliter in ipso reponimus. Quia igitur in proposito anima rationali in homine nedum exerceret munera vegetantis, sentientis, & intelligentis in genere causæ efficientis, sed etiam formalis, quia per animam rationalem homo dicitur formaliter viuens, sentiens, & intelligens, hac de causa multiplicamus in ipsa formaliter potentiam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, vt diximus disp. 1. de Anim. qu. 8. vnde falsum est, quod dicebat Suarez eandem essentionem de vno, ac de alio genere causæ, & quod si non est necessaria distinctio in principijs effectiuis respectu diuersarum operationum, nec etiam necessaria sit in principijs formalibus respectu diuersarum informationum.

Dices, si multiplicantur potentiæ vegetatiua, sensitiua, & intellectiua in anima rationali formaliter, vel principium, vnde fluit vna ex ipsis, est distinctum formaliter à principio, à quo profluit altera, vel non; si non est distinctum, sed idem formaliter, ergo similiter posset dici de ipsismet potentijs, quæ profluunt; si est distinctum formaliter, ergo dabitur processus in infinitum. Resp. ex dictis disp. cit. de Anim. omnes, & singulas eius potentias fluere ab essentia eiusdem animæ, in genere veluti causæ efficientis, vt proprietates vnius, & eiusdem principij radicalis, & remoti, & in ordine ad illas illimitari; neque rationabiliter potest idem asseri de ipsismet potentijs, quod sint vna, & eadem formaliter, quia mediantibus illis exercet anima varios, ac diuersos specie effectus, nedum in genere causæ efficientis, sed etiam formalis, atque ideò ipsi animæ substantiæ, veluti insitæ poni debent secundum proprias formalitates, per quas denominetur homo formaliter viuens, sentiens, ac intelligens. Ad vlt. argumentum Suarez negatur assumptum, ad probationem negatur minor cum eius probatione quoad primam partem, cum enim similitudo, ac dissimilitudo diuersorum genere conuenientium, & specie differentium, aut specie conuenientium, & numero à parte rei differentium sit realis, actualis, & positiua, non autem virtualis, & fundamentalis tantum, qualis est conuenientia inter Deum, & creaturam in gradu essendi, vt dictum est supra num. 201. ideò fundari nequeunt super vnam & eandem simplicem formalitatem, sed debent esse diuersæ rationes fundandi saltim formaliter, quia implicat à parte rei duo inter se conuenire, & differre actualiter, & formaliter per eandem prorsus formalitatem, & realitatem, vt loc. cit. explicatum est, vnde longè diuersa est ratio de conuenientia Petri, & Pauli in ratione hominis, & de conuenientia Dei, & creaturæ in ratione entis; non enim differunt istæ duæ conuenientiæ solum in ratione maioris, vel minoris, seu similitudinis plus, minusue perfectè, sed præcipuè vlterius differunt, quia vna conuenientia est actualis, & positiua, illa nimirum, quæ versatur inter Petrum, & Paulum in ratione hominis, altera verò inter Deum, & creaturam in ratione entis est solum fundamentalis, ac veluti negatiua.

Tertiò,

Tertiò, arguit Hurtad. disputat. 5. Metaph. sect. 3. si animal, & rationale distinguuntur ex natura rei formaliter, ergo falsa erit hæc propositio, homo est animal formaliter, quia quæ non sunt idem ex natura rei non possunt prædicari inuicem, vt realiter idem, nam prædicato significat identitatem subiecti cum prædicato; neque dicas esse veram prædicationem propter identitatem realem, nam distinctio formalis est etiam realis, inquit Hurtad. quia extat à parte rei citra intellectus operationem. Deinde aliquæ rationes communes nequeunt à suis inferioribus distingui ex natura rei formaliter, ergo nulla ratio communis, eo quod sit communis, distinguitur ab inferioribus, quia si id oritur ex communitate, debet poni vbicunque reperitur talis communitas; antecedens probatur de conceptu communissimo entis, qui non distinguitur ex natura rei à gradu constitutiuo substantiæ cum hic sit essentialiter ens. Neque dicas conceptum entis esse transcendentem, & ideò non posse ex natura rei ab inferioribus distingui. Quia si semel conceditur aliquam rationem communem non distingui, idem dicendum de omni, nam in omnibus est eadem ratio. Tum quia conceptus substantiæ prædicamentalis nequit distingui formaliter à differentia constitutiua hominis, nam illa differentia est ens determinatum, & cum non sit accidens, quia hoc nequit esse constitutiuum substantiæ, restat vt sit substantia; sic etiam arguit potest de conceptu corporis, quod non distinguatur à suis differentijs, nam lapidis differentia est substantia, aut ergo indiuisibilis, aut diuisibilis, non primum, quia tunc lapis, vt lapis esset spiritualis, si secundum, ergo erit corporea vel corpus, non substantia diuisibilis est corporea. Rursus fundamentum ponendi hanc distinctionē inter gradus metaphysicos sumitur ex diuersis definitionibus, & conceptibus eorum formalibus, sed eadem res indiuisibilis à parte rei potest sortiri diuersas definitiones, vt v. g. eadem simplicissima entitas hominis, vt est principium sensationis sortitur definitionem animalis, & vocatur animal; vt est principium intellectionis vocatur homo, & sortitur definitionem hominis, quod sit animal rationale, intellectus secundum eandem formalitatem est principium simplicis apprehensionis, iudicij, & discursus, & ex diuersitate harum operationum diuersas sortitur definitiones, & tamen est vna formalitas; insufficienter ergo colligitur distinctio formalis inter aliqua ex diuersis definitionibus, cum eadem res simplicissima possit habere diuersas definitiones secundum quod respicit diuersa. Denique si etiam ex conuenientia, vel conuenientia rerum velimus multiplicare formalitates, & inducere distinctionem formalem inter gradus metaphysicos, dabitur processus in infinitum nam Petreitas, & Pauleitas, vt distinctæ ab humanitate conueniunt in ratione differentiæ, quia hic conceptus potest abstrahi ab vtraq. ergo ratio differentiæ distinguitur in illis à ratione talis differentiæ; de qua rursus idem argumentum formari poterit in infinitum abeundo. Neq. dicas eas singularitates non conuenire vniuocè, sed tantum proportionaliter, & analogicè. Tum quia Petreitas, & Pauleitas eodem modo conueniunt in ratione differentiæ, & alijs, quo Petrus, & Paulus in ratione hominis, quia in conceptu analogo, est eadem difficultas.

212 Resp. propositionem illam, homo est animal, nedum esse veram ob identitatem realem prædicati cum subiecto, sed etiam in aliquo sensu ob identitatem formalem, nam identitas formalis ex dictis disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. declarando naturam talis identitatis duplicem habet acceptionem, nam regulariter illa censentur formaliter eadem, quæ communicant in eadem prorsus conceptibilitate, & ratione obiectiua, sicut è contra illa dicuntur formaliter distincta, quæ habent diuersas ex natura rei conceptibilitates; interdum etiam illud dicitur esse idem formaliter alicui, quod includitur in conceptu formali illius, quo sensu superius dicitur esse idem formaliter inferiori, quia est de integritate conceptus formalis illius; quando igitur dicitur, homo est animal formaliter, est vera propositio nō in primo sensu identitatis, quasi ratio formalis constitutiua hominis sit etiam constitutiua animalis sed in secundo sensu, quatenus animal est de conceptu formali hominis; notandum tamen est distinctionem, & identitatem formalem ex prædicationibus in concreto non rectè dignosci, sed in abstracto, nam termini in abstracto sumpti purè significant rationes suas formales, sed quando sumuntur in concreto, prædicatio interdum est merè materialis, nec valet nisi ratione subiecti, vt cum dicimus, album est dulce; quod autem ait Hurtad. distinctionem formalem esse quoque realem, quia exiitit citrà opus intellectus, est penitus falsum, & error ex eo procedit quod non benè capit, aut caperecutat Hurtad. quid per distinctionem realem intelligunt Scotistæ vt ecernitur à formali. Ad 2. respondet Amic. cit. eo argumento non tam impugnari distinctionem graduum, quam eorum vniuocationem, concedit itaque ea prædicata, quæ non sunt vniuoca, non esse distincta, & ita se habere ens, & alia transcendentia, & ad ultantiam allatam ex conceptu substantiæ, & corporis ait hos conceptus sumi dupliciter, primò completè, & non prædicantur, nisi de his, quæ ponuntur in recta linea, & vniuocè, atq. adeò sunt distincta ab inferioribus, secundò incompletè, & prædicantur de omnibus, quæ participant rationem substantiæ corporeæ, vt de materia, forma, ac differentijs, & non prædicantur vniuocè, sed analogicè, & secundum hanc rationem non sunt distincta. Hæc solutio in multis à veritate deuiat, falsum in primis est hoc argumento impugnari vniuocationem graduum, quia quando etiam concederemus gradus superiores non perfectè præscindere, seu ex natura rei ab inferioribus, non hinc destruitur, & tollitur ab eis omnimoda vniuocatio, vt dictum est n. 206 examinando sextam rationem; deinde malè negat à transcendentibus vniuocationem, & vocat illa prædicata merè analoga, quia talia non dantur ex dictis disp. 2. Item si talia dantur, & habent vnitatem conceptus, vt ipse velle videtur, aliqualem etiam habebunt distinctionem in suo conceptu à suis inferioribus, & ideò malè negat secundum talem rationem non esse ab eis aliquo pacto distincta. Tandem quicquid sit de illa distinctione substantiæ completæ, & incompletæ, de qua alias diximus, adhuc admissa non suffragatur, nam vt dictum est disput. 5. Logic. quæst. 3. articul. 3. §. *Responderi solet*, eadem difficultas fieri potest de illo conceptu substantiæ incompletæ, nam & substantia, vt sic, diuidi potest per spiritualem, vt est anima, & corpoream, vt alia quælibet forma substantialis, respectu quarum non ita analoga esset, vt excluderet rationem generis vniuoci, vt dictum est disput. 7. Logic. quæst. prim.

213 Ad 2. itaque cum assumit Hurtad. aliquas rationes communes à suis inferioribus distingui non posse, si sermo est de distinctione, & præcisione ex natura rei in rigore, qualis versari solet inter realitates, & realitates, & de ente vt est prædicatum transcendens commune Deo, & creaturæ, ita verum est assumptum cum eius probatione, quia transcendentia non dicunt conceptum ex natura rei præcisum ab inferioribus, vt constat ex disput. 2 quæst. 4. si autem sermo est de ente finito commune ad substantiam, & accidens, aut de ente transcendente, sed non de præcisione ex natura rei in omni rigore, ita negandum est assumptum cum probatione, quia ens finitum formaliter secernitur à gradu constitutiuo tam substantiæ, quam accidentis, sicut genus excludi, ac distingui solet à rationibus differentialibus, cum ens finitum verè, & propriè habeat rationem generis respectu substantiæ, & accidentis; ens autem commune Deo, & creaturæ, licet non habeat rationem generis, ideo que ex natura rei à constitutiuis Dei, & creaturæ distingui nequeat, adhuc tamen habet suum conceptum perfectè vnum, atque ideò in hoc sensu perfectè præcisum à suis inferioribus, quo quidem modo statuendum est omne superius, siue prædicamentale, siue transcendens, ratione suæ superioritatis, & communitatis à suis inferioribus distingui, & perfectè præscindi, quatenus illa non actu inuoluit in suo conceptu nec explicitè, nec implicitè; vbi etiam nota illud assumptum non benè probari ab Hurta. ens non distingui à substantia, quia substantia includit essentialiter ens, sic enim argumentari valeret de quocunque conceptu generico respectu suorum inferiorum, quia in eorum conceptu includitur, vel ergo per inferius intelligitur contractiuum superius, & sic inter ea est mutua præcisio, quia neutrum includitur in conceptu formali alterius, nam contrahens semper excluditur à ratione formali contrahibilis; & è contra, alio quin idem prorsus esset contractiuum sui ipsius, vel per inferius magis propriè loquendo intelligitur illud, quod est pars aliqua subiectiua superioris, & tunc verum est vtique inferius in hoc sensu includere semper superius in suo conceptu formali, sed hoc sequitur inferius non præscindere à superiori, non tamen è contra, vt deducit Hurtad. & sic licet substantia non præscindat ab ente, quia includit illud in suo formali conceptu, ens tamen perfectè præscindit, & distinguitur à substantia, & quolibet alio suo inferiori, cum nullum eorum actu includat in suo formali conceptu nec explicitè, nec implicitè. Verum tamen est nec conceptum entis, nec alterius cuiuscunque transcendentis distingui à suis inferioribus ex natura rei, non quidem ob rationem ab Hurtad. in illa responsione allatam, quia nimirum cum sint conceptus transcendentes includuntur essentialiter in omni re; hoc enim est absolutè falsum, quia non sic includuntur in suis contractiuis, & quando etiam concederetur, non impedit præcisionem conceptus superioris à quocunque inferiori; sed ratio cur conceptus transcendentes nequeant ex natura rei a realitatibus inferiorum distingui, est quia non sunt conceptus adæquati, & adæquatè importantes vnam communem realitatem, sed important solum ipsasmet realitates inferiorum inadæquatè conceptas, quæ omnia constant ex dictis disp. 2. de conceptu entis, cuius exactam intelligentiam tota hæc responsio supponit.

Cum deinde arguit eodem modo de alijs gradibus communibus prædicamentalibus, nimirum substantiæ, & corporis, quod non distinguantur ex natura rei à gradibus inferioribus, quam essentialiter includitur substantia indifferentia eius contractiua ad esse hominis, & sic etiam corpus in suis differentijs contractiuis, hoc in primis falsum est, quia nec genus, nec differentia superior includitur essentialiter in inferioribus ex dictis disp. 5. log. qu. 3. art. 3. & tenet etiam Hurtad. ipse disp. 6. logic. sect. 3. vnde differentiæ generis substantiæ nec sunt formaliter substantia, nec accidēs, sed aliquid substantiæ per identitatē, quatenus sunt determinationes illius, nec possunt dici substātia, nisi realiter, & identicè, vnde & in cōmuni modo loquendi differentiæ illius prædicamenti dicuntur substantiales, non autem substantiæ, & sic proportionaliter loquendum est de differentijs cuiuscunque alterius generis, & prædicamenti, vt differentiæ relationis erunt relatiuæ non formaliter, & essentialiter, sed identicè tantum, & realiter, quia non sunt formaliter relationes, sed talitates relationum, vt loco cit. fusè explicatum est. Sed concedendo etiam gradus illos communes includi essentialiter in suis contractiuis, non adhuc benè deducitur non distingui, nec præscindere ex natura rei ab illis, sed tantum sequitur inferiora non distingui formaliter à gradbius superioribus, quia illos in-

includunt in suis formalibus conceptibus. Dices implicat superius ex naturarei distingui ab inferiori, & non è contra; quia distinctio est semper mutua inter quæcunque extrema intercedat, eo enim ipso, quod hoc non est illud, implicat illud esse hoc, & per locum intrinsecum implicat distingui hoc ab illo, & non distingui illud ab isto, sicut implicat hoc esse idem cum illo, & illud non esse idem cum isto. Resp. loquendo de distinctione propriè pro alietate ita esse, quod semper est mutua, nam si hoc est aliud ab isto, istud quoque viceuersa erit aliud ab illo siue realiter, siue formaliter, siue ratione, cæterum sumendo distinctionem pro præcisione vnius ab alio in suo conceptu, & identitatem pro inclusione illius, in hoc, inquam, sensu opus non est identitatem, & distinctionem semper esse mutuas, quia non est necesse, quod si hoc includitur in conceptu formali istius, istud quoque viceuersa includatur in conceptu illius, quia ergo superius semper includitur in conceptu formali sui inferioris, quod est eius pars subiectiua non è contra, dicimus superius distingui ab inferiori, idest ab eo præscindere, non è contra; iuxta quam significationem posset etiam è diuerso superius dici idem formaliter cum suo inferiori quatenus ingreditur conceptum formalem eius, non autem è contra, hic enim est vnus modus identitatis formalis, quo interdum vti solent Formalistæ nostri, vt suo loco dictum est, quod adnotare volui, ne cõtingat confusio, & ambiguitas in modo loquendi, dummodo constet de re, nam siue dicamus superius distingui formaliter ab inferiori, quia non includit illud in suo conceptu formali, siue dicamus esse idem formaliter cum inferiori, quatenus includitur in conceptu illius, semper verum dicimus iuxta variam acceptionem identitatis, & distinctionis formalis assignatam disp. 1. log. q. 5. art. 2. declarando illam distinctionem in solut. ad vltimum.

214 Ad 3. respondetur ex dictis num. 205. gratis concedendo non ex quibuscunq. definitionibus, & descriptionibus rerum colligendam esse distinctionem formalem, & præsertim quando rei definitiones assignantur in ordine ad operationes, plerunque enim tales definitiones dantur potius ad insinuanda varia eiusdem rei munera, quam ad explicandam eius essentiam, & formalitatem, vt benè probat argumentum; negatur tamen distinctionem formalem non colligi sufficienter ex definitionibus rerum, quibus res secundum se definiuntur, & non in ordine ad extrinseca, tunc enim propriè definitio explicat conceptum essentialem, & quidditatiuum rei. Sed dices quomodo dignosci possit rem aliquam secundum se, & per essentialia describi, & non in ordine ad operationes, aut alia extrinseca connotata. Resp. quia propriæ rerum differentiæ, nos latent, hoc esse difficile cognitu, sufficiens tamen signum esse potest, quando ex pluribus definitionibus de eadem re traditis vna potest alicui competere, cui nequit altera conuenire vt v. g. quia definitio tradita de animali, quod est substantia animata sensitiua potest competere alicui, cui nequit conuenire definitio tradita de rationalitate, nimirum bruto, hinc deduci potest non esse eandem formalitatem, quæ vtraque definitione definitur, sed diuersam. Ad vltimum, quo conenditur præcludere viam ex conuenientia, & disconuenientia eiusdem rei cum alijs deductam ad multiplicandas eiusdem rei formalitates, inquit Amicus conuenientiam Petreitatis, & Pauleitatis non esse vniuocam sed proportionalem, & ideò vitari processum in infinitum, quia conceptus analogus non est distinctus ab inferioribus, & negat eandem esse difficultatem de conceptu analogo, quæ est de vniuoco. Sed sanè debebat, & tenebatur Amicus reddere rationem istius negationis, quia Hurtad. nunquam cessabit instare, quod eodem modo conueniant Petreitas, & Pauleitas in ratione differentiæ, quo Petrus, & Paulus in ratione hominis, quousq. assignetur disparitas, & assignetur ratio negationis. Tum quia docere tenetur Amicus cur Petrus, & Paulus vniuocè conueniant in ratione hominis, & non Petreitas, & Pauleitas in ratione differentiæ, sed tantum proportionaliter, instabitur enim quousque assignetur discrimen, vel vtramque conuenientiam esse vniuocam, vel vtramque analogam. Tum quia si conuenientia analoga, & proportionalis importat & ipsa vnitatem conceptus, vt velle videtur Amic. optimè vrget Hurtad. eandem esse difficultatem de conceptu analogo, ac de vniuoco. Tum tandem quia illam quoq. conuenientiam Petreitatis, & Pauleitatis in ratione differentiæ probauimus esse vniuocam disp. 5. log. q. 2. art. 4.

Respondent passim Scotistæ vniuocam non esse, quia differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ, non essent autem primo diuersæ, si in aliquo quidditatiuè conuenirent. Sed neque hoc satisfacit, immo committi videtur petitio principij, hoc enim ipso probatur non esse primò diuersas, quia quidditatiuè conueniunt in conceptu differentiæ Petreitas, & Pauleitas, sicut Petrus, & Paulus in ratione humanitatis. Concedendum itaq. est conuenire vniuocè Petreitatem, & Pauleitatem in ratione differentiæ, non tamen sicut Petrus, & Paulus conueniunt in ratione hominis, quia conuenientia Petri, & Pauli in ratione hominis est conuenientia realis, & actualis a parte rei fundata in communi realitate humanitatis, at conuenientia Petreitatis, & Pauleitatis est fundamentalis dumtaxat, & actuatur per ipsitellectum ipsas inadæquatè concipientem à parte rei autem sunt primo diuersa, & per hoc euitatur sufficiẽter processus in infinitum, vt explicui disp. 5. log. cit. q. 2. art. 4. in sol. ad 1. & ideò via deducta ex conuenientia, & disconuenientia eiusdem rei cum alijs formali, & actuali à parte rei sufficiens est ad multiplicandas eiusdem rei formalitates, vt explicatum est art. præced. num. 200. & seq.

Quartò arguit Arriag. disp. 5. log. sec. 1. subsec. 5. quia si ratio superior ex se est indifferẽs, vt hæc, vel illa differentia specifica determinetur, ergo ratio entis, & substantiæ, quæ reperitur in Angelo, & in anima rationali potest esse de se in lapide; ergo neq. angelus, neque anima rationalis sunt omnino spirituales, quod est absurdum; patet consequentia, quia nihil spirituale potest reperiri in lapide, sed in eo potest reperiri eadem numero ratio substantiæ, quæ est in Angelo, ergo hæc non est spiritualis, ergo neq. Angelus compositus ex illa erit omnino spiritualis. Præterea ergo in Deo est aliqua ratio communis v. g. entis, & substantiæ, in qua siue vniuocè, siue analogicè Deus conuenit cum creaturis, quæ de se sit indifferens, vt eadem numero sit in creaturis, & è contrario in creatura aliqua ratio de se indifferens, vt sit realiter in Deo, quod est erroneum, quia poneretur in rerum natura aliquid, quod nec sit creatum, nec increatum; non creatum, quia potest esse in Deo, in quo nihil potest esse creatum; non increatum, quia poterat esse in creatura, in qua nihil potest esse non creatum. Deinde arguit (inquit) à priori, quia repugnat rationem substantiæ distingui à ratione entis, idemq. est de alijs gradibus inferioribus respectu superiorum, quos essentialiter includunt, quæ erat secunda ratio Hurtad. iam soluta.

215 Resp. distinguendo primum consequens, si ratio entis, vel substantiæ, quæ reperitur in Angelo consideretur in se, & cum præcisione à differentia, per quam iam est contracta ad cõstituendum esse angelicum, ita verum est eandem rationem substantiæ (eandem, inquam, formaliter non numericè, vt malè loquitur Arriag. quia naturæ communi sub præcisione à differentia indiuiduali non conuenit vnitas numerica, sed formalis dumtaxat, quæ est vnitas minor vnitate numerali, vt patebit disp. seq. quæ est in Angelo, posse quoq. reperiri in lapide, id enim conuenit naturæ genericæ ob indifferentiam, quam intrinsecè habet de se ad constituendam hanc, vel illam speciem; si verò consideretur reduplicatiuè, quatenus est in Angelo, & vt de facto stat sub contractione angelicæ differentiæ, sic nequit esse in lapide quia per talem contractionem identificata est cum differentia angelica, ratione cuius identitatis sunt inseparabilia; cum verò infertur alia consequentia, quod tunc angelus, vel anima non esset omninò spirituales, negatur consequentia, quia ex hoc quod ratio substantiæ, est in Angelo, poterat quantum est ex se esse in lapide, non sequitur illam rationem esse corpoream, & non spiritualem, sed quantum est de se præscindere à materialitate, & spiritualitate, & neutrum esse formaliter, vtrumque permissiuè ratione differentiarum contrahentium, vt passim in omni schola dicitur de quocunque conceptu generico respectu suarum differentiarum; ex quo fit quod cum contrahitur ad Angelum totus angelus dicitur spiritualis, quia substantia quæ erat indifferens ad materiale, & spirituale, per contractionem differentiæ angelicæ facta est spiritualis per identitatem; & per contractionem materialitatum ad lapidem è diuerso fit materialis per identitatem, & in hoc sensu totus lapis dici potest materialis, licet verum sit, & angelum dici spiritualem formaliter, & lapidem materialem ratione differentiæ contrahentis, non autem ratione substantiæ, quæ quantum est de se ad vtrumque est indifferens, quod totum potest declarari exemplo hominis, qui totus dicitur rationalis, & intellectiuus, quia animal per rationalitatem contractum, quatenus in ipso, factum est intellectiuum per identitatem, alioquin formaliter loquendo constituitur homo in esse intellectiuo per solam rationalitatem, gradus autem superior animalitatis, quantum est de se, tam à rationalitate, quam ab irrationalitate præscindit, & de se formaliter neutrum est, nimirum nec rationale, nec irrationale, vtrumque tamen est permissiuè ex hoc, quod contrahitur ad hominem, vel brutum. Ad Conf. Ponc. tom. 3. sui Cursus disp. 20. nu. 63. gratis conceditur dari in rerum natura aliquam realitatem, vel formalitatem, quæ secundum suum conceptum formalem nec est quid creatum, nec increatum, & inquit id esse tam verum, & tam vulgariter admissum in nostra schola, vt non debeat videri mirum, nisi ignoranti nostra principia. Sed falsitatem huius solutionis satis ostendo, disp. 2. q. 4. ar. 1. n. 77. quam neq. admittunt insigniores Auctores Scoti sectatores, vnde minus audacter ait hoc non debere videri mirum, nisi ignoranti nostra principia; quare consequenter ad ibi dicta, negatur consequentia, nam sæpè dictum est diuersam esse rationem de gradibus prædicamentalibus, & transcendentibus, quia cum hi sint communes Deo, & creaturis nequeunt aliquam præseferre realitatem communem, alioquin sequeretur inconueniens in argumento illatum dari aliquid in rerum natura, quod nec esset creatum, nec increatum, quod inconueniens non sequitur de naturis prædicamentalibus, vt fusè declaratum est loco nuper citato. Ad aliud patet ex dictis ad Hurtad. n. 215. & quamuis gradus inferiores in suo cõceptu includant superiores, vt gradus specificus genericũ (differentialis enim illũ nõ includit, & potius est gradus lateralis, quam inferior) nõ propterea sequitur identificari formaliter quasi ratio cõstitutiua hominis sit ratio cõstitutiua animalis, sed solũ sequitur superius identificari formaliter inferiori, quatenus est de conceptu essentiali illius, qui est alius sensus identitatis formalis ab ea, de qua hic loquimur, & quã excludimus à gradibus prædicamentalibus (& propriè pertinet ad identitatẽ essentialẽ, vt dictũ est disput. 1. log. quæst. 5. art. 2. in declaratione distinctionis, ac identitatis formalis in fine, & supra disput. 6. quæst. 9.) cum qua identitate stat adhuc distinctio formalis importans alietatem formalitatum, & conceptuum

rentum gradus superioris, & inferioris, prout hic de ea loquimur.

216 Quintò arguit Ouuied. controu. 4. Met. punct. 3. probans conclus. 1. differentiam indiuidualem nullo modo distingui à natura specifica, quia vel natura à differentia indiuiduali distincta haberet vnitatem multis communem, vel non; si secundum habetur intentum, quia si non est natura communis, erit de se singularis, & indiuidualis; si primum, ergo dabitur vniuersale à parte rei. Deinde si natura specifica à parte rei distinguitur à differentia indiuiduali, secluſa differentia indiuiduali intelligeretur constituta in suo esse, nihil enim constituitur per illud, à quo distinguitur, & sic etiam intelligeretur existens ante aduentum differentiæ indiuidualis; ergo vt sic existens iam esset de se indiuidua, & singularis, nec opus esset addere aliam formalitatem, qua reddatur talis, consequentia probatur, natura vt sic existens terminaret per se actionem causarum, actiones autem sunt singularium tam principiatiuè, quàm terminatiuè, nihil enim per se producitur in natura, nisi sit singulare, ergo &c. Rursus si natura specifica ex natura rei distinguitur à differentia indiuiduali, non posset natura humana in Petro differre à natura humana Ioannis per differentiam indiuidualem, sed per seipsam, & cum non differat specie ab illa, differret solo numero, & sic habetur intentum, quod per seipsam sit indiuidua absque additione alterius formalitatis distinctæ; si dicas nullo modo distingui, citrà indiuidualem differentiam, ergo intrinsecè eadem erit entitatiuè natura Petri, & Ioannis, & sic pereunte Petro periret tantum differentia eius indiuidualis, illud; natura specifica eadem omninò permaneret in Ioanne superstite. Tandem conclusione secunda postmodum probat prædicata superiora, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, ante intellectus operationem nullam inter se sortiri distinctionem, sed quia vtitur rationibus Suarez iam adductis, & solutis, estò aliqualiter immutatis, non oportet sub alijs verbis eas hìc repetere.

Resp. hæc argumenta pro exacta eorum solutione petere discussionem sequentis disputationis, quæ erit de natura communi, sufficiat interim perfunctoria solutio; Ad 1. natura vt sic distincta formaliter ab indiuiduali differentia habet vnitatem communem, sed quia talis communitas, & indifferentia, vt sit in multis, non est positiua, sed negatiua quatenus à parte rei reperitur, nec fit positiua nisi per intellectum, ideò non habet vniuersalitatem à parte rei, sed tantum per intellectum, vt dictum est disp. 4. log. q. 2. & 3. Ad 2. negatur consequentia, quia vt dictum est supra in hac disput. nu. 176. naturæ communi, vt à singularitate precisæ non conuenit existentia, sed tantum prout est cum ea coniuncta, & identificata, & sub tali statu dumtaxat terminat actionem agentis, vt benè probat argumentum. Ad 3. respondet Doctor 7. Met. q. 13. nu. 20. vbi quærit an natura Sortis realiter distinguatur à natura Platonis seclusis hæcceitatibus, & inquit, quod natura Sortis sicut differentia numerali, circumscripta, non manet vna maxima vnitate in se, sed tantum illa vnitate minori, quæ est communis, sic nec est diuisa ab humanitate Platonis diuisione numerica, nec aliqua, quia non specifica, ita Doctor ibi; & sic sequitur eandem esse naturam humanam in Petro, & Ioanne, non quidem numeraliter, & per inexistentiam, seu entitatiuè, sed eandem formaliter, essentialiter, & per indifferentiam, quæ vnitas & identitas naturæ non impedit, quin pereunte Petro pereat etiam cum eius differentia indiuiduali natura humana Petri, imò hoc est necessarium ob tealem identitatem vnius cum alia, nec facit quod pereunte natura Petri pereat pariter natura Ioannis, vt magis declarabitur disput. sequ. num. 59. & inde.

219 Sexò, arguit Pasqualig. to. prim. Met. disp. 79. sec. 2. nequit poni distinctio ex natura rei inter aliqua duo, nisi adsit distinctuum proportionatum, sed hoc non reperitur in gradibus essentiæ seorsim sumptis, ergo &c. probatur minor, esse entitatiuum est illud, quod res constituit à parte rei, solum enim ex vi ipsius potest res poni à parte rei; ergo solum est illud, quod rem distinguit à parte rei; sed gradus metaphysici seorsim sumpti non important tale esse entitatiuum, quia seorsim sumpti nequeunt terminare causalitatè agentis, ergo nequeunt inter se fundare distinctionem ex natura rei. Tum 2. si gradus essentiæ distinguerentur à parte rei vera distinctione, talis distinctio esset essentialis, caderet enim supra esse essentiale vniuscuiusque gradus, vnde solum differret à distinctione essentiarum completarum, quod non esset distinctio secundum aliquod esse completum, quemadmodum est illa, sed solum secundum aliquod esse incompletum; hoc autem dici non potest, quia si haberent tantam distinctionem, non possent identificari in eadem entitate, quemadmodum nequeunt identificari gradus illi differentiales, qui constituunt diuersas essentias. Tum 3. gradus metaphysici sunt inter se subordinati ad eandem integram essentiam constituendam, ergo nequeunt distingui inter se ex natura rei, quoniam gradus qui à parte rei petunt distinctionem, talem habent diuersitatem, vt seinuicem excludant, vt opponantur inter se, potius quam subordinentur. Tum 4. quæ ex natura sua petunt à parte rei distingui ita se habent, vt vnum non sit aliquid de altero, distinctio enim facit, vt vnum non sit aliud, sed gradus superior est aliquid de inferiori, quia includitur in conceptu eius, & est veluti inchoatio illius, & è diuerso inferior est aliquid de superiori, quia prosequitur talem inchoationem, & complet superiorem, ergo &c. Tum 5. si ex natura rei distinguuntur, non se haberent, vt superius, & inferius in eandem essentia coalescentia, sed tanquam duæ oppositæ differentiæ idem genus condiuidentes, probatur consequentia, quia data tali distinctione seinuicem excluderent in proprijs rationibus formalibus, & sic ratio vnius gradus opponeretur cum alio, non enim rerum essentiæ diuiduntur, seu separantur, nisi per oppositionem, quam habent ratione differentiarum. Tum 6. quando aliqua distinguuntur secundum suum esse, distinguuntur etiam secundum ea, quæ ad ipsum consequuntur, sed esse entitatiuum in rebus consequitur ad esse formale, nam rationes formales priores sunt ex natura sua esse entitatiuo, quia concipi potest esse formale non concipiendo esse entitatiuum, non tamen è contra; cum ergo gradus eiusdem essentiæ simplicis non distinguantur secundum esse entitatiuum, neq; etiam distinguentur à parte rei secundum esse formale. Tum demum, quia gradus metaphysici non distinguuntur inter se realiter, & entitatiuè, ergo tanto minus formaliter ex natura rei, probatur consequentia quia hæc distinctio est maior illa, maior enim est distinctio quæ est secundum esse quidditatiuum, quam illa, quæ est secundum esse entitatiuum, tum quia est intimior rei, tum quia est formalis distinctio verò secundum esse entitatiuum est materialis; tum quia secundum esse entitatiuum est tantum indiuidualis, secundum verò esse quidditatiuum est essentialis, & consequenter vel generica, vel specifica.

218 Resp. hæc argumenta ferè coincidere cum alijs eiusdem Auctoris iam solutis disput. 1. Log. q. 5. art. 2. quibus impugnat tom. 2. Metaph. disput. 59. & 60. distinctionem formalem actualem nostræ Scholæ, vnde ex ibi dictis negatur minor, ad probationem dicendum, esse entitatiuum, cum non sit nisi ipsum esse existentiale rerum, non esse proportionatum distinctiuum inseruiens distinctioni formali, prout hic de ea loquimur, sed distinctioni reali, quæ potissimum attenditur pœnes diuersam existentiam rerum, proportionatum verò distinctiuum pro distinctione formali est diuersitas conceptus essentialis, ac definitionis, quæ optimè reperitur in gradibus essentiæ seorsim sumptis, quamuis enim omnes gradus eiusdem essentiæ v. g. hominis vna, & eadem existentia existant, non tamen eadem definitione notificantur, sed diuersis quod sufficit ad formalem distinctionem inferendam inter ipsos, cum autem dicitur solum ex vi esse entitatiui rem poni à parte rei, atque ideò in ipso solo fundari omnem distinctionem à parte rei, dicendum hoc verificari solum de distinctione reali, ac entitatiua, & de eo quod à parte rei per se, & immediatè existit, vel saltim sic existere potest, & in recto, non autem de illo, quod à parte rei existit in obliquo, & ratione alterius, cuius est aliquid per identitatem, quo pacto à parte rei existere dicuntur plures formalitates metaphysicæ in vna, & eadem physica entitate, cuius dicuntur aliquitates; in hoc ergo sensu non solum esse physicum est à parte rei, sed etiam esse metaphysicum, quod in eo fundatur, & est illi immersum per identitatem realem, vnde à parte rei dicimus in homine nedum animam, & corpus reperiri, sed etiam animalitatem, & rationabilitatem, quæ sunt realitates, vel formalitates metaphysicæ. Ad 2. significat Tromb. 5. Metaph. quæst. 6. distinctionem formalem, quæ cadit inter gradus metaphysicos essentialem propriè dici non posse, quia licet singuli importent proprias quidditates, non tamen proprias essentias, in hoc enim differunt essentia, & quidditas (inquit ipse) quod essentia dicitur entitas illa, cui non repugnat esse sine altero, sed quidditas est id, quod exprimitur per definitionem, quam doctrinam non sine censura diuisi supra num. 175. quia totum in sententia nostra, relationes, & alia plura propriam habent essentiam, quæ tamen nequeunt solitariè existere; dicendum ego, vt ibi, nomen essentiæ sumi posse propriè, & in rigore pro re scilicet cui non repugnat existere, & potest esse terminus actionis agentis, quo pacto cuicunque essentiæ propria correspondet existentia, & quæ sic essentialiter distinguuntur, seu diuersas important essentias in hoc sensu, vtique identificari non possunt in eadem entitate; alio modo nomen essentiæ latius sumi potest pro quacunque ratione essentiali, & suo modo essentialiter conceptibili, & sic concedi potest formalitates, & gradus metaphysicos eiusdem rei propriam habere essentiam, ac talium est essentiæ sic sumptæ propriam, & adæquatam correspondere existentiam, & ideò benè possunt plures formalitates in eadem entitate identificari, quia non nisi vnica existentia omnes, & singulæ existunt adæquatè, per existentiam nimirum illius rei, cuius sunt aliquitates, & ad cuius spectant integritatem, quæ doctrina etiam ab ipso Pasqualig. recipitur tom. 1. Metaphysic. disput. 83. sect. 5. num. 1. explicans enim ibi dictum illud, quod cuicunque essentiæ propria correspondet existentia, ait hoc solum de illis essentijs intelligi debere, quæ constituunt vnam integram entitatem, non autem de qualibet quidditate.

219 Ad 3. negatur consequentia cum eius probatione, nam in composito physico materia subordinatur formæ ad idem totum constituendum, & tamen sunt partes inter se distinctæ, excludunt etiam seinuicem, immo & quoquomodo opponuntur in ratione actus, & potentiæ physicæ, & nihilominus in eandem physicam entitatem coalescunt per vnionem; ita ergo seruata proportione dicendum de gradibus metaphysicis generico præsertim, & differentiali; imò ex hac subordinatione vnius gradus ad alium (præsertim cum sit ex natura rei, & non merè arbitraria, vt etiam tenet ipse Pasqualig. disputat. 79. citat. sect. 3.) potius deducitur distinctio inter hos gradus, quam vnitas, & identitas, vt constat ex dictis supra n. 198. quia ordo ex natura rei talem quoque distinctionem inter ordinata postulat,

stulat, nihil enim sibi ipsi subordinari potest. Ad 4. licet de ratione distinctionis formalis in vno sensu sit; quod distinctum non sit de conceptu alterius, à quo ponitur distingui, sicut è contra illud dicitur esse idem formaliter alicui, quod est de conceptu illius, quo sensu sæpè diximus identitatem, & distinctionem formalem coincidere cum essentiali; tamen propriè loquendo de distinctione formali, vt hic de ea loquimur, non est de ratione illius, quod quæ sic distincta censentur, vnum non sit aliquid de altero, sed solum quod ratio obiectiua, siue conceptibilitas vnius sit alia à ratione obiectiua alterius, quo sensu superius, & inferius sunt formaliter ex natura rei distincta, etiamsi superius sit de conceptu inferioris, quia ratio humanitatis alia est à ratione animalitatis, quatenus addit aliquid super illam, nec eadem definitione notificantur. Ad 5. negatur consequentia, non enim quæcunque se excludunt secundum proprias rationes eo ipso opponuntur in rigore, sicut impossibilia, veluti duæ differentiæ idem genus condiuidentes, patet de re & modo, de subiecto, & passione de substantia, & accidente, quæ se excludunt secundum proprias rationes, & tamen simul componuntur, nec dicuntur opponi; & adhuc magis ad propositum patet de materia, & forma, quæ se excludunt nedum formaliter, sed etiam realiter, & tamen coalescunt per vnionem in eandem essentiam physicè compositam, sic itaque in proposito realitas superior, & inferior, licet se excludant formaliter per diuersitatem conceptuum, adhuc tamen coalescere possunt per identitatem in eandem essentiam metaphysicè compositam.

220 Ad 5. negatur minor, nam esse entitatiuum est esse physicum & esse formale est esse metaphysicum, prius autem natura est esse physicum, quam esse metaphysicum, quia hoc abstrahitur ab illo, & in eo fundatur, & formalitates metaphysicæ à formis physicis deriuantur, vt patet in homine præsertim in sententia admittente in eo formarum pluralitatem, quia à forma mixti sumitur formalitas corporeitatis, ab anima sensitiua formalitas animalitatis, ab intellectiua formalitas rationalitatis; falsum igitur omnino est, quod esse entitatiuum sequatur esse formale; si tamen per esse entitatiuum intelligatur etiam esse existentiale, in hoc vtiq. sensu verum est, quod esse entitatiuum sequitur esse formale, quia esse formale pertinet ad essentiam rei metaphysicè sumptam, & in hoc sensu procedit probatio minoris, sed hoc pacto minimè opus est, quod si gradus metaphysici distinguuntur secundum esse formale, distinguantur etiam secundum esse entitatiuum, quia existentia non sequitur ad esse formale cuiuscunq. gradus seorsim sumpti, sed ad esse formale integræ, & completæ essentiæ, quam constituunt, vt existentia hominis sequitur ad esse formale humanitatis, & hac vnica existentia existunt omnes, & singulæ formalitates metaphysicæ in humanitate immersæ per identitatem, vt animalitas, rationalitas, &c. Ad vlt. negatur consequentia cum eius probatione, quia vt constat ex tract. Formalit. distinctio formalis in schola Scotistarum est minor à toto genere distinctione reali, & ad probationes in oppositum satisfactum est superius disp. 5. q. 11. art. 2.

221 Septimò arguit Auersa q. 13. Log. sec. 4. probans præsertim genus, & differentiam in constitutione speciei non distingui à parte rei, sed tantum ratione, cuius rationes opus non est hic adducere, quædam enim solutæ sunt disput. 5. Log. qu. 3. art. 2. & aliæ minores momenti soluuntur ex dictis; nota tamen Auersam ibi falsò imponere Scoto, quod eam distinctionem, quam posuit in essentijs specificis inter genus, & differentiam, posuerit etiam in summis generibus inter ipsum ens, & differentias contractiuas entis. Falsò, inquam, id adscribitur Scoto, quia frequenter monui ad mentem Doctoris non eodem modo discurrendum esse de gradibus prædicamentalibus, & transcendentibus, quia prædicamentales important realitates communes à parte rei, non autem transcendentales, sed solos conceptus inadæquatos, vt constat ex tota disp. 2. quod autem gradus prædicamentales generici, ac specifici veras importent realitates, ac naturas communes pluribus, non quidem per inexistentiam, sed per indifferentiam iam probabitur disp. sequenti. Quod si per ens ad summa genera contractum intelligat ens finitum, quia hoc in principijs nostris propriè habet rationem generis, & constitutiuum cuiuslibet prædicamenti habet rationem differentiæ contractiuæ illius, in hoc vtique sensu verum est distinctionem eiusdem rationem nempe formalem ex natura rei versari inter ens, ac differentias eius contractiuas.

Sed hic emergit difficultas, quod inter realitates generis, & differentiæ in principijs Doctoris maior adhuc distinctio, quam formalis ex natura rei intercedere debeat, siquidem ipse 1. d. 8. q. 4. ad 1. prin. & 2. d. 3. qu. 6. infra K. ait realitatem generis, & differentiæ habere solum identitatem cum tertio, à quo si abstrahantur non remanet amplius ratio identitatis; ergo si vna realitas non postulat ex propria natura identificari cum alia, sed solum ex exigentia tertij, iam distinctio vertens inter illas non solum erit formalis, sed etiam realis in eo gradu, vt per Dei potentiam possit abinuicem separari. Resp. aliqua posse vniri in tertio dupliciter ex Doctore 2. d. 12. qu. 2. ad ad 1. prin. vel per modum rei & rei, ac vnitate vnionis, vel per modum realitatis, & realitatis, ac vnitate identitatis; quæ primo modo vniuntur vtique realiter abinuicem distinguuntur, ac etiam possunt abinuicem realiter separari, quia vtrumque extremum sicut est propriè res, ita propriam possidet existentiam, quæ autem vniuntur secundo modo possunt vtique separari obiectiuè, & præcisiuè, quia vnum non includitur in conceptu quidditatiuo alterius, nequeunt tamen realiter separari, quia non habent in se propriam existentiam, sed existunt tantum existentia tertij, cui identificantur. Instabis rursus, si ergo istæ realitates in tertio dumtaxat realem suscipiunt identitatem, ergo in seipsis realem habent distinctionem, & separabilitatem, Negatur sequela ex Scoto 1. d. 2. quæst. 7. sub H h dicente non sequi A, & B, non sunt idem realiter, ergo sunt distincta realiter, quia realitas in antecedente negatur, in consequentia affirmatur, ita quoque in proposito non valet dicere, realitates generis, & differentiæ non habent in seipsis identitatem realem, ergo habent distinctionem realem, sicut enim realis identitas ordinem dicit ad vnicam existentiam aliquorum, ita distinctio realis habitudinem dicit ad distinctam extremorem existentiam, cum ergo realitates generis, & differentiæ proprias in seipsis non habeant existdntias, quia non sunt aptæ in recto existere, sed sunt aliquitates existentis in recto, & ideò quantum est ex seipsis neque sunt realiter identificatæ, nec realiter distinctæ sed ex seipsis non sunt realiter eædem, & fiunt idem in tertio, quod constituunt.

Postremò arguit Io. de S. Th. loc. cit. q. 3. vniuer. art. 6. ex duplici capite, primò ex destructione distinctionis ex natura rei formalis generaliter loquendo, cuius rationi iam feci satis disput. 1. Log. qu. 5. art. 2. soluendo eius argumenta contra formalem distinctionem. Deinde ex peculiari ratione prædicatorum essentialium, quæ ab eadem forma proueniunt; quæ quidem ratio coincidit cum secundo argumento Suarez iam soluto nu. 210.

ARTICVLVS VII.

An omnes rerum essentiæ sint inæqualis perfectionis.

222 QVo pacto rerum essentiæ constituantur hactenus declaratum est, restat vt in hac vltima quæstione eas conferamus adinuicem, & quia vnaquæque essentia peculiarem suam dicit perfectionem essentialem, quæ tanta est, & non maior vel minor (nam, vt sæpè dictum est, hic est sermo de essentia rerum creatarum) videamus an omnes in tali perfectione inæquales esse debeant, vel potius etiam esse possint æquales. Concedunt omnes de facto dari sub eodem genere species diuersas, quarum vna est essentialiter perfectior alia, atque ideò sunt perfectionis inæqualis, & hoc est adeò exploratum, vt nemo sanæ mentis id negare queat, nam sub genere animalis species humana irrationalibus omnibus præstat, sub genere substantiæ perfectior est substantia spiritualis, quam corporea, sub genere qualitatis potentia quam habitus, & sic in multis alijs. Et ratio est, quia talis inæqualitas in perfectione essentiali non repugnat in speciebus, cum non impediat, quominus possit alioqui in aliqua ratione communi conuenire, & communicare, quia cum in ipsis assignentur gradus genericus, & differentialis ex supradictis, est diuersitate differentiarum potest attendi earum inæqualitas in essentiali perfectione, conuenientia verò, & similitudo ex gradu generico, in quo communicant, præscindendo à differentijs.

223 Itaque tota difficultas est, an etiam de facto dentur, vel saltim dari possint per potentiam naturalem, vel diuinam species diuersæ sub eodem genere, quæ adhuc sint æqualis perfectionis essentialis; in qua celebri controuersia duæ sunt oppositæ sententia, altera Antiquiorum, altera Recentiorum, Antiquiores enim ferè omnes incunctanter docuerunt essentias omnes specificas esse necessario inæqualis perfectionis, & nedum aliqui de facto negarunt inueniri duas species perfectione æquales, verum etiam de possibili etiam loquendo de potentia Dei absoluta, quia de ratione specierum aiunt esse, vt vna sit semper essentialiter perfectior alia, ita Aureol. 1. d. 3. articul. 1. prop. 2. D. Thom. quol. 3. articul. 6. & quæst. de spiritualibus creaturis art. 8. Soncin. 12. Metaph. quæst. 4. Fonsec. 5. Metaph. cap. 28. quæst. 16. sect. 2. Albertin. tom. 1. princ. 6. philosoph. punct. 7. difficul. 1. Suarez disput. 29. Metaph. sect. 2. num. 16. Vasqu. 1. part. disput. 122. num. 12. Et Scotus ipse fauere videtur pluribus in locis, ac quamplures Aristot. Expositores libr. 10. Metaphysicorum. At verò Recentiores passim oppositum docent nimirum nedum hoc non repugnare de potentia Dei absoluta quin etiam satis verisimile esse, quod de facto dentur aliquæ species, quæ cum diuersitate essentiali seruent æqualitatem in essentiali perfectione, adeout vna sit quidditatiuè perfectior alia; ita Auersa qu. 11. Log. sect. 5. Ponc. disp. 5. Log. qu. 3. Arriaga disp. 1. de Anima sect. 3. Ouied. controuers. 1. de Anim. punct. 8. §. 5. & quamplures alij moderni. Pasqualig. tandem tom. 1. Met. disp. 80. sect. 2. inquit propriè loquendo, & in rigore essentias rerum nec æquales in perfectione nec inæquales dici debere, quasi quoad perfectionem inter se commensurari possint, quia esse quantum, & commensurabile non propriè dicitur de rerum essentijs, & perfectione substantiali, sed solum de magnitudine, & mole, ac cæteris rebus, quæ aliquo modo quantæ sunt; subdit tamen enim secunda conclusione, quod quia æqualitas, & inæqualitas nedum accipi potest commensuratiuè, sed etiam proportionaliter, hoc est nedum potest haberi æqualitas, vel inæqualitas ex eo, quod aliqua inuicè cõmensurẽtur, sed etiam quia attendatur quantitas vniuscuiusq. cũ quadã proportione, quæ proportio ab aliquo tertio extrinseco ponderãmen-

mensuretur, subdit (inquam) in rerum essentijs posse dari æqualitatem secundum proportionem, licet hæc secundum proportionem non sit adeò propriè æqualitas, aut inæqualitas; & in hoc sensu secundæ adhæret sententiæ, cui etiam fauere videtur Scotus quol. 6. *Contra ista*, vbi hæc verba habet, *est enim vna species entium quantumcunque immaterialis alteri speciei immateriali æqualis, vel inæqualis secundum perfectionem*, quibus verbis æqualitatem perinde, ac inæqualitatem esse inter species possibilem asserere videtur.

ARTICVLVS I.

Resolutio quæsiti.

224 PRo resolutione quæsiti supponendum est cum communi contra Pasqualig. cit. id quod notatum est disp. 7. quæst. 2. ab initio num. 26. non immeritò ex rebus corporeis translatum esse quantitatis nomen ad significandum gradus perfectionis cuiuscunque rei in suo genere, & ideò dicitur quantitas virtutis, seu perfectionalis, quæ per omnia genera vagatur, qua ratione dicitur quantitas transcendens ad differentiam quantitatis molis, quæ propriè in quantitatis prædicamento recluditur, cuius metaphoricæ translationis fundamentum ibi explicui, & hoc ipsum concedit Pasqualig. loc. cit. Sed cum hoc negat æquè benè ad essentias rerum transferri æqualitatem, & inæqualitatem, quod nec puto verum, nec satis consequenter dictum, eo enim ipso quod subiectum, vel eius significatio ad aliqua extranea metaphoricè transfertur, idem quoque iudicium de eius proprietatibus ferendum est v.g. si risus, vel ridere ad luxuriem pratiuentis significandam transferatur, pariter eodem modo proprietates risus ad pratum transferuntur, vt esse hominis lætificatiuum &c. cum ergo sit proprium quantitatis secundum eam æquale, & inæquale dici, concedendum est ad translationem quantitatis ad rerum perfectionem significandam, etiam ipsam æqualitatem, ac inæqualitatem transferri posse. Confirmatur hæc doctrina, quia sicut quod est propriè quantum potest etiam cum omni proprietate æqualitatem, vel inæqualitatem fundare, ita quod est solum metaphoricè quantum, & per quandam analogiam potest eodem modo dici æquale, vel inæquale, ergo quantitas transfertur per quandam analogiam ad essentias rerum, earumque perfectionem essentialem significandum, poterit eodem modo transferri æqualitas, vel inæqualitas.

225 Hinc docet Scot. 1. d. 19. qu. 1. quod sicut præter quantitatem prædicamentalem, quæ est propria corporum, admittitur quantitas transcendens, quæ est quantitas virtutis propria essentiarum, ita quoque præter æqualitatem, & inæqualitatem prædicamentalem, quæ est proprietas quantitatis prædicamentalis, admitti debet æqualitas, ac inæqualitas transcendens; ideò inquit de æqualitate similitudine, acidentitate bifariam nos posse loqui, primo modo propriè, & strictè, & sic sunt relationes diuersis generibus appropriatæ, vt identitas substantiæ, æqualitas quantitati, & similitudo qualitati, alio modo communiter, & large, & sic in omni genere, ac etiam extra genus reperiuntur, ad cuius rei intelligentiam notat ibi Doctor §. *de secundo*, hæc tria nempe substantiam seu essentiam, qualitatem, & quantitatem bifariam accipi posse, strictè, & propriè, quo pacto tria constituunt prædicamenta, deinde communiter, & impropriè, quo pacto in omni ente reperiuntur; quod quidem de substantia patet, quia sæpè pro essentia sumi solet, quæ in omni ente reperitur, quodlibet enim ens habet necessariò suum quid, idest suam essentiam; qualitas pariter in ea significatione per omnia vagatur genera, quia in hoc sensu sumitur pro differentia essentiali, de quo modo qualitatis ait Doctor loqui Philosophum, scilicet Metaphysic. cap. de qualitate, vbi essentialem differentiam qualitatem appellat, qua phrasi vtitur quoque Porph. dum ait prædicari in qualequid; Quantitas tandem, vt dicebamus, per analogiam ad omnia genera transfertur, ac etiam extra genus reperitur, quatenus significat magnitudinem perfectionis, quæ dicitur quantitas virtutis, de qua dicit Aug. 6. de Trin. c. 7. quod in his, quæ non mole magna sunt, idem est melius esse, quod maius esse. Ex hoc infert Doctor cum Aristot. quodlibet ens tribus modis considerari posse, primò vt quid, idest per modum habentis quidditatem, & essentiam, secundò vt quantum, idest per modum habentis propriam perfectionem, tertiò deniq; vt quale, & secundum hanc triplicem considerationem potest super ipsum ens fundari triplex relatio communiter sumpta, identitas fundatur super quodcunque ens in quantum est quid, æqualitas, & inæqualitas, quatenus quodlibet ens reale est quantum quantitate perfectionis, similitudo tandem, & dissimilitudo, inquantum est quale, sicut ergo substantia, qualitas, & quantitas, quæ sunt fundamenta identitatis, similitudinis, & æqualitatis in omni genere, ac ente reperiri possunt, ita & præfatæ relationes possunt in quolibet ente fundari modo iam declarato.

226 Sed, & hoc rursus declarat Doctor peculiariter de æqualitate, & inæqualitate quol. 6. §. *de primo*, his verbis, Philosophus 5. Met. c. de quant. dicit, sunt autem magnum, & paruum, & maius, & minus, & secundum se, & ad inuicem dicta, quanti passiones secundum se, transferuntur etiam & ad alia hęc nomina; vult dicere (inquit Doctor) quod magnum, & paruum siue accipiantur absolutè, & secundum se, siue respectiuè, secundum se conueniunt quantitati propriè dictæ translatiuè autem aliis. Et hoc apparet satis per rationem, quod non negaret Philosophus æqualitatem esse indiuiduorum eiusdem speciei in quolibet genere, & inæqualitatem specierum, & per consequens, cum secundum ipsum æquale, & inæquale non dicantur, nisi secundum quantitatem, quantitas aliquo modo conuenit omni enti cuiuscunq; generis, & per consequens licet magnum, & paruum secundùm eum sint passiones propriæ quantitatis, tamen translatiuè accepta sunt transcendentia, & passiones totius entis. Aug. autem 6. de Trin. c. 8. istam magnitudinem, quam Philosophus dicit translatiuè dictam, dicit esse magnitudinem non molis sed bonitatis, & perfectionis, in his (inquit) quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quam melius esse. Patet ergo, (concludit Doctor,) quod magnum primo modo secundum Arist. propriè dictum, & secundum Aug. magnum mole non est in Deo nec in aliquo spirituali, sed magnum translatiuè secundum Philosophum, & magnum bonitate, & virtute vel perfectione potest poni ibi, quia illud est transcendens conueniens suo modo omni enti; ita discurrit Doctor loc. cit. ex quibus euidenter deducitur contra Pasqualig. ad essentialem rerum perfectionem dignoscendam, & tantitatem, seu gradum cuiuscunq; non solum quantitatem ipsam ad rerum essentias transferri posse, ac debere verum etiam æqualitatem, & inæqualitatem per quandam analogiam.

227 His itaque suppositis, vt communiter ab omnibus concessis, mihi videtur dicendum cum priori sententia essentias omnes specificas necessariò esse debere in perfectione essentiali inæquales, itaut implicet duas reperiri eiusdem omninò perfectionis. Conclusionem hanc pluries insinuat Doctor, licet ex professo dubium hoc non resoluat in terminis, sed potius eam supponere videatur, nam in 1. d. 2. qu. 1. X. & sequ. & in 2. d. 3. quæst. 10. proponendo illam suam maximam, vbi pluralitas requirit maiorem perfectionem, infinita pluralitas requirit infinitam, supponit quod effectus solo numero distincti sunt æqualis perfectionis essentialis, at effectus specie distincti semper inæquales, & vnus alio essentialiter perfectior; & in 4. d. 12. q. 3. F. & G. ait causam vniuocam, quæ scilicet est eiusdem rationis, & speciei cum effectu producto, esse æquè perfectam cum effectu producto, causam verò æquiuocam, quæ scilicet est alterius speciei ab effectu, esse perfectiorem; & quol. 6. §. *de primo*, ait quod æqualitas perfectionis essentialis ita est propria indiuiduorum sub eadem specie, sicut inæqualitas est propria specierum sub eodem genere, & alibi frequenter eodem modo loquitur; nec obstat quod quolib. eodem inferius, §. *contra ista*, ait, quod scilicet, vna species entium quantumcunque immaterialis est alteri speciei immateriali æqualis, vel inæqualis secundum perfectionem; per hoc enim asserere noluit posse plures species esse inter se æquales, quia de hoc non erat ibi disputatio, sed solum innuere voluit vnamquamque speciem propriam possidere perfectionem, secundum quam alteri comparata dicatur illi æqualis, vel inæqualis, vnde non loquitur aliquid asserendo de æqualitate, aut inæqualitate specierum, sed potius præscindendo ab ista quæstione; eandem tenent Scotistę quamplures, sed præsertim præstantissimus inter omnes Tromb. 1. Metaph. quæst. 1. art. 1. sed quia pluribus rationibus, & auctoritatibus Aristo. probari solet, quæ non conuincunt omnimodam huius conclusionis veritatem, antequam verum fundamentum proponatur, ne in eius probatione quilpiam decipiatur, eas examinare iuuabit.

228 Primò probari solet, quia omnes differentiæ specificæ sunt inter se inæquales in perfectione, ergo & ipsæ essentiæ specificæ ex ipsis constitutæ, consequentia patet, probatur assumptum ex Arist. 10. Met. 17. vbi ait semper vnam differentiam se habere, vt formam, alteram vt priuationem, neque nomine priuationis simplicem intelligit negationem, sed intelligit imperfectiorem differentiam, quatenus minus altera participat de perfectione, & ideò est quodammodo priuatio, quatenus priuat speciem constitutam per ipsam maiori aliqua perfectione, vt ibi Commentator exponit; ita arguit Aureol. cit. & Sonc. 12. Met. qu. 4. qui hanc rationem appellat demonstrationem in doctrina Arist. & Comment. fundatam. Hæc ratio non probat, quia Aduersarij statim negabunt assumptum, quod non sufficienter ex Aristot. auctoritate adducta probatur, tum quia Aristot. re vera ibi nec de diuersis differentijs genus contrahentibus loquitur, nec de omnibus speciebus diuersis, sed tantum contrarijs, & ibi solum ostendere intendit habitum, & priuationem esse principium contrarietatis, quatenus vnum contrarium semper habet priuationem alterius, licet non in omnibus similiter, vt ibi grauiter exponunt Scotus, & Alensis. Tum quia etiamsi Arist. loqueretur ibi ex instituto de omnibus differentijs generum diuisiuis, falsum est, quod accipiat priuationem pro ignobiliori forma, quia sæpè contingit ex vocabulorum inopia differentiam nobiliorem per modum priuationis explicari, vt v.g. immaterialitas est nobilior materialitate, & immortalitas mortalitate, & tamen explicantur per modum priuationis. Denique quando etiam Philosophus ita explicaretur, vt ibi pro contrarijs accipere differentias generum diuisiuas, & priuationem sumeret pro ignobiliori differentia, adhuc ratio non conuincit, quia dicetur Arist. loqui vt in plurimum, & secundum communem naturę cursum, non autem simpliciter, & absolutè.

Secundò probatur, quia species rerum se habent, sicut numeri ex Arist. 8. Met. 10. sicut ergo implicat dari duas numerorum species, quæ sint æquales in quantitate discreta, sic implicat dari duas essentias specificas equales in quantitate virtutis, seu perfectionali, & hac auctoritate vtitur Tromb. loc. cit. Conf. quia 3. Met. 11. habetur in speciebus

inueniri prius, & posterius, ideſt melius, & deterius, ergo ſpecies debent eſſe inæqualis perfectionis. Sed neque auctoritates iſtæ ſunt efficaciores præcedenti, non prima, quia Ariſt. ibi certè non comparat ſpecies ad numeros ſimpliciter, & abſolutè loquendo, & quoad omnem proprietatem, ſed quoad iſtam præcipuè, & patet ex ipſo contextu, & explicat ibi Doctor, & in 1.d.37.q.3. §. *ad iſtam quæſtionem* 20. quod ſicut numerus quilibet additus numero numerum variat, ita quilibet gradus eſſentialis in forma additus variat ſpeciem; non ergo docere intendit Ariſt. quod ratione inæqualitatis ſpecies rerum ſint ſicut numeri, quaſi debeant neceſſariò inter ſe inæquales eſſe, ſicut illi, ſed tantum quoad hoc, quod quælibet additio, vel detractio illas eſſentialiter variat, ſicut variat numeros, & ideò ait illas conſiſtere in indiuiſibili. In alio loco aſſerit quidem in ſpeciebus inueniri illud prius, & posterius, ſeu melius, & deterius, quod in indiuiduis eiuſdem infimæ ſpeciei non reperitur, non tamen dicit hunc ordinem eſſentialem in omnibus prorſus ſpeciebus inuenire, & neceſſariò, vnde bene explicari poteſt, ac ſine violentia textus, quod loquatur vt in plurib⁹, & ſecundùm id, quod regulariter contingit, cum quo ſtat, vt oppoſitum accidere poſſit abſolutè loquendo.

229 Tertiò probat Vaſquez ſpecie diſtincta non poſſe eſſe æqualia in perfectione, quia quæ æqualia ſunt commenſurari poſſunt, ſed quæ ſunt diuerſæ rationis nequeunt inuicem commenſurari, nam q ç commenſurantur debent neceſſario eſſe eiuſdem rationis, ergo nequeunt eſſe æqualia; minor fundatur in eo, quod Ariſt. docet 10. Met. 4. quod menſura ſemper eſſe debet homogenea cum menſurato, ideſt eiuſdem rationis, & ordinis, vnde menſura quantitatis debet eſſe quantitas, & ſic de alijs. Cæterum Aduerſarij defectum rationis huius optimè adnotarunt præſertim Ouuied. & Aueri. ſi enim quid probaret, conuinceret quoque res ſpecie diſtinctas non eſſe inter ſe nec æquales, nec inæquales, quia commenſuratio eſt vnicum fundamentum ad deprehendendam inæqualitatem non minus, quam æqualitatem inter aliqua duo nec minus eſſentialiter inæqualitas, quam æqualitas commenſurationem connotat. Tum quia ſicut didimus quantitatem permanentem, & ſucceſſiuam non eſſe inuicem commenſurabiles, quia ſunt diuerſæ rationis, ideſt non poſſe vnum palmum, vel vnam eſſe æqualem, aut maiorem, vel minorem vna hora; eadem ratione quia homo, & aſinus ſunt diuerſæ rationis, nec homo dici poſſet perfectior eſſentialiter aſino, nec aſinus imperfectior homine. Fatendum igitur eſt tam quantitates æquales, quam inæquales inuicem commenſurari poſſe, pro quo notat Doctor 1.d. 2. qu. 2. §. *ad 2. partem quæſtionis*, quod menſurare eſt quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam, hæc autem certificatio de quantitate quantitatis ignote poteſt fieri tripliciter, vel per quantitatem excedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minori per acceſſum eius ad quantitatem maiorem, vel receſſum ab ea, alio modo menſuratur per quantitatem exceſſam, quia quantitas nota minor eſt, pars quantitatis maioris, quæ magis ignota eſt, & tunc illa quantitas minor per ſui replicationem menſurat ipſum totum quantum maius; tertio modo menſuratur quantitas ignota per aliquam quantitatem notam, & diſtinctam, & æqualem ſibi, & hoc fit per applicationem ſiue ſuppoſitionem & inquit quod menſura ponitur in quidditatibus rerum primo modo, & menſura eſt perfectior menſurato, quæ dicitur eſſe notior ipſo menſurato, ſicut albedo ponitur menſura in genere colorum, & in quolibet genere eſt vnum primum, quod eſt metrum, & menſura omnium aliorum, ex 10. Metaphyſic. 2. & Deus dicitur prima menſura omnium, quæ ſunt in quocunque genere, ita Doctor citat. ex quo rurſus colligitur non poſſe in eius ſententia dari plures quidditates in perfectione æquales, quia inquit illas menſurari ſolum primo modo nimirum per acceſſum in perfectione quidditatis exceſſæ ad excedentem, ſi autem eſſent æquales poſſent etiam menſurari per applicationem, quod Doctor negat.

330 Ex hac itaque doctrina conſtat tam æqualia, quam inæqualia commenſurari poſſe, æqualia quidem per applicationem adinuicem, inæqualia verò per acceſſum, vel receſſum, aut per replicationem modo iam explicato; vnde ad argumentum vel abſolutè debet negari maior, vel explicanda eſt de commenſuratione, quæ fit per applicationem menſurati ad menſuram, non autem quæ fit aliis modis, nempe per acceſſum, vel receſſum, aut replicationem; minor etiam vel explicari poteſt eodem modo, vt nimirum ſit ſolum vera de commenſuratione facta per applicationem, vel debet abſolutè negari, & ad probationem dicendum illam Ariſt. propoſitionem 10. Met. text. 4. quod menſura eſſe debet vnigenea menſurato, præcipuè, & proprie ſuam habet veritatem in quantitatibus molis, in quibus quia commenſuratio fit vel per contactum corporum adinuicem, vt in quantitate continua, vel per continentiam vnius in alio, vt in diſcreta, vel per impulſum, vt in pondere, menſura, & menſuratum debent eſſe eiuſdem rationis, non enim palmus ligni benè dimetiri poteſt cum libra ferri, ſed pondus pondere, numerus cum numerò, & extenſio cum extenſione debent conferri, idque conſtat ex ipſiſmet exemplis ab Ariſtot. adductis, cum inquit ſemper autem menſura eiuſdem generis eſt, magnitudinum namque magnitudo, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocum vox, grauitatis grauitas, vnitas vnitatum; cum autem ratio menſuræ à genere quantitatis ad alia gener. transfertur, opus non eſt, quod tanta intercedat vnigeneitas inter menſuram, & menſuratum, ſed ſufficit, quod ſit vnitas quædam analogiæ, & ordinis per attributionem vnius ad aliud, vt ibi explicat Alenſis, vbi ex profeſſo monet hoc dubium, quomodo menſura debeat eſſe vnigenea menſurato, & inquit inter menſuram, & menſuratum non vtique attendi debere vniformitatem in omnibus, & vniuocationem in omni modo, qualis eſt ſpecifica, quia albedo eſt menſura omnium colorum, & tamen non eſt eiuſdem rationis ſpecificæ cum illis, ſed ſufficit, quod ſit vnitas genetis, vel analogiæ, malè ergo aſſumit Vaſquez in ſuo argumento quæ commenſurantur eſſe debere eiuſdem rationis ſpecificæ, quia Ariſtot. ait ſufficere, quod ſint eiuſdem generis; imò inquit ibi Alenſis citat. vnitatem ſpecificam ad hoc eſſe omnino ineptam, quia quæ ſunt ſic vnius rationis non eſt maior ratio, quod vnum ſit menſura alterius quam è conuerſo, ex quo enim vnam rationem participant, ſi vni conuenit ratio menſuæ, & reliquo, & ſimiliter ſi vni conuenit ratio menſurati, etiam & alteri, vnde concludit vnigeneitatem, quæ eſt inter menſuram, & menſuratum, non eſſe vnitatem vniuocationis omni modo.

231 Quartò, probat Suarez ſpecies nequeunt inter ſe diſtingui, niſi per differentias inæquales, ergo nequeunt æquari in perfectione eſſentiali, Conſequentia patet, probatur aſſumptum, nam ſi differentiæ ſunt æquales, æqualiter diſtant à primo ente, & non ente, & ſic non haberent, vnde diſtinguerentur ſpecies illæ, quia nec per acceſſum ad perfectionem primi entis, nec per receſſum ab imperfectione non entis; & hæc fuit quoque ratio Sonc. loc. citat. Negant Aduerſarij aſſumptum, & eius probationem; nam inquit Ouuied. quod ſicut in rebus, quas poſſumus materialiter metiri, duos terminos reperimus æquè diſtantes ab eodem tertio, vel ab eodem centro, & inter ſe oppoſitos, & diſtinctos v.g. villam diſtantem ab hac domo per vnam leucam linea recta verſus Orientem, & caſam diſtantem per aliam leucam linea recta verſus Occidentem ab eadem domo, in quibus reperimus duos terminos diſtinctos, & oppoſitos cum æquali diſtantia ab eodem centro; ſic in ſpeciebus poſitiuis poſſunt duæ reperiri diſtinctæ, & oppoſitæ; & æqualiter à primo ente, & non ente diſtantes vnaquæque per ſuam peculiarem entitatem, & perfectionem; ſic etiam reſpondet Palqualig. eodem vſus exemplo, cui tota nititur reſponſio. Sed hoc exemplum ad rem eſſe non puto, quia vt notat Scot. 1.d. 2. quæſt. 2. lit. Z. & 4.d. 1. quæſt. 1. §. *ratio ſecunda*, quando inter extrema nulla eſt diſtantia media, ſed ipſa dicuntur præcisè diſtare ratione ipſorum extremorum inter ſe, tanta eſt diſtantia, quantum eſt maius extremum, ſic autem in propoſito diſtant Deus, & creatura, ens & non ens, quia detur creatura quantumcumque perfecta, etiam ſuprema ſi poſſibilis foret, adhuc Deus abeſt infinitum diſtaret, non propter aliquam diſtantiam mediam inter extrema, ſed propter infinitatem vnius extremi; ſic etiam contradictoria, vt ens, & non ens non diſtant per aliqua media, quia immediatè opponuntur ex 1. Poſt. ita quod quantumcunque parum recedit aliquid ab vno extremo, ſtatim eſt ſub altero, ſed diſtant propter ipſa extrema inter ſe, & tanta eſt diſtantia, quantum eſt illud extremum, quod eſt perfectius; in quantitatibus autem vt patet in exemplo adducto, eſt diſtantia propter aliquod medium interiacens, & ideò ſecundùm quantitatem ſpatij interiacentis, eſt diſtantia illa quanta; ex quo patet exemplum non eſſe ad rem quarecum inter Deum, & creaturam, ens & non ens nullum ſit medium interiacens, diſtantia non erit quanta, niſi ſecundum quantitatem alterius, extremi, & perfectioris, quod etiam Doctor ſuadet ratione, quia nihil aliud eſt diſtantia hæc, niſi exceſſus vnius ſuper alterum, quando autem excedens eſt immediatum exceſſo, vt eſt in propoſito, quantitas exceſſus erit ſecundum quantitatem excedentis.

232 Ex hac doctrina patet, in quo re vera argumentum deficiat, ſit enim in ipſo fallacia aſſumendo non cautam procauſa, quia eſſentiæ creatæ non diſtinguuntur adinuicem propriè per diſtantiam à primo ente, & non ente, vt in argumento aſſumitur, quandoquidem omnes à primo ente in infinitum diſtant, vt conſtat ex allata doctrina, vnde hæ ſint æquales inter ſe, ſiue inæquales ſemper eodem modo diſtant à primo ente, ſcilicet, infinitè, ideoque ex tali diſtantia earũ diſcrimen adinuicem non benè diſcernitur, idem etiam ſequitur loquendo de diſtantia a non ente, ſi enim eſt verum commune dictum, quod inter nihil, & ens, & vniuerſaliter inter contradictoria eſt diſtantia infinita, tunc omnes ſpecies quoque æquè diſtabunt a non ente, ſcilicet infinitè, quod quidem dictum licet Doctor non recipiat ſimpliciter, & abſolutè prolatum, recipit tamen ſi accipiatur infinitè pro indeterminatè, vt explicat 4.d. 1. qu. 1. G. Accedit, quod benè aduertit Ouuied. data duarum ſpecierum æqualitate v.g. leonis, & vrſi, adhuc fallum eſſe, quod eodem modo diſtarent, & recederent a non ente, quia leo recedit a non ente per excluſionem negationis leonis, non autem per excluſionem negationis vrſi, quandoquidem per poſitionem, & exiſtentiam leonis deruitur non eſſe leonis ſub non ente contentum, non verò non eſſe vrſi, & è contra vrſus ob eandem rationẽ recedit à nõ ente per excluſionẽ negationis vrſi, non vero leonis, & ſic non eodem modo diſtant a non ente. Poſſet tamen hoc argumentum vrgeri ad hominem, quia ex Aduerſarijs quamplures tenent cum D. Thom. 1.par. quæſt. 15. art. 2. & 3. ideas creaturarum in diuina eſſentia multiplicari per diuerſos reſpectus imitabilitatis & participabilitatis, vnde eadem eſſentia diuina quatenus participabilis in tot gradibus perfectionis, eſt idea leonis, quatenus

genus imitabilis in pluribus est idea hominis &c. ex hac doctrina potest præfatum argumentum sic vrgeri; si duæ species essent æquales in perfectione essentiali, tunc eodem modo distarent ab infinita perfectione diuinæ essentiæ; ergo non haberent, vnde distinguerentur abinuicem, probatur consequentia, quia entia ideata principiatiuè per suas ideas distinguuntur, nam vnicuique enti reali, & ab alio realiter distincto propria in Deo correspondet idea, ad cuius instar efformatum est, sed illæ duæ species proprias, & distinctas in Deo non haberent idæas, ergo non essent abinuicem distinctæ, & diuersæ, maior patet per August. lib. 83. quæst. q. à Scoto relatum 1. d. 35. vbi ait alia ratione conditum esse hominem, alia equum, &c. adeoquod optimè ex diuersitate idearum diuersitas ideatorum arguitur, probatur minor, quia ex hypothesi, quod æqualem obtineant illæ duæ species perfectionis gradum in ordine entium, sequitur quod diuinam respiciant essentiam sub eodem prorsus respectu imitabilitatis, & participabilitatis, ideoque vnam ac eandem habere formaliter ideam, quia ex D.Th. loc. cit. multiplicatio idearum in diuina essentia non nisi ex multiplicatione respectuum imitabilitatis in ea attendi potest,

233 Quintò probat Trombet. citat. impossibile est reperire duas differentias essentiales æquè perfectas; ergo & duas essentias æquè perfectas, probatur assumptum, quia essentiales differentiæ diuidunt aliquod vnum genus commune, & quæcunque sunt diuidentia aliquod vnum commune sunt opposita, & ordinata essentialiter inter se, ergo de necessitate vna est nobilior alia. Conf. cum genus diuisum se habeat in potentia respectu differentiarum essentialium, & eadem potentia non possit æquè primò ad aliquos actus essentiales sine tali ordine, & cum potentia ipsa generis prius nata sit perfici per vnum actum essentialiter, quam per alium, sequitur quod ipsum genus æquè primò non respiciat ipsas differentias essentiales, vt perfectibile per ipsas. Conf. vlterius, quia vbi est maior inclinatio potentiæ ad actum, ibi potentia prius est nata perfici per talem actum, ad quem magis inclinatur, quam per alium; sed certum est, quod maior est inclinatio potentiæ generis ad vnum actum essentialem quàm ad alium, ergo prius genus natum est perfici per ipsum, quam per alium; ex quibus tandem infert Trombet. quod est ordo essentialis perfectionis inter actus importatos per differentias essentiales secundum se, & in ordine ad potentiam generis, quæ perficitur per ipsos actus. Neque hæc ratio concludit, quia Aduersarius statim negabit assumptum cum eius probatione, nempe esse indispensabiliter opus, vt diuidentia aliquod commune sint inuicem essentialiter ordinata; & eadem facilitate negabit totum, quod assumitur in prima confirmatione, nam assumitur, vt verum, & concessum, quod esse in controuersia, scilicet potentiam generis non posse, æquè primò sine vllo ordine plures actus essentiales respicere, & prius perfici debere per vnum quam per alium. Ad vlt. Conf. pariter negabitur minor, nam ex hypothesi, quod essent plures differentiæ æqualis perfectionis, non erit maior inclinatio generis ad vnam quàm ad aliam,

234 Sextò, itaque probari debet cum acutissimo Aureolo, quæ conueniunt in eodem gradu perfectionis specificæ, necessariò sunt eiusdem speciei, ergo implicat dari duas essentias in perfectione essentiali æquales, quæ adhuc sint diuersæ speciei; consequentia de se patet, probatur assumptum, quandocunque enim aliqua sunt idem realiter, & formaliter, ac etiam ratione, quæ in vno illorum conueniunt, conueniunt & in reliquo; sed gradus perfectionis specificæ, & essentialis, & ipsa essentia specifica sunt vnum, & idem, realiter, & formaliter, & secundum aliquos præsertim ex Aduersarijs etiam ratione, ergo quæcunque conueniunt in eodem gradu specificæ perfectionis; conueniunt etiam in ratione specifica; maior patet, quia si illæ duæ species in vno conuenirent, & in alio differrent, iam palam constat illa non esse idem, quia eadem omninò realitas, & formalitas nequit esse ratio conueniendi, & differendi; probatur minor, quia secundùm communem omnium sententiam perfectio essentialis rei non est quid reipsa distinctum ab ipsa re cuius est perfectio, quia hæc perfectio essentialis vel ponitur esse ipsa essentia, quatenus talem gradum obtinet in toto ordine entium, vel modus intrinsecus eius; vel saltim ipsa bonitas, quæ est passio cuiuscunque entis secundum varietatem opinionum, constat autem hæc non distingui realiter à re, siue ab essentia rei, quia passio identificatur realiter cum essentia rei, & modus adhuc est illi intimior, vt patet ex supradictis, ergo &c. hæc est ratio mihi quidem euidentissima, quam tamen Aduersarij, in terminis non adducunt, sed sub alijs verbis eam insinuant fortè vt eius efficaciam dissimulent. Neque dicas essentiam, & perfectionem essentialem saltim distingui, vt rem, & modum; quia in primis hoc falsum est in Aduersariorum sententia, qui nec etiam ratione illa distinguunt. Deinde hoc etiam concesso hæc modalis distinctio non sufficit, cum sit minima inter omnes ex natura rei; vt mox constabit in solutione obiectionum art. seq.

Respondet Ponc. cit. num. 33. primò negando assumptum, & dando instantiam in attributis, ac relationibus diuinis, quæ sunt æqualis perfectionis, & tamen sunt veluti diuersæ speciei, ac alterius rationis; sed interim ad probationem assumpti non respondet, quam non adducit, cum tamen in ea præcipuè consistat totum robur rationis; illarum autem instantiarum inanitatem ostendam art. seq. in solutione obiectionum. Deinde subdit posse dici, quod illa conuenirent in eadem differentia quantum ad hoc, quod vtraq; principiaret tantam perfectionem itaut perfectio principiata ab vna non sit maior, ac minor, quam illa quæ principiatur ab altera; sed quod disconuenirent in eadem differentia, quatenus perfectio tanta causata ab vna esset diuersæ rationis à perfectione tanta causata ab altera. Sed hæc solutio nostram potius rationem consolidat, quam eneruet, quia differentia specifica ideò hanc speciem constituit cum genere, & non aliam, quia est principium tantæ perfectionis non maioris, nec minoris, seu quia constituit essentiam in tali gradu perfectionis, & non maiori, vel minore; ergo si illa duo conuenirent in eadem differentia quantum ad hoc, quod vtraq; principiaret tantam perfectionem, etiam conuenirent in ea quoad hoc, quod vtraq; eandem constitueret essentiam, & speciem. Conf. quia essentia, vel differentia specifica ita est principium perfectionis entitatiuæ, quæ est gradus eius intrinsecus, vel passio, vt talis perfectio illi omninò commensuretur, adeout ex simili, vel æquali perfectione essentiali duorum possit inter ipsa argui identitas essentialis, & specifica, vt constat in indiuiduis eiusdem speciei, & ex inæqualitate diuersitas, ergo repugnat omninò esse duas species diuersas, & simul æquales in perfectione.

235 Dices cum Ouied. cit. n. 41. albedo intensa, vt octo, & nigredo intensa, vt octo, habent æqualem intensionem, & perfectionem gradualem, etiamsi illarum naturæ sint diuersæ ac specie distinctæ. Contra, quia exemplum est omninò absre, nam hic est sermo de perfectione essentiali, quæ est omninò idem cum ipsamet rei essentia, exemplum verò loquitur de accidentali, quæ realiter distinguitur ab essentia cum possit ab ea separari, nam gradus intensionis in albedine, scilicet vt duo, vel tria, aut quatuor separantur à natura albedinis, vt experientia constat, quia igitur ob talem realem distinctionem, ac separabilitatem tantæ v. g. intensionis ab albedine, & nigredine potest albedo cum nigredine in intensione conuenire, & adhuc in natura differre, ita per oppositum ab omnimodam identitatem perfectionis essentialis cum natura specifica impossibile est dari duas essentias, quæ sint æqualis perfectionis essentialis, & adhuc discrepent in natura. Robur itaque istius argumenti, quod meo iudicio est ineluctabile, consistit in hoc, quod perfectio essentialis est idem omninò cum essentia specifica ex natura rei, quomodo ergo duæ species in perfectione essentiali conuenire possunt, & non in essentia? Et rursus, cum ratio differentiæ specificæ per hoc explicetur, quod est principium tantæ perfectionis essentialis, non maioris, vel minoris, quomodo dari potest alia differentia specifica, quæ pariter sit principium tantæ perfectionis, & adhuc non sit eadem cum illa, sed diuersa?

236 Septimò, & est confirmatio præcedentis argumenti, ratio præcisa, & à priori, cur indiuidua sub eadem specie sint æqualis perfectionis essentialis est, quia sunt eiusdem speciei; & eiusdem rationis, cum species totam dicat quidditatem indiuiduorum; ergo quæ sunt diuersæ speciei, erunt necessario quoque inæqualis perfectionis essentialis, assumptum patet, quia cum eandem habeant essentiam specificam, eadem quoq; vel æqualis erit essentialis perfectio in illis, consequentia deducitur per illam maximam, in causis præcisis sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis; si ergo causa præcisa, cur indiuidua sint perfectione paria, est identitas speciei, ita ex opposito causa præcisa, cur species sint perfectione inæquales, erit essentiarum diuersitas; ergo quæ sunt æqualis perfectionis sunt omninò similia in essentia, & quæ inæquales sunt dissimilia. Confirm. quia indè colligimus à posteriori Petrum, & Paulum esse eiusdem speciei, quia sunt æqualis perfectionis essentialis, ergò illa omnia sunt eiusdem speciei, quæ sunt æqualis perfectionis. Negat Poncius assumptum huius confirm. & inquit potius indè colligi Petrum, & Paulum eiusdem esse speciei, quia nullam videmus dissimilitudinem inter prædicata essentialia eorum, sed potius summam similitudinem. Contrà, quia licet ita benè colligatur à priori, tamen etiam benè talis identitas specifica inter plura eiusdem speciei indiuidua colligitur ex æqualitate perfectionis inter ea à posteriori, de qua collectione loquitur argumentum. Deindè ex hoc quod duo indiuidua similia habent prædicata essentialia non solùm benè deducitur, quod sint eiusdem speciei, sed etiam quod sint æqualis perfectionis essentialis; ergo à posteriori ex hoc quod sint æqualis perfectionis pariter deduci potest, quod sint eiusdem speciei.

Denique concipiens gradum intrinsecum entitatis alicuius naturæ specificæ non concipit circa illam naturam aliquid realiter superadditum, aut formaliter, sed ipsammet naturam in tali, vel tanto gradu, vndè intellectus diuidens genus per differentias, rationes illas diuisiuas concipit, vt quosdam gradus, qua de causa dicuntur gradus metaphysici; sed impossibile est duos gradus concipere; quin vnus concipiatur superior altero, aliàs non essent gradus, & ideò necesse est concipi vnam ex differentijs per modum perfectionis, & aliam per modum gradus inferioris, ita discurrit Aureol. loc. citat. Conf. quia gradus perfectionis specificæ est intrà conceptum rationis specificæ, aut saltim non est extrà ipsum secundum nostram sententiam, quia modus intrinsecus aliquo pacto de essentia prædicatur in primo modo dicendi per se ex dictis par. 2. Inst. log. ergo eo ipso quod aliqua duo conueniunt in gradu perfectionis essentialis conueniunt etiam in ratione specifica, & eo ipso quod disconueniunt in es-

essentia, disconueniunt quoq; in perfectione essentiali, quæ eam consequitur, & illi omninò commensuratur.

ARTICVLVS II.

Obiectionum Solutio.

237 IN oppositum. Primò conatur Pasqualig. disp. 80. cit. sec. 2. suppositum factum supra num. 224. destruere probans æqualitatem, & inæqualitatem ad significandum gradus essentiarum, ac earum varietatem transferri non posse, quia æquale, & inæquale, ideò quantitati conueniunt, quia quantitates sunt inuicem commensurabiles, vndè si vna aliam non excedit, dicuntur æquales, si excedit, inæquales; sed essentiæ rerum inuicem commensurari non possunt, ergo nec æquales in perfectione, nec inæquales dici possunt, si propriè loqui velimus, quia quæ non sunt inuicem commensurabilia, nec etiam inter se se æqualia, vel inæqualia dici possunt, maior patet, probatur minor, nam duæ species inuicem commensurari non possunt in ratione generica, quia secundum illam sunt idem, neque secundum rationes specificas, quia sunt secundum istas diuersæ rationis, mensura autem, & mensuratum debent esse eiusdem rationis ex 10. Met. tex. 4. Conf. quia æquale, & inæquale dicuntur secundum magis, & minus, nimirum quia vnum de aliqua eadem ratione magis participat quam aliud, vel æquè ac illud, sed essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, sicut numeri 8. Met. 10. ergo re vera æquale, & inæquale eis conuenire nequit, sed tantùm idem, & diuersum.

Resp. ex dictis suprà, quod si hìc Auctor intendit æquale, & inæquale essentijs rerum propriè conuenire non posse, sed in hunc modum conuenire quantitatibus solum, concedimus totum, at si intendit nec etiam metaphoricè, ac translatiuè posse competere, vt velle videtur, dissentimus ab eo, nam si quantitas ad perfectionem essentiarum significandum transfertur, vt ipse concedit, idipsum de æqualitate, & inæqualitate eodem modo concedere debet, non enim est maior ratio de vno, quam de alio. Ad rationem patet ex dictis num. 229. & 230. in examine rationis Vasquez pro nostra conclusione, nam sicut solæ quantitates sunt propriè inuicem commensurabiles, sic propriè illis tantum æquale, & inæquale conueniunt, sed quia rerum essentiæ sunt metaphoricè commensurabiles per accessum, vel recessum vnius ab alia in perfectione, iuxtà illud Arist. 10. Met. 2. quod in vnoquoq; genere vnum est metrum, & mensura omnium aliorum, sic etiam metaphoricè dici possunt æquales, ac inæquales; quo autem sensu mensura, & mensuratum eiusdem rationis esse debeant iam explicatum est num. 230. Ad Confirm. fatendum est æqualitatem, & inæqualitatem ex naturis rerum non desumi, quatenus hanc, vel illam constituunt speciem, quia maior perfectio in hac specie, vel differentia sicut minor in alia, dicit rationem quandam perfectionem indiuisibilem, quæ non constat gradibus perfectionis, quia tamen non habemus voces, quibus explicemus perfectionem illam simplicem, & indiuisibilem excedentem aliam etiam simplicem, loquimur de illa ad explicandum hunc excessum, tanquam si haberet latitudinem graduum, vt duo, vt tria &c. & sic æqualitas, vel inæqualitas essentiarum attenditur in illis secundum quod apprehenduntur cum tot gradibus perfectionis, quod solum probat propriè, & in rigore loquendo essentijs rerum non conuenire, non autem quod saltim metaphoricè non conueniant; cur autem genus non prædicetur de speciebus secundum magis, & minus dicendo albedo est magis color nigredine, & tamen adhuc dici possit, albedo est nobilior color nigredine, ratio est, inquit Aureol. cit. quia nulla res est imperfectiori modo suæ essentiæ, quantumcunque sit diminuta, quam quæcunque alia, quantumcunque sit perfecta, & perfectiori modo, seu per differentiam perfectiorem genus participet.

Secundò arguit Auersa ex diuinis relationibus ad probandum posse duas essentias æqualis esse perfectionis, nam relationes originis sunt alterius rationis, ac veluti specie distinguuntur, & tamen vna non est perfectior alia, sed prorsus æquales, vt habetur in Symbolo Athanasij in hac trinitate, *nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ sibi sunt coæquales*, ergò benè stat diuersitas specifica, seu essentiarum dissimilitudo sine inæqualitate perfectionis. Deindè arguit etiam ex creatis, nam præsentia localis constitutiua in hoc spatio, & alia constitutiua in alio spatio sunt species diuersæ, & tamen sunt æqualis perfectionis.

238 Resp. hoc argumentum fundamento dubio niti, quia controuersia est inter Theologos, an relationes originis in diuinis, vt sunt ab essentia contradistinctæ, dicant aliquam perfectionem, negant Scotistæ, affirmant Thomistæ, & in quacunque sententia argumentum non vrget, nam si dicatur importare perfectionem infinitam cum Thomistis statim corruit argumentum, quia cum infinitæ sint, sunt inæqualitatis incapaces, quandoquidem æqualitas, & inæqualitas sunt proprietates duntaxat quantitatis, & essentiæ finitæ, vt monet Doctor 2. d. 1. quæst. 3. K. vndè diuersa est ratio diuinarum relationum, ac attributorum a speciebus rerum creaturum, de quibus hic est sermo, & in hac materia de æqualitate, & inæqualitate perfectionis specificè male deducitur argumentum ex rebus diuinis ad res creatas. Sed adhuc minus vrget argumentum in alia sententia asserente diuinas relationes non importare nec perfectionem, nec imperfectionem, quia cum non sint entia quanta, nec æqualitatis, nec inæqualitatis sunt capaces, cum hę sint proprietates solum entis quanti, vndè miror, quod hic ait Poncius, hoc argumentum efficaciter concludere ex suppositione nostræ sententiæ, quod relationes diuinę nullam dicant perfectionem. Sed instat Poncius contra vtramq; responsionem, contrà datam in opinione Thomistarum quidem, quia iuxtà illam ex diuersitate specifica, vt sic, non benè infertur inæqualitas, & quatenus hoc suppositio ipsi ostendere non possunt, cur diuersitas specifica creata, vt sic, necessariò inferat illam inæqualitatem; contrà responsionem verò datam in opinione Scotistarum vrget eodem ferè modo, quia si diuersitas specifica non inferat inæqualitatem perfectionis in aliquo casu, non est vlla ratio, cur inferat illam ex se præcisè in omni casu. Et præterea sicut possunt dari differentiæ essentiales contractiuæ, ac constitutiuę dissimiles entitatiuè, & tamen conuenientes in non habenda perfectione; ergo similiter dari possunt differentię constitutiuæ dissimiles entitatiuè, & tamen conuenientes in tanta, vel tanta perfectione, & consequenter æquales in perfectione. Respond. ex diuersitate specifica, vt sic, in rebus creatis benè deduci inæqualitatem perfectionis, quia sunt entia finita, & consequenter capacia æqualitatis, & inæqualitatis, non sic in diuinis, vbi omnia sunt infinita, sic respondent Thomistæ; nec etiam hęc replica Scotistas vrget, quia in casu argumenti diuersitas specifica ideo non infert inæqualitatem, quia reperitur in rebus non quantis, quales sunt relationes diuinæ, in alijs verò casibus vniuersaliter infert illam, quia reperitur in rebus quantis, vndè diuersitas specifica, vt sic, quantum est de se, nisi in materia subiecta obex occurrat, semper infert inæqualitatem perfectionis, & quando non infert, non ex parte eius id prouenit, sed ab extrinseco, quia scilicet reperitur in rebus non quantis, vel in rebus infinitis, quæ sunt inæqualitatis capaces. Ad aliud negatur consequentia, quam non probat, ob rationes allatas.

Ad 2. argumentum Auersæ de præsentijs localibus concedo omnes esse æqualis perfectionis, sed nego esse specie diuersas, quia vt dixi disp. 15. Phys. q. 7. art. 1. omnia vbi sunt eiusdem rationis, & speciei essentialis, & solùm accidentaliter differunt ob differentias positionum vniuersi, vt docet Doctor 1. d. 2. quæst. 7. T. Quod si etiam concederetur esse diuersæ speciei, tunc negari deberet esse æqualis perfectionis, cum non adsint rationes vrgentes, vndè oppositum conuincatur. Tum quia negant quamplures præsentiam localem esse rei locatæ quid superadditum, vndè hoc etiam secundum argumentum dubio nititur fundamento.

239 Tertiò, arguit Poncius adidem, quia si esset aliqua ratio, vndè colligeretur certò, quod omnes species diuersæ debeant esse inæqualis perfectionis, maximè ex eo, quod essent diuersæ speciei, sed hęc ratio non probat, quia benè potest aliquis habere conceptum de albedine, & dulcedine v.g. quod sint diuersæ rationis ob dissimilitudinem maximam, quam habent, & tamen ignorare, vtra altera sit perfectior; & sanè de facto non colligitur hominem esse perfectiorem equo ex eo, quod sit diuersæ speciei ab illo, quia hoc principium non magis probaret hominem esse perfectiorem, quam equum, cum alter ab altero sit æquè diuersæ speciei, ergo ex diuersitate specifica non colligitur inæqualitas perfectionis. Neque dicas id saltim posse colligi indeterminatè, quamuis determinatè assignari nequeat, quęnam sit perfectior ex illis. Quia benè potest quis habere conceptum de diuersitate specifica rerum nullo modo considerando aliquid de perfectione earum. Deindè visio ocularis vnius albedinis numero distinctæ ab alia albedine non est maioris, aut minoris perfectionis, quam visio ocularis eiusdem oculi terminata ad aliam albedinem eiusdem omninò rationis, vt patet, sed probabile est illas visiones esse distinctæ speciei, quia magis sunt inter se dissimiles intrinsecè, & per se, quam duę visiones eiusdem oculi terminatæ ad eandem numero albedinem, quandoquidem hæ duæ conueniunt in omnibus, in quibus conueniunt duæ visiones diuersarum albedinum, & præterea conueniunt in hoc, quod est esse visiones eiusdem numero albedinis, in quo non conueniunt illæ visiones diuersarum albedinum, quandoquidem per vnam nequeat videri illud ipsum obiectum, quod videtur per alteram. Nec dici potest, quod illa diuersitas oriatur ex hæcceitate, quia propter illam diuersitatem illæ duæ visiones distinguuntur plusquam numero, & quia in hæcceitate omnes illæ albedines conueniunt proportionaliter absque vlla prorsus differentia.

Resp. primò vnicum fundamentum & præcipuum, vndè colligitur essentias speciei diuersas esse inæqualis etiam perfectionis, est quia perfectio essentialis est eadem prorsus realiter, & formaliter cum essentia rei, ex hac enim maxima identitate colligitur euidenter, quod si essentię sunt speciei diuersę, sint etiam in perfectione inæquales, quando enim aliqua sunt adeò inter se identificata prorsus repugnat, vt quę in vno illorum conueniunt, disconueniant in reliquo, quemadmodum per sextam rationem deductum est. Deinde concedi etiam potest maioris assumptum, sicut enim ex hoc quod duo individua sunt eiusdem speciei sequitur statim, quod etiam sint perfectione paria, ita è contra ex hoc, quòd sunt diuersę speciei colligitur, quod sint perfectione imparia, vt deductum est ratione septima, vndè concessa maiori negatur minor, ad cuius probationem responderi potest, vt ibi. Vel dicendum quod aut perfectio essentialis rei ponitur cum

Ad-

Aduersarijs, & Aureol. penitus identificata cum essentia, adeoquod intret rationem eius formalem, & tunc negari potest assumptum in probatione, sic enim cognita hominis v.g. & equi specifica diuersitate, statim cognoscitur quoque inæqualitas earum specierum, & determinatè scitur quænam illarum sit perfectior; si verò identificatur solùm cum essentia, vt modus cum re, vt dicunt nostrates, cognita essentiarum diuersitate specifica colligitur indeterminatè, quod aliqua illarum est perfectior; imò si essentiæ illæ perfectè, & distinctè conciperentur, cum essentia nequeat ità concipi sine modo, vt notat Doctor 1.d.8. quæst.3, ad 1. princ. cognosceretur etiam quænam illarum determinatè sit nobilior, & perfectior, & non indeterminatè tantum; vndè in hoc sensu negatur posse quempiam habere conceptum de diuersitate rerum specifica, nullo modo considerando aliquid de perfectione earum.

240 Ad aliud respond. primò negando minorem concessa maiori, sicut enim ille duę albedines solo numero inter se distinguuntur, sic etiam ambę ille visiones; & cum dicitur illas specie differre, quia differunt plusquam duę visiones eiusdem oculi ad eandem numero albedinem terminatę; cum ergo istę numero differant, illas specie differre opuserit, eo quia omnis differentia, quę est maior numerica, est specifica; negatur rursus assumptum cum sua probatione, quandoquidem hęc maior differentia est solum accidentalis, non essentialis, & ideò sphęram non egreditur distinctionis numericę; sic linea decem palmorum à linea bipalmari plus differt, quam alia bipalmaris linea, quę solo numero differt ab ea, & tamen talis differentia non est specifica, sed adhuc est numerica, quia magis differt à bipalmari, quam duę bipalmares inter se, accidentaliter tantum, quod & multis alijs exemplis potest ostendi. Quod si quis concedere vellet illas visiones esse diuersæ speciei, tunc posteà maiorem negare deberet, quod nempe vna visio non sit perfectior alia, quia non datur conueniens ratio probans oppositum, vt & Poncius ipse fatetur. Sed instat rursus contra hanc solutionem, si dissimilitudo aliqua potest dari inter duo numero diuersa ratione hæcceitatum absque inæqualitate perfectionis, cur non potest dari dissimilitudo inter aliqua ratione differentiarum essentialium absque inæqualitate perfectionis? sed si illa dissimilitudo quæ est inter duas visiones duarum albedinum, proueniret ab hæcceitatibus, quandoquidem non habeat inæqualitatem perfectionis, dissimilitudo aliqua potest prouenire ab hæcceitatibus absque inæqualitate perfectionis, ergo, & à differentijs essentialibus. Respond. negando paritatem, potest namque inter duo indiuidua esse aliqua dissimilitudo ratione hæcceitatum absque inæqualitate perfectionis essentialis, quia illa dissimilitudo est accidentalis, non verò essentialis, & in prædicatis quidditatiuis, at omnis dissimilitudo, quę inter aliqua versatur ratione differentiarum essentialium, est essentialis, & quidditatiua, & ideò compossibilis non est cum æqualitate perfectionis inter illa, sed necessariò exigit inæqualitatem perfectionis, quia cum hæc duo sint prorsus idem, scilicet essentia, & perfectio, repugnat quod quæ disconueniunt in vno eorum, non item disconueniant, & in altero.

241 Quartò, arguit Ouied. non repugnant duo animalia, quæ habeant operationes ita notabiliter differentes, ac illas habent equus, & leo, & sint æqualia inter se tam principia operationum, quam operationes, de his ergo inquiro, an specie distinguerentur, vel non; si specie distinguuntur, non requiritur inæqualitas ad specificam distinctionem, si non distinguuntur, poterunt dari indiuidua, quorum operationes notabiliter differant, non specie differentia, & nullum argumentum erit ad affirmandum equum, & taurum specie differre, quia licet habeant operationes differentes notabiliter, non potest nobis certo constare has operationes esse inæquales in perfectione. Si dicas ad distinctionem specificam requiri inequalitatem perfectionis, & ideò casum positum repugnare, quia indiuidua illa specie distinguerentur propter operationes notabiliter differentes, & non distinguerentur propter æqualitatem perfectionis. Contrà instat, præcisè ex sola notabili operationum differentia sufficienter species distinguuntur, ergo non est necessaria inæqualitas ad hanc distinctionem constituendam, antecedens probat communis omnium sensus, qui agentes de equalitate, aut inequalitate rerum, illa indiuidua dicunt specie distingui, quę operationes habent notabiliter differentes nulla alia ratione ducti.

Resp. negando assumptum, cum enim aliqua indiuidua specie inter se differre deprehendantur præsertim ex operationibus totam speciem consequentibus, & notabiliter inter se differentibus, planè repugnant duo animalia, quę habeant operationes notabiliter differentes, vt habent equus, & leo, & adhuc inter se sint æqualia in perfectione ob rationem sæpius inculcatam, quia nempe cum perfectio entitatiua sit prorsus idem cum rei essentia, repugnat omninò quod quę in vno conueniant, & in alio, neque nos dicimus ad distinctionem specificam inæqualitatem perfectionis essentialiter requiri, quasi per ipsam formaliter constituatur; sed potius ipsam insequi, & comitari, sicut enim vnamquamque essentiam peculiaris, & sibi commensurata insequitur entitatiua perfectio, sic pariter duas essentias diuersas diuersę quoque ac inæquales consequuntur perfectiones essentiales; & quamuis ex notabili operationum diuersitate differentia specifica sufficienter colligatur, adhuc tamen colligi etiam potest ex inequalitate perfectionis, quia tamen operationes magis nobis innotescunt, quam perfectio entitatiua rerum, hinc est quod distinctionem specificam earum magis ex diuersitate operationum colligimus, quam ex varietate, & inæqualitate perfectionis essentialis; an verò ex notabili differentia sit semper colligenda specifica patebit infrà disp.10. q.11.

242 Quintò arguit Arriag. nam duę cognitiones æquè intensę, ac clarę vna de Petro, altera de Paulo sunt aliqualiter dissimiles, nec tamen vllo modo sunt inæquales, perfectio enim, quam in vna dicit esse representatiuam Petri, dicit in altera esse representatiuam Pauli, ergo dissimilitudo non dicit formaliter inæqualitatem, ergo possunt duę species diuersę æquales esse inter se. Conf. quia ex ipsis terminis videtur manifestum aliud esse diuersitatem, aliud inæqualitatem, ideoque in moralibus quantumuis videamus res specie diuersas, adhuc sæpè tanti vnam, ac alteram æstimamus; item in physicis æqualem solent adferre voluptatem duo bona, quantumuis specie diuersa, ergo diuersitas specifica non arguit necessariò inæqualitatem. Conf. demum, nam videmus ipsis oculis colorem viridem, & rubrum esse notabiliter diuersos, eos autem esse inæquales, & vnum perfectionem alio non videmus, vbi enim vides excessum? & in quo est? experientia enim nulla illum nobis ostendit, nec ad illa vlla ratio conuincens suppetit, cur ergo dicere cogimur necessariò eos esse inæquales? Quod si diuersitas ea notabilis esset formaliter inæqualitas, videre eos colores esse diuersos, ac videre esse inæquales, esset idem, quod est falsissimum.

Resp. vt constat ex his vltimis verbis suspicatur hic Auctor nos asserere diuersitatem specificam esse formaliter idem cum inæqualitate, immò diuersitatem specificam per ipsam inæqualitatem perfectionis essentialis formaliter, ac intrinsecè constitui, quod minimè asserimus, quia cum Scoto quol.6. optimè in essentijs rerum distinguimus relationem identitatis à relatione æqualitatis, & relationem diuersitatis à relatione inæqualitatis, & dicimus quod sicut in indiuiduis non est idem in eis, seu non est eadem relatio identitas specifica, & æqualitas in perfectione essentiali, sed hęc sequitur ad illam, sic etiam in speciebus non eandem important relationem diuersitas specifica, & inæqualitas in perfectione essentiali, sed hæc sequitur ex illa, & vbi identitas, & diuersitas immediatè fundatur super essentias rerum, æqualitas, & inæqualitas fundantur suprà modos intrinsecos earum, vel in ipsis, vt essentialiter modificatis; & per hoc patet ad argumentum quoad hoc punctum; quoad alia respondendum est, vt ad 2. Poncij de pluribus visionibus cum quo omnino coincidit. Ad Conf. negatur consequentia, quæ non benè deducitur ex antecedente, sicut enim non tenet hæc consequentia, aliud est in homine formaliter rationalitas, aliud risibilitas, ergo rationalitas non arguit necessariò risibilitatem, quia licet hæc sint distincta in suis conceptibus, imò & realiter secundum Thomistas, tamen quia inter ea connexio necessaria reperitur, vnum necessariò arguit aliud; ita dicendum in proposito, quod esto diuersitas, & inæqualitas non importent formaliter eandem prorsus relationem, tamen quia diuersitas fundatur immediatè in essentijs, & inæqualitas in modis earum, cum modi sint cum essentijs prorsus ex natura rei identificati, sequitur quod necessariò inæqualitas sequatur essentiarum diuersitatem, & æqualitas earum identitatem, quia quando sunt aliqua realiter, & formaliter identificata, quæ in vno eorum conueniunt, conueniunt & in reliquo, & quæ disconueniunt in vno, in alio quoque disconueniunt, vt sæpè dictum est; exempla verò illa ex moralibus, & physicis deducta non sunt ad rem, quia æqualitas, vel inæqualitas æstimationis in eis non fundatur in aliqua essentiali perfectione rebus illis identificata, sed potius in perfectione quadam accidentali. Ad aliam Conf. conceditur assumptum, & negatur consequentia, quia neque etiam rubri, & viridis coloris essentiales differentias attingimus, sed solas operationes notabiliter diuersas, & tamen ex his arguimus illas, sic ergo in proposito quamuis non attingamus gradum determinatum perfectionis illorum colorum, quia cum hic sit modus intrinsecus essentiarum, nos æquè latet fere, ac ipsæ intrinsecæ differentię, tamen sicut ex notabili operationum, ac affectuum diuersitate illorum colorum, licet inter eos arguere diuersitatem specificam, ita quoque licebit arguere inæqualitatem essentialem, quæ solet talem diuersitatem comitari.

243 Sextò, arguit Pasqualig. non implicat, quod tanta perfectio sit in vna essentia, quanta est in alia seruata proportione, quia tunc non obstat diuersitas, nam cum hæc non sit æqualitas commensurationis, sed solùm proportionis, optimè potest stare cum ipsa diuersitate essentiarum, quia proportio non est secundum eandem rationem, sed diuersa. Confirm. exemplo duarum quantitatum, quę habeant diuersam figuram itaut vna sit circularis, & altera quadrata, tunc enim impossibile est, quod huiusmodi quantitates possint commensurari seruata tali figura, & tamen proportione seruata possunt esse æquales in mole, itaut tanta moles includatur in quantitate circulari, quanta in quadrata, vel triangulari; pariter ergo fieri potest, vt idem contingat in essentijs, quod scilicet tanta perfectio includatur in vna seruata diuersitate essentiæ, quanta includitur in alia, & proindè sint æquales in perfectione proportionaliter, licet non sint adinuicem commensurabiles propter diuersitatem essentialem. Rursus essentia diuina est in infinitum varijs modis imitabilis à creatura, ponatur ergo vna aliqua essentia iam producta, deinde incipiat Deus producere alias, & alias essentias, ita tamen vt incipiat ab aliqua imperfectiori, & progrediatur ad magis perfectas continuando hanc productionem quousque producatur aliqua creatura perfectior illa, quam supponimus reperiri ante hanc continuatam productionem, tunc necessariò concedenda

est

est aliqua creatura æqualis perfectionis cum illa, quia antequam creaturam perfectionem producat, prius per gradum illum inferiorem transire debet, in quo reperitur creatura illa iam ab initio producta. Tandem si non posset Deus communicare alicui creaturæ tantam perfectionem infrà suum esse, quantam communicauit alteri, non esset infinitis modis imitabilis.

Respond. distinguendo de duplici proportione geometrica nempe, & aritmetica ex Arist. 5. Etich. cap. 7. & tunc concedo assumptum de prima proportione, quæ tunc contingit, quando vna res in suo genere v.g. asinus aliquis est ita perfectus, sicut aliquis equus in genere suo, in hoc, inquam, sensu verum est, quod tanta perfectio esse potest vnius rei in suo genere, quanta est alterius in suo seruata proportione, nec huic proportioni diuersitatem essentiarum obstare; sed negatur de proportione aritmetica, quam alij appellant æqualitatem ad pondus, nam ista contingit, quando nulla habita ratione perfectionis, quam hęc, vel illa res requirit in suo ordine, tanta perfectio est in vna essentia, quanta est in alia simpliciter, & absolutè loquendo, huic autem æqualitati ad pondus, seu proportioni aritmeticæ obstat diuersitas essentiarum ob rationes iam assignatas. Ad Conf. respondetur per eandem distinctionem proportionis, quod si maiorem proportionem, ac æqualitatem per illud exemplum inter duas species intendit Pasqualig. inducere, neganda est paritas. Ad aliud constat ex dictis supra num. 132. argumentum illud ex diuinis Idæis deductum magis oppositam vexare sententiam, quam nostram, quia si duæ crearentur essentiæ adamussim æquales in perfectione, quæuè diuinam essentiam in eodem gradu imitarentur, vnam & eandem haberent ideam præsertim secundum Aduersarios, scilicet diuinam essentiam in tali gradu imitabilem, & sic non essent illæ essentiæ essentialiter diuersæ, quia diuersis essentijs diuersæ quoque correspondent Ideę, & diuina essentia sub diuersis respectibus imitabilitatis, vndè casus ille de illa continuata productione admitti non debet eo modo, quo ponitur in argumento, vt nimirum possit denuò alia produci creatura æqualis in perfectione illi, quæ ab initio supponitur antè alias fuisse productam, quia tunc ambabus vna correspondere idæa, scilicet essentia diuina sub vno, & eodem respectu imitabilitatis. Et ad vltimum cum dicitur, quod hoc negato non esset Deus infinitis modis imitabilis, negatur hæc consequentia, quia satis ostenditur Deus infinitis modis imitabilis eo ipso, quod potest diuersas entium species producere in infinitum, & semper inæquales, vnam, scilicet altera perfectiorem, & sub eadem specie infinita indiuidua semper æqualia in eadem essentiali perfectione.

244 Postremò arguitur, sicut se habent ea, quæ sunt eiusdem rationis specificæ ad gradualitatem illius rationis, sic ea quæ sunt alterius rationis ad gradualitatem communis rationis, sed duæ albedines participant rationem albedinis aliquando in vno gradu, & aliquando in alio, & alio, vt patet, ergo & formæ alterius rationis poterunt entitatem participare, & nobilitatem in eodem gradu. Præterea, quandocunque aliqua distinguuntur non est inconueniens, si accidat diuersitas in vno, non facta diuersitate in alio, sed in forma specifica aliud est sua ratio quidditatiua, & alius est gradus perfectionis, alioquin quæcumque sunt eiusdem speciei essent æquè perfecta, quod est falsum, cum vna anima intellectiua sit nobilior alia, ergo aliqua possunt esse distincta specie, & habere eundem gradum nobilitatis.

Resp. ambas has rationes ab Aureol. & Soncin. in terminis proponi, atque dissolui, sed quia non soluuntur iuxta nostra principia, aliter respondeo ad 1. negando paritatem maioris, quia diuerso modo contrahitur genus ad species, & species ad indiuidua; nam differentiæ specificæ pertinent ad quidditatem constituti, & sunt adinuicem oppositæ, & contrariæ, & perfectionem addunt rationi contractæ, non sic differentię indiuiduales, quia nec pertinent ad quidditatem sui constituti, quandoquidem non explicant quid sit indiuiduum v. g. quid sit Petrus, sed potius quis sit, nec sunt inter se oppositæ, & contrariæ sed disparatæ, nec perfectionem addunt speciei contractę, cum non sint entia quanta, vt fusius constabit disp. 10. de principio indiuidutionis; hinc est, quod omnia indiuidua sunt eiusdem rationis essentialis, & perfectionem essentialem semper in eodem gradu participant, cum vnum non sit essentialiter perfectius alio, quicquid modo sit de gradibus indiuidualibus, nam quoad istos concedunt aliqui vnum indiuiduum esse perfectius alio, quod in accidentibus magis, & minus suscipientibus planè negari nequit, vnus enim calor est alio intensior, & albedo vt sex perfectior est albedine vt tria, quoad istos gradus indiuiduales, tamen quoad specificum, & essentialem albedinis vna non est perfectior alia, quia ille consistit in indiuisibili, & æqualiter participatur ab omnibus; ex qua doctrina patet etiam quid sit dicendum ad minorem, nam solùm verificatur de participatione secundum gradus indiuiduales, specificus siquidem ab omnibus indiuiduis æqualiter, & indiuisibiliter participatur; est etiam aliud discrimen valdè notandum inter gradus indiuiduales, & specificos, vt notat Trombet. 1. Met. q. 1. art. 2. quod specificus identificatur realiter, & formaliter cum essentia, at non sic indiuiduales gradus, & ideò ab illis potest albedo separari, & interdum cum vno reperiri, & aliquando cum alio, at nunquam separari potest à gradu essentiali, & specifico, vndè constat paritatem in maiori assumptam minimè valere, quæ etiam doctrina traditur à Scoto 1. d. 17. q. 3. Ad aliud negatur minor, essentia namque ac eius essentialis perfectio sunt omnino idem realiter, & formaliter, & ad summum dici possunt distincta modaliter, quæ distinctio cum sit minima non sufficit ad verificandum, quod duæ species in essentia diuersificentur, & in perfectione essentiali conueniant, tum quia hac ita commensurantur essentiæ, vt cum quo essentia non conuenit, nec etiam perfectio essentialis conuenire possit; negatur inquam, minor, & gratis conceditur quæcunque sunt eiusdem speciei esse quoque eiusdem perfectionis essentialis, vndè falsum est, quod vna anima intellectiua sit essentialiter nobilior alia, an verò dici possit perfectior quod gradus indiuiduales inferius declarabitur disp. 10. q. 11.

DISPVTATIO IX.

De natura communi, seu vniuersali.

1 *Postquam de essentia, & existentia entis finiti, vt sic, tractatum est in præcedentibus, quia hoc diuiditur in substantiam, & accidens, vt dictum est disp 7. q. 1. de his partibus subiectiuis mox esset agendum. Verùm quia substantia, & accidens per varia distribuuntur prædicamenta, & prædicamentalis linea ex varijs entium gradibus contexitur, scilicet vniuersalibus, qui fundantes varias intentiones logicas dicuntur genera, & species, vel singularibus, quæ dicuntur indiuidua, antequam de substantia, & accidente agamus, vtile visum est prius de his gradibus disserere, qui vtrisque conueniunt, nam genera, species, & singularia in prædicamentis accidentium reperiuntur perindè ac in cathegoria substantiæ Ex quo fit hìc per naturas communes, & vniuersales intelligi debere, non quidem gradus transcendentes Deo, & creaturis communes, vt benè notat Basol. 2. d. 12. q. 4. art. 2. quia huiusmodi conceptus non fundantur in aliqua natura, vel realitate, quæ verè sit communis Deo, & creaturis, vt constat ex dictis disp. 2. de natura entis; sed solum prædicamentales, & limitatos, tam genericos, quam specificos, cum enim isti importent naturam, seu realitatem à parte rei pluribus communem, vt postea constabit, meritò nomen communium naturarum sibi vendicant. Et quia vniuersalia solent singularia natura præcedere, prius de natura communi, & vniuersali sermonem instituimus, postea de singulari, quarè præsens disputatio erit de natura communi, sequens verò de Indiuiduo, & singulari.*

QVÆSTIO PRIMA.

An vltrà singularia à parte rei dentur naturæ communes, seu vniuersales.

PLures, ac varias Vniuersalis acceptiones tradidi in logica in præfatione disp. 4. vt enim alias omittam, quę nodò ad rem non faciunt, aliud dicitur vniuersale in significando, & est nomen multa significans, vt hoc nomen homo, animal, quæ omnes homines significant, & omnia animalia; aliud in ræpresentando, vt cognitio quam intellectus habet de homine, vel de animali, hęc enim aliquo modo omnes homines repræsentat, ac omnia animalia saltim quantum ad id, in quo conueniunt; aliud dicitur vniuersale in essendo, quod scilicet est in multis, vt natura animalis, quæ in omnibus animalibus reperitur, & natura hominis, quæ est in omnibus hominibus, & hoc etiam appellari solet vniuersale metaphysicum; aliud tandem dicitur vniuersale in prædicando, seu logicum, & est illud quod prædicatur de multis merito cuiusdam secundæ intentionis logicæ

2 Falsum

gicæ per intellectum applicatæ illi naturæ communi, quæ dicitur vniuersalis in essendo, vt cum animal de omnibus animalibus prædicatur per modum generis, & homo de pluribus hominibus per modum speciei; vndè patet vniuersale in essendo fundamentum esse vniuersalis in prædicando, ex eo enim quod natura humana est in Petro, & Paulo, ideò prædicatur de illis prædicatione dicente, hoc est hoc, Petrus est homo, Paulus est homo. Vniuersale itaque quod ad præsens pertinet institutum, est vniuersale in essendo, quod absolutè loquendo sub nomine vniuersalis intelligitur ad differentiam singularis, & indiuidui, quod pluribus communicari non potest, vt Petrus, & hic equus, nam de vniuersali in prædicando satis dictum est in logica disp. 4. log. cit. quæst. 1. & obiter solum aliqua de vniuersali in essendo diximus, pro quanto necessaria erant ad cognitionem fundamenti Vniuersalis logici, eius integrum reseruando tractatum ad hunc locum. Potius autem sub titulo de natura communi, quam de Vniuersali in essendo, vt fieri solet, hanc disputationem proposui, & quæstionem præsentem (quæ sub hoc alio titulo solet institui, an vniuersalia in essendo sint naturæ reales, an verò nudæ voces, & conceptus) quia vniuersalitas propriè loquendo neque à parte rei conuenire naturæ, & essentiæ, benè tamen communitas, vt docet Doctor 2. d. 3. quæst. 1. vbi §. *ad quæstionem*, inquit naturam de se nec esse vniuersalem, neque particularem, sed ad vtrumque indifferentem, & in fine quæst. ait communitatem ex se conuenire naturæ, non tamen vniuersalitatem; quare cum hic quæritur, an dentur naturæ communes, seu vniuersales à parte rei, seu sub alio titulo, an vniuersalia in essendo sint naturæ reales, vel nudæ voces, & conceptus, non accipitur vniuersale in rigore, sed fusè prout se extendit ad omne id, quod ex se singulare non est, & aliquo modo commune multis; vndè natura prout à singularitate condistinguitur, rectius dicitur natura communis, quam vniuersalis, licet hæc dicipossit controuersia de nomine. Quamuis autem quæsitum hoc fuerit disp. 4. log. ab initio propositum, & resolutum, placuit tamen iterùm hic illud proponere, tum quia hic est eius proprius locus, & ibi obiter tantum de eo actum est, tùm quia his temporibus apud Recentiores valdè inualuit Nominalium opinio naturas communes negantium, seu vniuersalia in essendo, & ideo longiori adhuc discussione materia præsens indiget.

3 Duplex itaque sententia est in hac materia, vna Realium, & alia Nominalium, Reales enim asserunt prædicatis quibusdam, quæ sunt intrinseca rebus singularibus, & in quibus singularia ipsa essentialiter conueniunt, conuenire à parte rei communitatem, & vniuersalitatem quandam, ac etiam quandam vnitatem sibi intrinsecam distinctam ab vnitate, quam habet cognitio, quæ circa illas naturas, vel prædicata versatur, atque adeò naturas illas v. g. hominis, & animalis immediatè concipi, & significari conceptibus, & nominibus vniuersalibus; ità fert tota schola Realium, qui & hoc nomen ab huius quæsiti decisione sibi mutuarunt asserentes vniuersalia in essendo esse naturas reales, non verò nudas voces, & conceptus, vt asserunt Nominales, à quo asserto, & ipsi quoque Nominalium cognomen traxerunt; verum tamen est neque ipsos Reales posteà inter se conuenire in explicanda communitate, & vnitate naturæ realis, quæ est pluribus communicabilis, Thomistæ namque nolunt talem communitatem conuenire naturæ, nisi per opus intellectus, Scotistæ verò eam conuenire contendunt aliquo modo etiam præter opus intellectus, vt fusius infrà explicabitur, vbi de hac vnitate, & communitate naturæ propria quæsita proponentur.

Nominales verò negant vniuersalitatem, vel communitatem re vera conuenire alicui prædicato, quod sit singularibus intrinsecum, asserentes nullam rem dari posse in rerum natura, quæ sit vniuersalis in essendo, siue existens in singularibus, siue separata ab illis, vt aiebat Plato, quia quælibet res existens, vel quæ existere potest, est singularis; sed dari solùm vniuersale in significando, vel in repræsentando, quod non distinguitur in re à singulari in essendo, sed tantum in ratione signi; vndè consequenter asserunt ex parte obiecti nullam vnitatem conuenire conceptui vniuersalis, sed omnia à parte rei esse singularia, vt etiam hinc deducant vnitatem vniuersalis desumendam esse ex actu intellectus, quo confusè concipiuntur omnia singularia, vt similia, non quidem similitudine formaliter relatiua, sed fundamentaliter, atque adeò ex parte obiecti non esse aliam vnitatem, nisi similitudinis, simul tudo autem necessariò dicit plura, quæ tamen plura distinctè non concipiuntur, sed confusè, in quo Nominales conueniunt cum quibusdam antiquis, quos memorat, ac refellit Arist. 4. Met. 22. qui vniuersalia vndequaque negabant, nec aliud præter singularia in rerum natura agnoscebant; ità Ocham p. 1. log. à cap. 14. & 1. d. 2. q. 4. & quol. 12. & 13. Adam 1. d. 33. quæst. 8. Gabriel 1. d. 2. quæst. 8. Greg. 1. d. 3. Rubion ibid. quæst. 7. & sequuntur modò Recentiores Auctores ex Societ. Iesu Hurtad. disput. 5. Met. sec. 4. & 10. Arriag. disp. 6. log. sec. 4. Ouied. controu. 3. log. punc. 4. & 5. & alij.

4 Falsum verò mihi videtur, quod hic aiunt quamplures vt Suar. disp. 6. Met. sec. 2. Morisan. disp. 1. log. quæst. 3. Poncius disp. 3. log. quæst. 5. Nominales in hac materia verbis solum, & in modo loquendi à sententia Realium dissidere, id inquam falsum est, vt constat ex relatione iam facta ambarum opinionum, quia maiorem sanè vnitatem, & communitatem à parte rei tribuunt naturæ Reales, quam Nominales, isti namque volunt vocibus, & conceptibus vniuersalibus ipsa singularia immediatè significari, vt similia, at illi aiunt immediatè significari naturam inferioribus communem, ipsa verò inferiora, non nisi mediatè, tum quia circa rerum vniuersalitatem Nominales præscindunt tantum ex parte actus modo iam explicato, sed Reales præscindunt etiam ex parte obiecti, certum autem est obiectiuè præscindentes reipsa distare à sententia præscindentium formaliter tantum, præsertim loquendo de præcisionibus obiectiuis, quas admittunt Scotistæ; ex dictis disp. 6. q. 16. tum quia Nominales nullam intrinsecam vnitatem, & communitatem agnoscunt in natura, quæ denominationem vniuersalis induère possit, benè tamen Reales, aut formalem, & actualem ex natura rei citrà quodcunque opus intellectus, aut saltim virtualem, & fundamentalem. Verum est tamen nonnullos Thomistas adeò tenuem, & exilem naturæ tribuere vnitatem ante opus intellectus, ac ita suam explicare sententiam, vt non nisi verbis à Nominalibus distent, qua de causa Caietanus insignior, & præcipuus D. Thomæ discipulus, ne cum ceteris Thomistis in Nominalismum abire videretur, vnitatem, & communitatem naturæ explicat iuxtà phrasim Scoti, vt videre est cap. 4. de ente, & essentia quæst. 6. & inferius magis constabit. Sed adhuc minus placet, quod ait Poncius loc. cit. eatenus Nominales negasse dari vllam naturam vniuersalem in essendo, quatenus intellexerunt per naturam vniuersalem in essendo aliquam vnam positiuè naturam, quæ eadem positiuè secundum se formaliter posset verè, & positiuè inexistere multis, vndè concludit non tam absurdam esse eorum sententiam, quam communiter existimatur, nec inter Nominales aliam esse cum alijs Doctoribus, quam de nomine controuersiam. Hoc, inquam, valdè inconsultò dicitur, quia Nominales naturæ nedum negant vnitatem positiuam, sed etiam negatiuam, & nedum negant antè opus intellectus esse pluribus communem per inexistentiam, sed etiam per indifferentiam, vt est videre apud Arriag. Ouied. & Hurtad. loc. cit. qui præsertim inter alios Recentiores sententiam Nominalium in genuino eorum sensu intellexit, ac tenuit. Possem in huius rei confirmationem plura ex Ocham & Rubion. cit. afferre testimonia, sed sufficiant Hurtadi verba, quibus explicat Nominalium opinionem sec. 10. §. 97. & sequ. ait enim apud Nominales talem esse communitatem naturæ, vt conceptui vniuersali non respondeat vnum obiectum vnitate se tenente ex parte ipsius, sed vnum vnitate similitudinis, quæ non est vnitas simpliciter, sed secundum quid, cum dicat multiplicitatem plurium similium, vndè illa multa habent vnitatem ex actu intellectus, à quo etiã habent vniuersalitatem formaliter, atq; adeò sicut vnitas prouenions ex actu est extrinseca obiecto, ita & vniuersalitas; nullam ergo intrinsecam, & realem naturæ vnitatem tribuunt Nominales ex parte obiecti se tenentem, sed tantùm extrinsecam, & rationis prouenientem ex parte actus, nullum immediatum vocis, aut conceptus vniuersalis significatum agnoscunt, sed sola singularia, vt similia; Reales verò intrinsecam, & realem tribuunt naturæ vnitatem ex parte obiecti præcedentem opus intellectus actualiter, vel saltim virtualiter, & hanc vnam naturam singularibus communem dicunt esse immediatum significatum vocis, & conceptus vniuersalis, non ergo solo nomine, aut in modo loquendi tantum distant Nominales à Realibus, sed etiam in re, vt adhuc magis ex dicendis constabit.

ARTICVLVS I.

Vltrà singularia dantur naturæ communes à parte rei.

5 DIcendum est vltrà singularia à parte rei dari naturas reales illis communes, in quibus realiter assimilantur, atque adeò vniuersalia in essendo non esse nudas voces, aut conceptus, sed reales quasdam naturas, quæ in rebus ipsis verè existunt. Conclusio hęc in schola Realium indubitata est, per quam solùm intendimus imaginationem destruere Nominalium, & statuere realitatem naturarum communium in vniuerso, parum curando nunc de modo, quo debeant admitti, num extrà singularia, aut solùm in illis, num ab illis realiter distinctæ, vel tantùm formaliter, aut ratione, & qualis sit hæc eius vnitas, & communitas, an sit vnitas positiua, vel negatiua tantùm, an communitas per inexistentiam, vel solùm per indifferentiam; ab his, inquam, & similibus quæstionibus modò abstineo, & solum assero in rerum natura præter singularia dari debere naturas communes, in quibus ipsa à parte rei conueniunt, quomodocunque id contingat. Est absque dubio Arist. cit. 4. Met. 22. vbi eos carpit Philosophos, qui tantùm singularia agnoscebant in rerum natura, & 2. Met. 51. ait rationem animalis communem eandem esse in omnibus speciebus, & 7. Met. docet definitionem non esse singularium, sed vniuersalium, quod etiam de scientia dixerat 1. Post. cap. 5. & 11. & 7. Met. à tex. 51. vbi ex instituto contrà Platonem disputat de Vniuersalibus, & naturis communibus, concedit vltrò hæc esse veras res, neque in hoc Platonem reprehendit, sed tantùm in eo, quod ea per se primò putauerit extrà singularia subsistere, quod inter omnia magnam fidem facit Arist. à nobis stare.

Hanc conclusionem probat Poncius loc. cit. hac vnica ratione, quia per naturam, quæ verè possit denominari vniuersalis, nil aliud intelligimus, quam naturam per se vnam, quæ possit esse in pluribus indiuiduis cum sui multiplicatione, quatenus potest habere plures naturas sibi similes in prædicatis essentialibus; sed certum est non im-

implicare huiusmodi naturam, imo in quolibet indiuiduo creato saltim materiali dari de facto huiusmodi naturam, & nominatim in Petro, & Paulo, Bucephalo &c. ergo dantur naturæ communes, quæ denominari possunt vniuersales. Hæc ratio bona est, sed nequit Nominales conuincere, nisi probetur minor, cuius probatio pendet ex inferius dicendis in hac disp. de vnitate, & communitate naturæ, hoc enim est quod aiunt Nominales implicare, dari talem naturam, quæ in se sit vna, & adhuc sit in suis singularibus multiplicata, nam multitudo, & vnitas inuicem pugnant, & ideò hanc rationem contrà ipsos vrgere non possumus, nisi prius explicemus qualis sit hæc vnitas naturæ, & quomodo cum ipsa sit compossibilis multiplicatio eiusdem in singularibus; in hoc ergo principio rationes adhibere debemus contrà Nominales, quæ absolutè probent dari in vniuerso naturas quasdam communes, & reales præter singularia, quæ non sunt puræ voces, & conceptus, præscindendo nunc à modo, quo existant in vniuerso, an in singularibus, vel extrà, an ab ipsis realiter, vel tantùm formaliter, aut ratione sint distinctæ.

6 Primò, itaque probanda est conclusio ex significatione vocum, & conceptuum vniuersalium, quia hæc vox animal non immediatè significat hominem, & leonem, & hæc vox homo non immediatè significat Petrum, & Ioannem, sed aliquam naturam communem, in qua à parte rei citrà quodcunque opus intellectus illa plura inferiora, & singularia conueniunt, & assimilantur. Item cognitio vniuersalis v.g. animalis, & hominis non immediatè terminatur ad omnia particularia sub illo contenta, vt aiunt Nominales, ergo immediatum obiectum talis conceptus formalis vniuersalis erit aliqua vna natura ita communis illis, vt à parte rei in ipsa illa plura conueniant, ergo à parte rei præter singularia naturæ etiam communes concedi debent, probatur assumptum, quia tam voces, quam conceptus communes non immediatè significant, nisi res secundum rationem, qua concipiuntur, sed per tales voces, & conceptus vniuersales inferiora, & singularia non concipiuntur secundum rationem singularitatum, aut rationum differentialium; ergo immediatè significant naturam aliquam realem illis communem. Hanc rationem ad id probandum adhibui disp. 4. log. 1. art. 1. vbi, & reieci solutiones Hurt. & Arriag. ac etiam priori tom. Met. disp. 6. quæst. 16. num. 296. ad probandas præcisiones obiectiuas, vbi vlterius reijcio solutiones Ouied. Communis tamen solutio eorum in hoc consistit, quod voces, & conceptus communes immediatè significant omnia ipsa singularia in confuso, & absque vlla distinctione. Sed hoc reijcitur ex ipsa assumpti probatione. Tum quia si ex vi conceptus, vel vocis vniuersalis illa plura confusè significantur, seu prout confunduntur in vnum, quærendum est quænam sit hæc vna ratio, in qua confundi, & communicare dicantur, & hæc nequit esse nisi aliqua natura communis, quæ sit immediatum significatum vocis vniuersalis, & immediatum obiectum illius actus confusiui plurium in vnum.

Respondent Nominales illa plura confundi in vnitatem similitudinis, & obiectum immediatum per cognitionem vniuersalem repræsentatum esse, non aliquid vnum, sed illa plura, non vt plura, & dissimilia, sed vt vnum, & similia. Contrà, quia ex 5. Met. fundamentum proximum similitudinis non dicit pluralitatem, sed vnitatem, id nempe, in quo plura sunt vnum; ergo dicit aliquid vnum, & hoc est, cui immediatè tribuitur vniuersalitas, quod argumentum latè prosequor infrà cum Doctore 2. d. 3. quæst. 1. Tum quia esse obiectum alicuius cognitionis est exprimi per ipsam, & repræsentari intellectui, cum ergo per cognitionem vniuersalis singularia non repræsententur intellectui secundum proprias hæcceitates, aut alias rationes indiuiduales, quia tunc attingerentur non vt similia, sed vt diuersa, & dissimilia; fatendum est per intellectionem vniuersalis exprimi, & repræsentari vnam rationem communem omnibus, & hanc solam ab intellectu attingi, & concipi. Tum quia per cognitionem vniuersalis singularia non attinguntur; ergo sola natura communis, in qua fundatur vniuersalitas. Probatur assumptum, quia singulare nequit cognosci sine singularitate, aut aliqua indiuiduali ratione, sicut album nequit cognosci sine albedine, sed sic est quod per cognitionem vniuersalis non exprimuntur, aut repræsentantur hæcceitates singularium; ergo nec ipsa singularia. Dices repræsentari saltim confusè, & indistinctè, ac implicitè. Contra, quia hoc est repræsentari in aliquo prædicato vtrisque communi, hoc igitur prædicatum commune erit obiectum immediatum illius actus, tum quia hæc cognitio nedum habet significatum implicitum, sed etiam explicitum, non enim esse potest cognitio, nisi aliquod obiectum secundum aliquam rationem obijciatur intellectui explicitè cognoscendum, illud ergo erit immediatum significatum, ratione cuius confusè, & implicitè singularia significantur. Dices iterum cum alijs cognosci quidem singularia per cognitionem vniuersalis non formaliter, sed materialiter, quatenus cognoscitur similitudo ipsorum, quæ cum singularibus identificatur. Contrà, quia cognosci materialiter non est cognosci immediatè, sed mediatè, quia est cognosci ratione alterius immediatè cogniti, cum quo identificatur; imò hoc non sufficit, vt aliquod obiectum propriè dicatur cognosci, alioquin visus dici posset attingere qualitates identificatas cum albedine etiam quæ sunt extra sphæram sui obiecti, vt v.g. dulcedinem in lacte, quia materialiter cognoscuntur, quatenus cognoscitur id, cum quo illæ identificantur, vel vniuntur.

7 Deindè potest reijci solutio hæc, & probari quoad vnitatem conceptus vniuersalis, de quo hìc loquimur, non sufficit vnitas similitudinis, quam semper Aduersarij habent in ore, quia conceptus naturarum prædicamentalium, de quibus in hac Disp. solùm est sermo, vt ab initio eius dictum est, sunt vniuoci, quod & ipsi concedunt; ergo debet eis aliqua vna ratio præter singularia respondere, in qua illa plura vniuocentur, neque sufficit vnitas similitudinis, ideò quod habeant plures rationes similes, quia talis vnitas sufficit quidem ad analogum proportionalitatis constituendum, non tamen ad conceptum vniuocum secundum doctrinam ipsorum. Conf. quia, si per cognitionem vniuersalis plura cognoscerentur, vt similia, iam actus terminaretur formaliter aliquo modo ad pluralitatem, at constat per illum actum nullo modo cognosci explicitè, & repræsentari pluralitatem, ergo plura, vt similia, non possunt immediatè significari. Probatur maior, quia si indiuidua, cognoscuntur vt similia, ergo vt extrema distincta, relatio enim similitudinis non potest esse, nisi inter extrema similia; probatur etiam minor, quia actus ille ob sui confusionem non attingit singularitates omnium indiuiduorum, ergo neque pluralitatem eorum, quæ non nisi ex illis prouenire potest. Respondet Ouied. controuer. 3. Log. punct. 5. in fine in vniuersali non significari indiuidua, vt similia formaliter, & positiuè, sed materialiter, & negatiuè, quia tantùm significantur non differentia inter se propter similitudinem fundamentalem, quam habent, quæ apparet veluti quædam identitas, cum propter illam nequeat intellectus vnum indiuiduum ab alio discernere. Contra, quia si non cognoscitur similitudo formaliter, sed materialiter, seu fundamentum dunta xat similitudinis habetur intentum, quia id est cognosci vnam naturam, in qua omnia indiuidua assimilantur, cum vnitas sit fundamentum similitudinis, sicut pluralitas dissimilitudinis, ex 5. Met.

Secundò, probatur ex veritate prædicationis, in qua natura communis enunciatur de aliquo particulari, vt cum dicimus, Petrus est homo, hìc namque proprium, & immediatum hominis *significatum* prædicatur de Petro, & tamen tota indiuiduorum collectio nequit de illo verificari, alioquin nedum Petrus esset, sed Paulus, Ioannes &c. ergo id quod prædicatur est vna natura aliquo pacto communis omnibus. Ouied. loc. cit. num. 14. ait argumentum procedere etiam contrà sententiam obiectiuè præscindentium, iuxta quam vniuersale quoque continet plures rationes abstractas inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori potest prædicari; deindè respondet vniuersale prædicari de omnibus indiuiduis, non secundum se totum, sed secundum aliquam sui partem, quæ apparet instar totius, quia intellectus non decernit inter partem, & totum propter confusionem partium vniuersalis, scilicet singulorum indiuiduorum cum toto vniuersali, seu cum tota collectione indiuiduorum, vndè concludit quod collectio est prædicabilis de quolibet indiuiduo seorsim sumpto secundum rationem abstractam ab illo indiuiduo, quæ in illa collectione includitur; quam responsionem rursus ad idem argumentum adhibet, & adhuc magis declarat controuer. 4. Met. punct. 8. num. 32. vbi ait si obiectum significatum per hanc vocem *homo* quod prædicatur de Petro, & Ioanne, non verificari de Petro, quatenus verificatur de Ioanne, quia de Petro verificatur, quatenus in illo obiecto, quod continet collationem indiuiduorum, continetur Petrus, ad quem tanquam ad subiectum verificationis totum prædicatum contrahitur, cum dicimus, Petrus est homo; & idem proportionaliter dicendum est, cum de Ioanne prædicatur. Hoc etiam argumentum adhibui locis supracit. in Log. & Met. vbi quoq; varias Hurtad. & Arriag. solutiones confutaui; & ex ibi dictis faciliter etiam responsio Ouied. reijcitur, quæ parum distat ab illis, nec nisi verbis differt; ait enim Arriag. disp. 7. Log. num. 31. naturam humanam confusè conceptam esse prædicabilem de quolibet indiuiduo inadæquate idest vnam de vno, & aliam de alio, cum qua, vt patet, prorsus coincidit responsio Ouied.

8 Hæc igitur responsio refotanda est, vt ibi disp. 4. Log. q. 1. artic. 1. quia tunc prædicatio esset nugatoria, & eiusdem de seipso, vt bene vrget Lichet. contra Ocham 2. d. 3. q. 1. §. *Ad responsionem*, quando quidem idem eodem modo cōceptum de seipso prædicaretur, nihil enim conciperetur subly *Homo*, quod non esset conceptum subly *Petrus*, quia nullum significatum illi respondet, quod magis explicitè diceretur de Petro, cum secundum doctrinam ipsorum non detur aliud significatum immediatum nominum communium, nisi ipsa indiuidua, & sic non esset prædicatio superioris de inferiori, aut vniuersalis de singulari, quia prædicatum non haberet maiorem latitudinem subiecto, quam instantiam adhuc magis prosequor contrà Ouied. disp. 6. Met. q. 16. art. 1. nu. 294. Et falsum est, quod aiebat idem Auctor idem quoq; argumentum procedere contrà præscindentes obiectiuè, quia etiam secundum illam sententiam vniuersale continet plures rationes abstractas inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori potest prædicari. Id, inquam, falsum est, nam in nostra sententia Vniuersale continet vnam tantùm rationem abstractam, quæ de omnibus, & singulis inferioribus prædicatur, & importat immediatum significatum nominis vniuersalis, vt animal naturam communem animalis, & homo hominis, vt magis constabit ex inferius dicendis.

At respondet Ouied. loc. cit. in Logica num. 15. in prædicatione naturæ vniuersalis de inferiori sub illa contento prædicatum vtique non

non retinere vniuersalitatem, quam antea habebat, sed contrahi ad rationem illam inferiorem, qua subiectum circumscribitur, dicitur totem prædicatio naturæ vniuersalis, quia est prædicatum cuiusdam naturæ, quæ continebatur in illo vniuersali, quod per aggregationem inferiorum erat constitutum, & quia eodem modo significatur tum contracta in actuali prædicatione, quo significabatur aggregatum, in quo continebatur; in hac enim prædicatione *Petrus est homo*, ratio hominis identificata cum Petro, quæ tantùm se tenet ex parte subiecti, eodem modo significatur, quo significabatur tota collectio hominum in hoc vniuersali specifico *homo*; & est id, quod antiqui Nominales dicebant in prædicatione naturæ vniuersalis de inferiori, licet non prædicetur natura de quolibet inferiori secundum totam latitudinem suam quantum ad rem, prædicatur tamen quantum ad modum in sensu explicato. Contrà, quia hæc solutio adamussim concedit totum, quod argumentum prætendebat, nimirum hanc prædicationem *Petrus est homo*, non esse propriè loquendo superioris de inferiori, vel vniuersalis de particulari, sed potius eiusdem de seipso, concedit enim illud prædicatum *homo* non retinere vniuersalitatem, sed contrahi ad rationem illam inferiorem, qua subiectum circumscribitur adeoquod non habeat maiorem latitudinem in re, quam ipsum subiectum, sed tantùm in modo loquendi, quatenus etiam contractum in actuali prædicatione adhuc, eodem modo significatur, quo significabatur aggregatum, in quo continebatur; ergo à parte rei illa prædicatio non est vniuersalis de particulari, seu superioris de inferiori, sed tantum secundum vocem, & quoad modum loquendi, & in re est prædicatio nugatoria, ac eiusdem de seipso, quia nihil concipitur sub ly *Homo* quod non sit conceptum sub ly *Petrus*, nec patet latius *homo*, quam *Petrus*, nisi secundum vocem. Conf. quia si in hac prædicatione *Petrus est homo* tantùm se tenet ex parte prædicati ratio hominis identificata cum Petro, ita quod non habeat significatum latius, & communius Petro, ergo hæc prædicatio æquiualet illi *Petrus est Petrus*, Petrus est quidam homo, Petrus est hic homo, quæ illarum quælibet idem prorsus dicit ex parte prædicati, ac dicit propositio illa *Petrus est homo*, quarè sicut illæ non sunt prædicationes naturæ vniuersalis, aut superioris de inferiori, ita neque illa, aut & ipsæ quoque erunt prædicationes naturæ vniuersalis, quod nemo concedit.

9 Respondet rursus Ouuied. prædictas propositiones non esse naturæ vniuersalis, quia non dicunt ex parte prædicati naturam identificatam cum Petro, quæ in vniuersali continetur, eodem modo significatam, quo significatur totum vniuersale, *homo* sed affectam signo particulari, aut demonstratiuo, quibus non afficitur prædicatum huius propositionis naturæ vniuersalis *Petrus est homo*. Contrà, eandem urgeo replicam, quia hoc est discrimen solùm in voce, & quoad modum loquendi, alioquin in re id totum significat homo cum prædicatur de Petro dicendo Petrus est homo, quod significat affectum signis particulari, vel demonstratiuo secundum eorum doctrinam; ergo in re omnes istæ propositiones æquiualent, & sic vel omnes & singulæ sunt prædicationes superioris de inferiori, vel nullæ quorum verumque falsum est. Deindè cum dicitur, Petrus est homo, aut ille conceptus hominis est tantùm natus verificari de Petro, aut etiam de Petro, & de Ioanne; si primum, ergo illa prædicatio non erit naturæ vniuersalis, quæ potest secundum eandem rationem prædicari de pluribus, sederit eiusdem de seipso, & omninò æquiualens illis *Petrus est Petrus*, est hic homo &c. si secundum, ergo prædicatum illud *homo* latius patebit, quam subiectum, & habebit aliquam vnitatem, & communitatem, quam Petrus non habet, & secundum quam à Petreitate præscindit; quod tandem veritate coactus aliquo pacto concedit Ouuied. loc. cit. dum inquit, quod in hac propositione *Petrus est homo* prædicatum hominis præcisè, quatenus significatur ex parte prædicati præscindere à differentia Petri, in alijs verò non præscindere, quia signum particulare, & demonstratiuum illas important; vide plura apud Lichet. citat. 2. dist. 1. quæst. 1. contra hanc Nominalium doctrinam soluendo rationes Ocham.

Dices, hanc difficultatem de prædicatione naturæ communis de indiuiduo nostram pariter vrgerè sententiam, ac Nominalium, quia nec in nostra sententia ipsa prædicatur de Petro, nisi quatenus ad ipsum contracta, & cum ipso identificata, imò supra talem identitatem fundatur veritas istius prædicationis, Petrus est homo, neque enim prædicatur de Petro humanitas Pauli vel Ioannis, sed illa quę cum eo identificatur; si ergo prædicatur vt contracta ad ipsum, & cum ipso identificata, ergo non vt indifferens, & determinata ad alia, & sic nō prædicatur per modum vniuersalis naturę, quia prædicatum non latius patet subiecto, & dum contrahitur, vniuersalitatem amittit. Resp. negando assumptum, quia vt constabit ex infrà dicendis, natura etiam contracta retinet quandam indifferentiam negatiuam, seu non repugnantiam, vt possit esse in alio indiuiduo quare sicut in statu contractionis talem retinet indifferentiam, & communitatem, quia non nisi extrinsecè singularizatur, ita etiam fundare potest vniuersalitatem, quia ob talem indifferentiam saluatur, quod etsi prædicatum sit realiter cum subiecto identificatum, adhuc tamen secundum suam rationem formalem latius pateat subiecto, vndè cum dicitur *Petrus est homo*, in hac prædicatione homo vniuersalitatem non amittit, vt enim eam amitteret opus esset quod conceptus communis in singularem verteretur, de quo vide disp. 4. Log. quæst. 2. art. 3. quod quidem asserere nequunt Nominales, quia nullam talem indifferentiam, & communitatem nec positiuam, nec negatiuam admittunt in natura communi, & præsertim in statu contractionis.

10 Tertiò probatur vlterius conclusio ex ipsa vniuersalitate, & communitate naturæ, nam vniuersale prædicatur de singulis inferioribus, at si non importat vnam naturam, sed immediatè collectionem, & aggregatum omnium indiuiduorum non potest de singulis prædicari, ergo vniuersale non dicit immediatè omnia indiuidua simul sumpta, sed aliquam vnam naturam illis communem; Probatur minor, quia illa tota collectio indiuiduorum, in qua statuunt Nominales vniuersalitatem v. g. naturæ humanæ, explicatur per hoc complexum *omnis homo*, hoc complexum non potest de Petro prædicari, sed falsum enim est, quod Petrus sit omnis homo. Confirm. quia vniuersale non solùm ad singula inferiora superius esse debet, & de singulis prædicari, sed etiam de omnibus indiuiduis collectiuè sumptis, sed hoc fieri non posset, si vniuersale aliud non est, quam omnia indiuidua collectiuè sumpta, quia tunc sensus istius propositionis *omnes homines sunt homo*, esset hic *omnes homines sunt omnes homines*.

Respondet Ouuied. loc. cit. negando, quod vniuersale benè explicetur per illud complexum *omnis homo*, quia per nomen vniuersale significantur singularia omnia in confuso, in illo verò complexo significantur singularia distincta inter se, quia complexum illud ratione signi *omnis* resoluitur formaliter in istud *hic homo, & hic homo, & hic homo*. Alij concesso etiam, quod vniuersale benè per illud complexum *omnis homo* explicetur, adhuc ad conf. negant assumptum, quia diuisum adæquatur ab omnibus membris diuidentibus collectiuè sumptis, atque adeò vniuersale nequit esse superius ad omnia inferiora simul sumpta, sed ad singula tantùm. Contrà, quia secundum Aduersarios vniuersale non importat aliquam vnam naturam sed immediatè omnia indiuidua simul sumpta, sed talis collectio benè explicatur per illud complexum *omnis homo*, ergo si vniuersale in tali collectione præcisè consistit optimè per illud complexum explicabitur vniuersale, vel potius dicendum vniuersale non præcisè in tali collectione consistere; imò ex hoc solo fateri deberent vniuersale importare vnam naturam, quæ est eius immediatum significatum, & in qua indiuidua confunduntur, nam ponendo illud consistere in collectione, debet necessariò concedi, quod benè explicetur per illud complexum, sicut per illud benè explicatur illa collectio; & respondere, quod nen benè explicetur vniuersale per illud complexum *omnis homo*, quia in illo complexo significantur singularia distincta inter se, est palam negare quod vniuersale sufficienter explicetur per illam collectionem, quia illa collectio sufficienter explicatur per illud complexum & consequenter etiam vniuersale, si vniuersale nil aliud præter illam collectionem importat. Confirm. hæc replica, quia vtique verum est vniuersale non benè explicari per illud complexum *omnis homo*, sed ratio huius est, quia vniuersale non importat omnia immediatè indiuidua simul sumpta, nam adhuc in tali collectione significari possit, vt distincta inter se, sed importat vnam naturam omnibus communem, & à differentijs præscindentem, in qua proindè omnia indiuidua prorsus confunduntur. Conf. vlterius, quia de ratione prædicati est, vt de subiecto verificetur secundum omnia ea, quæ actu continet, sed illa collectio actu continet omnia inferiora etiam vt inter se distincta, ergo si vniuersale in tali collectione consistit, benè explicabitur per illud complexum, & secundum illā complexionē de quolibet inferiori prædicabitur, quod est falsum.

11 Sed neque valet responsio aliorum ad conf. nam vniuersale definitur, vt superius respectu inferiorum, alioquin vniuersale non esset, sed definitur in ordine ad inferiora omnia non disiunctiuè solum, sed etiam collectiue sumpta ergo non ad singula solùm est superius, sed etiam ad omnia simul. Confirm. quia hæc prædicatio *omnes homines sunt homo* est vera ex cap. de specie, at non est prædicatio nisi speciei de indiuiduis, vt patet ex sufficienti enumeratione modorum prædicandi. Neque per hoc, quod omnia membra diuisum adæquent, tollitur eius superioritas respectu illorum, hæc enim consistit in communitate quadam respectu illorum, quæ adhuc consistit etiamsi cum illis adæquetur, sicut causa dicitur vniuersalis, & communis non tantùm in ordine ad vnum, vel alterum effectum ab ipsa productum, sed etiam respectu omnium, quibus eius potentia dicitur adæquari.

Denique probatur conclusio ex obiecto scientiæ cum Bassol. 2. distinct. 12. qu. 4. art. 2. nam scientia est de vniuersalibus ex 1. Post. 11. & 2. de anim. 60. non autem de singularibus tum ob eorum contingentiam, tum ob eorum infinitatem; ergo vltrà singularia dari debet natura communis, vt immediatum scientiæ obiectum. Nec respondere valet, scientiam quidem esse de vniuersalibus, non tamen de rebus; sed de nominibus, & conceptibus vniuersalibus, in quibus singularia habent vnitatem. Quia res, non nomina definimus, & rerum proprietates ex realibus essentijs demonstramus, ergo scientiæ de rebus sunt, non de nominibus, vel conceptibus. Si dicas esse de nominibus, & conceptibus, vt tamen supponunt pro rebus. Contrà, quia vel res, pro quibus supponunt, sunt ipsa plura singularia, vel aliqua natura vna illis communis, si secundum habetur intentum, si primum redit idem argumentum, quod singularia non cadunt sub scientia. Tum quia idem quoq; argumentum de nominibus, & conceptibus fieri potest, non enim est scientia de omnibus, & singulis, quia conceptus, & nomina penè sunt in-

infinita, ergo est de illis, vt in aliquo communi conueniunt, quod quidem non est illis commune, vt signum, sed vt res, alioqui daretur processus in infinitum, ergo erit de aliquo, quod est intrinsecum illis, & sic idem dicendum de scientia rerum in seipsis. Conf. ex subiecto primo, & adæquato passionis realis in qualibet specie, hoc enim nequit esse indiuiduum, passio siquidem specifica cum nullo singulari conuertitur sub eadem specie, quandoquidem si cum vno conuerteretur, non posset de alio prædicari, quæ est doctrina Aristot. 1. Post. tex. 12. sic risibile dicitur prædicatum primum, & immediatum humanitatis, non Petri, & Ioannis, his enim conuenit solùm mediatè, & secundariò; ergo in qualibet specie natura communis est primum, & immediatum subiectum passionis specificæ, non indiuidua ipsa, siue simul, siue disiunctim sumpta. Et idem argumentum fieri potest de definitione, definitio namq; primò de definito prædicari debet, idest primitate adæquationis, sed non potest sic prædicari de aliquo indiuiduo, quia tunc alijs indiuiduis sub eadem specie contentis conuenire non posset; nec etiam sic prædicari potest de aliquo extrinseco ipsis indiuiduis v. g. de nomine, vel conceptu hominis, vt satis de se patet, ergo per se primò prædicatur de illo, quod nec est indiuiduum, nec indiuiduis extrinsecum, sed de aliquo, quod est eis intrinsecum, & commune, qualis est natura humana, vt sic.

12 Recentiores quidam secuti Gregorium 1.d.3.q.1.artic.2. §. *pro quarto dubio* ne concedant obiectum per conceptum, seù cognitionem vniuersalem immediatè repræsentatum esse aliquod existens in indiuiduis, dixerunt obiectum talis actus esse idolum quoddam, vel simulacrum ab intellectu confictum, atque adeò nullo modo per se in indiuiduis existens, sed benè indiuiduorum repræsentatiuum, ratione cuius repræsentationis potest supponere pro indiuiduis, & per hoc aiunt fieri prędicationes necessarias, & de ipso scientiam immediatè haberi, ac ipso mediante de indiuiduis, nam simulacrum illud habet in esse apprehenso, & obiectiuo quicquid habet res existens à parte rei, cuius est imago, v.g. quando ego concipio hominem, meo conceptui formali respondet quidam homo fictus, in quo considero prædicata similia ijs, quæ realiter video in Petro, & Paulo, qui remotè cognoscuntur in eo idolo, quatenus intellectus noster ex cognitione illius ducitur ad cognoscendum Petrum, & Paulū, atque ille homo fictus æqualiter est in Petro, ac in Paulo non quidem intrinsecè, & realiter, sed extrinsecè, & intentionaliter per similitudinem prototypi cum exemplari, vt imago Cæsaris reperitur in Cæsare extrinsecè, & in esse repræsentato. Et alij ad hanc imaginationem magis declarandam aiunt ab intellectu nostro spectra quędam produci, quæ loco obiectorum substituuntur, & in illis tanquàm in imaginibus ista cognosci, itaut intellectus eatenus dicatur animal cognoscere, quatenus speculatur spectrum quoddam, quod loco animalis substituitur, & eatenus dicatur rationale percipere, quatenus percipit spectrum aliud ab ipso productum, & loco rationalis subrogatum, ita referunt Hurtad. disputat. 5. Metaphys. sect. 11. Arriag. disput. 6. log. sect. 1. Ouied. controu. 3. log. punct. 4. Amic. tract. 4. log. q. 2. dub. 1. quam imaginationem ibi vnanimiter latè reijciunt.

13 Errat in pluribus hic dicendi modus, & primo quidem quia vt constat ex dictis in lib. de anim. in intellectu nostro duplex tantùm est imago, vna virtualis, & impressa, quæ est ipsa species intelligibilis, alia formalis, & expressa, quæ est ipsa cognitio, & verbum mentis, per quam intellectus noster immediatè obiecta ipsa realia cognoscit nullo idolo producto, quod immediatè attingat, seu in quo cognoscat obiectum, tanquam in ipsius substituto, ergo falsum est in rerum cognitione ab intellectu nostro spectra illa produci loco obiectorum substituta. Tum quia scientia tunc non esset de ente reali, ac necessario, vt ait Arist. 1. Post. capit. 2. sed de ente rationis, & conficto, & prædicationes fierent inter subiectum, & prædicatum conficta, nam homo correspondens cognitioni vniuersali hominis est homo fictus per hos Auctores, & pariter rationalitas de ipso immediatè enunciata est conficta. Tum quia vniuersale debet cum suis inferioribus identificari, & de illis essentialiter prædicari, quod sine identitate fieri nequit, at idolum animalis v.g. non identificatur cum suis inferioribus, scilicet equo, & homine, neque hominis idolum cum Petro, & Paulo, quia ens rationis non identificatur cum ente reali, ineptè igitur idolis huiusmodi vniuersalitas tribuitur. Tum quia falsum est illi simulacro conuenire prædicata similia ijs, quæ realiter conueniunt obiecto à parte rei, nam homini ficto non nisi ficta, & chimerica tribuitur rationalitas, hæc autem veræ rationalitati similis non est. Nec dicere sufficit esse prædicata similia intentionaliter, non realiter; non inquam, sufficit, quia prædicata superioris, & inferioris non tantùm debent esse similia; sed prorsus eadem, nam eadem est rationalitas, quæ conuenit homini in communi & in particulari, ergo non sufficit inter ea similitudo præsertim intentionalis. Tum tandem à priori, quia vt arguit Lichet. cum Doctore distinct. 3. quæst. 1. propè finem, omnia quæ sunt in linea prædicamentali sunt veræ res, & non tantùm entia rationis, & rationes communes v. gr. prædicamenti substantiæ sunt essentiales homini, & Petro, quia homo est essentialiter animal rationale cum animal sit genus, quod prædicatur in quid, & rationale differentia, quæ prædicatur in qualequid, ergo illæ rationes non sunt fictæ; & hanc rationem affert quoque Hurtad. citat. §. 194. quam immeritò inefficacem censet Arriag. dicens posse faciliter responderi esse quidem essentiales inferioribus eas rationes, quæ fundamentaliter sunt vniuersales, quæ verò sunt formaliter vniuersales, solum similitudine esse essentiales, quatenus, quæ aliæ similes eis vniuersalibus fictis, sunt à parte rei essentiales Petro, & Paulo. Sed hæc solutio parum valet, quia vt suprà arguebatur falsum est idolo illi ficto conuenire prædicata similia ijs, quæ conueniunt obiecto à parte rei, tum quia vniuersale, vt sic, debet cum suis inferioribus identificari, ac essentialiter de illis prædicari, & non per similitudinem tantùm; tum tandem quia si dicatur id conuenire rationibus formaliter vniuersalibus ob rationes fundamentaliter vniuersales, iam ex hoc habemus intentum, quod debeant admitti à parte rei naturæ pluribus communes per indifferentiam, quæ ob talem realem communitatem aptæ sint fundare vniuersalitatem formalem, & logicam.

ARTICVLVS II.

Argumenta Nominalium soluta.

14 Obijciunt Primò nonnullas Arist. auctoritates, nam 7. Met. tex. 45. & indè quærens, an vniuersale sit substantia concludit *impossibile esse substantiam esse quodcunque eorum, quæ vniuersaliter dicuntur*, & 10. Met. tex. 6. inquit, *si autem nihil vniuersalium possibile est substantiam esse, nec hoc ipsum, vt vnum quid præter multa, substantiam esse possibile est (commune namque) sed vt prædicatio solùm* sentit ergo Aristotil. vniuersalia esse non res, sed solùm nomina communia, vel communes conceptus, quibus conuenit prædicari.

Respond. ad 1. Doctor ibidem in expositione textus non intendere Philosophum ibi simpliciter negare substantias vniuersales, quia contradiceret sibimet, nam genera, & species in prædicamento substantiæ ponit esse substantias secundas, vt patet in prædicamentis, sed negat esse substantias vniuersales eo modo, quo Platonici ponebant, scilicet esse aliqua vniuersalia, quæ erant substantia, & quodquid est singularium, & ab eis realiter separata, hoc enim est impossibile, nam quidditas, & substantia cuiuslibet est propria sibi, & sibi realiter inexistens, vt probat prima ratio Philosophi ibidem; & sic exponit quoque noster Alensis ibid. Ad 2. ait Doctor in eundem textum intentum Arist. esse quod nec ens, nec vnum est substantia per se existens, & subsistens, quod probat ex eo quia nullum vniuersale est substantia per se existens, quemadmodum ait se dixisse 7. Metaph. 45. sed ens, & vnum sunt maximè vniuersalia dicta de omnibus; ergo ens, vel vnum non est substantia per se existens, aut subsistens; ex quo patet in eodem sensu Aristot. hic negare ens, & vnum esse substantiam, quia sunt vniuersalia, quo negat 7. Metaph. 45. vbi seipsum citat, vniuersalia esse substantias nempe in sensu Platonis; vndè nescio, ex quo capite Margo Scoti ad hunc textum dixerit non esse hanc expositionem textui conformem; cum Aristot. ipse seipsum explicet, cum dicit ens, & vnum non esse substantias eo modo, quo 7. Metaph. negauit vniuersaliter contra Platonem vniuersalia esse substantias. Verum quidem est Alensem ex hoc textu colligere vniuersalia esse tantùm in conceptu, quod Nominalibus fauet, cæterum hoc fortè dixit de vniuersali formaliter sumpto, nam sub tali denominatione formaliter est tantùm in intellectu, vt dictum est ab huius quæst. initio, vel potius id dixit, quia ens, & vnum cum sint gradus transcendentes, non autem prædicamentales, non aliquam præseferunt à parte rei realitatem, aùt naturam communem, cui adæquatè conceptus eorum obiectiui innitantur, sed solos conceptus inadæquatos a pluribus realitatibus abstractos, vt disput. 2. de natura entis dictum est, vndè verum est ens, & vnum non importare naturas communes, de quibus in hac disputatione est sermo.

Secundò naturæ, vt præcisæ à conditionibus indiuiduantibus repugnat existentia, quia ad existentiam requiritur singularitas, vndè si præscinditur a singularitate, præscinditur quoque à potentia ad existendum; ergo natura communis, vel vniuersalis quid reale esse non potest, vel ergo erit quid fictum, vel sola nomina, & conceptus communes res ipsas singulares significantes. Deinde quicquid est in singulari v.g. Petro est ita determinatum ad Petreitatem, vt nequeat esse in Paulo, ac alijs indiuiduis, at id quod est vniuersale, est ita indeterminatum, vt possit esse in Petro, Paulo, & alijs. Nec iuuat dicere humanitati Petri repugnare indeterminationem ratione singularitatis naturam determinantis, non autem ratione ipsius naturæ; nam vndecunq; proueniat repugnantia ad essendum in multis, iam constat impediri vniuersalitatem, ne naturæ conueniat. Tandem omnibus prædicatis in singulari repertis conuenit singularitas, cum sint singularia; ergo nullum potest in eis assignari prędicatum intrinsecum, quod de se sit commune, & vniuersale; antecedens patet, consequentia probatur, vniuersalitas siquidem, & singularitas eidem conuenire non possunt, cum oppositas habeant conditiones; vniuersalitas namque dicit aptitudinem ad essendum in multis, singularitas verò repugnantiam.

15 Resp. neq; nos asserere vniuersalitatem naturæ dari à parte rei, sed solum naturam, quæ talem vniuersalitatem fundare potest accedente opere intellectus, vndè aliud est loqui de vniuersalitate pro formali, aliud de substrato vniuersalitatis, vniuersaliter vtique ens

reale

reale non est, benè tamen natura, quæ vniuersalis denominatur, & quamuis naturæ, vt præscindit à conditionibus indiuiduantibus exigentia repugnet, tamen ad hoc, vt ens reale dici possit, sufficit, quod possit existere in singularibus, siue coniuncta singularitatibus multa enim dantur, quę sunt entia realia, quæ tamen seipsis immediatè existere nequeunt, sed cum alterius consortio, vt constat de accidentibus præcipuè respectiuis. Ad 2. respondetur, vt ibi, vndè ex communi Scotistarum doctrina cum Doctore 2. dist. 3. quæst. 1. & seq. aliquid efficitur singulare potest bifariam contingere, vno modò intrinsecè, seu per exclusionem singularitati, & hoc modo negatur omnia, quæ sunt in singularibus, esse singularia, quia sic solum indiuiduum per singularitatem constitutum est singulare; alio modo potest aliquid dici singulare extrinsecè, seu per coniunctionem cum singularitate, & hoc vtique modo verum est quicquid est in singulari esse singulare, ex quo sequitur pari modo quicquid est in singulari esse determinatum vel intrinsecè, vel extrinsecè solùm, quo pacto natura dicitur à singularitate determinari ad vnum, cum quo adhuc stat, quod ei non repugnet ab intrinseco multis communicari cum sui tamè diuisione indiuidua. Aliquis extrinseca determinatio cum indeterminatione negatiua ab intrinseco non repugnat, & illud impedimentum non est intrinsecum, sed extrinsecum, & per accidens, per quod patet ad instantiam factam contrà solutionem inter arguendum datam. Ad vltimum patet per idem, nam omnia prædicata, quæ sunt in singulari, sunt singularia, vel intrinsecè, vt ipsa individualis differentia, vel saltim extrinsecè, vt ipsa natura, sed indè negatur consequentia, quia licet quod ei intrinsecè, & de se singulare nullo pacto fieri possit commune, & vniuersale, nihilominus quod extrinsecè solum, & per accidens, seu per solam identitatem in tertio est singulare, potest esse vniuersale, & commune per se, & intrinsecè, & sic dicimus euenire de natura communi. Cum autem dicebatur vniuersalitatem, & singularitatem eidem conuenire non posse, quia sunt prædicata opposita, respondendum est quod licet opposita prædicata nequeant eidem conuenire respectu eiusdem, & eodem modo, benè tamen respectu diuersorum, & diuerso modo, idem enim album dicitur alteri albo simile, & dissimile nigro; sic in proposito natura in indiuiduo existens dici potest vniuersalis, & singularis, vniuersalis formaliter per intellectum, & fundamentaliter ex se, singularis verò per hæccitatem; communis, & indeterminata intrinsecè, particularis, & determinata extrinsecè.

16 Sed Dices natura abstracta, & præcisa ab inferioribus non est existens à parte rei, sed tantùm per intellectum, sed non habet communitatem, nisi beneficio talis abstractionis, vel præcisionis, ergo à parte rei non est communis sed tantùm per intellectum. Respond. negando maiorem, quia res attentè consideretur, videbimus abstractionem non tollere coniunctionem, quam habet natura cum singularitatibus secundum rem, potest enim natura dupliciter ab hæcceitatibus præscindere, vel secundum se, quatenus nimirum à parte rei natura nunquam intrinsecè, & essentialiter hæcceitatem includit, licet sit cum ea coniuncta; vel per intellectum, quatenus intellectus naturam in se cognoscit non attingendo hæccitatem; prima abstractio quidem non tollit coniunctionem naturæ cum hæcceitate, imò semper manet etiamsi natura coniuncta sit cum illa, quia aliud non importat, quam naturam ex se non habere hæcceitatem, cum quo non repugnat, quod illam habeat ab alio similiter, nec altera abstractio, scilicet per intellectum tollit realiter coniunctionem realem naturæ cum hæcceitatibus, quia hic abstrahendi modus importat solùm, vt dixi, quod intellectus actu suo naturam attingit tantum non attingendo singularitates, & hæc secunda abstractio originem ducit à prima, quia enim natura in se non includit singularitatem à parte rei, ideò reperto in re hoc fundamento naturam concipit non concepta singularitate; patet ergo quomodo cum vtraque abstractione stat coniunctio realis naturæ cum hęcceitatibus qui est punctus valdè considerandus in hac materia.

Tertiò arguit Arria. disp. 6. log. sec. 2. nedum natura existens à parte rei, sed nec etiam obiectiuè præcisa potest intrinsecè prædicari de quolibet indiuiduo, ergo non est vniuersalis; consequentia patet, probatur assumptum, quia natura illa est natura realis omnium hominum, sed natura omnium hominum non potest intrinsecè tota de Petro prædicari, ergo nec de quolibet indiuiduo; maior patet, probatur minor, quia Petrus realiter, & adæquatè distinguitur à reliquis hominibus, ergo natura aliquorum non potest eadem numero intrinsecè de Petro verè prædicari, aliàs Petrus haberet naturas omnium hominum secum identificatas, essetque verè, & realiter omnes homines. Confirm. implicat idem realiter intrinsecè prædicari de Petro, & Paulo, & tamen Petrum, & Paulum non conuenire realiter identicè cum illo, quod enim realiter intrinsecè de aliquo prædicatur, realiter identificatur cum illo; ergo si idem omninò de Petro, & Paulo realiter intrinsecè prædicatur realiter identificatur vna, eademque res Petro, & Paulo, ergo sunt realiter, & intrinsecè idē inter se, quod est apertè falsum. Denique repugnat aliquid esse vnum in se realiter, & diuidi realiter, ac intrinsecè in plura, quæ sint adæquatè idem cum ipso, distincta tamen inter se; ergo repugnat illam naturam obiectiuè esse intrinsecè vna, & diuidi realiter in plura, quæ sint adæquatè idem cum ipsa, consequentia patet, quia implicat inter duas partes totum aliquod diuidentes quamlibet earum esse idem adæquatè cum toto, quia pars adæquaretur toti.

17 Resp. vt sæpius dictum est, neque nostræ intentionis esse dari à parte rei naturas vniuersales formaliter, & completè, vt dictum est disp. 4. log. quæst. 1. art. 2. sed tantum dari naturas communes per indifferentiam, quæ quidem communitas licet sufficiès sit ad fundandā vniuersalitatem propriè dictam, non tamē est ipsa propriè vniuersalitas, quia hæc & maiorem naturæ vnitatem, & strictiorem communitatem exposcit, quia petit vnitatem, & communitatem per inexistentiam, vt loc. cit. explicatum est; vndè quia hæc argumenta de logica vniuersalitate loquuntur, quæ propriè per prędicari de pluribus solet explicari, non autem de vniuersitate metaphysica, de qua hic est sermo, concedi possent ex ea parte, de qua concludunt non dari naturam vniuersalem à parte rei; attamen quia vt vniuersale logicum actu, vel saltim potentia proxima de pluribus prædicetur, opus est vt vniuersale metaphsicum, super quod fundatur, possit saltim remotè de pluribus prædicari, & hoc præsertim naturæ obiectiuè præcisè à singularibus conuenire potest, respondetur ad 1. quod licet natura existens à parte rei, & vt præcisa à singularitate (nam vt suprà dicebamus numer. 16. nedum natura per intellectum à singularitate præscindit, sed etiam secundum se, & à parte rei, quatenus eam intrinsecè, & essentialiter non includit) nequeat de quolibet indiuiduo proximè prædicari prædicatione dicente hoc est hoc, benè tamen remotè, & sic sequitur quod licet in tali statu dici nequeat vniuersalis logicè, & completè, quia ad hoc requiritur prædicari posse de pluribus, vel actu, vel saltim potentia proxima, potest tamen dici vniuersalis metaphysicè, & remotè, seu fundamentaliter; potest autem remotè ità prædicari, quia est indifferens, quantum est de se, vt non minus hoc indiuiduum constituat v. g. Petrum, quæ de facto constituit, quam aliud, scilicet Paulum non quidem coniunctim, sed diuisim; cum verò probatur illud assumptum, quia natura illa obiectiuè præcisa est natura realis omnium hominum, & natura omnium hominum nequit intrinsecè tota de Petro prædicari, dico illam esse à parte rei naturam realem omnium hominum non quidem per inexistentiam, quia soli Petro inexistit, sed benè per indifferentiam modo iam explicato, & magis infrà explicando, & in hoc sensu natura omnium hominum, scilicet per indifferentiam potest intrinsecè tota de solo Petro prędicari; & cum probatur oppositum, quia Petrus adæquatè distinguitur à reliquis hominibus, ergo natura aliquorum non potest eadem numero intrinsecè de Petro prædicari, hoc probat solùm non posse eandem per inexistentiam de pluribus prędicari, quod non obstat, vt nequeat de pluribus prædicari eadem per differentiam, quia cum hoc stat adhuc, quod Petrus à reliquis distinguatur, quatenus cum hoc adhuc stat, vt alia sit humanitas Petri, & alia Pauli. Dices argumentum saltim concludere de natura obiectiuè præcisa per intellectū, quia sub tali præcisione potest per opus intellectus fieri eadem omnium per inexistentiam, vt loc. cit. in logica dictum est. Negatur assumptum, quia tunc non concipitur esse vna, & eadem omnium indiuiduorum natura numero, sed vna vnitate formali, quæ est vnitas minor numerali, & ideò stat cum multiplicitate numerali, vndè adhuc benè stant simul, quod sit vna, & eadem omnium natura per inexistentiam, & quod tota prędicetur de Petro, & adhuc Petrus distinguatur ceteris indiuiduis, quia licet tota prędicetur de Petro, non tamen totaliter, & adęquatè, idest tota prædicatur secundum totalitatem essentialem, non tamen tota secundum totalitatem potentialem, vt mox magis explicabitur.

18 Ad Conf. negat Poncius disp. 3. log. nu. 45. vt aliquid intrinsecè prædicetur de pluribus opus esse, vt illis pluribus idētificetur, sed ait sufficere, vt vel idipsum, vel quidpiā sibi simile, & representabile eodē cōceptu sit in illis pluribus, & sic ait naturam Petri posse de Paulo, & Ioanne intrinsecè prędicari, quia aliquid simile reperitur in illis, vndè vult prędicationem naturę communis de pluribus non fundari suprà identitatem illius naturę cum eis, sed in illorum similitudine. Cęterum hęc doctrina est omninò falsa quia in omni schola veritas prędicationis prętertim essentialis fundatur in identitate reali prędicati cum subiecto, si enim prędicatum non est idem cum subiecto, quomodo poterit de illo intrinsecè, & essentialiter predicari? Confir. quia cum naturam Petri prędicamus de Paulo prędicatione dicente, hoc est hoc, scilicet Paulus est homo, vtique sensus non est pręcisè naturam Petri esse similem naturę Pauli, sed eandem esse naturam amborum; ergo non sufficit sola similitudo vnius indiuidui cum alio, vt natura vnius possit de alio prędicari, quia tunc non esset prędicatio dicens, hoc est hoc, sed potius hoc est simile illi, vel habet naturam similem cum illo, & falsitas huius doctrinę adhuc magis constabit ex infrà dicendis. Itaq; ad illam confir. ob rationem dictam conceditur assumptum, ac etiam prima consequentia in hoc sensu, quod scilicet Petrus, & Paulus identificantur in vna, & eadem re, seu natura, non quidem vna numeraliter, & per inexistentiam, sed vna formaliter, seu essentialiter, & per indifferentiam, quo etiam sensu concedenda est secunda consequentia, quod Petrus, & Paulus sunt idem realiter, & intrinsecè inter se, non quidem simpliciter, & absolutè loquendo, sed eadem identitate, qua sunt eadem illi tertio, nempe essentiali, & formali, nam verum est Petrum, & Paulum specie non differre; sed esse idem. Ad vltimum iam ex professo disp. 5. log. q. 3. ar. 1. declarabi quomodo vnitas superioris benè consistat cum multiplicitate suorum inferiorum quia generaliter loquendo vnitas non excludit, nisi diuisionē sibi oppositam, vndè videmus vnitatem specificam stare cum multitudine numerali, & vnitatē genericā cū multitudine specifica, & cū

animal v. gr. diuiditur à parte rei per differentias, ettò sit realis diuisio, non tamen fit eo modo, quo continuum in suas partes diuiditur, vt quoddam totum actuale, quasi animal antè aduentum differentiarum esset vna entitas realis, quæ postea per aduentum ipsarum in diuersas partes scindatur, & discerpatur, quia animalitas à parte rei non habet rationem totius actualis respectu specierum, sed potius partis materialis, & contrahibilis, ac re vera determinabilis per differentias, vndè solùm dicitur diuidi, quatenus vna, ac eadem manens ità contrahitur per hanc differentiam, scilicet rationale ad constitutionem hominis, vt eadem quantum est de se contrahi possit per oppositam differentiam ad constituendum equum, vel leonem. Vndè cum hæc diuisio superioris in inferiora sit, non tanquam totius actualis in suas partes, vt loqui videtur Arriag. sed totius potentialis in partes subiectiuas, benè patet quomodo possit quodlibet inferiorum dici adæquatè idem cum ipso, & tota natura animalis v. g. possit de equo prædicari, & simul de homine, quia diuiditur solùm secundum totalitatem potentialem, non verò actualem, & essentialem, & sic tota, & adæquatè est in quolibet inferiori quoad totalitatem essentialem, quatenus omnibus, & singulis conuenit secundum omnia sua predicata intrinseca, & essentialia, at non est tota, & adæquatè in singulis quoad totalitatem potentialem, quia à nullo inferiorum adæquatur totalitas eius, seu latitudo potentialis.

19 Quarto, ad idem arguit Ouied. controu. 3. Log. pun. 3. num. 3. nihil est in Petro, quod realiter sit in Paulo, ergo implicat conceptus quidam obiectiuus, qui secundum totum id, quod importat possit prædicari de Petro, ac etiam de Paulo, antecedens patet, quia omnia quæ sunt in Petro sunt identificata cum differentijs indiuidualibus Petri, consequentia probatur conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo debet esse in Petro, & Paulo, sed nullus conceptus qui est in Petro, est in Paulo, ergo nullus conceptus qui prædicatur de Petro, & est in Petro, est in Paulo, vel potest prædicari de Paulo. Dices posita abstractione resultare rationem omninò eandem, & communem Petro, & Paulo. Contrà instat, nam posita abstractione non resultat in obiecto identitas aliqua realis, quia abstractio non immutat obiectum realiter, ergo tantùm resultat identitas intentionalis, vel rationis, sed hæc non potest deseruire, vt verificentur de eodem subiecto illa, quæ soluta hac vnitate rationis non habebant physicam identitatem, ergo vnitas rationis non potest deseruire, vt rationes quæ illa secluſa realiter non identificantur cum subiecto, de illo identificentur. Conf. quia nihil est Petro, aut in Paulo, quando datur ratio hominis abstracta ab illis, quod non sit, quando deficit abstractio; sed quando deficit abstractio nihil est in Petro, quod sit cõmune Paulo, aut realiter identificatum cum Paulo, ergo neque quando abstractio adest; ergo adhuc posita abstractione nihil datur, quod secundum eandem indiuisibilem rationem possit de indiuiduis distinctis prædicari. Tandem si eadem natura quæ est in Petro, est etiam in Paulo, quodlibet indiuiduum in quocunq; alio suam agnosceret naturam, quam ab ipso repetere posset, & aliud reddere non debere, quia eodem iure illi competebat, vndè illa natura esset vtriusq; propria, quatenus proprium cum alieno opponitur, & neutrius propria diceretur, quatenus proprium opponitur communi, illa enim natura communis esset vtriq; indiuiduo.

Respond. hæc argumenta coincidere cum allatis ex Arriag. atque ideò eandem admittere solutionem, vndè ad 1. concesso assumpto nego consequentiam cum eius probatione, nam licet nihil sit in Petro modò, quod realiter sit in Paulo, aliquid tamen Petrus habet, quod de se est indifferens, vt cum Paulo identificaretur perindè ac cum Petro, & hoc sufficit vt conceptus à tali realitate abstractus possit secundum totum id, quod importat, de Petro prædicari, sicut de Paulo, nam prædicatio sequitur identificationem, quare sicut natura Petri potest quantum de se est identificari cum Paulo, ita etiam prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc, licet de facto non identificetur cum eo, id enim solum impedit actualitatem prædicationis, non verò possibilitatem proximam, vel saltim remotam, & talem identitatem aptitudinalem, seu communitatem per indifferentiam gratis concedo non resultare ex abstractione facta per intellectum, sed eam præcedere, ex ea vero resultare, vel potius ad eam sequi identitatem, & communitatem per inexistentiam, vt loc. citat. Log. dictum est, quæ vtique identitas est rationis, seu intentionalis, & licet non deseruiat præcisè secundum se considerata veritati propositionum, deseruit tamen ad complendam vniuersalitatem naturæ. Ad Confirm. posset negari maior, quia facta abstractione naturæ per intellectum euadit communis positiuè, & per inexistentiam, vbi antè abstractionem communis erat duntaxat negatiuè, & per indifferentiam, sed quia in maiori loqui videtur arguens de inexistentia à parte, rei concedatur maior, & distinguatur minor, deficiente abstractione nihil est in Petro, quod sit commune Paulo, per inexistentiam concedo, per indifferentiam nego, & hoc sufficit, vt natura Petri possit de alijs indiuiduis prædicari saltim remotè. Ad vltimum procedit argumentum contra ponentes naturas communes per inexistentiam, non autem per solam indifferentiam, vt nos ponimus, fatemur namque, vt infra magis declarabitur, humanitatem Petri esse aliam ab humanitate Pauli, sed quia quantum est de se æquè benè poterat Paulum in esse hominis constituere, vt modò constituit Petrum, ideò dicitur vtrique communis, & vtcuique propria, communis quidem per indifferentiam, propria verò per inexistentiam.

20 Quintò, multis instat Hurtad. disput. 5. Metaph. sect. 10. subsec. 3. & indè probans cognitionem vniuersalis immediatè terminari ad omnia singularia, vt in aliqua ratione similia, & ratio præcipua est, quia non potest præscindi homo à Petro, cum non dentur præcisiones obiectiuæ, sed tantùm formales, vt ipse ostendit infrà disput. 6. Metaph. sect. 4. probato autem ex parte obiecti non abstrahi vnam formalitatem ab alia, euidenter infertur obiectum, quod vniuersale dicitur, non posse esse vnam rationem obiectiuam à singularibus præcisam. Tum secundò quia actus vniuersalis est vnitas, per quam homo constituitur in se indiuisus ratione, & sic videtur Aristot. docere 10. Metaph. cap. 1. cum ait *quadam autem* (supple vnũ sunt) *quorum vna ratio est, talia verò quorum intellectio vna*, sed hic actus immediatè attingit omnia singularia, v. g. sub specie humana, ergo &c. Minor probatur, quia homo v. g. qui constituitur formaliter indiuisus per se per illum actum, non est aliud, quam Petrus, & Paulus, & cæteri singulares, ergo Petrus, & Paulus, aliaque singularia constituuntur in ratione vnius vniuersalis per illum actum. Tum tertiò quia fundamentum vniuersalitatis, vt tale est, cognoscitur immediatè per actum vniuersalem; sed illud fundamentum sunt formaliter ipsa singularia, vt similia, nam omnes dicunt fundari immediatè in similitudine plurium, ergo plura singularia, vt similia, cognoscuntur immediatè per actum vniuersalem. Tum quartò diuisio, & indiuisio circa eandem rem immediatè versantur, quia se habent, vt habitus, & priuatio, sed diuisio hominis immediatè versatur circa Petrum, & Paulum, ergo etiam indiuisio. Probatur minor, diuisio namque vniuersalis aliud non est, quam clara cognitio inferiorum, vel partium diuidentium, vndè indiuisio erit confusa cognitio inferiorum. Tum quintò diuisum, & partes diuidentes simul sumptæ sunt omninò æqualia, solumque differunt pœnes claritatem, & confusionem actus; sed actus diuidens immediatè afficit membra diuidentia, eaque denominat diuisa, ergo diuisum immediatè attingitur ab actu confuso, quia idem est obiectum cognitionis explicitè diuidentis, & cognitionis confusè attingentis diuisum, sicut actus cognoscens definitum immediatè attingit idem obiectum confusè, quod attingit definitio clarè. Tum sexto immediatum obiectum actus vniuersalis, scilicet homo verè prædicatur de Petro, & Paulo, quia idem est aliquid esse commune, & prædicabile, sed de illis nihil est immediatè, & in recto prædicabile, nisi ipsamet inferiora, ergo &c. Probatur minor, quia omne immediatè, & verè prædicabile de Petro, & Paulo est necessariò Petrus, & Paulus, cum quibus nihil est idem præter ipsos, & rursus immediato obiecto, vt est immediatum, repugnat prædicatio adæquata cum Petro, ergo vt est immediatum includit aliquid, per quod illi repugnat, sed id per quod ei repugnat est Paulus, ergo quod includit est Paulus, atq; ideò est pars obiecti, vt est immediatum obiectum actus vniuersalis. Tum deniq; cognitio vniuersalis immediatè terminatur ad plura, vt similia, ergo immediatum eius obiectum sunt plura, vt similia. Probatur assumptum, vel enim quod immediatè respõdet ex parte obiecti est tantùm singulare, vt sic, & hoc non, quia repugnaret esse obiectum actus vniuersalis, vel plura vt dissimilia; & non, quia vt sic non habent vnitatem ad vniuersale requisitam; vel natura vt à singularibus precisa, & neq; hoc, quia cum precisio sit ipsa cognitio, natura præcisa idem est, ac natura cognita sine singularitate, vt hic queritur ratio obiecti, quæ cognitioni respondet ex parte obiecti, non autem illa, quæ respondet obiecto, vt denominatur à cognitione; restat ergo vt respondeant sola singularia, vt similia.

21 Resp. ad 1. negando assumptum, fusè enim ostendi disp. 6. Met. qu. 16. art. 1. præter formales necessarias esse obiectiuas quoq; precisiones, & præcipuè rationum vniuersalium à singularibus. Ad 2. negatur in primis maior, si ita intelligatur vt natura communis aliam non habeat propriam vnitatem intrinsecam præter eam, quæ sibi obuenit à cognitione vniuersali, neq; Arist. 10. Met. cap. 1. id significare voluit, sed potius oppositũ inquit enim illa esse vnum essentialiter, quorum est ratio vna ideſt vna definitio, seu conceptus obiectiuus, & cũ subdit *talia verò esse, quorum intellectio vna*, dat signum à posteriori, vndè dignoscere possimus quænam sint quæ habeant rationem vnã, ait enim esse illa, quæ vnico conceptu formali sunt repræsentabilia, ex hoc enim à posteriori arguitur omnia talia habere rationem vnã. Deindè negatur minor cum eius probatione, quod enim immediatè attingitur est ratio illa vna, in qua plura illa singularia cognoscãtur, vt similia, & in qua mediatè, & remotè vniri dicuntur. Ad 3. fundamentum vniuersalitatis, quod in indiuiduis à parte rei precedit, non sunt indiuidua ipsa, vt sic, sed formaliter ipsæ naturæ, quæ in ipsis reperitur, quod & Hurt. ipse fatetur, dum ait esse singularia, vt similia, quia hæc non sunt similia, nisi in ratione communi naturæ. Ad 4. negatur minor, quod enim immediatè diuiditur est ratio ipsa communis, dum per varias differentias contrahitur ad diuersas species constituendas, vel diuersa indiuidua, ita enim explicari debet diuisio naturæ cõmunis, vt fit à parte rei, quemadmodum dixi nu. 18. & ex professo declaraui disp. 5. log. quæst. 3. art. 1. vndè falsum est, quod subdebatur in probationem minoris diuisionem naturæ cõmunis à parte rei benè explicari per claram inferiorum cognitionem, & indiuisionem per cõfusam, fit enim formaliter à parte rei per proprias formalitates gradum contrahentium, & contracti, tamen per intellectũ concedi potest fieri per clarã inferiorum cognitionem. Ad quintum negatur maior, in toto namq; potentiali, quale est superius respectu inferiorum,

com-

commune diuisum, & partes diuidentes non solùm differunt pœnes claritatem, & confusionem actus, sed etiam pœnes diuersitatem conceptuum obiectiuorum, quatenus aliquid amplius includitur in conceptu inferiorum, quam in conceptu superioris, vndè licet verum sit superius, seu commune diuisum habere æqualitatem conuertibilitatis cum omnibus inferioribus, non tamen habet æqualitatem in actualibus prædicatis, quod est dicere in ratione totius potentialis superius adæquari cum inferioribus simul sumptis, quia cum ipsis conuertitur, non tamen in ratione totius actualis, quia in inferiori includitur differentia, quæ non includitur in communi diuiso; ad minorem posteà dico diuisionem posse denominare tam totum, quam partes diuersimodè tamen, passiuè enim denominat totum, actiuè partes, seu membra diuidentia; quod si etiam passiuè denominat partes adhuc diuersimodè contingit à toto, nam totum denominatur diuisum, vt aliquid continens partes, & ideò dicitur diuidi in partes, at partes denominantur diuisæ, vt membra, quibus propriè conuenit diuisio ab alijs, non verò diuisio in alia, quæ est propria totius.

22 Ad 6. quod putat Hurtad. efficacissimum, vt benè notauit Amic. facile difficultatem quoque in opinione Nominalium, nam cùm vniuersale prædicabile secundum ipsos sit aggregatum totum ex omnibus, & singulis individuis, non potest vagè sumptum prædicari, quia de ratione prædicati est, vt verificetur de subiecto secundum omnes partes, quas continet actu, alioquin de equo posset prædicari homo, quia verificaretur ratione partis, scilicet animalitatis, quæ est in homine; si ergo Paulus includitur actu in immediato hominis significato, etiam vt prædicatur de Petro, vt inquit Hurtad. opus est fateri etiam Paulum, & Ioannem prædicari de Petro, quia secundum ipsum immediatum hominis significatum constat actu ex omnibus singularibus sicut exercitus ex pluribus hominibus, quandoquidem, vt dictum, de ratione prædicati est, vt verificetur de subiecto secundum omnes partes, quas continet actu. Itaque ad argumentum in se negat maiorem, nam quod immediatè prædicatur de inferioribus non sunt ipsi inferiora, sed ratio quædam communis illis, alioquin esset identica, & nugatoria prædicatio, non autem superioris de inferioribus; ad primam probationem concedo, quod est prædicabile de Petro, & Paulo in ratione superioris debere esse aliquid identificatum cum ipso, sed falsum est nihil esse illis idem præter semetipsos, quia tunc omnis prædicatio vniuersalis esset identica, non autem superioris de inferiori; ad aliam eiusdem minoris probationem concedo immediatum hominis significatum aliquid includere, per quod ei repugnat adæquatè prædicari de Petro, sed negatur id esse Paulum, vel Ioannem, vt inferebat Hurtad. & dico esse communitatem indifferentiæ, quam in se habet natura humana secundum quam indifferens est ad constituendum Paulum, & Ioannem perindè ac modò constituit Petrum, & ob id nequit secundum se adæquatè prædicari de Petro, vel quolibet alio individuo, quia licet modò solùm identificetur cum eo, adhuc quantum est ex se poterat identificari cum alijs, & est communis alijs per indifferentiam. Ad vltimum negatur assumptum, ad cuius probationem dico cognitionem vniuersalis terminari ad naturam, vt à singularitatibus præcisam, cui vt sic correspondet propria sua vnitas formalis; & cum inquitur, quod præcisio est ipsa cognitio naturam à singularitate præscindens, & natura præcisa est natura cognita absque singularitate, respondeo ex dictis num. 16. naturam posse dupliciter ab hæcceitate præscindere, vel ex natura rei, quatenus à parte rei in sua ratione formali singularitatem non includit, vel per intellectum, quatenus intellectus per suum actum talem præcisionem naturæ ab hæcceitate agnoscit, & contemplatur; quamuis igitur concedi possit, quod præcisio naturæ facta per intellectum sit ipsa cognitio, id tamen omninò falsum est de præcisione naturæ à singularitate reperta in re. Et quidem cognitionem vniuersalis immediatè terminari ad naturam præcisam fatetur Hurtad. ipse cum ceteris Nominalibus eo ipso quod aiunt illam terminari ad plura singularia, vt similia, nam proteſtantur & ipsi se non loqui de similitudine formali, & relatiua, quia hæc formaliter pluralitatem includit, & petit extrema distincta, cognitio autem vniuersalis non attingit plura, vt plura, & vt distincta, sed inquiunt sermonem esse de similitudine fundamentali, quam aiunt esse quandam vnitatem, & identitatem, supra quam fundatur posteà formalis similitudo, & ob quam nequit intellectus vnum individuum ab alio discernere, hæc autem est vnitas naturæ communis, quam dicimus dari ex natura rei, vt magis patebit in sequentibus.

QVÆSTIO II.

Quomodo natura communis habet esse à parte rei, an scilicet in singularibus inclusa, & realiter identificata, vel non.

23 COnstituto vltrà singularia dari naturam communem à parte rei, nunc disputandum est de modo, quo scilicet pacto admitti debeat, an scilicet in singularibus ipsis inuoluta, & complicata, num potius ab eis separata, atque discreta. Et quidem famosa satis, ac peruulgata opinio est, quam tribuit Arist. Platoni pluribus in locis, vniuersalia esse naturas rerum à singularibus separatas, per se existentes, materiæ expertes, omnibus individuis communes, eisque finem esse tribuentes, vel in genere causæ efficientis, vel exemplaris; vndè sensit Plato (si tamen Arist. fides est adhibenda) essentiam v.g. hominis in communi extrà homines particulares existere, eamque ipsissimum hominem appellauit, homines verò particulares, non absolutè homines, sed hos homines dixit, & addidit harum rerum essentias, quas vocauit Idæas, esse omninò ingenerabiles, incorruptibiles, immutabiles, ac æternas, itaut corruptis singularibus non ideò ipsæ deficerent Idææ, sicut per impressionem vnius sigilli in multis ceris plures efficiuntur sigillationes, quibus corruptis adhuc sigillum remanet separatum; & ex vno igne multæ accenduntur candelæ, quæ si extinguantur non ideò extinguitur ignis ille, & ad hunc sensum sæpissimè refert, & improbat acerrimè Platonis idæas Arist. 1. lib. Met. & lib. 7. & 13. & 1. Ethic. cap. 6. & 1. Post. tex. 149. vbi eas vocat species, & alij vocant vniuersalia Platonis à singularibus separata, quæ etiam ferunt Platonem posuisse in sublimi quodam ac remoto loco suprà elementorum sphæras in concauo Lunæ; & in hunc quoque modum refert Scot. 2. dist. 3. quæst. 6. §. *ista positio* opinionem Platonis, vt ab Arist. recitatam.

24 An autem hæc fuerit vera, ac germana Platonis, sententia, & fideliter ab Arist. relata, negant quamplures asserentes Platonem posuisse tantum idæas rerum omnium in mente diuina, nihilque in hac positione idærum errasse, quos longo catalogo refert, & sequitur Pasqualig. tom. 2. Metaphis. disput. 11. sec. 3. vbi & plura loca in huius rei fidem ex ipso Platone adducit; sed testem huius veritatis omni exceptione maiorem adducit Scotus 1. dist. 35. quæst. vn. §. *ad ista* D. August. lib. 83. quæst. q. 46. vbi ait *indiuina mente sunt omnium rerum creandarum, creatarumue rationes neque diuina mente quicquam, nisi æternum, atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat idæas Plato, quarum participatione fit, vt sit quicquid est, quo quomodo est* & lib. 1. retrac. cap. 4. vbi rursus loquens de Ideis, & mundo intelligibili ait *nec Plato quidem in hoc errauit, quia esse mundum intelligibilem dixit* & ideo Scotus loc. cit. ait Platonem, quando idæas posuit à rebus sensibilibus separatas, eas posuisse in mente diuina; & de mundo intelligibili locutum esse, imò Augustinum nomen Idææ accepisse à Platone, qui posuit idæas ipsas rerum quidditates non quidem per se existentes, vt ei imponit malè Arist. sed in mente diuina, vt benè interpretatur Augustinus; ita Doctor ibi, ita etiam pro Platone loquitur Alensis noster 7. Metaph. tex. 52. quæstiunc. 2. vbi quærens, num dari possint Idææ separatæ Platonis sic quæsitum resoluit; dicendum est, quod dare idæam separatam extra mentem primi intellectus, ita quod sit dare per se hominem, qui sit extrà hunc hominem particularem, hoc est impossibile, quia natura hominis habet, quod sit existens in hoc homine; si autem intelligatur, quod dentur idææ rerum in mente primi, hoc est necessarium, cuius ratio est, quia omnia quæ sunt infrà naturam, & infrà essentias creatas procedunt à Deo, non autem procedunt per modum naturæ, restat ergo quod procedant per modum artis, omne autem quod procedit ab aliquo per modum artis, procedit per modum exemplati, omne autem quod procedit à Deo per modum exemplati habet exemplar in mente artificis; si ergo omnia procedunt à Deo per modum exemplatorum concludit Alensis, omnia habent exemplar in intellectu primi, & tale exemplar voco idæam, & has idæas (inquit) secundum rationes exteriores in intellectu primi posuit Plato non autem in se subsistentes extrà illum, sicut imponit sibi Philosophus; in cuius rei confirmationem Alensis adducit etiam Comment. Eustratium 1. Ethic. dicentem idæas non esse à Platone positas, sicut ei imponit Arist. extrà mentem primi artificis, sed in mente diuina; quicquid ergo dicant Arist. fautores, cum Scotus, & Alexander stent pro Platone debemus & nos in hac re tantis Doctoribus subscribere; de quo qui plura desiderat consultat Auers. qu. 8. log. sect. 2. & Contarin. iunior. tom. 3. q. q. per ip. qu. 1. à cap. 8. & inde.

Alij verò communiter in schola Peripat. docent nec dari à parte rei imò nec posse dari per diuinam potentiam naturam vniuersalem ab individuis separatam, sed semper, ac indispensabiliter immersam esse singularibus, ac in eis essentialiter inclusam; Sed quidam istorum esto non ponant naturas vniuersales à singularibus seiunctas, & separatas, adhuc tamen eas realiter à singularibus distinguunt, saltim vt inclusum ab includente, quia gradus inferior includit superiorem, non tamen superior inferiorem; ita videtur significare Iandun. 2. Met. q. 9. & sic discurrere debent, vt consequenter loquantur. Auctores illi, qui disp. præced. quæst. 6. gradus superiores, & inferiores dictum dicebant à formis realiter diuersis, vt v.g. corpus à forma corporis, viuens ab anima vegetanti, sentiens ab anima sentienti, & intelligens ab intelligenti, quas formas realiter diuersas existimant illi esse in eodem singulari.

Dicendum est naturam communem dari non posse, nisi singularibus perpetuò immersam, immò realiter, ac essentialiter identificatam itaquod omninò fabulosa sint vniuersalia in essendo à singularibus separata, vt Platonem posuisse narrat Aristot. Et quidem id impossibile esse, ac omninò implicare euidentissimis conuincitur rationibus ex ipso Arist. deductis 7. Metaph. nil enim magis implicatorium est, quam essentiam, vel essentiæ partem esse extrà rem, cuius est essentia, quandoquidem nil rei magis intrinsecum datur, quam propria essentia, sed natura communis, seu vniuersalia in essendo sunt de essentia singularium, vt animal de essentia hominis, homo de essentia Petri, ergo impossibile est talia vniuersalia esse extrà singularia, vel ab ipsis separata. Bonet lib. 7. suæ Met. cap. 2. & 3. nititur soluere hanc ratio-

nem ex Arist.7.Met.deductam, quia etiam saluare contendit opinionem Platonis de Idæis ex parte, vt ei tribuitur ab Aristot. vndè cap.2. decem dicta ponit iuxtà mentem Platonis, quorum primum est, quod vniuersalia extrà intellectum simpliciter existunt, & per se subsistunt, in tertio dicto asserit, quod homo simpliciter existens excludit realitatem omnium hominum singularium, & adhuc est idem cum illis, & prædicatur de ipsis; quomodo autem hoc sit possibile, quod vniuersale sit separatum à singularibus, & adhuc sit idem illis, & prædicetur de ipsis explicat, deinceps capit. 3. dicens, quod homo simpliciter est omnis homo eminenter, & æquipollenter, non autem omnis homo quidditatiuè, & formaliter, sicut exemplar omnium hominum; sicut diximus quod prima Intelligentia est exemplar eminens omnium, & idæa omnium repræsentatiua, vndè & lapis non est formaliter sed repræsentatiuè, & exemplariter omnis lapis, & homo simpliciter omnis homo eminenter, & rosa simpliciter omnis rosa eminenter, & exemplariter, ideò non prædicatur de rosis particularibus prædicatione essentiali dicente, hoc est hoc, sicut nec exemplar ita prædicatur de exemplato, nec prima intelligentia, quæ est exemplar eminens omnium sic prædicatur de illis, quorum est exemplar. Et si dicas Platonem posuisse vtique prædicationem aliquam hominis simpliciter de singularibus hominibus, qualis igitur est illa prædicatio, & qualis est identitas, vel consubstantialitas hominis simpliciter ad homines particulares, siquidem implicare videtur id, quod est idem cum omnibus singularibus esse extrà illa, & ab illis separatum, quia tunc idem esset, & non esset. Respondet de mente Platonis, quod illa prædicatio non est essentialis, sed est representatiua de representato, & exemplaris eminentis de exemplato, sicut diximus, quod domus in anima, & domus extra sunt eadem domus, quod verum est repræsentatiuè, & exemplariter, rei namque & suæ similitudini potest idem nomen imponi, & potest fieri talis prædicatio, sicut dicitur, quod prima intelligentia est leo, lapis &c. quod verum est representatiuè, & eminenter, neq; intendebat Plato aliam prædicationem, nec identitatem, & qui aliter ei imponit, non loquitur Platonicè, & inquit Bonetus.

26 Hæc opinionis Platonis expositio ex parte coincidit cum explicatione relata D. Aug. nam talis Idæa præcisè considerata erit quid singulare in seipsa quoad esse, & solùm potest esse vniuersalis in repræsentando, non erit autem vniuersale in essendo, & à singularibus separatum, in quo sensu tantum hic impugnatur; sed adhuc ista expositio, vt ponitur à Boneto, in multis deficere videtur, nam si vult ad mentem Platonis hominem simpliciter v.g. non esse, nisi exemplar, & Idæam omnium hominum, illud reponere debeat in mente diuina, non autem aliquod ens separatum à singularibus, & per se subsistens, si enim per se in vniuerso existit extrà omnem intellectum, vtique locum illi assignare debebat, nec erat maior ratio de vno, quam de alio. Deindè si ita explicetur hoc vniuersale Platonicum, nedum non erit vniuersale in essendo, sed nec etiam in repræsentando, inquit enim Bonet. quod vniuersale hominis v.g. excludit realitates omnium hominum singularium, & solam repræsentat naturam humanam exclusa individuatione; ergo iam solam humanam naturam repræsentaret, non verò individua illius naturæ, atque ideò neque in repræsentando vniuersalis erit, vndè neque vera erit prædicatio vniuersalis de particulari, vt exemplaris eminentis de exemplato, quia vt talis prædicatio sit vera, exemplar debet in se exprimere quicquid in exemplato reperitur, & è contra, & in tali conformitate veritas huius prædicationis fundatur, & ideò cum vniuersale secundum hunc dicendi modum sit exemplar diminutum singularium, quia hæcceitates non exprimit, nequit de illis prædicari cum veritate exemplariter, & repræsentatiuè. Deindè ideæ Platonis sic explicatæ, vt explicat Bonetus (quam tamen explicationem contendit Auersa loc.cit. esse veram, & genuinam ad Platonis mentem) adhuc inutiles sunt, nec vlli agenti deseruire possunt, non quidem agenti increato, quia Deus habet in mente sua omnium rerum idæas, & seipso est rerum idæa, nec aliquo externo exemplari indiget, quod imitetur; nec minus agenti creato, quia hoc quoque in mente sua idæam rerum agendarum sibi efformat, & cum solùm artificiali modo operetur, non ei opus est idæis rerum naturalium. Denique ratio ex Arist. allata ad improbandas Platonis idæas valida est, quia eas impugnamus, ac si essent vniuersalia in essendo separata à singularibus quemadmodum ei imponit Arist. non autem tanquam sint vniuersalia tantùm in repræsentando. Accedit quod etiam in hoc sensu patitur difficultates nuper allatas, nisi opinio Platonis explicetur de idæis in mente diuina, vt Scotus, & Alensis exponunt cum D. Aug. cit.

27 Deindè principaliter probatur conclusio, & impugnatur vniuersale Platonicum, vt ab Aristot. refertur, quia omnis res, quæ solitariè existit, & per se immediatè subsistit in vniuerso est singularis, ac individua iuxta illud Boetij *omne quod est ideò est, quia vnum numero est*, ergo implicat in terminis vniuersale in essendo per se existens, & subsistens à singularibus separatum. Si rursus cum Boneto dicas illud vniuersale dicere tantùm naturam particularium, non verò ipsorum individuationem, & ideò cum dicat tantùm essentialia naturæ, existit per se sine singularitate, sicut natura in intellectu, si consideretur vt ab individuatione abstracta, vniuersalis est. Contrà, quia existentia supponit singularitatem rei, cui conuenit, vt suprà disput. 8. demonstratum est, ergo implicat quidpiam per se existere præsertim immediatè, & solitariè sine singularitate, eo enim ipso, quod aliquid existit in se, & per se ab omni alio separatum, est in se vnum numero, & singulare, nam singulare dicitur, quod non dicit diuisionem in se in plura singularia. Tum quia vel illud vniuersale separatum, & per se existens est productum, vel improductum, non improductum, quia esset Deus, si verò est productum; ergo non amplius est vniuersale, sed singulare, vel vniuersale, & singulare simul, quia actiones terminantur ad singularia, & omne quod productionem terminat immediatè, & in se, est singulare. Nec valet assumpta paritas de natura obiectiuè præcisa ab intellectu, aliud enim est loqui de natura sic præcisa per intellectum, aliud de aliqua re in rerum natura existente extrà intellectum, quando namque natura per intellectum vniuersalizatur, & in esse obiectiuo accipitur, planè non consideratur secundum totum suum esse, quod habet à parte rei, quia à parte rei reperitur identificata cum singularitate, à qua per intellectum præscindit; at si daretur vniuersale à singularibus separatum in rerum natura certè totam suam entitatem actualem haberet, per quam esset in se indiuisum, & à quocunque alio diuisum secundum esse reale physicum, ac entitatiuum, atque ideò indiuiduum esse, & singulare.

28 Demum probatur conclusio quoad hanc partem discurrendo per singulæ capita, ex quibus Plato refertur idæas introduxisse, ac vniuersalia separata, & ostendendo omnium inutilitatem. In primis non sunt ponendæ propter scientias, quia vt arguit Arist. 7. Met. 20. & 21. tunc res perfectè scitur, cum scitur eius quodquid est, seu propria substantia, nec opus est recurrere ad substantiam illi prorsus extrinsecam, quale ponitur vniuersale Platonicum; tum quia cum hominem definimus, quod sit animal rationale, & demonstramus quod sit risibilis, certè non de aliquo homine separato, & nobis ignoto, aut aliqua Idæa id facimus, sed de homine nobis noto; tum quia de accidentibus datur scientia, & tamen istorum Idæas Plato non posuit, sed tantùm substantiarum, ergo non sunt absolutè necessariæ ad scientiam rerum; tum tandem quia adhuc sine tali vniuersali Platonico benè stat, quod scientia sit de obiecto immutabili, incorruptibili, & æterno, quia non est de ratione obiecti scientiæ necessitas, & immutabilitas quoad existentiam, sed tantùm quoad connexionem prædicati cum subiecto, vt enim docet Scot. 1. dist. 3. quæst. 4. l. & K. ad scientiam sufficit necessitas complexa, & propositionum, nec opus est necessitate incomplexa, & terminorum, de quo satis dixi supra disp. 8. quæst. 1. art. 4. à num. 58. vbi etiam declaraui, quo pacto nullo existente homine particulari adhuc daretur scientia de homine in communi, & verum esset dicere, quod sit animal rationale, risibile &c. Et quo sensu essentiæ rerum dicantur æternæ absq; vlla necessitate vniuersalis Platonici. Neque necessariæ sunt Platonis Idææ, vt omnis generatio sit ab vniuoco, & omne simile generetur à simili, cum enim multa videamus à causis particularibus dissimilibus generari, vt igné ex ferro, & lapide, ranam ex pluuia, & puluere, hinc Plato inferebat dari debere aliquam causam vniuersalem, rebus genitis similitudinem suam imprimentem. Non, inquam, ex hoc capite sunt ideæ Platonicæ introducendæ; tum quia saltim in effectibus vniuocis superuacaneæ forent, tum quia absolutè loquendo non est semper necessaria formalis, & vniuoca similitudo inter causam, & effectum, sed sæpius sufficit sola virtualis, vt patet in effectibus equinoctiis cum eadem quia quando etiam talis similitudo necessaria foret, adhuc adhuc non facit vniuersale Platonicum, hoc enim ponitur ab ipso omnis materiæ expers ingenerabile, & incorruptibile, effectus autem illi corruptibiles componuntur ex materia, & forma, sunt generabiles, & corruptibiles, & ideò vniuersale Platonicum nequit poni eiusdem rationis, & speciei cum istis.

29 Neque rursus sunt necessariæ propter conseruationem rerum inferiorum, quia cum hæc sint corruptibilia, atque caduca non indigent perpetuo conseruante, tum quia pro toto eo tempore, quo durant, etiam præcisis ideis habent causas naturales ad earum conseruationem sufficientes, & denique nunquam deest influxus causarum vniuersalium, & nempe Dei, & cælorum, vt suo loco dictum est. Neque poni debent, vt inferiora suas operationes exercere possint, nam inferiora ex parte sui habent principia sufficientia illarum, propriæ namque formæ sunt principia prima, & radicalia, accidentia verò principia proxima, & instrumentalia, & ex parte Dei causæ primæ, & vniuersalis semper præstò est generalis concursus. Nec tandem poni debent, vt possit intellectus sine falsitate cognoscere vniuersale non cognitis singularibus; ad hoc enim sufficit, vt notat Doctor 2. dist. 3. quæst. 1. Quod detur natura communis immersa quidem in singularibus per identitatem realem, quæ tamen non includat singularitatem in sua ratione formali, imò quantum est de se sit indifferès, vt non magis hoc singulare constituat, quàm aliud; talis enim indifferentia, ac distinctio formalis naturæ à singularitate sufficiens fundamentum est, vt cogitari possit natura vniuersalis nil interim cogitando de singularitate, per quam à parte rei contracta est, ac determinata ad hoc individuum, neque hic vlla interuenit falsitas, tum quia præcedit fundamentum in re, tum quia dum intellectus, ita naturam contemplatur, non eam separat, aut diuidit ab individuis, sed solum præscindit, & abstrahit considerando vnum; & non considerando aliud, quæ ex 2. Phys. 12. dicitur abstractio præcisiua, non diuisiua.

30 Altera quoque conclusionis pars, scilicet naturam communem nedum esse semper singularibus coniunctam, & immersam, verum etiam realiter identificatam, est communis omnium sensus, &

in

in omni schola receptissima, idque Arist. docuit 7. Met. 31. & alibi frequenter, dum inquit vniuersalia nihil esse præter singularia, & genus nihil esse præter eas, quæ sunt generis species, iuxtà enim grauium Interpretum expositionem nedum his verbis indicare voluit non dari vniuersalia à singularibus separata, verum etiam non dari, vt res ab ipsis realiter distinctas; potest probari primò omnibus illis rationibus quibus disput. præced. quæst. 6. art. 1. probatur diuersos gradus metaphysicos eiusdem essentiæ non admittere inter se realem distinctionem, sed omnes in eadē essentia, ac entitate realiter identificari. Deinde quia vniuersalia essentialia (de quibus hic est sermo) vt sunt genera, & species essentialiter, & quidditatiuè de suis inferioribus prædicatur, vel tanquam tota eorum essentia, vel tanquam pars essentiæ; ergo supponunt naturas communes, in quibus fundantur eorū intentiones, esse suis inferioribus realiter identificatas, nam veritas huiusmodi prædicationum essentialium in tali reali identitate fundatur, vt dictum est disp. 4. log. Vlterius probatur ex regulis distinctionis realis iam assignatis disput. 6. quæst. 8. nam distinctio realis attenditur penes diuersitatem existentiarum præsertim in creatis ex ibi dictis nu. 182. & propriè versatur inter rem, & rem, sed naturæ communi, vt à singularitate præcisæ non conuenit existentia, sed tantum prout est cum ea coniuncta, ac identificata; ergo cum existentiam non habeat diuersam ab existentia singularis, sed eiusmet existentia existat, nequit ab ea realiter distingui, minor patet ex disput. præced. num. 176. & mox adhuc probabitur.

31 Confirm. quia quando aliqua distinguuntur, vt duæ res, quæ est conditio requisita inter ea quæ realiter distinguuntur, quodlibet eorum habere debet propriam entitatem realem existentem, per quam vnum secernatur ab alio; sed omnis entitas propria existentia existens est singularis, quia per hanc constituitur immediatus, & ipse terminus actionis agentis, quæ ad singulare terminatur, ergo vniuersale, & singulare, vt duæ res nequaquam distingui possunt. Confirm. adhuc ex regulis identitatis realis, sicut enim realis distinctio fundatur super pluralitatem rerum existentium, seu suprà diuersitatem existentiarum, ita realis identitas fundatur super vnitatem essentiæ, & existentiæ, vt dictum est loc. cit. disput. 6. num. 189. vndè quæ reantur, siue realizantur per vnicam essentiam, & per vnicam pariter existentiam existunt, dici debent, eadem realiter; sed omnes gradus metaphysici ita se habent in communi constituto, ergo nequeunt inter se realiter distingui; probatur minor, quia essentia ex ibidem dictis ex propria sua significatione dicit naturam integram ordinatam ad existentiam, formalitates verò, vt sunt gradus metaphysici, sunt tantùm constitutiui essentiæ, nec ex se immediatè sunt capaces existentiæ, sed adæquatè existunt per existentiam totius entitatis conflatæ ex ipsis. Sed adhuc specialiter probatur de natura communi in ordine ad singularitatem, quia existentia non advenit, nisi rei singulari, communicatur enim rei per actionem, cum sit terminus realis productionis, quæ ad sola singularia terminatur ex 1. Metaph. cap. 1. & lib. 7. cap. 15. sed sic est, quod in quolibet indiuiduo à parte rei est vna duntaxat indiuidualis differentia, per quam natura specifica in eo existens est singularis, & meritò eius cæteri gradus superiores, vndè per eandem differentiam indiuidualem Petrus fit hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, & hic homo, vt magis patebit disp. seq. ergo pariter vna tantum dabitur existentia, scilicet indiuidui, per quam omnes gradus prædicamentales existunt, atque ideò nullum eorum potest à communi constituto realiter distingui.

32 Rursus si natùra humana v. g. in Ioanne realiter distingueretur ab ipso pariter ab eius indiuiduali differentia distingui deberet, sed hoc dici non potest, ergo &c. Patet sequela maioris, quia cum ex humanitate, & singularitate Ioannis constituatur vnum compositum, quod est Ioannes, nequit humanitas realiter à Ioanne distingui, quin etiam distinguatur ab altera parte, scilicet singularitate eiusdem. Probatur minor ex dictis, quia ad distinctionem realem exigitur propria entitas, & existentia in vtroq; extremo, sed antè singularitatem in Ioanne humanitas non possidet vllam actualem existentiam, sed tantùm postquam singularizata est intelligitur existere ad existentiam singularis, non enim potest existere extrà causas, nisi per productionem, & nequit produci nisi cum singularitate, quia omnis productio cum sit singularis; ad rem quoque singularem, & indiuiduam necessario terminatur ex Arist. modò cit. ergo &c. Præterea probari potest ex via generationis, & corruptionis, quæ licet non sit signum adæquatum, vt diuersitas existentiarum, est tamen sufficiens distinctionis realis, aut identitatis oppositæ ex dictis disp. 6. q. 8. nu. 185. signum namq; sufficiens cognoscendi realem identitatem inter aliqua duo est quando ad generationem vnius generatur & aliud & eadem actione, & ad eius interitum aliud quoque interit, ita verò se habent singulare, & natura communis, generatur enim ad generationem singularis, & ad eius corruptionem corrumpitur secundariò, & remotè, vt Scot. docet 3. dist. 22. quæst. vn. H. Tandem potest probari ratione à posteriori, qua vtitur Aureol. apud Canon. 1. Phys. q. 6. & 7. nam si natura communis realiter à singularibus eorumq; hæcceitatibus distingueretur, tunc transmutari posset de vna differentia in aliam, quando namq; res potentialis, & prior respicie plures actualitates oppositas, vt realiter distinctas, potest saltim Deus illam transmutare de vna in aliam, ac etiam omnibus simul expoliare, vt constat de materia respectu formarum, quia enim respectu illarum est potentia, & ab eis realiter distincta, potest de vna transmutari in aliam, imò & à Deo omnibus expoliari, nam vt arguit Doctor 2. dist. 12. quæst. 2. omnis realitas absoluta prior alia, & ab ea realiter distincta potest separari ab ea, cum non dependeat ab illa; & sic animalitas hominis posset fieri animalitas leonis, imò dari animal in rerum natura, quod nec sit rationale, nec irrationale, & ab omnibus differentijs denudatum, quod planè monstruosius est, quam Vniuersale Platonicum separatum, quam rationem adhuc magis prosequor suprà disp. præced. n. 190.

Obiectiones solutæ.

33 IN oppositum arguitur, Primò, quod natura communis realiter distinguatur à singularibus, & eorum hæcceitatibus, nam de ipsis contradictoria verificantur à parte rei natura namque à parte rei dicitur communicabilis pluribus indiuiduum verò incommunicabile, natura à paate rei dicitur communis, & contrahibilis, differentia verò indiuidualis dicitur propria, & contrahens; at illa de quibus à parte rei contradictoria verificantur, realiter distincta censentur, nam saltim in creatis nequeunt opposita de eadem re affirmari, & negari, ergo natura distinguitur realiter à singularibus, & eorum hæcceitatibus.

Resp. contradictionem ex natura rei esse vtique sufficiens signum ad vestigandam distinctionem ex natura rei, vt est genus ad omnes distinctiones præter opus intellectus, non autem ad indagandam distinctionem simpliciter realem, vt dictum est disp. 6. num. 168. & 181. aliqua enim sunt contradictoria, quæ toti rei absolutè conueniunt, & non præcisè ratione alicuius formalitatis inclusæ, spectantque ad esse identicum, ac entitatiuum rei, seu physicum, vt existere, & non existere, produci, & non produci, & contradictio in ipsis fundata vtique veram, & propriam infert distinctionem realem prælertim in creatis, quia hæc sunt extrema primæ contradictionis, de quolibet verum est dicere quod est, vel non est; alia sunt contradictoria minoris momenti, quæ nempe respiciunt esse formale rei, nec absolutè, & simpliciter toti rei conueniunt, sed ratione alicuius formalitatis, & cum reduplicatione istius, vt esse sensitiuum, & discursiuum, in homine, dicitur enim sensitiuus, quatenus animal, & discursiuus quatenus homo, non quatenus animal, vndè ad hæc contradictoria componenda sufficit sola diuersitas formalitatum in eadē re, quæ doctrina habetur suprà fusius declarata disput. 6. nu. 227. 299. & 310. ita autem se habet res in proposito, quod contradictoria de natura, & hæcceitate verificata non sunt contradictoria primi generis, sed secundi, & ideò non inferunt, nisi distinctionem ex natura rei formalem, non autem realem; & sic etiam respondet Lichet. ad hoc argumentum, quod facit Ocham, & Rubion 2. d. 3. quæst. 3. contrà Doctorem 2. dist. 2. quæst. 1. qua etiam doctrina pluries vtitur pro saluanda formali distinctione, ne cum reali coincidat, 1. dist. 2. quæst. 1. & 2. d. 1. quæst. 5. & alibi sæpè. Dices inter contradictoria est æqualis repugnantia, quatenus de eodem, & secundum idem numquam verificari possunt, ergo & æqualem semper inferunt distinctionem. Respond. ex dictis loc. cit. omnia contradictoria siue realia, siue rationis vtique æquè repugnare quoad veritatem, cum enim affirmationem, & negationem puram important planè de eodem respectu eiusdem, & secundum idem verificari nequeunt, attamen quoad distinctionem inferendam non æquè repugnant, nam quædam inferunt distinctionem simpliciter realem, vt prima contradictoria; alia ex natura rei formalem, & alia tandem distinctionem tantùm rationis iuxtà conditionem contradictionis, distinctio siquidem semper contradictioni commensuratur.

34 Secundò, nihil potest identificare sibi realiter illud, sine quo aliquando potuit esse, imò absolutè potest esse, sed iuxtà doctrinam Scoti 2. d. 3. quæst. 1. humanitas in Petro potuit esse sine illa differentia indiuiduali, nam sicut contracta fuit per Petreitatem, ita poterat contrahi per Pauleitatem, imò intrinsecè considerata adhuc retinet illam indifferentiam priuatiuam, in qua Scotus ponit totam naturæ communitatem ob quam adhuc in sensu diuiso potest ab alia singularitate determinari. Conf. ita se habet natura specifica indiuiduum, vt generica ad specificam; sed generica realiter distinguitur à specifica, quia animalitas reperiri potest, imò de facto reperitur, vbi non est humanitas, ergo &c. Tandem humanitas, quæ est in Petro realiter distinguitur à singularitate Pauli, ergo etiam à singularitate Petri, quia quod distinguitur à pluribus eiusdem rationis distinguitur à quolibet alio eiusdem rationis, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio.

Respond. passim Scotistæ argumentum cum confirmatione non concludere, nisi quod natura, & differentia contrahens non absolutè inter se identificantur, sed tantùm ratione tertij, in quo vniuntur per identitatem, à quo si abstrahantur, non remanet inter illa sufficiens causa identitatis, vndè licet humanitas Petri sit animalitas Petri in Petro, tamen extrà Petrum absolutè loquendo humanitas non est animalitas, quam doctrinam diserte tradidit Doctor 1. d. 8. quæst. 4. ad 1. princ. & omnes amplectuntur Scotistæ, imò ita in terminis huic occurrit difficultati 7. Metaph. quæst. 13. nu. 20. vbi ait, quod si consideretur natura communis, vt prior naturaliter ipsa differentia contrahente, nihil in ipsa inuenitur per quod ei repugnet esse sub alia, si tamen consideratur vt coniuncta cum differentia in tertio, implicat separari posse ab illa ob realem identitatem acquisitam ex combinatione amborū in tertio, cui identificantur, vndè concludit quædā nō repugnare

naturæ in se, repugnare tamen naturæ positæ in esse vel factæ, Quam doctrinam pro solutione præsentis difficultatis adhuc magis explicat Lichet.2.d.3.q.1.§. *Respondeo ad hanc rationem*, dicens id quod habet Doctor ibid. cit. H. scilicet naturam quantum est de se indifferentem esse ad omnes hæcceitates, nec repugnare sibi esse sine hac differentia, sub qua est, posse dupliciter intelligi; vel enim intelligitur, quod non repugnat naturæ, quantum est de se, vt prior est singularitate ista, esse sine ista, quia potest esse cum alia, nec sibi hanc necessariò determinat, & in hoc sensu verum est, quia nullam determinatè differentiam respicit natura, sed æqualiter omnes disiunctiuè; vel ita intelligitur vt natura possit esse sine ista, dum est sub ista, & in hoc sensu falsum est, quia dum est sub ista eam sibi identificat, nec sub alia esse potest in sensu composito; neq; id euenit ex parte sui, quantum enim est ex se omnes sibi identificaret, cum æqualiter respiciat omnes, & omnes natę sint oriri à principijs illius naturę, sed id sibi obuenit ex parte differentiæ contrahentis, quia vt actu est sub vna, sibi repugnat esse sub alia, & dum vna oritur, alia non potest oriri stante illa prima, dum enim actu habet vnam singularitatem, repugnat sibi habere aliam.

35 Hæc est potissima difficultas in hac materia, quia indifferentia illa negatiua, quam Scot. assignat naturæ communi in ordine ad differentias contrahentes, & in qua saluat totam naturæ communitatem, planè inducere videtur distinctionem realem inter naturam, & singularitatem, cum possit natura quantum est de se, vel saltim potuerit esse sine illa singularitate sub qua de facto reperitur. Neque communis illa Scotistarum solutio satisfacere videtur etiamsi à Doctore indicata, nisi melius explicetur; si enim natura, & differentia extrà tertium non sunt idem realiter, non videtur quomodo idem fieri possunt per coniunctionem amborum in tertio, nec enim tantam vim habet vnio, quantumcunque sit substantialis, vt possit identificare in tertio, quæ vniuntur, si autem erant realiter distincta, vt constat de materia, & forma in composito, quæ adhuc vnitæ in ipso realiter abinuicem distinguuntur, quia sic antea distinguebantur. Nec etiam satisfacit doctrina, quam addit Licher. nam neque materia prima, dum est sub hac forma, potest esse sub alia in sensu composito, nec ex hoc rite argui potest realis identitas inter illa, quia absolutè loquendo, & secundum se potest esse sine illa, & est æqualiter ad omnes indifferens, sicut igitur ex tali indifferentia materię ad formas rectè deducitur realis distinctio ipsius ab eis, ita in proposito ex tali indifferentia naturæ ad omnes hæcceitates videtur posse, ac debere deduci realis distinctio illius ab illis. Nec valet Lichet. occursus, qui paritatem negat, quia ibi comparatur materia ad formas realiter distinctas, hic autem comparatur materia ad formas realiter distinctas, hiç antem comparatur natura ad hæcceitates, quæ non sunt realiter distinctæ. Non valet, quia quantum est ex parte materiæ, & naturæ communis similis est ambarum indifferentia, & indeterminatio ad formas, & hæcceitates; ergo sicut ex tali indifferentia arguitur materiæ distinctio realis à formis, ita videtur posse concludi de natura communi respectu differentiarum ad quas indifferens; & negare paritatem, quia materia realiter distinguitur a formis, non sic natura ab hæcceitatibus, est manifesta principij petitio, hoc enim est quod modò probare contendit argumentum, aut naturam non esse indifferentem ad hæcceitates, sed omninò determinatam ad illam sub qua est, aut si est indifferens ad illas sicut materia ad formas debere pariter ab illis distingui sicut materia distinguitur a formis ob talem indifferentiam.

36 Itaque pro exacta huius difficultatis solutione aduertendum est nec consimilem esse indifferentiam materiæ ad formas, & naturæ communis ad hæcceitates, nec consimilem vnionis modum materię cum forma in composito physico, & naturæ communis cum differentia in metaphysico; indifferentia enim materiæ ad formas est alicuius subiecti præexistentis ad ipsas, tanquam ad perfectiones illi omninò extrinsecas, quas proindè non habet per naturalem resultantiam, vel emanationem ipsarum in ea, sed quia illi imprimuntur ab extrinseco agente ope dispositionum præcedentium, vndè si agens formas in materia non induceret, ipsa semper informis permaneret; at non ita se habet natura communis in ordine ad hæcceitates, nam antè hæcceitatem ipsa non supponitur existens, & hæcceitas necessariò pullulat, & dimanat ab ipsa absque vllo concursu extrinseci agentis, & necessitate adeò indispensabili, vt neque per diuinam potentiam poni possit in rerum natura, quin statim aliqua hæcceitas dimanat ab ipsa, tanquam vltima, & postrema eius realitas, à qua determinari dicatur vt reddatur incommunicabilis, vt quod, & ex hac necessaria adeò connexione, & indispensabili arguimus identitatem eorum realem, quando enim aliqua ita se habent, quod vnum esse nequit sine alio, itaquod talis impossibilitas sit ab intrinseco, talia realiter identificantur, vt dictum est disp.6.q.8.num.189. ex Doctore 2.d.1.q.5.N. in proposito autem impossibilitas separationis naturæ à singularitate non est ab extrinseco, & per accidens, sed ab intrinseco, quatenus de necessitate naturæ hæcceitas oritur, & dimanat à principijs intrinsecis naturæ communis, vt bene explicat Lichet.cit. quia tamen cum tali necessaria dimanatione hæcceitatis à natura adhuc stat, quod ipsa non includat singularitatem in sua essentiali ratione, & quod non magis vna nata est oriri à principijs eius, quam alia; quia omnes quantum ad hoc sunt eiusdem rationis, hac inquam, ratione dicitur natura communis esse intrinsecè indifferens ad omnes, & singulas, itaquod quantum est ex se ita possit sibi vnam identificare, sicut aliam. Declarat id Licet. exemplo satis apto, ponendo omnes dependentias creaturæ ad Deum esse eiusdem rationis, quia sunt ad eundem terminum, tunc benè diceretur, quod naturæ lapidis, vt sic, non repugnat esse sine dependentia, quam habet, repugnat tamen concomitanter, quia illa dependentia lapidis oritur de necessitate naturæ à natura intrinseca lapidis; & si lapis actu esset sub dependentia, quam habet homo, illa simpliciter eodem modo oriretur a natura lapidis, nec repugnaret lapidi posse esse sub dependentia hominis supponendo quod tales dependentiæ sint eiusdem rationis; sic dicendum in proposito, quod posita natura in esse reali actuali ab ipsa de necessitate naturæ, & in ipsa pullulat tantùm vna hæcceitas, quæ sibi realiter identificatur, & si illa non pullularet, in qua esset, non identificaretur sibi realiter, sed cum alia, quæ ab ipsa pullularet; ex quibus patet quàm sit valdè diuersa indifferentia naturæ communis ad differentias ab illa, quam habet materia ad formas, & quomodo ex indifferentia materiæ ad formas benè deduci potest distinctio realis inter ipsas, non sic ex indifferentia naturæ ad hæcceitates; & in hoc sensu doctrina Licheti intellecta sufficit ad solutionem propositæ difficultatis deductæ ex indifferentia naturæ.

37 Posset etiam alio pacto explicari indifferentia naturæ, & dici naturam esse indifferentem vt per hanc, vel illam hæcceitatem contrahatur non quidem in statu existentiæ, sed in statu essentiæ in illo nempe priori, in quo est indifferens, vt producatur, vel non producatur, & in illo priori in quo Deus est indifferens ad producendum hoc individuum, vel illud, nam in illo priori sicut Deus est actiuè indifferens, vt naturam humanam producat in Petro, & Paulo, ita quoque natura humana est passiuè indifferens, vt per hanc individuationem contrahatur, vel per illam, & sic patet quomodo hæc indifferentia naturæ ad varias individuationes non est physica, & subiectiua, qualis est indifferentia materiæ ad formas, sed tantum est obiectiua, & ideo nequaquam inferre licet distinctionem realem inter naturam, & hæcceitatem, sub qua postea producitur; quia tamen eadem essentialia prædicata, quæ naturæ conueniunt in statu essentiæ siue in *priori*, siue in secundo modo, retinet quoque natura in statu actualis existentiæ, hinc est quod etiam in statu existentiæ, & quando sub ista individuatione reperitur, adhuc dicimus naturam aliquo pacto indifferentem esse ad individuationes, quatenus nullam includit in sua ratione formali, & quantum est ex se non magis petit determinari per istam, sub qua de facto reperitur, quàm per aliam. Deniq. explicari potest hæc indifferentia passiua naturæ exemplo theologico, sicut nimirum explicari solet indifferentia actiua diuinæ voluntatis ad actus liberos, nam isti realiter identificantur cũ entitate necessaria diuinæ volitionis, vt omnes fatentur, & tamen secundum suam rationem formalem desinere possunt non definente entitate diuinæ volitionis, sicut ergo diuina voluntas ita voluit ab æterno hunc mundum fore, vt potuerit non velle ob eius indifferentiam ad opposita liberè, & tamen tali indifferentia non obstante hoc decretum de mundi existentia cum entitate diuinæ voluntatis, vel volitionis penitus identificatur; ita seruata proportione in creatis potest admitti natura communis ita indifferens passiuè ad individuationes, vt quando producta est sub ista, quam de facto habet, potuerit pariter in illo priori æquè benè produci cum alia absque eo quod ex tali indifferentia deduci possit talis distinctio naturę ab individuatione, sub qua de facto reperitur, vndè proposito assumpto argumento sub nu.34. nihil potest identificare sibi illud, sine quo aliquando potuit esse, habet manifestam instantiam in actibus liberis diuinę voluntatis; & hęc explicatio indifferentiæ naturę communis ad individuationes benè notanda est, quia in ista indifferentia consistit tota naturę communitas apud Scotum ex vna parte, & ex alia valdè difficile videtur cum hac indifferentia componere realem identitatem naturę cum singularitate, nec vllum adhuc Scotistam reperi, qui hunc nodum rite dissoluat.

38 Sicut autem non est consimilis indifferentia naturę ad individuationes, & materię ad formas, ita quoque non est consimilis modus, quo vniuntur materia, & forma in composito physico, & natura ac differentia contrahens in metaphysico, vt enim notat Doctor 3.d.12.q.2.ad 1.princ. materia, & forma in composito physico vniuntur sola vnitate vnionis, quę vtique non tollit realem distinctionem inter vnita, at natura, & differentia in composito metaphysico vniuntur vnitate identitatis transeundo nimirum in realem identitatem ipsius, quę postea redundat inter ipsa, quatenus quæ sunt eadem vni tertio sunt etiam eadem inter se, vt in illo tertio vnita; ratio discriminis est, quia inter compositionem physicam, & metaphysicam hoc interest, quod partes physicæ cum sint res, & res, ac verę, & proprię causę respectu compositi physici, constituunt illud per veram causalitatem, atque ideò nequeunt seipsas realiter identificare cum illo, sed natura, & differentia, quandoquidem non sunt verę res, sed realitates vnica existentia existentes in eadem re, nec verę, & proprię causę non constituunt totum metaphysicum per veram & propriam causalitatem, sed per simplicem influxum metaphysicum semet illi realiter identificando, atq. ita vniuntur in eo non sola vnitate vnionis, vt faciunt partes physicę. sed etiam vnitate identitatis, vt loquitur Doctor loco citato, quod etiam discrimen inter vnionem partium physicarum, & metaphysicarum in communi constituto bene significat Tat.2.d.3.qu.6.ad 1.prin. & in hoc sensu intelligenda est communis illa Scotistarum doctrina à Doctore desumpta in pluribus locis, & in hoc sensu explicata valdè iuuat ad solutionem præsentis difficultatis.

Ad

Ad argumentum igitur positum num. 34. primò instari potest contra maiorem illam, nihil potest sibi identificare illud, sine quo aliquando potuit esse, vt enim dicebam num. præced. habet manifestam instantiam in actibus liberis ad extra diuinę voluntatis; deinde potest distingui, nihil potest sibi identificare illud, sine quo aliquando potuit esse, post eius productionem, concedo, nam talis separatio aliquando ab aliqua re iam producta, & existenti absque ipsius destructione manifestam indicat realem distinctionem inter illa; ante eius productionem, nego, quia cum hoc stare potest, quod in actuali eius productione sibi illud identificet, cum antea indifferens esset ad illud sibi identificandum, vel non; & tunc ad minorem dicendum humanitatem in Petro potuisse esse sine tali differentia ante eius productionem modo explicato num. 37. minimè verò post eius productionem, vnde natura iam existens dicitur illam indifferentiam retinere modo tantum negatiuo, quatenus quantum est de se posset esse sine illa non quidem potentia naturali, & ad actum reducibili, sed logica, quatenus si consideretur vt prius naturaliter differentia contrahente, nihil in ipso inuenitur per quod ei repugnet esse sub alia; vel explicetur indifferentia naturę iuxta modum ex Lichet. adductum num. 36. nam adhuc ex tali indifferentia deduci nequit realis distinctio inter naturam, & indiuiduationem, vt ibi dictum est; vel tandem explicetur indifferentia naturę ad indiuiduationes vt explicatur à Theologis indifferentia diuinę voluntatis ad actus liberos, sine quibus aliquando existere potuit, & tamen adhuc identificantur cum ipsa.

39 Ad Conf. eiusdem argumenti negatur minor, ita enim in homine animalitas cum rationalitate identificatur, sicut in Petro humanitas cum Petreitate, & cum dicitur animal realiter distingui à rationali imò, & separari, quia reperitur in bruto in quo non est rationale; primò hic debet aduerti, quod cum dicimus naturam communem cum differentia contrahente realiter identificari, sermo est de gradibus eiusdem essentię, idest qui in eodem reperiuntur constituto, scilicet *species*, siue indiuiduó, comparando enim animalitatem bruti ad gradum rationalitatis, qui est in homine, certum est apud omnes inter se realiter non identificari, quia talis identitas non obuenit illis, vt supra dicebam, nisi quia coeunt in eodem communi constituto, & identificantur cum tertio. Deinde, quod adhuc maiori est dignum animaduersione, ex hoc quod gradus animalitatis reperitur in bruto, vbi non est gradus rationalitatis, non benè infertur in rigore loquendo realis distinctio, vel separatio animalitatis à rationalitate, vel humanitate, sed solum deduci potest, quod animal à parte rei non est idem cum solo homine, vel cum solo bruto ob eius amplitudinem, quia cum sit gradus communis latitudinem hominis, & bruti excedens, ita petit esse in homine, & non distingui ab eo realiter, vt eodem modo petat esse in bruto cum simili identitate; non igitur ex eo quod est in homine separatur à bruto, neque è contra, cum perseueret in ambobus ratione suæ latitudinis, & inadæquatè identitatis, vnde natura quantum est ex se omnes sibi identificat differentias, per quas contrahitur, inadæquatè tamen, ita enim vnam sibi identificat in alio, vt aliam quoq; sibi identificet in alio, adeout eius vnitas, & identitas sit illimitata, & inadæquata respectu singularum. Potest id exemplo declarari, nam anima ratione suæ illimitationis, & virtualis diuisibilitatis ita est in pede, vt etiam sit vna, & eadem in capite, & tamen ex hoc, quod est in pede, non valet inferre, quod separetur à capite, quia ex hoc quod est in pede, non ob id cessat esse in capite, sic in proposito ex hoc, quod animalitas non olum in homine reperitur, sed etiam in Leone, non sequitur quod ab homine separetur, vt est in Leone vel è contra, quia non per hoc quod est in vno, cessat esse in alio, quod ad separationem necessarium vtiq; foret. Quæ rursus doctrina iuuare potest ad declarandam naturæ communis indifferentiam ad hæcceitates, & quomodo ex hoc, quod ita est sub ista, vt potuerit esse sub alia, minimè sequatur, quod vel separari possit, vel saltim realiter distingui ab ista, quam habet, quia non ob id, quod est sub vna cessat esse sub alia, sed solum inde inferri potest, quod non tantum cum hac differentia identificatur in hoc indiuiduo, sed etiam cum qualibet alia in quocunq; alio ob eius indifferentiam ad omnes; verum tamen est hanc doctrinam potius facere pro communitate naturæ per inexistentiam, quam per indifferentiam, vt constabit ex dicendis infra qu. 5. licet etiam possit nobis inseruire, vt patebit infra num. 121.

40 Ad vltimum ex eadem doctrina respondetur cum Lich. loc. cit. quod natura, vt prior singularitate, non distinguitur realiter ab aliqua singularitate, sed tantum formaliter, quia nata est ita esse sub vna, sicut sub alia, sed vt actu est sub vna singularitate ratione illius realiter distinguitur à quolibet alio, & sic natura, vt actu est in Sorte realiter distinguitur à qualibet alia singularitate, sed hoc non est præcisè ex ratione naturæ, sed ratione singularitatis, quam actu habet, quam realiter sibi identificat, cum illa de necessitate naturæ oriatur à principijs illius naturæ. Si dicatur, ergo & quamlibet aliam sibi identificat, quia ex quo omnes sunt eiusdem rationis, ita vna nata est oriri à principijs naturæ, sicut, & alia. Dico, quod quantum est ex parte suæ omnes sibi realiter identificat, & si realiter non identificat, hoc non est ratione naturæ, sed quia vt actu est sub vna singularitate, repugnat sibi esse sub alia; & concedo quod omnes natæ sunt oriri à principijs illius naturæ, sed dum oritur, alia non potest oriri stante illa prima, quia dum natura actu habet vnam singularitatem, repugnat sibi habere aliam; ita Lichet. loc. citat. Vbi tamen nota, quod in proposito intantum differentię omnes indiuiduales dicuntur esse eiusdem rationis, inquantum omnes natæ sunt oriri ab eadem natura, nec vna magis nata est ab illa promanare, quam alia; alioquin propriè loquendo differentiæ indiuiduales sunt inter se primò diuersæ, vt docet Doctor 1 d. 3. quæst. 3. *§. ad quæstionem istam*; vnde ipsemet Doctor 7. Metaphysic. quæst. 13. *§. contra prædicta*, quærens an omnes differentiæ indiuiduales sint eiusdem speciei, vel rationis inter se, aut alterius, respondet sub numer. 21. quod si intelligatur speciei, idest sicut contentum sub specie, neutrum membrum est dandum, sicut rationale nec est eiusdem generis cum irrationali, nec alterius, vt contentum per se sub genere, differentiæ enim oppositæ sunt primò diuersæ ob infinitatem vtrandam; si autem intelligatur eiusdem speciei, vt diuisiuum, & constitutiuum aliquorum eiusdem speciei, sic sunt eiusdem, sicut differentiæ speciei in hoc sensu sunt eiusdem generis.

41 Tertiò principaliter obijcitur ad probandum naturam nedum à singularibus realiter distingui, sed etiam à singularitate separari posse, nam ipsa præcedit indiuiduationem prioritate naturæ; ergo non repugnat separari posse à singularitate, quam habet, saltim per potentiam Dei absolutam, quia priori natura non repugnat esse sine posteriori, vt sæpius vult Scotus ipse, & docet Aristot. 5. Metaph. 16. dum, inquit, priora natura dici illa, quæ possunt esse sine alijs, non alia sine ipsis. Deinde si natura non esset potest sine singularitate, iam dependeret ab illa, atque ita esse posterior ea, quod si non dependet, ergo esse sine illa poterit. Rursus quicquid est in aliquo instanti, in quo non est aliud, potest à Deo conseruari sine illo pro quocunque alio instanti, sed natura est in aliquo priori signo, in quo non est singularitas, ergo &c. Demum causa, & causatum distinguuntur realiter, quia nil causat seipsum, sed natura est causa, à qua producitur indiuiduatio, quia vt dictum est, oritur ex intrinsecis naturæ principijs, ergo sunt realiter distincta, & si sunt talia, nihil etiam impedit quin possint separari, quia si eam causat natura, non vtique in alio genere, quam causæ efficientis, quam Deus impedire potest.

Resp. ad 1. Lichet. citat. naturæ, vt sic, idest vt priori non repugnare esse sine singularitate, repugnare tamen ex aliquo concomitanti, quia ipsa natura, vt sic, vt causa intrinseca de necessitate naturæ quasi originat illam hæcceitatem, quam actu habet, & ex hoc est impossibile ipsam esse sine tali hæcceitate, sicut dicimus, quod homini considerato in esse qui additatiuo præcisè non repugnat esse sine risibilitate, repugnat tamen ex aliquo concomitante, quia producit ipsam de necessitate naturæ in se. Breuius, & clarius ad formam argumenti negatur consequentia, ad probationem dico illam propositionem esse veram, cum prius est realiter distinctum à posteriori, vt notat Doctor 2. d. 12. quæst. 2. A. ac etiam reduplicatiuè loquendo, quia prius inquantum prius à posteriori non dependet, & ita inquantum prius potest esse sine alio, sed impedimentum ex alio capite oriri potest, scilicet ex identitate reali, & sic est in proposito, quod naturæ non repugnat esse sine singularitate ex ea parte, qua prius est illa, sed quia est idem realiter cum illa, quod declarari potest exemplo passionis, & subiecti. Pro explicatione verò dicti Arist. notandum ex dictis disput. 9. log. quæst. 2. duplicem esse naturæ prioritatem, vnam essendi, quæ explicatur per posse esse prius sine posteriori, alteram intelligendi, quæ non rectè sic explicatur, etiamsi habeat fundamentum in re, sed tantum per posse vnum absq; alio, aut prius alio intelligi, quia non includit illud in suo conceptu, vt declarat Scot. 3. d. 3. q. 1. G. loquitur ergo Arist. cit. de prioritate naturæ essendi, natura autem præcedit singularitatem prioritate naturæ intelligendi, præsertim si consideretur, vt est contracta per singularitatem, nam si consideratur, vt indifferens ad illam, adhuc dici posset prior ea etiam in essendo, quatenus quantum est de se poterat esse sine illa.

42 Ad 2. concedi potest naturam pendere à singularitate dependentia, quam vocant à posteriori, quæ rectius dicitur coexigentia, quæ quidem dari potest absque dependentia, vt notat Doctor quol. 8. S. sic videmus causam formalem sine suo effectu formali esse non posse, & tamen hinc non inferimus, quod dependeat ab illo, sed tantum quod necessario coexigat illum. Ad 3. negatur minor, nam sola prioritas durationis ritè explicatur per verbum *est*, & *in quo*, sed prioritas naturæ explicatur solum per verbum *potest esse*, & *in quo*, si est prioritas naturæ essendi, vel per verbum *intelligitur*, & *in quo*, si est intelligendi, vt dictum est disput. 9. log. quæst. 2. citat. Ad vlt. valet maior de causa physica per verum, & realem influxum agente, non autem de metaphysica, qualis est in proposito natura respectu singularitatis exorientis ab ea, vnde propriè loquendo dici non debet hæcceitatem à natura effici, vel causari, sed tantum ab ea pullulare, & dimanare, quo etiam loquendi modo vti solemus ad declarandam causalitatem subiecti, ergo propriàs passiones, hæc enim vocabula actionem metaphysicam insinuant per simplicem emanationem, illa verò physicam, & realem; quæ autem sit hæc metaphysica actio, & simplex emanatio, vt ab actione physica distinguitur, iam declaratum est disp. 4. num. 14. & 61.

Quartò tandem argui posset pro Platonicis probando naturam communem nedum esse à singularibus suis realiter distinctam, verumetiam separatam eo modo quo Aristot. imposuit Platoni; quæ argumenta relata sunt, atque soluta disputat. 4. log. quæst. 1. articul. 1. *§. Tertiò arguitur*, & ibi videri possunt.

QVÆSTIO III.

An natura communis saltim ex natura rei formaliter distinguatur à singularibus, seu differentijs contrahentibus:

43 STatutum est quæst. præced. naturam communem, vel vniuersalem non solum non esse separatam à singularibus, sed neque etiam realiter distinctam, immò potius perpetuò illis immersam, & realiter identificatam; nunc videndum est an saltim possit, ac debeat ab eis distingui ex natura rei formaliter, quæ est distinctio illa media inter distinctionem simpliciter realem, & distinctionem rationis, siue ratiocinantis, siue etiam ratiocinatæ, & adeò famigerata, ac familiaris in Scotistarum schola, quam latè declarauimus, ac eius necessitatem ostendi disputat. 6. Metaphysic. quæst. 11. ex instituto; & obiter in logica disput. 1. quæst. 5. art. 2. Negant communiter Thomistæ, & Recentiores omnes asserentes naturam communem habere quidem esse reale in singularibus, sed nullo pacto ab esse singularium, aut differentia contrahente à parte rei distinctum, sed tantum ratione, & per intellectum concipientem cum fundamento in re naturam communem à differentijs individualibus abstractam, itaut ad summum inter naturam communem, & singularitates distinctio rationis ratiocinatæ, seu ex natura rei virtualis, vel fundamentalis, non autem formalis, & actualis poni possit, ita Caiet. de ente, & essentia quæst. 5. & p. 1. quæst. 5. art. 6. Soncin. 7. Metaph. quæst. 3. Suarez disput. 5. Metaph. sect. 2. nu. 6 Auersa quæst. 9. suæ Phil. sect. 10. & seq. Ruuius in log. quæst. 8. vniuersal. Sanchez ibid. quæst. 32. Mor. san. disput 1 log. quæst. 5. art. 2. Blanc. disput. 2. log. sect. 4. Ouuied. controuers. 4. Metaphysic. punct. 3. Hurtad. disput. 5. Metaph sect. 2. & 3. Arriag. disp. 5. log. sect. 1. subsec. 2. Complut. disput. 3. log. quæst. 4. Ioan. de S. Thom. quæst. 3. vniuers. articul. 6. Contar. iunior tomo 3. quæst. perip. quæst. 1 Pasqualig. tom. 2. Metaph. disput. 40. sect. 3. & alij passim.

Opposita sententia est Scoti 2. d. 3. quæst. 1. & sequ. quod. 2. & 7. Met. quæst. 16. vbi docet naturam communem à parte rei formaliter, & actualiter distingui tum à singulari, tum à differentia individuali, per quam contrahitur, quem omnes Scotistæ sequuntur Tatar. quæst. 1. prædic. dub. 2. & 3. & 2. d. 3. quæst. 1. vbi Lichet. & alij expositores Canon. 1. Phys. quæst. 6. Bassol. 2. d. 12. quæst. 4. Ant. And. 7. Metaph. quæst. 16. Tromb. ibid. quæst. 8. & 9. Zerbius lib. 7. Metaph. quæst. 17. Bonet. 1. Metaph. cap. 2. Poncius disput. 3. log. quæst. 5. Rada part. 2. contro. 3. ar. 1. Meuriss. lib. 2. suæ Metaph. p. 1. cap. 1. quæst. 3. Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 3. & sect. 2. & q. 5. per totum Ragus. disp. vlt. peripat. Amicus tract. 4. log. quæst. 3. dub. 3. ar. 2. Piccolom. lib. 1. de anim. comm. 8. Iunior. opusc. de vniuers. cap. 6. Saxius tom. 2. suæ catast. disput. 3. quæst. 2. Faber 4. Metaph. disp. 9. & in Philosoph. theor. 93. Mairon. 2. d. 3. quæst. 4. Venet. quæst. 4. de vniuers. ac denique Formalistæ omnes tractat. Formalitatum.

ARTICVLVS I.

Asseritur pars affirmatiua.

44 DIcendum ex Naturam communem ex natura rei formaliter a singularitate distingui. Hæc est communis in schola Scotistarum, & apud omnes qui aliquam agnoscunt distinctionem inter gradus metaphysicos anteuertentem opus intellectus; vnde potest in primis hæc conclusio probari omnibus illis rationibus disput. præced. quæst. 6. art. 2. ostensum est inter gradus Metaphysicos prædicamentales versari distinctionem ex natura formalem actualem, nam gradus metaphysici prædicamentales præsertim sunt realitas generica, & differentia specifica, ac pariter natura specifica, & differentia individualis; imò tertia ratio ibi nu. 200. deducta ex via contradictionis directè hanc conclusionem probat, quia non potest esse omnino eadem à parte rei, ratio secundum quam plura inter se ita conueniant, & differant, quia impossibile est de eodem, & secundum idem contradictoria à parte rei verificari; sed sic est quod natura communis animalitas v. g. vel humanitas est ratio, secundum quam plura eius inferiora à parte rei inter se conueniunt, & assimilantur, secundum autem realitatem differentialem, siue specifica sit, siue individualis sunt dissimilia; ergo natura communis siue sit generica, siue specifica differt ex natura rei formaliter à differentia specifica, vel individuali; quam rationem latè prosequor vbi supra, ac tueor à varijs occursibus Aduersariorum.

Respondent tamen adhuc hic communiter duo à parte rei per eandem simplicem entitatem posse conuenire, idest assimilari, & differre, idest distingui, itaut se totis conueniant, quia sunt similia, & essentiæ eiusdem rationis, & se totis differant, quia re vera essentiæ illæ sunt diuisæ; quare conuenire & differre, vt idem sunt, quod assimilari, & esse dissimilia, vtique contradicunt; sed conuenire, & differre prout idem est, quod assimilari, ac esse distincta, seu diuisa, non contradicunt, quia similitudo non excludit distinctionem, & diuisionem, imo in terminis inuoluit distinctionem illorum, quæ sunt similia; quæ est communis doctrina Nominalium Ocham, Aureoli, & Rubion 2. d. 3. quæst. 1. & 3. Contra probo, quod conuenire, & distingui, vt competit individuis eiusdem speciei, contradicunt, & ideò illis competere nequeat per eandem simplicem entitatem, Petrus, & Paulus dicuntur substantialiter conuenire, quia natura vtriusque est eiusdem rationis, adeò quod natura Petri, sicut modo constituit Petrum, ita quantum est de se poterat eadem constituere Paulum, & è contra, Petrus autem, & Bucefalus substantialiter differunt, quia natura quæ est in Bucefalo, non potest constituere Petrum, vel Petro conuenire, neque è contra; ex alia verò parte dicuntur etiam aliquo modo substantialiter differre Petrus, & Paulus, quia aliquid substantiale est in vno, quod repugnat esse in alio; sed implicat eandem omnino entitatem, vel realitatem Petri posse esse in Paulo, & non posse, esse de se intrinsecè indifferentem, & non esse; ergo implicat Petrum, & Paulum per eandem prorsus entitatem inter se substantialiter conuenire, & differre. Conf. quia conuenire in hoc sensu, & differre; seu esse diuisa idest, quod esse similia, & dissimilia, ergo contradicunt; & hoc præsertim patet de diuersis speciebus, vel individuis diuersæ speciei, vt Petro, & Bucefalo, cum enim hæc individua conueniant in eodem prædicato generico animalis, hac, inquam, ratione dicuntur assimilari, quia verò diuersa habent prædicata specifica, & essentialia, ex hac parte dicuntur essentialiter dissimilia, siquidem diuisio in prædicatis essentialibus dicit essentialem dissimilitudinem, ergo argumentum saltim concludit de natura generica, quod ex natura rei à suis contrahentibus differentijs debeat distingui, quia tales differentiæ inter sua constituta inferunt non tantum diuisionem entitatiuam, sed etiam essentialem dissimilitudinem.

45 Respondent negando maiorem, quia nec conuenientia nec similitudo significat vnitatem, sed tantum commensurationem duorum in eo, in quo sunt similia, quod etiam diuisum esse debet in duobus illis, quia nihil est sibi simile; possunt autem in hoc sensu duo se totis conuenire, quia commensurantur omnino in entitate, & distingui se totis, quia sunt duæ entitates totales, non vna. Contra, quia Aristot. 5. Metaph. 20. ait conuenientiam, & similitudinem essentialem duorum fundari super aliquam vnitatem naturæ, quæ nempe sit eiusdem rationis in ipsis, & maior vnitate numerali; & *falsum* est, quod communiter ajunt Aduersarij, Aristot. ibi sumere vnitatem pro similitudine r & conuenientia, nam ait has fundari super illam, ergo hæc duo non confunduntur apud Arist. nec vnum accipit pro alio, vt adhuc magis patebit quæst. seq. Tum quia maior illa manifestam habet veritatem in his, quæ sunt sub diuersis speciebus, cum ibi diuisio entitatiua sit quoq. essentialis, ergo saltim ista nequeunt per eandé prorsus realitatem inter se conuenire, & differre, seu distingui, quia contradicunt. Tum quia licet verum sit conuenientiam, & similitudinem inter duo individua eiusdem speciei non supponere in illis vnam, & eandem naturam realiter, quia quod realiter est in vno, illud idem non est realiter in alio tamen supponit in illis duas entitates ita omnino eiusdem rationis, vt quæ modo constituit vnum, potest quantum est ex se constituere aliud in eodem esse specifico, & in hoc fundatur conuenientia essentialis, quæ est inter Petrum, & Paulum; quod si in Petro nulla talis entitas reperitur, quæ eadem realiter posset constituere Paulum in eodem esse hominis, cur magis conuenit cum Paulo, quam cum Bucephalo? & si æquè repugnat naturam Petri constituere Paulum, ac Bucephalum, vt ipsi aiunt, cur magis conuenit Petrus cum Paulo, quam cum Bucephalo? & cur magis naturę illorum dicuntur eiusdem rationis? Aiunt magis conuenire, quia aliquid est in Petro, cui simile aliquid, & commensuratum est in Paulo. Sed explicent, quid dicat, quidue præseferat hæc naturarum commensuratio, & in quo fundetur; nos dicimus fundari in differentia, ac vnitate naturæ, quatenus natura constituens Petrum indifferens est de se constituere Paulum, nec alio modo explicari potest. Dicunt esse commensuratas, quia participant eadem prędicata essentialia; sed rursus quæro, in quo consistat hæc identitas essentialium prędicatorum Petri, & Pauli; si dicas consistere in vnitate quadam naturę communis vtriusque individui, habetur intentum; si dicas consistere in similitudine, & vniformitate prędicatorum essentialium, hic est circulus vitiosus, quia modo dicebas esse similia, quandoquidem eadem prędicata essentialia participant, & nunc dicis eadem prędicata participare, quia tunc similia, & vniformia essentialiter, vnde à primo ad vltimum conuenientia, & similitudo maior, quę est inter Petrum, & Paulum reperitur, quam inter Petrum, & Bucephalum, explicari nequit, nisi per vnitatem, & indifferentiam naturę in vtroque.

46 Deinde stante opinione Aduersariorum, quod Petrus, & Paulus se totis differant, sequitur tantam esse distinctionem, ac differentiam inter Petrum, & Paulum, quanta est inter Petrum, & Solem; quia non possunt magis distingui Sol, & Petrus, quam se totis. Sed respondent negando consequentiam, licet enim Petrus, & Paulus sint duo singularia inter se distincta, & à se mutuò totaliter independentia, sicut Petrus, & Sol, tamen Petrus, & Paulus sunt entitates, & similes, & essentię plures, Petrus verò, & Sol sunt esse ntię dissimiles, & non tantùm plures esseneię, sed insuper diuerię. Contra; nam ex hoc, quod non est tanta distinctio inter Petrum, & Paulum, quanta est inter Petrum, & Solem, quia illa duo sunt entia magis inter se similia, quam ista, sequitur Petrum, & Paulum non se totis differre, sed in aliquo conuenire, in quo Petrus, & Sol non conueniunt. Probatur consequentia, quia aliqua duo non magis inter se differre possunt, quam se totis; ergo si Petrus, & Paulus minus differunt ab inuicem, quam Petrus, & Sol, iam non se totis possunt differre, sed aliquo sui dumtaxat, tum quia si Petrus, & Paulus in aliquo assimilantur, in quo

Petrus,

Petrus ; & Sol similia non sunt , hoc vnum esse nequit nisi natura vnius; & eiusdem rationis in ambobus, quæ erit fundamentum talis similitudinis.

Respondent proinde alij , quod licet plura non possint inuicem conuenire, & differre per eandem simplicem entitatem adæquatè conceptam, quasi se totis simul differant, & conueniant, aiunt tamen posse conuenire , & disconuenire per eam inadæquatè conceptam , in cuius responsionis confirmationem plures afferunt instantias, nam differentiæ quoque indiuiduales inter se se conueniunt , & differunt , nam Petreitas , & Pauleitas distinguuntur , vt duæ realitates , & tamen etiam conueniunt, nam similiores sunt inter se, quam differentiæ indiuiduales Petri, & Bucephali; conueniunt etiam omnes differentiæ indiuiduales inter se vniuocè in communi ratione indiuidualis differentię non minus, quam Petrus, & Paulus in communi ratione hominis , & tamen in his differentijs non distinguuntur varij gradus realitatum , quarum vna fundet similitudinem, & alia dissimilitudinem, quia tunc iteretur processus in infinitum , sed per eandem simplicem entitatem inadæquatè conceptam conueniunt,& differunt, vnde concludunt solam distinctionem rationis sufficere inter rationes conuenientiæ,& disconuenientiæ . Afferunt alij aliam instantiam de Deo , & creatura, quæ item inter se conueniunt , & disconueniunt , nec tamen in Deo distinguuntur plures realitates ex natura rei , quarum vna sit ratio conuenientiæ,& disconuenientiæ,quia gradus transcendentes in Deo, quibus conuenit cum creaturis , vt sunt gradus entis , & substantiæ , non sunt ex natura rei præcisi à particularibus , in quibus Deus , & creatura discrepant.

47 Fonseca,quem sequitur Amic.loc.citat.ex eo hanc solutionem eliciunt, quia instantiæ adductæ non faciunt ad rem , aliud enim est loqui de conuenientia vniuoca , & aliud de analogica , vbi enim est conuenientia vniuoca, planè opus est distinguere rationes conuenientiæ,& disconuenientiæ, nam impossibile est à parte rei plura vniuocè conuenire , ac pariter differre per eandem rationem ; non sic est de conuenientia analogica , quia cum hæc sit imperfecta potest ab eadem ratione, vel realitate desumi, à qua sumitur disconuenientia ; in proposito autem nostro sermo est de conuenientia vniuoca , talis enim est , quæ conuenit gradibus prædicamentalibus communibus, de quibus hæc disputatio instituta est , at inter differentias simplices , & Deum , & creaturam est conuenientia tantùm analogica ; & ideò instantiæ illæ non sunt ad rem . Fateor hanc solutionem iuxta Aduersariorum principia esse optimam , imò hinc validum argumentum ad hominem desumi , quia si volunt conuenientiam vniuocam posse ab eadem attendi ratione , à qua attenditur disconuenientia , itaut per eandem simplicem entitatem plura vniuocè conueniant, & disconueniant , sequitur iuxta eorum doctrinam vniuocationem ab analogia proportionis distingui non posse , nam vtrobique responderet simplex entitas in re,& per idem in re conuenirent indiuidua, & distinguerentur . Cæterum hæc solutio non est iuxta nostra principia , nam nec nos damus analogiam proportionis ita ab vniuocatione distinctam , vt revera medietanalogum inter vniuocum , & æquiuocum , vt constat ex dictis disputat. 2. Logic. quæst. 5. articul. 3. nec dicimus Deum , & creaturam adinuicem analogicè tantùm conuenire , imò cum analogia admittimus quoque conuenientiam vniuocam, vt constat ex dictis disputat.2.quod etiam quidam admittunt de ipsis vltimis differentijs quoad rationem communem hæcceitatis , quos citaui disputat. 5. logic. quæst. 2. articul. 4.

Scotistæ verò passim negant , quod in adductis instantijs affertur , negant enim vltimas differentias aliquo pacto inter se conuenire,cum sint omninò primò diuersæ,vnde dicunt hæcceitates eiusdem speciei , vt sunt Petreitas,& Pauleitas,magis conuenire adinuicem,quam hæcceitates diuersæ speciei, vt sunt Petreitas , & Bucephaleitas, non quidem quidditatiuè per se, & directè , sed concomitanter solum , & per identitatem solam realem , vt sensus sit esse maiorem conuenientiam inter Petreitatem , & Pauleitatem ex vna parte , quam sit inter Petreitatem, & Bucephaleitatem ex alia, quia Petrus , & Paulus conuiuunt per eas magis inter se conueniunt , quam idem Petrus cum Bucephalo,alioquin directè, & formaliter loquendo tam sunt, primò diuersæ inter se Petreitas, & Pauleitas, sicut Petreitas, & Bucephaleitas, quia nulla earum quidditatiuè aliquid includit , in quo conueniat cum alia , hinc deducunt non esse consimilem conuenientiæ rationem inter indiuidua inuicem comparata, ac ipsa indiuiduantia , nam duo indiuidua eiusdem speciei magis conueniunt inter se directè , per se , & quidditatiuè , quam vnum indiuiduum vnius speciei cum indiuiduo alterius, non sic indiuiduantia, nisi concomitanter . Negant pariter, quod in secunda assumitur instantia, scilicet hæcceitates vniuocè conuenire in communi ratione indiuidualis differentiæ , & dicunt hanc conuenientiam in illa communi ratione esse dumtaxat analogicam, & proportionalem , quatenus sicut vna facit suum constitutum vltimò differre, sic & proportionaliter alia . Et tandem negant assumptum in vltima instantia de conceptu entis,quod non sit ex natura rei præcisus à modis, vel differentijs, quibus ad Deum, & creaturam contrahitur, volunt enim esse ita præcisum, sicut alij gradus Prædicamentales . Sed quamuis ad primam instantiam benè occurratur ex hoc communi dicto Scotistarum; gratis tamen negatur, quod in secunda, & tertia assumebatur instantia ab Aduersarijs , vt enim constat ex dictis disputat.5.Log. quæst.2.art.4. & magis adhuc patebit ex dicendis disput. sequ. verum est hæcceitates omnes per se , & quidditatiuè conuenire in communi ratione indiuidualis differentiæ , nedum proportionaliter, sed etiam vniuocè; ac præterea verum est entis conceptum non esse ita ex natura rei præcisum à suis contrahentibus,quemadmodum gradus alij prædicamentales, vt constat ex dictis disput.2. de natura entis per totum .

48 Aptius itaque reijcitur allata solutio cum suis instantijs , quia conuenientia,& disconuenientia inter Petrum,& Paulum ratione humanitatis, ac suarum hæcceitatum, & pariter differentia hominis, & equi per rationalitatem , & conuenientia per animalitatem sanè non est per intellectum , aut virtualis solum à parte rei , sed est prorsus actualis citra quodcunque opus intellectus , nam actu à parte rei homo , & brutum differunt per gradum ratiocinandi , & eodem modo conueniunt in gradu sentiendi , & sic pariter discurrendum est de quacunque differentia , & conuenientia reperta in rebus merito graduum prædicamentalium,nam omnes nati sunt fundare differentiam, & conuenientiam in rebus actualem , & omne opus intellectus anteuertentem , & ideò non sufficit sola rationis distinctio inter rationes conuenientiæ talis,& disconuenientiæ,& per hoc excluduntur instantiæ factæ de vltimis differentijs, & de conuenientia Dei , & creaturæ quoad conceptum entis ; falsum enim est absolutè loquendo Deum, & creaturam à parte rei actualiter conuenire in gradu essendi , quemadmodum homo , & brutum in gradu sentiendi , nam ob maximam talis gradus transcendentiam , non conueniunt in eo à parte rei actualiter, sed tantùm virtualiter, & fundamentaliter, vt liquet ex dictis disput.2.à numer.87. sic etiam hæcceitates omnes sunt inter se à parte rei primò diuersæ , neque actu conueniunt , nisi per intellectum eas inadequatè concipientem ex dictis disput. cit.log. & postea disp. seq. Hinc patet , quomodo neque instantiæ allatæ contra nostram sententiam quidpiam concludere possint , vel nostrum argumentum ex conuenientia vel disconuenientia deductum inter duo indiuidua eiusdem speciei labefactare,etiam admissa vniuoca conuenientia, hæcceitatum in communi ratione indiuidualis differentiæ, adhuc enim non est talis, & tanta conuenientia , vel similitudo inter Petreitatem, & Pauleitatem,quanta est inter Petrum, & Paulum, conuenientia siquidem inter Petrum , & Paulum est in communi realitate , cum sit positiua, & actualis à parte rei, at conuenientia inter differentias vltimas non est,nisi in conceptu, quo secluso talis conuenientia non est actualis,sed virtualis,& fundamentalis,non positiua, sed negatiua,cum potius sit quædam negatio dissimilitudinis inter illas reperta in modo faciendi differre.Potest autem vnum à parte rei ab alio actualiter differre,& per eandem entitatem cum eodem conuenire virtualiter,quia hæc non est contradictio,quæ esse debet de eodem per idem,& eodem modo, quod hic non contingit; at non potest vnum ab alio actualiter differre , & cum eodem actualiter conuenire per eandem omnino entitatem , quia hæc est manifesta contradictio , talis autem est distinctio,& conuenientia,quæ à parte rei reperitur inter duo indiuidua eiusdem speciei, vel inter duas species sub eodem genere, ob eandem rationem , neque valet instantia toties ab Aduersarijs inculcata de conuenientia & disconuenientia inter Deum, & creaturam in ratione entis, quia licet Deus , & creatura secundum idem conueniant , & differant à parte rei , non tamen eodem modo , per proprias enim rationes differunt actualiter à parte rei , & per easdem non conueniunt nisi virtualiter, & fundamentaliter , quæ non est contradictio, hęc enim est de eodem respectu eiusdem,& eodem modo,at in proposito duo indiuidua eiusdem speciei conueniunt actualiter , & etiam actu differunt à parte rei , si igitur hoc euenit secundum idem, iam sequitur manifesta contradictio ; cur autem gradus prædicamentales conuenientiam fundent actualem ex natura rei inter species sub eodem genere, & indiuidua sub eadem specie, gradus verò transcendentes solam conuenientiam virtualem , aut fundamentalem dictum est disput.2.n.88. quia, scilicet species , & indiuidua ex 5.Met. & 10.non sunt primò diuersa , sed aliquid idem, entia , idest in aliqua realitate conuenientia generica, vel specifica,non sic Deus,& creatura;& ratio à priori est,quia quo magis aliqua inter se distant,minus inter se conueniunt,& quo minus distant, magis conueniunt; hinc Auerr.& Themistius , ac Boetius apud Scotum q.4.vniuers.ad rem nostram explicant illud Aristot. dictum , quod vniuocatio est solum in specie athoma , & in genere latent æquiuocationes , quia inquiunt , genus est quædam tenuis singularium similitudo , adeo quod inferiora, & singularia in rationibus communibus tanto magis assimilantur , quanto sunt minus communes, & tanto minus assimilantur, quanto sunt magis communes , vnde stando intra lineam prædicamentalem conuenientia inferiorum in rationibus communibus fundatur in realitatibus, sed quando ab ea egredimur ad rationes, & gradus transcendentes,tunc conuenientia fundatur solum in conceptibus inadæquatis,vt disp.2. cit. fusè explicatum est.

Respondet insuper Aureol. ad hoc secundum argumentum 2. d. 9. q.2.art.1.in fine, quod cum dicitur vnum, & idem non posse à parte rei per idem cum alio conuenire, & differre , aut est sermo de conuenientia,& differentia formaliter, & sic verum est, quia sic conueniunt per relationem conuenientiæ , & differunt per relationem disconuenientiæ , quæ vtique sunt relationes diuersæ ; si verò loquimur non formaliter , sed fundamentaliter , ita falsum est , quia albedo per eandem prorsus albedinis realitatem conuenit cum alia albedine , & differt à nigredine . Hæc solutio magis aperit vim argumenti nostri ex contradictione desumpti , contradictio enim non fit , nisi de eodem ,

eodem, respectu eiusdem, ac eodem modo, vnde si aliquid horum deficiat, tollitur contradictio; in casu instantiæ adductæ ab Aureolo vtique conuenientia, & disconuenientia super eandem omnino realitatem fundatur, quia non fit comparatio respectu eiusdem termini, sed diuersorum, scilicet in ordine ad albedinem, & nigredinem, vnde tollitur contradictio, quia affirmatio, & negatio non est de eodem respectu eiusdem; cæterum in casu argumenti nostri affirmatio est de eodem, & respectu eiusdem, nam homo per animalitatem conuenit cum equo, & ab eo differt per rationalitatem, cum ergo affirmatio, & negatio in hoc casu sit de eodem, & respectu eiusdem, ad tollendam contradictionem opus est dicere, quòd conuenientia, & disconuenientia non fit per idem, seu per eandem formalitatem à parte rei, alioquin sequitur manifesta contradictio, quia erit de eodem, respectu eiusdem, & per idem.

49 Respondent tandem alij ex Ocham concedendo idem non posse esse causam conuenientiæ, & disconuenientiæ oppositæ illi conuenientiæ, in proposito autem nulla est oppositio inter conuenientiam specificam, & differentiam numeralem, & ideò quod aliqua conueniant specificè, & differant numeraliter per eandem formalitatem non est inconueniens, idq; possibile esse ostendit Ocham exemplo ex nostra doctrina deducto, quia certum est, quod natura contracta conuenit realiter cum differentia indiuiduali, quia est eadem res realiter cum differentia, & tamen natura differt aliquo modo à contrahente, tunc quærit, an eodem conueniat, & differat, aut alio, & alio; si eodem, habetur propositum quod idem eodem indistincto conuenit realiter cum eodem, & distinguitur formaliter, & eadem facilitate dicetur, quod Sortes eodem specie conuenit cum Platone, & distinguuntur numeraliter; si autem alio, & alio distinguitur, quæritur rursus de illis, quia illa aliquo modo distinguuntur, & conueniunt, & sic vel dabitur processus in infinitum, vel ad aliqua deueniendum erit, quæ seipsis conueniant, & differant.

Sed neque hæc solutio vim argumenti delumbat, quamuis enim conuenientia specifica, & diuersitas numeralis non immediatè inuicem opponantur, quasi eidem respectu eiusdem conuenire nequeant, opponuntur tamen in suis fundamentis, quatenus diuersa formaliter, & opposita fundamenta requirunt, nam id per quod conueniunt aliqua specificè debet esse quod communicabile, & id in quo differunt numeraliter debet esse incommunicabile; alioquin si argumentum valeret, possemus probare in diuinis Patrem à parte rei per solam formalitatem diuinæ essentiæ essentialiter conuenire cum Filio, & per eandem prorsus ab eo differre personaliter, quia talis conuenientia & disconuenientia non opponuntur, cum sint diuersæ rationis. Neque exemplum adductum ab Ocham quidpiam momenti contra nos molitur, licet enim distinctio formalis cum identitate reali stare possit, sicut diuersitas numeralis cum identitate specifica, tamen in suis fundamentis conditiones oppositas non exposcunt, sicut identitas specifica, & diuersitas numeralis, vnde eadem naturæ formalitas dicitur cum sua differentia contrahente conuenire realiter, quatenus eandem participant existentiam, & vnica est vtriusq; existentia, & dicitur ab ea formaliter ex natura rei differre, quatenus conceptus obiectiuus vnius diuersus est à conceptu obiectiuo alterius; ex quo patet quomodo seipsa possit natura cum sua differentia realiter identificari, & seipsa formaliter ab eadem distingui, non autem sic Sortes possit seipso cum Platone specie conuenire, & seipso ab eodem numero differre, alias adhuc huius ineluctabilis argumenti exagitationes, & impugnationes vide disputat. præced. à num. 200. & inde.

50 Secundò, principaliter probatur conclusio, nulla natura creata est de se hæc, & singularis, ergo sit talis per aliquam realitatem superadditam, & à seipsa ex natura rei formaliter distinctam, & per consequens necessariò ex natura rei formaliter distinguitur à differentia indiuiduali, per quam singularizatur; probatur assumptum, quia si natura est de se hæc, tunc non posset cum veritate intelligi sub ratione vniuersalis, quod est falsum, quia sic omnes scientiæ tollerentur de medio, cum sint vniuersalium, probatur sequela, quia tunc fallitur intellectus, cum rem concipit aliter, quam est in se, & modo ei repugnanti, quod quidem in casu eueniet, da enim, quod quælibet natura creata sit singularis seipsa, iam cuilibet repugnat communicari, vnde cum intelligitur, vt communicabilis, & vt indifferens, quod vtique necessarium est, vt intelligatur sub ratione vniuersalis, intelligeretur sub modo oppositi, & sibi repugnanti, ideoque cum falsitate. Confirmatur, quia non alia ratione dicimus cum falsitate naturam diuinam intelligi communem, & indifferentem ad plures Deos, nisi quia est de se hæc, & singularis; ita arguit Doctor 2.d.3. quæst.1. §. *Contra istud*, & quæst.7. sub A. & contra adhuc, quia si à parte rei humanitas est essentialiter singularis, sicut Deitas, non posset humanitas multiplicari, nisi fieret alia essentia diuersæ rationis, sicut quia Deus est essentialiter singularis, non potest dari alius Deus secundum gradum vltimum essentiæ illi similis.

Respondent Nominales negantes præcisiones obiectiuas, quod modus vniuersalitatis non conuenit singulari, neq; alicui naturæ communi à parte rei à singulari distinctæ, sed tantum alicui conceptui, qui dicatur vniuersalis. Hæc solutio satis confutata manet ex dictis contra Nominales quæst.1. huius disput. & adhuc vlterius reijcitur, quia vt arguit Lichet.2. d.3. quæst.1. ab initio, & inferius confutando responsiones Ocham, §. *Nunc restat*, conceptus ille, cui tribuitur intentio vniuersalitatis, aut est intellectio, qua natura ipsa singularis attingitur, aut natura sic concepta, aut est quoddam idolum ab intellectu fabricatum; non primum, tum quia cum intellectio illa ad naturam singularem terminetur, potius intentio singularis sibi deberet attribui, quam Vniuersalis, tum quia hæc ipsa intellectio aut de sua ratione formali est hæc, & singularis, aut non; si secundùm habetur intentum, si primum, iam redit argumentum principale à capite, quod non posset sibi attribui intentio vniuersalis, quia tunc intelligeretur sub modo sibi repugnanti. Neque dici potest talem conceptum, cui attribuitur intentio vniuersalitatis, esse ipsam naturam conceptam, quia talis natura secundum ipsos est singularis, & sic tunc singulare esset vniuersale per intentionem vniuersalis sibi applicatam, quod est impossibile. Nec tandem dici potest subiectum vniuersalitatis esse illud idolum, quod sibi fingunt aliqui, quia illud idolum non prædicatur de inferioribus quidditatiuè, vt patet, tum quia sicut idolum fabricatur commune Petro, & Paulo, vt dicatur species specialissima, ita fabricari posset idolum, quod dicatur species specialissima respectu Petri, & Bucephali. Si ergo aliquid intelligitur sub modo vniuersali præcisè, & adæquatè, & aliquid sub modo singulari præcisè, cum isti modi sint omnino repugnantes, sequitur quod cum natura humana intelligitur sub modo vniuersali, & natura Franciſci, vt Franciſci sub modo singulari, ipsa vt sic in se considerata non includit singularitatem, quam rationem contra Ocham adhuc magis prosequitur Lich. cit. paulò infra, dum reijcit solutiones Ocham ad argumenta Doctoris; vide dicta q.1. huius disp. pro pleniori, & planiori solutionis huius confutatione.

51 Thomistæ verò, qui præcisiones obiectiua admittunt negant ad argumentum positum consequentiam, quia estò quælibet natura in se singularis sit, & nulla vna in re communis multis, tamen quia inter se similitudinem realem habent, poterit intellectus ab illis multis communem vnam rationem abstrahere, quæ sicut non includit differentias indiuiduantes, sed sic abstracta ab omnibus præscindit, ita indeterminata fit respectu illorum; similitudo enim realis multorum benè potest esse in causa, vt ab illis ratio vna communis abstrahitur, in qua eo fusè intelligantur, sic ob similitudinem aliqualem, quam habent Deus, & creaturæ in essendo, abstrahimus ab eis rationem communem entis, licet huic rationi nulla realitas correspondeat à parte rei, distincta à realitatibus Dei, & creaturæ, vt etiam tenent Scotistæ politiores, quibus subscripsi disp.2. de natura entis. Hæc solutio reijcitur ex dictis in responsione ad præcedens, nam vel in ea fit sermo de similitudine reali actuali, & positiua, qualis est illa quæ habetur merito graduum prædicamentalium, & versatur vel inter plura indiuidua eiusdem speciei, vel inter plures eiusdem generis species, aut de similitudine quadam virtuali, & negatiua, qualis est illa, quæ reperitur inter Deum, & creaturam, quatenus in ratione essendi non sunt dissimiles; si de prima fiat sermo, hæc certè saluare nequit inter aliqua duo sine vnitate fundamenti communis in re, vt patebit quæst. sequ. ex Aristot. 5. Metaphys. text. 20. si verò de secunda, esto hæc sufficiens sit fundamentum in ordine ad intellectum inadæquatè concipientem abstrahendi illam rationem communem, in qua illa sic similia inadæquatè, & confusè repræsententur, sicut dicimus de ratione entis in Deo, & creatura, non est tamen sufficiens ratio abstrahendi apud intellectum distinctè, & adæquatè concipientem; ergo si natura quælibet creata de se singularis est, & non per aliquid ex natura rei additum, repugnabit intellectui distinctæ, & adæquatè concipienti naturam pluribus indiuiduis communem, quod tamen est falsum, nam Deus nedum Franciscum, & Petrum intelligit, sed etiam naturam hominis ipsis communem.

52 Ad Conf. argumenti de immultiplicatione Dei, quia est hic essentialiter, inquit Suarez loco supra cit. immultiplicationem Dei non oriri ex identitate hæceitatis cum essentia diuina, sed ob infinitam eius perfectionem, cui repugnat multiplicatio. Contra, quia intantum infinitas obstat multiplicitati Dei, quatenus facit hæceitatem non esse aliquid extra essentiam Dei, eo quod ob eius infinitatem omnem perfectionem entitatiuam in se continet; ergo Dei immultiplicabilitas oritur ex identitate hæceitatis cum essentia proximè, & formaliter, ex infinitate verò solum remotè, & radicaliter. Confirmatur, quia dato per impossibile, quod Deus esset infinitus, non tamen essentialiter singularis, tunc illi non repugnaret multiplicari; & è contra si in aliquibus esset finitas, & indiuiduatio per principium essentiale, tunc ibi esse non posset multiplicatio, nisi secundum essentiam, vt de Angelis de facto Thomistæ opinantur; ergo ratio proxima, & immediata multiplicabilitatis, vel immultiplicabilitatis non est finitas, vel infinitas, sed identitas formalis hæceitatis cum essentia, vel diuersitas, vnde tandem concluditur, quod si natura creata est essentialiter hæc, erit immultiplicabilis, nec sine falsitate sub ratione vniuersalis concipi poterit. Sed rursus respondent Adiuers. quod quamuis natura creata sit de se hæc, concipi tamen potest sine falsitate sub ratione vniuersalis, quia ob sui eminentiam correspondere potest pluribus conceptibus inadæquatis nostri intellectus illam imperfectè concipientis. Contra initatur, nam hinc sequitur tanto magis sine falsitate posse diuinam naturam concipi sub ratione vniuersalis ad tres diuinas personas, cum eminentior in infinitum sit natura diuina, quam creata, consequens est falsum, ergo & an-

& antecedens; oportet ergo dicere naturam diuinam non posse concipi sub ratione vniuersalis, quia est de se hæc, naturam verò creatam posse sic concipi absque falsitate, non ob aliquam suam eminentiam, sed quia de se communis est, & ad plura indiuidua indifferens.

Pasqualig. tom.2. Metaph, disp.40. sect.4. num.6. concedit naturam independenter ab intellectu non esse de se hanc, imò de se habere communicabilitatem, qua possit esse in pluribus, & per indiuiduationem habere incommunicabilitatem; quia tamen (inquit) modus huius communicabilitatis non est per modum alicuius rei, quæ habeat ex se sola esse completum, sed per modum gradus superioris, qui ita alteri communicatur, vt simul ab ipso recipiat complementum, ideò est communicabilitas per identificationem, & coadunationem in idem esse illius, quod communicatur, & illius cui communicatur, & proinde stante tali modo communicabilitatis, non debet quod communicabile est distingui à parte rei ab eo, cui communicatur, alioquin destrueretur talis modus communicabilitatis. Contra, quia licet distinctio realis propriè dicta stare nequeat cum isto modo communicabilitatis naturæ cum singularibus, quia communicatur eis per identificationem realem, ex Scot. quol. 19. falsum tamen est hunc modum communicabilitatis non esse compossibilem cum distinctione formali inter rationem contrahentem, & contractam, imò talis distinctio necessaria est inter illos gradus, siquidem communicabile, & incommunicabile à parte rei contradicunt; si ergo natura à parte rei de se communicabilis est, & principium indiuiduationis incommunicabile, vt concedit hic Auctor, planè distinctionem ex natura rei formalem inter illa debet admittere; neque ex hoc vllum sequitur absurdum, nam sicut distinctio formalis stat cum reali identitate, ita quoque stare poterit cum modo communicabilitatis per identificationem in aliquo tertio, modo iam supra explicato num. 34. & lege alias solutiones Thomistarum, & impugnationes circa hanc rationem vide disputat. 4. Logic. quæst. 4.

53 Tertiò, probatur ex via metaphysicæ compositionis, quæ fit ex natura, & differentia contrahente, licet enim hæc compositio non sit realis ex re, & re, vt physica ex materia, & forma, est tamen ex natura rei ex realitate, & realitate, non autem solum rationis ex diuersis conceptibus obiectiuis; ergo inter naturam, & differentiam contrahentem necessariò maior distinctio reperitur, quam solius rationis, cumque hæc nequeat esse realis, vt constat ex dictis quæst. præced. sequitur quod sit formalis media inter distinctionem simpliciter realem, & rationis. Consequentia patet, quia compositio sequitur tenorem distinctionis partium componentium, vnde si partes componentes distinguuntur realiter, ex illis fit compositio realis; & physica, si distinguuntur solum ex natura rei formaliter, resultat ex eis compositio formalis, & metaphysica; si tandem sola distinguuntur ratione, sola quoque rationis compositio coalescit, assumptum verò, quod compositio metaphysica ex natura, & differentia contrahente non sit solius rationis fusè probatum est ex professo disputat. 5. Logic. quæstio. 3. articul. 2. & disputat. præced. quæst. 6. articul. 2. numer. 197. & indè, vbi & variæ solutiones reijciuntur Aduersariorum.

54 Quartò, probatur ex immediatione subiecti accidentium communium, & propriorum, subiectum enim immediatum proprietatum, quæ per se insunt rebus, est ipsa rerum essentia, & ipsa mediante conueniunt singularibus, vt patet ex ista causali, Petrus est risibilis, *quia homo* est risibilis; & è contra subiectum immediatum accidentium communium sunt ipsa singularia, quibus mediantibus naturis quoque communibus conueniunt, vt patet ex ista causali, *ideò homo currit, quia Petrus currit*, hæc autem mediatio, & immediatio aliquam indicant distinctionem ex natura rei saltim formalem inter naturam communem, & indiuiduum. Respondet Suarez disp. 5. sect. 2. num. 29. ex hac mediatione, vel immediatione subiecti accidentium tam propriorum, quam communium solam distinctionem virtualem, vel rationis ratiocinatæ inter naturam, & indiuiduationem induci posse, & hanc eandem sufficere distinctionem ad illas causales locutiones, *quia homo est risibilis*, *Petrus est risibilis*, quia in eis non significatur causalitas realis, & physica, quæ intercedat inter Petrum, & risibilitatem, sed explicatur adæquata ratio, & origo illius proprietatis, qua ratione quoque Deus dicitur immensus, quia infinitus, cum tamen inter infinitatem, & immensitatem diuinam distinctio vlla ex natura rei non intercedat. Sed hæc solutio facilè euertitur, nam distinctio sequitur tenorem illius mediationis, & immediationis; cum ergo illa mediatio, & immediatio detur à parte rei, & non per intellectum tantum, distinctio quoque erit ex natura rei; verum tamen est non esse distinctionem ex natura rei realem simpliciter, sicut neque per illas causales re vera indicatur causalitas aliqua realis, & physica, sed tantum ex natura rei formalem, cum sola inter ea indicetur metaphysica causalitas; quod verò illa mediatio, & immediatio detur à parte rei, probatur, nam à parte rei alia ratione conuenit naturæ cursus, vel albedo, quam proprietas, hæc enim ablata essentia etiam manentibus indiuiduis per impossibile, illis conuenire non potest secundum indiuiduationem, è contra verò ablata indiuiduatione cursus, aut albedo essentiæ non conuenit, & tamen illi conuenit proprietas, ergo hæc mediatio, & immediatio datur ex natura rei, & non per intellectum tantùm. Ad illud de immensitate, quæ Deo conuenire dicitur, quia infinitus, si hæc duo attributa in Deo formaliter ex natura rei distinguantur, vel saltim vt duo modi intrinseci diuinæ naturæ, concedi potest paritas, quod si talis distinctio non ponatur inter illa, sed tantùm virtualis, seu rationis ratiocinatæ cum Thomistis, tunc neganda est paritas, & dicendum illam causalem non esse veram actualiter à parte rei, sed tantum secundùm nostrum modum intelligendi cum fundamento in re, quatenus si à parte rei immensitas in Deo causaretur, planè non nisi ab infinitate oriretur.

Dices hoc argumentum æquè benè probare præcisionem entis, & cuiuscunque alterius gradus transcendentis ex natura rei à suis inferioribus, & contrahentibus, cuius oppositum determinatum est disput. 2. de natura entis quæst. 4. probatur assumptum, quia hæc etiam mediatio, vel immediatio subiecti datur in transcendentibus in ordine ad accidentia propria, & communia, & similes causales verificantur, v.g. Petrus est vnus quia ens; ens mouetur, quia Petrus mouetur, & tamen certum est ex dictis inter ens, & sua inferiora, vel contrahentia non intercedere distinctionem ex natura rei actualem, sed tantum virtualem, vel rationis ratiocinatæ. Fateor hoc argumentum non esse validum, sicut præcedentia, ad conclusionem nostram probandam, ad quam induci debent rationes, quæ præcisè probent distinctionem ex natura rei ab inferioribus, & contrahentibus in gradibus prædicamentalibus, non verò transcendentibus; adhuc tamen dici potest non esse omnino similem mediationem, vel immediationem subiecti in ordine ad accidentia propria, vel communia in gradibus transcendentibus, sicut in prædicamentalibus, nec eodem modo omnino hic, & ibi causales illas verificari, quia gradus prædicamentales important proprias realitates fundantes conceptus sibi adæquatos, non verò transcendentes, & ideò causales ibi, quamuis non indicent causalitatem realem, & physicam, indicant tamen formalem, & metaphysicam, in transcendentibus, verò important solam, & simplicem rationem, ob quam vnum conuenit alteri, nec vllam dicunt originem vnius ab alio, in qua possit fundari aliqua distinctio ex natura rei inter dimanans, & id à quo dimanat; & ideò illa mediatio, vel immediatio subiecti non est omnino actualis ante opus intellectus in ipsis, sed tantum virtualis, & fudamentalis, at in gradibus prædicamentalibus realitates præseferentibus datur à parte rei nullo operante intellectu.

55 Quintò probari solet etiam ex prioritate secundum subsistendi consequentiam; quæ est propria vniuersalium, vt à singularibus distinguuntur, valet enim dicere Petrus est, ergo homo est, non tamen è contra, homo est, ergo Petrus est; cum ergo hæc prioritas sit ex natura rei, & non per rationem tantum, consequenter inter naturam communem, & particulares entium rationes distinctionem plusquam rationis inducere valet. Verum hæc ratio idem incommodum paritur, quod præcedens, nam perinde probat de gradibus transcendentibus sicut de prædicamentalibus, nam etiam in ente datur talis prioritas, respectu Dei, & creaturæ, valet enim dicere Deus est, ergo ens est, non è contra, est ens, ergo Deus, & tamen ens nullam dicit realitatem ex natura rei præcisam à particularibus entium rationibus. Vnde soluendo hoc argumentum disput. 2. de natura entis num. 76. dictum est hanc prioritatem inconuertentiæ non esse prioritatem realem, & in essendo, quantum est de se, sed tantum logicam, & in prædicando. Quia tamen etiam diximus disputatio. præced. num. 199. hanc ipsam inconuertentiæ prioritatem in gradibus prædicamentalibus esse realem, vel ex natura rei actualem, quia respectu suorum contrahentium, cum quibus veram efficiunt compositionem metaphysicam, habent rationem potentialis propriè loquendo, & ex natura rei, & non tantum per nostrum concipiendi modum, & potentia ex natura rei pręcedit actum; ideò dicendum est hoc argumentum tenere in proposito, non quidem gratia formæ, quia absolutè loquendo talis prioritas inconuertentiæ, non est realis, & in essendo, sed gratia materiæ, quatenus intra coordinationem graduum prædicamentalium ista prioritas non est solius rationis, sed etiam ex natura rei, quatenus inter gradus metaphysicos superiorem, & inferiorem est ordo prioris, & posterioris ex natura rei, & non per intellectum tantum, ex quo capite etiam deducta est inter eos distinctio formalis ex natura rei disp. præced. qu. 6. art. 2. num. 198. vide dicta ibidem, quia inde sumit robur hoc quintum argumentum ex prioritate inconuertentiæ deductum.

56 Sextò quidam probare solent ex vniuocatione specierum respectu indiuiduorum, quia destrui videtur vniuocatio naturę communis, si à parte rei non sit ita vna, vt à differentijs distinguatur, per hoc namque vniuoca ab analogis secernuntur, quandoquidem in analogis etiam naturam communem inueniri non repugnat, & differentias contrahentes cum sola distinctione rationis; quod argumentum promouet Amic. cit. numer. 6. Hæc ratio tamen non est ad propositum nostrum idonea, quamuis enim ad hominem contra quosdam ex Aduersarijs concedentibus etiam analogis vnitatem quandam rationis obiectiuam valere possit, vt supra dictum est, tamen absolutè loquendo non concludit, & præsertim iuxta nostra principia; per quæ etiam gradibus transcendentibus vniuocationem tribuimus, non tamen distinctionem, seu præcisionem ex natura rei à particularibus entium rationibus; vnde falsum est ex opinione opposita vniuocationem destrui, quia ad eam sufficit in natura communi vnitas rationis, & præsertim quando hæc abstrahitur ab inferioribus cum fundamento in re, neque opus est vt semper conceptus vniuocus fundetur in realitate ex natura rei præscindente ab inferioribus, vt dictum est disput. 2. log.

quæst.

quæst.4.art.2.§.*Secundò dubitatur*, Et falsum est per hoc vniuoca ab analogis esse discreta, quandoquidem analoga vnitatem conceptus nullam participant ex vi analogiæ, sed tantum quatenus cum vniuocis coincidere possunt, vt dictum est ead.disp.log.q.5.art.2. dimittatur ergo, vt prorsus inutilis hæc ratio ex vniuocatione deducta, sicut & quælibet alia, quæ æquè militet de gradibus transcendentibus, & illæ tantum adhibeantur, quæ probant præcisè de gradibus prædicamentalibus.

Postremò probari potest conclusio detegendo errorem, & æquiuocationem, in qua versatur oppositasententia, confundit enim abstractionem vnius ab alio per identitatem, & per coniunctionem, vt benè notauit Amic. loc. citat. & abstractionem præcisiuam cum negatiua, & diuisiua; cum enim dicunt hominem existentem non abstrahere ab hæcceitate, potest id duplicem habere sensum, vel enim intelligunt de abstractione diuisiua, & per coniunctionem, & ita verum est, quia nihil existere potest, nisi habeat hæcceitatem, vel sibi intrinsecam, vt Petrus, vel saltim extrinsecè sibi coniunctam, vt humanitas quæ est in Petro respectu Petreitatis, vel intelligunt de abstractione præcisiua, & per identitatem, & in hoc sensu planè falsum est hominem existentem non abstrahere ab hæcceitate, siquidem humanitas siue sit existens, siue non, semper abstrahit ab hæcceitate per identitatem, quatenus nunquam est formaliter idem cum hæcceitate, nec illam includit in sua ratione formali. Hinc tamen non rectè infertur rem, quæ abstrahere nequit ab hæcceitate per coniunctionem, nec etiam ab ea abstrahere per identitatem, quia vt dictum est supra in hac disp. n.16. abstractio per identitatem formalem non tollit conjunctionem, quam habet natura cum singularitatibus secundum rem, vnde benè stant simul naturam existentem abstrahere per identitatem ab hæcceitate, non autem per coniunctionem; & ita secundum ipsos Aduersarios figura nequit à quantitate abstrahere secundum coniunctionem, quia semper in quantitate immersa est, benè tamen abstrahit secundum identitatem, quatenus distinguitur ab illa.

ARTICVLVS II.

Argumenta Thomistarum, ac Nominalium soluta.

57 IN oppositum Primò arguit Suarez citat. disputat. 5. Metaphysic. sect.2. numer. 10. si natura quæ est in Petro ex natura rei formaliter distinguitur ab esse singulari Petri, vel vt sic est communicabilis pluribus, vel incommunicabilis; si secundum, ergo erit adhuc de se singularis, nec erit à Petro distincta, si primum, ergo erit actu vniuersalis accipiendo vniuersale propriè, prout actu est commune multis, & in illis existit, quod tamen neque Scotus ipse vult admittere, vt dictum est disputatio. quarta, log. quæst. 1. articul. 2.

Resp. esse communicabilem naturam, prout à singularitate præscindit, negatur tamen adhuc ob id dici posse vniuersalem actu, quia vt constat ex dictis disputat.4.logic.quæst.2.articul.1.vnitas, ac indifferentia ad vniuersalitatem logicam requisita (hæc enim est quæ vniuersale propriè dictum constituit)maior vtique est vnitate, ac indifferentia, quam habet natura à parte rei, nam vnitas quam habet à parte rei, est solum vnitas per indifferentiam, quæ non stat cum multitudine numerali actuali, quia multiplicatur in indiuiduis secundum propriam cuiusque naturam; vnitas verò quam habet per intellectum, quando vniuersalizatur, est per inexistentiam, & stat cum multitudine numerali indiuiduorum, quatenus vna per inexistentiam concipitur in omnibus, & singulis, vt ibi fusè explicatum est; indifferentia quoque seu aptitudo ad essendum in pluribus maior est, quando fit vniuersa, quàm habeat à parte rei, quia à parte rei eius indifferentia est negatiua, & aptitudo remota ad essendum in pluribus disiunctim, vt magis explicabitur inferius, at sub vniuersalitate concipitur indifferens positiuè, & proximè apta ad essendum in multis, nedum disiunctim, sed etiam simul, & coniunctim, vnde tam vnitas, quam aptitudo ad vniuersalitatem requisitæ non sunt reales, sed rationis, & ideò nunquam natura dici potest vniuersalis, prout est à parte rei. Tum quia licet vniuersalitas non repugnet naturæ secundum se, tamen quamdiù sub singularitate existit, censetur impedimentum habere, ne illi sub tali statu competere possit vniuersalitas, quæ omnem prorsus determinationem renuit in natura tam intrinsecam, quam extrinsecam. Neque ex hoc, quod est ab hæcceitate ex natura rei distincta, rectè deducitur, quod non sit à parte rei singularizata, sed vniuersalis: quia hoc, quod est à singularitate distincta formaliter stat adhuc, quod possit esse coniuncta cum ipsa realiter, quæ est causa formalis determinationis, vt constat ex doctrina tradita supra n.16. quod declarari potest exemplo quantitatis, nam ipsa secundum se indifferens est ad figuram rectam, & curuam, tamen dum est sub figura recta non est ad curuam indifferens, quia illæ figuræ in eadem linea simul esse nequeunt.

Secundò arguit ibid. natura quæ est in Petro, vt distincta à differentia indiuiduali Petri, vel est eadem realiter cum natura, quæ est in Paulo, vt etiam à differentia indiuiduali Pauli secernitur, vel alia, & alia realiter, si primum, ergo eadem natura erit actu à parte rei communicata Petro, & Paulo, & sic vniuersalis à parte rei; si secundum, ergo illæ naturæ singulares erunt, quia quæ realiter distinguuntur in eadem specie indiuidua sunt illius speciei, si ergo illæ naturæ realiter distinguuntur, & sunt eiusdem speciei, & rationis, ergo erunt indiuidua. Neque dicas ab inuicem distingui per differentias reales superadditas; nam hic loquimur de illis naturis, vt præscindunt à propriis hæcceitatibus, implicat autem aliquid ab alio distingui, nisi per entitatem sibi intrinsecam, cum res per id distinguatur, per quod formaliter constituitur.

58 Respond. hoc esse satis molestum argumentum, quod tamen plerique nostratum parùpendunt putantes adamussim illi satisfeciisse, cum dixerint naturam Petri, & Pauli non differre, nisi extrinsecè, nec esse aliam, & aliam, nisi ratione differentiarum indiuidualium; immò si quæras ab eis, an Petro intereunte desinat quoque in eo natura communis, dicunt desinere, & corrumpi solùm extrinsecè. Quæ planè responsio estò sit Scotistarum non parui nominis, semper irrationabilis mihi visa est, verè enim natura, quæ est in Petro, non est realiter illa natura, quæ est in Paulo, quia natura Pauli corrumpitur ad corruptionem Pauli, & Petrus cum sua natura remanet; nec valet dicere, quod solùm corrumpitur extrinsecè; quia intrinsecè, & in se non remanet, non enim solùm desinit differentia, sed etiam natura, cum qua erat identificata; ergo etiam intrinsecè corrumpitur, ergo natura Petri est alia realiter à natura Pauli, non solùm extrinsecè, sed etiam intrinsecè, & in se; quod enim distinguitur realiter ab alio certè vel seipso, vel per aliquid sibi intrinsecum distinguitur ab illo, & non tantùm per aliquod extrinsecum, quia vt dixi res distinguitur per id, quo intrinsecè constituitur. Tum quia hæc solutio palam concedit aliud membrum argumenti, scilicet dari vniuersale actu à parte rei, quia iuxtà hunc dicendi modum natura nedum esset in omnibus, vna per indifferentiam, sed etiam per inexistentiam, quia dicunt naturam Petri secundum se consideratam, vt à differentia præscindit, non distingui realiter à natura Pauli, sed esse eandem entitatem cum ipsa; iam ergo admittitur vna, & eadem entitas à parte rei in pluribus, cuius vnitas benè stat cum multitudine numerali, ergo *iuxta* hunc dicendi modum datur vniuersale in actu cum omnibus conditionibus requisitis. Sed hæc opinio de vnitate naturæ in pluribus per inexistentiam ex professo reprobabitur infra q.5 art.1.

Poncius recens Scotista disput.5.log.quæst.2.numer.35 inquit, quod natura Petri, vt sic distincta formaliter à sua hæcceitate, neque est vna positiuè cum alia natura, neque positiuè distincta ab illa, nam vt sic præcisè habet prædicata sua essentialia inter quæ non est nec vnitas, nec distinctio, quod probat ex dicto Auicennæ relato à Doctore 2.d.1. quæst.1. quod equinitas secundum se formaliter est tantùm equinitas, & vt sic nec est vna, nec plures. Hæc solutio non satisfacit, & falsam continet doctrinam, naturæ namque communi in statu essentiæ consideratæ, prout distinguitur à statu existentiæ, non solum conueniunt prædicata essentialia primi modi, sed etiam secundi modi, idest prædicata, quæ vel sunt de eius quidditate, vel eius necessariæ passiones, vt homo in statu essentiæ est animal rationale, est sensitiuus, est discursiuus, est risibilis: cum igitur in proposito vnitas, & distinctio sint passiones naturæ, sicut & cuiuslibet entis, etiamsi à singularitate præscindatur, hoc est, à statu existentiç, poterunt illi competere adhuc sub tali præcisione, & quæri poterit, an sit positiuè distincta ab alia natura, vel potius vna cum ipsa loquendo præsertim de illa vnitate formali, quæ solet poni passio naturæ, & est minor vnitate numerali. Neque Auicennæ dictum, quod ex Scoto adducit facit ad rem, quia cum Scotus, & Auicennas ita loquuntur, intelligunt quod natura secundum se consideratà, & in statu essentiæ neque est vna, neque multiplex vnitate, vel multiplicitate numerica, quia sicut ex se nullam habet indiuiduationem, ita neque ex se habet vllam vnitatem, vel multiplicitatem numeralem; ita declarat Doctor citat.2.d.3. quæst.1. §. *ad quæstionem*, cum ait equinitas est tantum equinitas nec ex se vna, nec plures, intellige (inquit) non ex se vna vnitate numerali, nec plures pluralitate opposita illi vnitati.

Respondet proinde aliter Lichet.cit.2.d.3.qu.1.& 6. quem sequitur Rada tom.2.controu.3.art.4.conclus.9. illas duas naturas, vt à singularitatibus præcisas, esse abinuicem realiter distinctas, negatur tamen inde sequi, quod sint indiuiduæ, & singulares, ac numero differant, & cum id probatur, negatur minor, quia illæ duæ naturæ non dicuntur eiusdem rationis, eo quia sint eiusdem speciei, & detur natura specifica illis ex natura rei communis, cum vnaquæque sit communis, & apta nata, si inferioribus comparetur, ad quæ est indifferens, fundare secundam intentionem speciei, sed dicitur eiusdem rationis, quia natura Petri, vt prior hæcceitate Petri, ita nata est contrahi ab hæcceitate Francisci, & illam sibi identificare, vt modo contracta ad Petrum identificat sibi hæcceitatem, Petri, & vt sic sunt rationes, quibus Petrus, & Franciscus conueniunt in homine quidditatiuè. Dices, differunt realiter, ergo vel specie, vel genere, vel numero; non specie, vel genere, ergo numero. Negatur consequentia, nec tenet à sufficienti diuisione (inquit Lichet.) in multis enim datur instantia, nam animal, & rationale, natura, & hæcceitas distinguuntur; & tamen nec specie, nec numero, nec genere; sic dico quod illæ duæ naturæ realiter distinguuntur, quia vna potest esse sine alia, & tamen nec numero, nec specie differunt, sed velut duæ naturæ absolutæ eiusdem rationis. Nec sequitur, vt sic non differunt nec specie, nec numero, ergo sunt idem numero, vel specie, patet instantia de animali, & rationali, quæ nec sunt idem specie, nec specie differunt, nec sunt idem numero, nec numero differunt, illæ ergo duæ naturæ, vt sic, & si realiter distinguantur, tamen

numero

numero non differunt, nisi reductiuè, & per accidens, prout suis entitatibus singularibus, idest hęcceitatibus identificantur, quæ sunt immediata principia distinctionis numeralis.

59 Fateor hanc solutionem meliorem esse præcedentibus, quatenus fatetur præscindendo à differentijs indiuidualibus Petri, & Pauli, humanitatem Petri adhuc esse aliam entitatem ab humanitate Pauli, estò eiusdem rationis, id enim fateri necesse est, tum ob rationem vrgentem, quia interire potest natura Petri cum sua differentia indiuiduali remanente adhuc superstite natura Pauli cum sua hæcceitate; tum quia id manifestè significat Doctor 7. Metaph. quæst. 13. §. *contra predicta*, in solutione ad 2. vbi hanc proponit difficultatem in terminis; an natura Petri differat à natura Pauli seclusis hæcceitatibus; & respondet his verbis; si loquamur realiter, humanitas quæ est in Sorte non est humanitas, quæ est in Platone; subdit tamen, quod hæc realis differentia est ex differentijs indiuidualibus vnitiuè contentis inseparabilibus hinc inde, si autem circumscribamus hinc inde, sicut nec natura intelligitur vna maxima vnitate in se, sed tantum illa vnitate minori, quæ est communis, sic nec est diuersa ab humanitate Platonis diuisione numerali, nec aliqua, quia non specificat; patet, sicut non ponendo aliam formam generis aliam speciei, diceretur de natura generis in vna specie, & alia circumscriptis differentijs hinc inde; ita discurrit Doctor loc. citat. vbi, vt vides, fatetur quidem humanitatem, quę est in Sorte non esse humanitatem quæ est in Platone, addit tamen dici non posse positiuè diuersam, ac realiter distinctam ab illas seclusis hæcceitatibus, & ratio esse potest, quia distinctio realis non attenditur penes formalitates, sed penes entitates, vt sunt capaces existentię, siquidem realis distinctio supponit existentiarum diuersitatem in sic distinctis, vt dictum est disput. 6. quæst. 8. ex quo sequitur realem distinctionem non conuenire naturis, nisi vt includunt singularitatem, quia entitas non est capax existentiæ, nisi sit singularis, vt patet ex disputat. præced. numer. 176. at verò distinctio formalis ex natura rei *attenditur* solùm penes formalitates, quæ licet simul constituant integram entitatum rei, singulæ tamen per se sumptæ non dicunt totam entitatem, & ideò etiamsi natura distinguatur formaliter ex natura rei ab hæcceitate, tamen vt natura fundat realem distinctionem ab alia natura, non dicit precisè naturam, sed totam, & integram entitatem, quia solùm secundum totam entitatem est capax existentiæ; & hoc est quod Doctor dicebat loc. citat. talem distinctionem procedere ex differentijs indiuidualibus vnitiuè contentis, quibus circumscriptis dici nequeunt propriè illę duę naturæ realiter distinctę, quia vt sic non concipiuntur sub existentia, quæ necessariò exigitur in fundamento realis distinctionis; patet ergo in quo deficiat responsio Lichet. ad argumentum, quia concedit illas naturas seclusis hæcceitatibus, adhuc esse realiter distinctas, quod tamen fortè ipse concedit, quia ibidem etiam admittit naturam esse existentiæ capacem antecedenter ad singularitatem, etiamsi à parte rei hanc propriam existentiam non nisi in singularibus possidere possit.

60 Et cum in argumento dicebatur nullam rem ab alia realiter secerni per extrinseca sibi, sed per intrinseca, atque ideò illas naturas non posse abinuicem realiter secerni per differentias superadditas; respondeo hanc realem naturarum illarum distinctionem adhuc fieri per intrinseca sibi proportionata tamen distinctioni, quam fundant, etenim distinguuntur per intrinsecas existentias, & sibi realiter identificatas, à quibus realis distinctio præscindere nequit, cum supra earum diuersitatem fundetur. Dices natura quæ est in Petro, & vt à Petreitate *distincta*, vel est illa natura, quæ est in Paulo, vt à Pauleitate distincta, vel non est, si non est realiter idem cum ea, ergo est realiter distincta, etiam vt à singularitate præscindit. Negatur consequentia, quia vt dictum est disp. 6. quæst. 7. numer. 146. licet omnis distinctio sit non identitas, non tamen è contra, quia non identitas latius patet distinctione, cum etiam conueniat non enti, & non identitas multis conuenire potest, quibus non potest conuenire distinctio, sic igitur in proposito natura quæ est in Petro, vt à singularitate præscindit, licet non sit eadem cum natura Pauli realiter, non tamen dici potest sub tali præcisione realiter distincta; quia vt à singularitate præcisa, non est existentiæ capax. & sic fundare nequit realem distinctionem, quæ non versatur nisi inter extrema diuersas existentias habentia, sic inquam simili ait Scot. 1. d. 2. quæst. 7. sub Hh. non sequi A, & B, non sunt idem realiter, ergo sunt distincta realiter, quia realitas in antecedente negatur, in consequente affirmatur, vide Disputat. 8. n. 221.

Sed contra has solutiones instat Auersa quæst. 19. sect. 10. probans illas naturas seclusis hæcceitatibus realiter, & numero distingui, vt indiuidua sub eadem specie. Nam in primis negari nequit, quin realiter distinguantur, quia sunt realiter separate, & vna sine alia existere potest, ex actuali autem, vel potentiali separatione realis distinctio bene deducitur. Deinde si realiter distinguuntur negari nequit, quin etiam distinguantur numero, quia valet dicere hæc, & illa natura, igitur sunt singulares, & indiuiduæ. Demum distinctio quocunque nomine appelletur; inter duas illas naturas non habetur ex vi naturæ humanæ in specie sumptæ, sed diuisæ in plura, atque contractæ, ergo naturæ illæ eo ipso, quo sunt distinctæ, atque diuisæ sunt singulares, & indiuiduæ, & in Petro alia entitas ponenda non est ab ista, qua distinguatur à Paulo, quia per istam ab alia quacunque præcisam adhuc Petrus distinguitur à Paulo, qui non istam, sed aliam eiusdem rationis ponitur habere naturam.

61 Resp. ad 1. quod illæ naturæ sunt realiter separatæ, & vna sine alia existere potest, non quidem immediatè seipsis, sed merito hæcceitatum, quibus sunt coniunctæ, ac identificatæ, vnde natura Petri potest existere sine natura Pauli, quia Petrus destrui potest superstite Paulo, non autem quia natura Petri possit se sola immediatè existere; vnde negatur consequentia hinc benè deduci realem distinctionem inter illas seclusis hæcceitatibus, quia sine illis censentur existentiæ incapaces, & consequenter etiam realis distinctionis, quæ non nisi in diuersis fundatur existentijs. Ad 2. abusiuè solum diceretur de illis naturis hæc, & illa natura, eo sensu quo dicere solemus, humanitas, & equinitas sunt duæ naturæ specificę applicando numerum rebus communibus, vnde benè dicunt aliqui numerum illum, quo numerantur essentiæ gradus, non esse prædicamentalem, sed transcendentalem, nam cum dicuntur quatuor humanitates, vel sex, ille numerus constat ex vnitatibus formalibus graduum illorum, quorum quilibet suam habet vnitatem formalem, quæ quidem quatenus afficit vnum ex illis gradibus, licet dicatur vna numero, id tamen est abusiuè, quia non reddit gradum illum incommunicabilem, & distinctum specie, vel numero ab alio. Ad 3. dico suppositum antecedentis, nempe naturam Petri esse realiter distinctam à natura Pauli, vt abstrahunt ab hęcceitatibus esse falsum, vt constat ex dictis.

62 Tertiò, potest hoc idem argumentum de natura Petri, & Pauli, vt sunt ab hæcceitatibus præcisæ adhuc ex alio capite vrgeri, nam tales naturæ sunt inter se realiter distinctæ, & realiter conueniunt, quæritur ergo quomodo inter se conueniant, & differant, vel enim se totis conueniunt, & differunt, vel aliquo sui; non secundum quid, tunc deberet poni alia natura communis istis naturis communibus & sic daretur processus in infinitum, & illæ duæ naturæ Petri, & Pauli re vera essent duo indiuidua eiusdem speciei, quia præter differentiam indiuidualem, qua differunt, adhuc haberent realitatem communem, in qua conuenirent; si primum, ergo duo secundum eandem omnino entitatem conueniunt, & differunt, & sic ruit præcipuum Scoti fundamentum pro distinctione formali naturæ communis à singularitate. Idem argumentum conficit Suarez ex parte differentiarum indiuidualium, quæ sunt in Petro, & Paulo, quæ inter se realiter distinguuntur, vt patet, & nihilominus habent inter se similitudinem, & conuenientiam, quia sunt similiores inter se, quam cum differentia equi, vel leonis nec ob id in eis distinguere oportet aliquid, in quo sint similes, & in quo distinguantur, alioquin procederetur in infinitum, ergo idem dici poterit de Petro, & Paulo, quod licet inter se distinguantur, & similes sint opus non est in eis distinguere ex natura rei id, in quo conueniunt, & in quo distinguuntur.

Respondere solent Scotistæ, quod sicut illæ duæ naturæ, vt præcisæ à singularitatibus Petri, & Pauli nequeunt dici inter se realiter distinctæ, ita nec etiam dici possunt conuenientes, quia in tali statu considerantur tantum secundum sua prædicata essentialia, inter quæ sicut non connumeratur distinctio, quia hæc est passio naturæ, ita neque conuenientia; quare in tali statu purè quidditatiuo nec dici possunt distinctæ, nec conuenientes quæ solutio bona esset, nisi pateretur instantiam supra factam contra Poncium num. 58. quare melius puto posse argumento satisfieri ex regula generali, quam tradit Doctor de constitutiuis quol. 4. §. *contra illud* lit. L. vbi ait, quod generaliter loquendo constitutiuum est constituto ratio differendi vel conueniendi, non autem ipsum vt conueniens, vel differens, sed secundum se, constituit, sicut rationale secundum se, non vt conueniens, nec vt differens constituit hominem, licet homo constitutus per rationale per ipsum distinguatur formaliter, vel conueniat; vnde concludit quod distinctio, vel conuenientia conuenit constituto per rationem formalem constitutiuam, non autem includitur in ipsa ratione constitutiua; vnde propriè, & in rigore loquendo duæ humanitates nequeunt dici specificè, & essentialiter conuenire in recto, sed tantum in obliquo, quia non sunt res conuenientes in vna natura communi specifica, sed sunt quibus plura indiuidua inter se conueniunt essentialiter, & quidditatiuè, est autem regula generalis in omni schola, quod quando aliquid est alicui ratio essendi tale, illud in recto nequaquam dici potest tale, sed ita est quo, vt nequeat esse quod, sic non dicimus albedinem esse albam, vel similitudinem similem, sed esse id, quo aliquid est album, vel simile, sic igitur in proposito duæ humanitates præcisis singularitatibus nequeunt dici similes, nisi vt quo, quatenus sunt rationes assimilandi indiuidua sub eadem specie. Dices, sunt entitates eiusdem rationis, ergo possunt dici similes. Negatur consequentia, non enim dicuntur eiusdem rationis, vt notat Lichet. vt quia conueniant in aliqua natura specifica, sed quia natura Petri, vt prior hæcceitate nata est ita contrahi ab hæcceitate Pauli, & illam sibi identificare sicut modo sibi identificat illam Petri sub qua est. Dices, cur igitur absque multiplicatione entium, quod dicimus de naturis Petri, & Pauli non dicimus potius de ipsismet indiuiduis, quod scilicet se totis differant, & se totis conueniant. Respond. ex regula iam tradita ex Scoto, quod aliud est loqui de constitutis, & aliud de constitutiuis, distinctio namque vel conuenientia propriè conuenit constitutis per rationes formales constitutiuas, non autem includitur in ipsis rationibus constitutiuis.

63 Ad idem argumentum factum de differentijs indiuidualibus respondet Amic. tract. 4. log. q. 3. dub. 4. art. 2. hæcceitates omnes cum necessariò dicant conceptum simplicissimum, ne procedatur in infinitum, non conuenire vniuocè, sed analogicè tantum in ratione hęcceitatis, at non ita Petrus, & Paulus in ratione hominis, quia conueniunt vniuo-

vniuocè, & sine ratione. Suarez cum Caiet. de ente, & essentia q. 5. putat esse difficile creditu, quod hæc non conueniant vniuocè. Sed re vera concedendum est hæcceitates omnes in communi ratione hæcceitatis essentialiter conuenire, non analogicè tantum, sed etiam vniuocè, vt constat ex dictis disp. 5. log. q. 2. art. 4. & iterum dicetur disp. seq. & concedendum est talem conceptum ab vltimis differentijs abstrahi posse, qui de ipsis dicatur in quid, vt Doctor expressè tenet 1. d. 26. q. vn. y. & Lich. ibidem & Smisinc. trac. 1. de Deo vno disp. 2. n. 64. nec ob id sequitur quod non sint vltimæ differentiæ, & quod alijs differentijs differre debebunt, & sic dabitur processus in infinitum; quia conceptus ille communis abstractus erit inadæquatus, nec sibi correspondebit vlterior realitas, quæ sit potentialis ad aliam, sed solæ vltimæ realitates Petri, & Pauli inadæquatè conceptæ, & sic intelligi debet propositio Philosophi 5. Met. & 10. quod omnis differentia differentium reduci debet ab aliqua primo diuersa, & quod conceptus eius, quod est ratio differendi præcisè est simpliciter simplex, idest non resolubilis in vlteriores conceptus quibus propriè correspondeant realitates, tunc enim illa realitas nec esset ratio differendi præcisè, nec esset primò diuersa ab alia in re, nec re vera haberet conceptum simpliciter, simplicem, & tandem in hoc sensu negat Scot. pluries posse ab vltimis constitutiuis abstrahi conceptum de ipsis dictum in quid; quomodo autem adhuc non obstante tali conuenientia vniuoca hæcceitatum in communi ratione indiuidualis differentiæ, velut in communi conceptu inadæquato, argumentum iam factum non vrgeat dictum est supra n. 48. vbi adducta fuit eadem instantia de conuenientia, & differentia hæcceitatum adinuicem.

Quartò, arguit Suarez natura communis non distinguitur à differentia indiuiduali nec vt res à re, nec vt res à modo, ergo nullatenus distinguitur ab ipsa ex natura rei, consequentia patet, quia præter istas non datur alia distinctio ex natura rei; antecedens pro prima parte etiam à Scotistis conceditur, probatur pro secunda parte, quia ad hujusmodi distinctionem requiritur, vt entitas illa à qua aliud distinguitur, tanquam modus secluso ac præciso illo modo habeat in seipso veram, & realem entitatem, aliter enim non potest intelligi, qua ratione distinguantur ex natura rei, nam ad talem distinctionem oportet vtrumque extremum esse actuale & actu in rerum natura, alioquin talis distinctio non esset actualis ex natura rei, sed potius virtualis, sed si præciso modo differentiæ indiuidualis natura habet entitatem realem, & actualem, ergo habet existentiam, nihil enim habet esse reale, & actuale, nisi existat, ergo etiam habet singularitatem; probatur hæc altera consequentia, quia omne id, quod existit in rerum natura, habet determinatam entitatem, per quam terminat actionem singularem, sed omnis talis entitas determinata habet adiunctam negationem diuisionis, aut communicabilitatis in plures alias, qualis est ipsa, ergo & habet singularitatem.

64 Resp. in primis falsò supponi in argumento dari tantum illa duo genera distinctionis ex natura, & præsertim in sensu, quo ab ipso explicatur distinctio modi à re, nam datur quoque distinctio ex natura rei formalis media inter simpliciter realem, & rationis, vt constat ex dictis disp. 6. quæst. 11. & quamuis hæc distinctio supponat vtramque entitatem, inter quas versatur, constitutam in ratione entitatis, non tamen supponit vtramque existentem propria existentia, sed potius supponit eas esse aliquid existentis, & aliquid alicuius, quod propriam, & veram habet existentiam in recto, & ideò nunquam illa distinctio versatur inter plures existentias. Vnde quamuis quælibet distinctio ex natura rei supponat extrema in se constituta, non tamen semper secundum omnem perfectionem, quam possunt habere, sed vnaquæque sua supponit extrema in se constituta, vt petit tale genus distinctionis, & secundum propriam rationem, secundum quam distinguuntur, vnde distinctio formalis supponit extrema constituta in sua ratione essentiali dumtaxat præcisa existentia, distinctio verò realis, quia maior est, supponit illa constituta etiam in propria existentia. Neque verum est naturam prius existere, quam illi conueniat singularitas, quia existentia non intelligitur illi conuenire, nisi vt stat sub singularitate, nam conuenit illi per singularitatem, & sub tali statu dumtaxat terminat actionem agentis, vt dictum est disp. præced. num. 176. Dices, natura est prior à parte rei singularitate secundum nos, & quantum est ex se potest esse sine illa; ergo est per se existens præcisa singularitate, atque adeò de se singularis absque alia formalitate superaddita ex natura rei. Resp. prioritatem naturæ respectu singularitatis non esse prioritatem naturæ essendi, sed potius intelligendi, quatenus natura præintelligitur illi, nec eam includit in suo conceptu essentiali, vt dictum est supra numer. 41. est etiam prioritas inconuenientiæ secundum subsistendi consequentiam, quæ est prioritas logica, & quoad prædicationem, vt dictum est disput. 9. Log. quæst. 2. vel si intelligitur, quod sit etiam prioritas in essendo, seu quoad existentiam hoc non debet intelligi de eadem numero entitate respectu suæ singularitatis, sed de natura absolutè sumpta respectu cuiuslibet indiuidui determinati, vt benè notauit Amic. cit. eo quod non valeat consequentia ab existentia naturæ ad existentiam indiuidui determinati, cum non teneat argumentum à superiori ad inferius affirmatiuè, vt inquiunt Dialectici, non quia natura possit se sola existere extra quodcunque singulare, sed quia cum sit ad omnia indifferens, & æquè benè possit existere per existentiam vnius, sicut alterius, ex eius positione non licet colligere existentiam alicuius indiuidui determinatè sumpti, sed tantum vagè.

65 Scio nonnullos Scotistas, vt Lich. cit. & Fabrum theor. 93. cap. 3. tribuere naturæ propriam existentiam, quæ etiam sibi competat in aliquo priori signo naturæ, quam singularitas, atque ideò volunt hanc naturæ prioritatem esse omninò realem, & essendi, non verò intelligendi. Sed isti ægrè valent euadere vim argumenti, & difficulter saluant distinctionem ex natura rei versantem inter naturam, & indiuiduum, esse formalem dumtaxat, & non realem, quia si hæc duo diuersas habent existentias, & non potius vnam, & eandem, quæ primò, & directè sit solius indiuidui, iam illa distinctio erit realis, & non formalis tantum, quia diuersitas existentiarum infert distinctionem realem. Nec valet dicere existentiam naturæ esse solum formaliter distinctam ab existentia singularis, imò hæc est implicantia in adiecto, quia formale constitutiuum distinctionis realis propriè dictæ est diuersitas existentiarum, ex disputat. 6. quæst. 11. numer. 3. Si ergo alia est existentia naturæ, & alia singularis, hinc statim infertur per locum ab intrinsecis realis distinctio naturæ à singularibus.

Dices, natura vt distincta, & prior singularitate est ens realiter independenter à singularitate, quia est prior, ergo est vna, quia vnitas consequitur ens, & hæc est vnitas numerica, quia adhuc sub tali præcisione à singularitate est indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia natura, neque diuidi potest in plures, quæ tales sint, qualis ipsa est, alioquin esset simul vna, & plures entitatiuè, quod omnino repugnat. Respondent quidam naturam, vt à singularitate distinctam, non habere vnitatem singularem completam, sed vnitatem numericam incompletam, quæ omnino sit independens à singularitate superaddita, vt patet in materia prima, quæ habet in se vnitatem entis incompleti potentialis etiam præcisa forma, & tamen non habet vnitatem completam, nisi sit coniuncta cum forma, quæ dat materiæ esse specificum, & completum, vnde materia non eget forma, vt sit hæc materia, sed vt sit hic homo, vel hic equus, ita respondet Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosoph. disp. 1. quæst. 10. dub. 2. quam etiam solutionem ex parte approbat Arriag. disputat. 5. Log. sect. 1. subsect. 2. Cæterum hæc solutio non est approbanda, quia natura præcisa singularitate est communicabilis, & indifferens ad quodlibet indiuiduum distinctum saltem constituendum, ergo sub tali præcisione nullam habet vnitatem numericam nec completam, nec incompletam, quia talis vnitas reddit naturam incommunicabilem pluribus. Tum quia argumenta superius allata pro distinctione naturæ à singularitatibus completis parter militarent de singularitatibus incompletis, si darentur, vt discurrenti per singula apparebit. Nec exemplum materiæ est ad rem, sicut enim ipsa est entitas realiter distincta ab entitate formæ, ita quoque proprium possidet existentiam, & singularitatem etiam præcisa forma, & sicut per formam completur in ratione specifica prædicamentali, ita etiam in ratione indiuiduali in illa specie, at in proposito natura non distinguitur realiter à singularitate, nec diuersa est eius existentia abexistentia singularis, sed prorsus eadem, & ideo nullam de se habet vnitatem numericam distinctam ab vnitate singularis nec completam, nec incompletam.

Resp. itaque naturam, vt à singularitate præcisam, non esse realiter ab ea distinctam, sed tantum formaliter, vnde à parte rei semper est coniuncta cum singularitate per identitatem realem, quæ stat cum distinctione formali; & sic vt formaliter distincta ab hæcceitate, cui est coniuncta, habet vnitatem suam formalem, quæ est vnitas communicabilis; & vt realiter identificata cum ea habet quoque vnitatem numericam, & sic est vna formaliter intrinsecè, & per se ob intrinsecam communitatem, quam de se habet, quia quantum est de se potest pluribus communicari disiunctim, & vna indiuidualiter extrinsecè, & per accidens ob realem identitatem cum singularitate. Dices secundum Scotum natura nedum per intellectum, sed etiam à parte rei, & sub reali existentia à singularitate præscindit, quatenus non est de eius essentia, & quidditate, ergo de se est singularis, ac existiens. Resp. hanc præcisionem naturæ à singularitate à parte rei esse formalem, quia nullo considerante intellectu diuersa est naturæ formalitas à formalitate singularitatis, non tamen realem, quia vtraque formalitas coeunt in vnam, & eandem rem; itaque natura sub reali existentia semper est singularis ob realem identitatem cum singularitate, quantumcunque sit formaliter ab ea distincta, considerata verò vt distincta formaliter à singularitate solam habet vnitatem formalem.

66 Quintò, arguit Arriag. disp. 11. Log. num. 7. probans eandem currere paritatem de gradibus transcendentibus, & prædicamentalibus, quoad præcisionem obiectiuam à suis inferioribus, & contrahentibus ex natura rei, & ideo aut in omnibus esse negandam, aut in omnibus concedendam, probat autem sic, nam sicut est certum in creatura nullam esse formalitatem, quæ non sit creata realiter, ideoque infertur non posse ab illa creatura abstrahi rationem entis præscindentem a creata, & increata, vt nos quoque arguebamus disputa. 2. de natura entis q. 4. art. 2. à num. 77. ita certum est in anima rationali nullam dari formalitatem, quæ non sit spiritualis, & immortalis; ergo etiam pari ratione inferri debet non posse ab illa abstrahi rationem animalis præscindentem à mortali, & immortali, spirituali, & materiali, vt præscindit animal, quod de se est indifferens, vt contrahatur vel ad equum omninò materialem, & corruptibilem etiam quoad animam, vel ad hominem spiritualem, & immortalem quoad animam, ergo prædictum argumentum eodem modo probat non posse præscindi animal ab homine, & equo, ac ens a Deo, & creaturis. Respondetur,

estò

estò illis Scotistæ, qui etiam conceptus transcendentes Deo, & creaturis communes tenent esse fundatos in propriis realitatibus a parte rei in eis existentibus, quas adæquatè explicant, concedant paritatem; nobis tamen oppositum sentientibus neganda est omninò paritas de gradibus prædicamentalibus & transcendentibus, quia cum hi sint communes Deo, & creaturis, sequeretur dari aliquid in rerum natura, quod secundum se formaliter nec creatum, nec increatum esset, nec dependens, nec independens, vt vrgebamus disp. 2. cit. à num. 77. & inde, quod quidem inconueniens non sequitur de gradibus prædicamentalibus, vt ibi demonstramus; differentiæ namque prædicamentales non sunt supremæ, & vniuersalissimæ, vt modi entis dependens, & independens, participatum, & imparticipatum &c. & ideò dari potest aliqua communis realitas, quæ de se formaliter ab illis abstrahat, & præscindat ex natura rei, & talis erit animalitas communis hominis, & equo, vt secundum suam rationem formalem à parte rei nec sit mortalis nec immortalis, nec spiritualis, nec materialis, nisi materialiter, & identicè secundum quod inuenitur in homine, & bruto; at non à parte rei assignari potest in Deo, & creatura formalitas existens, quæ nec sit creata, nec increata, nec dependens, nec independens, nec à, nec ab alio, nam quicquid est à parte rei in creatura, totum est illi à Deo participatum, & habet ab alio, & è contra quicquid est in Deo, totum à seipso habet, & non ab alio, cum enim ij sint modi supremi, & vniuersalissimi ipsius entis, nequit in rerum natura, & toto entium ordine aliqua assignari realitas, quæ sub eis directè, & formaliter non cadat, quæ necessitas non militat in gradibus prædicamentalibus respectu suorum contrahentium, alia argumenta Arriag. quibus probat disput. 5. Log. sect. 1. subsec. 2. generatim non dari distinctionem formalem ex natura rei inter gradus metaphysicos soluta sunt disput. 8. q. 6. art. 3. num. 215.

68 Sextò, Pasqualig. t. 2. disp. 40. sec. 3. inquit nostram sententiam posse habere duplicem sensum, quorum primus est, vt ratio indiuiduatiua sit solum quidam gradus entis, quo vltimo natura compleatur, ita tamen vt sit realiter identificatus cum natura, & vna sola entitas physica coalescat ex ipso, & natura, & proinde sit tantum quædam realis metaphysica, solum metaphysica distinctione distincta, quem sensum magis Scotum ait intendere; alter vero sensus est, qui & magis est ad mentem Scotistarum, vt indiuiduatio sit, quid à parte rei distinctum à re indiuidua, nec sit sola formalitas, siue realitas metaphysica, sed vel aliquid physicum, vel saltim accedens ad esse physicum, eo quod habet proprium suum esse à parte rei contradistinctum ab esse rei indiuiduæ, ipsique realiter superadditum; quo præmisso opinionem nostram impugnat in secundo sensu, qui sensus nedum à Scoto, sed nec etiam à Scotistis fuit vnquam intentus, & ideò eius argumenta solutione non egent, tum quia probant dumtaxat realem indistinctionem naturæ ab indiuiduatione, quam non negamus, tum quia omnia ferè coincidunt cum iam adductis; vnum tamen vel alterum adducere debet, quia nedum realem identitatem probare videtur, sed eam formalem. Itaque sic arguit, si natura à parte rei in quolibet indiuiduo à propria indiuiduatione distinguitur, vtique talem indiuiduationem sibi appropriare deberet, & tunc quæritur per quid sibi eam appropriet, cumque eam sibi natura appropriare non queat, quia secundum suum esse indifferenter se habet ad quamlibet indiuiduationem, oporteret concedere aliquod determinatiuum, quo determinaretur ad appropriandam sibi hanc hæcceitatem, quo consequenter diuideretur, & multiplicaretur, & sic ante indiuiduationem esset indiuidua; ergo tenendum est naturam nullatenus à parte rei ab indiuiduatione distingui, quia tunc non est necessaria huiusmodi appropriatio, sed per indiuiduationem sibi identificatam ita esset huius indiuidui, vt nequeat esse alterius.

Conf. natura Petri est incommunicabilis de se alteri indiuiduo per modum superioris, ergo est de se indiuidua absque aliquo ex natura rei superaddito, consequentia patet, & probatur assumptum, quia natura ex vi productionis suæ est determinata, vt sit tantum illius indiuidui, & non alterius, nec est separabilis à propria indiuiduatione; si autem esset communicabilis pluribus indiuiduis, esset separabilis à propria indiuiduatione. Demum natura multiplicatur in indiuiduis etiam secundum esse intrinsecum, quod ponitur habere ab hæcceitate contradistinctum, nam alia est natura, quæ cum sua hæcceitate producitur in Paulo, & alia quæ producitur in Petro; ex tali verò multiplicatione sequitur, quod natura sit seipsa indiuidua, & non per aliquid superadditum à parte rei ab ipsa distinctum, nam cum habeat multiplicationem etiam secundum illud esse, quod ponitur ab indiuiduatione distinctum, hæc multiplicatio erit extra multiplicationem illarum indiuiduationum distinctarum.

69 Resp. hæc quoque argumenta impugnare nostram sententiam tantum in secundo sensu intellectam, nempe naturam non distingui realiter ab indiuiduatione, quod gratis concedimus; non tamen impugnant distinctionem formalem, vel si eam impugnant, impugnant paritatem distinctionem rationis, quam saltim Aduersarij non negant inter naturam, & hæcceitatem, nam benè concedunt naturam indiuiduari per additum rationis, siue ratione sola ab ipsa contradistinctum; hoc tantò accipio naturam, vt ab hæcceitate ratione contradistinctam, & quæro cur magis sibi appropriet natura, vt sic considerata, Petreitatem, quam Pauleitatem, nam opus erit concedere aliquod aliud determinatiuum naturæ adhuc ratione ab ipsa distinctum, de quo rursus idem potest fieri argumentum, & sic vel dabitur processus in infinitum, vel dicendum est naturam seipsa penitus esse singularem, & non per aliquod ei superadditum etiam ratione; & quicquid dicetur ad argumentum ita confectum contra distinctionem rationis, dici quoque poterit ad argumentum confectum contra distinctionem ex natura rei formalem inter naturam, & indiuiduationem. Sic pariter contra distinctionem rationis alia duo argumenta retorqueri possunt, & præsertim vltimum, nam admissa distinctione rationis inter naturam, & indiuiduationem, adhuc probari potest naturam in indiuiduis multiplicari etiam secundum suum esse, quod ponitur ratione à singularitate secerni, & cum talis multiplicatio sit extra multiplicationem hæcceitatum, concludetur naturam seipsa prosus multiplicari absque aliquo superaddito nec ex natura rei, nec ratione ab ipsa distincto; & quicquid dicetur ad argumentum, vt procedit contra distinctionem rationis, dicetur pariter, vt procedit contra formalem ex natura rei.

70 Ad primum itaque dicendum procedere tantum contra distinctionem realem, ac entitatiuam naturæ ab hæcceitate, tunc enim necessaria foret talis appropriatio per aliquod determinatiuum extrinsecum, vt constat in exemplo de materia, quod ipse Pasqualig. adducit, cum enim realiter à forma distinguatur, ac eius indifferentia ad formas sit propriè realis, & physica, indiget extrinseco determinatiuo, scilicet dispositionibus, vt hanc formam magis sibi appropriet, quam illam; at non ita se habet res in proposito, quia nec natura realiter distinguitur ab indiuiduatione, nec naturæ indifferentia ad hæcceitates est physica, & realis, sed tantùm metaphysica, & obiectiua, vt explicatum est suprà in hac disput. num. 36. & ideò non eget extrinseco determinatiuo, sed ab agente, & ex vi talis productionis determinatur, vt sit in Petro, & non in alio, in genere causæ efficientis, & per indiuiduationem sibi identificatam in genere causæ formalis. Ad Conf. negatur assumptum, quia natura quantum est ex se ita est communicabilis huic indiuiduo, sicut illi, licet in sensu composito, idest, vt stat sub tali hæcceitate, sit incommunicabilis alteri; ad probationem dico naturam ex vi productionis suæ esse determinatam, vt sit in Petro potius, quam in Paulo, extrinsecè, & per accidens, non intrinsecè, & per se, sic enim est ad vtrumque indifferens; neque ex tali indifferentia, vel communicabilitate sequitur naturam esse separabilem ab indiuiduatione, sub qua de facto est producta, quia vt dictum est suprà num. 36. & inde hæc non est indifferentia, & communitas realis, & physica, qualis est materiæ ad formas, sed metaphysica, & obiectiua modo ibi explicato; Tum quia per talem indifferentiam, & communicabilitatem naturæ nequaquam intendimus, quod possit transire ab ista hæcceitate, sub qua est ad aliam, vt transit materia de vna forma in aliam, sed solùm quod non in sua essentia includit hæcceitatem, & quod repugnantia, vt sit sub alia singularitate, non prouenit ex eius formali ratione, sed aliunde, qui quidem communicabilitatis modus bene potest conuenire naturæ absque quod sit separabilis ab eius indiuiduali differentia. Ad vlt. occurrendum est, vt ad 2. num. 59. naturam non multiplicari in indiuiduis, nisi per hæcceitates, quibus à natura abstractis, ipsa dici nequit nec vna, nec plures, cum in tali abstractione consideretur tantùm secundum suam prædicata essentialia; & in tali abstractione si aliquod horum attributorum suscipere potest, potius vna dici debet, quam plures, vna, inquam, vnitate formali, quæ est vnitas minor numerali, vt patebit q. seq. nam vnitas, licet non sit eius prædicatus quidditatiuum, saltim est eius passio, sed pluralitas, & multiplicatio numeralis est ei prorsus extrinseca, & aduentitia, nec procedit ex principijs eius intrinsecis, & formalibus, sed extrinsecis, & indiuidualibus, vnde implicat prorsus naturam multiplicari sine indiuiduationibus, vnde licet concedatur esse quoque intrinsecum, ac entitatiuum naturæ multiplicari, nunquam tamen concedi debet talem multiplicationem fieri sine hæcceitatibus. Alia argumenta, quæ congerit loc. cit. Pasqualig. ad oppugnandam nostram sententiam facilè soluuntur ex dictis, quia re vera non probant nisi indistinctionem realem naturæ, & hæcceitatis; & ad hoc solum probandum ab ipso inducuntur, vt protestatur ab initio sec. illius tertiæ; alia verò argumenta, quibus idem Auctor generatim probat inter gradus metaphysicos nullam reperiri distinctionem ex natura rei t. 1. disp. 79. sect. 2. iam fuere soluta disp. præced. q. 6. art. 3. à num. 218.

70 Postremò contra nostram sententiam arguunt Hurtad. disp. 5. Met. sect. 3. & Ouuied. controu. 4. Metaph. punct. 3. quorum argumenta quoque fuere soluta loc. cit. q. 6. disp. præced. art. 3. illius quidem num. 212. & seq. istius verò num. 216. & inde, & alia rursus ad hoc pertinentia diluemus disp. seq. q. 2. & nota omnia argumenta supra adducta ex Recentioribus contra nostram conclusionem non esse nouas difficultates ab ipsis excitatas, sed sunt argumenta Nominalium, præsertim Ocham, Aureol. & Rubion, d. 3. q. 3. millies in Scholis decantata, esto non adhuc penitus delumbata ob magnam eorum euidentiam, quæ videri possunt apud Lichet. loc. cit. imò secundum argumentum, quod cæteris difficilius videtur, quomodo, scilicet distinguantur inter se duæ humanitates præcisis hæcceitatibus, valde vrgetur à Rubion cit. 2. d. 3. art. 1. & cum maiori euidentia quam faciant Suarez, Pasqualig. Auersa, ac cæteri Recentiores; art. 2. vrget instantiam de conuenientia, & disconuenientia duarum hæcceitatum, quas ait si ponantur; opus esse fateri, quod seipsis conueniant, ac disconueniant, atque idem dicendum de Petro, & Paulo. Aureolus 2. d. 9. q. 2. art. 1. arguit, quod si natura hominis, vt sic, distinguitur

ex

ex natura rei formaliter à natura huius hominis, tunc Petrus esset duo homines, quia haberet humanitatem in communi, & aliam quoq; humanitatem particularem, & in Petro essent duæ animæ intellectiuæ, vna correspondens humanitati in communi, altera huic humanitati in particulari. Hoc tamen, sicut & alia argumenta Aureoli ibid. opinionem Scoti impugnant, tanquam si natura cõmunis Scotica concideret cum Vniuersali Platonico, vt & Aureolus ipse protestatur ab initio illius articuli, quod tamen omnino falsum est, quia esto Doctor naturam communem à singularibus, vel hæcceitatibus formaliter distinguat, non tamen realiter; & ideo non sequitur inconueniens illatum in argumento contra Scotum, sicut contra Platonem, quia hæc anima, & hæc humanitas addunt supra animam, & humanitatem in communi solam differentiam indiuidualem, ratione cuius dicuntur secerni inter se, non realiter, sed formaliter tantum. Tum quia communia cum singularibus non ponunt in numerum eo quia omnes gradus communes per eandem hæcceitatem indiuiduantur, & ideo omnes simul sumpti vnum tantum indiuiduum constituunt; alia argumenta Aureol. soluentur inferius, vide interim pro hoc argumento Tromb. 7. Met. q. 8. ad 1. prin.

QVÆSTIO IV.

De communitate, vel aptitudine naturæ, vt sit in multis, num illi conueniat a parte rei, vel solùm per opus intellectus.

71 PRius solent Auctores tractare de vnitate naturæ, quam de eius communitate, quia ad vnitatem naturæ sequitur aptitudo, & ex conditione vnitatis conditio quoque aptitudinis dignoscitur; ego tamen ob hanc eandem rationem ordinem inuertens, prius ago de communitate naturæ, & postea de eius vnitate; cum enim constauerit, qualis & quanta sit naturæ communitas in indiuiduis, num scilicet sit realis, vel rationis, & si realis fuerit, num sit per inexistentiam eiusdem naturæ in pluribus, vel potius per solam indifferentiam, facile erit inde dignoscere quæ, & qualis sit vnitas formalis naturæ, quam dicunt esse minorem vnitate numerali, an scilicet sit realis, vel rationis, an per inexistentiam, vel per indifferentiam. Difficultas ergo est in præsenti quid sit, & in quo consistat naturæ communitas, & aptitudo ad essendum in multis, & in quo statu naturæ conueniat, an scilicet prout existit à parte rei in indiuiduis; vel tantum per opus rationis; communitatem non conuenire naturæ à parte rei, sed tantum per opus intellectus fert communis Thomistarum sententia cum D. Thoma opusc. 55. & de Ente, & essentia cap. 4. vbi Caiet. q. 6. & 7. Capreol. 3. d. 5. q. 3. art. 3. Soncin. 7. Met. qu. 40. Suar. disputat. 6. Metaph. sect. 4. Auersa q. 8. Log. sect. 9. Morisan. disput. 1. Log. q. 7. art. 2. Hurtad. disp. 5. Metaph. sect. 2. Ouuied. controuers. 3. Log. punct. 3. Arriag. ibid. Complut. disp. 3. Log. qu. 5. Io. de S. Thom. part. 2. log. q. 3. ar. 4. & alij passim.

Oppositum tenet Scotus 1. d. 3. quæst. 1. & 7. Met. quæst. 18. quem omnes eius sequuntur discipuli citati ab initio quæst. præced. vno excepto Poncio, qui in hac materia de natura communi Præceptorem suum Scotum dereliquit, & Thomistis adhæsit disput. 3. log. & ideò sicut ibi quæst. 2. concluf. 4. nullam veram vnitatem ponit in natura communi, sed solam agnoscit vnitatem ponit in natura communi, sed solam agnoscit vnitatem similitudinis vnius indiuidui cum alio sub eadem specie, ita consequenter loquens q. 3. cum Thomistis, & Suarez disp. 6. Met. sect. 4. ait naturam communem à parte rei aliam aptitudinem non habere ad exiſtendum in multis, quam quod possit dari alia natura sibi similis potens repræsentari per eandem speciem, qua repræsentatur ipsa, atque ita negat omnem communitatem, ac aptitudinem propriè dictam in natura ad existendum in multis à parte rei; sed contra Poncium aliosq; Recentiores agemus infra q. 7. interim Scotum nedum eius discipuli, sed sequuntur alij grauissimi Auctores extra scholam nostram, nimirum Ragusseius disput. vlt. peripat. Pasqualig. to. 2. Metaph. disput. 17. sect. 3. Amicus tractat. 4. Log. qu. 3. dub. 7. & alij citati quæst. præced. ab initio.

ARTICVLVS I.

Naturam habere quandam communitatem à parte rei.

72 PRo resolutione quæsiti, & intelligentia nostræ conclusionis recolenda est distinctio illa de duplici communitate, aut indifferentia, vel indeterminatione naturæ ad essendum in multis, quæ est valde familiaris omnibus Scotistis in hac materia, & colligitur ex Doctore loc. cit. 2. d. 3. q. 1. & 7. Met. quæst. 18. & iam insinuata fuit disput. 4. log. quæst. 1. art. 2. ab initio; alia enim est positiua, alia priuatiua, vel negatiua; positiua dicitur illa, secundum quam natura concipitur in se indiuisa, & ab omnibus differentijs indiuidualibus abstracta æqualiter respiciens omnes, & singulas, qua ratione solet etiam appellari indifferentia, seu indeterminatio contraria, quatenus positiuè contrariatur determinationi actuali per differentiam, & per eam penitus excludit, si namq; secum illam admitteret, iam non equaliter omnes respiceret, nec ab omnibus separata, & abstracta foret, & hoc modo indifferentia, & communitas positiua naturæ explicatur ab omnibus Scotistis. Indifferentiam verò, seu indeterminationem negatiuam non eodem modo explicant, frequentior explicandi modus hanc indifferentiam negatiuam, vt videre est apud Tromb. 7. Met. q. 8. art. 1. notab. 3. Lich. 2. d. 3. q. 1. §. *ibi sed contra*, Radam to. 2. controu. 3. art. 1. notab. 2. & alios est, quod sit illa secundum quam natura non est determinata, sed est apta nata determinari per differentias, & de se indifferens ad inferiora, quæ explicatio non satis placet, quia nullam ponit oppositionem istius communitatis negatiuè, vel priuatiuè cum positiua, quandoquidem etiam natura in priori statu, seu sub indifferentia positiua, & quando est abstracta à differentijs, non est determinata per illas, sed apta determinari, cum ergo tota hæc explicatio conueniat etiam naturæ positiuè indifferenti non est satis idonea, nam debet esse talis, vt aliquo pacto distinguat vnam indeterminationem ab alia, sic quod aliquid habeat natura sub indifferentia secundi modi, quod non habet sub indifferentia primi modi. Tum quia hæc etiam explicatio non insinuat rationem, cur indeterminatio secundi generis dicatur priuatiua, vel negatiua. Hinc alij Scotistæ aliter explicant, nempè indifferentiam priuatiuam, vel negatiuam esse illam, quam adhuc natura in se retinet, quando contracta est, quia enim etiam sub statu contractionis distinguitur formaliter à differentia, per quam contrahitur, hinc retinet adhuc quandam non repugnantiam ex sua ratione formali procedentem, vt possit esse quantum est de se sub alia singularitate ab ea, sub qua est, & dicitur priuatiua, vel negatiua, quia cum simili indifferentia naturæ stat extrinseca determinatio eiusdem per aliquam differentiam indiuidualem, quam explicationem ego quoq; adhibui disp. 4. Log. loc. cit. & est satis idonea, quia per hanc insinuatur naturam in secundo statu esse coniunctam cum differentia, quam coniunctionem non habet in primo statu, & explicatur etiam cur secunda communitas, vel indifferentia dicatur negatiua, vel priuatiua, nempe quia in hoc secundo statu priuatur omnimoda illa indeterminatione, qua gaudebat in primo statu, quandoquidè hic secũdus est status contractionis.

73 Sed breuius explicari potest vtraque indifferentia naturæ, & communitas, vt positiua dicatur, quam habet natura ita ad plura indiuidua indeterminata per abstractionem à differentijs indiuidualibus, vt eadem met sit proximè potens, vt de illis prædicetur; communitas verò negatiua dicitur illa, quam habet natura etiam quando est à parte rei per differentiam contractæ; quia in tali statu licet dici non possit absolutè, & positiuè communis, ac indifferens, quia est ad vnum indiuiduum applicata, & appropriata, adhuc tamen dici potest talis negatiuè, quatenus licet sit hæc, & singularis, id tamen ex se non habet, vel ex suis intrinsecis principijs, sed id sibi obuenit à differentia, & sic adhuc in tali statu non est de se hæc, non est de se singularis, quod est esse negatiuè commune. Quæ quidem distinctio adhuc commodius, & aptius datur sub nomine aptitudinis, ita quod duplex sit aptitudo naturæ ad essendum in multis, vna proxima, altera remota, proxima est capacitas naturæ ad hanc, vel illam differentiam sibi copulandam, vel identificandam sine vllo impedimento, & conuenit naturæ in statu abstractionis, remota est eadem naturæ capacitas impedita tamen per contractionem vnius differentiæ, ne sit libera, & expedita ad aliam, propter quod impedimentum talis potentia nequit reduci ad actum; sicut materia secundum se dicit potentiam proximam recipiendi formas omnes disiunctim, ita ut habeat simultatem potentiæ, non potentiam simultatis, sed affecta aliqua forma est in potentia remota ad recipiendas alias, vt dictum est in physicis; sic in proposito de natura humanitas namq; Petri, quamdiu est sub Petreitate, aptitudinem habet remotam, vt sit in pluribus, dum verò cum nulla hæcceitate est coniuncta habet proximam ad plura, quæ aptitudines non sunt diuersæ, sed vna, & eadem diuerso modo scilicet impedita in statu contractionis, expedita in statu abstractionis. Ne decipiaris tamen hoc exemplo materiæ primæ, quemadmodum decepti sunt Aduersarij, quia adhuc est longè diuersa indifferentia materiæ primæ ad formas, & naturæ cõmunis ad indiuiduales differentias, siquidem indifferentia materiæ primæ est physica, & subiectiua nempè alicuius subiecti præexistentis ad res realiter distinctas, quas in se recipere potest, sed indifferentia naturæ ad hæcceitates est metaphysica tantum, & obiectiua, vt explicui supra n. 36. & 37. & hinc est, quod materia ob suam indifferentiam bene potest transire etiam naturaliter ob vna forma in aliam, non sic natura communis ab vna differentia ad aliam, & ideo nec Aureolus 2. d. 9. q. 2. ar. 1. & 2. nec Rubion 2. d. 3. qu. 2. nec Ocham, nec vllus Nominalium indifferentiam naturæ communis Scoticæ non perceperunt, & ad intentionem Doctoris.

74 Et quia tota Doctoris sententia de communitate naturæ constitit in recte percipienda hac naturæ indifferentia præter dicta supernum. 36. & 37. notandum, quod hęc aptitudo naturæ, vt sit in pluribus, non est ad plura coniunctim, quia in creatis nec reperitur, nec reperiri potest a parte rei vna, & eadè physica entitas in pluribus indiuiduis, vel suppositis realiter distinctis, vt magis constabit q. seq. sed est ad plura disiunctim, quatenus scilicet natura, quæ est in Petro talis est conditionis, vt quantum est de se potuerit constituere Paulum, & cum eo identificari, & ideo vocatur communitas, non per inexistentiam quasi eadem entitas naturæ extra causas productæ sit in Petro, & Paulo, sed per indifferentiam, & hæc aptitudo ita conuenit naturæ, vt modus, quo exercetur, sit per identificationem cum singulari, quod constituit, ex quo fit vt exercitium istius aptitudinis, vel indifferentiæ na-

naturæ habeat annexam determinationem; qua natura ita determinetur, vt quatenus est in vno, nequeat esse in alio, quia ineſt illi per realem identitatem; quia tamen natura de se non est indiuidua, sed per extrinsecam differentiam ab ipsa formaliter distinctam, ita se habet, quantum est de se, vt absolutè loquendo potuerit esse cum hac, & cum alia hæcceitate. Ratio huius est, vt etiam benè notauit Pasqualig. citat. disputat. 17. sect. 2. quia determinatio effectus quoad hæcceitatem à Deo pendet, & non ex natura rei, vt dictum est disputat. 8. Physic. quæst. 2. art. 3. nam Deus ab instanti æternitatis determinauit, vt effectus in tempore producendus esset hic, vel ille, & dum determinat, vt sit hic, ita determinat, vt potuerit etiam determinare, quod sit alter; & consequenter natura, prout à tali causa communicatur inferioribus, ita recipit hanc indiuiduationem, vt nulla mutatione in ea subsecuta, aliam recipere potuerit, & hoc totum ex eo prouenit, quia natura de se non est indiuidua; natura ergo est indifferens, vt contrahatur per hanc, vel illam indiuiduationem in illo priori, in quo est indifferens, vt producatur, vel non producatur, quia tunc produci potest cum hac, vel illa singularitate, quia talis determinatio effectus ad hæcceitatem à Deo pendet, & id concedunt etiam Complut. disp. 3. log. quæst. 5. vbi aiunt naturam in esse possibili habere aptitudinem ad vnam singularitatem vagè sumptam, ideſt hanc, vel illam.

75 Instabis cum Ouied. controu. 3. log. punct. 2. num. 6. antequam res formaliter sit existens nihil illius est, neque possibilitas rei importat aliquid distinctum formaliter ex parte obiecti ab ipsa re existente, ac proinde hæc indifferentia ad existendum tantum est obiectiua, quia id quod physicè non est, non potest esse physicè indifferens, sed natura antequam sit existens, & producta physicè non est, ergo non potest esse physicè indifferens, sed tantum habet obiectiuam indifferentiam. Tum quia ita se habet natura possibilis cum hæcceitate possibili, sicut natura actualis extra causas cum hæcceitate actuali, quia idem est ens possibile, & actuale, ideſt non est diuersa res producibilis à seipsa producta, & extra causas posita; sed natura actualis identificatur cum hæcceitate actuali, ergo & possibilis cum possibili, ergo dum natura producitur necessariò producitur cum ista hæcceitate, adeò quod non potest cum alia produci, & est argumentum Suarez disp. 6. Metaphysic. sect. 3. Respond. gratis concedendo illam naturæ indifferentiam non esse physicam, & subiectiuam, sed metaphysicam, & obiectiuam, vt supradictum est. Et cum dicimus naturam possibilem ita potuisse produci sub vna hæcceitate, ac cum alia, non ita intelligendum est, quasi in statu possibilitatis realiter differat à differentia indiuiduali, cum qua postea identificetur in statu actualitatis, quia cum possibilitas rerum attendatur in ordine ad existentiam, sicut natura existere nequit, nisi cum singularitate, ita cogitari nequit possibilis nisi cum singularitate, vnde in statu possibilitatis habet cum singularitate identitatem realem secundum quid, quam habet simpliciter in statu actualitatis. Verum quia, quod cum hac singularitate identificetur siue in statu possibilitatis, siue actualitatis, non habet ex suis principijs intrinsecis, seu ex sua formali ratione, quia quantum est ex se ita potest produci cum vna, sicut cum alia, & quantum est ex se non magis sibi vnam identificat, quam aliam, quia non est ex se indiuidua, hac ratione dicimus ipsam esse possibilem potius cum hac differentia, quam cum illa, & produci identificatam cum ista, non cum illa, ex mero Dei beneplacito, à cuius voluntate pendet determinatio effectus in indiuiduo, pro quo vide Lich. 2. d. 3. quæst. 1. §. *Respondeo ad hanc rationem.* Vel ad ampliandam magis hanc indifferentiam naturæ dicatur cum Amic. cit. tractat. 4. log. quæst. 3. dub. 7. art. 4. in eo statu naturam habere quidem rationem possibilis, non tamen indiuidui, nam ad rationem entis possibilis sicut sufficit habere ordinem ad existentiam, ita sufficit habere ordinem ad indiuiduationem, quod autem habet ordinem ad indiuiduationem, non est in se indiuiduum, sed potest esse indiuiduum, & hoc habet natura in eo statu respiciendo singularitatem vagè, ideſt non magis hanc, quam illam.

76 Hinc deducitur hanc non repugnantiam, vel aptitudinem naturæ, vt sit in multis, non esse cogitandam in natura per modum potentiæ, quæ conueniat naturæ, sicut conuenit potentia materiæ ad recipiendas formas, vt Nominales Scoto impingunt, nam siue natura v. g. humanitas consideretur in causis, vel in esse potentiali, siue extra causas, vel in esse actualis existentiæ, in nullo statu potest ei competere hæc aptitudo per modum potentiæ; non in primo statu, quia sic nihil importat entitatis, secundum quam talem potentiam fundare possit, quandoquidem non contineatur in causis suis modo formali, sed virtuali tantum, & ideò nullum esse reale dicit præter esse causæ; neque in secundo statu talem potentiam fundare potest, quia sic est realiter identificata cum sua hæcceitate, atque ideò per nullam potentiam eam dimittere potest, vt aliam suscipiat. Sed neque ex alia parte ponenda est mera negatio repugnantiæ, vt voluit Caiet. de ente, & essentia cap. 4. cum enim hæc aptitudo, & communicabilitas ponatur passio naturæ, & fluens à principijs eius, vt à singularitate distinguitur, melius in positiuo statuitur, quam in negatiuo. Tum quia talis communicabilitas in creatis exercetur per contrahibilitatem, quatenus natura ex sua essentia est contrahibilis per differentias, cum quibus componit vnum per se metaphysica compositione, quæ est compositio realis in suo ordine, ergo nequit consistere in simplici negatione. Neque obstat, quod natura determinetur ab hæcceitate, & hoc indiuiduum; quia hinc non tollitur aptitudo positiua, quam habet ex se, sed tantum extrinsecè impeditur, ne eius aptitudo possit exire in actum, vt postea sit in alio, sicut dicitur de potentia materiæ, quando est informata per actum. Nec etiam obstat, quod talis aptitudo explicetur per negationem repugnantiæ, frequenter enim per negationem rationem positiuam indicare solemus, vt quando per negationem rationalis exprimitur differentia positiua brutalis. Tum quia negatio quælibet solet in positiuo fundari, præsertim quando est necessariò in subiecto, & non contingenter, vt notat Doctor 3. d. 1. quæst. 1. ex 1. Poster. text. 40. & 2. Cœli text. 8. vnde si quæratur, cur naturæ humanæ non repugnet esse in multis cum sui diuisione, & multiplicatione, benè tamen naturæ diuinæ, ratio reddi debet ex aliquo positiuo, quod est in natura humana, & alio positiuo, quod est in natura diuina. Dices repugnantia, & ineptitudo ad essendum in multis est aliquid positiuum, scilicet differentia positiuè determinans naturam, ergo aptitudo quæ illi opponitur est aliquid negatiuum, quia positiuum opponitur negatiuo. Respond. negando assumptum, nam potius formaliter loquendo repugnantia in negatione consistit, dicit enim impossibilitatem essendi in multis, impossibilitas verò est quid negatiuum; tum quia etiam si concederetur assumptum, nempe repugnantiam ad essendum in multis formaliter consistere in singularitate positiua, non adhuc benè deducitur consequentia, quia non solum datur oppositio contradictoria, & priuatiua, sed etiam contraria, & repugnantia quoque disparata, quæ inter formas disparatas reperitur.

77 His præacceptis dico hanc aptitudinem remotam, ac indifferentiam negatiuam conuenire naturæ etiam in statu existentiæ realis, non quidem reduplicatiuè, sed specificatiuè, nam natura existens habet duo scilicet sua essentialia, & singularitatem cum existentia, vnde licet ratione singularitatis, & existentiæ sit ad vnum determinata, atque adeò vt sic nequeat esse in pluribus, tamen secundum sua essentialia non habet determinationem, & ideò natura, quæ est existens, est determinata, non vt existens, sed vt natura, quia talis præcisio naturæ à singularitate non fit tantum per intellectum, sed datur a parte rei, cum eam non includat in sua essentia. Conclusio sic declarata potest probari primò ex postea dicendis de vnitate formali naturæ, quæ est minor numerali, nam indiuidua ex principijs essentialibus naturæ inter se non distinguuntur, sed potius in ea adunantur, & communicant; ergo natura habet communitatem realem in indiuiduis saltim per indifferentiam, antecedens patet; & fusè probabitur infra, consequentia tenet, nil enim aliud est naturam habere communitatem in indiuiduis, quam indiuidua non diuidi in natura, sed tantum per hæcceitates, atque in ea communicare à parte rei, & non per intellectum tantum; vt Aristot. docuit 5. Metaph. 11. & 10. Metaph. ab initio, vbi indiuidua dicit esse vnum essentia, quia vnum ratione, & definitione; vbi per ly *ratione*, non intelligit præcisè conceptum mentis, vt Aduersarij explicant, sed definitionem obiectiuam, quæ suam vnitatem habet à parte rei sumptam ex vnitate definiti, vt exponit Doctor in eis locis. Quod si etiam Aristot. communitatem illam, ac vnitatem in essentia explicasset in ordine ad intellectum nostrum; non esset dicendum id fecisse, quia talis communitas, & vnitas non detur à parte rei, sed quia per actum intellectus præscindentis naturam ab indiuiduis illa communitas, & vnitas percipi solet; & hoc argumentum ex vnitate naturæ deductum latius prosequar quæstione sexta.

78 Secundò principaliter, natura quæ à parte rei in aliquo indiuiduo reperitur, quantum est ex se, & ab intrinseco vel est communicabilis alteri ab illo, in quo est, vel non, vel est apta alteri ineſſe per identitatem, vel non; si primum, habetur intentum; si secundum, ergo quando concipitur sub ratione communicabilis, quod toties fit, quoties concipitur sub ratione vniuersalis, concipitur sub modo suæ essentiæ repugnanti, quia de se non est communicabilis, nec vllam penitus secundum se habent aptitudinem, vel indifferentiam à parte rei vt sit in pluribus. Respondent concedendo secundum membrum, & negando, quod inde deducitur, quia licet natura ex se, & ab intrinseco non sit communicabilis, non idcircò ex se incommunicabilis est, itaut ab intrinseco sibi communicabilitas repugnet, tunc enim concluderet argumentum; sed natura, vt natura neutrum includit in suo quidditatiuo conceptu, itaut ex se neque communicabilis est, neque incommunicabilis, potest tamen ab extrinseco vtrumque sibi conuenire, incommunicabilitas quidem per differentiam indiuidualem, communicabilitas verò per intellectum præscindentem illam à differentia.

Sed contra hanc communem Aduersariorum solutionem argumentor, nos etiam concedimus neutrum includi in conceptu quidditatiuo naturæ, concedimus etiam indifferentiam positiuam, & præsertim illam, qua potest esse in pluribus simul, & semel, & non vagè in hoc, aut illo, conuenire naturæ tantum per intellectum, quia per talem indifferentiam positiuam constituitur natura in esse vniuersalis actualis, & completi; sed quærimus an tali indifferentiæ positiuę correspondeat aliqua communitas naturę à parte rei inchoata, & remota, quę sibi conueniat in secundo modo dicendi per se, velut eius innata proprietas, & dicimus quod sic, quia quod natura concipi possit sub non repugnantia, vt in pluribus multiplicetur, & communicetur, oritur ex principijs realibus ipsius naturę, ergo precedit in ipsa aliqua communitas negatiua, & inchoata, probatur antecedens tum à contrario, quia quod natura diuina non possit concipi sub non repugnantia tali, fundatur in hoc, quia est de se essentialiter hęc, tum, quia si talis communitas non oritur in natura creata ex principis

eius intrinsecis, non erit illi conueniens. sed repugnans. Respondent id oriri ex limitatione, & finita perfectione naturæ creatæ, ratione cuius non repugnat, vt sint plura individua talis naturæ, & plures consimiles naturæ coexistant, sed talis non repugnantia non est aliqua naturæ communicabilitas intellectum præcedens, è contra verò naturæ diuinæ repugnat talis communicabilitas ratione suæ infinitæ perfectionis, quæ vetat, vt plures consimiles naturæ coexistant. Contra, natura diuina non potest concipi sub non repugnantia, vt pluribus hoc modo communicetur ratione suæ infinitæ perfectionis, quæ petit, vt sit de se hæc, vt dictum est supra numer. 50. ergo quod possit sub tali non repugnantia concipi natura creata erit quia ratione suæ finitæ, & limitatæ perfectionis non est de se hæc, ergo talis non repugnantia fundatur in aliqua communitate naturæ. Accedit, quod impossibile est intelligere consimilem naturam posse esse in alio individuo, nisi natura ex se intrinsecè habeat, vt ad nullum sit intrinsecè determinata, sed cuilibet de se compossibilis saltim disiunctim, quia similitudo hæc fundatur in vnitate formali naturæ, quę arguit in ipsa communitatem negatiuam; vnde patet communitatem naturæ; eiusque aptitudinem essendi in pluribus non benè explicari ab Aduersarijs per hoc, quod simul coexistere possint plures naturę consimiles, quia semper quærendum manet, quodnam sit fundamentum talis similitudinis, & vnde oriatur, quod possint esse plures naturæ consimiles in creatis, non autem in diuinis. Conf. quod natura diuina non sit numero multiplicabilis, nec possint esse plures consimiles pendet ex aliqua intrinseca proprietate ipsius diuinæ naturæ; ergo è conuerso, quod natura creata sit multiplicabilis numero, & possint esse plures consimiles, non est aliquid merè excogitatum à ratione, sed ab aliqua proprietate intrinseca naturæ creatæ pendebit, quæ non erit, nisi indifferentia negatiua naturæ, sicut radix multiplicitatis naturæ diuinæ est sua summa singularitas. Præterea secundum Aduersarios natura quælibet creata seipsa est singularis à parte rei, & non per realitatem superadditam, vt constat ex præcedenti quæstione; ergo secundum se, & non tantum per accidens erit implur ficabilis, & incommunicabilis, & sic absque contradictione sub ratione vniuersalis concipi nequibit, sicut dicimus de natura diuina, quod erat intentum argumenti principalis.

79 Respondent negando paritatem, quia natura diuina includit in suo conceptu singularitatem, non sic natura creata. Contra, ideò natura diuina includit in suo conceptu singularitatem, quia non fit singularis per realitatem superadditam, ad quam sit in potentia, sed seipsa in sua simplicissima entitate singularis est, ergo pariter, quia natura creata secundum ipsos non fit singularis per realitatem superadditam, sed seipsa, includet in suo conceptu singularitatem. Respondent non includere, quia singularitas saltim virtualiter, vel ratione distinguitur à natura creata, ratione cuius distinctionis potest inadæquatè concipi natura creata, & sic concepta induere rationem vniuersalis, quod non conuenit diuinæ naturę. Contra, quia tenentur Aduersarij assignare rationem, cur singularitas virtualiter distinguatur à natura creata, vel ratione, & non à natura diuina; quod si concedant etiam virtualiter distingui à natura diuina, tenentur rursus assignare disparitatem, quare ratione huius distinctionis possit natura creata præscindi à differentia, non sic natura diuina. Demum natura existens à parte rei adhuc retinet essentiam suam, & quidditatem, & includit prædicata primi, & secundi modi, existentia enim non destruit essentiam, & quidditatem rei, ergo assignari debet passio realis naturæ secundum se, & non potest assignari, nisi præfata communitas negatiua.

Aliter respondet Ouuied. controuers. 3. logic. punct. 3. numer. 8. & primò retorquet argumentum, quia in opinione Scotistarum natura non habet communicabilitatem positiuam à parte rei, sed tantum negatiuam, & tamen intellectus apprehendit in natura communicabilitatem positiuam contradictorie oppositam cum negatione communicabilitatis positiuæ, quam habet natura à parte rei; ergo etiam si natura habeat incommunicabilitatem positiuam poterit intellectus apprehendere in natura positiuam communicabilitatem, non enim potest reperiri maior repugnantia in eo, quod natura apprehendatur cum aliquo prædicato contrario, quam cum contradictorio illi, quod naturę inest. Deinde ad argumentum respondet naturam ex se esse incommunicabilem, & intellectum vi abstractionis posse illam apprehendere sine incommunicabilitate, præcisa incommunicabilitate ex parte obiecti, si præcisiones obiectiuę sunt possibiles; vel tantum ex parte actus, si tantum formales præcisiones sunt admittendę, cui apprehensioni nulla subest falsitas, quia abstrahentium non est mendacium, ex vi enim illius cognitionis non dicit intellectus naturam non esse positiuè incommunicabilem, sed præcisè incommunicabilitatem omittit, & de ea nihil agit.

80 Hęc tamen solutio peior est precedenti, quia hęc concedit naturam ex se esse incommunicabilem, quod illa non admittebat, & cum hoc concedit ex vi abstractionis posse ab intellectu apprehendi sine incommunicabilitate, quod plane implicat manifestè, nec sine falsitate fieri potest, siquidem nequit aliquid concipi quidditatiuè, & distinctè sine prædicato, quod est de eius ratione formali, quia enim v.g. homo est de se rationalis, implicat illum conceptu quidditatiuo, & distincto sine rationalitate concipere; si ergo natura est de se incommunicabilis, ita quod singularitas sit de eius ratione, planè nequibit intellectus concipere naturam quidditatiuè sine incommunicabilitate; tum quia res concipi nequit, salua eius natura, ab his denudata, quę sunt de eius ratione formali, ergo nec natura poterit concipi salua eius essentia absq; singularitate, si singularitas est de eius conceptu quidditatiuo, tum quia hæc precisè de causa dicimus diuinam naturam sine singularitate concipi non posse, & sub ratione vniuersalis, quia est de se hęc; ergo idem pariter dicendum de natura creata, si est de se singularis; non ergo sine mendacio talis abstractio fieri potest. Nec valet, quod ait Ouuied. talem abstractionem sine mendacio fieri, quia ex vi illius non dicit intellectus naturam non esse positiuè incommunicabilem, sed precisè incommunicabilitatem omittit; non valet, inquam, quia ad fabricandum vniuersale non sufficit concipere naturam sine incommunicabilitate, sed debet concipi, vt positiuè communicabilis multis, talis enim communicabilitas constituit rationem vniuersalis; ergo concipiendo naturam sub ratione vniuersalis, dum dicit eam esse positiuè communicabilem, dicit etiam non esse positiuè incommunicabilem, quia positiua communicabilitas directè excludit incommunicabilitatem positiuam, & consequenter est conceptio mendax, & falsa; Tum quia, si natura est de se incommunicabilis, & singularis; iam concipit sine vllo fundamento precedente in re communicabilitatem in natura, imò cum repugnatia ex parte rei. Nec rursus iuuat, quod ait ibid. num. 7. singularitatem, & incommunicabilitatem esse de conceptu naturę sumendo ipsam physicè, prout existit à parte rei, sic enim Petrus est vna simplex entitas à parte rei, tamen non esse de conceptu naturę, si sumatur metaphysicè in ordine ad conceptus nostros, quorum ope intellectus illam simplicem entitatem Petri à parte rei existentem partitur in duas formalitates, quarum vnam appellat naturam, & concipit instar alicuius communis multis, & aliam vocat differentiam individualem, cui incommunicabilitatem tribuit.

81 Non, inquam, hęc solutio iuuat, cum tota fundetur in falsa Nominalium doctrina, quod formalitates metaphysicę non dentur à parte rei immersę per realem identitatem in entitatibus physicis, cuius oppositum ostendi disputat. 6. Met. quæst. 16. & quod iste nullam admittant distinctionem formalem inter se ex natura rei, cuius oppositum determinatum est disputat. preced. quæst. 6. artic. 2. ac etiam quæst. preced. item quod metaphysica compositio sit omninò rationis, quasi essentia angeli v. g. equiualeat in simplicitate saltim quoad compositionem essentialem simplicitati diuinę, nec discrepet nisi in compositione accidentalis, cuius oppositum assero disputat. 5. log. 3. artic. 2. vbi doceo compositionem metaphysicam esse compositionem ex natura rei in genere suo; item quod definitio non exprimat naturam rerum secundum quod sunt à parte rei, sed secundum quod à nobis apprehenduntur, cuius oppositum docui disput. preced. num. 204. Deindè precisiones metaphysicę vnius formalitatis ab alia, ne sint falsæ, & mendaces, debent fieri cum aliquo fundamento, vel non repugnantia à parte rei formali, vel saltim virtuali, ergo si singularitas à parte rei est de quidditate naturæ, nequibit intellectus sine falsitate concipere naturam absque singularitate, quia non solùm habet à parte rei intellectus fundamentum, vel occasionem talis conceptus, sed potius omnimodam repugnantiam. Denique si à parte rei competit naturę talis repugnantia, vt sit in pluribus planè ex sola intellectus cognitione non poterit natura tali repugnantia exui, & opposita aptitudine superindui, absque fictione, alioquin & indiuiduo, & diuinæ naturæ posset applicari intentio vniuersalis, vt arguit Doctor 2. disputat. 1. quæst. 7. A. vbi concludit huiusmodi conceptionem esse mendacem, & implicatoriam, quia ratio intelligendi repugnat omninò suo obiecto intellecto. Neque instantia, quam facit Ouuied. de communicabilitate positiua, quæ conuenit naturæ per intellectum sine fictione non obstante negatione talis communicabilitatis positiuæ, quam nos tribuimus naturæ à parte rei, est ad rem, quia nostrum argumentum vrget, quod nequeat fine falsitate natura ab intellectu concipi sub oppositio illius prædicati, quod est sibi essentiale, & intrinsecum à parte rei, quia tunc conciperetur sub oppositio suæ essentiæ; negatio autem communicabilitatis positiuæ, licet à nobis tribuatur naturæ existenti à parte rei sub differentia, non tamen ponitur à nobis eius prædicatum intrinsecum, & essentiale, sed potius contingens, & aduentitium, quia talis negatio sibi conuenit ratione hæcceitatis impedientis indifferentiam suam intrinsecam, quam de se habet æqualiter ad omnia individua; vnde benè sine fictione potest natura concipi sine tali negatione eo ipso, quod à singularitate præscinditur, quia non ob id concipitur modo repugnanti suæ naturæ intrinsecè, & essentialiter; conciperetur autem sic, si singularitas à parte rei conueniret illi intrinsecè, & essentialiter, vt contendit Ouuied.

82 Tertiò, principaliter probatur conclusio, natura à parte rei existens ex se, siue ex essentia sua non est incommunicabilis, & singularis, sed illud habet à differentia individuali, quæ est essentiæ extrinseca; ergo ex se erit indifferens, & communicabilis saltim negatiuè ideſt non de se hæc, nec ex se singularis. Respondet Ouuied. loc. citat. singularitatem esse de conceptu quidditatiuo naturæ si physicè sumatur & quatenus existens à parte rei, licet non sit de eius conceptu metaphysicè sumptæ, vt nimirum existit in intellectu præcepta à differentia. Sed hæc responsio euerſa est paulò suprà, vt conuincens falsam doctrinam; tum quia existentia non spectat ad quidditatem rei creatæ, vnde rerum quidditates ab existentia præscindere dicuntur, frustrà ergo comminiscitur Auctor iste conceptus quidditatiuos

dicatiuos conuenientes rebus, vt existentiam inuoluunt, cum rebus non conueniant, nisi quatenus ab existentia præscindunt; vt ergo natura non dicatur de se hæc, & singularis, sufficit vt non intret conceptum eius metaphysicè consideratæ, quia talis conceptus præscindit à quocunque extraneo, & explicat puram rei quidditatem etiam conditionibus materialibus substratam, quia adhuc in tali statu ex natura rei præscindit ab ipso; nam natura existens dicit tam principia essentialia, quam singularitatem, & adhuc verum est dicere, quod secundum principia essentialia non est determinata, & id est quod explicatur per eius conceptum, ergo verum est, quod in eius conceptu, qui eam quidditatiuè explicat à parte rei, non includitur singularitas. Confirm. quia adhuc de natura in indiuiduis existente verè dicitur, quod non est determinata, & facta alicuius propria ex principijs essentiæ, sed aliundè ex principijs essentiæ extrinsecis, ergo etiam natura existens est indeterminata negatiuè, non quidem vt existens reduplicatiuè, sed vt natura, quæ præcisio datur etiam à parte rei; ergo singularitas à parte rei non est de conceptu naturæ, non autem solùm in ordine ad conceptum obiectiuè, vt aiebat Ouuied.

83 Morisanus loc. citat. concessa [illegible] adhuc negat consequentiam, quia licet essentia ex vi [illegible] non sit incommunicabilis, est tamen omnino necessariò talis, idque in virtute vnitatis numericæ, cui identificatur, itaut absolutè, & simpliciter sit inepta, vt à multis participetur, eiq; positiuè repugnet in tali statu esse in multis: quæ repugnantia solo intellectu potest tolli, cum, scilicet separando essentiam à differentia numerica concipit illam sine repugnantia. Contra, quia licet repugnet naturæ communicari posse alteri, vt est sub hac differentia, & in sensu composito, id tamen ex se illi non repugnat, & ex principijs eius, vt arguens ipse fatetur, ergo adhuc ex se & intrinsecè inepta non erit ad essendum in pluribus. Tum quia hæc intrinseca indifferentia non tollitur à singularitate coniuncta, nam cum tali coniunctione, & identitate reali adhuc stat præcisio ex natura rei, & distinctio formalis inter naturam, et singularitatem; Tum quia vt notat Amic. citat. singularitas nequit tolli, nisi conceptum, cui opponitur, quia hoc fit per repugnantiam formalem, sed determinatio per singularitatem non opponitur indeterminationi per principia essentialia, quia oppositio est eiusdem respectu eiusdem, seu secundùm idem, hæc autem non sunt idem, non esse determinatum per essentialia includit alium terminum, quam esse determinatum per singularitatem; Tum tandem, quia si per singularitatem omnis indeterminatio naturæ tollitur, et redditur absolutè, et simpliciter inepta ad essendum in pluribus, tunc talis ineptitudo, et repugnantia non posset tolli per solam præcisionem intellectus sine falsitate, quia nullum extaret fundamentum à parte rei talis præcisionis.

Dices, communitas aufert omnem determinationem, dicit namque negationem determinationis, et negatio distribuit terminum quem afficit; sed natura existens, licet non habeat determinationem ex principijs essentialibus, neque ex vi illorum sit appropriata alicui, tamen est appropriata, et determinata ex principio extrinseco, ergo ex hoc solum tollitur omnimoda communitas naturæ, quia ad destruendum sufficit vnum. Conf. vt aliquis ager communis non sit amplius talis, sufficit, quod fiat Petro proprius, siue ex se illum sibi appropriet, siue ab alio; ergo pariter in proposito natura iam facta propria Petro totam communitatem amittit, etiamsi non sit illi ex se appropriata, sed per singularitatem, cum enim communitas dicat *negationem* determinationis siue ex principijs essentiæ, siue aliundè, *vndecumque* determinatio proueniat, aufertur communitas.

84 *Ob hanc* replicam Amicus loc. cit. putat opinionem oppositam probabilem, licet fateatur ob hanc rationem à nostra non esse recedendum, quam tamen ipse non soluit; dicendum tamen est communitatem etiam in communi modo loquendi non omnem excludere determinationem absolutè loquendo, nam materia in naturalibus ideò sit affecta aliqua forma particulari, adhuc censetur commune subiectum omnium formarum, et ad omnes formas indifferens, quia forma aduenies non ipsam penitus trahit extra suam connaturalem indifferentiam; et etiam aliqua opinio dicitur communis, non quia teneatur ab omnibus, sed quia à maiori parte; non ergo quia natura contracta est per aliquam differentiam, censeri debet amisisse totaliter nomen, et rationem suæ communitatis; et cum dicitur negationem esse[illegible]uere terminum, quem afficit, hoc vtiq; verum est in rigore logico, et ideò cum natura est contracta per aliquam differentiam, non benè diceretur non esse determinatam simpliciter, & absolutè loquendo, quia per talem loquendi modum significatur nullam habere determinationem nec intrinsecam, neq; extrinsecam, sed dici deberet non determinata cum additione, scilicet non determinata essentialiter, & intrinsecè, non de se hæc, & singularis, & sic semper loquitur Doctor; hinc tamen non benè deducitur, quod natura sub singularitate nequeat vllo pacto dici communis, quia communitas ex vi vocabuli non dicit negationem, sed potius indifferentiam, & positiuam aptitudinem ad essendum in multis; per quod etiam patet ad confirmationem.

Caiet. de ente & essentia loc. cit. ait in antecedente nostri argumenti contineri implicantiam in adiecto, natura enim *ex se*, sonat naturam solitariè sumptam, & à singularitate præcisam; naturam verò à parte rei existens sonat naturam singularitati coniunctam, quia non est natura à parte rei sine singularitate, licet igitur natura, quantum est ex se, ideat solitariè sit communis negatiuè, ipsa tamen existens extra non est communis quia talis communitas competit sibi ratione solitudinis, & præcisionis, quam non habet, nisi per intellectum, & amittit eo ipso, quod est in alio.

85 Sed hæc responsio ex falsa imaginatione procedit, falsum enim est hanc communitatem negatiuam non conuenire naturæ ratione suæ essentiæ, sed præcisè ratione solitudinis, quam non habet, nisi per intellectum, quia vt patet ex dictis radix talis communitatis est ipsa essentia naturæ, & non aliquid extrinsecum, ergo non præcisè ex illa solitudine conuenit sibi talis communitas, sed ex proprijs principijs extrinsecis. Tum quia etiam Caiet. lo. cit. concedit naturam à parte rei existentem incommunicabilem non esse ratione sui, sed ratione differentiæ, ergo ex sua ratione etiam existens in singulari, singularis non est intrinsecè, & essentialiter, quod est esse negatiuè commune. Tum quia natura adhuc existens à parte rei non amittit suam rationem, & quidditatem, ergo etiam à parte rei existens includit prædicata tam primi, quam secundi modi, & communitatem hanc dicimus esse prædicatum secundi modi fluens ab eius ratione, & quidditate. Tum quia non sumit Doctor ly *ex se* negatiuè pro eodem quod solitariè, & non cum alijs, vt perperam concedit Faber theor. 93. c. 2. ad 1. Caiet. quia tunc vtiq; implicantia foret, & sibi in tali statu conuenit communitas nedum negatiua, sed etiam positiua, sed sumit ly *ex se* positiuè, vt dicit omnem rationem essentialem tam primi, quam secundi modi, quam includit natura etiam existens à parte rei; & dum dicimus naturam existentem à parte rei ex se non esse incommunicabilem, non est locutio reduplicans existentiam, quasi sensus sit naturam existentem cum differentia indiuiduali, vt sic, non esse incommunicabilem, sed est specificatiua, & ideò non est implicantia in adiecto, quia est sermo de natura existentè cum differentia indiuiduali non in sensu composito; sed diuiso, vt dictum est in declaratione ipsius conclusionis.

Quartò, natura secundum se non est propria alicuius, ergo ex se est communis, & indifferens negatiuè, consequentia tenet per regulam Arist. 2. Periher. quod à negatiua de prædicato finito consequentia tenet ad affirmatiuam de prædicato infinito virtute illius primi principij à quo remouetur vnum cõtradictorium, de eodem dicitur & reliquum; sicut ergo valet inferre virtute huius regulæ, materia secundum se non est determinata ad formam, ergo secundum se est indeterminata ad formam, ita valebit inferre, natura secundum se non est determinata, & de se hæc, ergo de se est indeterminata ad quamcumque singularitatem. Respondet Caiet. non valere processum à propositione negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito cum reduplicatione, vt si dicatur, homo in eo quod homo non est albus, ad hoc non sequitur, ergo homo in eo quod homo est albus, quia tunc facit sensum, quod negatio coniunctionis albedinis cum homine est de essentia hominis, quod patet esse falsum, quia sequeretur hominem non posse coniungi cum albedine; similis autem est consequentia, quam facit Scotus in supradictis terminis, natura, vt natura est de se hæc, ergo natura, vt natura, communis est, & non propria; natura enim communis idem est, quod non propria. non. non.

86 Faber theor. 93. c. 3. reijcit hanc Caiet. solutionem, quia Doctor non arguit à propositione negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito, sed à negatione vnius contrarij ad affirmationem alterius, quæ consequentia ex Arist. cap. de oppositis est validissima, quando cõtraria non habent medium, vt si dicatur numerus binarius nõ est impar, ergo est par, est bona consequentia, quia inter hæc cõtraria non datur medium; ita pariter si dicatur, natura nõ est de se hæc, & particularis, ergo est cõmunis, est bona consequentia, quia inter esse particulare, & vniuersale nullum est medium, & hoc pacto ait tenere consequentiã Scoti. Hæc confutatio non placet, quicquid enim sit modò de consequentia Doctoris, de qua postea, malè confundit Faber cõmunitatem naturæ cum vniuersalitate, quia vt docet Doctor cit. 2. d. 3. q. 1. præsertim, in fine cõmunitas conuenit naturæ à parte rei, & ex se, vniuersalitas verò per intellectum tantum; & in corpore quæsiti inquit, quod licet natura de se sit cõmunis, tamen de se nec est vniuersalis, nec particularis, quia vtrumq; sibi conuenit ab extrinseco, vniuersalitas per intellectum, particularitas per differentiam contrahentem; si ergo inter particulare, & vniuersale hoc pacto datur medium, non benè teneret consequentia Doctoris per locum ab oppositis, vt Faber contendit. Sed quicquid sit de replica Fabri ad Caiet. non videtur argumentum adductum, cui respondet Caiet. haberi in terminis apud Doctorem, & præsertim in illa 3. d. secundi q. 1. solùm ibi ab initio quæstionis ad oppositum sic arguit, cui de se conuenit vnum oppositum, ei de se repugnat aliud oppositum; igitur si natura de se sit vna numero, ex se repugnat ei multitudo numeralis; implicitè igitur tantum habetur consequentia illa à Caiet. impugnata apud Doctorem, explicitè tamen apud alios Scotistas, qui planè ex vi illius noluerunt affirmare, quod naturæ positiuè conueniat negatio hæcceitatis, atq; ideò de se habere repugnantiam ad hæcceitates, vt arguit Caiet. quia sic argumentum potius concluderet oppositum intenti eorum; sed solùm concludere voluerunt non esse repugnantiam in natura, vt ab hæcceitate separetur, quia cum ex se non sit hæc, ideat essentialiter singularis, illi ex se non repugnat esse non hanc, ideat non coniunctam cum hac hæcceitate, quia quantum est de se potest esse cum alia hecceitate; & hoc etiam est, quod Doctor probare contendit loc. cit.

87 Sed quantum attinet ad argumentum in se non benè soluitur

tur a Caietan. quamuis enim concederetur regulam illam non valere cum reduplicatione in prædicatis accidentalibus, in quibus ipse exemplificat, vt notat Doctor 3. distinct. 3. quæst. 1. G. vniuersaliter tamen valere videtur in prædicatis essentialibus primi, & secundi modi, vnde valet dicere, Deus inquantum Deus non est visibilis, ergo Deus inquantum Deus est inuisibilis, Deus inquantum Deus non est finitus, ergo Deus inquantum Deus est infinitus; materia inquantum materia non est determinata, ergo materia inquantum materia est indeterminata, cum ergo hoc prædicatum communitatis conueniat naturæ in secundo modo dicendi per se, vt propria eius passio, & solum vniuersalitas, & singularitas sint prædicata accidentalia, consequentia in argumento illata optimè tenet. Accedit quod propriè loquendo in prædicatis accidentalibus ly *inquantum* non tenetur reduplicatiuè, reduplicatio enim vt dictum est prima parte Instit. Logic. denotat id, quod immediatè sequitur, esse causam præcisam, & formalem inhærentiæ prædicati ad subiectum in primo, vel secundo modo, aut diuisionis ab eo; cum autem dicimus, homo inquantum homo non est albus non est sensus, quod humanitas sit causa formalis, & præcisa, cur homo non sit albus, quia tunc homo nunquam esse posset albus, benè tamen cum dicimus, quod homo, quatenus homo, non est rudibilis. Demum aliud est loqui de negatione singularitatis, aliud de negatione coniunctionis cum singularitate; per illud argumentum à negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de infinito natura non est hæc, ergo de se est non hæc, vtique concluditur negationem singularitatis secundum suam essentiam conuenire naturæ, sicut negatio lapidis secundum essentiam suam sequitur humanitatem, non tamen concluditur negatio coniunctionis singularitatis cum natura; & ideò falsum est, quod aiebat Caiet. consequens illud facere sensum, quod negatio coniunctionis cum singularitate est de essentia naturæ, solùm enim facit hunc sensum, quod naturæ conuenit essentialiter negatio albedinis, quatenus nunquam affirmari potest cum veritate naturam esse formaliter & essentialiter singularitatem, nam & negationes prædicatorum simpliciter repugnantium alicuius, quamuis constitutiuè non pertineant ad essentiam rei, consecutiuè tamen spectant, quatenus necessariò consequuntur ad prædicata propria essentialia, vt negatio brutalitatis consequitur in homine ad rationalitatem vt explicatum est part. 2. Inst. tract. 1. cap. 3.

88 Quintò, & vltimò, quod natura humana non sit ex se intrinsecè determinata ad hæcceitatem Petri, sed omninò indifferens, determinata verò solùm extrinsecè, conuenit naturæ à parte rei, & non per operationem intellectus, & constat ex dictis, & Aduersarij concedunt, ergo verè à parte rei natura humana existens in singularibus habet ex se talem communitatem negatiuam. Consequentia probatur nil enim aliud est naturam existentem esse ex se communem negatiuè, nisi ipsam etiam sub existentia non esse intrinsecè determinatam ad aliquam indiuidualem differentiam, sed tantùm extrinsecè, & per accidens; & naturam esse indeterminatam negatiuè apud Scotistas non est aliud, quam naturam ex se non habere principium illam determinans, quo fiat propria vnius.

Respondent Aduersarij id conuenire quidem naturæ secundum se, sed ly *secundum se* dicit præcisionem, & solitudinem, vndè hanc indeterminationem non habet in indiuiduis in statu existentiæ, quia hic non est status præcisionis, & solitudinis. Contrà, quia vt dictum est num. 85. falsum est ly *secundum se* sumi negatiuè itaut significet statum solitudinis, & idem quod solitariè, sed sumitur positiuè, vt dicit prædicata essentialia naturæ primi, & secundi modi, quæ adhuc natura includit existens à parte rei. Tum quia falsum est naturam tantùm per intellectum præscindere ab hæcceitate, nam præscindit etiam ex natura rei, vt constat ex quæst. præced. cum eam non includat in sua essentia, quæ quidem præcisio optimè stat cum coniunctione naturæ cum hæcceitate, nec eam tollit, quia aliud non importat, quam naturam ex se non habere hæcceitatem, sed ab alio, vt dictum est supra nu. 16. Tum quia vt sæpius inculcatum est hæc indeterminatio negatiua naturæ non tollitur à singularitate superueniente, quia determinatio per singularitatem non opponitur indeterminationi per principia essentialia ex dictis nu. 83. Tum præterea, quia nulla est repugnantia, quod idem sit determinatum extrinsecè, & indeterminatum intrinsecè, sic enim dicimus materiam sub hac forma superficiem sub hoc colore esse extrinsecè determinatam, sed adhuc intrinsecè determinatam ad hominem; sic futurum contingens dicitur determinatum ad alteram partem extrinsecè, & adhuc intrinsecè ad vtramque indeterminatum. Tum tandem quia de natura etiam existente in indiuiduis verum est dicere non esse determinatam ex se, sed aliundè; ergo etiam in illis retinet suam indeterminationem.

ARTICVLVS II.

Argumenta contrà communitatem naturæ soluta.

89 AVreolus 2. d. 9. quæst. 2. art. 1. putans opinionem Scoti de communitate naturæ coincidere cum opinione Platonis sic eam impugnat, nam data tali vnitate naturæ communis in indiuiduis non posset Deus sub vna specie vnum creare, vel annihilare indiduum, quin omnia crearet, vel destrueret; consequentia probatur, quia si annihilaret totum indiuiduum, aut tollit totam suam realitatem, & tunc cum realitas illa specifica sit in alijs indiuiduis, quibus est communis, oportet eam in alijs annihilari, quod si non, ergo tota entitas indiuidui non est annihilata, & sic proportione seruata idem probatur de creatione. Tum 2. quia hinc sequitur vnum hominem esse duos homines, quia haberet humanitatem in communi, & aliam quoque peculiarem sibi. Quod si dicas naturam communem non esse à parte rei distinctam, sed fieri propriam Petro v. g. per Petreitatem, quæ ipsam trahit ad esse indiuiduum, nec super ipsam addit aliam humanitatem, sed proprietatem illam contrahentem. Instat Aureol. quia vel potest illam propriationem factam verum est dicere, quod aliqua res sit communis Sorti, & Platoni, vel non, si sic; cum illa humanitas appropriata sit communis, adhuc sequitur indiuidua non differre substantialiter inter se, sed solùm hypostaticè, sicut distinguuntur diuinæ personæ, si non, tunc sequitur quod nulla realitas erit communis, vel si aliqua sit communis alia ab illa propria humanitate, tunc vnus homo erit duo homines, vt prius. Tum 3. quia per eandem rationem, qua ponitur natura communis specifica, sic etiam poni debebit generica, vnde tot, quod tamen est falsum, quia sic essent multæ substantiæ distinctæ in vna substantia, impossibile autem est vnam substantiam ex pluribus substantijs per se constitui. Tum 4. vel illa realitas communis v. gr. humanitas in prædicatur identicè, & formaliter de inferioribus Sorte, scilicet, & Platone, quod verum sit dicere, hæc humanitas est Sortes, & è conuerso, aut non; si primum tunc vna res prædicaretur identicè de pluribus realiter differentibus, & esset quasi vna res communis pluribus realiter, sicut est in diuinis; si secundum, tunc cognoscendo humanitatem nihil omninò cognosceretur de Sorte, quia aliud omninò est. Tum demum, quia si natura est sic communis, tunc quando Sortes generat Platonem, vel non generaret totum Platonem, vel idem generaret se, nisi dicatur, quod generatio non est aliud, quam communicatio essentiæ per transmutationem in alio, sicut dicimus de essentia in diuinis.

Deindè in corpore articuli probat opinionem Scoti esse opinionem Platonis, quia inquit non fuisse opinionem Platonis, vt *passim* ei tribuitur, quod Ideæ essent separatæ à singularibus loc., & subiecto, sed erant separatæ separatione reali, quia erant realiter aliud ab indiuiduis, quibus erant communes, & erant omninò ingenerabiles, & incorruptibiles, & istæ, & illæ erant homines, & sic de indiuiduis aliarum specierum, & hunc intellectum tangit Philosophus 7. Met. qui dicit, quod apud illos generatio fiebat per ingressum, & egressum, itaquod mens Platonicorum erat, quod Idea erat realitas intra indiuiduum, sed tamen extrà, non per separationem localem, sed entitatiuam, quia erat realiter distincta ab indiuiduo, & realitas istius Ideæ communis fiebat hæc, & illa particularis per materiam contrahentem, & hoc modo Callias, & Sortes non differunt, nisi per materiam, & in hoc sensu arguit Arist. contra illam opinionem 7. Met.

90 Respondeo hæc argumenta militare contrà communitatem naturæ per inexistentiam, vt patebit quæst. seq. quasi vna, & eadem entitas sit adæquatè in pluribus, cum aliqua vnitate, quæ sit minor numerali, non autem contrà communitatem naturæ per indifferentiam, nam sic opinantes multiplicant naturam in indiuiduis cum sua vnitate formali, vt infrà dicemus, & hoc fatetur etiam ipse Aureol. cit. art. 2. quia ergo nos quoque tenemus naturam esse pluribus communem solum per indifferentiam, quatenus natura quæ est in Petro quantum est ex se poterat etiam esse in Paulo, hinc primum argumentum nos minimè premit, nam Petro destructo destruitur quidem eius realitas tam communis, quam particularis, nec aliquid entitatis eius adhuc superstes manet in Paulo, quia natura eius erat communis Paulo per indifferentiam solùm, non verò per inexistentiam, quasi natura Petri, & natura Pauli sint vna, & eadem entitas. Ad 2. respondetur, vt ibi, ex dictis n. 70. ad replicam dico posse appropriationem naturæ iam factam extrinsecè, adhuc intrinsecè remanere communem; non quidem per inexistentiam, quasi vna, & eadem natura sit in pluribus indiuiduis, sed per indifferentiam, quatenus licet alia sit natura Petri à natura Pauli, tamen quæ Petrum constituit ita benè poterat constituere Paulum, & è contra, & ideò non sequitur Petrum, & Paulum distingui præcisè hypostaticè, vt personas in diuinis, cum vnitate naturæ, quia non est vna natura in Petro, & Paulo, sed alia, & alia; benè tamen verum est, quod licet natura Petri, & Pauli non sint vna, & eadem entitas, sed diuersæ, tamen illa indiuidua non distinguunt per se sumptę; & ab hæcceitatibus præcisæ, tum quia sic ab existentia præscindunt, atque ideò diuersitatem realem indiuiduorum fundare nequeunt quia hæc petit extrema existentia vnaquodque per propriam existentiam; tum quia cum sint realitates communes per indifferentiam, sunt rationes potius assimilandi indiuidua sub eadem specie, non verò discernendi vnum ab alio, sed hoc est munus hæcceitatum, vt dictum est supra num. 59. & seq.

91 Ad 3. conceditur totum, cum enim tam conceptus generici, quam specifici sint prædicamentales, fundatur quilibet in vna realitate communi, quæ habet propriam vnitatem formalem, cum hoc solùm discrimine, quod vnitas formalis naturæ genericæ minor adhuc erit vnitate specifica, vt potè quæ magis recedit ab vnitate omnium maxima, quæ est numeralis; nec inconuenit in vna numero substantia plures superiores includi inter se etiam discretas non quidem numero, quia omnes per eandem hæcceitatem indiuiduantur, sed distinctione formali, quæ nata est inter solas verlari formaliter tes, & benè potest vna per se substantia constitui ex pluribus quarum

quarum vna fit per se actus, & alia per se potentia metaphysicè, sicut physicè constituitur vnum per se compositum ex materia, & forma, quia vnum est per se actus, & aliud per se potentia. Dices id videri contrà Doctorem 2.d.3. quæst.1. §. *contra istud*, nam ibi in secunda ratione vult atem formalem, quæ est minor numerali, & in qua fundatur naturæ communitas, soli speciei attribuere videtur, non autem generi. Resp. non solùm in illa secunda ratione, sed etiam in alijs ferè omnibus loqui de vnitate formali naturæ specificæ, quia hæc est manifestior, & numerali proximior, non autem quia natura quoque generica sam non habeat proportionatam formalem vnitatem, & communitatem ex natura rei, cum eadem ratio militet vtrobique, & de omnibus gradibus prædicamentalibus. Ad 4. humanitas, vt ad Sortem contracta, non nisi de Sorte prædicari potest formaliter, & essentialiter, quia in ipso quidditatiuè includitur, & de Sorteitate identicè tantùm, quatenus identificatur realiter illi, non tamen in ea quidditatiuè includitur, quoniam contrahibile nunquam sic includitur in contrahente, sed in communi constituto ex vtroque. Quia tamen adhuc humanitas Sortis est intrinsecè communis per indifferentiam, potentiam quandam habet remotam, vt possit quoque de alijs indiuiduis prædicari, si per intellectum à Sorteitate præscindatur, ac illi tribuatur indifferentia positiua merito cuius potest de omnibus, & singulis prædicari per modum vniuersalis prædicatione dicente, hoc est hoc, vt dictum est disp.4.log.q.2.art.3. explicando naturam vniuersalis, & sic patet quomodo ex hoc non admittitur vna res communis pluribus, sicut est in diuinis. Ad quintum procedit similiter contrà communitatem naturæ per inexistentiam, non autem per indifferentiam, nam secundum hanc positionem benè stat, & intelligitur, quomodo Sortes totum Platonem generet, & non seipsum, quia non est vna, & eadem natura in Sorte, & Platone realiter, ac entitatiuè, sed solum per indifferentiam, quatenus natura constitutiua vnius poterat quantum est de se etiam aliud constituere disiunctim.

Ad illud de opinione Platonis, satis de mente illius dictum est q. 2. & talis sit eius sententia, prout illi imponitur ab Arist. secundum communiorem Peripat. sententiam; sed si etiam talis fuerit, qualem refert Aureol. adhuc falsum est cum ea coincidere nostram sententiam de communitate naturæ, quod ex multis capitibus ostendi potest, cum Plato ex relatione Aureol. ponebat naturam ab indiuiduis realiter distinctam Scotus autem ponit eam realiter identificatam, vt dictum est quæst.2. & solum formaliter distinctam, vt constat ex quæst.3. Plato eam posuit ingenerabilem, & incorruptibilem, Scotus verò generabilem, & corruptibilem saltim mediatè, & remotè, vt expressè docet 3.d.22.q.vn.H. tandem Plato ponebat naturam communem per inexistentiam, Scotus verò ponit eam communem per indifferentiam tantùm, vt constabit q. seq. ex quo patet magnum adhuc interesse discrimen inter opinionem Scoti, & Platonis, etiamsi talis fuerit, sicut eam refert Aureolus, nec ipsum satis percepisse mentem Doctoris nostri in hac materia.

82 Secundò idem Aureol. cit. art. 2. probat naturam nec esse communem per indifferentiam, licet ingenuè fateatur hunc modum tuendi communitatem naturæ esse valdè pulchrum, & subtilem, & ceteris præstantiorem; primò quia etiamsi ponatur communis tantùm per indifferentiam, adhuc sequitur, quod Sortes, & Plato non differunt quidditatiuè, & realiter, sed per solas proprietates hypostaticas, vt personæ diuinæ, probatur consequentia, quia adhuc secundum hanc viam est vna natura in Sorte, & Platone, ergo non differunt in natura, sed tantùm *in personis*, vt euenit in diuinis. Deindè omnem realitatem indifferentem ad plura potest Deus transferre ab vno eorum in aliud, vt patet de materia prima respectu formarum; si ergo natura est de se ad plures hæceitates indifferens, poterit saltim à Deo transferri de vna in aliam. Si dicas id fieri non posse, quia natura identificatur cum hæceitate, sub qua iam est producta, & pro tanto dicitur ad eam indifferens, quatenus eam non includit in sua formali ratione. Contra, quæritur per quid humanitas Sortis sibi appropriat Sorteitatem, non ex se, quia de se ponitur indifferens, ergo per aliquod additum, quod tollit ab ea indifferentiam, & sic per illud additum ante aduentum Sorteitatis natura erit indiuidua. Item in eodem genere sunt actus, & potentia, ergo in eodem genere debet poni vnitas potentialis ad recipiendum actum, in quo est potentia ad illum actum, sed potentia ad plurificari, qua humanitas dicitur possibilis concipi vniuersalis non est in re, sed tantùm in intellectu; ergo humanitas, vt indifferens hoc est, vt possibilis est plurificari, non est in re, sed tantùm in intellectu. Demum omne quod est vnum numero est ex Boetio, ergo omnis entitas eo ipso, quod est extrà intellectum est singularis de se, nec debet quæri alia causa suæ singularitatis.

93 Resp. negando consequentiam cum probatione, quia secundum hanc viam est quidem vna natura in Sorte, & Platone non per inexistentiam, sed per indifferentiam tantum, vndè absolutè loquendo alia est natura in Sorte, & alia in Platone, & ideò longè diuersa est communitas naturæ creatæ indiuiduis à communitate diuinæ naturæ tribus diuinis suppositis, quia illa communicatur ipsis per sui diuisionem, & multiplicationem, non sic natura diuina, quæ est eadem numero in tribus. Ad 2. Canonicus 1. Phys. qu.6. art.1. in fine & Tromb. 7. Met. q.8. in fine dicunt illud assumptum non esse vniuersaliter, & absolutè verum, sed tantùm quibusdam seruatis conditionibus, quarum prima est, quod illud, quod est ens mutabile, sit singulare, cum motus, & operatio dicantur esse singularium ex 1. Metaph. Secunda est, quod illa secundum quæ fit transmutatio, non sint compossibilia, lac enim est indeterminatum ad albedinem, & dulcedinem, & tamen non realiter transmutatur ab vno in reliquum, qui ambo simul sunt compossibilia, tertia est, quod illud quod est indifferens, & transmutabile non necessariò determinet sibi aliquod vnum illorum, nam si aliquod sibi necessariò determinat, non transmutabitur ab vno in reliquum; vltima conditio est, quod ex ipso indifferenti, & illo ad quod est indifferens, non fiat aliquod vnum identicè, & realiter. Ex quo sequitur, quod cum natura indifferens ad singularia non sit quoddam singulare existens, estò existat in singularibus, & cum ipsa singularia sint compossibilia in eadem natura, & vltimò cum ex natura, & singularitate fiat aliquod vnum identicè, & realiter non sequitur ipsam, scilicet naturam posse realiter transmutari ab vno in reliquum. Hæc tamen solutio non placet, nam omnes conditiones, quę adducuntur pro veritate illius propositionis videntur principium petere, & instantiam in proposito adducere, vel saltim naturæ non deficere; cum enim dicitur primam conditionem deficere naturæ, quia ipsa non est singularis de se, sed vniuersalis, & communis, hìc petitur principium, quia id est quod controuertitur, & intendit argumentum concludere, secunda conditio non videtur naturæ deficere, quia plures singularitates non afficiunt vnam naturam, nam ipsa est indifferens ad omnes disiunctim, non coniunctim, & ideò non sunt simul compossibiles cum ea; tertia quoque vel conuenit naturæ, vel nil obstat veritati propositionis, nam si aliquam differentiam ex se necessariò sibi natura determinat, iam de se non erit indifferens, quod si nullam signarè sibi determinat, sed tantùm aliquam vagè, hoc non obstat quin possit natura de vna mutari in aliam, sic enim materia quoque aliquam formam vagè sibi necessariò determinat, sed quia nullam signatè, ideò de vna in aliam transmutari potest; vltima demum palam principium petit, ex hoc enim quod natura est indifferens ad singularitatem prætendit argumentum probare non posse ex ipsa, & differentia fieri vnum identicè, & realiter, siue non posse cum differentia identificari, alioquin non esset ad eam indifferens, cum indifferentia directè opponatur tali identitati.

94 Potius ergò ex alijs instantijs extrà propositum ostendi debet assumptum ab Aureolo non esse vniuersaliter verum, futuram namque contingentia intrinsecè indifferentia sunt ad vtramque contradictionis partem, & solùm extrinsecè determinata ad alteram à diuina voluntate, & tamen ob hanc determinationem extrinsecam non possunt transire ad alteram partem contradictionis, imò in opinione probabili multorum veritas futurorum est cum ipsis realiter identificata, estò intrinsecè sint indifferentia ad vtramque partem; sic etiam diuina voluntas, vt notat Doctor 1.d.39.G. & I. est indifferens ad oppositа obiecta pro quacunque certa tempori differentia, & tamen ipsa non potest modò transire supra vnum, modò supra aliud ob eius immutabilitatem, imò postquam transisse intelligitur supra vnam partem contradictionis v.g. quod mundus sit futurus, non obstante intrinseca eius indifferentia ad oppositum secundum omnes Theologos decretum de mundi existentia cum entitate necessaria diuinæ voluntatis, vel volitionis realiter identificatur; sic igitur in proposito admitti potest & debet natura communis ita passiuè indifferens ad indiuiduationes, vt quando producta est sub ista, quam de facto habet, potuerit pariter in illo priori æquè benè produci cum alia, nec adhuc ex tali indifferentia deducere liceat realem distinctionem naturæ à differentia, & liberum transitum ab vna in aliam, tum quia talis transitus omninò impeditur ab vnione earum, quæ fit per realem identitatem, tum quia talis indifferentia naturæ ad indiuiduationes non est physica, & subiectiua, qualis est indifferentia materiæ ad formas, sed metaphysica, & obiectiua modo iam explicato n.36. & 37. rursus n.74. & 75. Cum autem Aureol. contrà hanc solutionem replicat quærens per quid humanitas Sortis sibi Sorteitatem appropriet, iam sufficienter huic quæsito satisfactum est supra n.69.

Ad 3. assumptum negatur à Scoto 2.d.16.quæst.vn. §. *rationes istæ*, & alibi frequenter, quia accidens immediatè in substantia recipitur; sed quicquid sit de illo assumpto, negatur modò subillata minor, nempe quod potentia naturæ ad plurificari sit tantùm in intellectu, & non in re, si sermo sit de potentia remota, conceditur tamen de potentia proxima, & sic sequitur tantùm naturam non habere in re indifferentiam positiuam, per quam dicitur vniuersalis, sed tantùm in intellectu, quod tamen non obstat, quin adhuc habeat in re indifferentiam negatiuam. Ad 4. dicitur ex Scot. 2.d.3.q.6.lit.E. omne quod existit in rerum natura esse vnum numero, & singulare, vel intrinsecè, & essentialiter, vt omnia indiuidua, vel extrinsecè, & denominatiuè, vt naturæ communes in ipsis inclusæ, quæ denominantur singulares, quia sunt per singularitatem contractæ, eo modo quo corpus pro altera parte compositi dicitur animatum, non quidem intrinsecè, & essentialiter, sic enim homo solùm dicitur animatus, quia essentialiter animam includit, sed extrinsecè, & denominatiuè, quia est cum anima coniunctum, & ab ipsa informatum; de quo vide dicta disp.4.log.q.1.art.1. ad 1. princ. soluendo rationes pro Heraclito, & Cratillo.

95 Tertiò, arguit Rubion. 2.d.3. qu.3. quia si humanitas est aliquid existens in Sorte, & Platone, in quo à parte rei conueniant, aut est vna numero in vtroque vel vna in vno, & alia in alio; non primum, quia hoc tantum conuenit diuinæ essentiæ si secundum, non plus indiuidua conueniunt in aliqua humanitate existentie in re extrà, quam conuenientia in aliqua cuiuslibet eorũ propria differentia indiuiduali.

Tum 2. quia Sortes, & Plato sunt plures homines, ergo plures habent humanitates realiter differentes, sed plures humanitates distinctæ realiter nequeunt esse vna communis humanitas. Tum 3. humanitas Sortis est vna numero, ergo non de se communis. Neq; dicas esse vnam numero tantum extrinsecè per hæcceitatem sibi coniunctam; quia nihil est vnum numero per illud, à quo distinguitur numero, sed humanitas Sortis numero distinguitur à sua differentia indiuiduali, si sunt duo distincta in re extra, quodlibet enim duorum distinguitur numero ab alio. Tum 4. omne realiter productum est numero vnum, & à quacunque alia re distinctum, sed si Sortes est aliquid ex hæcceitate, & natura constitutum, tam Sorteitas, quam humanitas ipsa est productum aliquid in re extrà, nullum enim productum, quale est indiuiduum, est nisi ex rebus realiter productis constitutum, ergo &c. Tum 5. diuina natura est vna res communis pluribus suppositis inter se realiter distinctis ob suam infinitatem; ergo natura creata ob suam finitatem non potest sic esse communis pluribus. Tum tandem, quia Sortes non magis differt a Platone per differentiam indiuidualem, quam per humanitatem, quia quodlibet distinctum ab alio equaliter distinguitur ab eo per ea, quæ equaliter sunt sibi propria, & alteri, à quo distinguitur, repugnantia, sed Sorti equè propria est sua humanitas, sicut eius indiuidualis differentia, nec Platoni magis conuenit, nec conuenire potest sua humanitas, quam sua indiuidualis differentia, ergo &c.

96 Resp. concedendo secundum membrum, & negando consequentiam indè deductam, quia hæcceitas v. g. Sorteitas est ita de se propria Sortis, vt nullatenus possit conuenire Platoni, & ideò est ratio per se distinctiua indiuidualiter vnius ab alio, at humanitas non ita, quia quantum est ex se ita est indifferens ad constituendum Sortē, sicut Platonem, & ideo nequit esse ratio distinctiua vnius ab alio, sed tantum assimilatiua, vnde similitudo, quæ inter Sortem, & Platonem reperitur, fundatur in tali vnitate naturæ, quæ non est vnitas per inexistentiam, sed per indifferentiam. Ad 2. concedo Sortem, & Platonem habere plures humanitates realiter differentes, verum tamen est illas non fundare inter se realem distinctionem, nisi vt coniunctas suis hæcceitatibus, & quia humanitas Sortis ita, Sortem constituit, vt quantum est de se posset æquè constituere Platonem, hoc pacto dicuntur habere humanitatem communem, idest ejusdem rationis, cōmunem, inquam, per indifferentiam, non per inexistentiam; & in eodem sensu dicitur vna communis humanitas amborum, cum quo benè stat adhuc, quod alia sit realiter, ac entitatiuè natura Sortis, & alia Platonis. Ad 3. respondetur vt ibi, ad impugnationem negatur humanitatem Sortis, numero distingui ab hæcceitate, quia ratio superior cum inferiori non ponit numerum, cum omnes, & singulæ per eandem indiuiduentur hæcceitatē, neq; propriè dici possunt duo, vel duæ res, sed vna, & ad summum dicentur duæ formalitates, qui numerus est transcendentalis, non prædicamentalis. Ad 4. omne realiter productum est vnum numero eo modo, quo productionem terminat; si terminat illam immediatè formaliter, & in seipso, est singulare, & vnum numero intrinsecè, & essentialiter, vt Sortes; si verò illam mediatè tantum, & concomitanter terminat, & per identitatem cum eo quod per se primò terminat, est singulare, & vnum numero extrinsecè tantum, & denominatiuè, & quia gradus omnes metaphysici, scilicet substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis ita producuntur in Sorte, vt docet Doctor 3. d. 22. q. vn. G. hoc secundo modo tantùm singulares dicuntur. Dices, quod concomitanter tantùm dicit produci, quatenus est idem cum eo, quod per se primò, & immediatè producitur, vel intimè attingitur ab actione producentis, vel non; si primum, ergo re vera est res singularis in seipsa formaliter, quia seipsa est terminus actionis singularis; si secundum, nihil erit, vel aliquid improductum. Resp. concedendo intimè attingi, & negando cōsequentiam indè illatam, ad probationem dico, quod si per ly *seipsa* intelligis immediatè, & se sola, negatur vllum gradum metaphysicum, aut formalitatem sic seipsa produci, quia non se sola, & formaliter terminat actionem agentis, cum non habeat propriam existentiā, sed solùm concomitantèr, & quatenus identificatur cum eo, cuius existentia existit. Ad 5. probat solùm in creatis non posse naturam esse pluribus communem per inexistentiam, & præsertim cum vnitate numerali, quia hoc est speciale priuilegium diuinæ naturæ. Ad vlt. negatur assumptum, ad probationem concessa maiori, negatur minor, quia Sorti magis propria est Sorteitas, quam humanitas, quia Sorteitas est ei propria de se, ac essentialiter, itaut repugnet illi intrinsecè esse posse alterius, sed humanitas est ei propria tantùm extrinsecè, & ob identitatem realem cum Sorteitate, alioquin secundum se, & ex principijs essentialibus, ita potest conuenire Platoni, vt modò cōuenit Sorti, & ideo nequit esse ratio illorū distinctiua, sed tantū assimilatiua.

94 Quartò, arguitur ex Caiet. nullum particulare potest esse commune, quia esse particulare dicit esse proprium, at commune dicit esse non proprium; sed omne existens extrà animā est particulare, ergo nō potest esse cōmune. Tum 2. vt aliquid sit commune in creaturis debet esse denudatum à principijs indiuidualibus, sed nullum tale dari potest extrà animam, sed solum in intellectu, dum naturam præcindit à differentijs, ergo &c. Tum 3. vnaquæq; natura ita est ad hoc indiuiduum determinata, vt non habeat aptitudinem ad essendum in alio, ergo &c. Probatur assumptum, quia nulla potentia, & aptitudo datur ad id, quod repugnat, sed repugnat, vt quod est in me realiter, & essentialiter, possit quo ; esse in alio siue coniunctim, siue disiunctim, ergo &c. Tum tandem, quia omne quod prædicatur de natura essentialiter, prædicatur quoq; & conuenit indiuiduis illius naturæ per primam reg. communitas conuenit essentialiter naturæ, conuenit etiam indiuiduis, & de illis prædicabitur.

Resp. idem esse posse particulare, & cōmune secundum diuersas rationes, & sic est de natura, quod intrinsecè, & ex suis principijs est cōmunis, sed extrinsecè, & per differentiā additam fit particularis, & ad hoc vt aliquid existat in rerum natura, & extrà causas sufficit, vt sit vno, vel alio modo particulare. Dices, cui conuenit vnum oppositorum, reliquum cōuenire non potest, ergo nequit natura à parte rei esse simul cōmunis, & particularis, quia hęc opponuntur. Resp. hæc opponi, si eodem modo sumantur, non diuerso, oppositio nanq; attendi debet circa idem, respectu eiusdem, ac eodem modo, quod non euenit in proposito de natura, quia est cōmunis intrinsecè, & per se, singularis verò extrinsecè, & per accidens. Instabis adhuc, quando vnum oppositorum per se, & essentialiter competit alicui, oppositum aliud nec per se, nec per accidens illi competere potest, quia enim homo est rationalis, & risibilis per se, non potest esse per accidens irrationalis, & irrisibilis, ergo si natura per se cōmunis est, non potest esse singularis per accidens, & extrinsecè. Resp. ex Scot. q. 4. prolog. 10, concedendo assumptum de oppositis verè, & absolutè, non de oppositis tantùm secundum quid, sicut homini simpliciter nigro, & secundum totum, opponitur simpliciter album, & secundum totum, opponitur verò secundum quid album secundum dentes; & licet primum oppositum sibi repugnet, non tamen secundum, sed potest illi conuenire per accidens; sic in proposito cōmune per se, & intrinsecè opponitur singulari eodem modo sumpto, non autem singulari extrinsecè tantùm, & per accidens, quia ergo natura per se, & intrinsecè communis est, ideò eodem modo nequit esse singularis nec per se, nec per accidens, quod tamen non obstat, ne saltim esse possit singularis extrinsecè, & denominatiuè, quia hoc opponitur illi non simpliciter, sed secundum quid. Ad 2. denudatio naturæ ab hæcceitatibus sumi potest dupliciter, vel vt dicit separationem ab illis, & ponit solitudinem in natura, vel vt dicit solam distinctionem formalem ab eis, seu exclusionem earum à suo conceptu formali; si primo modo sumatur, vera quidem est minor, maior verò verificatur tantùm de communitate positiua, quæ conuenit naturæ per opus intellectus, non autem de cōmunitate negatiua, quia hęc non competit naturæ ratione solitudinis, vt suprà dixi, sed ratione suæ essentiæ, & essentialis cōditionis, vndè cum essentiā suam existens in singularibus non amittat, neq; etiam amittit communitatem negatiuam; si verò denudatio sumatur secundo modo, scilicet pro exclusione differentiarum ab essentia naturæ, vera est maior absolutè loquendo, sed falsa minor, quia inter naturam, & singularitatem datur præcisio ex natura rei, quatenus hæc re vera non inuoluitur in essentia illius, & non per intellectum tantùm.

98 Ad 3. negatur assumptum, si fiat sermo de aptitudine remota, licet concedatur de proxima, ad cuius probationem concedo maiorē, cum repugnantia prouenit ab intrinseco, nego cum venit ab extrinseco, vt contingit in proposito, nam talis repugnantia prouenit à differentia indiuiduali, non à ratione formali naturæ. Dices, ergo saltim per potentiam Dei absolutam poterit natura esse sine differentia indiuiduali, quia potest supplere omnem repugnantiam ab extrinseco prouenientem. Resp. posse supplere, non tamen in hoc sensu, quod cum semel habuit differentiam indiuidualem, possit per Dei potentiā denceps illam amittere, & aliam acquitere, sicut nec facere potest, quod propositio contingens iam determinata ad vnam partem, transeat deindè ad aliam, etiamsi repugnantia huius transitus sit solùm ab extrinseco; sed sicut dicitur supplere posse, quod Antichristus non sit futurus, quatenus sicut ab æterno decreuit esse futurum, ita potuit oppositum decernere, sic potest supplere hanc repugnantiam extrinsecam naturæ, quia in eodem instanti, quo fuit à generante producta, & coniuncta cum hac indiuiduali differentia, poterat equè bene, quantum est de se sub alia produci, & cum alia coniungi modo explicato n. 74. & 75. Ad vlt. Faber. theor. 93. cap. 3. ait argumentum peccare per fallaciam, quia fit transitus à prædicatis primæ intentionis ad prædicata secundæ intentionis, putat enim quod cōmunitas naturæ sit prædicatum secundæ intentionis, & propositio assumpta verificatur solum de prædicatis primæ intentionis. Verùm error huius solutionis indè procedit, quia hic Auctor confundit sæpè loc. cit. vniuersalitatem cum communitate, & è contrà, quod fieri non debet; nam vniuersalitas est quidem prædicatum secundæ intentionis, quæ naturæ conuenit à parte rei, sed tantùm per intellectum, sed non hic communitas, vt notat Doctor 2. d. 3. qu. 1. præsertim in fine, nam hæc conuenit naturæ præter quodcunq; opus intellectus, sicut & vnitas minor numerali super quam fundatur, natura enim communis sicut est à parte rei, sic habet propriam vnitatem, & communitatem nullo intellectu considerante, & propterea vnitas, & communitas, de quibus hic loquimur, sunt prędicata primæ intentionis.

Aliter ergò dicendum ex dictis disp. 6. log. q. 4. in declaratione illius regulæ anteprædic. ex Scot. 1. d. 4. quæst. 2. prædicata, vel attributa alicuius naturæ duplicis esse generis, quędam ipsi competunt, vt supponit simpliciter pro suo, scilicet immediato significato præcisè sumpto, & ipsi conueniunt, vt distinguitur ab inferioribus suis; quędam verò illi competunt, prout supponit absolutè, vel personaliter, & hæc prædicata non ponunt differentiam inter naturam, & suppositum;

cum; illa ergo propositio, & regula anteprædicamentalis vera est de prædicatis, quæ competunt naturæ supponenti absolutè, vel personaliter, non autem supponenti simpliciter, communitas autem est prædicatum primi generis, non secundi. Dices, vnitas formalis propria naturæ dicitur etiam de indiuiduis, verum enim est dicere, quod Petrus est formaliter vnus, ergo etiam communitas. Negatur paritas, quia communitas est attributum primi generis, at vnitas formalis est attributum secundi generis. Instabis iterum, si vnitas formalis naturæ potest de supposito enunciari, ergo etiam communitas. Resp. vnitatem formalem bifariam considerari posse, vel quatenus est indiuiso quædam per essentiales differentias; & quatenus communis est, ac minor vnitate numerali; primo modo potest etiam dici de supposito, quia vt sic non est prædicatum ponens differentiam inter naturam, & suppositum, at secundo modo minimè, quia sic est prædicatum ponens talem differentiam, & ideò negatur consequentia.

99 Quintò, arguit Ouuied. controuers. 3. log. punct. 2. & 3. vbi non est distinctio à parte rei nec etiam potest esse contractio, ac indifferentia, nil enim ad seipsum contrahitur, neq; ad seipsum est indifferens, sed natura nullo pacto à parte rei secernitur à differentia indiuiduali cum qua est coniuncta, ergo, &c. Tum 2. admissa etiam distinctione formali inter illa, adhuc tamen identificantur realiter, sed sic identificata neq; de potentia Dei possunt separari, ergo nullus potest assignari status, in quo natura Petri talem habeat indifferentiam ad Petreitatem, vt possit ab ea separari, & per consequens nullus; in quo possit contrahi. Tum 3. quia admissi tali indifferentia adhuc non posset natura ad plura indiuidua coniunctim contrahi, sed tantùm disiunctim; ergo adhuc entitas illa per plures hæcceitates contrahibilis sub disiunctione à parte rei non esset vniuersalis. Tum 4. hæc cõmunitas non conuenit differentiæ indiuiduali Petri; ergo neque naturæ cum ipsa identificatæ, consequentia patet, implicat enim aliquod prædicatum conuenire alicui formalitati, & non alteri cum ipsa identificatæ, alioquin de eadem re contradictoria verificarentur. Tum 5. ante operationem intellectus non datur natura non singularis neque negatiuè, neq; præcisiuè, ergo neque datur communis negatiuè; probatur assumptum, quod nequeat dari natura non singularis negatiuè, vel priuatiuè, quia nihil intelligi potest carens illo, cum quo est identificatum; sed quod neq; præcisiuè ex eo ostenditur, quia in his, quæ realiter identificantur, non nisi intellectus beneficio potest reperiri precisio. Tum tandem, quia cõtradictio in his terminis reperitur, natura ante operationem intellectus non est singularis ex se, sed ratione differentiarũ, cum quibus identificatur, quia ante operationẽ intellectus nihil magis ex se potest conuenire rei, quam illud quod conuenit ratione formalitatis, cum qua est identificata, seu quæ est idem cum ipsa, quid enim magis realiter, & physicè potest conuenire entitati, quam illud, quod physicè, & realiter per seipsum illi competit?

100 Respond. negando minorem, vt satis constat ex quæst. præc. Ad 2. fateor nullum dari statum, in quo possit natura separari à differentia, cum qua semel est producta, quia tamen in statu possibilitatis non respicit determinatè singularitatem hanc vel illam, sed vnam vagè, vt etiam Complut. fatentur disp. 3. log. q. 5. num. 46. in eo statu maximè elucet eius indifferentia modo suprà explicato nu. 36. & 37. & rursus n. 74. & 75. vbi etiam quandam replicam Ouuied. contrà hãc solutionem excludo 3; deindè cum hæc indifferentia naturæ ad singularitates non sit physica, & subiectiua, sed tantùm obiectiua, & metaphysica, opus non est eam explicare per possibilitatem separationis naturæ à differentia, sed sufficit si explicetur per exclusionem differentiæ, conceptu quidditatiuo naturæ, vt scilicet dicatur indifferens etiã ad hæcceitatem, cum qua est producta, quatenus eam non includit in sua formali ratione; in quo sensu adhuc magis liquet quomodo etiam in statu contractionis suam retineat indifferentiam saltim negatiuam; & contrà similes argumentationes, quas magno feruore solent in hac materia Aduersarij vrgere, debent afferri instantiæ allatæ suprà num. 94. de indifferentia futurorum contingentium, quam adhuc ipsa retinent etiam post determinationem diuinæ voluntatis, & pariter de indifferentia diuinæ voluntatis, quam retinet cum identitate diuinorum decretorum. Ad 3. concedo totum, non enim ait Scotus dari naturam vniuersalem à parte rei, sed communem negatiuè, quia ad hanc sufficit indifferentia negatiua, & aptitudo remota, vt possit esse in pluribus disiunctim; ad vniuersalitatem verò requiritur in natura indifferentia positiua, & aptitudo proxima, vt possit esse in pluribus coniunctim, quam vtique indifferentiam nequit natura habere, nisi per opus intellectus. Ad 4. negatur consequentia cum eius probatione, quia de eadem re ob solam formalitatum diuersitatem à parte rei possunt prædicata contradictoria enunciari absque contradictione; quomodo autem hoc sit possibile, & quænam sint huiusmodi prædicata contradictoria declaratum est suprà disp. 6. nu. 227. & 240. & 310. & rursus in hac ipsa disp. num. 33. vbi hoc argumentum de contradictoria solutum est, quod etiam affertur à Rubion. loc. cit. Dices, ergo ex contradictione nunquam inferre possemus distinctionem realem inter aliqua duo, quia diceretur sufficere distinctionem formalem ex natura rei pro euitanda contradictione. Negatur consequentia, tunc enim contradictio infert etiam realem distinctionem propriè dictam, quando aliquid verificatur simpliciter de vno, quod de alio realiter verificari non potest, sicut existentia verificatur de Paulo realiter, sed non verificatur vllo modo de Petro iam defuncto, talis, inquam, contradictio infert distinctionem realem inter illa, de quibus verificatur; quando autem vnum contradictorium verificatur de vno extremo, vt ex natura rei distinguitur ab alio, cum quo est realiter idem, tunc non repugnat alteri extremo realiter, sed tantum formaliter, sicut realiter est verum dicere, quod intellectus vult, voluntas intelligit, & sensus est, quod est eadem res, quæ intelligit, & vult, non tamen est verum formaliter, quia non fit hoc per eandem formalitatem.

101 Ad 5. negatur assumptum cum eius probatione quoad vtramque partem, quamuis enim ante operationem intellectus non detur natura non singularis simpliciter & absolutè loquendo nec negatiuè, nec præcisiuè, datur tamen non de se singularis, non de se hæc, quod est esse negatiuè commune, quatenus in sua ratione formali non includit singularitatem; vnde ad 1. probationem dico adhoc vt detur à parte rei natura sic communis, minimè opus est, vt intelligatur carens singularitate, quia id esset diuidere, non præscindere, sed sufficit, quod etto cognoscatur esse singularem à parte rei, intelligatur tamen non esse de se singularem, & ex principijs eius intrinsecis, sed extrinsecè merito differentiæ superadditæ; ad aliam probationem negatur in his quæ realiter identificantur, dari tantùm præcisionem per opus intellectus, quandoquidem cum iuxtà principia nostra possint quæ realiter identificãtur adhuc distingui ex natura rei formaliter ob pluralitatem formalitatum in ea re imbibitarum, dari possunt inter illas præcisiones obiectiuæ ex natura rei iuxtà dicta disp. 6. q. 16. Ad vlt. negatur contradictionem reperiri in his terminis, natura ante operationem intellectus non est singularis ex se, sed ratione differentiarum, cum quibus identificatur, nam vt ipse Ouuied. benè præuidit responsum iuxtà principia nostra, magis ex se formalitati conuenit, quod ratione eiusdem formalitatis conuenit, quam id quod ei conuenit ratione alius formalitatis, cum qua identificatur, vt v.g. magis conuenit intellectui esse principium intellectionis, quod sibi conuenit ratione suæmet formalitatis, quam esse principium volendi, quod ei cõuenit ratione voluntatis, quæ est formalitas cum ipso intellectu identificata realiter; item magis conuenit animali identificato cum rationali esse principium sentiendi, quod conuenit ratione eiusdem formalitatis animalis, quam esse principium ratiocinandi, quod illi conuenit non ratione formalitatis animalis, sed ratione formalitatis rationalis, quæ identificatur cum formalitate animalis.

102 Præuidit Ouuied. hanc solutionem, & ait hanc doctrinam nos fefelliſſe, & esse causam nostræ deceptionis, nam in re physicè eadem ante operationem intellectus non est hæc, & illa formalitas, quia has tantùm intellectus acies partitur in obiecto physicè, & realiter impartibili, & omnino simplici, ergo ante operationem intellectus non potest aliquid alicui entitati conuenire ratione vnius formalitatis, & non ratione alterius cum ea identificatæ, cum ante operationem intellectus non sit vna formalitas, & altera, sed simplex quedã, & indiuisibilis entitas, ratione cuius conueniunt omnia, quæ entitati conueniunt intrinsecè per seipsam. Resp. potius in hoc puncto Aduersarios decipi, quia res creatæ non sunt adeò simplices entitates, vt ipsi opinantur, metaphysicè loquendo, nam in rerum essentijs variæ sunt formalitates à parte rei imbibitæ, quæ sunt varij gradus essentiæ eiusdem rei, qui nec propriam possident existentiam, nec physicam causalitatem terminare possunt, sed omnes, & singuli existunt existentia illius integræ essentiæ, quam constituunt, & cuius sunt gradus essendi, & ad eius productionem consequi intelliguntur sequela quadam, siue emanatione metaphysica, vt ex instituto declaratum est disp. 6. q. 11. art. 1. & disput. 8. q. 6. art. 3. & hoc præsertim necessarium est ad saluãdam realitatem compositionis metaphysicæ, & sic in proposito ante operationem intellectus reperiuntur in Petro natura, & differentia indiuidualis, quæ sunt quidem vna simplex res, ac entitas physica, sed sunt plures realitates metaphysicæ, quarum vna suaptenatura communicabilis est, alia verò ex se incommunicabilis, ex quo fit nullam esse contradictionem in his terminis, vt aiebat arguens, natura ante operationem intellectus non est singularis ex se, sed ratione differentiæ, cum qua identificatur.

Sextò Suarez disp. 6. Met. sec. 4. fusè impugnat hanc naturę communitatem, & aptitudinem ad essendum in multis, à parte rei, eius tamen rationes coincidunt cum argumentis Caiet. & aliorum, & omnes possunt ad hanc reduci; vel enim hæc indifferentia naturæ conuenit illi in statu existentiæ, cum nimirum est producta cum hac singularitate, vel in statu possibilitatis, eo, scilicet quia in eo priori, antequam produceretur ad extra, de se non magis respiciebat vnam hæcceitatem, quam aliam, & ideò æquè benè poterat sub vna produci, ac sub alia, quantum erat ex sua ratione formali; Sed primum dici non potest. Tum quia eo ipso, quod natura contrahitur fit hæc, & indiuidua, at in re indiuidua non est talis aptitudo, vel non repugnantia ad essendum in multis etiam disiunctim, sed potius repugnantia opposita; Tum quia fieri nequit, vt contracta amittat indiuiduationem, quã acquirit, & ad aliam transeat, cum talis contractio fiat per realem identitatem, & ideò vt in re existens nec proximam, nec remotam aptitudinem habet, vt sit in alijs; Tum quia contradicunt esse determinatũ ad vnũ, & esse indeterminatũ ad plura, sed vt existens à parte rei est determinata ad vnum; Nec valet responsio Scotistarũ non implicare naturam esse de se indifferentem, determinatam verò per differentiam indiuidualem; Ex hoc enim, inquit Suarez, colligitur solum naturam non habere determinationem sine differentia indiuiduali, quod licet ita sit, nihilominus postquam naturæ adiungitur talis differentia in-

diuidualis, non potest natura sic contracta manere actu indifferens; sed ad summum dici potest, quod si non haberet illam contractionem, esset indifferens, quia tamen de facto nunquam est sine tali contractione, ideò de facto nunquam existit indifferens. Si verò asseratur secundum, scilicet talem indifferentiam, vel aptitudinem ad essendum in multis conuenire naturæ in statu possibilitatis, ex hoc sequitur eam non retinere in statu actualitatis, quia actualitas excludit possibilitatem obiectiuam, vnde adhuc habetur intentum, quod natura in statu existentiæ, seu à parte rei nullam habet communitatem, vel aptitudinem ad essendum in multis, sed omnimodam determinationem, & repugnantiam.

103 Resp. indifferentiam negatiuam conuenire naturæ tam in statu possibilitatis, quam actualis existentiæ, cum enim oriatur ex sua essentia, & hanc quoque retineat in statu existentiæ consequens est, vt etiam retineat suam proprietatem, & solum hoc videtur interuenire discrimen in his statibus, quod sub statu possibilitatis respicere videtur vnam singularitatem vagè, ideſt non magis hanc, quam illam, at in statu existentiæ respicit vnam signatè, quia tamen in neutro statu nullam includit in sua ratione formali, ideo in vtroque statu dicitur in hoc sensu remanere indifferens; negatur ergo ad argumentum in forma naturam non retinere suam indifferentiam negatiuam etiam in statu existentiæ, & ad primam impugnationem dico naturam in statu existentiæ fieri indiuiduam solùm extrinsecè, & per accidens ex aduentu differentiæ, quam non includit in sua ratione formali, & ideò adhuc intrinsecè remanere alijs communicabilem. Ad 2. iam sæpè dictum est, quod cum indifferentia naturæ ad singularitatem, non sit physica, & obiectiua, sed metaphysica, & obiectiua, non debet explicari per possibilitatem separationis ab ea; sed per exclusionem eius à sua ratione formali; ob quam remanet intrinsecè indifferens etiam sub actuali hæcceitate. Ad 3. dicitur, vt ibi, non contradicere, quod natura sit extrinsecè determinata per differentiam, & cum hoc retineat adhuc suam intrinsecam communitatem, quia vt sæpè dictum est, hæc indeterminatio non tollitur à singularitate; quia singularitas non potest tollere, nisi conceptum, cui opponitur, quia hoc fit per formalem repugnantiam, sed determinatio per singularitatem non opponitur indeterminationi per principia essentialia, quia oppositio est eiusdem, & secundum idem, hæc autem non sunt secundum idem, esse determinatum per singularitatem, & esse indeterminatum per principia essentialia. Nec suffragatur, quod ait Suarez, ex hoc colligi solùm naturam non habere determinationem sine differentia indiuiduali, non autem, quod adhuc indifferentiam retineat, postquam illam habet; & ex hoc solùm dici posse, quod si non haberet illam contractionem, esset indifferens, non autem quod adhuc maneat indifferens. Non, inquam, hoc iuuat, quia cum singularitas non opponatur indeterminationi per principia essentialia, vt iebam, non eam aufert, & ideò natura talem indeterminationem adhuc retinet cum determinatione ad singularitatem; alioquin pariter dicendum esset idem de futuro contingenti, quod cum determinatum est à diuina voluntate ad alteram partem, non amplius retineat suam intrinsecam indifferentiam ad vtrumlibet, sed ad summum dici possit, quod si non haberet illam determinationem, esset indifferens, quod tamen concedendum non est, quia tunc futura veram non haberet contingentiam, quæ propriè consistit in illa indifferentia ad vtrumlibet, nec tollitur per determinationem extrinsecam diuinæ voluntatis ad alteram partem, quia vt aiunt logici, determinatio de inesse stat cum indeterminatione de possibili ob intrinsecam indifferentiam futuri contingentis; quæ quidem doctrina ab omnibus Theologis passim recipitur in omni schola, & proposito nostro mirabiliter inseruit ad ostendendum non repugnare hæc duo, quod natura v. gr. humanitas Petri sit determinata per Petreitatem extrinsecè, & adhuc possit quantum est de se esse in alijs ob suam indifferentiam intrinsecam, quia atiam hic suo modo determinatio de inesse stat cum indeterminatione de possibili.

Et quidem Suarez ipse ibid. disp. 6. sec. 4. num. 10. totum hoc apertè concedit, vbi ait quod accipiendo indifferentiam negatiuè; concedi potest naturam etiam à parte rei esse indifferentem, quatenus natura ex vi vnitatis suæ formalis præcisè sumptæ non habet repugnantiam, vt sit in multis, nam talis repugnantia sic explicata fundatur in vnitate formali naturæ, quæ ex se indiuidua non est, & hoc modo dici potest natura etiam in re existens habere hanc non repugnantiam, quia etiam in reipsa non est incommunicabilis ex vi vnitatis formalis suæ, sed ex vi vnitatis indiuidualis, quamquam enim tota natura, & vnitas formalis, quæ est in indiuiduo, incommunicabilis sit, eique repugnet esse in multis, nihilominus id non habet ex vi vnitatis formalis naturæ, sed ex indiuiduatione; ita Suarez cit. quibus verbis volens nolens se subscribit Scoticæ sententiæ de indifferentia naturæ, talem enim indifferentiam duntaxat intendit Scotus attruere in natura à parte rei, quam præfato discursu approbat Suarez, & non maiorem.

104 Septimò, obijcit Morisan. disput. 1. Log. quæst. 7. art. 2. natura secundum se existit à parte rei, & non tantùm eius hæcceitas, quicquid ista sit, ergo natura etiam secundum se habet certam, & determinatam entitatem; sed talis entitas seipsa includit negationes diuisionis in plures, qualis ipsa est, ergo & intrinsecè seipsa nullo superaddito habet singularitatem, ac incommunicabilem vnitatem, neque indiget modo aliquo extrinseco; minor subillata probatur, quia hoc ipso quod natura secundum se existitit, & est determinata entitas, non potest diuidi à seipsa, ergo non potest diuidi in plures, quæ tales sint, qualis ipsa est, alioquin esset simul vna, & plures entitatiuè, quod repugnat.

Respond. vtique naturam à parte rei existere, non tamen existentia, quæ sit ei propria, sed per existentiam indiuidui, quod ex ipso, & hæcceitate constituitur; & cum dicitur secundum se habere certam, & determinatam entitatem, si loquitur de determinatione ad singularitatem nego, si de determinatione quoad certum gradum entis vtcunque concedo, & in eodem sensu concedo minorem subillatam, quia sicut in toto ordine entium obtinet quendam gradum entis, scilicet genericum, vel specificum, ita quoque obtinet vnitatem formalem sibi proportionatam, quæ est semper minor vnitate numerali; sed cum infertur, ergo secundum se incommunicabilis est, distinguo, prout excludit communicabilitatem positiuam, concedo, quia talem habet ab intellectu, prout excludit negatiuam, nego, & ratio negationis est, quia ad hoc, vt aliqua entitas dicatur communis solùm negatiuè, non requiritur, quod sit diuisibilis in plures, qualis ipsa est, hoc enim solùm exigitur ad communitatem positiuam, seu vniuersalem, sed sufficit si illa entitas sit talis, quod de se non magis petat hac singularitate terminari, quam alia, cum æquè sit contrahibilis ab omnibus disiunctim, hoc enim sufficit vt talis entitas non sit de se hæc, & singularis, quia talis indifferentia, & indeterminatio directè singularitati repugnat, quæ ita de se determinata est ad hoc indiuiduum constituendum, vt aliud omninò nequeat constituere etiam disiunctim. Dices talis communitas, qualem nos tribuimus naturæ à parte rei, non excludit ab ea intrinsecam singularitatem, natura enim diuina etiam est hoc modo communis, communicatur namque pluribus subsistentijs, à quibus terminatur, & tamen est intrinsecè singularis; ergo si natura creata non est à parte rei alio modo communis, ita scilicet quod sit diuisibilis in plures, qualis ipsa est, non benè ex hoc concluditur, quod non sit intrinsecè singularis. Accedit, quod singulare illud est, quod est indiuisibile in plura, quale ipsum est, ergo commune, quod opponitur singulari, tale esse debet, quod sit diuisibile in plura eodem modo, si ergo natura non est hoc modo communis, non euitatur quin sit singularis.

105 Resp. negando assumptum, & eius probationem, natura enim creata potentialis est, & contrahibilis per singularitatem, ac propterea per eam extrinsecè singularizatur, & incommunicabilis redditur, vt quod; at natura diuina nullo modo contrahitur, & actuatur per personalitatem, vndè arguimus ipsam ex se habere vltimam vnitatem, & actualitatem, vt Doctor notat 1. d. 2. q. 2. I. Ad Conf. dico, quod singulare illud est, quod excludit omnimodam communitatem, & indifferentiam, tam positiuam, quam negatiuam, quare non solùm est indiuisibile in plura, quale ipsum est, quo sensu excludit communitatem positiuam, sed etiam est indiuisibile, ideſt incontrahibile, quatenus non est indifferens, vt possit esse aliud numero, vel aliud numero constituere, quo sensu excludit communitatem etiam negatiuam, quæ est proprietas naturæ à parte rei, & ideò negatur vltima consequentia, & saltim in creatis hoc verum est, quod singularitas abeo, cui conuenit intrinsecè excludit omnimodam communicabilitatem, ac indifferentiam, vt benè notat Tromb. 7. Met. qu. 8. art. 1. not. 1. vbi ait singulare esse illud, quod est incommunicabile pluribus, & indiuisibile in illa, & maximè ait hoc esse verum in creatis, ratio enim communis indiuidui tam creati, quam increati est, quod sit impluribus cabile, & indiuisibile in plura; ratio enim incommunicabilitatis competit tantùm indiuiduo creato, ex quo sequitur quod indiuiduum creatum, & est incommunicabile, & indiuisibile in plura, & quia tale indiuiduum est incommunicabile, oportet, vt constituatur in tali esse per aliquam realitatem incommunicabilem, & simpliciter indiuisibilem, quam nos appellamus hæcceitatem. Dices, eadem numero materia est hoc modo indifferens, & communis ad plures formas disiunctim; ergo talis communitas, & indifferentia non excludit ab eo, quod est sic commune, singularitatem. Resp. negando paritatem, alia enim est indifferentia naturæ, alia materiæ; indifferentia enim materiæ est ad hanc, & illam formam, non verò ad hanc, & illam singularitatem, quia iam supponitur singularis antequam hanc, vel illam formam recipiat, sed indifferentia naturæ est ad hanc, & illam singularitatem, implicat autem aliquid esse indifferens ad id, quod sibi conuenit intrinsecè, & essentialiter, & ideò hæc indifferentia excludit singularitatem à conceptu eius, quod sic dicitur indifferens; & singularitas adueniens non destruit eam, sed tantùm impedit, & eam extrinsecè determinat.

106 Dices rursus, natura de se nec est vniuersalis, nec singularis, sed vtrumque sibi ab extrinseco obuenit, vniuersalitas per intellectum, singularitas per differentiam indiuidualem, sed si à parte rei esset singularis de se, inquit Scotus, quod non posset fieri vniuersalis per intellectum, quia conciperet illam modo sibi repugnanti ex natura rei, ergo pariter, si est à parte rei secundum se communis, eadem ratione nec etiam extrinsecè poterit reddi singularis, & incommunicabilis per differentiam additam. Negatur paritas, benè enim sequitur, si natura à parte rei singularis est, non potest concipi, vt vniuersalis, nisi concipiatur modo repugnanti sibi ex natura rei, at non sequitur, quod si ex natura rei per se communis est, non possit etiam per accidens fieri singularis, sicut materia de se indifferès est ad omnes formas, tamè per accidens potest ad hanc, vel illam determinari; & ne vtamur

exemplo

exemplo suspecto, quod secum affert aliquam disparitatem, afferri potest exemplum de futuro contingenti, quod intrinsecè, & per se est ad vtrumlibet indifferens, absque læsione tamen talis indifferentiæ potest extrinsecè ad aliam partem determinari, quia determinatio de inesse stat cum indeterminatione de possibili; aliud argumentum vrget Mirisan.cit. deductum ex varijs absurdis, quæ ad nostram sequantur sententiam; verùm in eo argumento plura falsa supponit, & præsertim dico, primum est quod natura, & hæcceitas apud nos distinguantur realiter, adeò quod separi possint; alterum est, quod natura sit communis pluribus per inexistentiam, & non per indifferentiam; falsitas primi dicti constat ex iam dictis, falsitas secundi item mox patebit ex dicendis seq. quæst.

QVÆSTIO V.

An natura sit communis à parte rei per inexistentiam, num potius per solam indifferentiam.

107 TRibuentes naturæ aliquam communitatem à parte rei in indiuiduis, non satis conueniunt in explicanda tali communitate, nam vt referunt Trombet.7.Met.quæst.8.art.in fine, & Tartar.qu.1.prædicab.dub.3. Canonicus 1.Phys.q.6.& Aureol.2.d.9. qu. 1.art. 2. aliqui ponunt naturas creatas esse communes indiuiduis per inexistentiam, itaquod vna, & eadem humanitas v. gr. reperiatur in omnibus, & singulis hominibus simul, & semel, nec humanitas vnius differat ab humanitate alterius, nisi extrinsecè, & ratione differentiarum adiunctarum. Ne autem per hunc dicendi modum videantur concedere in naturalibus id, quod tantùm euenit in mysterio ineffabilis Trinitatis, vbi vna & eadem numero natura reperitur in tribus, addunt, quod cum aiunt vnam communem esse naturam in singularibus, id planè intelligendum non esse de vnitate numerica, quasi vna, & eadem numero natura sit in omnibus, & singulis, quia hoc est proprium duntaxat mysterij Trinitatis, sed debet intelligi de vnitate illa propria naturarum, quæ importat indiuisionem per principia essentialia, vndè & dici solet vnitas formalis, & essentialis, qua ratione dicitur etiam vnitas minor numerali; in hoc itaque sensu dicunt vnam, & eandem naturam esse suis inferioribus communem per inexistentiam, & hanc sententiam sequuntur Scotistarum plurimi, & quidem non inferioris notæ, Bonet.lib.1.suæ Met.cap.2.Canon.1.Phys.quæst. 6, sic etiam loqui videntur Meurisse lib.2.Met.cap.3.q.4. Faber in Philosoph.theor.93.& 4.Met.disput.9.& fusè defendit Pasqualig. tom.2. Met.disp.15.

108 Alij verò Scotistæ passim admittunt naturas communes, non per inexistentiam, sed per solam, & puram indifferentiam illarum ad essendum in pluribus disiunctim modo iam explicato in præced.quæst. itaquod re vera multiplicetur natura communis indiuiduis, adeout cum veritate dici possit, quod alia sit humanitas in Petro, & alia in Paulo, licet talis alietas nequeat cogitari per modum realis distinctionis inter illas, nisi prout cogitantur coniunctæ cum hæcceitatibus suis; adhuc tamen vnaquæque illarum naturarum dicatur communis quia quantumuis sit extrinsecè determinata per differentiam ad hoc vel illud indiuiduum, intrinsecè tamen semper manet indifferens, vt sit in hoc vel illo, nam sicut modò constituit vnum, ita pariter quantum est de se poterat constituere aliud si illi generante communicata fuisset, & in hoc sensu appellatur natura communis per indifferentiam, & hanc sententiam sequuntur politiores Scotistæ Tatar. & Trombet. loc.cit. Lichet. 2.d.3.qu.1. vbi rursus Tatar. & alij Expositores Saxius tom.2.catastrosis disp.3.q.1.art.1. Meriner.cap.1. de vniuersal. disp. 2. qu. 1. Formalistæ passim tract. Formalit. & præsertim Vallon. in explicatione diuisionis entis rationis, Rada part. 2. controu. 3. art. 1. imò Canonic. etsi priorem sequatur opinionem, fatetur tamen hanc secundam esse magis subtilem, & Scoticæ doctrinæ consonam, & Aureol.loc. cit. esto nullam ex his teneat, inquit tamen hunc secundum modum tuendi communitatem naturæ realem esse valdè pulchrum, & subtilem, & rationes, quæ fieri solent contra naturæ communitatem, præsertim procedere contrà communitatem naturæ per inexistentiam, non autem per indifferentiam.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæsiti.

109 DIcendum est naturam creatam, & prædicamentalem (de his namque est sermo in præsenti disp.) esse communem pluribus per indifferentiam, non autem per inexistentiam. Conclusio est Doctris ferè vbicunque loquitur communitate naturæ; & quidem in 2.d.3.qu.1. vbi ex professo loquitur de communitate naturæ eam explicat per indifferentiam, non per inexistentiam, & ita præsertim docet apertè §. *Sed contra*, dum inquit lit. H. naturæ existenti in re non repugnat esse in alia singularitate ab ea, in qua est, quod est eam agnoscere communem per indifferentiam, non autem per inexistentiam; sic etiam loquitur ibid. lit. K. dicens, in creaturis esse aliquod commune vsum vnitate reali minori vnitate numerali, & illud quidè commune non est ita commune, quod sit prædicabile, de multis, licet sit ita commune, quod non repugnet sibi esse in alio quam in eo, in quo est; si autem natura communis esset per inexistentiam esset quoque proximè prædicabilis de omnibus illis, quia ad esse actu in multis sequitur immediatè dici de multis; ponit ergo eam communem solùm per indifferentiam. Dices, ad instantiam ibi factam ex Damascen. de sola diuina natura, quæ est communis pluribus à parte rei, respondet Doctor per hoc distingui communitatem naturæ creatæ à communitate diuinæ naturæ, quia ibi commune est vnum singulare, & indiuiduum, non sic creaturis; non ergo negat naturam creatam esse communem per inexistentiam, sed tantùm non communicari pluribus vnam numero. Sed contrà, imò id ibi apertè negat, dum subdit, dupliciter igitur patet, quomodo auctoritas Damasc. non est contra me primò quia loquitur de vnitate singularitas in diuinis, & hoc modo non solum vniuersale creatum non est vnum, sed nec commune in creaturis; secundo quia loquitur de communi prædicabili, non præcisè de communi, quod determinatum est de facto, licet non repugnet sibi esse in alio, quale commune præcisè potest poni in creatura realiter; ita Doctor, non ergo ex primo capite tantùm secernit communitatem naturæ à diuina, quod scilicet hæc communicatur vna numero pluribus non illa, sed etiam ex alio, quod ista est proximè prædicabilis de pluribus, quibus actu inexistit, non illa, scilicet creata, quia tantùm reperitur in vno determinata, licet ita sit in ipso, vt ei non repugnet esse in alio; ergo natura creata per Scotum est tantùm communis per indifferentiam, non autem per inexistentiam, quia de facto reperitur tantùm in vno, non in pluribus.

Deindè eadem d.3.q.6.in corpore quæsiti, §. *Ad quæstionem*, proponit in terminis hoc dubium, quod præ manibus habemus, an vnitas naturæ communis sit alicuius entitatis in vno tantùm indiuiduo existentis, an verò alicuius, quod simul sit in duobus, respondet his verbis, *concedo ergo quod vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno*, quibus verbis innuit, vt ibi Lichet. exponit, naturam creatam esse communem non per inexistentiam, sed per puram indifferentiam, quam retinet etiam ad vnum determinata modo suprà explicato. Neque satisfacit, quod ad hoc ait Meurisse cit. per hoc tantùm innuere Doctorem vnitatem naturæ non esse alicuis entitatis existentis in duobus indiuiduis cum sui diuisione heterogenea, benè tamen cum sui diuisione homogenea. Nam semel admisso, quo natura sit à parte rei diuisa in singularia, vt totum homogeneum in suas partes per differentias eiusdem rationis, hinc sequitur non esse vnam, & eandem entitatem naturas Petri, & Pauli, sed aliam esse humanitatem Petri, & aliam Pauli, estò omnes sint homogeneæ, hoc enim non infert, quod sint vna natura per inexistentiam in omnibus, sed tantùm per indifferentiam, quatenus quæ Petrum constituit poterat æquè benè constituere Paulum; præterquamquod estò ibi exemplificet Doctor de natura specifica, illa tamen doctrina, quam ibi tradit de vnitate communitate naturæ, debet generatim intelligi de natura tam specifica, quàm generica, de quibus promiscuè Doctor loquitur in illis quæstionibus.

110 Rursus eadem d.3.q.7.ad primam rationem in oppositum dicit non esse idem aliqua duo differre in forma, & differre formaliter, nam plures homines differunt in forma seu, est inter eos diuersitas formarum, quia alia est humanitas Petri, & alia Francisci, non tamen est inter eos diuersitas formalis, seu essentialis, nec differunt in humanitate, quia hæc est ratio assimilandi plura indiuidua sub eadem specie, non autem ratio distinguendi, aut ratio distincta; ex quibus deducitur secundum Doctorem non esse vnam realiter, ac entitatiuè naturam in indiuiduis, sed aliam, & aliam, & solùm dici vnam omnium esse naturam per indifferentiam; & deniq; in 3.d.8.quæst.vn. in fine docet in singulis indiuiduis naturam communem plurificari ad pluralitatem eorum cum plurificatione etiam formalis vnitatis naturæ, vndè ait aliam esse formalem vnitatem humanitatis Christi, & aliam humanitatis Mariæ; signum euidens non esse intentionis eius, quod detur natura communis per inexistentiam, sed solùm per indifferentiam; nam qui ponunt naturam esse communem per inexistentiam non multiplicant vnitatem eius formalem in quolibet indiuiduo, sed aiunt hanc vnitatem illi correspondere, vt est in omnibus indiuiduis adæquatè. Idem etiam colligi potest ex 7.Met.q.18. vbi communitatem naturæ explicat per negatiuam indifferentiam, quatenus de se non est hæc, & alibi frequenter hæc igitur est vera, ac genuina sententia Doctoris de communitate naturæ, vt benè notauit Rada cit.controuers.3.art.1.in fine, vbi post exactam ponderationem verborum Doctoris 2.d.3.q.1.§. *Sed contra*, in explicanda communitate à parte rei, concludit his verbis. Habet ergo Scotus pro inconueniente dari aliquam entitatem realem vnam, & eandem in pluribus, & ideò secundum ipsum non datur aliquod reale, quod sit actu vnum in multis, sed solùm ait dari aliquod commune sic, quod sibi non repugnat ex sua ratione esse in alio ab eo, in quo est. Nec hoc ita intelligas, vt alicui entitati vnicæ à parte rei possit non repugnare esse simul in duobus suppositis, quia hoc cuicunq; naturæ creatæ à parte rei existenti omninò repugnat, sed sic quod diuisim non repugnat esse in alio, hoc est, quod sicut per hanc singularitatem determinatur ad esse Petri, ita non repugnabit ei, vt prior singularitate Petri determinari per singularitatem Pauli, vel aliam quamcunque ex eo quod nullam in sua ratione formali sibi determinat, sed nullatenus potest non repugnare sibi esse simul in duobus singularibus, quicquid ergo est in creatis commune reale, est de facto

facto determinatum, & in vno secundum Scotum, non autem in pluribus simul, & coniunctim, vt dicere tenentur, qui explicant communitatem naturæ per inexistentiam in pluribus.

111 Primò, præcipuum, & consuetum fundamentum ad impugnandam communitatem naturæ per inexistentiam est, quia si in omnibus indiuiduis datur vna, & eadem omninò natura humana v. g. ergo eadem omninò natura erit in Christo Domino, & Iuda proditore, & sic eadem humanitas erit in Cœlo simul, & semel, ac in Inferno erit simul misera, & beata. Tum quia iuxtà hanc sententiam admittitur in creatis mysterium Trinitatis, nam eadem omninò natura est idem realiter cum pluribus singularitatibus, quin singularitates sint idem realiter inter se, sicut eadem natura diuina cum tribus personis, quin ipsæ personæ sint idem inter se realiter. Cæterum, nisi aliud addatur, facilè euadunt Auctores primæ opinionis hæc, & similia argumenta dicendo, quod procedunt ex hypotesi, quod hæc vnitas naturæ in pluribus sit numeralis, quod quidem ipsi non asserunt, nam hæc est vnitas formalis, quæ est propria naturæ, & est minor vnitate numerica, & de se pluribus communis sicut natura ipsa, & inadæquatè saluatur in hoc, vel illo indiuiduo, adæquatè verò in omnibus, sicut ipsa natura; cum igitur natura Christi sit numero diuersa à natura Iudæ, & solum eadem specie, planè nullum inconueniens hinc sequitur, quia non inconuenit aliquam naturam eiusdem speciei cum natura Christi esse miseram, ac in Inferno torqueri. Neque pariter sequitur in creatis reperiri mysterium Trinitatis, quia in diuinis eadem numero natura reperitur in tribus, non sic in creatis, vbi est tantum vna specie, vel genere; & in hunc modum respondet præsertim Pasqualig. to. 2. Met. disp. 15. sect. 3. vbi mordicus oppositam tuetur sententiam, quæ innumeris ab hinc annis absoleta manebat.

Ad euertendam funditus hanc solutionem, quæ magis promptè datur, quam refelli possit, inquirenda est ratio, cur diuina natura in tribus diuinis suppositis non dicatur diuidi, nec numero multiplicari, quamtumuis diuinis personalitatibus terminetur, benè tamen natura humana in Petro, & Paulo eo ipso, quod ab eorum indiuidualibus differentijs contracta intelligitur, adeoquod cum veritate dici possint duo homines, non sic Pater, & Filius duo Dij, vel enim id est, quia multiplicantur differentiæ indiuiduales in natura creata, & cum ipsa identificantur realiter, & ob hanc identitatem natura quoque in seipsa suscipit diuisionem, & hoc esse non potest, quia etiam in diuinis plurificantur personalitates in natura, & cum ipsa summè identificantur, & non ob id plurificatur natura adeoquod dici possint diuinæ personæ plures Dij. Vel id est, quia natura in creatis contrahitur, & actuatur per hæcceitates, non sic diuina natura per personalitates, cum sit in vltima actualitate; & neque hoc dici potest, quia intelligi nequit aliquid diuidi, & multiplicari per aduentum alterius, si in se manet vnum sicut anteà, vt constat ex ipsis terminis; sed natura humana secundum Aduersarios ita in se manet vna formaliter, & positiuè post aduentum singularitatum, sicut anteà, ergo per ipsas nullo modo diuiditur aut multiplicatur, etiamsi per ipsas contrahatur, vel actuetur; tum quia per hoc præcisè diuina natura non dicitur multiplicari per diuinas personalitates, quia ita terminatur per illas, vt eodem modo maneat in se vna, sicut antè terminationem. Dices diuisionem numericam redundare in naturam humanam ab illis varijs hæcceitatibus quibus contrahitur ad illa indiuidua, quia per ipsas redditur incommunicabilis, cum anteà communicabilis esset. Contrà, nam extrinsecè tantùm, & per accidens redditur incommunicabilis ob coniunctionem cum hæcceitate, intrinsecè tamen, & in se remanet vna, & communicabilis, sicut anteà, quia adhuc sub singularitate suam retinet indifferentiam intrinsecam, ergo re vera in seipsa nec diuiditur, nec multiplicatur. Dices, quatenus est sub ipsa singularitate communicari non posse, & ideò vt sic fieri vnam numero, & omne tale in creaturis est incommunicabile. Contra, hoc est perindè, ac si dicatur quod natura simul cum singularitate nequeat communicari, quod vtique verum est, sed hoc non ponit propriam multiplicationem, aut vnitatem indiuidualem in natura, sed in constitutis ex natura, & indiuiduatione; & sic etiam pariter dici posset de natura diuina, quod sumpta cum paternitate, vel filiatione sit incommunicabilis.

112 Ex præfatis ergo capitibus nulla potest colligi ratio, cur natura in diuinis non dicatur diuidi, & multiplicari per multiplicitatem personalitatum in ipsa, sed benè natura creata per plurificationem hæcceitatum, semper enim ex ipsis eadem currit paritas vtrobique. Quare remanet, vt dicamus rationem huius vnicam, & adæquatam esse, quia in diuinis personalitates ita identificantur cum natura diuina, vt tamen ex vi talis identitatis non fiat multiplex natura in ratione naturæ, sed tantum personaliter; in creatis verò natura ita identificatur cum hæcceitatibus, vt per ipsas multiplicetur etiam in ratione naturæ, vndè quia in Petro, & Paulo à parte rei non solùm reperiuntur diuersæ hæcceitates, sed etiam plures humanitates, ideò dicuntur plures homines, non sic Pater, & Filius plures Dij ob oppositam rationem. Conf. hæc ratio, quia vt dictum est disp. 2. log. quæst. 6. art. 2. concretum substantiale multiplicari nequit sine multiplicatione formæ, & hæc est ratio præcisa, cur tres diuinæ personæ non sint tres Dij, quia vna tantùm in ipsis reperitur diuinitas; cum ergo Petrus, & Paulus dicantur plures homines id est quia in ipsis sunt plures naturæ, & humanitates, quæ sunt in ipsis plurificatæ etiam in ratione naturæ, adeo vt sit in ipsis duplex natura, & duplex humanitas. Conf. adhuc, quia vel Petrus, & Paulus hypostaticè tantùm differunt, & per hæcceitates, vel etiam aliquo modo substantialiter, & per naturam, itaut alia sit humanitas in vno, & alia in alio; si secundum, habetur intentum, quod non sit vna, & eadem humanitas in Petro, & Paulo: si primum, ergo differunt, sicut personæ diuinæ, ita quod non poterunt dici duo homines, sed vnus homo sub pluribus hæcceitatibus sicut dicitur vnus Deus sub pluribus personalitatibus. Dices, Petrum, & Paulum esse duos homines, quia habent plures humanitates numero differentes, non sic tres diuinæ personæ. Contrà, redit rursus argumentum à capite, quæro enim cur humanitates Petri, & Pauli dicantur numero plures, non sic diuina natura in tribus personis; si dicas, id accidere, quia humanitas in Petro, & Paulo identificatur cum singularitatibus realiter distinctis, idipsum dicetur in diuinis, quia ibi quoque natura identificatur personalitatibus realiter distinctis; si dicas id esse, quia in creatis natura contrahitur, & determinatur à differentia; hoc etiam suprà confutatum est, quia etiam in diuinis essentia terminatur suo modo à tribus subsistentijs; tum quia hæc contractio, & determinatio in creatis est extrinseca, nec destruit intrinsecam naturæ vnitatem; restat ergo Petrum, & Paulum dici duos homines, quia multiplicantur in ipsis humanitates non precisè secundum esse indiuiduale, sed etiam secundum esse reale naturæ.

113 Et quidem, quod humanitas in suis indiuiduis, sicut & quælibet alia natura creata in suis multiplicetur aliquo pacto etiam secundum esse reale naturæ suadetur euidenti ratione, ita enim in indiuiduis multiplicatur, vt quamuis multiplicatio non sit secundum esse essentiale naturæ, sit tamen secundum esse reale physicum, quod à parte rei recipit, & huiusmodi multiplicatio est intrinseca naturæ, quia est secundum esse intrinsecum eiusdem naturæ; hoc, inquam, probatur quia si natura creata non ita plurificatur in suis indiuiduis, iam *illi* communicabitur, sicut natura diuina tribus personis, & sic Petrus, & Paulus benè dici poterunt duæ personæ humanæ, non tamen duo homines; tum quia quælibet actio indiuidui productiua communicat illi esse distinctum entitatiuè ab esse alterius indiuidui; per *ipsam* autem non producitur sola indiuiduatio, sed etiam ipsum esse naturæ intrinsecum licèt sub indiuiduatione vndè natura ipsa in se ponitur terminus formalis generationis vniuocæ; cum ergo productio terminetur ad esse reale naturæ, quod ponitur formaliter ab indiuiduatione distinctum licèt non nisi vt ei coniunctum, fatendum est naturam creatam in indiuiduis plurificari etiam in ratione naturæ, non quidem secundum esse essentiale, quod de se abstrahit ab existentia, sed secundum esse reale; physicum, ac entitatiuum, quod existentiam concernit. Conf. cum natura secundum esse sibi intrinsecum ab indiuiduatione distinctum sit terminus formalis vniuocæ generationis, quæro cum Petrus producitur à generante, nam producatur in ipso eadem realiter humanitas, quæ est in Paulo, nec ne; si secundum, habetur intentum, quod natura in indiuiduis multiplicatur etiam secundum rationem naturæ; si primum, ergo idem bis, imò millies producitur, nam toties eadem humanitas reproducetur, quod producuntur indiuidua humanæ naturæ. Dices, produci in productione Petri diuersam numero humanitatem à Pauli humanitate, & eandem specie. Contrà, nam quæro de termino formali generationis vniuocæ, qui est sola natura, ad quem concurrit hæcceitas, vt simplex, & pura conditio terminantis generationem, non autem vt ratio terminandi, hæc enim est præcisè natura sub ratione naturæ; si hic terminus formalis productionis Petri est diuersus à termino formali productionis Pauli, ergo natura plurificatur in ipsis etiam secundum esse naturæ non quidem essentiale, quod ob existentiam abstrahit, sed physicum, & entitatiuum; si verò est idem terminus, ergo idem bis producitur. Tum quia parum refert, quod dicatur esse eundem terminum specie, quia dummodo *hæc* vnitas, & communitas naturæ sit realis, idem sequitur inconueniens, tam enim absurdum est eandem entitatem communem plures reproduci perindè, ac singularem; tum quia casu, quo non multiplicetur natura in indiuiduis etiam secundum esse naturæ tunc esse *vnam specie* tantùm significat eandem prorsus entitatem v. gr. humanitatem affici pluribus hæcceitatibus vt Petreitate, & Pauleitate, singulas autem hæcceitates non posse alijs affici, quod quidem non obstat, quin adhuc talis naturæ vnitas sit numeralis, neque enim quia natura diuina eadem afficitur pluribus personalitatibus aut anima rationalis pluribus vnionibus in corpore in diuersis partibus numero multiplicatur; imò cum hoc adhuc saluatur, quod eadem numero natura est in tribus personis, & eadem numero anima rationalis in pluribus partibus corporis.

114 Ex hac itaque doctrina patet robur huius primi argumenti propositi nu. 111. quia si nullo pacto natura creata multiplicatur in indiuiduis secundum esse naturæ, tunc ipsis communicabitur in omnimoda vnitate naturæ, quæ est numeralis, & sic in creatis introducitur mysterium Trinitatis. Tum quia etiam concesso hinc non sequi eandem naturam numero in creatis pluribus communicari, sed vnam, & eandem vnitate minori, quæ dicitur vnitas formalis, adhuc miraculum habebimus in creatis simillimum mysterio Trinitatis, nam miraculum Trinitatis præsertim in hoc consistit, quod plures personalitates inter se realiter distinctæ realiter identificentur cum tertio, scilicet cum diuina essentia, nec tamen identificentur inter se, id enim directè repugnat illi naturali principio, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & hoc in diuinis priuilegium aiunt oriri ex infinitate diuinæ naturæ. Sed opposita sententia totum hoc contingeret in creatis, nam hæcceitates inter se realiter distinctæ identificarentur realiter in tertio

tertio absque quod inter se identificari dicantur; & parum refert, quod in creatis hoc tertium, in quo realiter distincta identificantur, sit aliquod commune, & non particulare, sicut est in diuinis. Quia etiamsi diuina natura sit singularis, adhuc tamen etiam est communis tribus, quia ibi nec singularitas communitatem excludit, nec è contrà, vt in creatis contingit; tum quia hoc priuilegium conceditur diuinæ naturæ, vt realiter distincta identificentur in ipsa, ponendo ob suam singularitatem, vel communitatem, sed præcisè ob eius infinitatem; ergo etiamsi vnitas naturæ communis non sit vnitas numeralis, sed maior, id non sufficit, vt hæcceitates inter se realiter distinctæ identificentur in natura, nisi etiam ponatur infinita sicut natura diuina. Et ex hac pariter doctrina rei citur solutio ad argumentum pro alia parte, quod hinc sequeretur eandem humanitatem esse miseram, & beatam. Non enim sufficit dicere, quod non est eadem numero, sed specie, nam ex dictis conuincitur futuram esse eandem numero, si natura nullo modo in indiuiduis multiplicatur etiam secundum esse naturæ, non quidem essentiale, sed physicum, & entitatiuum, quod existentiam concernit. Tum quia concesso etiam non futuram eandem numero naturam, sed specie, tenentur reddere rationem, cur hæc sint absurda de eadem numero natura, non de eadem specie; si dicant rationem esse, quia natura pluificatur in indiuiduis, vndè de ea verificatur esse miseram, & beatam, sed secundum diuersas eius proportiones. Contra, nam vel hæc diuisio naturæ in plures portiones ponit multiplicationem naturæ secundum esse sibi intrinsecum, vel solam multiplicationem hæcceitatis in ipsa; si primum, ergo non est eadem natura in omnibus per inexistentiam; si secundum, ergo tota natura, ac entitas humanitatis Christi, præter eius singularitatem est damnata, & integra humanitas Iudæ præter hæcceitatem est beata, quod nescio quo stomacho concessuri sint Aduersari.

115 Secundò, principaliter probatur conclusio, nam ex opposita sententia sequitur Deum non posse verè creare vnum hominem v. g. Petrum, nec eum verè annihilare; probatur consequentia, quia creatio est productio totius entis, & secundum omnem eius formalitatem ex nihilo, & annihilatio pariter est reductio totius entis in nihilum; at in opposita sententia & semper præexisteret eadem natura Petri in alijs indiuiduis antè eius creationem, & semper remaneret post eius destructionem, ergo nec verè creari posset, nec verè annihilari. Resp. Canon. cit. ad creationem sufficere, si nihil præexistat singulare, & ad annihilationem pariter, quod nihil remaneat singulare, nam singularia sunt quæ terminant quamlibet productionem, vel destructionem; subdit etiam ad annihilationem sufficere, quod destruatur tota eius entitas cathegorematicè sumptam quantum ad illam tertiam entitatem, quæ resultat ex partibus, certum est enim, quod quando res corrumpitur, remanet eius materia, cum sit incorruptibilis. Contra, quia ad veram creationem, vt à generatione secernitur, exigitur vt nihil præexistat entitatis intrinsecè componentis rem creatam, & pariter ad annihilationem propriè dictam, vt secernitur è corruptione, requiritur vt nihil remaneat in rerum natura entitatis actualis, quę intrinsecè rem annihilatam componebat; ergo solutio Canonici non sufficit. Tum quia quando aliquid creatur, non solum producitur secundum vltimum gradum indiuidualem, vt Bonet. asserere videtur, sed etiam secundum omnem realitatem, quæ in ipso existit à parte rei vsq; ad supremam in prædicamento positam, alioquin aliqua realitas daretur in ipso improducta, & sic etiam cum annihilatur, omnis talis destruitur, ergo ad creationem non sufficit, quod nihil singulare præexistat, & ad annihilationem, quod nihil singulare remaneat, sed nihil prorsus siue singulare, siue commune debet in creatione præcedere, & nihil pariter in annihilatione remanere. Vel certè si aliquod commune omninò idem ante creationem Petri præexistebat, fatendum est idem bis produci.

116 Respondet Pasqualig. cit. quod creatio tendit ad ponendam actualitatem rei, & annihilatio ad eam tollendam, tollunt autem vel ponunt actualitatem secundum esse naturæ inadæquatum, quod natura potest habere in tali indiuiduo, quia secundum totam suam latitudinem non est adæquatè in vnoquoque, hoc autem esse inadæquatum naturæ est esse adæquatum illius indiuidui, & ideò illo posito, vel ablato tollitur, vel ponitur indiuiduum; & vt indiuiduum fiat ex nihilo sufficit, quod nihil præcesserit de hoc esse inadæquato, & si totum hoc esse inadæquatum tollatur, desinet in nihilum. At quamuis Pasqualig. de hac solutione glorietur, vt ab omni instantia immuni, tamen si benè perpendatur, non est alijs melior, nam quæro de illo esse inadæquato naturę in Petro, quod est esse adæquatum ipsius Petri, an sit idem omninò cum esse inadæquato eiusdem naturæ in Paulo, quod est adequatum ipsius Pauli, vel non; si primum, currit argumentum, vt prius, quod Petrus non possit creari, quia idem esse præcedit in Paulo, nec annihilari, quia post eius destructionem remanet in Paulo; si secundum ergo non est vna, & eadem natura in omnibus singularibus per inexistentiam, sed tantùm per indifferentiam.

Respondent alij Petrum annihilari quia licèt eadem humanitatis realitas maneat adhuc in Paulo, non tamen remanet vt humanitas Petri, sed Pauli. Contra, redit à capite argumentum; quia de ratione annihilationis est, vt res simpliciter, & totaliter desinat esse, non verò vt est huius, vel illius, quandoquidem hæc decisio & secundum quid; tum quia stante hac solutione, si Deus transferret albedinem Petri in Paulum, dici posset ipsam annihilari, quia licet in se non desinat, desinet tamen esse illius cuius antea dicebatur, quod sufficit ad annihilationem ex solutione iam data; tum quia corruptis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere ex Aris. cap. de substantia, ergo destructo Petro destruitur omnis realitas tam particularis, quam communis quæ erat in eo, ergo non est vna, & eadem positiuè humanitas Petri, & Pauli, quasi sint aliquo pacto vna, & eadem physica entitas, & per consequens eius communitas non est per inexistentiam, sed per puram indifferentiam, vel fatendum est ad corruptionem humanitatis Petri, deberi quoq; corrumpi humanitatem aliorum indiuiduorum, quod ad sensum cernitur est falsum.

117 Tertiò hinc deducitur alia ineluctabilis ratio pro nostra sententia, quia ad sensum videmus incipere naturam secundum suũ esse formale, ac entitatiuum in Petro, vel desinere non autem in Paulo; ergo non est vna, & eadem natura positiuè in Petro, & Paulo per inexistentiam, consequentia patet, quia euidens signum distinctionis realis inter aliqua duo est separatio realis quoad existentiam, vndè implicat quæ sunt à parte rei identificata vnum posse existere sine alio, vt dictum est disp. 6. q. 8. num. & 187. imò ob hanc difficultatem ibidem dixi sententiam de communitate naturæ per inexistentiam non posse sustineri, sed tantùm admitti debere vnam, & communem per indifferentiam, quia cum tali vnitate, & communitate indifferentiæ stat realis, ac entitatiua distinctio naturæ Petri, & Pauli.

Respondet Pasq. quod natura ex intrinseca sua ratione petit esse in indiuiduis per identificationem, nec alio pacto possibilis est, vndè est possibilis tantùm cum distinctione entitatiua, ac materiali, hinc fit quod posita hac distinctione entitatiua, seu materiali naturæ Petri, & Pauli, possit benè produci natura in vno, vel corrumpi, non autem in alio merito huius entitatiuæ distinctionis, quam habet in diuersis indiuiduis ratione esse indiuidualis, & tunc incipit, & desinit inadæquatè, non autem adæquatè, quia secundum totam latitudinem suam respicit totam indiuiduorum collectionem. Contrà, nam vel eiusmodi distinctio materialis, & entitatiua naturę Petri, & Pauli versatur solùm inter hæcceitates ipsorum; vel etiam inter ipsas naturas, adeoquod humanitas vnius, & alterius non sit quædam communis physica entitas in vtroq; sed plures, & diuersæ, si secundum habetur intentum, quod non sit vna, & eadem per indifferentiam; si primum, iam ex integro redit argumentum, quomodo sit eadem entitas natura Petri cum natura Pauli, & vna corrumpatur, non autem alia, & quomodo à parte rei possit esse cum Petreitate, non autem cum Pauleitate, cum tamen vtramq; sibi identificet. Resp. Pasqual. vnitatem formalem, seu essentialem naturæ concipiendam non esse per modum indiuisionis entitatiuæ, sed essentialis, non enim est vna natura in omnibus entitatiuè, sed solùm secundum esse essentiale, neq; vt sit vna secundum esse essentiale, requiritur vnitas in entitate. Et quia inadæquatè tantum conseruatur in hoc, vel illo indiuiduo, ob hanc illimitationem potest in vno corrumpi, & non in alio, ac esse sine Petreitate, non sine Pauleitate. Contrà, quia si de essentia actuali sit sermo, quo pacto existentiam concernit essentia rei aliud non est, quam eius physica entitas à parte rei existens, & hoc pacto sicut dari nequit à parte rei essentia, quæ non sit existens, ita neque vnitas quæ non sit entitatiua; vt ergo natura à parte rei sit vna secundum esse essentiale, requiritur etiam vt sit in vna entitate, & sic implicat dari in creatis naturam, quæ sit vna in omnibus, & singulis positiuè secundum essentiam, & non sit pariter vna secundum entitatem; si ergo concedit Pasqual. naturas Petri, & Pauli esse realiter, ac entitatiuè diuisas, iam in nostram venit sententiam, non dari naturam communem per inexistentiam, ideſt vnam communen entitatem in pluribus, sed tantùm vnam per indifferentiam, quatenus licet natura vnius sit entitas physicè, & realiter alia à natura alterius, quia tamen sunt homogeneæ, & natura quę Petrum constituit in esse hominis, poterat æquè benè constituere Paulum, & è contrà, hac de causa natura vnius dicitur de se communis alteri per idifferentiam; & nota benè hoc punctum, quia hinc pendet tota resolutio quæsiti, concedimus enim nos esse vnam omnium indiuiduorum naturam, non quod sit eadem physica entitas naturæ communis in omnibus, & singulis per inexistentiam, sed per indifferentiam, quia natura, quæ est vnius, poterat esse alterius, & dicimus vnitatem realem, & positiuam naturæ in indiuiduis cum diuisione entitatiua vnius naturæ ab alia consistere non posse, nisi explicetur per indifferentiam; sic enim benè capitur, quomodo sit vna communis omnium indiuiduorum natura, & adhuc quomodo sit in ipsis diuisa, & plurificata nedum secundum esse indiuiduale, sed etiam aliquo pacto secundum esse reale, & intrinsecum in ratione naturæ.

118 Deindè impugnatur vlterius, quod Pasqualig. aiebat posse naturam desinere in Petro, seu esse sine Petreitate, & adhuc cum Pauleitate remanere coniunctam ratione suæ latitudinis, & extensionis, quã habet in indiuiduis. Nam Aduersarij, vt hanc suam tueantur sententiam de communitate naturæ per inexistentiam, duo negant prima principia, nam primò negant illud, *quæ sunt realiter idem vni, tertio, sunt idem inter se* nam per ipsas Petreitas, & Pauleitas identificantur realiter in humanitate, cum tamen inter se realiter distinguantur; dein-

deindè negant aliud, *quæ sunt realiter identificata, vnum esse nequit sine alio*, nam dicunt humanitatem ob suam illimitationem, & latitudinem posse esse sine Petreitate, & non sine Pauleitate; neutrum autem incommodum sequitur ex sententia nostra explicante communitatem naturæ per indifferentiam; sic enim humanitas tantùm ponitur actu identificare sibi Petreitatem, cum actu constituit Petrum, non autem Pauleitatem, nisi aptitudine, quatenus ita poterat quantum est de se sibi illam identificare, si per ipsam contracta fuisset sicut modò identificat sibi Petreitatem, sub qua est; actu autem, & de facto est realiter distincta ab ea, & ideò benè potest destrui, & definere cum Petreitate absque eo, quod definat cum Pauleitate absque vllo inconuenienti; & hoc solum punctum sententiam de communitate naturæ per indifferentiam facit mihi longè probabiliorem, quam sit opposita de communitate naturæ per inexistentiam; etiamsi aliæ deficerent rationes. Respondet Pasqualig. hoc argumentum solui debere eodem pacto proportione seruata, quo similia argumenta solent solui in materia de Trinitate, cum enim dicitur, quod si personæ identificantur in essentia, debent etiam inter se identificari, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, solet responderi, quod essentia non identificatur adæquatè cum vnaquaq; persona, sed inadæquatè, & ideò non sequi, quod debeant inter se identificari; si ergo dicere debemus in proposito, quod natura communis non identificatur adæquatè cum Petreitate, & ideo ex hoc quod Petreitas identificetur cum essentia, non sequi identitatem pariter Petreitatis cum Pauleitate.

Hæc planè responsio impellit Aduersarios in illud absurdum, quod in præsenti materia euitare contendunt, nos enim redarguimus ipsos, quod absque necessitate mysterium Trinitatis introducant in creatis, negant pedibus iunctis id sequi ex eorum sententia; sed quando posteà argumenta soluere nequeunt nisi vt solent dissolui in materia de Trinitate, iam factis fatentur, quod negant verbis, ipsos introducere in creatis mysterium Trinitatis. Accedit deindè doctrinam illam traditam in materia de Trinitate ad soluendum argumentum illud non ritè adduci ad propositum, quia identificatio inadequata diuinæ essentiæ cum personis inter se realiter distinctis ex eius infinitate trahit originem, sed nulla natura creata est infinita, ergo quantumcunque ponatur communis nequit identificare sibi res inter se realiter distinctas, nisi etiam ponatur infinita. Tum quia etiamsi diuina infinitas sufficiat ad hoc, vt diuina essentia possit identificare sibi res inter se realiter distinctas, nequaquam tamen sufficit, vt possit diuina essentia existere sine aliqua ex illis rebus, quas sibi realiter identificat; ergo tantò minus poterit natura creata existere sine aliqua hæcceitate, si illas actu, & positiuè sibi identificat, velut vna omnium natura per inexistentiam; vel si potest sic existere, planè mirabilior est saltim ex hoc capite, quam ipsa natura diuina. Respondent alij illam oppositionem, eorum quæ sunt realiter identificata, vnum non potest à parte rei existere sine alio, esse veram loquendo de rebus singularibus, non verò loquendo de re communi, & vniuersali in ordine ad rem singularem. Contrà, quia hæc est manifesta petitio principij, ex hoc enim vniuersalissimo principio quod quæ sunt realiter identificata vnum nequit esse sine alio à parte rei, ergo infero dari non posse naturam communem à parte rei per inexistentiam; dum ergo tu dicis propositionem illam esse veram in omnibus præterquam in proposito de natura communi, iam adducis instantiam in proposito, & in re, de qua est quæstio, quod est palam principium petere. Tum quia de duobus malis minus est eligendum, quando vtrumq; vitari non potest, sed in casu minus malum est negare naturam sic communem, scilicet per inexistentiam, quam negare principium illud, scilicet quæ sunt idem separari non posse, nam hoc principium in omni Schola est acceptatissimum, vbi communitas realis naturæ per inexistentiam ab omni Schola abigitur, nec etiam libenter recipitur in Schola Scotistarum.

119 Quarto, probari solet, quia ex oppositæ sententia sequitur dari a parte rei vniuersale in actu, quod præsertim in Peripato monstrum sapit, consequentia probatur, quia vniuersale in actu ex Scoto 2.d.3.q.1. §. *Sed contra*, est illud, quod habet vnitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet suppposito, quia ex lib.Poster. vniuersale dicitur, quod est vnum in multis, & de multis, nam ad *esse in*, sequitur *dici de*; si igitur natura à parte rei est vna formaliter positiuè in omnibus indiuiduis, iam habet talem indifferentiam positiuam respectu eorum, vt de omnibus, & singulis prædicari possit prædicatione dicente, hoc est hoc, & consequenter est actu vniuersalis.

Respondent multi ex Aduersarijs concedendo gratis id quod re vera negare nequeunt, secundum eorum opinionem dari debere vniuersale in actu, neque id habent pro absurdo, quia non ob id admittitur vniuersale Platonicum. Contrà, probo ex hoc sequi vniuersale Platonicum, vel quasi Platonicum, quod scilicet quamuis non sit à singularibus separatum est tamen ab eis realiter distinctum, hoc autem in hac opinione admitti debere ostendo, quia natura humana ità est à parte rei in Petro, & Paulo vna, & eadem positiuè, vt possit existere à parte rei & sine Petreitate, & absq; Pauleitate, ergo esset quoddam vniuersale Platonicum à suis singularibus realiter distinctum, consequentia patet quia sæpè dictum est separationem in re esse signum euidentissimum distinctionis realis inter aliqua duo. Dices, naturam non distingui realiter à singularitatibus, quia debet necessario identificari alicui indiuiduo vagè, & cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio consequenter poni debet identificata cum omnibus. Contrà, quia quamuis aliquid esse nequeat sine multis indeterminatè, si tamen esse potest sine quocunq; determinato ex illis, hoc est sufficiens signum distinctionis realis ab omnibus, & singulis, de quo adduci possunt exempla mille, de materia quæ nequit existere denudata nec fortè per Dei potentiam omni priuatione, & tamen quia potest esse sine hac, & illa signatè, ponitur ab omnibus realiter distincta, quantitas nequit esse sine omni figura, quia tamen esse potest sine hac, & illa determinata, ponitur reipsa distincta ab illa; sic de qualitate respectu graduum intensionis, de continuo respectu indiuisibilium &c. sic igitur in proposito de natura, si potest esse sine hac, & illa singularitate, ex hoc sufficienter colligitur, quod ab omni realiter distinguatur. Dices, hoc idem argumentum militare contra communitatem naturæ per indifferentiam, ex vi cuius ponitur natura indeterminatè respicere singularitates omnes, ita quod non magis de se associatur vni, quàm alteri. Contrà, quia inconueniens adducere non est soluere, & per hoc quod militet contra communitatem naturæ per indifferentiam hoc argumentum, non tollitur, quin magis militet contrà communitatem per inexistentiam. Deindè falsum est militare argumentum contra communitatem per indifferentiam, quia iuxtà hanc viam quælibet humanitas v.g. ponitur cum sua hæcceitate identificata, & realiter cum ipsa incipit, & cum ipsa definit, & humanitas Petri non ponitur actu identificata, & vna cum humanitate Pauli, vt ait opposita sententia, sed tantùm aptitudine, quatenus ita sibi poterat ab initio hæcceitatem Pauli sibi identificare, si per ipsam contracta fuisset, sicut modò identificata sibi Petreitatem; tum quia indifferentia naturæ ad singularitates, cum sit metaphysica, & obiectiua, non verò physica, & obiectiua explicari non debet per separabilitatem in singulis, sed potius per exclusionem singularum à formali eius conceptu, ob quam remanet intrinsecè indifferens etiam sub actuali hæcceitate, vt dictum est supra num.100.

Postremò mirum est, quomodo Pasqualig. præsertim inter Recentiores oppositam tueatur sententiam de reali communitate naturæ per inexistentiam cum tanta alacritate, & in tanto rigore, cum tamen in alijs principijs de hac materia conueniat ipse cum Thomistis, & præsertim in omnimoda indistinctione naturæ à parte rei à singularibus; si quidem Scotus, & Scotistæ ea præsertim ratione astruunt in natura aliquam communitatem ex natura rei, quia distinctionem formalem agnoscunt ex natura rei inter naturam, & singularitatem, & ideò dicunt naturam non esse de se hanc, sed saltim negatiuè communem; cum ergo Pasqualig. iunctis pedibus hanc distinctionem formalem neget, & præsertim inter naturam, & singularitatem, quomodo cohærenter loquatur ad sua principia non video; si enim sunt omninò idem à parte rei, tam realiter, quam formaliter, quo pacto verificari potest de natura, quod sit de se communis, & indifferens, differentia verò de se hæc, & incommunicabilis? Tum quia etiamsi Thomistæ tribuant propriam vnitatem formalem naturæ distinctam à numerali, negant tamen hanc vnitatem esse communem, & minorem numerali à parte rei, quia non est vllo pacto à parte rei actualiter ab ea distincta, sed tantùm per intellectum; cum ergo & ipse Pasqualig. non alio modo distinguat naturam à singularitate, & vnitatem eius formalem ab vnitate indiuiduali, nisi per rationem, vt faciunt Thomistæ, planè ad consequenter loquendum talem naturæ communitatem realem defendere nequit, & cum tanto rigore, vt nec ipsi Scotistæ admittentes distinctionem formalem ex natura rei inter naturam, & singularitatem audeant eam sic communem asserere.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

120 IN oppositum obijciunt Primò, quicunque tenent naturam specificam v. gr. humanam secundum quod à singularitate distinguatur, esse vnam formaliter positiuè in omnibus indiuiduis, vnitas est carentia diuisionis 5.Metaph. 11. sed natura humana, quæ est in Petro, & Paulo à parte rei caret diuisione formali, & essentiali, ergo à parte rei, vt est in pluribus est vna formaliter, & communis per inexistentiam. Probatur minor multipliciter, primò quia Petrus, & Paulus non differunt in natura, & essentia, & natura vnius non est formaliter distincta à natura alterius. Tum deinde, quia si Petrus non est essentialiter vnum cum Paulo à parte rei, non magis differret à Brunello, quàm ab ipso Paulo. Tum 3. quia Petrus, & Paulus in ratione hominis non sunt plura à parte rei. Tum 4. quia habent eandem rationem, & definitionem; ergo sunt formaliter, & essentialiter vnum. Tum 5. quia si non haberent vnam communem rationem omnibus, non daretur vniuocatio nec in genere, nec in specie; & hoc est præcipuum fundamentum Boneti 1.Met.cap.2.

Respondent Recentiores indiuidua eiusdem speciei non distinguì abinuicem formaliter, & essentialiter, sed esse eiusdem essentiæ, & naturæ propter maximam similitudinem, quam habent in suis essentijs, sicut etiam dici solet de duobus aliquibus indiuiduis hominum, si valdè magnam similitudinem habeant quod non videantur esse distincta, sed videantur esse vnus, & idem homo. Sed hæc solutio non

non satisfacit, vt magis constabit quæst. seq. quia pura vnitas similitudinis inter plura indiuidua non sufficit ad constituendam communitatem realem naturæ, nisi à parte rei aliqua naturæ vnitas concedatur, in qua talis similitudo fundetur, vt vult Philosophus 5. Metaph. nam si aliqua sunt similia, vtique in aliquo debent esse similia, & conuenire. Respondendum igitur ex dicendis quæst. seq. ea omnia, quæ in argumento habentur, verificari ob vnitatem formalem naturæ in Petro, & Paulo, non quidem per inexistentiam, sed per indifferentiam, quia enim eadem natura, quæ est in Petro, potest esse in Paulo, & è contrà, itaut illæ naturæ sint omninò eiusdem rationis, ideò Petrus, & Paulus dicuntur habere eandem naturam, dicuntur vnum in natura, non autem quia vna, & eadem natura sit simul realiter, ac entitatiuè in vtroque vt benè explicat Lichet. 2. dist. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem*, itaque ad argumentum conceditur maior, distinguitur minor, si enim natura quæ est in Petro, & natura, quæ est in Paulo carere dicantur diuisione formali, & essentiali, quia sunt eiusdem rationis, & est vna, & eadem amborum natura per indifferentiam, sic vera est minor, si verò carere dicantur diuisione, quia sit vna, & eadem amborum natura per inexistentiam, quasi sit eadem à parte rei entitas natura Petri, & Pauli in hoc sensu minor est falsa.

121 Ad primam illius minoris probationem distinguo assumptum, Petrus, & Paulus non differunt in natura, idest non habent naturas entitatiuè diuisas, & secundum rem, nego, non differunt in natura, ideſt non habent naturas essentialiter diuersas, quæ nempe sint alterius, & alterius rationis, & sic concedo; sed ex tali indiuisione naturarum essentiali non benè arguitur à parte rei vna, & eadem natura in ambobus entitatiuè, & secundum rem, & duo indiuidua distingui formaliter, non est tantùm habere distinctam formam, sed etiam habere formam alterius rationis, quare licè Petrus, & Paulus, distinctas habeant naturas, quia tamen hæ sunt eiusdem rationis, ideò non dicuntur distingui formaliter, ex quo tamen inferre non licet, quod habeant eandem naturam entitatiuè. Ad 2. quamuis Petri natura diuisa sit, & diuisa à natura Pauli, itaut ambo non habeant eandem naturam realiter, ac entitatiuè, tamen adhuc magis differt à Brunello, quam à Paulo, quia natura Petri, & Brunelli non solùm sunt plures, sed etiam diuersæ rationis, quia natura vnius, scilicet Petri non potest de se constituere Brunellum, nec è contrà. Ad 3. imò dico, quod à parte rei Petrus, & Paulus nequeunt dici vnus homo, sed necessariò sunt plures homines, quod argumento est non esse vnam, & eandem humanitatem realiter, ac entitatiuè in vtroque sed plures, eiusdem tamen rationis. Ad 4. intantùm indiuidua eiusdem speciei eandem rationem habere dicuntur, ac definitionem, inquantùm habent naturas eiusdem omninò rationis, à quibus etiam prædicata quidditatiua eiusdem omninò rationis desumi nata sunt, vndè posteà intellectus vnam conficit definitionem, quæ competit omnibus indiuiduis eiusdem speciei. Ad vltimum negatur consequentia, quia ad vniuocationem prædicamentalem genericam, vel specificam minimè opus est vnam, & eandem naturam physicè, ac realiter in vniuocatis reperiri; sed sufficit si sit vna, & eadem natura per indifferentiam, nam talis vnitas sufficit, vt possit ab illis abstrahi vna, & eadem ratio communis omnibus, & singulis, quantùm sat est ad vniuocationem prædicamentalem, vt constat ex dictis disp. 2. Log. q. 4. ar. 2. imò ad vniuocationem transcendentalem adhuc minus requiritur, vt patet ex dictis ibid. & disp. 1. Met. q. 5. art. 2.

122 Nititur hanc solutionem euertere Pasqualig. cit. disp. 15. sect. 2. *num.* 12. nam cum dicitur naturam non esse vnam in omnibus *secundum rem*, potest ly *secundum rem*, intelligi vel secundum entitatem physicam, vel secundum illud esse, quod dicitur natura, si primo modo intelligatur, certum est, inquit, naturam non esse eandem secundum physicam entitatem in omnibus, si verò intelligatur secundo modo, argumentum factum efficaciter concludit, quod natura sit vna in omnibus secundum rem, hoc est, secundum suum esse, quod dicit in statu absoluto, vndè fit quod natura stante suamet vnitate possit habere diuisionem entitatiuam, neque hoc aliquid officiat vnitati communitatis, quia hæc vnitas de se apta est, vt sit in pluribus, atque adeò cum diuisione entitatis. Sed ex hac solutione constat hanc non esse, nisi concertationem de nomine præsertim cum Pasqualig. nam ipse concedit totum, quod nos intendimus, nempe naturam non esse vnam, ac eandem secundum rem, ideſt secundum physicam entitatem, sed tantum secundum esse essentiæ, quod dicit natura in statu absoluto; hoc autem est id, quod nos docemus; sed talem communitatem diximus esse per solam indifferentiam modo iam explicato, non autem per inexistentiam; quod vt adhuc magis declaretur recolendum est, quod diximus disput. 4. Log. quæst. 1. art. 2. ens dupliciter accipi posse primò formaliter, seu nominaliter, quo sensu puram significat essentiam abstrahendo ab omni differentia, indiuiduali existentia, loco, & tempore; secundò materialiter, seu participaliter, & significat existentiam, ideſt entitatem determinatam non solùm quoad singularitatem, sed etiam locum, & tempus, quia non potest esse res existens, nisi in aliquo loco, & tempore; cum ergo dicitur vnam, & eandem naturam, seu entitatem communem esse in omnibus indiuiduis eiusdem speciei, non est intelligendum de entitate in secundo sensu, sic enim verum est nihil entitatis, quæ est in Petro, reperiri simul in Paulo siue adæquatè, siue inadæquatè, omnia enim sunt realiter, ac entitatiuè diuisa; at in primo sensu eadem entitas communis, quæ est in Petro, etiam reperitur in Paulo, quia vna formaliter est vtriusque essentia, siquidem entitas, vt dicit essentiam, nullam dicit determinationem nec indiuiduationis, nec temporis, aut loci; vndè si in hoc tantum sensu concedit Pasqualig. vnam, & eandem esse omnium indiuiduorum naturam, planè non ab eo discrepamus, nisi in verbis; sed certè Auctores oppositæ sententiæ, quam ipse profitetur, dum aiunt naturam esse communem per inexistentiam, velle videntur esse vnam, & eandem communem entitatem in omnibus, & singulis etiam in primo sensu, in singulis quidem inadæquatè, & secundum partem, in omnibus verò totaliter, & adæquatè. Et eorum hallucinatio inde videtur ortum duxisse, quia sunt arbitrati non posse à parte rei dari aliquam indiuisionem, quæ non sit entitatiua, eo quia omnes vnitates concipimus per speciem vnitatis entitatiuè, cum proprias non habeamus; hoc tamen falsum est, quandoquidem cum detur aliquis gradus in ordine entium ab indiuiduali diuersus, & vnitas, ac indiuisio sit passio ipsius, consequenter dari debet alia vnitas, & indiuisio, quæ non sit entitatiua, & per inexistentiam sed per solam indifferentiam.

Secundò, arguit Pasqualig. cit. n. 17. esse naturæ essentiale, quod reperitur in vno indiuiduo, reperitur etiam in alio, & prædicata quæ tribuuntur vni, tribuuntur non similia, sed eadem alteri, itaut illud idem prædicatum, quod prædicatur de vno, prædicetur etiam de altero, ergo non similis natura, seu eiusdem rationis est in pluribus indiuiduis, sed eadem, & consequenter eandem habens vnitatem formalem communitatis, consequentia patet, & probatur assumptum, nam si de Petro profertur quod est *animal rationale*, hoc idem prædicatum potest singulis indiuiduis naturæ humanæ applicari. Si dicatur prædicationem non fieri sine opere intellectus, & ideò quando eadem prædicata pluribus tribuuntur indiuiduis, tunc de ipsis prædicari naturam, quatenus habet vnitatem per intellectum abstrahentem naturam ab indiuiduis. Contrà. instat Pasqualig. quia quando natura prædicatur de inferiori, non prædicatur secundum aliquid, quod acquirat de nouo per abstractionem, sed tantum secundum id quod dicit, prout est in indiuiduis, quia si prædicaretur secundum aliquid aliud, quod non diceret prout est in indiuiduis, ex vi prædicationis aliquid tribueretur indiuiduis, quod non esset in ipsis, & consequenter prædicatio est falsa. Conf. prædicatio superioris de inferiori fundatur in identitate cum suo inferiori, nam intantùm prædicatur, inquantum identificatur; cum ergo idem esse naturæ, quod prædicatur de vno, prædicetur etiam de alio, natura à parte rei erit vna in omnibus per inexistentiam, & non tantùm per indifferentiam.

123 Respondet ad hoc Poncius disp. 3. n. 45, vnitatem similitudinis in natura sufficere, vt eadem natura possit de pluribus prædicari prædicatione dicente hoc est hoc, quæ solutio superius exclusa est nu. 18. quare melius occurritur ex doctrina Lichet. 2. d. 3. qu. 1. respondendo ad rationes Ocham, vbi docet, quod cum Franciscus dicitur homo, non intelligitur de humanitate distincta à Francisco, sed præcisè de illa, quæ reperitur in ipso, quæ ideò prædicatur in quid de Francisco, quia de facto illud constituit, & præstat illi totum esse quidditatium, & vt contracta in Francisco actu non est apta nata prædicari de alio in quid, sed vt contrahibilis ab omni alia hæcceitate est nata facere per se aliud indiuiduum cum alia, & alia hæcceitate, & in hoc sensu dicitur apta nata prædicari de illis prædicatione dicente *hoc est hoc*, adeòquod prædicatio actualis fundatur in actuali identitate naturæ cum indiuiduo, de quo prædicatur, aptitudinalis verò prædicatio de alijs in identitate aptitudinali, quatenus ad illa contrahi potest ex sui natura à parte rei disiunctim, vel per intellectum coniunctim, quo pacto fit vniuersalis. Itaque ad argumentum ex hac doctrina occurrendum est eandem naturam per indifferentiam posse prædicari de pluribus prædicatione aptitudinali à parte rei, & in potentia remota, quatenus natura quæ est in Petro, æquè benè poterat de se constituere Paulum, & talis prædicatio aptitudinalis fundatur in aptitudinali identitate; potest verò eadem natura per inexistentiam prædicari de pluribus proximè solùm per intellectum, cum eam concipit per modum vniuersalis, quam actualem prædicationem, vel aptitudinalem proximam acquirit natura ex operatione intellectus, vt declaratum est disp. 4. Log. quæst. 1. & talis prædicatio adhuc vera dicitur ob fundamentum, quod præcedit in re, nimirum ratione communitatis naturæ per indifferentiam, quam ipsa possidet citrà fictionem quamcumque intellectus, ex qua occasione postea reperta in re altruit intellectus in natura etiam communitatem per inexistentiam, & facit eam actu vniuersalem, vt loc. cit. dictum est, & adhuc magis infrà constabit.

124 Dices ex hoc sequi, quod tunc mille naturæ possent prædicari in quid de Francisco, quia quælibet illarum, vt prior sua indiuiduatione est communis, & quantum est de se poterat constituere Franciscum. Resp. Lichet. cit. quod tantùm illa natura, quæ actu est in Francisco, dicit quidditatem illius, & nulla alia, sed vt contrahibilis, & nata per se facere vnum cum hæcceitate Francisci dicitur prædicari in quid, & sic concedit, quod quælibet, vt sic, nata est prædicari in quid de Francisco, sed vt contracta est in Francisco, & dicit totam quidditatem illius, tunc de illo constituto nulla alia natura prædicatur in quid, cum prædicari in quid nil aliud sit, nisi naturam natam facere cum hæcceitate contrahente illud individuum, de quo prædicatur; non ergo de eodem indiuiduo constituto ex natura, & hæcceitate alia, & alia natura prædicatur, imò vt sic nulla natura prædicatur de illo, nisi vt considerata in esse contrahibili, & vt nata facere per se vnum cum tali hæcceitate.

Dices, quod explicando communitatem naturæ per indifferentiam,

&

& non per inexistentiam, videmur coincidere in opinionem Thomistarum, nam ipsi quoq; dicunt duo indiuidua eiusdem speciei esse essentialiter indiuisa, & vnum, non quia vna, & eadem natura communis sit in ambobus, sed quia licèt sint plures naturæ, ac essentiæ, quia tamen sunt consimiles, possunt concipi, vt vnum. Respond. negando assumptum, ratio enim cur natura Petri, & natura Pauli secundum nos sint consimiles, & eiusdem rationis est, quia natura vnius quantum est de se potest esse constitutiua alterius, hac enim ratione verè dicuntur similes in specie; quia vnus includit entitatem quandam, quæ absolutè potest esse in alio, & est vtriq; communis per indifferentiam; at Thomistæ dicunt Petrum esse similem Paulo se toto, quamuis quicquid est in Petro ita repugnet esse in Paulo, ac in Bucephalo, quod impossibile est, cum non explicent, in quo fundetur ista similitudo, & cur Petrus sit magis similis Paulo, quam Bucephalo. Dices saltim nos id ipsum cogi dicere cum Thomistis, quando comparamus naturã Petri cum natura Pauli, quia vel istæ naturæ sunt similes, vel dissimiles, & non possumus dicere, quod sint similes, nisi seipsis, & non quia includant aliquam entitatem communem, quia tunc procederetur in infinitum. Respond. negando adhuc assumptum, quia Petrus, & Paulus propriè loquendo sunt similes in natura, sed naturę eorum nequeunt dici similes nisi inquantum sunt rationes assimilandi ea in quibus sunt, vt docet Lichet. loc. cit. & Doctor quol. 4. L. & ratio est quia vniuersaliter loquendo. Quo non potest esse quod, vt dictum est supra nu. 32.

Tertiò, si in singularibus aliud non esset, quàm natura, vtique non possent esse distincta, quia munus distinguendi spectat ad differentias indiuiduales, sed essent vnum, & idem omninò à parte rei, quia indiuidua per naturã conueniunt, non distinguuntur, vt ait Doctor 2. d. 3. q. 6. ergo de facto vna, & eadem est natura realiter in omnibus entitatiuè indiuisa in se, sed solùm per indifferentias extrinsecè alioquin si diuisa esset, posset etiam ipsa natura distinguere indiuidua. Conf. quia si natura Petri, & natura Pauli, vt priores suis hæcceitatibus non sunt vna, & eadem naturã positiuè, & per inexistentiam, sed realiter, ac entitatiuè diuersæ nulla esset necessitas superaddendi singularitates, quia per ipsas naturas indiuidua sufficienter distinguerentur. Conf. adhuc, quia si natura Petri, vt prior sua hæcceitate, est realiter distincta à natura Pauli ea sic considerata, ergo debet habere aliquod principium istius distinctionis, hoc autem est falsum, quia natura Petri, vt à Petreitate distincta, non habet nisi sua prædicata essentialia, & proprietates illa consequentes, in quibus omninò conuenit cum natura Pauli. Hoc argumentum cum suis confirmationibus tangitur à Boneto cit. 1. Met. cap. 2. latè prosequitur illud Pasqualig. cit. sect. 2. per totam cum alijs confirmationibus, quę in idem recidũt.

125 Respondet Poncius disp. 3. log. q. 2 nu. 35. quod natura Petri, vt distincta formaliter à Petreitate, neque est vna positiuè cum alia natura, neq; positiuè distincta ab illa nam vt sic præcisè habet sua prædicata essentialia, inter quæ non est nec vnitas illa, neq; distinctio, quam solutionem suprà reieci nu. 53. Lichet. autem 2. d. 3. qu. 6. §. *Ad quæstionem*, concedit duo indiuidua de facto distingui realiter inter se non tantum per hæcceitates, sed etiam per naturas, licèt non numeraliter, & indiuidualiter, quia natura vt est prior singularitate non est vna numero. Quando autem Doctor dixit indiuidua non differre realiter per naturam, sed per hæcceitatem, aut locutus est solùm de distinctione reali numerali non autem de distinctione reali absolute, vt explicat Lichet. aut si etiam de distinctione reali absolutè locutus est, hoc intantum dixit, inquantum per naturam non distinguuntur realiter duo indiuidua per se, quia per se loquendo natura vnius potest esse natura alterius, & per accidens est, quod natura Petri sit Petri constitutiua, & non Pauli, quia per se indifferens est ad vtrumque constituendum disiunctim, benè tamen per se realiter distinguuntur per hæcceitates, quia hæcceitati Petri omninò repugnat esse hæcceitatem Pauli, & hinc est, quod absolutè dicuntur indiuidua per naturam conuenire, & per hæcceitates differre, quia licet alias, & alias habeant naturas, ac entitatiuè diuisas, quia tamen sunt eiusdem rationis, non sunt rationes, cur indiuidua inter se differunt, sed potius per quas conueniunt. Sed inhærendo doctrinæ traditæ num. 59. ex Scoto 7. Metaph. quæst. 13. §. *contra prædicta* dicendum est, quod licèt natura Petri, vt Petreitatem præcedit, non sit vna, & eadem positiuè entitas cum natura Pauli, nequeunt tamen dici inter se realiter distinctæ hæcceitatibus ob rationem ibi aductam, quia scilicet realis distinctio fundatur in diuersis entitatibus propriæ existentiæ capacibus, vndè cũ natura fundare nequeat existentiam, nisi vt subsistat singularitati, ideò consequenter fundare nequit realem distinctionem ab alia natura, nisi vt singularis, vt ibi declaratum est, vndè ad summum illæ naturæ, vt singularitates præcedunt, dici possunt non idem inter se, non tamen realiter, & positiuè distinctæ ex dictis ibidem num. 60. per quod patet ad argumentum cum suis confirmationibus; quamuis enim natura, quæ est in Petro non sit eadem, quæ est in Paulo etiam antè singularitatem, non tamen potest realiter distinguere Petrum à Paulo, tum quia est entitas communicabilis, & quantum est de se ita Petrum constituit, vt pariter Paulum constituere potuerit, tum quia antecedenter ad singularitatem non est existentiæ capax, nec consequenter realem distinctionem fundare potest.

126 Quartò, si natura in pluribus indiuiduis est in se, ac entitatiuè diuisa, & non potius actualiter vna in omnibus, & solùm extrinsecè diuisa, sequitur singulare cuiuscunque speciei esse imperfectum in illa specie, quia Petrus v. gr. non haberet completè totam naturam communem, sed tantum partem eius. Resp. negando consequentiam, eo enim ipso, quod singulare v. g. Petrus habet naturam communem cum sua vnitate formali dicitur habere totam naturam communem, ideſt quicquid est de ratione naturæ communis ista tamen totalis naturæ non dicit negationem naturæ humanæ similis, seu eiusdem rationis in alio indiuiduo, quia hæc est totalitas essentialis, non autem entitatiua, cum nulla sit repugnantia, cur præter naturam Petri alia eiusdem rationis entitas reperiatur in Paulo, imò argumentum concludit potius contra oppositam sententiam, quæ asserit eandem esse naturam in omnibus, & singulis indiuiduis suamque vnitatem formalem habere adæquatè in omnibus simul sumptis, in singulis verò partialiter, & inadæquatè tantùm, vndè ex hoc colligi videtur non integram naturam in quolibet indiuiduo reperiri cum sua vnitate formali. sed tantùm partem naturæ cum parte vnitatis formalis, & sic potius in oppositа sententia sequitur Petrum non habere completè totam naturam communem, sed tantùm partem eius.

Quintò, natura Petri, & natura Pauli sunt idem formaliter antecedenter ad singularitates, ergo sunt idem etiam realiter, quia maior identitas infert minorem, probatur assumptum, quia humanitas Petri, & humanitas Pauli sunt indiuisæ formaliter, hoc est per principia formalia, & essentialia. Confirm. quia vt arguit Bonet. si humanitas Petri, & humanitas Pauli sunt realiter distinctæ, ergo prædicata priora non erunt communia, sed propria, loquendo de communitate extrà animam, & per consequens non habebunt eandem definitionem Petrus, & Paulus, cum hæc detur per prædicata communia, & priora.

127 Resp. patere ex dictis num. 121. quo sensu natura Petri, & Pauli dicantur esse formaliter indiuisæ, quia nimirum non distinguuntur per principia formalia, & essentialia, & sic dicuntur idem formaliter, vt formalis identitas coincidit cum essentiali, non autem sumendo propriè identitatem formalem, hoc autem sensu concesso antecedente negatur consequentia, ad cuius probationem dico, quod identitas formalis in hoc sensu, vt scilicet coincidit cum identitate essentiali benè stat cum distinctione reali, duo enim indiuidua sub eadem specie distinguuntur realiter, & sunt idem essentialiter, vndè in hoc sensu non est maior identitas. Ad Conf. negatur consequentia, cum hoc enim; quod humanitas Petri non sit humanitas Pauli, adhuc stat quod ambo sint prædicata communia, & non propria, quia illud dicitur prædicatum proprium alicuius, quod illi est ita addictum, vt alteri nullatenus conuenire queat, qualis est in Petro Petreitas, & in Paulo Pauleitas, vndè quia humanitas Petri non ita se habet, quia quantum est de se poterat etiam contrahi à Pauleitate, ideò nequit dici prædicatum eius proprium, sed ad summum appropriatum, intrinsecè verò, & per se commune. Ad illud de definitione ait Margo ad margines Boneti pro Scoto, quod prædicata sunt communia per intellectum, & non extra intellectum, & sic etiam, quod indiuidua habent vnum conceptum in mentem communem, Sed est inepta solutio, & à mente Scoti prorsus aliena, quia Doctor in gradibus prædicamentalibus agnoscit communitatem nedùm in intellectu, sed etiam extrà intellectum vt patet 2. d. 3. qu. vbi id ex professo probat, & vult definitionem, quando præsertim datur per conceptus adæquatos, exprimere rerum essentias, vt sunt à parte rei non autem secundùm esse, quod habent in intellectu, non enim esse in intellectu dat rei rationem quidditatiuam, vt ait *quod.* Q. Poncius disp. 3. log. q. 2. num. 32. loquendo de definitione obiectiua concedit aliam esse definitionem Petri, & aliam Pauli, sicut alia est essentia vnius ab essentia alterius quamuis propter summam similitudinem; quam habent, censeantur habere vt vnam essentiam, ita etiam vnam definitionem. Sed iam constat ex dictis disp. 1. log. qu. 4. art. 3. in fine indiuidua non habere propriam definitionem nisi speciei, vt monet quoque Doctor 2. d. 3. qu. 6. lit. M. & ideò falsum est aliam esse definitionem Petri, & aliam Pauli; sicuti etiam falsum est aliam esse essentiam vnius ab essentia alterius, quamuis enim dici possit humanitatem Petri esse aliam ab humanitate Pauli tamen cum veritate dici non potest essentiam Petri esse aliam ab essentia Pauli, & inter se differre essentialiter, quia cum illæ humanitates sint entitates omninò eiusdem rationis, possunt quidem dici plures entitates, ac etiam distinctæ, vel diuersæ entitates, non tamen essentiæ diuersæ, quia habent eadem principia formalia & essentialia constitutiua. Quare dicendum est ad argumentum, quod sicut indiuidua eiusdem speciei habent prædicata priora communia, non autem propria, ita quoque habent eandem definitionem omnibus, & singulis communem, vt explicatum est suprà nu. 121.

128 Sextò arguitur ex auctoritate Arist. enim 7. Met. 51. ait, *animal esse vnum, & idem in homine, & equo, sicut tu tibi ipsi*, & Porphirius in cap. de specie inquit, *plures homines participatione speciei sunt vnus homo*, qui quidem loquendi modus, tam Aristot. quam Porphyrij innuit naturam esse vnam, & eandem in omnibus indiuidis non tantùm per indifferentiam, sed etiam per inexistentiam, seu per indiuisionem entitatiuam. Resp. primam auctoritatem plus probare, quam velint Aduersarij, qui vtique volunt vnam, & eandem naturã esse omnium indiuiduorum, non tamen vnam vnitate indiuiduali, & numerica, sed minori, quam appellant formalem, auctoritas ve-

rò

rò allata significat vnum, & idem animal numero esse in homine, & equo, dum ait esse idem *sicut tu tibi ipsi*; itaq; dicendum est, vt ibi exponit Doctor. & Alensis, Arist. probare contrà Platonem genus, & species poni non posse substantias à singularibus separatas, & per se subsistentes, quia cum sit vnum, & idem animal in homine, & equo, nam si definiantur homo, & equus, vt animalia, dabitur in vtroq; eadem definitio, sequitur idem numero esse in pluribus rebus separatim existentibus, quod est impossibile, vult igitur animal esse vnum, & idem in homine, & in equo, vel vnitate rationis, vt dicitur communiter, vel vnitate, & identitate reali, non quidem per inexistentiam, quia id est impossibile, sed per solam indifferentiam. Ad Porphirium dicendum est ibi loqui de natura specifica pro secunda intentione, & sub ratione vniuersalis, atq; ideò loqui non de vnitate reali, quam habet natura à parte rei, sed de vnitate rationis, quam habet per intellectum sub ratione vniuersalis, quam vnitatem vtiq; concedo non esse per solam indifferentiam, sed etiam per inexistentiam, vt dictum est disp. 4. log. q. 2. art. 3. explicando vnitatem naturæ vniuersalis. eo quia dum natura vniuersalizatur concipitur vna per inexistentiã in omnibus, & singulis, vt adhuc magis explicabitur infrà.

Postremò instat Hurtad. disp. 5. Met. sec. 2. vbi probat naturam, nedum non esse communem per inexistentiam, sed neq; etiam per indifferentiam, nam conceptus specificus hominis quidditatiuè prædicatur de multis hominibus, sed humanitas existens in solo Petro non prædicatur quidditatiuè de multis hominibus, quia non est in illis, ergo illa non est conceptus vniuersalis. Si dicas eam posse esse diuisiuè. Contrà instat, quia id tantùm est posse esse in vno, non tamen necessariò in hoc potius, quam in illo, hoc autem non sufficit ad vniuersalitatem, cui conuenit posse prædicari simul, & esse in pluribus. Tum 2. quia licèt anima diuisiuè possit animare multa corpora, tamen non potest prædicari actu in concreto de illis, quia actu non existit, nisi in vno, & de meo corpore tantùm potest prædicari anima mea in concreto. Tum 3. quia sic etiam Petreas potest dici vniuersalis, quia sicut per te natura Petri poterat contrahi Pauleitate, ità Petreitas poterat contrahi per naturam Pauli. Tum 4. quia tot forent vniuersalia specifica hominis, quot sunt naturæ contractæ per singularitates, quia per te natura cuiuscunque hominis est vniuersalis. Tum 5. quia esset in Deo aliqua ratio communis indifferens ad singularitatem Dei, & humanam, quod est falsum, consequentia probatur, quia in Deo dantur rationes communes, quibus cum illo creaturæ conueniunt, & in sententia Scoti conueniunt vniuocè, falsitas consequentiæ patet, nam quicquid est in Deo, est necessariò Deus, ergo implicat à parte rei, quod possit esse creatura. Tum tandem affert rationem à priori, quia humanitas Petri v.gr. de se est singularis, quia non habet à Petreitate vel alio extrinseco, quod diuidi nequeat in plures humanitates, quæ sint secum realiter idem, sed id habet à seipsa, quamuis enim omni careret hæcceitate, adhuc non posset ita diuidi.

129 Resp. hæc argumenta, si quid probant, probare solùm, quod natura non est vniuersalis à parte rei formaliter, & completè, itaquod actu, vel saltim potentia proxima possit de multis prædicari, quod quidem gratis concedimus, non verò, quod non sit cõmunis per indifferentiam modo explicato, non enim vt natura sic cõmunis dicatur, requiritur quod actu, vel potentia proxima possit prædicari de multis, & coniunctim, sed sufficit quod possit de illis multis prædicari in potentia remota, & diuisim, & hoc gratis concedimus ad vniuersalitatem non sufficere, per quod patet ad primum cum sua instantia. Ad 2. licet exemplum de anima respectu corporis non sit satis ad rem, quia ipsa est communicabilis corpori tantùm, vt quo, natura verò est communicabilis inferioribus, vt quo, & vt quod; tamen respondetur per idem concedendo, quod sicut anima nequit denominatiuè prædicari, nisi de corpore, quod actu informat, non autem de alijs, quæ informare potest diuisiuè, nisi potentia remota, sic etiam humanitas nequit actu quidditatiuè prædicari, nisi de indiuiduo, quod actu constituit, de alijs autem, quæ actu non constituit, sed tantùm constituere potest, non nisi potentia remota, quod licèt non sufficiat ad vniuersalitatem propriè dictam sufficit tamen ad constituendam cõmunitatem naturæ per indifferentiam. Ad 3 negatur consequentia, quia per illud probatur solùm Petreitatem esse indifferentem ad contrahere, non autem ad contrahi, & communicari, quia ex se, & intrinsecis principijs determinata est cum natura ad constituendum Petrum, itaquod non potest constituere Paulum, imò idei intrinsecè repugnat, quod de natura Petri nequit asseri. Ad 4. negatur consequentia, quia licet tot sint humanitas, quot homines, adhuc tamen vna tantum est species humana, quia vnaquæq; non est nata fundare, nisi secundam intentionem eiusdem speciei, vt potè entitates eiusdem rationis, vt posteà magis explicabitur, & falsum est per Scotum naturam cuiuscunq; hominis esse vniuersalem formaliter, & propriè, licèt sit communis per indifferentiam, quia ad vniuersalitatem requiritur communitas per inexistentiam ex dictis disp. 4. Log. q. 1. artic. 2. Ad quintum concludit argumentum contrà Scotistas tenentes conceptus transcendentes Deo, & creaturis communes fundari in proprijs, & adæquatis realitatibus à parte rei in eis existentibus, quod nos non concedimus, nisi de gradibus prædicamentalibus, vt constat ex dictis disp. 2. Met. à nu. 77. & ideò neganda est paritas, vt etiam superius negaui in hac disp. nu. 66. Ad vltimum patet ex dictis ad simile argumentum suprà n. 104.

Quæstio

ARTICVLVS VI.

An natura in statu essentiæ habeat quandam vnitatem minorem vnitate singulari, quæ dicitur formalis.

130 Diuersos naturæ status, varioſque vnitatis gradus assignant Auctores pro recta huius quæsiti intelligentia, vt appareat quæ vnitas in quocunq; statu conueniat naturæ, itaque in triplici statu potest considerari natura, vt ex Auic. docet Scotus 7. Metaphys. quæst. 18. & 2 distinct. 3. quæst. 1. & 6. & D. Thom. quol. 8. q. 1. artic. 1. & de ente, & essentia cap. 4. primò consideratur secundum se, & absolutè in sua propria ratione, & dicitur status essentiæ, in quo naturæ conueniunt prædicata essentialia, & quæ necessario consequuntur essentiam, idest prædicata tam primi quàm secundi modi; secundò prout est in singularibus à parte rei, & dicitur status existentiæ realis in quo natura est per hæcceitates necessariò contracta, quia non potest à parte rei existere, nisi singularis, & individua. Tertiò tandem consideratur prout est obiectiuè in intellectu, & hic dicitur status existentiæ obiectiuæ, in quo naturæ ea prædicata conueniunt, quæ illi tribuuntur per virtutem præcisiuam, vel comparatiuam intellectus; primus status ordine saltim naturæ præcedit secundum, nam prius natura intelligitur in se, & deindè coniungi cum hæcceitatibus, vltimò sequitur status existentiæ obiectiuæ, quatenus varijs modis potest natura ab intellectu præscindi, & comparari. Præterea inter se sic se habent huiusmodi status, quod prædicata quæ cõueniunt naturæ in primo statu, cum ille sit status quidditatiuus, & prædicata identidem quidditatiua, conueniunt naturæ in quocunque alio statu, nam homo vel humanitas tam in singularibus, quàm in intellectu est essentialiter rationalis, & est risibilis; quæ verò naturæ conueniunt ratione aliorum statuum, nequeunt de natura dici in statu essentiæ, quia alij duo status accidunt naturæ, & constituitur in eis per aliquid superadditum, in statu quidem existentiæ realis per hæcceitatem superadditam, & in statu existentiæ obiectiuæ per operationem intellectus, & aliquam secundam intentionem, vndè dicere non possumus naturam in sua essentia esse singularem, vel vniuersalem, quia vtrumque prædicatum accidit naturæ; vndè si hæc, & alia huiusmodi prædicata comparãtur ad naturam absolutè sumptam, denominatiuè se habent, quia denominant tantum naturam, non verò constituunt; itaque in hac quæstione naturam considera-mus in primo statu, mox considerandam sub alijs statibus in sequentibus.

131 Quod gradus vnitatis dimissa in præsenti vnitate transcendentali, tum quia satis in superioribus de ea dictum, tum quia ad hanc disputationem non pertinet, vbi tantum est sermo de gradibus prædicamentalibus, ac eorum vnitate, triplicem assignat vnitatem Arist. 5. Metaph. cap. 6. numericam, specificam, & genericam; ratio huius assignationis est, quia vna res potest ab alia distingui vel per sua principia materialia, ac indiuidualia tantùm, vel per per principia quoq; formalia, & essentialia, & hoc dupliciter vel proximiora, vel remotiora; primo modo distinguuntur Petrus, & Paulus, quia distinguuntur præcisè per suas hæcceitates, quæ etiam dici solet distinctio materialis, quia sumitur à differentia indiuiduali, quæ solet appellari materia totius vt patebit disp. sequ. secundo modo distinguitur Petrus à Brunello, quia non distinguuntur per differentias tantum indiuiduales, sed etiam per differentias specificas proximas, scilicet per rationalitatem, & irrationalitatem; tertio tandem modo distinguuntur Petrus, & lapis, quia non secernuntur tantùm per differentias indiuiduales, aut specificas proximas, sed etiam remotas, quæ sunt genericæ; & hæc distinctio per differentias specificas proximas, vel remotas solet appellari communi nomine distinctio formalis, seu facta per principia formalia, quia sumitur à differentia essentiali, quæ dici solet forma rei. Quia igitur ex multiplicitate diuisionis oritur multipliciras vnitatis, quæ per negationem diuisionis explicari solet, quæ enim non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt docet Arist. 5. Met. 11. sicut triplex assignatur diuersitas, vel distinctio numerica, specifica, & generica, sic etiam triplex assignari debet vnitas, vnum numero dicitur Petrus in seipso, quia est in se indiuisus per principia indiuidualia, & à quocunq; alio diuisus, vnum specie dicitur Petrus cum Paulo, quia in principijs specificis sunt indiuisa, vnum genere tandem dicuntur Petrus, & Bucephalus, quia sunt indiuisa in principijs genericis; vnitas competens rebus ratione indiuidualis differentiæ dicitur materialis, sicut opposita distinctio materialis dicebatur, & vnitas competens rebus ratione essentiæ dicitur vnitas formalis, sicut opposita distinctio, vel diuersitas formalis dicebatur.

132 Istæ verò vnitates ita inter se comparantur, vt præsertim notarunt Lichet. & Mairon. vt vna dicatur maior alia, & illa dicitur maior vnitas, quæ minorem secum patitur diuisionem, cum enim eius ratio in negatione diuisionis consistat, vel eam connoter, quantò vnitas est maior, tantò magis recedit à suo opposito; ex quo fit vnitatem numericam esse omniũ maximã, quia nullam secum compatitur diuisionem, quod enim est vnum numero est ita in se indiuisum, vt amplius in alia similia diuidi non possit. Vnitas formalis specifica dicitur minor numerali, quia compatitur secum diuisionem per hæcceitates,

tates, vndè vnum specie potest esse numero multiplicatum; adhuc tamen hæc vnitas dicitur maior vnitate formali generica quia hæc secũ admittit nedùm diuisionem per hæcceitates, seu principia materialia, sed etiam per formalia, & essentialia; & ideò vnitas formalis generica intrà coordinationem prædicamentalem censetur omnium minima, quia admittit diuisionem per differentias essentiales; his præceptis, vt communiter concessis pro intelligentia tituli quæstionis proponendæ sunt primo loco aliorum opiniones.

Prima opinio negat hanc vnitatem formalem numerali minorem vllo modo competere naturæ à parte rei, nec in statu essentiæ, nec in statu existentiæ, sed ait competere tantùm per intellectum, ita Nominales qui dicunt naturam esse per seipsam indiuiduam, & per propriam essentiam, vt Ocham 1. part. 2. Log. cap. 16. in fine, & cap. 17. & 1. d. 2. quæst. 6. vbi Gabriel Adam 1. d. 33. quæst. 8. art. 1. Aureol. 2. d. 9. quæst. 2. art. 1. 2. & 3. Toletan. 1. de anim. quæst. 17. art. 1. & sequitur Hurtad. disp. 5. Met. sect. 9. vbi pluribus contendit non dari vnitatem formalem mediam inter vnitatem singularem, & vniuersalem, sicut non datur natura habens statum medium inter singularem, & vniuersalem. Secunda opinio, quæ solet tribui Fonsecæ 5. Met. cap. 28. quæst. 3. asserit naturam in statu essentiæ seu secundum suum statum absolutum consideratam habere quandam vnitatem veluti mixtam ex formali, & numerali, & inquit naturam secundum hanc vnitatem ad inferiora non descendere, seu illam inferioribus non communicare, quia ex eo, quod natura in inferioribus multiplicatur, tollitur huiusmodi vnitas; & tandem concludit hanc vnitatem non esse illam, quam dicunt formalem, quia secundum talem vnitatem natura ad inferiora descendit, nec etiam esse propriè numeralem, quia hæc tantum indiuiduis conuenit, vt talia sunt, & ideò potius dici debet (inquit Fonsec.) quasi numeralis, seu numeralis naturæ communis, quatenus per ipsam naturæ communes numerantur. Tertia opinio negat naturę in statu essentię quamlibet vnitatem positiuam siue formalem, siue numeralem, siue mixtam, & inquit dici posse tantùm negatiuè vnam, quatenus non est diuisa, natura enim secundum se considerata nec est positiuè vna, neque multiplex, quoniam equinitas secundum Auicen. est tantum equinitas nec, vna nec multiplex, ita Auersa quæst. 8. Log. sect. 7. Serna disp. 1. Log. sec. 4. q. 6. art. 2. Io: de S. Tho. p. 2 Log. q. 3. art. 3. & nonnulli alij Thomistæ, vt refert Suarez disp. 6. Metaph. sect. 1. Quarta tandem, & vltima sententia communis docet naturam secundum statum essentiæ, seu absolutè consideratam habere vnitatem formalem, quæ est formaliter, & positiuè vnitas, vnde in tali statu est positiuè vna vnitate formali, quæ est minor numerali, ità Scot. loco cit. cum omnibus Scotistis D. Thom. de ente, & essentia c. 4. q. 2. vbi Caiet. & Ripa art. 4. Complut. disp. 3. Log. quæst. 2. Amic. tract. 4. Log. quæst. 3. dub. 5. art. 3. Suarez cit. Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 14. sect. 3. & alij passim.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæstionis.

133 DIco Primò naturam absolutè acceptam, seu in statu essentiæ habere propriam vnitatem positiuam, quæ ipsam consequitur, veluti propria passio. Ita docet Doctor cit. 2. d. 3. qu. 1. §. *Ad quæstionem*, in fine lit. G. vbi sic loquitur; natura secundum illam entitatem habet verum esse extrà animam realem, & secundum illam entitatem habet vnitatem sibi proportionabilem, quæ est indifferens ad singularitatem, ita quod non repugnat illi vnitati de se quod cum quacunque vnitate singularitatis ponatur; hoc ergo modo intelligo naturam habere vnitatem realem minorem vnitate numerali, & licet non eam habeat de se, itaquod sit intrà rationem naturę, quia equinitas est tantùm equinitas secundum Auic. 5. Met. tamen illa vnitas est passio propria naturæ secundum suam entitatem primam, & per consequens nec est ex se hæc intranee, nec secundum entitatem propriam necessariò inclusam in ipsa natura secundum primam entitatem suam; ita Scot. ibid. & paulo supra iam declarauerat, quo sensu intelligatur Auic. dictum, quod equinitas est tantùm equinitas, nec ex se vna, nec plures, nec vniuersalis, nec particularis, hoc enim non ideò dixit, quia natura secundum suam essentiam non sit positiuè vna, nam cum ita loquuntur Auicen. & alij Auctores intelligunt (inquit Doctor quod non est ex se vna vnitate numerali, nec plures pluralitate opposita illi vnitati, sicut enim ex se nullam habet indiuiduationem, ita neque ex se vllam habet vnitatem singularem, aut multiplicitatem &c. Probatur primò ratione ex Doctore deducta, quia vnitas est adæquata passio entis, ita quod quolibet ens, in quocunque gradu sumatur, est ex sua essentia vnum, vnitatemq; habet sibi proportionatam, sed natura habet propriam essentiam, ac entitatem à singularitate distinctam ex natura rei ex dictis supra, ergo, & propriam vnitatem.

Respondet Auersa loc. cit. vnitatem, quę est passio entis posse saluari merè negatiuè, quia scilicet non sit de essentia naturę diuisio, posse etiam saluari per rationem cum fundamento in re, quo pacto natura in intellectu est vna; deindè sumi potest vnitas trenscendens, quæ est passio entis, pro vnitate numerali, & indiuiduali, non quidem determinatè sumpta, sed indeterminatè vt præscindit, & abstrahit ab hac, vel illa vnitate indiuiduali, vt sic, & sic naturæ absolutè sumptæ, conueniet vnitas indiuidualis in communi sumpta. Hæc solutio impugnatur tum absolutè, tum ad hominem, absolutè quidem, quia passiones entis sunt proprietates verè, reales, & positiuæ ex dictis disp. 4. quæst. 1. & præsertim vnitas transcendentalis reddit suum subiectum verè, & positiuè vnum, ex dictis disp. 5. ergo nequit vnitas saluari merè negatiuè, & per rationem; impugnatur etiam ad hominem, quia secundum Aduersarios vnitas formaliter consistit in negatione diuisionis; ergo nihil potest esse positiuè vnum formaliter secundum ipsos, sed tantum negatiuè; si ergo habet natura negationem diuisionis per principia formalia, & essentialia, erit vna in suo ordine, sicut quodlibet aliud ens, quia nullum per ipsos potest vnum formaliter constitui, nisi per negationem diuisionis. Tum quia secundum ipsos nihil dici potest positiuè vnum nisi ratione fundamenti, cui ex se, & intrinsecè conuenit negatio diuisionis, sed in natura secundum se, vt ab indiuiduatione, distincta, inuenitur entitas positiua, & inuenitur negatio diuisionis quoad principia formalia; ergo inuenitur plena, & perfecta vnitas, quia hæc secundum ipsos consistit in entitate cum negatione diuisionis, & consequenter natura erit vna positiuè, quantum id potest ei conuenire ratione fundamenti.

134 Respondet Io. de S. Th. non inueniri in natura negationem diuisionis absolutè, & ex omni parte, sed solùm sub illa reduplicatione quantum est ex principijs formalibus, & quia relinquit indifferentiam, vt habet pluralitatem, vel vnitatem absolutè, & per principia materialia, ideò perfectè, & simpliciter non manet vna, sed solùm negatiuè, & sub illa reduplicatione dicta. Contrà, quia id tantùm probat naturam non esse simpliciter, & absolutè, seu maximè vnam, idest numericè, quia secum aliquam admittit diuisionem nempè per principia materialia, ac indiuidualia, non autem probat quod non sit positiuè vna in suo ordine, idest aliqua vnitate minori, quam sit indiuidualis. Tum quia vnitas non destruitur per quamcunque pluralitatem, sed tantùm per pluralitatem sibi oppositam, vt v. gr. vnitas formalis non destruitur per pluralitatem indiuidualem, sed tantùm per formalem; ergo ex hoc quod natura est vna sub illa reduplicatione, quantum est ex principijs formalibus, quamuis sit *indifferens* ad vnitatem, vel pluralitatem per principia indiuidualia, minimæ lædit eius vnitas formalis, ergo hoc non tollit, quin sit positiuè vna in suo ordine; & sic nulla est allata responsio. Denique alia responsio quam subdit Auersa de vnitate indiuiduali, quod possit assignari pro passione entis, non quidem determinatè sumpta, sed vt abstrahit ab hac vnitate indiuiduali, & illa, est prorsus falsa, vt ostensum est disp. 5. qu. 3. ex professo. Tum quia sicut hæc indiuidualis consequitur hoc indiuiduum signatè, ita vnitas indiuidualis in communi vt præscindit determinatè ab hac, & illa sequitur esse indiuiduale in communi, vt eius passio, non autem ens in communi, aut naturam in statu essentiæ consideratam. Tum quia vnitas indiuidualis siue determinatè accepta, siue in communi semper erit incommunicabilis secundum suam rationem formalem, redditque subiectum quod afficit incommunicabile, at natura in statu essentiæ præsertim considerata est de se incommunicabilis, ergo vnitas, quæ ipsam consequitur, vt passio, nequit esse indiuidualis siue determinatè, siue in communi sumpta.

135 Secundò, probat Doctor, quia natura in statu essentiæ considerata, & vt præcedit singularitatem, est quod quid est re, & per se obiectum intellectus, & per se, vt sic, consideratur à metaphysico, & exprimitur per definitionem; sed nihil potest verè; & propriè definiri, nisi sit per se vnum, vt docet Arist. 4. Met. 10. & lib. 7. tex. 13. ergo natura in se, & essentialiter est verè, & positiuè vna.

Respondet rursus Auersa, vt natura possit vno nomine significari, & vna definitione explicari, sufficere quod sit vna negatiuè, idest non dicat essentialiter diuisionem, & possit etiam concipi ab intellectu, vt vna, & est solutio Aureoli 2. d. 9. q. 2. art. 1. Contrà, quod habet vnum nomen, & vnam definitionem potest esse vniuocum, itaquod vniuocatio sumitur ex vnitate nominis, & definitionis, sed vniuocatio in vnitate positiua fundatur eiusdem nominis, & rationis, vt patet ex definitione vniuocorum, ergo quod est definibile debet esse vnum positiuè, & non negatiuè tantùm. Deindè falsa quoque est alia responsio, vt natura definiri possit sufficere, quod possit, vt vna ab intellectu concipi, quia vt ait Doctor quol. 1. Q. natura non habet ab intellectu, sed ex se, quod sit definibilis, & definitio exprimit esse etiam rei, vt est in re, non vt est in intellectu; ergo quod verè, & propriè definitur, ex se debet habere vnitatem illam, & à parte rei, non autem præcisè per opus intellectus. Tum quia si foret ita, quod ad definitionem sufficeret vnitas tributa per intellectum, entia quoque per accidens definiri possent, quia possent ab intellectu apprehendi per modum vnius.

136 Tertiò, passio per se primò conuenit naturæ, non singularibus, sed subiectum vnius passionis debet esse per se, & positiuè vnum; ergo natura secundum se, & vt singularitatem præcedit est verè, & positiuè vna, maior est Arist. 1. Post. tex. 12. vbi risibile dicitur primum, & immediatum humanitatis prædicatum, non Sortis, vel Platonis. Probatur minor, quia vnitas passionis pendet ex vnitate subiecti. Respondent Nominales subiectum passionis esse conceptum mentis, sicut etiã & ipsa passio, si pro vera passione sumatur, quod si passio impropriè accipiatur pro vera re, quod est accidens alterius, tunc negatur maior, quia subiectum eius sunt singularia. Contrà, quia si adæquatum subiectum passionis, v.g. risibilitatis est conceptus cõmunis huius, & illius hominis, & adæquata passio conceptus cõmunis huius, & illius risibilitatis; ergo dũ passio prædicabitur de subiecto, nõ prędicabitur res de

re, sed conceptus de conceptū, & erit prædicatio falsa, quia nec conceptus formalis, nec obiectiuus passionis est conceptus formalis, vel obiectiuus subiecti. Deindè si singularia ipsa simul sumpta sunt adæquatum subiectum passionis, vel sunt secundum propriam cuiusque singularitatem, & hoc non, quia in tali passione communicant, vel secundum naturam, & sic habetur intentum, sicut enim passio est vnius rationis, ita quoque subiectum adæquatum vnius rationis habere debet, alioquin vnum non esset, nisi collectiuè, & per aggregationem, quod minimè sufficit ad vnitatem subiecti scientiæ, de quo passiones in scientia demonstrantur.

137 Quartò, Vnitas in indiuisione consistit, sed natura v.g. humana ex se habet indiuisionem formalem, seu per principia formalia, ergo ex se habet formalem vnitatem. Dices hinc tantum sequi naturam ex se esse negatiuè vnam, & indiuisam, quia ex se non est diuisa, non tamen esse ex se positiuè vnam. Contrà, quia cum vnitas formaliter in negatione consistat, vel saltim per eam explicetur, si natura ex se habet negationem diuisionis formalis, iam habet formalem vnitatem; tum quia vt dictum est suprà malè distinguunt Aduersarij de vno positiuè, & negatiuè, quia secundum ipsos vnitas formaliter in negatione consistit, & solum fundamentaliter est ens positiuum, cum igitur in proposito natura, vt ab indiuiduatione distincta, habeat propriam entitatem cum negatione diuisionis formalis, cur non dicetur vna foraliter etiam positiuè, quantum id ei conuenire potest ratione fundamenti?

Respondet Auersa, quod illa propositio, natura ex se habet indiuisionem formalem, seu in statu essentiæ, non est formaliter diuisa, si reddat sensum affirmatiuum, idest de sua essentia habet, vt non sit diuisa, est falsa; si autem reddat sensum negatiuum hoc modo, non ex sua essentia natura habet, vt sit diuisa, sic est vera, ex qua non sequitur positiuè loquendo vnitatem seu indiuisionem conuenire naturæ in statu essentiæ. Contra, nam etiam in primo sensu est vera illa propositio, quidem natura ita ex se habet negationem diuisionis formalis, nominò repugnet illi diuisio formalis, quia formaliter diuidi, nil aliud est, quam diuidi essentialiter, seu per differentias essentiales, homo autem sic diuidi non potest, sed tantùm materialiter, & per differentias indiuiduales. Ex quo etiam sequitur posse in statu essentiæ dici vnam positiuè, quia in tali statu non habet per quid plurificetur positiuè, ergo est vna positiuè. Probatur consequentia, nam vnum & multa in ente immediatè opponuntur, & seinuicem tollunt, itaut quocunque ente alterum ex his ineſſe debeat, vt sit, scilicet vel vnum positiuè, vel positiuè multa; ergo si à natura ex vi suæ essentiæ tollitur positiua pluralitas, hoc vtique erit per positiuam vnitatem, quam de se habet. Denique probari potest ex paritate vnitatis indiuidualis, nam ita repugnat naturæ diuidi formaliter, sicut indiuiduo diuidi materialiter, sed illa est positiua, ergo &c.

Respondet Serna loc. cit. naturam secundum se sumptam, seu in statu essentiæ abstrahere ab vnitate, & multitudine; cum qua concidit responsio aliorum naturæ ex se nec diuisionem, nec indiuisionem formalem conuenire, sed esse indifferentem ad vtrumque: sicut superficies ex se indifferens est, vt sit alba, vel non alba, vndè dici potest in hoc sensu negatiuè non alba. Contra primam responsionem instatur, quia si natura abstrahit ab vnitate, ergo etiam debebit ab ente abstrahere, ad quod consequitur vnitas, vndè verum est vtique naturam in statu essentiæ abstrahere ab vnitate singulari, non tamen à quacunq; vnitate alioquin abstraheret à ratione entis. Deindè reijcitur ex dictis alia responsio, quia negatio diuisionis formalis ita conuenit ex se naturæ, vt omninò illi repugnet diuisio formalis; ergo falsum est esse ex se indifferentem ad diuisionem, & indiuisionem formalem, sicut est superficies ad esse albam, & non albam; est vtique indifferens ad vnitatem, vel multiplicitatem indiuidualem, quatenus per vnam, vel plures singularitates saltim disiunctim contrahi potest non tamen est indifferens ad vnitatem, & multiplicitatem formalem, quia repugnat ei formaliter diuidi.

138 Dico secundò vnitatem, quæ naturam consequitur in statu essentiæ, non esse numeralem, aut mixtam quodammodo ex formali, & numerali, sed esse præcisè vnitatem formalem, quæ est propria naturarum. Conclusio est Scoti loc. cit. contra primam, & secundam opinionem, & quidem quoad primam partem, quod vnitas naturæ in statu essentiæ non sit numeralis ex eo patet, quod vnitas numerica nullam permittit diuisionem in alias partes subiectiuas, vnitas autem naturæ permittit, vnitas numerica est incommunicabilis prorsus, non ita vnitas naturæ; denique nulla natura creata est de se hæc, sed solum natura diuina, vt ostensum est in superioribus; ergo vnitas naturæ creatæ secundum se consideratæ non est vnitas numerica, seu singularis; tum quia principium vnitatis singularis est singularitas, sed natura secundum suam essentiam à singularitate præscindit, eamque conuenit tantùm in statu existentiæ, ergo, &c.

Deindè probatur non esse vnitatem quandam ex formali, & numerali mixtam, quia talis mixtio omninò repugnat, siquidem vnitas singularis est propria indiuiduorum, vnitas formalis naturarum, & ideò hæc ponitur communicabilis, illa verò incommunicabilis, vna secum, patitur, aliquam diuisionem, alia nullam prorsus, ergo tale mixtum omninò repugnat; si dicas cum Fonsec. hanc naturæ vnitatem esse quodammodo mixtam ex vnitate formali, & numerali, quia quatenus conuenit naturis solis; participat rationem vnitatis formalis; quatenus autem conficit numerum ipsarum naturarum communium, quia humanitas v. g. & equinitas sunt duæ naturæ specificæ, habet rationem vnitatis numeralis, vnde vult eam esse appellandam vnitatem numeralem, non quæ est propria singularium, sed vniuersalium. Contra, quia vnitas numerica ab omnibus ponitur propria singularium, malè ergo tribuitur hæc vnitas naturis communibus. Meque quia numerari solent gradus metaphysici, & naturæ communes, ritè tribuitur illis vnitas numeralis, siquidem numerus quidditatum non est numerus prædicamentalis, sed transcendentalis qui constare potest ex vnitatibus etiam formalibus, nam quilibet gradus suam habet vnitatem formalem. Rursus hic dicendi modus impugnatur ex sui explicatione, ait enim Fonseca naturam secundum hanc vnitatem ad inferiora non descendere, quia eo ipso quod natura in inferioribus multiplicatur, hæc vnitas tollitur; planè hoc repugnat regulæ iam traditæ supra ab initio quæstionis nu. 130. quod quæcunque prædicata, quæ competunt naturæ in statu essentiæ, conueniunt ei quoque in alijs statibus, cum sint prædicatā primi, vel secundi modi; ergo si talis vnitas conuenit naturæ in statu essentiæ, etiam in statu existentiæ, seu vt ad inferiora descendit, competere debebit; tum quia hæc vnitas conuenit naturæ in primo, vel secundo modo dicendi per se, cum ei conueniat in statu essentiæ; ergo est prædicatum illi realiter identificatum, atque ideò implicat naturam, cum ad inferiora descendit, ac in eius multiplicatur, talem vnitatem amittere; alia plura contra hunc dicendi modum videri possunt apud Suarez disp. 6. Metaphysic. sect. 3. & Pasqualig. disput. 14. sect. 3. num. 4. & seq. Denique ex his probata manet vltima pars conclusionis, cum enim naturæ aliqua vnitas competere debeat in statu essentiæ, & hæc neque sit numeralis, neque mixta ex formali, & numerali, remanet vt sit pura vnitas formalis, quæ est propria naturarum.

139 Dico tertiò, Vnitas formalis naturæ est vnitas realis, seu à parte rei conueniens naturæ & minor vnitate numerali. Hæc conclusio est Doctoris loc. citat. quam etiam tenet præcipua Thomistarum pars cum Caiet. de ente, & essentia cap. 4. quæst. 6. vbi asserit hanc conclusionem esse adeò manifestam, vt nemo sanæ mentis eam negare possit, Complut. disputat. 3. log. quæst. 2. Suarez disput. 6. Metaphysic. sect. 1. Blanc. disputat. 2. log. sect. 5. vbi asserunt à parte rei, & ante omnem operationem intellectus dari vnitatem formalem in natura, & sic passim loquuntur alij Recentiores, quod valdè notandum est, quia plerique nostratum in hac quæstione, vt est videre apud Fabrum in Philosoph. theor. quæst. 3. & in Metaphysic. libr. 4. disputat. 9. citant passim Thomistas pro opposita sententia, quasi negent vnitatem formalem naturæ minorem vnitate numerali esse veram, ac realem vnitatem, & asserant esse solam vnitatem rationis, quod quidem falsum est, fatentur enim & ipse esse veram vnitatem à parte rei in natura repertam, vt ab indiuiduatione secernitur, & ideò benè dixit Rada 2. p. controuers. 3. D. Thomam cum Scoto quoad hoc conuenire; quoad hoc ergo non est dissensio inter Scotistas, & Thomistas, sed solum quoad communitatem talis vnitatis formalis, eiusque distinctionem ab vnitate singulari, negant enim esse ab ea distinctam formaliter ex natura rei, eiusque communitatem dicunt esse rationis, non realem, cuius oppositum docent Scotistæ, & hoc totum benè notauit Suarez loc. citat. peritiores itaque Thomistæ, & præsertim Caietanistæ nobiscum in hac conclusione conueniunt; ad quam adducit Doctor 2. dist. 3. quæst. 1. plures rationes, quæ insimul probant vnitatem formalem naturę esse vnitatem realem, & minorem vnitate numerali contra Nominales, & eius communitatem esse realem contra Thomistas, non quidem per inexistentiam, sed per solam indifferentiam, vt dictum est quæst. præced. & adhuc quæst. sequ. magis explicabitur; & quidem hanc vnitatem formalem esse minorem vnitatem numerali vltrò concedunt & ipsi Thomistæ eam admittentes, & euincitur euidenter, quia vnitas numerica nullam permittit diuisionem in alias partes subiectiuas, vnitas autem formalis eam permittit; sed præterea probat Doctor hanc vnitatem minorem numerali esse realem, & à parte rei conuenire naturæ contra Nominales id negantes, idque probat pluribus rationibus, quas etiam adducunt Canon. 1. Physic. quæst. 6. & Trombet. 7. Metaphysic. quæst. octaua art. 2. & alij Scotistæ passim, ego efficaciores hic referam, & defendam.

140 Primò, relationes primi modi idem, simile, & æquale, cum sint æquiparantiæ fundantur super vnum, siue super vnitatem; ergo cum sint reales, vnitas, in qua fundantur, & est ratio proxima fundamentum reale, & rationem proximam fundandi realem, tunc subsumo cum Scoto, ista vnitas non potest esse numeralis, quia nihil vnum, & idem est simile sibi ipsi, ergo erit vnitas minor ipsa; hæc ratio licet non valdè concludat contra Nominales negantes huiusmodi relationes esse reales, valet tamen contra quosdam veteres Thomistas Heruæistas qui cum Heruæo admittunt inter plura indiuidua eiusdem speciei relationem realem similitudinis, seu identitatis essentialis, & negant talem relationem fundari in aliqua vnitate naturæ minori, quam sit numeralis, sed volunt fundari in vnitate singulari vnius indiuidui, & terminari ad vnitatem alterius, & aiunt opus non esse ponere vnitatem naturæ in vtroque extremo simili, quia illa extrema sunt seipsis, & per suam entitatem similia. Hæc, inquam, ratio mirabiliter illos conuincit, quia duo indiuidua in singularitatibus sunt omnino dissimilia, ideoque vnitates singulares sunt rationes fundandi dissimilitudinem, non verò similitudinem, vt benè vrgent Lichet. & Trombet. tum quia tunc similitudo non fundare-

tur super vno, sed super duobus contra Aristot. textum; tum quia in diuinis est perfectissima similitudo ob perfectissimam naturæ vnitatem non solum formalem, sed etiam numeralem, cum ergo in creaturis talis vnitas numeralis naturæ non possit poni in pluribus, saltim poni debet vnitas naturæ formalis, quæ sit minor numerali. Potest etiam hæc ratio aliquo pacto Nominales vrgere; quamuis enim dicant has esse relationes rationis, quia tamen non dicunt esse temerè fabricatas ab intellectu, sed cum fundamento in re, planè aliud fundamentum sufficiens ad id potest assignari, nisi vnitas naturæ minor numerali, nam vt probatum est vnitas singularitatis est potius fundamentum dissimilitudinis, quam similitudinis.

Respondent Recentiores præsertim verò Morisanus, & Auersa ex Suarez falsum esse huiusmodi relationes fundari super aliquam vnitatem, quæ in rebus existat, quia similitudo non dicit vnitatem, sed potius in terminis inuoluit distinctionem eorum, quæ sunt similia, & etiam illius entitatis, in qua assimilantur, quia idem non est sibi ipsi simile; imò addunt neque apud Grammaticos nomina conuenientiæ similitudinis, & æqualitatis significare vnitatem, sed tantum commensurationem duorum inter se, quatenus in vno indiuiduo est aliquid, vt in Petro, cui simile aliquid, & commensuratum non est in Paulo, atque ita dicunt Aristot. 5. Metaphys. 20 accepisse vnitatem fundamentaliter, scilicet pro conuenientia illa, quæ à parte rei reperitur inter indiuidua speciei eiusdem hæc enim est fundamentum, vnde postea intellectus fabricat vnitatem illam formalem plurium naturarum inter se similium vnico conceptu sibi representando illas; & cum dicitur Petrum, & Paulum esse eiusdem naturæ, aiunt illum modum loquendi accipi ex modo nostro concipiendi, quo duas essentias distinctas similes tamen, vno conceptu formali nobis repræsentamus, non quasi a parte rei sit inter illas aliqua realis vnitas, aut identitas, quia simili ratione distincta numero vocamus eadem numero; ex quo tamen non sequitur verè esse eadem numero v.g. dum dico in officina Typographi existens istum librum habeo in meo Musæo, vel hunc florem habeo in horto meo idest similem, licet numero distinctum. Et ad corrigendum imaginationis errorem fundatum in hoc vulgari modo loquendi ostendunt apertis exemplis dari similitudinem, & realem conuenientiam sine vnitate reali; primò duæ singularitates v.g. humanæ naturæ sunt similes, nam vtraque secundum Scotum est modus extrinsecè determinans naturam communem, eamque reddens incommunicabilem, nulla tamen est realis vnitas inter illas, cum sint modi omninò simplices; secundò Deus conuenit cum creatura in aliqua ratione entis realis, quæ consistit in eo, quod aliquid sit extra nihil, nulla tamen est realis vnitas inter Deum, & creaturam, sed se totis distinguuntur; tertiò tres personæ diuinæ sunt similes in ratione personæ, seu suppositi naturæ rationalis, realiter tamen se totis sua simplicissima entitate distinguuntur.

141 Hæc est doctrina, qua prætendunt Recentiores soluere omnia argumenta Doctoris, quibus intendit loc. citat. probare dari vnitatem naturæ realem, quæ sit minor numerali, aiuntque illa non probare, nisi hanc puram vnitatem similitudinis, & conformitatis, quæ à parte rei reperitur inter plura indiuidua eiusdem speciei, non autem aliquam naturæ vnitatem communem antecedentem, quæ sit fundamentum talis similitudinis, & conformitatis, vt Scotus contendere videtur; quam doctrinam, & solutionem vndequaque approbat, & recipit Poncius Scotista disputat. 3. log. quæst. 2. conclus. 4. vbi dicit naturam humanam, quæ reperitur in Paulo non habere aliam vnitatem à parte rei cum natura, quæ est in Petro, & alijs indiuiduis eiusdem naturæ, quam vnitatem similitudinis, & conformitatis, aut repræsentabilitatis per eundem conceptum formalem, & numer. 42. in fine concludit iuxta hoc intelligendam esse vnitatem formalem, & minorem numerica, quam asserit Doctor in 2. d. 3. quæst. 1. nec aliam vnitatem probare argumenta Doctoris. Cœterum hoc est recedere à communi sententia Scoti, & Scotistarum tam Veterum, quam Recentiorum, & pedibus iunctis ire in sententiam Nominalium, vel Thomistarum Hæruæistarum, qui aliam vnitatem non agnoscunt naturæ communis in indiuiduis, quam puram vnitatem similitudinis, & conformitatis; & certè Doctor loc. cit. aliquid amplius probare voluit, quam solam vnitatem similitudinis, & conformitatis, quia hanc gratis admittebant Aduersarij, cum quibus disputabat, nam ex hac similitudine, & conformitate reperta à parte rei inter plura indiuidua eiusdem speciei contendit deducere vnitatem quandam in natura minorem vnitate numerali in qua fundatur, non ergo hæc vnitas minor numerali est pura vnitas similitudinis, sed alia vnitas eam antecedens. Imò Poncius consentiendo Recentioribus in hoc puncto non solum à Præceptore, ac condiscipulis recedit, verumetiam à seipso, siquidem par. 3. sui Cursus disput. 18. num. 11. nedum sustinet gradus prædicamentales, sed etiam transcendentes præseferre realitatem à parte rei communem inferioribus; ergo vt consequenter loqueretur cum seipso asserere debebat vnitatem naturæ non esse puram vnitatem similitudinis inter indiuidua, sed aliquid amplius importare; vel si volebat eam consistere præcisè in tali vnitate similitudinis cum Recentioribus extra Scholam Scoti, non debebat postea cum Schola Scotistarum admittere realitates, & naturas communes, quas benè negant Recentiores, vt consequenter loquantur, vnde in hoc suo asserto nec consequenter loquitur in Schola Scotistarum, nec in Schola Recentiorum.

142 Sed hæc communis doctrina, & solutio Recentiorum iam supra reiecta est in hac disputat. num. 45. & rursus hic reijcitur quia in primis directe militat contra intentionem textus, ibi enim assignat fundamentum proximum relationum primi modi, & ait illas fundari supra vnitatem; si igitur hæc vnitas non est nisi conuenientiæ, & similitudinis, vt ipsi volunt, perinde est, ac si dixisset similia fundari super similitudinem, æqualia super æqualitatem. Tum quia si re vera similitudo, & conuenientia duorum sunt fundamentum vnitatis formalis, quæ inter illa duo sumpta inde occasione concipi potest, potius vnitas fundabitur super similitudinem, & conuenientiam, cuius tamen oppositum docet Aristot. Tum quia comparatio supponit aliquam similitudinem inter extrema comparata, quia comparatio fit in specie athoma ex 7. Phys. 29. sed comparatio re vera supponit aliquam vnitatem realem formæ, in qua extrema comparantur, ergo etiam similitudo; probatur minor, nam si dicamus A, est albius B, certum est quod A, & B, participant albedinem, & in albedine conueniunt, tunc quæro in qua albedine conueniant; non in albedine singulari, quia tunc duo singularia participarent vnum, & idem accidens secundum magis, & minus, ergo in albedine vtrique communi habente vnitatem specificam, & minorem vnitate numerali, quod confirmatur ex Grammaticis docentibus ad bonam comparationem tria concurrere, rem comparatam, cui comparatur, & id in quo comparatur, cuius conditionis defectu aiunt hanc non esse bonam comparationem, nix est albior Coruo, quia extrema non participant eandem specie formam; ergo conuenientia apud Grammaticos, & similitudo quæ supponitur ad comparationem, significat vnitatem. Tum quia, dum A, & B, dicuntur similia, quæro quo sunt similia, quia in relationibus præter fundamentum remotum dari etiam debet proximum, seu ratio fundandi, sed non potest assignari, nisi hæc vnitas specifica albedinis, in qua ista duo alba realiter conueniunt.

Respondent A, seipso esse simile B, & è contra. At rursus redit argumentum à capite, quia tunc similitudo fundaretur non supra vnum, sed supra duobus, & vnitas singularis A, quæ est ratio ipsum discriminandi à B, esset ratio assimilandi, & conuenientiæ inter vtrumque quod repugnat. Deinde quæro quare vnum album potius assimiletur alteri albo, quam vnum viride, si dicatur, quia hoc album est talis naturæ, & hoc viride alterius. Contra, quia ratio cur vnum album sit similius alteri, quam viride, est, quia vtrumque participat albedinem in communi, & album magis participat, quam viride ex Aristot. 7. Metaphysic. 29. docente, quod comparatio fit in specie athoma, & non quia hoc est tale, & illud tale. Tum quia nequeunt duo comparari secundum magis, & minus, nisi supponatur aliquod commune reale, in quo magis, & minus conueniunt per participationem illius maiorem, & minorem à parte rei. Tum deinde, si similitudo, & conuenientia non arguit aliquam vnitatem realem in similibus sed potius omnimodam distinctionem, sequitur quod quantò magis aliqua duo sunt similia, & sic cognoscuntur, tanto magis distincta cognoscentur, quod repug[illegible] sensui, experimur enim, quod quanto magis aliqua sunt similia, tanto minus à nobis discernuntur, & distinguuntur, ergo arguit aliquam vnitatem realem inter illa, non numeralem, ergo vnitatem minorem illa. Tum etiam, quia si suis entitatibus assimilantur A, & B, ergo quanto magis vt similia noscuntur, tanto magis cognoscerentur secundum proprias entitates, & ita tanto magis vt distincta, & diuersa cognoscerentur, & non vt vnum.

143 Præterea cum aiunt nomina conuenientiæ, & similitudinis non significare vnitatem, sed duorum commensurationem adinuicem &c. quæro quid intelligant per commensurationem duorum inter se, & quid dicat entitatem vnius esse commensuratam entitati alterius, vel enim intelligunt ipsammet conuenientiam, & similitudinem duorum, & est petitio principij, vel intelligunt rationem fundamentalem similitudinis, & tunc explicare debent, quid dicat hæc ratio fundamentalis; si dicant, quod est ipsamet entitas Petri v.g. quæro cur entitas Petri est ratio fundandi similitudinem cum Paulo magis, quam cum Brunello, & nunquam poterunt assignare disparitatem, nisi quia in Petro est aliqua entitas, quæ potest esse in Paulo, & nullo modo in Brunello. Vlterius absolutè probo conuenientiam duorum indiuiduorum debere in vnitate aliqua reali fundari, & explico qualis esse debeat ista realis vnitas; si Petrus, & Paulus ita se totis distinguuntur, vt non solum quicquid est in vno non est id, quod est in alio, sed omnino repugnat, quod aliquid vnius sit in alio, & in esse eiusdem rationis illud constituat, ergo re vera inter se specificè non conueniunt, nec conceptum magis vnum posset intellectus abstrahere à Petro, & Paulo, quam à Petro, & Brunello; probatur consequentia à pari, lignum bipalmare æquale dicitur alteri ligno bipalmari, & secum conuenire in quantitate, quia si Deus auferret quantitatem vnius, & in alio reponeret, & è contra, adhuc æqualia forent in quantitate; album A, dicitur simile albo B, quia si Deus albedinem A, poneret in B, aut è contra, adhuc similia realiter forent; ergo pariter duo indiuidua eiusdem speciei similia substantialiter inter se dicuntur, quia est aliqua entitas in vno, quæ quantum est de se posset esse in alio, illudque in esse eiusdem rationis constituere, & è contra; quod si nulla talis entitas reperitur in vno, & in altero, certe non videtur ex quo capite attendi debeat conuenientia vnius cum alio, quam cum altero quantumuis disparato; ergo conuenientia, & similitudo supponit necessariò vnitatem aliquam realem, in qua fundetur, non quidem

idem talem, quod vna entitas realis sit eadem in duobus indiuiduis, hoc enim est falsum, & impossibile in creatis, quia quod realiter est in vno illud idem non est realiter in alio, sed talem quod in duobus illis indiuiduis sint entitates aliquæ vtique inter se realiter distinctæ, & diuisæ, ita tamen omnino eiusdem rationis, vt quæ modo constituunt vnum, potest quantum est ex se constituere illud in eodem esse specifico, & hæc est illa vnitas indifferentiæ, & formalis, quam dicit Scotus concomitari naturam, velut eius propriam passionem, & in hoc sensu Petrus, & Paulus possunt dici vnum, non quia sit vna, & eadem natura realiter in vtroq; & per inexistentiam, sed eadem per indifferentiam, quatenus quæ modò est in vno posset quantum est ex sua formali ratione esse in alio, licet modo impediatur ab identitate reali cum hac singularitate, vel illa.

146 Imò idipsum potest aliqualiter ostendi ex illo eodem exemplo, quod Aduersarij adducunt, cum enim designando librum in officina Typographi existentem dico, habeo hunc librum in meo Musæo, vel hunc florem in horto meo, sensus est vtiq; quem ipsi dicunt, habeo similem librum vel florem, sed talis similitudo fundatur super aliquam vnitatem, nimirum similitudo libri supra vnitatem Auctoris, & similitudo floris supra vnitatem specificam accidentium figuræ, scilicet coloris, odoris, &c. ergo pariter in proposito similitudo substantialis duorum indiuiduorum super aliquam vnitatem realem naturæ fundari debet, quæ saltem sit vnitas indifferentiæ. Neque instantiæ illæ faciunt ad rem (quibus etiam satisfactum est suprà n. 48.) loquimur enim hic de similitudine reali actuali, & positiua, qualis est illa, quæ inter duo indiuidua eiusdem speciei versatur, talis autem non est similitudo, quæ inter Deum, & creaturam inuenitur in ratione entis, inter Patrem, & Filium in diuinis in ratione personæ, & inter duas singularitates in ratione determinantis naturam; sed est similitudo solum fundamentalis, & virtualis ratione cuius ab illis abstrahi potest conceptus inadequatus, in quo confusè represententur, & actu à parte rei non inuenitur, nisi negatio negationis realis dissimilitudinis inter Deum, & creaturã in ratione essendi, inter hęcceitates in ratione determinandi naturam &c. Dices, quare similitudo inter Deum, & creaturam in ratione essendi non est actualis, & positiua, benè tamen similitudo inter bouem, & hominem in ratione sentiendi, cum tamen nullo operante intellectu eodem modo conuenire videantur Deus, & creatura in ratione essendi, ac bos, & homo, in ratione sentiendi? Resp. adesse rationem in promptu, quia species, & indiuidua non sunt primò diuersa, sed aliquid idem entia, idest in aliquo realiter conuenientia, & ideò fundant inter se similitudinem positiuam, at Deus, & creatura, duæ hæcceitates, & diuinæ personalitates, cum sint vltimò constitutiua sunt inter se primò diuersa in realitate, atq; ideò fundare nequeunt realem, & positiuam similitudinem, sed ad summum puram negationem dissimilitudinis. Dices iterum, quare Deus, & creatura, duo item hæcceitates sunt inter se primò diuersa, non sic bos, & homo, Petrus, & Paulus? Resp. quia Deus simplicissimus est omni prorsus compositione carens, ideoq; in nulla realitate cõmuni potest cum creatura conuenire; hæcceitates sunt vltimi modi determinantes naturam, ideoque non amplius resolubiles in vlteriores modos, & realitates, omnis siquidem differentia differentium debet tandem reduci ad aliqua primò diuersa ex 5. Metaph. 10. non autem sic se habent bos, & homo, Petrus, & Paulus, cum enim inter se propriè differant, consequenter etiam in aliqua realitate conuenire debent, quia differentia sunt alicuius idem entia ex 5. Metaph. loc. cit. hanc rationem ex similitudine, & conformitate indiuiduorum deductam plus cæteris ampliaui, vt ostenderem vnitatem formalem naturæ non benè explicari à Recentioribus per puram vnitatem similitudini, sed consistere in aliqua vnitate præcedenti, quæ est fundamentum eius.

145 Secundò, principaliter generans vniuocè realiter conuenit in natura cum genito, vt patet de igne generante ignem, & certum est, quod non conueniunt in aliquo vno numero, ergo conueniunt realiter in aliqua forma cõmuni, quæ est ratio realis conuenientiæ in vtroque, ergo datur vnitas naturæ minor vnitate numerali. Respondent eodem modo, quod quando dicitur generans, & genitum vniuoce habere vnitatem naturæ, debet intelligi de vnitate conformitatis, itaut sint naturæ consimiles, non autem de vnitate indiuisionis; quasi in vtroque sit eadem realiter natura.

Sed hoc requiritur ex proximè dictis. Accedit, quod neque nos dicimus generans, & genitum ità conuenire in natura, quasi eadem realiter entitas sit in vtroque nec per vnitatem formalem naturę intelligit Doctor vnitatem huiusmodi indiuisionis, imò vult naturam generantis, & geniti esse in se realiter, ac entitatiuè distinctas; quia tamen quælibet formaliter in se indiuisa potest esse secundum se in pluribus indiuiduis disiunctim, & hoc vel illud indifferenter constituere in eodem esse specifico, ideò naturam appellat in se vnam quadam vnitate minori, quam sit numeralis, & hac etiam ratione duo indiuidua eiusdem speciei dicuntur vnum in natura, quia natura vnius quantum est de se potest aliud constituere, & è contra, non autem quia natura vtriusque sit vna, & eadem indiuisa entitas. Et hęc ingenuè est vnitas formalis, quam Scotus intendit tribuere naturę secundum suam essentiam, vt benè notauit Aureolus 2. d. 9. artic. 2. vbi ob his verbis sententiam Scoti refert; quidam Doctores moderni distinguunt de triplici vnitate, quędam enim est vnitas singularis, cui repugnat contradictoriè plurificari, & concipi vniuersaliter; alia est vnitas vniuersalis, quia dicitur quod vniuersale est vnum in multis, & hęc vnitas non est alicuius rei, quia secundum Damascenum nulla res est, quę sit eadem in pluribus prętèr essentiam diuinam, & rediret etiam opinio Platonis, & ideò illa vnitas non est prima, nec fundatur immediatè super vnitatem singularitatis, quia illi repugnat concipi vniuersaliter, ergo requirit aliam vnitatem in re, quam singularis, & illa est vnitas, quę dicitur vnitas cuiusdam indifferentię, idest naturę indifferentis ad hanc vnitatem numeralem, & illam, & super illam fundat intellectus vnitatem vniuersalitatis, quando concipit vnum in multis, & pro tanto etiam vnitas istius dicitur vnitas indifferentiæ, quia potest esse vniuersalis in conceptu, & potest esse hæc signata per intellectum, sed neutrum horum habet per essentiam propriam nam vniuersalitatem habet per actum intellectus; quod autem sit hæc signata, habet per differentiam indiuidualem, quæ facit eam hanc, & hæc est secundum illos vnitas quæ est minor vnitate numerali, & maior vnitate rationis; ita Aureolus, ex quibus patet Recentiores non satis percepisse Scoti mentẽ de vnitate formali naturæ.

146 Tertiò, vnius oppositionis realis sunt duo extrema realia, contrarietas est oppositio realis, vt patet, quia vnum realiter destruit, & corrumpit aliud circumscripto omni opere intellectus, & non nisi quia sunt contraria, igitur vtrumque primum extremum huius oppositionis realis, vt est extremum, est vnum aliqua vnitate reali, non autem vnitate numerali, quia tunc præcisè hoc album esset primum contrarium huic nigro, vel præcisè aliud album, quod est inconueniens, quia tunc essent tot contrarietates primæ, quot indiuidua contraria.

Respondent Nominales cum Ocham, quod loquendo de oppositione reali in re, non sunt duo tantum extrema oppositionis realis, sed sunt multa, vnde hæc albedo, & hęc nigredo opponuntur realiter, similiter illa albedo, & illa nigredo opponuntur realiter, & de illis est præcisè verum, quod vnum contrariorum corrumpit reliquum, & vtrumq; illorum est vnum numero. Contra, non per id euacuatur difficultas, quæ procedit de primis extremis, certum vtiq; hanc, & illam albedinem opponi huic, & illi nigredini, & seinuicem corrumpere, sed falsum est hęc esse prima extrema oppositionis, non enim albedo contrariatur nigredini, quia hæc albedo contrariatur illi nigredini, sed è contra, ergo albedo, vt sic contrariatur nigredini, vt sic, non autem hæc albedo illi nigredini. Conf. certum est omnes, & singulos calores omnibus, & singulis frigoribus opponi, quęritur tunc quæ sit ratio talis oppositionis in ipsis, vel enim est singularitas in calore, vel natura caloris, vt sic; non primum, quia vel singularitates sunt eiusdem rationis, & sic contrariari non possent, vel diuersæ rationis, & sic contrarietas, quæ conuenit huic calori in ordine ad hoc frigus, non conueniret alteri calori in ordine ad aliud frigus; si primum habetur intentum, quia ipsa natura caloris, quæ in omni calore includitur, erit vna ex natura rei vnitate specifica. Demum quicunq; calor cuicunq; frigori opponitur, & è contra; vel ergo id illis per se conuenit, vel per accidens, non secundum, quia tunc nullum contrarium per se opponeretur alteri; si primum, habetur propositum, quod enim conuenit pluribus singularibus per se ex natura rei, conuenit eis per rationem alicuius communis ex natura rei ex 1. Posterior. cap. 5.

147 Quartò, vnius actionis sensitiuæ, v.g. visus est vnum obiectũ secundum aliquam vnitatem realem, sed non secundum numeralem, ergo datur aliqua vnitas minor numerali; maior patet, quia actio sensus terminatur ad aliquod vnum existens à parte rei. Probatur minor, quia potentia cognoscens obiectum, vt vnum vnitate numerali, cognoscit ipsum inquantum distinctum à quolibet, quod non est eadem vnitate numerali vnum, quia si ponerentur duo quanta, quæ essent omnino similia, & æqualia in albedine, & quantitate, vt duo oua, visus nesciret illa distinguere; ergo illud cognoscit, vt vnum alia vnitate minori, quam sit vnitas numeralis. Meurisse lib. 2. suæ Metaphysic. cap. 3. quæst. 4. censet per hanc rationem non probari efficaciter vnitatem formalem naturæ, sed tantum vnitatem similitudinis, & confusionis, licet enim sensus hæc duo obiecta non distinguat, non sequitur tamen esse distincta; quare licet habeant etiam illam vnitatem realem minorem vnitate numerica, non videtur tamen satis probata talis vnitas ex illa vnica actione sensus, quia illa duo obiecta propter omnimodam similitudinem, ac si essent vnum, confusè percipit. Immeritò tamen carpit Meurisse hanc rationem, vt ineptam ad probandam vnitatem naturæ minorem numerali, illa enim duo obiecta, quæ à sensu percipiuntur, vt indistincta, vtique sunt à parte rei distincta quoad conditiones indiuiduales, quas sensus non attingit, non tamen quoad naturam specificam, quæ est ratio motiua ipsius; sequitur ergo benè, quod si sensus illa duo obiecta non distinguit, non sunt distincta à parte rei secundum rationem specificam, per quam mouent, licet sint distincta secundum rationes indiuiduales, & ideò argumentum benè probat vnitatem naturæ minorem numerali. Tum quia si probat inter illa duo obiecta vnitatem similitudinis, & confusionis, probat consequenter vnitatem formalem naturæ, quia similitudo duorum indiuiduorum præcisè in tali vnitate fundatur, vt constat ex deductione primæ rationis, quæ enim assimilantur vtique in aliquo communi assimilari debent, & quæ confunduntur debent confundi in aliquo tertio omnibus communicato, si enim in aliquo non communicant, non videtur quo pacto possint apparere confusa.

Respondent itaque Nominales cum Ocham negando minorem, ad probationem negant maiorem, quia ad cognitionem discretiuam vnius ab alio plus exigitur, quam requiratur ad cognitionem illorum apprehensiuam, & sensus benè apprehendit obiectum suum sub ratione singularitatis sic, quod ratio singularitatis terminat apprehensionem, tamen sensus non habet, quod possit discernere inter illa duo obiecta. Sed hoc benè reijcit Lichet. certum est enim, quod si cognosco A distinctè, & sub propria ratione, qua est A quod cognosco ipsum, vt est actu distinctum à quolibet alio, quia sicut A, sub sua ratione formali acceptum distinguitur ab alio quocunque ita cognoscens A sub tali ratione distincta distinguit illud à quolibet alio, quod non est ipsum, imò videtur oppositio in adiecto cognoscere A distinctè, & sub propria vnitate, & non cognoscere illud, vt distinctum à quolibet alio, quod non est ipsum, quia cognoscere illud, vt vnum, non est nisi cognoscere illud, vt indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio, quod non est ipsum.

148 Quintò, si omnis vnitas realis est numeralis, ergo omnis diuersitas realis est numeralis, consequens est falsum, ergo &c. Probatur consequentia, tum quia vnum, & multa, idem & diuersum sunt opposita, & quot modis dicitur vnum oppositorum, totidem dicitur & reliquum 1.Top. tum quia vnum est illud, quod est indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio; ergo eodem modo, quo aliquid est vnum, erit ab alio diuersum, falsitas verò consequentiæ patet, quia tunc omnia essent æquè distincta, quia omnis diuersitas numeralis, inquantum numeralis est æqualis. Neq; dicas, quod sicut vnitas generica, vel specifica non datur à parte rei formaliter, sed tantum fundamentaliter, sic etiam distinctio. Quia distinctio inter species diuersas est formalis, & actualis, non minus, quam sit inter res numero distinctas, non autem virtualis, & fundamentalis dumtaxat.

Respondent Recentiores concedendo consequentiam, & negando falsitatem, si diuersitas pro distinctione, & diuisione sumatur, sic enim Petrus non est magis à Paulo distinctus, quam ab equo, & Sole, cum tam sint plures entitates naturæ Petri, & Pauli, quam naturæ Petri, & Bucephali; at si diuersitas pro disconuenientia sumatur, & dissimilitudine in natura, sic negant consequentiam, ita enim maior est diuersitas inter Petrum, & Bucephalum, quam inter Petrum, & Paulum, quia vbi Petrus, & Paulus sunt solum essentiæ plures Petrus, & Bucephalus non solum sunt essentiæ plures, sed insuper diuersæ, & dissimiles. Contra sic argumentor, disconuenientia realis naturarum, quæ est in Petro, & Bucephalo arguit ista esse diuersa nedum realiter, sed etiam essentialiter, vel vt alij dicunt, arguit in istis nedum distinctionem formarum, sed etiam formalem; ergo si talis diuisio, & distinctio essentialis, & formalis datur à parte rei, dabitur etiam à parte rei consimilis vnitas, & indiuisio, quia quot modis dicitur vnum oppositorum &c. Conf. à parte rei Petrus, & Bucephalus dicuntur nedum materialiter, & realiter, sed etiam formaliter, & essentialiter diuisa propter disconuenientiam naturarum, quam fundant; ergo à parte rei Petrus, & Paulus erunt, non quidem realiter, & materialiter, sed formaliter, & essentialiter indiuisa propter conuenientiam, quam habent naturarum. Nec valet responsio, quod Petrus, & Paulus sunt magis vnum à parte rei, quam Petrus, & Bucephalus sumendo vnitatem pro conuenientia, non pro indiuisione, quia æquè diuisa sunt in entitate Petrus, & Paulus, ac Petrus, & Bucephalus. Non valet (inquam) quia licèt verum sit esse æquè diuisa realiter, & materialiter, non tamen sunt æquè diuisa formaliter, & essentialiter, atque ideò eodem modo à parte rei sunt essentialiter indiuisa Petrus, & Paulus, sicut essentialiter diuisa Petrus, & Bucephalus.

Postremò, in qualibet re indiuidua præter entitatem singularitatis inuenitur entitas naturæ, quæ non est de se hæc; ergo sicut illam sequitur propria vnitas numeralis, quæ explicatur à nobis per indiuisionem in plura singularia, ita entitatem naturæ sequitur propria vnitas realis appellata formalis, eò quia estò ipsa entitas naturæ secundum se in pluribus possit esse indiuiduis, est tamen in se formaliter indiuisa, & indiuisibilis per differentias essentiales; consequentia probatur, quia omnem entitatem sua consequitur vnitas ei proportionata, cum vnitas sit affectio entis, ita discurrit Doctor 2. d. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem* alias adhuc Doctoris rationes ad idem vide apud Lichet. 2. d. 3. quæst. 1. vbi illas benè defendit à solutionibus Ocham, & alias etiam apud Bassol. 4. d. 12. qu. 4.

149 Dico tandem formalem naturæ vnitatem non tantum ratione, sed ex natura rei formaliter actualiter distingui ab vnitate numerali. In hac conclusione à nobis discrepant Thomistæ recentiores, qui nobiscum in precedenti conueniebant, quamuis enim tribuant à parte rei vnitatem formalem naturæ, quæ sit minor numerali, negant tamen ab ea secerni ex natura rei formaliter, voluntque solum ratione distingui ad summum ratiocinata, vt est videre apud Suarez disput. 6. Metaphysic. sect. 1. num. 10. Complut. disp. 3. log. qu. 4. sequitur tamen ex dictis quæst. 3. vbi sicut probatum est naturam in Petro v.g. distingui formaliter ex natura rei à Petreitate, licet cum ipsa realiter identificetur, sic in proposito consequenter est asserendum, quod vnitas formalis, quæ consequitur naturam per modum propriæ passionis, formaliter distinguitur ab vnitate numerali, quæ sequitur hæcceitatem, vnde omnes rationes probantes distinctionem formalem, & actualem ex natura rei naturæ ab hæcceitate induci possunt in presenti ad probandam eandem distinctionem vnitatis formalis à numerali. Imò hoc ipso quod fatentur Thomistæ vnitatem naturæ esse realem, esseq; minorem vnitate numerali, fateri quoque debent esse ex natura rei formaliter actualiter ab ea distinctam; nam si ex natura rei, & à parte rei non est à numerali formaliter distincta; ergo in sua formalitate non est à parte rei minor ipsa, cum enim à parte rei ponatur prorsus eadem cum ipsa, nequit participare à parte rei prædicatum repugnans omnino vnitati numerali; aut ergo negari debet hanc vnitatem formalem esse à parte rei minorem numerali, aut si hoc asseritur, debet consequenter asseri à parte rei distinctam, ab ipsa, non quidem distinctione reali, ac entitatiua, sed distinctione formali media inter realem, & rationis, quam dari suppono ex dictis disp. 6. de distinctionibus. Dices, Suarez aliosq; Recentiores vltrò concedere vnitatem formalem non esse à parte rei minorem vnitate numerali, sed tantum vt subsistat conceptui nostro, Sed ex conclusione precedenti constat id falsum esse, & etiam ex qu. 4. vbi probatur communitatem conuenire naturæ à parte rei, vnde à parte rei vnitas ipsam consequens ponenda est minor vnitate numerali.

Præterea probatur ex iam dictis præsertim probando præcedentem conclusionem, quia nihil omninò idem ex natura rei potest esse proxima ratio fundandi relationes oppositas, scilicet identitatis, & diuersitatis; cum igitur proxima ratio fundandi identitatem inter Petrum, & Paulum sit vnitas formalis naturę, & ratio fundandi diuersitatem sit vnitas singularis, planè sequitur saltim ex natura rei abinuicem distingui. Tum quia implicat omninò intelligere, quod Petrus, & Paulus sint inter se idem, & diuersi sine vlla distinctione ex natura rei saltim in fundamentis proximis. Tum quia vnitas, penes quam attenditur generatio vniuoca, distinguitur ex natura rei ab illa, penes quam non attenditur, sed illa est vnitas naturæ formalis, hæc autem est vnitas singularis, ergo &c. Tum quia in vnitate naturæ potest fieri comparatio, ex 7. Metaphysicor. 29. in vnitate autem numerali nulla potest fieri comparatio, quia vnum, & idem sibimet comparari non potest, ergo sunt distinctæ formaliter vnitates. Tum quia quando duæ vnitates ita se habent, quod vna earum ex natura rei stat cum multitudine opposita alteri vnitati, *illæ* duæ vnitates saltim ex natura rei distingui debent; sed vnitas formalis, & numeralis ita se habent, quia duo numero multiplicata, vt Petrus, & Paulus dicuntur inter se vnum, seu vnus dicitur idem cum alio quoad vnitatem formalem naturæ, ergo &c. Tum tandem, quia genus indiuisionis numeralis aliud est ex natura rei ab indiuisione formali, quia vna est indiuisio in principijs formalibus, alia solum in indiuidualibus; ergo & vnitas numeralis distincta erit ex natura rei ab vnitate formali, quia vnitas vel in indiuisione consistit, vel saltim eam necessario connotat. Solutiones autem, quas his rationibus solent adhibere Aduersarij reijci debent eodem modo, quo reiectæ sunt in præcedenti conclusione ad similia argumenta, vnde hæc deducuntur.

ARTICVLVS II.

Obiectiones ad oppositum soluuntur.

150 PRimò. Contra primam conclusionem precedentis art. obijcit Auersa quæst. 8. sect. 7. probans naturam in sua essentia non esse formaliter vnam positiuè; quia natura in statu essentiæ habet tantum prædicata primi, vel secundi modi; sed vnitas nec inter prædicata essentialia naturæ reperitur, nec necessariò illam concomitatur, quinimo natura est in suis indiuiduis multiplicata, atque diuisa, ergo &c. Tum 2. repugnat naturæ conuenire vnquam oppositum eorum, quæ illi in sua essentia conueniunt, sed in singularibus conuenit illi diuisio opposita vnitati, ergo &c. Tum 3. diuina natura, quia est secundum se, & essentialiter vna, diuidi non potest, sed vnica est in omnibus personis; cum ergo vnitas non conueniat naturæ in omni statu, quia in statu existentiæ conuenit diuisio, sequitur non conuenire illi secundum se. Tum 4. quicquid conuenit naturæ in statu essentiæ simul cùm illa ad inferiora descendit, ijsq; communicatur; ergo repugnat in terminis dicere vnitatem conuenire naturæ in statu essentiæ, & non simul cum illa ad inferiora descendere. Tum tandem arguit Ioan. de S. Thom. quia vnitas positiua tunc absolutè, & simpliciter est vnitas, quando non solum negat diuisionem ex vna parte, sed relinquit subiectum, seu entitatem ex omni parte indiuisam, & determinatè reductam ad vnitatem, si enim ex aliqua parte relinquit locum diuisioni, vel pluralitati, solum secundum quid erit vnum, non simpliciter, sed natura considerata secundum se non habet ex omni parte sublatam diuisionem, nec remouet omnia principia pluralitatis, quia secundum se est indifferens ad pluralitatem, vel vnitatem, & determinate neutrum sibi vendicat, ergo &c.

Resp. facilè ad hæc omnia ex dictis supra num. 132. quod sicut dantur diuersi gradus entis, ita quoque diuersi gradus vnitatis realis proportionatæ, nec quæcunq; vnitas cuicunque multitudini, vel diuisioni opponitur, sed solum cum ea quæ sibi correspondet in eodem gradu entis, nimirum vnitas indiuidualis pluralitati indiuiduali, & formalis formali, non autem formalis indiuiduali, quia quò magis est minor vnitas maiorem secum admittit diuisionem; ex quo doctrina manent soluta omnia argumenta Auersæ, quia verum est naturam descendere ad indiuidua, & in ipsa diuidi retinendo secum suam vnitatem formalem, quia hæc vnitas benè stat cum pluralitate indiuiduali, conuenit ergo naturæ etiam in statu existentiæ ipsa formalis vnitas,

vnitas, nec ista destruitur per pluralitatem indiuidualem, vt magis constabit art. seq. Ad vltimum constat ex dictis num. 134. probare tantum naturam non esse simpliciter, & absolutè, seu maximè vnam, scilicet numericè, quia secum aliquam admittit diuisionem in singularibus per principia nempe materialia, non tamen probat, quod non sit positiuè vna in suo ordine, nimirum aliqua vnitate minori, quam sit indiuidualis.

151 Secundò contra 2. conclusionem instat Fonsec. citat. probans vnitatem naturæ posse dici numeralem, vnitas, quæ conuenit naturæ communi, est incommunicabilis pluribus, quia sistit in ipsa natura, ergo dicit debet numeralis, nam vnitas numeralis constitur per incommunicabilitatem ad differentiam vnitatis formalis, quæ communicabilis est. Conf. quia vbicunque conceditur numerus debet concedi vnitas numeralis, ex his enim vnitatibus consurgit numerus, sed in naturis communibus datur numerus, dantur enim tot species, decem genera, ergo vnitas naturæ communis dici debet numeralis.

Respondet Auersa cit. naturæ in statu essentiæ non conuenire aliquam vnitatem, quæ non communicetur singularibus, quia apertè repugnat dicere aliquod prædicatum conuenire naturæ in statu essentiæ, & non communicari singularibus. Cæterum estò verum sit vnitatem formale naturæ aliquo etiam modo indiuiduis communicari, nam Petrus v.g. non solum dicitur in se indiuidualiter vnus, sed etiam formaliter, & essentialiter, quatenus per principia essentialia est in se indiuisus; tamen non est vniuersaliter vera illa doctrina, quod repugnet aliquod prædicatum conuenire naturæ in statu essentiæ, & non communicari singularibus; quandoquidem sunt quædam prædicata, quæ ponunt differentiam inter naturam, & singularia, & præcisè conueniunt naturæ, vt supponit simpliciter; vt v.g. communitas realis naturæ, hoc enim prædicatum, & alia similia singularibus non communicantur, neque enim Petrus dicitur communis pluribus, vnde etiam vnitas ipsa formalis licet singularibus communicetur, quatenus indiuisio quædam per principia essentialia, non tamen communicatur illis, quatenus communis, & minor vnitate numerali, vt dictum est supra numer. 98. Tamen quicquid sit de hoc pro solutione argumenti sufficit negare assumptum, quia vnitas formalis naturæ aliquo modo communicatur singularibus. Ad Conf. iam supra dictum est nu. 138. numerum naturarum non esse prædicamentalem, qui propriè ex vnitatibus numericis consurgere solet, sed transcendentalem, qui ex vnitatibus etiam formalibus consurgere potest.

Tertiò contra 3. conclusionem solent multa à Nominalibus obijci contra vnitatem formalem naturæ, sed quia potius faciunt contra vnitatem formalem naturæ in statu existentiæ, & vt reperitur in singularibus diuisa, quam in statu essentiæ, ideò pertinent ad quæstionem sequentem, vbi quæritur, num natura etiam in inferioribus diuisa suâ retineat formalem vnitatem; vnde hic tantum illa adducemus argumenta, quæ eius vnitatem formalem euertere videntur absolutè tam in statu essentiæ, quam existentiæ, omnis entitas extra intellectum est singularis, quia vniuersale datur tantum in intellectu, ergo nulla datur à parte rei vnitas formalis minor numerali; consequentia patet, quia sicut res se habet ad entitatem, ita quoque ad vnitatem. Tum 2. quia si natura specifica suam habet vnitatem formalem numerali minorem, etiam & generica ob eandem rationem, quod tamen falsum est, quia in genere latent æquiuocationes 7. Physic. 29. & hoc ipsum Doctor expressè negat 2.d. 3.q. 1. lit. B. vbi ait genus non habere talem vnitatem. Tum 3. quia talis vnitas esset communis pluribus, & sic natura secundum hanc vnitatem posset pluribus communicari, quod in natura creata est impossibile, cum hoc tantùm sit proprium naturæ diuinæ, quæ vna, & eadem in pluribus suppositis reperitur. Tum 4. fiet aliqua vnitas realis minor vnitate numerali, aut est alicuius in eodè vno numeraliter, aut in aliquo alio; non primum, quia quicquid est in eodem numero est vnum numero; nec est in duobus, quia in eis nihil est vnum numerò realiter, cum hoc si proprium suppositis diuinis. Demum vrget Hurtad. disput. 5. Met. sect. 9. non posse dari vnitatem formalem mediam inter vnitatem singularem, & vniuersalem, sicut non datur natura habens statum medium inter singularem, & vniuersalem, nam vel spectatur, vt singularis, & sic vtique datur à parte rei, sed cum sola vnitate singulari, vel concipitur confusè, & vt vniuersalis, & sic vtique habet vnitatem vniuersalem, sed tantùm in intellectu.

152 Resp. ex Scoto 2.d. 3.q. 6. §. *Ad quæstionem*, lit. E. aliquid posse dici singulare, & vnum numero tripliciter primò, & per se, vt differentia indiuidualis; per se, sed non primo, vt ipsum indiuiduum, denique per accidens, & denominatiuè, vt ipsa natura communis in indiuiduo existens, quæ secundum se considerata, & secundum propriam essentiam vt ab indiuiduatione distincta, non est de se hæc, sed communis per indifferentiam, quatenus de se repugnantiam non habet, vt sit sub alia singularitate, & sic habet vnitatem minorem vnitate numerali, quia rei, quæ per se est vna vnitate numerica, omninò repugnat esse sub alia singularitate. Sed instat, quia ly *secundum se*, vel dicit naturam solitariè consideratam, & ita non est à parte rei, sed per intellectum, atque adeò habet vnitatem per intellectum; vel ly *secundum se* non negat associationem cùm indiuiduis, atque adeò non dicit solitudinem, & sic erit singularis. Resp. ex dictis supra num. 85. vtique ly *secundum se* non accipi debere negatiuè pro eo, quod solitariè, & non cum alijs, quia sic vtique non existit natura à parte, rei sed tantum in intellectu; sed sumi debet positiuè, vt dicit prædicata essentialia tam primi, quàm secundi modi, quæ prædicata adhuc includit existens à parte rei, & cum singularitate coniuncta, vnde cum sub his prædicatis etiam existat à parte rei, & secundum illa distinguatur ex natura rei formaliter ab indiuiduatione, in hoc statu adhuc est ens reale, quia licèt sub his prædicatis distinguatur formaliter ab indiuiduatione, adhuc tamen est cum ea à parte rei realiter coniuncta, ac identificata. Tum quia vt sepius dictum est apud nos admittentes distinctionem formalem ex natura rei inter naturam, & hæcceitatem non datur tantùm in intellectu præcisio naturæ ab hæcceitate, sed etiam à parte rei, quia nil aliud significat nisi formalem impermixtionem conceptus vnius cum conceptu alterius esto sint realiter, & identicè permixta, vnde quando intellectus considerat naturam præcisam à singularitate, non facit ipse præcisionem, sed potius præcisionem iam ex natura rei factam reperit, ac intelligit; & hic status præcisionis potest dici status essentiæ realis naturæ, quia sub tali statu objicitur intellectui considerandæ solùm quoad sua prædicata essentialia; Quod si per statum essentiæ naturæ realis intelligeret non statum actualitatis, sed solius potentialitatis ad existentiam, adhuc in hoc statu ens reale dici posset, quia vt constat ex dictis disp. 8. num. 45. ad esse reale satis est, vt essentia possit indiuiduari, & existere per contractionem, non autem opus est, vt actu sit sub existentia, & de facto cum indiuiduatione coniugatur, & identificetur.

153 Ad 2. conceditur sequela, vt enim constat ex dictis supra n. 91. natura generica, cum sit prædicamentalis, habet suam vnitatem formalem sibi proportionatam, sicut habet specifica, & dum Arist. ait in genere latere æquiuocationes, non absolutè locutus est, quasi vellet omnem prorsus vnitatem à conceptu generis ablegare, sed comparatiuè in ordine ad speciem, quæ cum per solas differentias vltimas diuidatur, longè maiorem habet vnitatem, quam habet genus; & sic etiam loquitur Doctor loc. cit. cum ait genus talem non habere vnitatem, non talem vnitatem formalem absolutè, sed talem qualem habet species nimirum athomam. Dices videtur sibi concedere Doctor vnitatem formalem in genere non esse realem, sed rationis, & esse tantùm realem in specie. Resp. Doctorem ibi argumentari tantùm ex concessis ab Apuersarijs de vnitate rationis conceptus generis, vt inde demonstraret vnitatem illam formalem esse realem saltim in specie athoma, in qua facilius erat demonstrare illam vnitatem esse realem, quam in natura generica, in qua vnitas illa formalis est longè minor, vt bene notauit Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 3. q. 3. Ad 3. dicendum est ex quæst. præced. quod sicut non est inconueniens dari in creatis naturam pluribus communem per indifferentiam, & disiunctim à parte rei, sed tantum per inexistentiam, & coniunctim, quia hoc solum diuinæ naturæ reseruatur, ita quoque concedenda est illi vnitas communis, vt eius propria passio, communis, inquam, non per inexistentiam sed per solam indifferentiam ad plura disiunctim. Ad 4. respondet Rada 2.p. controu. 3. art. 1. ad 2. habere naturam vnam vnitatem in pluribus indiuiduis, nec ob id assimilari diuinæ naturæ, quia natura diuina est vna numero, & singularis in pluribus suppositis non sic natura creata, quia hæc eius vnitas in omnibus est minor vnitate numerali, & sic etiam ex eodem Rada respondet Saxius tom. 2. catatt. disput. 3. quæst. 1. art. 3. ad 2. Sed isti Scotistæ minus consequenter loquuntur ad sua dicta in eadem quæst. nam supra in corpore quæsiti concedunt naturam in creatis non dici communem per inexistentiam, sed tantum per simplicem indifferentiam modo explicato præced. quæst. hoc autem concesso, quod scilicet natura non sit communis pluribus per inexistentiam, consequenter concedi debet non habere vnam vnitatem in omnibus indiuiduis, sed in singulis multiplicari cum sua vnitate, vt constabit quæst. seq.

154 Itaque respondendum est cum Scoto secunda dist. 3. quæstione 6. sub litter. D. vbi argumentum in terminis adducit, quod natura est prior naturaliter, quam hæc natura, & vnitas propria consequens naturam, vt natura, prior est naturaliter vnitate eius, vt hæc natura, & sub ista ratione est de ea consideratio metaphysica, & assignatur definitio eius, & sunt propositiones per se primo modo; in eodem ergo, quod est idem numero est aliqua entitas, quam consequitur minor vnitas, quam sit vnitas numeralis, & est realis, & illud cuius est vnitas talis formaliter, non est de se vnum vnitate numerali, vnde concedit quod hæc vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno, per quod manifestè significat non esse vnam eius vnitatem in pluribus indiuiduis, sed in singulis multiplicari. Et cum objicitur quicquid est in eodem indiuiduo est vnum numero, respondet esse vnum numero, vel primò, vt hæcceitas, vel per se, sed non primò, vt indiuiduum ipsum, vel tandem per accidens solum, ac denominatiuè, vi ipsa natura; quod declarat exemplo vnitatis genericæ, nam a pari potest argui, quicquid est in vna specie est vnum specie, color ergo in albedine est vnum specie, quod argumentum eodem modo soluendum est, nempe colorem in specie esse vnum specie, non quidem per se, & formaliter, sed tantum denominatiuè, & per accidens. Ad vltimum ait Saxius loc. cit. disput. 3. quæst. 2. art. 4. ad 3. naturam communem esse per se vnam per vnitatem vniuersalem licet per accidens & determinatiuè sit etiam vna per vnitatem numeralem; & inquit falsum esse, quod vnitas vniuersalis non detur à parte rei distincta ab vnitate singulari, licet verum sit naturam communem nunquam à parte rei posse dari à singularibus seiunctam, & separatam. Sed malè confundit hic Auctor vniuersalitatem cum communitate, & vnitatem vniuersale cum vnitate formali, nam Doctor

2. d. 3. quæst. 1. concedit communitatem per se à parte rei conuenire naturæ, vt ab indiuiduatione secernitur, vniuersalitatem verò minimè, sed tantum per intellectum; & vnitatem, quam dicit sequi naturam, vt communem, secernit omninò ab vnitate vniuersalitatis, quam vult esse rationis, nec conuenire naturæ, nisi per intellectum, illam verò dicit esse vnitatem realem minorem vnitate numerali; vnde re vera concedit vnitatem formalem mediare quodammodo inter vnitatem vniuersalem, & singularem, quia formalis conuenit ei de se, & ab intrinseco, aliæ verò per accidens, & ab extrinseco, nimirum vnitas singularis per hæcceitatem superadditam, & vnitas vniuersalitatis per opus intellectus eam concipientis vnam in omnibus per inexistentiam; vnde patet in quo sensu dici possit natura secundum suam essentiam statum quendam medium possidere inter vniuersalem, & singularem, quia licet inueniri non possit, nisi vel sub statu singularitatis à parte rei, vel vniuersalitatis in intellectu, quia tamen in vtroque statu suam retinet essentiam, quæ de se nec vniuersalis est, nec particularis, sed ad vtrumque indifferens, hoc pacto dici potest natura secundum suam essentiam statum quendam medium obtinere inter vniuersalem, & singularem, quia neutrum istorum est illi essentiale, & in tali statu conuenit ei vnitas formalis, quæ in eodem sensu mediare dici potest inter vnitatem vniuersalem, & singularem, vt benè explicat Aureolus cit. num. 145. referens opinionem Doctoris suppresso nomine de vnitate formali.

155 Quod autem in hoc sensu possit dici natura obtinere statum medium inter singularem, & vniuersalem, & pariter vnitas formalis possit dici media inter vnitatem singularem, & vniuersalem propriè dictam benè probat Amic. tract. 4. logic. quæst. 3. dub. 6. art. 2. ex Mairon. 2. d. 34. quæst. 2. nam illud dicitur medium respectu aliquorum, quod secundum se neutrum sibi determinat, sed cum vtroque potest stare, nam hac ratione superficies secundum se dicitur habere statum medium inter album, & non album; sed natura secundum se formaliter vna, & cum vnitate singulari stare potest, vt cum vnitate vniuersali, quia vtraque sibi accidit, ergo verè dici potest mediare cum sua vnitate formali inter vtramque. Conf. quia status vniuersalitatis non opponitur contradictorie statui singularitatis, sed contrariè, nam status vniuersalitatis dicit indifferentiam, & indeterminationem positiuam ad plura, status verò singularitatis determinationem ad vnum positiuam; sed licet inter contradictoria non detur medium, benè tamen esse potest inter contraria non solum per participationem vtriusque extremi, sed etiam per negationem vtriusque & hoc modo dicimus naturam secundum se habere vnitatem formalem, & secundum hanc habere statum medium inter statum vniuersalitatis, cui repugnat determinatio præcisè ad vnum, & statum singularitatis, cui repugnat multiplicatio, nam naturæ sub vnitate formali nec repugnat multiplicatio, nec determinatio præcisè ad vnum. Sed instabis pro Hurtad. quia licet in hoc sensu dici possit natura secundum se habere statum medium, quia potest esse nunc vniuersalis, nunc particularis, non tamen posse abstrahere ab vtroque statu, sed alterutrum necessariò habere debere. Resp. vt supra imò necessariò secundum, essentiam suam abstrahere ab vtroque nam natura secundum se habet statum realem, vt distinguitur ab ente rationis, & tamen in eo statu non necessariò exigit singularitatem, aut vniuersalitatem, quia vterque status illi per accidens conuenit, vnde licet necessariò necessitate physica sit sub vno, vel altero statu, non tamen necessitate metaphysica.

Quartò, Contra 4. conclusionem vrgent Suarez cit. Ruuius quæstione 3. vniuers. & alij probando vnitatem formalem naturæ non esse formaliter ex natura rei ab indiuiduali distinctam, quia natura communis non habet esse reale, nisi in indiuiduis; ergo nec vnitatem veram, & realem, nisi in indiuiduis, ergo non habet illam ex natura rei distinctam ab vnitate numerali, probatur vltima consequentia, quia quicquid est in re indiuidua intrinsecum, & essentiale illi, non distinguitur ex natura rei ab illa; & si natura non est ens reale, nisi in ordine ad indiuiduationem, aliam vnitatem habere non potest in re ab indiuiduali distinctam. Tum 2. arguit Ruuius, idem est ex natura rei in Petro esse hominem, & esse hunc hominem, quia non est homo, nisi inquantum hæc humanitas veram habet humanitatis essentiam; sed per hanc humanitatem est vnus homo formaliter; ergo vtraque vnitas formalis, & numerica est eadem res. Tum 3. quia essentia non distinguitur ab eo, cuius est, sed humanitas Petri, à qua Petrus habet formalem vnitatem vnius hominis, est essentia realis ipsius; ergo vnitas essentiæ non distinguitur à numerali. Tum 4. quia si daretur in Petro talis vnitas formalis ex natura rei distincta ab vnitate numerica, sequitur quod Petrus esset duo, quia duæ vnitates faciunt dualitatem, & essent in ipso duæ humanitates, vna communis, altera particularis. Tum 5. omne quod est in singulari, est singulare, ergo opus non est, imo est impossibile, quod habeat vnitatem ex natura rei distinctam ab vnitate singularis. Demum vrgetur, quia alioqui tot vnitates ex natura rei distinctas ponere deberemus in aliquo, quot sunt eius prædicata quidditatiua magis & minus communia.

156 Resp. concedendo non posse naturam existere, nisi in indiuiduis, sed negatur vltima consequentia, quod in ipsis nequeat habere vnitatem propriam ab indiuiduali distinctam formaliter, sicut habet propriam entitatem formaliter distinctam ab hæcceitate; ad primam probationem negatur assumptum, esto namque natura sit intrinseca, & essentialis ipsi indiuiduo, verè tamen ex natura rei ab ipsa singularitate distinguitur, sicut determinabile à determinante, & ab ipso indiuiduo constituto ratione hæcceitatis, quam supra ipsam addit indiuiduum; nec vniuersaliter verum est quicquid est indiuiduo intrinsecum, esse quoque illi ex natura rei identificatum, nam materia est intrinseca, & essentialis compositio physico, à quo adhuc realiter distinguitur; ad aliam probationem verum est naturam non esse ens reale nisi per ordinem ad indiuiduationem, cum qua debet per identitatem coniungi, non tamen opus est hanc esse identitatem formalem, sed sufficit esse realem. Ad 2. vera est maior de identitate reali, non de formali, quia esse hominem, & esse hunc hominem differunt sicut includens, & inclusum, siquidem hic homo præter humanitatem includit quoque hæcceitatem, & ideò vnitas quæ conuenit ratione humanitatis distinguitur ab vnitate, quæ conuenit ratione hæcceitatis; posset etiam negari minor, quia per hanc humanitatem falsum est Petrum dici vnum formaliter hominem, potius enim dicitur talis per humanitatem, vt sic, & per hanc humanitatem dicitur hic homo, seu vnus indiuidualiter homo. Ad 3. plus probat quam velint Aduersarij, quia essentia neque ratione præsertim ratiocinata distinguitur ab eo, cuius est essentia, negatur itaque minor, quod humanitas sit tota essentia Petri sumendo essentiam pro integra eius entitate, non autem pro quidditate communicabili, quo pacto species dicitur à Porph. tota indiuiduorum essentia, in hoc siquidem sensu humanitas est tantum altera pars essentiæ, seu entitas Petri, & altera compars est hæcceitas, & ideo Petrus, & eius humanitas distinguuntur, sicut includens, & inclusum.

Ad 4. negatur vtraque consequentia, tum quia natura, & hæc natura non distinguuntur realiter; tum quia gradus communes cum singularibus non ponunt in numerum, cum per eandem hæcceitatem indiuiduentur, vt supra dictum est nu. 70. tum quia, vt notat Tromb. 7. Metaphysic. quæst. 8. art. 4. ad 1. princip. illæ duæ vnitates non sunt eiusdem ordinis, neque inter se consimiles, ideoque facere nequeunt numerum rerum, sed tantum numerum realitatum eiusdem rei, ad hoc enim, quod pluralitas sit fundamentum diuersitatis aliquorum in aliqua vna ratione, oportet, quod pluralitas ista accipiatur, & constituatur ex vnitatibus consimilibus, vnde non dicitur conuenienter, quod homo, & animal dicantur esse plura genera, aut plures species specialissimæ, eo quia ista multitudo, quæ est hominis, & animalis, non accipitur in vnitatibus consimilibus, ad hoc enim, vt sunt plura genera, vel species, oportet vtrobique accipere vnitates genericas, vel specificas; ita Trombet. loc. citat. vbi pro solutione huius argumenti plura dicit, quam sit necessarium. Ad 5. iam paulò supra dictum est ex Scot. quicquid est in singulari esse singulare aut per se primò, aut per se; licet non primò, aut denominatiuè tantum, & per accidens, & ita singularis est natura per indiuiduationem contracta; tamen quod est per accidens singulare, atque ideò sic vnum vnitate singulari, potest benè secundum se esse commune, & vnum vnitate quadam minori vnitate numerali vt de natura contingit in proposito Dices, singularitas non conuenit homini per accidens, ergo per se, & sic etiam vnitas singularis. Resp. quod non conuenit per accidens, sicut accidens subiecto, sed sicut inferius suo superiori, & differentia dicitur accidere generi, sumendo nimirum accidens pro extraneo, vt ait Doctor primò distinct. 2. quæstione 7. Ll. Ad vltimum dicendum illud non esse inconueniens, si loquamur de quidditatibus potentialibus, quæ verè potentiales, & contrahibiles sunt, immo hoc est necessarium asserere, si saluare velimus veram, & realem compositionem metaphysicam.

157 Quintò arguunt Complut. ad idem disput. 3. Log. q. 4. natura, & indiuidualis differentia non distinguuntur actualiter ante intellectum; ergo neque vnitas inde consurgentes, consequentia teuet, probatur assumptum, quia ex opposito antecedentis sequitur naturam habere à parte rei vnitatem oppositiuè communem pluribus, immo dari debere vniuersale separatum Platonis; probatur prima consequentia, quia si natura esset à parte rei distincta à singularitate, haberet propriam vnitatem realem, & hæc esse deberet vna in omnibus indiuiduis, tum quia debet talis vnitas esse communis, vt sit naturæ communi proportionata, tum quia natura intra seipsam nil habet, vnde possit multiplicari, tum tandem quia per vnionem cum indiuiduis non amittere illam suam vnitatem; probatur altera consequentia; nam quamuis natura esset vnita cum singularitatibus, tamen ratione illius vnitatis verè esset entitas in se actu vniuersalis, & saltim de potentia absoluta posset esse sine singularitatibus, ac proindè dari posset vniuersale Platonis separatum.

Resp. negando assumptum, si per distinctionem actualem ante intellectum intelligatur distinctio formalis ex natura rei minor distinctione reali, & maior distinctione rationis, vt constat ex dictis quæst. 3. ad probationem primæ negatur talem vnitatem naturæ propriam esse debere vnam in omnibus indiuiduis, imò sicut natura in singulis indiuiduis multiplicatur, sic quoque & vnitas eius formalis, vt constabit quæst. seq. & hæc est vnitas satis proportionata eius communitati, sicut enim communitas naturæ non est per inexistentiam, sed per solam indifferentiam, vt liquet ex quæst. præc. sic & eius vnitas non est vnitas inexistentiæ, sed indifferentiæ, quatenus vnitas quæ naturam hanc comitatur in Petro, posset eadè comitari in Paulo, & in hoc sensu natura communis retinet suam vnionè etiam in indiuididuis, vt q.

ſequ. declarabitur. Ad probationem alterius conſequentię negatur rurſus vtraque conſequentia, prima quidem, quia cum illa vnitas naturę non ſit vnitas inexiſtentię, ſed ſolius indifferentię ad plura diſiunctim, non ſufficit ad conſtituendum vniuerſale in actu, quod debet eſſe in pluribus, vel ſaltim poſſe eſſe proximè in pluribus, & coniunctim, vt poſtea patebit; altera etiam conſequentia negatur, quia licet ponatur à Scoto natura communis diſtincta formaliter à ſingularitatibus, ponitur adhuc tamen identificata realiter, & ideo prorſus implicat etiam de potentia Dei abſoluta ab ipſis ſeparari.

Sextò, tandem arguit Ocham ad idem apud Lichet. 2. d. 3. q. 1. ſi natura eſſet à parte rei diſtincta à ſingularitate, & vt ſic haberet ſuam vnitatem, poſſet intuitiuè videri ſine hæcceitate, & ſic illa vnitas non eſſet alia vnitas diſtincta à numerali, ſed ipſa numeralis vnitas; conſequentia prima probatur, quia hac ratione ponitur à Doctore poſſe diuina eſſentia videri intuitiuè ſine perſonis; probatur altera conſequentia, quia ſi ita viderentur humanitas Petri, & humanitas Pauli, viderentur, vt diſtinctæ loco, & ſubiecto, ergo viderentur vt diſtinctæ numericæ, quia iſtæ ſunt conditiones indiuiduales.

158 Reſpondet Lichet. loco citat. ad 6. negando primam conſequentiam, quod ſcilicet poſſit à parte rei intuitiuè cognoſci etiam ab intellectu ſeparato natura, prout à ſingularitate diſtincta, quia cognitio intuitiua terminatur ad per ſe exiſtens in propria exiſtentia, modò impoſſibile eſt naturam habere eſſe exiſtentiæ, niſi in indiuiduis, cum ſit idem realiter cum ſua ſingularitate; quod ſi etiam naturæ propria tribuatur exiſtentia diſtincta ſaltim formaliter ab exiſtentia ſingularis, vel ſingularitatis, adhuc negat poſſe ſic intuitiuè videri, quia intuitiua cognitio non terminatur propriè ad rem exiſtentem abſolutè, niſi talis res actu ſit ſingularis, quia talis notitia intuitiua non videtur poſſe eſſe alicuius communis in ſe; & ad probationem illius primæ conſequentiæ, quod ſcilicet ſecundum Scotum poteſt videri diuina eſſentia non viſa perſonalitate, etiamſi ſint idem realiter, negat paritatem, quia eſſentia diuina eſt obiectum, ſeu ſpeculum voluntarium, & natura diuina eſt ex ſe ſingularis, & exiſtens; at exiſtentia naturæ creatæ eſt obiectum naturale, & neceſſariò mouens, nec eſt exiſtentia ſingularis, ſed communis; licèt hęc reſponſio poſſet ſuſtineri, tamen non videtur ad mentem Doctoris, qui 3. d. 14. quæſt. 3. §. *Ad quæſtionem*, docet de natura etiam, vt abſtrahit à ſingularitate, poſſe notitiam intuitiuam haberi, & idem clarius habet 4. d. 45. quæſt. 3. ad 2. principale, vbi hanc difficultatem in terminis adducit, & ſoluit his verbis; ſi obijcias, potentia non cognoſcens ſingulare, vt ſingulare, non recordatur, quia recordans cognoſcit aliquid, vt hic, & nunc, quod eſt proprium ſingulari. Reſpondeo, exiſtentia actualis primò conuenit naturæ, vnde hæc natura non eſt exiſtens formaliter, quia hæc, ſed per naturam, illam autem naturam, vt exiſtentem intuitiuè cognoſcit intellectus, & iſta cognitio exiſtentis, vt exiſtentis ſufficit ad hoc, quod eius poſſit eſſe recordatio. Cum ergo dicis potentia recordatiua cognoſcit hoc, vt hoc, nego; tu probas, cognoſcit aliquid, vt hic, & nunc, ſi intelligas per *nunc* exiſtens, & per *hic* in ſe præſens, concedo quod cognoſcit aliquid, vt in ſe præſentialiter exiſtens, & ſic vltra, hic & nunc ſunt propria ſingulari, ita quod non poſſunt eſſe naturæ, non vt ſingulariter, licet enim non ſint alicuius, niſi quod eſt in ſingulari ſingularitate intrinſeca, vel adiuncta, tamen non includunt formaliter, nec prę ſuppoſitiuè ſingularitatem, tanquam præciſam rationem, ſecundum quam illa inſunt, ita Doct. loc. citat.

Itaque pro ſolutione argumenti ſciendum problema eſſe apud Doctorem, num naturæ, vt diſtinguitur ab indiuiduatione, propria competat exiſtentia formaliter diſtincta ab exiſtentia ipſius ſingularis, vel ſingularitatis, variè enim loquitur de hac re, vt dictum eſt ſupra diſp. 8. quæſt. 4. à numer. 173. ſi pars affirmatiua teneatur, tunc ad argumentum adhibenda eſt ſolutio Doctoris iam allata, quam etiam iuxta hanc viam ad idem dubium iam ego dedi, & amplius declaraui diſp. 6. de Anim. quæſt. 7. art. 2. numer. 215. ſi verò teneatur pars negatiua, quam cenſui probabiliorem diſput. 8. cit. numer. 174. tunc adhibenda eſt reſponſio, quam dedi ad eandem ferè difficultatem de notitia intuitiua ſupra diſputat. 6. Metaphyſic. quæſt. 17. num. 324. vbi ex profeſſo de hac re diſputatur; alia argumenta ad hanc rem ſpectantia iam ſoluta ſunt ſuperius quæſt. 5. dum tueor diſtinctionem formalem naturæ ab hæcceitate.

Hanc quoque ſententiam de reali communitate, & vnitate naturæ Seraphicus Doctor S. Bon. approbaſſe videtur 2. d. 18. art. 1. quæſt. 2. ad argumenta, & ex eodem motiuo, quo motus eſt Doctor ſubtilis, nimirum ex reali, & actuali ſimilitudine, quæ cernitur inter ſpecies, & indiuidua; inquit enim ſoluens quoddam argumentum propè finem quæſtionis. Ad illud, quod obijcitur quod conſiderationi phyſicæ aliquid reſpondet in re, dicendum quod verum eſt, vera enim, & realis eſt ſimilitudo inter Petrum, & Paulum, & ita neceſſe eſt ponere aliquod tertium, in quo aſſimilantur; ſimiliter inter hominem, & aſinum realis eſt ſimilitudo, & ideò conſideratio phyſica non eſt vana; ita S. Doctor, ne quis autem putaret naturam communem, in quo fundatur ſimilitudo plurium indiuiduorum, vel ſpecierum, eſſe communem per inexiſtentiam, ſed per ſolam indifferentiam, ſubdit hæc alia verba, nec tamen oportet ita eſſentias debere produci, ſicut habent cognoſci, ſufficit enim quod ſic ſe habeant ad eſſe, ſicut ſe habent ad cognitionem, ſed non oportet, quod ſic ſe habeant ad productionem, quibus verbis indicat non eſſe eandem in omnibus naturam per inexiſtentiam, ſed per ſolam indifferentiam, quia in diuerſis indiuiduis ſunt termini diuerſarum productionum.

QVÆSTIO VII.

An vnitas formalis conueniat naturæ etiam in ſtatu exiſtentiæ, & quomodo.

159 PRima ſententia eſt negatiua, quam tenent nedum Auctores, qui in præced. quæſt. negabant vnitatem naturæ in ſtatu eſſentiæ, ſed etiam quamplures ex ijs, qui aliquam vnitatem concedebant naturæ in eo ſtatu; quia enim exiſtere nequit, niſi indiuiduata, nec in pluribus indiuiduis poteſt exiſtere, niſi diuidatur per hæcceitates, ideò in tali ſtatu dicunt vnitatem formalem amittere, qua in priori ſtatu gaudebat, ita Auerſa quæſt. 8. Log. ſect. 6. Io. de S. Thom. 2. part. Log. quæſt. 3. art. 3. Capreolus 3. d. 5. quęſt. 3. art. 3. & quidam alij Thomiſtæ Herueiſtæ, qui tamen licet negent naturam à parte rei in indiuiduis eſſe formaliter vnam ſumendo vnitatem propriè pro indiuiſione, illi tamen concedunt vnitatem impropriè ſumptam, nimirum pro conuenientia excludente diſſimilitudinem rerum, quatenus natura quælibet creata in ſuis indiuiduis eſt à parte rei conſimilis, & conformis, quæ fuit communis opinio veterum Thomiſtarum, vt teſtantur Complut. diſp. 3. Log. quæſt. 3. num. 27. & Zerbius 7. Metaph. quæſt. 17. §. *Propter ſecundum*, & ſequitur ex noſtris Poncius diſputat. 3. Log. quæſt. 2. concluſ. 4. vbi naturæ in indiuiduis ſolam vnitatem ſimilitudinis, & conformitatis concedit, & in hoc ſenſu explicat vnitatem formalem, quam Doctor tribuit naturæ communi minorem numerali 2. diſt. 3. quæſt. 1. à qua etiam ſententia non multum diſtat Suarez citat. diſputat. 6. ſect. 1. quamuis enim ibi in ſingulis indiuiduis à parte rei vnitatem formalem naturæ admittat aliquo modo à numerali diſtinctam, eam tamen non admittit per modum indiuiſionis naturæ in pluribus, ſed per modum cuiuſdam ſimilitudinis, & conformitatis, vt explicat ſub numer. 12. adeout in virtute talis vnitatis formalis vnumquodque indiuiduum poſſit in ſe dici formaliter vnum, & indiuiſum, non tamen vnum formaliter cum alio, ſed tantum conueniens cum eo, vel conſimile illi.

160 Huic quoque opinioni accedit ſententia nonnullorum Scotiſtarum, quam ſequitur Canon. cum Franciſco de Marchia 1. Phyſ. q. 6. art. 3. §. *Quantum ad* 2. & probabilem cenſent Tromb. 7. Met. q. 8. art. 1. in fine, & Rada contro. 3. cit. art. 1. ab initio, & aſſerit naturam habere ſuam vnitatem formalem in omnibus indiuiduis, non quidem poſitiuam, ſed priuatiuam, vocant vnitatem poſitiuam, qua aliquid eſt in ſe poſitiuè vnum; priuatiuam verò vocant illam, qua aliquid non habet vnitatem ſibi conuenientem ratione aliquorum extrinſecorum diuidentium, quibus præciſis remaneret cum ſua vnitate conuenienti, quo pacto materia prima 1. Phyſ. & 1. de Generat. dicitur vna numero omnium generabilium, & corruptibilium, non quidem vna numero poſitiuè; ſed priuatiuè, quia circumſcriptis formis diſtinguentibus ipſam, haberet materiam vnitatem propriam ſibi conuenientem; ſic igitur in propoſito natura habet in indiuiduis hanc vnitatem priuatiuam, quia ob conditiones indiuiduantes non habet vnitatem ſibi conuenientem; ſi tamen ipſæ præſcindantur, habebit vnitatem poſitiuam ſibi propriam; accedit, inquam, hæc Scotiſtarum opinio ad hanc primam ſententiam, quatenus & ipſa negat in natura à parte rei in indiuiduis inueniri plenam, & perfectam vnitatem, qualem habebat in ſtatu eſſentiæ, & præciſionis, ſed tantum vult eſſe imperfectam, & diminutam, ſcilicet priuatiuam ob differentias contrahentes, ſub quibus reperitur in ſtatu contractionis, & exiſtentiæ.

161 Oppoſita ſententia affirmat naturam in ſtatu exiſtentiæ eandem ſuam vnitatem formalem retinere, adhuc in indiuiduis, quam habebat in ſtatu eſſentiæ, quam docent Scotus, & Scotiſtæ, D. Th. de ente, & eſſentia c. 4. q. 2. & cum eo Caietan, ibidem, & Ripa, vbi de mente vtriuſque dicit, non ex hoc quod naturæ merito ſingularium, in quibus inuenitur, aduenit vnitas ſingularis, amittit aliam vnitatem, quam ſibi vt ſic, in ſua natura vindicat, adhuc enim in ſingulari exiſtens id ei ineſt, quod de eius intellectu abſolutè eſt, quoniam quod alicui in eo, quod tale conuenit, in quocunque ponatur, ei conuenit. Verùm duplex eſt modus explicandi hanc ſententiam, primus aſſerit, quod hæc vnitas minor vnitate numerali eſt vna, & eadem poſitiuè in omnibus indiuiduis, quia non eſt inconueniens, quod hæc vnitas ſtet cum plurificatione indiuiduali, cum hæc plurificatio tali vnitati non opponatur, vnde iuxta hunc dicendi modum vnitas formalis naturæ non multiplicatur in inferioribus, ſed eſt eadem in omnibus, & ex hoc capite dicitur minor numerali, quia numeralis vnitas reperitur tantum in vno, formalis autem in pluribus, & eſt quędam vnitas communis, & hic refertur vt communis modus dicendi Scoti, & Scotiſtarum, vt eſt videre apud Suar. Auerſ. Compl. loc. cit. & Paſqualig. tom. 2. Met. diſp. 15. ſect. 1. vbi eum amplectitur, & emixè defendit. Alter dicendi modus negat eſſe eandem ſimplicem vnitatem communem omnibus indiuiduis, ſiue quæ ſit eadem ratione alicuius entitatis, quæ vna, & eadem ſit in omnibus indiuiduis, ſed in quolibet ſingulari docet eſſe ſuam vnitatem formalem ratione propriæ ſuæ naturę diſtinctam ab vnitate numerali eiuſdem indiuidui, at-

que à simili vnitate formali alterius indiuidui; & hic refertur velut communis modus dicendi Thomistarum, quem proinde docent Caietan. & Ripa loc. citat. de ente, & essentia, & Complut. citat. vt de mente D. Thom. & Suarez ipse profitetur loc. citat. cum ceteris Recentioribus, ex quo fit quodlibet indiuiduum duplicem vnitatem habere, alteram formalem, & alteram indiuidualem, formalis sequitur naturam; indiuidualis verò esse indiuiduale. Caiet. tamen ait vnitatem formalem non importare quid positiuum; sed solam negationem diuisionis per principia essentialia, quam inquit non esse vnam, & eandem in omnibus indiuiduis, sed tot, quot sunt indiuidua.

Cæterum antequam pergamus ad resolutionem quæsiti, notandum est primum modum explicandi hanc secundam sententiam perperam referri à Recentioribus, vt genuinum Scoti, & Scotistarum, Scotus siquidem expresè oppositum docet loc. citat. & præsertim 2. d.3.q.6.§. *Ad quæstionem*, lit.E. vbi in terminis proponit hoc dubium, num scilicet ista vnitas sit alicuius in vno tantum indiuiduo existentis, an verò alicuius, quod simul est in duobus & respondet dicens, *concedo ergo quod hæc vnitas formalis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno tantum*, & in 3.d.8. qu.vn. in fine differte do et in singulis indiuiduis naturam communem plurificari ad pluralitatem eorum cum plurificatione etiam formalis vnitatis naturæ, vnde ait aliam esse formalem vnitatem humanitatis Christi, & aliam humanitatis Mariæ; tum quia vt constat ex dictis qu. 5. Doctor non admittit naturam à parte rei communem communitate inexistentiæ, sed tantum indifferentiæ; ergo nequit tenere vnitatem formalem naturæ esse vnam, & eandem in omnibus indiuiduis, sed potius in singulis multiplicatam, sicut in singulis est multiplicata natura modo ibi declarato, consequentia patet, quia vnitas formalis naturæ proportionari debet eius communitati, adeoquod si est vna & eadem natura in omnibus indiuiduis per inexistentiam, habeat etiam vnam solam vnitatem adæquatè in omnibus; & si est eadem in omnibus solum per indifferentiam, multiplicetur in singulis cum sua vnitate cum indifferentia, vt quæ natura modo existit in Petro cum sua vnitate, potuerit quantum est de se esse in Paulo, & quod hæc sit germana Doctoris opinio vide alia loca ad hoc citata qu. 5. art. 1. num. 109. & 110.

162 Hæc etiam est communis opinio Scotistarum, paucis quibusdam exceptis, ita enim docet Lichet. 2.d.3.quæst.1. vbi etiam Tatar. & quæst.1.prædicab. dub.3. Tromb.7.Metaph.q.8. & Rada loc. citat. vbi cum duos relatos dicendi modos recitassent, hunc dumtaxat secundum approbant, vt magis de mente Scoti, licet Rada in eadem controuers.art.1.in sol.ad 2.non satis consequenter ad dicta concedat naturam vnam dumtaxat vnitatem habere in omnibus indiuiduis, in quem errorem quoque lapsus est Saxius ipsum imitatus, quandoquidem tom.2.catast.disput.3.quæst.1. art.1. docet communitatem naturæ in creatis esse per solam indifferentiam, non verò per inexistentiam, & postea art.3.in sol. ad 2.concedit, & ipse habere vnam vnitatem in omnibus indiuiduis; Meurisse quoq; ita sentit lib.2. suæ Metaph.c.3.quæst.3. vbi etiam meritò Suarez reprehendit, cum dicit in hoc differre Scotum à Thomistis, quod Scotus non censeat vnitatem hanc multiplicari numero in ipsis indiuiduis, Thomistæ verò existiment multiplicari, esto nec ipse postea consequenter loquatur, cum quæst.4.admittit naturam esse communem pluribus, nedum per indifferentiam, sed etiam per inexistentiam, quæ duo vt dixi, inter se non cohærent, qui enim declarat communitatem naturæ per indifferentiam, cum ipsa natura multiplicat vnitatem formalem in singulis indiuiduis, & qui eam declarat per inexistentiam, sicut ponit vnam, & eandem naturam in omnibus, ita consequenter vnam dumtaxat vnitatem debet ei adscribere, quæ in omnibus sibi correspondeat adæquatè. Itaq; secundus ille modus explicandi hanc secundam sententiam communis est Thomistarum, & Scotistarum, qui solum differunt in explicanda communitate huius vnitatis formalis, & distinctione eius ab vnitate indiuiduali, quandoquidem Thomistæ hæc duo illi adscribunt per opus dumtaxat intellectus, Scotistæ verò à parte rei, & præter quodcunque opus intellectus, vt constat ex præced.quæstione, vbi actum est de communitate talis vnitatis, eiusque distinctione ab vnitate numerica.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæstionis.

163 Dico Primò naturam etiam in statu existentiæ, seu ad indiuidua contractam adhuc suam retinere vnitatem formalem, quam habebat in statu essentiæ. Conclusio est Scoti, & Scotistarum loc. cit. & primò probatur ratione à priori deducta ex compossibilitate vnitatis formalis cum numerica, nam vnitas formalis non tollitur per numericam, cum illi non opponatur, ergo permanet adhuc in natura in statu existentiæ; consequentia patet, probat Tromb. antecedens multipliciter, nulla vnitas realis amouetur ab aliquibus, nisi illa aliqua diuersitatem includant oppositam tali vnitati; sed indiuidua eiusdem speciei non includunt aliquam diuersitatem extra intellectum oppositam vnitati naturæ specificæ, quia diuersitas eorum est solum numeralis, ergo &c. Tum quia quæ non sunt distincta, neq; diuisa extra intellectum necessariò sunt sic indistincta, & indiuisa, sed indiuidua eiusdem speciei sunt indiuisa, & indistincta extra intellectum in eadem specie, quia circumscripto omni opere intellectus Sortes non distinguitur specie à Platone, ergo &c. Tum quia, quæ distinguuntur inter se realiter, & non secundum omnem rationem inclusam in eis, habent aliquam vnitatem realem, nimirum in illa ratione, in qua non differunt; sed indiuidua eiusdem speciei distinguuntur realiter, & non secundum omnem rationem inclusam in eis, quia non secundum rationem specificam, sed tantum indiuidualem, ergo &c.

Resp. Auersa, quod si differentia capiatur pro diuisione naturæ falsum est duo indiuidua eiusdem speciei non differre in natura, quia sic est verè diuisa natura vnius à natura alterius, si verò differentia capiatur pro disconuenientia, sic verum est duo indiuidua non differre in natura, quia non sunt dissimiles in natura, & sic argumentum concludit tantum reperiri inter illa vnitatem naturæ non quidem propriè sumptam pro indiuisione naturæ, sed pro conuenientia excludente dissimilitudinem naturarum. Hæc tamen solutio Aduersarijs satis familiaris, & obuia in hac materia efficaciter impugnata est supra n.45.& 142. quia estò verum sit, vt ibi dictum est, conuenientiam, & similitudinem inter duo indiuidua eiusdem speciei non supponere in illis vnam, & eandem naturam vnitate inexistentiæ, accentitatiua, quia quod realiter est in vno, illud idem non est realiter in alio, tamen supponit in illis vnam naturam vnitate indifferentiæ; hoc est, plures quidem naturas, ita tamen omnino eiusdem rationis, vt quæ modò constituit vnum, poterat quantum est de se constituere aliud in eodem esse specifico, & in hoc fundatur conuenientia essentialis, quæ est inter Sortem, & Platonem, vt ibi probatum est; vnde cum dicimus Petrum, & Paulum esse vnum in humanitate, non est accipienda humanitas, vt aliquid tertium existens, in quo conueniant singularia, sed præcisè vt aliquod vnum vnitate indifferentiæ, merito cuius vnitatis verum est dicere, quod humanitas Petri de se indifferens est ad constituendum Paulum in esse hominis, & è contra, & quod non sunt distincti essentialiter, sed in principio essentiæ est vna humanitas amborum, vna, inquam, vnitate differentiæ, non inexistentiæ.

164 Respondent aliter Nominales ex Ocham, quod licet vnitas formalis, & numeralis non habeant inter se repugnantiam formalem, habent tamen virtualem, cum enim sint inter se realiter identificata, merito talis identitatis quicquid vni conuenit, alteri quoque conuenit, & quod vni repugnat, repugnat & alteri; vnde si potest numero natura multiplicari, vel alteri communicari, poterit etiam indiuidualis differentia, vel si id isti repugnat, repugnabit quoque naturæ, quæ est realiter idem cum differentia immultiplicabili, & incommunicabili. Hanc solutionem infringit Amic. tract.4.cit. quæst.3. dub.5. nam Petrus v.g. est immultiplicabilis, quia est adæquatè singulare, at natura secundum se non est identificata adæquatè cũ singularitate, & ideò secundũ eam rationem, quæ inadæquatè identificatur vni singulari, potest multiplicari nõ multiplicato singulari; vnde illa propositio, quando aliqua sunt idè realiter multiplicato vno multiplicatur, & aliud, vera est, quando adæquatè identificantur, vt patet in diuinis, vbi hac ratione multiplicantur personæ non multiplicata essentia, quia nimirum hæc singulis inadæquatè tantum identificatur. Hæc tamen impugnatio non placet, quia procedit iuxta principia defendentium vnitatem, & communitatem naturæ in indiuiduis per inexistentiam, non autem per simplicem indifferentiam, vnde modum illum occurrendi ad instantiam Ocham reiecit supra nu.118. cæterum quo pacto etiam in hac sententia possit illa impugnatio procedere patebit infra nu. 121. Lichet. loc.cit.ad 3. Ocham plura dicit, negat primò, quod differentia indiuidualis nequeat esse plura numero distincta; deinde concedit, quod sicut multiplicantur realiter naturæ, ita & singularitates, nam tot sunt singularitates realiter distinctæ, quot sunt naturæ contractæ realiter distinctæ. Sed in primis omnino falsum est, quod possit indiuidualis differentia communicari pluribus realiter distinctis, hoc enim est proprium naturæ, non hæcceitatis, Petreitas enim est de se necessariò sic huic indiuiduo alligata, vt nequeat alteri conuenire; neque concedendo, quod realiter multiplicantur naturæ, sicut singularitates, ob id satisfit instantiæ Ocham, cuius robur consistit in hoc, quod natura est de se multiplicabilis, idest indifferens ad constituenda plura disiunctim in eodem esse specifico, non sic hæcceitas ad plura constituenda in esse indiuiduali. Itaque responsio Ocham impugnanda est, eiusque instantia expugnanda ex dictis supra n.33. & nu.100. quia ad componenda ea contradictoria de communicari, & non communicari sufficit distinctio formalis ex natura rei, vt patet in diuinis, vbi meritò istius formalis distinctionis essentia dicitur communicabilis, & personalitas incommunicabilis, esto sint omninò realiter identificata; & falsum est vniuersaliter loquendo omnia contradictoria à parte rei verificata inferre distinctionem realem inter ea, de quibus verificantur, plura si quidem inferunt solam formalem, quæ nempe de eadem re verificantur ratione diuersarum formalitatum præcisè, quæ autem sint ista declaratum est disput.6.Metaph.nu.227. 290.& 310.

165 Deinde probatur ratione à posteriori, quia magis à parte rei conueniunt inter se indiuidua eiusdem speciei, quam cum indiuiduis alterius; ergo habent aliquam vnitatem, quam non habent illa, & hæc est formalis vnitas naturæ specificæ. Neque dicas indiuidua

uidua eiusdem speciei magis conuenire non formaliter, sed fundamentaliter. Hoc enim potius corroborat argumentum nostrum, quandoquidem fundamentum huius conuenientiæ, vt sæpè dictum est, non potest esse, nisi vnitas in natura humana. Respondent Nominales, & Heruęistæ esse quidem conuenientiam inter indiuidua eiusdem speciei, sed non esse vnitatem à parte rei, quia seipsis totis conueniunt, & differunt magis, & minus. At hæc solutio fusè impugnata est supra num. 45. & 142. quia si conuenientia est realis, debet præcedere vnitas realis naturæ supra quam fundetur. Tum quia implicat dicere tam Petrum, & Paulum, quam Petrum, & Bucephalum se totis distingui magis & minus, quia aliqua duo non magis inter se differre possunt, quam se totis, sic enim in nullo conueniunt. Tum quia indiuidua eiusdem speciei distinguuntur realiter, & non secundum omnem rationem inclusam in eis; ergo falsum est distingui se totis, probatur assumptum, quia Petrus inquantum homo non distinguitur à Paulo, quia si sic, ergo omnis homo distingueretur à Paulo, nam ly *inquantum*, reduplicatiuè tantum infert vniuersale; tum quia nulla ratio est distinctiua alicuius ab alio, quod non cadit sub contradictorio illius, sicut albedo non distinguit album, nisi ab eo, quod cadit sub non albo, ergo humanitas in Petro non distinguit ipsum ab aliquo, nisi cadat sub contradictorio hominis, scilicet sub non homine, sed Paulus non cadit sub non homine, nec enim verum est dicere, quod sit non homo, ergo humanitas in Petro non distinguit ipsum à Paulo, atque ideò sunt idem essentialiter in humanitate.

166 Respondet Suarez dari quidem in singulis indiuiduis vnitatem formalem naturæ aliquo modo ab vnitate numerali distinctam, sed eius virtute non posse dici, Petrum v. g. esse vnum formaliter cum Paulo, sed tantum esse vnum formaliter, & indiuisum in seipso, quatenus in se à parte rei caret nedum diuisione numerali, sed etiam diuisione essentiali. Contra, hæc etiam solutio reijcitur ex proximè dictis, tum quia eadem ratione, qua inquit Suarez Petrum dici in se formaliter vnum, quia nimirum est in se indiuisus per principia essentialia, poterit etiam dici formaliter vnus cum Paulo, quatenus non est ab eo diuisus, & distinctus per principia essentialia, sed tantum indiuidualia.

Denique probatur ex regula iam tradita qu. 6. ab initio num. 130. quod prædicata, quæ conueniunt naturæ in statu essentiæ, conueniunt illi etiam in statu existentiæ, & ratio est, quia illa prædicata sunt illi essentialia in primo, vel secundo modo dicendi per se, ac proinde realiter identificata; cum ergo vnitas formalis sit passio consequens naturam in statu essentiæ, vt eius propria passio, eam consequenter etiam in statu existentię retinebit, nec potest vllo pacto illam amittere cum sit illi realiter identificata. Tum quia quod alicui in eo, quod tale conuenit, in quocunque ponatur, ei conuenit; cum ergo vnitas formalis conueniat naturæ secundum quod talis est, etiamsi ponatur in indiuiduis adhuc illi conueniet. Tum quia sicut existentia non destruit essentiam, sed potius perficit, & modificat, ita neque destruit eius prædicata essentialia primi, vel secundi modi; cum igitur vnitas formalis sit passio naturæ secundum essentiam suam consideratæ, sicut natura in statu existentiæ suam retinet essentiam, ita etiam suam propriam passionem.

167 Dico 2. formalis naturæ vnitas non est priuatiua in statu contractionis, & existentiæ, sed positiua. Conclusio est contra Scotistas dicentes vnitatem formalem naturæ in indiuiduis esse dumtaxat priuatiuam, & clarè deducitur ex Scoto loc. cit. vbi docet hanc vnitatē formalem esse passionem ipsius naturæ, & esse vnitatem in re realem citrà omne opus intellectus naturam secundum hanc vnitatem esse principium formale agendi, & terminandi actiones reales, esse rationem proximam fundandi relationes reales similitudinis, & æqualitatis, & alia huiusmodi, quæ verificari nequeunt de vnitate solum priuatiua, quod explorata manet Caui responsio loc. cit. cum inquit rationes Doctoris, quibus probat dari à parte rei vnitatem numerali, probare tantum dari vnitatem priuatiuam. Nam vt constat ex prædictis muneribus, quæ naturæ conueniunt secundum suam vnitatem, clarè deducitur per eas probari talem vnitatem esse debere positiuam quia illa munera sunt positiua. Conf. ex modo loquendi Scoti, nedum enim inquit naturam non esse vnam vnitate numerali, neq. plura pluralitate opposita tali vnitati, sed insuper addit esse vnam formaliter, quia secundum suam rationem non compatitur diuisionem per principia essentialia; ergo secundum ipsum nedum est vna priuatiuè, sed etiam positiuè, quia vt esset vna priuatiuè, sufficere ipsam non esse vnam vnitate numerali, nec plures pluralitate tali vnitati opposita. Conf. demum ex paritate vnitatis indiuidualis, quia non magis rei singulari debetur in se numeraliter indiuisam esse positiuè, quam naturæ esse in se formaliter indiuisam positiuè; ergo sicut vnitas numeralis vera, & positiua vnitas est, ita quoque vnitas formalis.

Respondent aliqui Scotistæ hunc dicendi modum defendentes, quod cum dicunt naturam in statu existentiæ habere vnitatem dumtaxat priuatiuam, nolunt omnem rationem positiuam à tali vnitate excludere, sed tantum intendunt, quod in statu contractionis sit priuata per singularitates aliqua vnitate, quam haberet, nisi aduenirent singularitates, quia diuisio tollit aliquam vnitatem, nec diuisum post diuisionem manet indiuisum, sicut antea; in hoc sensu igitur intelligitur natura habere suam vnitatem priuatiuam in esse existentię, idest diminutam, & imperfectam. Contra, quia per vnitatem, quam natura habere intelligitur ante aduentum differentiarum, vel intelligitur vnitas formalis, quæ ponitur eius proprietas, & falsum est hanc deperdi in aduentu differentiarum, vel vllo pacto diminui, tum quia multitudo numeralis tali vnitati opponitur, tum quia cum talis vnitas sit passio realiter identificata naturæ, tolli nequit per quodcunq. posterius adueniens; vel intelligitur vnitas quædam numeralis rationis, quam natura acquirere concipitur eo ipso, quod à differentijs indiuidualibus abstrahitur, & hæc vtique deperditur, cum in statu contractionis intelligitur, sed hæc non est vnitas formalis, quæ ponitur propria passio naturæ, neque quia talem vnitatem amittit per contractionem differentiarum, ob id vnitas formalis vllo pacto diminuitur, vt priuatiua dici debeatur. Eisdem rationibus reijci debet modus dicendi Caiet. c. 4. de ente & essentia q. 2. vbi ait vnitatem naturæ in indiuiduis non importare quid positiuum commune ipsis, sed solam negationem diuisionis formalis vnius ab alio, quæ etiam non est vna communis omnibus sed in singulis multiplicata; eisdem inquam, rationibus reijcitur, quia ratione talis vnitatis competunt indiuiduis nonnullæ passiones, & operationes communes totius speciei, & talis vnitas est fundamentum realis conuenientiæ, & similitudinis inter illa, quæ etiam secundum Thomistas est relatio realis, & positiua; ergo nequit esse simplex, & pura negatio, quia fundatum non est maioris entitatis suo fundamento. Tum quia negatio vniuersaliter est affirmatione posterior, & super ipsam fundatur, & negationes eiusdem rationis, præsertim cum sunt negationes in genere, sequuntur ad affirmationes eiusdem rationis; ergo si in singulis indiuiduis multiplicantur negationes eiusdē rationis, ideò erit quia multiplicantur affirmationes eiusdem rationis, nēpe natura, quæ est eiusdē rationis in omnibus, & ideò vocatur à nobis cōmunis per indifferētiā. Hac de causa Ruuius q. 3. vniuers. quamuis sententiam Thomistarum sequatur de vnitate formali naturæ, fundamentum conuenientiæ realis, quæ inter plura indiuidua eiusdem speciei reperitur, non vult esse puram negationem, sed vnitatem virtualem positiuam. Quod tamen non sufficit, quia si relatio conuenientiæ est actualis, ergo pariter eius fundamentum actuale esse debet, & non virtuale tantum, quia vt dixi, fundatum non est maioris entitatis fundamento, ergo vnitas, quæ est fundamentum conuenientiæ inter indiuidua eiusdem speciei, esse debet realis, actualis, & positiua, qualis est ista conuenientia.

168 Dico 3. vnitas formalis, dum multiplicatur natura in indiuiduis, non manet vna indiuisa in omnibus, sed ipsa etiam cum natura multiplicatur. Hæc conclusio est Scoti loc. citato n. 171. quam etiam tenent politiores Scotistę, & Thomistæ, quam tamen nec omnes rectè probant, neque ex eisdem principijs, Suarez cit. Compl. Blanc. Ruuius & alij Recentiores sic probare solent; vnitas formalis nullo pacto distinguitur à parte rei ab vnitate indiuiduali, sicut natura non distinguitur ab hæcceitate; sed in diuersis singularibus non est vna realiter differentia indiuidualis, neque eadem vnitas numerica, cum sint diuersa indiuidua propter vnitates numericas diuersas; ergo neque in diuersis singularibus dabitur eadem vnitas formales communis illis. Confirmatur, quia licet detur à parte rei vnitas formalis naturæ, hæc tamen vnitas non habet communitatem realem respectu plurium, nisi per intellectum; si enim illam haberet à parte rei, sicut à parte rei Petrus dicitur formaliter vnus, sic etiam diceretur communis pluribus quandoquidem omnes proprietates reales, quæ prædicantur de aliqua natura prædicantur etiam de indiuiduis illius. Hæc ratio cum sua confirmatione non absolutè probant, quia procedunt ex duobus principijs apud nos falsis; primum est, quod vnitas formalis nullo pacto distinguatur à parte rei ab vnitate numerica, quamuis enim non distinguatur realiter ac entitatiuè, adhuc tamen distinguitur ex natura rei formaliter, quare si illa ratio nititur identitati reali vnitatis formalis cum numerica, virtute cuius si vna multiplicatur à parte rei realiter, debet pariter, & alia sic multiplicari potest admitti; at si nititur identitati formali vnius cum alia non debet admitti, quia falsum est huiusmodi vnitates esse inuicem formaliter identificatas, vt constat ex dictis numer. 149.

Aliud falsum principium, cui nititur confirmatio, est, quod nec natura, nec eius vnitas aliquam habeant communitatem à parte rei, quod quidem falsum est, licet enim nullam habeant communitatem positiuam, ac veluti per inexistentiam, habent tamen communitatem quandam negatiuam, ac per indifferentiam, quatenus natura Petri cum tota sua vnitate formali non est de se hæc, seu huic indiuiduo alligata, sed quantum est de se indifferens est ad aliud indiuiduum constituendum, quod de Petreitate dici non potest, vt constat ex dictis qu. 4. art. 1. & qu. præc. concl. 3. quare autem possit de indiuiduis prædicari natura, & sua vnitas, non verò communitas dictum est supra nu. 98. & 161. itaq. si confirmatio nititur negationi communitatis positiuæ, & per inexistentiam potest admitti, quia re vera nec natura, nec vnitas est ita communis à parte rei; si verò nititur negationi communitatis cuiuscunque etiam per indifferentiam, non benè procedit, siquidem natura talem habet communitatem à parte rei ex dictis q. 5. tum quia etiam tali communitate admissa adhuc benè defenditur naturam in singulis indiuiduis cum sua vnitate formali multiplicari, quia talis vnitas non arguit vnam, & eandem naturam in omnibus entitatiuè, adeoquod seclusis hæcceitatibus eadem prorsus positiuè esset natura Petri, & Pauli, seu eadem omnino physica

en-

entitas, sed solum arguit illas plures naturas esse eiusdem rationis.

169 Rursus probat Suar. num. 11. quia hæc vnitas formalis concomitantur naturam secundum se, sed in re non est aliqua natura cõmunis, quia tot multiplicantur naturæ, & essentiæ, quot sunt indiuidua, ergo idem est dicendum de vnitate formali, quæ est intrinseca proprietas naturæ, & ideò mutuo se consequuntur. Sed hoc argumentum assumit minorem dubiam, & eandem patitur difficultatem, quam præcedens, quia vel in eo fit sermo de communitate naturæ per inexistentiam, & sic argumentum potest admitti; vel de quacunque communitate reali etiam per indifferentiam, & sic argumentum non benè deducitur, quia in hoc sensu est falsa minor, & admissa tali communitate in natura adhuc defenditur naturam communem multiplicari cum sua vnitate in singulis indiuiduis, quia talis non est communitas actualis, quasi sit eadem natura pluribus actu communicata, sed aptitudinalis quatenus natura est de se indifferens ad plura disiunctim.

Ripa de ente, & essentia c.4.qu.2. art.4. in fine probat cum Caietano, quæ sunt conuertibiliter idem realiter multiplicato vno multiplicatur aliud, quia vna est existentia vtriusq; sicut & entitas, sed natura, ac eius vnitas conuertibiliter idem realiter, ergo multiplicata natura per hæceitates, multiplicabitur & eius vnitas. Neque hæc ratio est valdè vrgens, quia Scotistæ oppositum modum dicendi sustinentes statim negant naturam intrinsecè, & per se multiplicari per hæceitates, voluntq; extrinsecè solum, ac veluti per accidens naturam plurificari, intrinsecè autem eandem esse formaliter naturam in omnibus indiuiduis; & in illis simul sumptis habere suam vnitatem adæquatam. Quod si pro Caiet. rursus vrgeas, quod natura identificatur realiter cum singularitate, atq; ideò multiplicatis singularitatibus debere quoq; naturam multiplicari. Respondebunt statim ex ipsamet doctrina Caiet. in argumento allata propositionem illam, quando aliqua duo sunt realiter idem multiplicato vno debere multiplicari, & aliud, esse veram, quando illa identificantur inter se adæquatè, & conuertibiliter, quo sensu natura communis non identificatur cum hoc vel illo singulari, sed inadæquatè tantum, & inconuertibiliter, qua etiam responsione posset eludi primum argumentum Recentioribus familiare deductum supra nu.178. ex identitate reali vnitatis formalis cum numerica, vnde consequenter contendunt ad istius pluralitatem debere quoque illam plurificari.

176 Recta igitur, ac fundamentalis probatio huius conclusionis peti debet ex dictis qu.5. de communitate naturæ, qualis enim erit naturæ communitas, talis erit communitas vnitatis eius, cumquè ibi probatum sit naturam non esse communem per inexistentiam itaquod sit vna, & eadem natura in omnibus idest eadem physica entitas sub diuersis differentijs indiuidualibus sed re vera in se esse multiplicatam in quolibet singulari adeo vt dicatur solum communis per indifferentiam, quatenus quæ vnum constituit indiuiduum in esse specifico, poterat æquè benè quantum est de se aliud quoque constituere, ità consequenter dicendum est vnitatem formalem, dum natura multiplicatur in indiuiduis, non manere vnam in omnibus, & indiuiduam, sed ipsam quoque cum natura multiplicari; si enim vnitas formalis naturæ poneretur vna in omnibus adæquatè, & non potius in singulis multiplicaras, hæc vtiq; esset vna, & immultiplicata ratione entitatis naturæ, quæ vna, & eadem sit in omnibus indiuiduis, hæc enim ratione Scotistæ oppositæ sententiæ tuentur vnitatem naturæ esse vnam in omnibus, & singulis indiuiduis; cum igitur natura non ita sit vna, & eadem in omnibus, imò potius in singulis multiplicata, sic etiam dicendum est de eius vnitate, quod in singulis multiplicetur indiuiduis cum ipsa natura adeoquod alia sit vnitas formalis naturæ Petri, & alia vnitas formalis naturæ Pauli, sicut alia est entitatiuè, & physicè humanitas vnius ab humanitate alterius, dix. *physicè*, quia cum metaphysicus consideret essentiam naturæ præcindendo ab existentia, non est alia natura Petri à natura Pauli metaphysicè loquendo, quia illæ naturæ sunt eiusdem essentiæ, & rationis, cum nullo pacto differant in suis principijs constitutiuis. Neq; sufficit, dicere cum Scotistis oppositæ sententiæ aliam esse vnitatem formalem humanitatis Petri, & aliam humanitatis Pauli solum extrinsecè, & materialiter, intrinsecè verò, & formaliter esse vnam, & eandem vnitatem in omnibus, sicut est vna, & eadem entitas naturæ intrinsecè; & formaliter loquendo. Non inquam hæc communis eorum euasio iuuat, quia vnitas naturæ multiplicari debet, sicut natura, cui identificatur vt pro propria passio; cum igitur natura in indiuiduis nedum materialiter, & merè extrinsecè multiplicetur ratione hæceitatum, sed etiam aliquo pacto intrinsecè, & in ratione naturæ, vt loc. cit. probatum est à n.112. consequens est, vt etiam eodem modo vnitas formalis, naturæ multiplicetur in indiuiduis, non autem merè extrinsecè, & materialiter nempè precisè ratione multiplicationis numericè vnitatis, sic enim dicendo sola vnitas numerica multiplicatur non autem formalis in se considerata, vt sic.

171 Sed hic rursus est aduertendum, quod etiam declarando communitatem realem naturę & vnitatis eius per simpliciter indifferentiam, & non per inexistentiam, adhuc argumentum, quo vtuntur Thomistę passim pro hac conclusione, quod nimirum debeat multiplicari vnitas formalis naturę, quia est eadem cum vnitate numerali, quę multiplicatur, non benè concludere, & ratio est, quia natura ratione talis communitatis non est de se limitata, vt sit in vno tantum indiuiduo, sed respicit plura indiuidua, & ad plura extenditur, non quidem actu, & coniunctim, sed aptitudine solum, & disiunctim, ex quo fit, quod quando ad vnum contrahitur indiuiduum, non habeat suum actum adequatum, sed adhuc esse possit in alijs; ex hac autem latitudine fit, quod estò actu non identificetur cum pluribus singularitatibus, potest tamen sic cum eis identificari disiunctim; ex quo tandem fit cum nulla adequatè identificari, nam ita identificatur cum vna, vt quoque possit identificari cum alia; hoc autem admisso statim argumentum præfatum delumbatur fundatum in identitate vnitatis formalis cum numerali, quia illa propositio, quod quę identificantur realiter multiplicato vno, multiplicatur & aliud, valet, vt dixi, quando illa identificantur realiter adequatè, & conuertibiliter, quo pacto natura non identificatur cum singularitate, nec vnitas formalis cum numerali; vnde argumentum illud non vrget eo ipso, quod asseritur naturam esse communem à parte rei, siue id sit per inexistentiam, siue per simplicem indifferentiam, teneatur ergo conclusio cum Thomistis de multiplicatione vnitatis formalis, sed eorum rationes dimittantur.

Dices, vel vnitas formalis humanitatis, in Petro est communis, vel indiuidua, & singularis; si primum, ergo non est multiplicata in Petro, & Paulo, sed est vna, & eadem communis vtriq; & non ipsis diuisa; si secundum, ergo argumentum Thomistarum renet, quod scilicet multiplicari debeat cum vnitate singulari, à quo nullo modo differt à parte rei. Resp. esse communem, & indiuiduam simul, & semel, sed diuersimodè; communem, scilicet intrinsecè, & essentialiter, indiuiduam verò extrinsecè, & accidentaliter; seu vt alij loquuntur est singularis, ac indiuidua, vt Quod; est formalis, & communis, vt Quo, quia naturam, quę est in singulari afficiens, facit illam vnam formaliter; est autem communis non quidem per inexistentiam, sic enim sequeretur consequentia deducta, quod esset vna in omnibus, & non diuisa, sed est communis per solam, & simplicem indifferentiam, vnde & dicitur vnitas indifferentię, cum qua benè stat multiplicatio naturę, ac vnitatis eius in omnibus, & singulis indiuiduis, quia hęc non requirit esse vnam, ac eandem naturam in omnibus indiuiduis realiter, & physicè indiuisam, sed solum metaphysicè itaquod plures sint entitates physicæ naturæ Petri, & Pauli, sed omnino eiusdem rationis, adeout, quæ Petrum constituit sit quantum est de se indifferens ad constituendum Paulum, & è contra, quod de eorum hæceitatibus dici non potest.

172 Dico 4. vnitatem formalem naturæ in indiuiduis non importare solam, & nudam similitudinem, quæ inter illa à parte rei reperitur, sed vnitatem indifferentiæ antecedentem, quæ est fundamentum proximum talis similitudinis, & conformitatis. Conclusio est contra Auersam qu.8. sect.6. & contra alios Recentiores, qui aliam vnitatem naturæ in indiuiduis non agnoscunt, & præsertim contra Ponc.disp.3.log.qu.2. vbi n. 42. vlterius affirmat hanc fuisse mentem Scoti, nec aliam maiorem vnitatem concludere argumenta, quæ facit 2.d.3.qu.1. quod tamen nullus Scotistarum; nec Thomistarum hactenus asserit, nam Scotistæ omnes vnanimiter per illa argumenta concludere intendunt naturam in indiuiduis à parte rei maiorem habere vnitatem, quam similitudinis tantum, & conformitatis, & Thomistæ omnes etiam Scotum in hoc sensu intelligunt; contraque ipsum disputant, nam si aliam vnitatem non poneret Scotus in natura præter similitudinis, & conformitatis, nulla esset dissensio inter Scotum, & S.Thom. quia Thomistæ illam gratis concedunt, & est adeò obuia, vt frustra Scotus laborasset ad eam probandam tot vijs loc. cit. Et quidem argumentum præcipuè quod Doctor adducit de similitudine, & conuenientia, euidenter ostendit maiorem esse vnitatem naturæ in indiuiduis, quam similitudinis, & conformitatis, vt ostendi quæst. præc. à n.140. & inde, quia similitudo potius distinctionem inuoluit eorum, quæ sunt similia, natura verò quoad sua prædicata essentialia constitit in indiuisibile, vt docet Aristot.8.Met. tex.10. tum quia ex eodem 5.Met. 20. relationes æquiparantiæ fundantur super vnitatem naturæ, quæ dicitur vnitas indifferentiæ, vt ibi deduxi, quo loco num.141. & seq. varias Aduersariorum euasiones præcluси. Vnde non solum restat reijcere responsionem Poncij loc. cit. num.41. vbi post datam communem Recentiorum solutionem, & extorsionem ad textum Arist.5. Metaph. cap.ad aliquid, respondet secundò, quod si requiritur aliqua vnitas antecedens similitudinem inter naturam Petri, & Pauli, illam non esse aliam, quam repræsentabilitatem per eandem speciem, aut conceptum formalè, ità, scilicet vt quæcunque duo sunt repræsentabilia per eandem speciem, aut conceptum formalem, seu cognitionem, illa debeant dici vna, & consequenter similia; & hanc vnitatem ait optimè vocari posse vnitatem formalem, & essentialem, quia est vnitas correspondens rebus ratione essentiæ; est etiam minor quam sit vnitas numerica, quia quæ sunt vnum numero identificantur realiter, & vnum nequit esse sine altero; quæ verò sunt vnum hoc modo non identificantur realiter, & ideò vnum ex ipsis potest esse sine alio; & hæc ipsa vnitas benè dicitur naturæ proprietas, nam proprietas ipsius est, quod possit repræsentari per talem conceptum, qui conceptus possit repræsentare formaliter aliam naturam.

Sed neque hęc solutio vim argumenti euacuat, quia vt dictum est

disp. 2. de Anim. q. 4. obiectum non accipit vnitatem suam à concepitu, sed potius è contra conceptus ab obiecto, quia potentiæ specificantur per actus, & actus per obiecta ex 2. de anim. 33. ergo male dicitur Petrum, & Paulum esse vnum essentialiter, quia sunt per eundem conceptum formalem repræsentabiles, quasi vnitatem accipiant ab illo actu confuso, & ab vnitate illius actus, cum potius res è contra se habeat, quod potius vnitas illius conceptus pendet ex vnitate naturæ in illis reperta. Tum quia vt etiam ipse fatetur, ideò conceptus formalis explicatiuus essentiæ Petri, & Pauli est vnus, quia ipsi sunt per eundem conceptum repræsentabiles, tunc quæro cur illis hęc eadem repræsentabilitas competat, vel enim est, quia habent aliquo pacto à parte rei vnam, & eandem essentiam, & habetur intentum; vel quia habent essentias similes, & conformes, & tunc vnitas hęc repræsentabilitatis non erit antecedens similitudinem inter naturam Petri, & Pauli, vt dicebatur in responsione, sed potius subsequens, vel committitur circulus vitiosus, dum explicatur vnitas similitudinis per vnitatem repræsentabilitatis, & è contra. Tum quia talis conceptus formalis Petri, & Pauli essentialiter repræsentatiuus est vniuocus; ergo illi correspondere debet in Petro, & Paulo vna ratio naturæ saltim per indifferentiam, vel vnus conceptus obiectiuus, super quem fundetur vniuocatio conceptus formalis, neque enim ad fundandam vniuocationem sufficit sola vnitas similitudinis, idest quod habeant plures rationes similes, nam talis vnitas solam analogiam inducere solet, non propriam vniuocationem.

173 Rursus probo cum Zerb. 7. Met. qu. 17. §. *propter secundum*, vnitatem formalem naturæ in indiuiduis non importare puram, & nudam vnitatem similitudinis, & conformitatis, quæritur enim quid est illud, in quo omnia singularia alicuius speciei sunt essentialiter conformia, vel enim est ens reale, vel rationis, hoc secundum dici non potest, quia similitudo est realis; si est quid reale, hoc nequit esse natura aliqua singularis pluribus communicabilis, quia hoc tantum reperitur in diuinis, ergo erit aliqua vna natura communis per indifferentiam. Dices cum Heruæistis, & antiquorum Thomistis fundamentum talis similitudinis esse omnia singularia, vt conformia. Contra, nam omnia singularia, vt conformia, vel dicunt aliquid præter ea absolutè considerata, vel non; si secundum, cum omnia singularia absolutè considerata sint plura, vt plura, ergo omnia singularia, vt conformia, erunt plura, vt plura, & cum per responsionem allatam hoc sit illud, in quo sunt conformia, iam ratio pluralitatis, inquantum talis; esset formalis ratio conformitatis, & vnitatis, quod est impossibile; si verò omnia singularia, vt conformia sunt, dicunt vel important aliquid præter ea absolutè considerata; vel ergo aliquid accidentale, & hoc non; quia aliàs sequeretur, quod omnes homines per aliquod accidentale essentialiter essent conformes, quod est oppositum in adiecto; vel substantiale, et cum illud sit reale, quia iam præscindimus omnem operationem intellectus, nihil autem vnum est reale præter singulare apud sic opinantes, ergo omnes homines, vt conformes, essentialiter includunt aliquod singulare, seu aliquod vnum numero præter eos absolutè sumptos, quod est absurdum, quia tunc aliquod singulare in creatis esset pluribus communicabile, quod solum diuinis personis reseruatur; restat ergo, quod illud, in quo conueniunt omnes homines realiter, et essentialiter est natura in omnibus vna vnitate indifferentię, et omnibus communis *communitate* eiusdem rationis, scilicet indifferentię.

Deinde Nominales, & Thomistæ hanc solam vnitatem similitudinis concedentes naturæ in indiuiduis non satis conueniunt in ea explicanda; nam Nominales negant esse relationē extremis superadditam, & volunt importare solam coexistentiam, vel combinationem duorum indiuiduorum in eadem specie. Thomistæ verò concedunt esse veram, & propriam relationem extremis realiter superadditam de quarto prædicamento; & singuli patiuntur angustias, nam a Nominalibus petendum est quid dicat illa coexistentia duorum indiuiduorum in eadem specie, vel enim aliquid superaddit entitatibus absolutis extremorum, & hoc ipsum dicere poterant de ipsa similitudine, nam vtiq; hæc erit aliqua relatio; vel præcisè dicit ipsas entitates absolutas Petri v.g. & Pauli, & tunc sequitur hæc indiuidua esse inter se similia etiam secundum proprias indiuiduales differentias, quod est falsissimum; si verò cum Thomistis dicatur similitudinem superaddere extremis relationem realem de quarto prædicamento, cum hæc sit accidens, sequitur Petrum, & Paulum per aliquod accidens inter se essentialiter conuenire, & hoc accidens esse proprietatem naturæ; satius ergo est dicere id in quo conueniunt, esse vnam naturam communem ambobus per indifferentiam, in qua fundatur similitudo.

Quidam Thomistæ ne concedant hanc vnitatem à parte rei communem per indifferentiam respondent ex Caiet. cap. 4. de ente, & essentia conuenientiam, & similitudinem inter indiuidua eiusdem speciei repertam fundari in negatione diuisionis formalis, quæ in illis reperitur, non quidem vna communis omnibus, sed in singulis multiplicata. Sed hoc supra impugnatum est n. 167. quia cum conuenientia, & similitudo indiuiduorum eiusdem speciei sit realis, & positiua, debet quoq; habere fundamentum reale, & positiuum; non ergo fundari potest supra puram, & simplicem negationem, & alias rationes ubi adieci hanc solutionem destruentes.

ARTICVLVS II.

Argumenta ad oppositum soluta.

174 PRimò Contra primam conclusionem arguit Auersa q. 8. cit. sect. 6, probans naturam à parte rei in indiuiduis non esse formaliter vnam, seu indiuisam; non potest dari vnitas, quæ sit indiuisio, nisi ratione entitatis indiuisæ, quæ sit vna, sed non datur in indiuiduis entitas naturæ indiuisæ, quinimò verè est multiplex, & diuisa, ergo non datur talis vnitas formalis naturæ à parte rei in pluribus indiuiduis. Nec dici potest indiuidua, siue naturam in indiuiduis distingui quidem materialiter, & realiter, non tamen formaliter. Nam stante diuisione reali non potest intelligi quęnam sit ista indiuisio, & vnitas formalis à parte rei, neq; apparet qualiter vno modo possit natura esse diuisa, alio modo indiuisa etiam à parte rei; sed tantum simul cum diuisione reali stare poterit conuenientia, & similitudo. Conf. nam aliqua esse formaliter, seu essentialiter vnum est habere vnam formam, vnam essentiam, sed sic est quod forma ipsa, & essentia, quæ est natura, non est vna, sed multiplex, & diuisa, ergo non potest indiuiduis inter se attribui vnitas formalis, & essentialis sumendo vnitatem pro indiuisione suppositа diuisione reali. Conf. demum quicquid est in vno indiuiduo est realiter diuisum, atq; discretum ab eo, quod est in alio indiuiduo, & etiam ipsa prædicata essentialia superiora sunt in illis diuisa, vt humanitas, animalitas, corporeitas &c. ergo quæ sic adæquatè sunt realiter diuisa, & discreta, non possunt inter se à parte rei habere aliquam vnitatem, & indiuisionem, quasi in aliqua ratione sint diuisa, & in aliqua sint indiuisa, & idem à parte rei.

Resp. hęc, & similia argumenta procedere contra ponentes vnam, & eandem naturam in pluribus indiuiduis per inexistentiam, non contra ponentes eam vnam in indiuiduis dumtaxat per indifferentiā, quia vt declaratum est concluſ. 3. cum tali vnitate, & communitate naturæ per solam indifferentiam benè stat multiplicatio eiusdem in singulis indiuiduis; & vnitas indifferentiæ est vnitas naturę metaphysica, quæ respicit essentiam realem naturæ, vt abstrahit à conditionibus indiuiduantibus; vnitas verò inexistentiæ, seu entitatiua est vnitas physica, quæ respicit essentiam, vt existentem, & determinatam ad singularitatem, vnde hæc vnitas benè importat indiuisionem in entitate à parte rei existente, illa verò solum importat indiuisionem in essentia, vt abstrahit ab existentia, vnde falsum est, quod dari nequeat à parte rei aliqua indiuisio, quæ non sit entitatiua, quia dari potest indiuisio essentialis, quæ spectat ad essentiam, vt ab existentia præscindit. Dices, si spectat ad essentiam, vt ab existentia præscindit, ergo non est indiuisio, vel vnitas conueniens naturæ à parte rei, seu existenti, in quo sensu hic agitatur quæstio de vnitate naturæ. Resp. per essentiam ab existentia præscindentem non solum intelligi debere essentiam naturæ in statu potentialitatis, antequam producatur, aut in esse obiectiuo apud intellectum abstrahentem, sed etiam in statu actualitatis, quatenus sub existentia manens adhuc ex natura rei formaliter, vel saltim modaliter ab ea secernitur, quo pacto appellatur nomine essentiæ, nam sub nomine entitatis significatur, veluti inuoluta cum existentia, in hoc itaque sensu indiuisio essentialis indiuiduorum dicitur spectare ad essentiam, vt ab existentia præscindit, quatenus, scilicet conuenit essentiæ, siue existat, siue non; quo etiam sensu scientia dicitur abstrahere ab existentia, non quia de rebus existentibus haberi nequeat, sed quia indifferenter habetur, siue existant, siue non; sic igitur in proposito talis vnitas, & indiuisio adhuc dici potest realis, & realiter naturæ conuenire etiam existenti, non quidem reduplicatiuè, vt tali, sed specificatiuè, per quod facilè occurritur argumento proposito cum confirmationibus, esto prima facie magnam habeat apparentiam.

Ad primum negatur maior, quod scilicet dari nequeat à parte rei aliqua indiuisio, quæ non sit entitatiua, & physica; cum enim detur aliquis gradus entis diuersus ab indiuiduali, & minor eo, debet quoque admitti gradus vnitatis ei correspondens, quæ appellatur vnitas essentialis, quæ cum præcisè sequatur essentiam, vt ab existentia distinguitur, non fundatur in indiuisione alicuius entitatis, sed stare potest cum diuisione entitatiua, idest plurium entitatum, quæ sint omnino eiusdem rationis, in diuersis indiuiduis, itaquod quæ modo in esse specifico constituit vnum, sit de se indifferens ad constituendū quodcunque aliud in eodem esse, ideoq; dicitur vnitas indifferentiæ, per quod patet etiam ad replicam, quomodo scilicet humanitas Petri sit realiter indiuidualiter diuisa ab humanitate Pauli, & adhuc indiuisa essentialiter, quæ vnitas est tantum indifferentiæ, non verò inexistentiæ, & ideò benè stat cum multiplicatione, & diuisione entitatiua naturæ. Ad Conf. distinguo maiorem, aliqua esse formaliter, & essentialiter vnum, est habere vnam formam, vnam essentiam, vnitate entitatiua, & inexistentiæ, nego, vnitate indifferentię concedo, & sic pariter distinguo minorem, & nego consequentiam, si vnitas essentialis sumatur pro indiuisione essentię; & conceditur, si sumatur pro indiuisione entitatiua, & physica, quia sic verum est non dari vnam naturam in omnibus indiuiduis. Ad vltim. verum est assumptum physicè, ac entitatiuè, non verò metaphysicè, quia illa prędicata physicè discreta, & diuisa adhuc sunt eiusdem rationis, & sic distinguendum est consequens, non possunt habere aliquā vnitatē, &

in-

indiuisionem, quæ sunt sic diuisa, physicam, & entitatiuam concedo, seu per inexistentiam; metaphysicam, & per indifferentiam, nego; possunt ergo quæ sunt à parte rei diuisa physicè, esse indiuisa metaphysicè, & quæ sunt plura per inexistentiam, vnum esse per indifferentiam.

175 Secundò, arguit, quia Scotus fundauit hanc vnitatem formalem in distinctione ex natura rei, quam statuit inter naturam, & singularitatem; sed hæc distinctio inter ea non datur, & si daretur, malè infertur inde naturam Petri non distingui à natura Pauli, immo potius oppositum inferri deberet, quod qua ratione natura Petri distinguitur à Petreitate, ita etiam distinguitur à natura, quæ est in Paulo. Quod si deinde videatur non posse distingui naturam à natura, nisi per singularitatem, inde potius inferri debebit non posse naturam à parte rei à singularitate distingui. Deinde si datur talis vnitas formalis à parte rei, vel est vna in omnibus, & singulis indiuiduis quod neque nos concedimus, vel in singulis singulæ vnitates, & tunc dici non potest ratione talis vnitatis hoc indiuiduum esse vnum cum illo, ideſt indiuisum, indistinctum, quinimò si sunt distinctæ vnitates, ergo res ipsæ per illas sunt verè diuisæ, atque distinctæ; hic enim est modus, quo res inter se distinguuntur, singulæ per suas peculiares, ac proprias vnitates; & repugnat in terminis dicere, quod res habeat in se vnitatem distinctam ab alia re, eiusque vnitate, & per illam vnitatem sit vnum, & idem cum tali re. Conf. magis, vnum dicitur indiuisum in se, & à quocunque alio diuisum, & vnitas indiuisio in se, & diuisio à quocunque alio, per vnitatem ergo ipsam res est formaliter diuisa à quacunque alia re; repugnat ergo dicere rem per suam vnitatem esse vnum, & idem cum alia re habente aliam vnitatem distinctam.

Resp. negando minorem quoad primam partem, vt satis constat ex dictis q. 3. quoad aliam falsum est Doctorem ex distinctione formali reperta inter naturam, & hæcceitatem, inferre non distingui naturam vnius indiuidui à natura alterius, seu vnum indiuiduum ab alio non distingui ratione naturæ, hoc enim potius infert ex communitate per indifferentiam, quam vtraque illarum naturarum de se possidet, quia enim natura vnius de se indifferens est ad constituendum aliud in eodem esse specifico, & è contra, ideò illa indiuidua inter se distingui nequeunt per naturas, nec naturæ inter se, quia cum sint omninò eiusdem rationis non sunt rationes distinguendi, sed assimilandi. Neque etiam ex hoc quod natura v.g. Petri distinguitur à Petreitate benè inferretur sic etiam debere distingui à natura, quæ est in Paulo, nam natura, & Petreitas in Petro sunt entitates alterius omninò rationis, vna enim est communicabilis, alia incommunicabilis, vna contrahens, alia contrahibilis, vna est ratio assimilandi, alia est ratio distinguendi; natura verò Petri, & Pauli inter se comparatæ ita sunt omnino eiusdem rationis, vt inter se nequeant discerni, nisi accipiantur, vt coniunctæ cum singularitatibus, & hoc præsertim quia distinctio realis fundatur in diuersitate existentiarum, & existentia non conuenit naturæ, nisi mediante singularitate, & hinc est quod vna natura nequit fundare realem distinctionem ab alia præcisis singularitatibus, vt dictum est supra. Ad 2. dico in singulis indiuiduis cum natura multiplicari quoque formales vnitates, quæ quidem vnitates non distinguunt essentialiter illa indiuidua inter se, sed ab indiuiduis alterius speciei, vt v.g. Petrus per vnitatem suæ humanitatis non distinguitur à Paulo, quia est vnitas communis per indifferentiam, sed distinguitur à Bucephalo, & à quocunque alio, quod non constituitur per eadem principia essentialia; vnde argumentum secum affert solutionem, dum inquit, quod hic est modus, quo res inter se distinguuntur, singulæ per suas peculiares, ac proprias vnitates, vnde quia vnitas formalis humanitatis Petri non est propria Petro, sed sibi communis cum Paulo per indifferentiam, sicut & ipsa natura, ideò non est ratio distinguendi Petrum a Paulo, sed potius assimilandi, sed ratio distinguendi Petrum a Paulo, est eius vnitas indiuidualis, quia hæc est sibi propria, & peculiaris. Ad vlt. respondetur per idem, alioquin per vnitatem transcendentalem, vt sic, vna res distingueretur ab alia, vnitas ergo communis non diuidit abinuicem inferiora contenta sub eadem natura, communi generica, vel specifica, sed ab alijs inferioribus contentis sub diuersa natura, quibus non est communis; per vnitatem ergo propriam, & peculiarem verum est rem distingui à quacunque alia, sed per vnitatem communem, qualis est vnitas naturæ, non distinguitur nisi ab inferioribus contentis sub diuersa natura, quibus non est communis, vt explicatum est, & sic Petrus per suam vnitatem indiuidualem diuiditur à Paulo, sed per formalem suæ humanitatis non ab eo diuiditur, cum sit vtrique communis per indifferentiam, sed à Bucephalo.

176 Tertiò, vrgent alij Recentiores, vnum illud dicitur, quod est indiuisum in se, & à quocunque alio diuisum, sed natura habet solum huiusmodi indiuisionem, quando concipitur præcisa à differentijs diuidentibus, at eo ipso, quod est à parte rei in indiuiduis iam concipitur, immo est verè diuisa in se, ideſt in plura eiusdem rationis, ergo vt est in indiuiduis non habet aliquam vnitatem, alioquin posset esse simul vna, & plures entitatiuè, quod adeò implicat, vt ne quidem in diuinis id fieri possit, nam licet natura diuina pluribus suppositis communicetur, in illis tamen neque ipsa ab ipsis, neque à seipsa diuiditur, quia tota est in singulis, & omnibus simul, ac proinde indiuiduum, & singulare.

Resp. maiorem esse veram in eo ordine, quo aliquid dicitur vnum, & indiuisum, quia non datur solum vnitas indiuidualis sed etiam formalis, & transcendens; quare negatur minor, si in ea sermo fiat de vnitate formali, negatur inquam, quod natura talem vnitatem habeat solum quando concipitur præcisa à differentijs, & quod eam amittat, eo ipso, quod per ipsas diuiditur, nam hæc sibi competit in statu essentiæ, velut eius propria passio, ideoque eam retinet etiam in statu existentiæ, cum sit prædicatum ei realiter identificatum; neque hæcceitates tollunt talem vnitatem, quia multitudo numeralis non opponitur vnitati formali, sed tantum indiuiduali; & sic non est inconueniens naturam esse simul vnam, & plures sumendo vnitatem, & pluralitatem difformiter, nempe vnam vnitate formali, & specifica, plures autem pluralitate numerali. Dices, licet diuisio indiuidualis cum indiuisione formali directè non repugnet, repugnare tamen indirectè, quia omnis diuisio tollit aliquam vnitatem, at à natura nulla alia vnitas tolli potest præter formalem, quam habebat in statu essentiæ. Resp. naturam in statu essentiæ dicere negationem diuisionis per principia formalia, & negationem diuisionis per principia materialia, seu indiuidualia; cum igitur hæcceitates aduenium in statu existentiæ, non tollunt à natura primam indiuisionem, quia hæc non tollitur nisi per diuisionem factam per principia formalia, sed solum secundam, quia non manet indiuisa, vt prius erat ex principijs indiuidualibus; vnde prius habebat in statu essentiæ præter formalem positiuam vnitatem quandam indiuidualem negatiuam, quatenus non erat indiuidualiter multiplicata, quam deperdit in statu existentiæ per aduentum hæcceitatum, vt mox magis explicabitur soluendo argumenta Canoni contra secundam conclusionem.

177 Quartò, arguit ad idem Io. de S. Thom. hoc ipso, quod natura ponitur extra intellectum accipit statum singularitatis, cum nequeat inueniri natura existens sine singularitate, posita autem singularitate non solum remouetur communitas positiua, quam in intellectu habebat natura, sed etiam communitas negatiua. Tum quia non manet vna negatio in illis naturis singularizatis, sicut enim multiplicatur ipsa natura specifica, ita & negatio diuisionis formalis, quæ naturam comitatur. Tum etiam quia esse communem negatiuè est non esse diuisam in multis, sed posita singularitate manet diuisa in multis, cum verè, & positiuè natura sit multiplicata, quod est habere oppositum illius negationis, qua negatiuè est communis, ideſt non diuisa, ergo in statu existentiæ nec manet vna, nec communis negatiuè.

Resp. negando minorem, quod scilicet posita natura in statu singularitatis remoueatur ab ea communitas negatiua, vt probatum est q. 4. art. 1. cum enim singularitas sibi accidat, & ab extrinseco conueniat, adhuc sub singularitate remanet communis negatiuè, quatenus adhuc verum est dicere, quod non est de se hęc, neque determinata ex principijs suis essentialibus; & ad 1. probationem dico, quod esto non habeat natura in indiuiduis negationem vnam communem diuisionis formalis, sed singula habeant suam negationem importatam per vnitatem formalem, quia tamen in virtute talis negationis, vel vnitatis dicuntur à parte rei indiuidua eiusdem speciei inter se realiter conuenire, & assimilari talis negatio, vel vnitas, licet in singulis multiplicata, potest & debet dici communis per indifferentiam, quandoquidem talis communitas per indifferentiam multiplicitatem non excludit vnitatis in singulis indiuiduis. Ad aliam probationem negatur, vel potius explicatur maior, naturam esse communem negatiuè est non esse de se hanc, neque ab intrinseco habere vnitatem, vel multiplicitatem numeralem, sed omninò ab extrinseco, & ideò adhuc in statu singularitatis manet communis negatiuè, & conuenitilli vnitas formalis eodem modo communis nempe negatiuè, quia status singularitatis est illi accidentalis, & posterius non variat rationem prioris, vt fusè explicatum est qu. 4. cit. Sed instat Io. de S. Tho. quod non sufficit aliquam naturam non habere ex se aliquam formam, vel prædicatum accidentale, vt dicatur simpliciter non habere illud, quando illi re vera conuenit absolutè, licet ex proprijs, & intrinsecis non conueniat; sicut homini ex proprijs non conuenit esse album, neque aer esse lucidum; & tamen quando actu homo est albus, & aer illuminatus, non possumus dicere, quod absolutè non sit talis, quia ab intrinseco id non habet; sic natura licet secundum se non sit plurificata, & diuisa, & consequenter negatiuè communis, ideſt non singularis; si tamen actu sit singularizata, & multiplicata, non manet amplius negatiuè communis, licet ex proprijs neque sit communis, neque singularis; atque ita nunquam debet concedi absolutè, quod natura secundum se est communis negatiuè in re.

Resp. nunquam Scotum naturam singularizatam appellasse communem simpliciter, & absolutè, seu non singularem, non indiuiduam, sed semper cum addito, scilicet negatiuè communem, non de se hanc, non ex se singularem, per quem loquendi modum non absolutè innuitur natura carere singularitate, vt vrget arguens, sed eam non habere ex proprijs, & ex suis principijs intrinsecis, quod etiam cum veritate dici posset de homine albo à parte rei, quamuis enim nequeat dici simpliciter, & absolutè non albus, quia negatio simpliciter dicta distribuit terminum, quem afficit, dici tamen potest non de se albus, neque ex suis intrinsecis principijs habere albedinem; vnde quando natura singularizata dicitur non de se hæc, nec ex se singularis, ly *ex se* non negat coniunctionem singularitatis cum natura, sed innuit modum habendi eam, scilicet ab extrinseco, vt explicatum est q. 4. cit. n. 84.

178 Quin-

178 Quintò arguit Canon. cit. contra secundam conclusionem probans vnitatem naturæ in indiuiduis esse priuatiuam, nullum diuisum in aliqua plura secundum aliquam eius vnitatem remanet peracta diuisione vnum illa vnitate, secundum quam diuisum est, omnis enim diuisio tollit vnitatem aliquam à diuisis, sed natura specifica diuiditur in indiuidua secundum vnitatem specificam; ergo natura ipsa specifica in indiuiduis diuisa non remanet vna specie in eis, probatur minor, quia nullam aliam habet vnitatem species, secundum quam diuidatur, quam specificam. Conf. impossibile est naturam genericam aliter diuidi, quam per differentias specificas, aut specificam aliter diuidi, quam per indiuiduales, sed per diuisionem scinditur diuisum; nec remanet vnum, vt ante diuisionem; ergo diuisio per differentias indiuiduales tollit vnitatem specificam, nec aliter tolli potest, cum non sit diuisibilis per differentias essentiales. Per quod argumentum impugnatur communis illa solutio Scotistarum quod scilicet cum multitudine numerali stat vnitas specifica, quia multitudo numeralis solum opponitur vnitati numerali, non autem vnitati specificæ, argumentum enim directè probat per diuisionem numeralem tolli etiam vnitatem specificam, imò impossibile esse, quod alio modo tollatur; aut dicendum esset vnitates huiusmodi nunquam posse discindi, quod falsum videtur, quia genus scinditur per differentias essentiales, species per differentias indiuiduales. Demum vnitas, quæ respicit indifferenter sua supposita secundum quamcunque ipsorum distantiam siue finitam, siue infinitam est infinita, sed vnitas specifica respicit sua indiuidua secundum quamlibet distantiam, naturam enim specifica semper necessariò est in suis indiuiduis quantumcunque etiam in infinitum distantibus, ergo si huiusmodi vnitas sit realis, erit actu infinita.

Resp. concessa maiori negando minorem cum probatione, quia vnaquæ dictum est, cum natura specifica diuiditur per hæcceitates, diuiditur secundum indiuisionem numeralem, quam prius habebat, naturam namque secundum se duo habet, scilicet nec esse diuisam, nec diuisibilem per principia formalia, & non esse diuisam, sed diuisibilem per principia indiuidualia, vnde diuisio per hæcceitates secundam indiuisionem aufert à natura, non primam, quæ tolli non potest, nisi diuisione facta per principia essentialia, cui species infima subiacere non potest, & ideò in indiuiduis remanet adhuc vna formaliter, licèt sit diuisa indiuidualiter. Ad conf. respondetur naturam per coniunctionem cum differentijs specificis, vel indiuiduantibus vtique determinari, & diuidi, & vt sic non habere vnitatem, cui illa diuisio opponitur, sed quia diuisiones huiusmodi aduenint ab extrinseco, non repugnant vnitati formali, quæ conuenit naturæ secundum se, & ab intrinseco, ita passim Scotistæ omnes, quos ad verbum sequitur Amicus tractat. 4. Log. quæst. 3. dub. 6. articul. 2. vbi etiam benè notat falsum esse, quod in argumento assumitur, quod, scilicet differentiæ essentiales scindat vnitatem genericam, & indiuiduales specificam, quia hæ diuisiones aduenium ab extrinseco, & fiunt per differentias, quæ sunt posteriores diuiso, quæ proinde non ex omni parte tollunt vnitatem prioris, sed solum ex ea parte, qua illi opponuntur, vt declaratum est, vnde tandem concludit hoc argumento probari solum, quod diuisio per differentias intantum cadit supra vnitatem quoque formalem naturæ, inquantum ipsam simul cum natura multiplicat in indiuiduis, non autem quia eius vnitatem totaliter destruat, vnde peracta diuisione natura remanet vna formaliter in indiuiduis solum per indifferentiam, cum qua vnitate sæpè dixi stare multiplicationem eius numeralem in singulis indiuiduis, & ideò communis illa responsio Scotistarum optima est, & inconcussa. Ad vlt. probat solum, quod hæc vnitas non sit positiuè communis per inexistentiam, quasi quod eadem realis, & formalis vnitas competat naturæ, vt simul existit in omnibus indiuiduis, tunc enim videretur esse quasi infinitæ perfectionis, & omnino similis naturæ diuinæ, quæ vna numero existit in tribus; nos autem talem infinitatem, aut illimitationem non tribuimus naturæ, quia non ponimus illam in omnibus, vnam per inexistentiam, sed per simplicem indifferentiam, quam etiam habet ad pluras constituendam eodem esse specifico, non coniunctim, sed disiunctim, idest habet simultatem potentiæ, non verò potentiam simultatis, in quo agnoscitur limitatio.

179 Sextò, Arguitur contra tertiam conclusionem probando vnitatem formalem naturæ nequaquam in indiuiduis multiplicari, sed vnam adæquatè in omnibus reperiri; natura quæ est in indiuiduis, secundum se considerata, siue secundum suam essentiam verè habet à parte rei carentiam diuisionis essentialis; ergo etiam vnitatem realem sibi propriam habet in omnibus adæquatè; consequentia patet, & assumptum probatur multipliciter. Tum quia natura secundum se considerata non est diuisa in plures diuersas essentias, & distinguitur ab omni alia essentia. Tum 2. quia natura communis secundum se est ens reale, ergo habet vnitatem realem sibi proportionatam, cum vnitas sit passio entis. Tum 3. natura humana, & equina secundum se sunt plures, & realiter distinctæ, ac essentialiter; ergo vnaquæque illarum est ex se vna formaliter, multitudo enim, siue pluralitas supponit vnitates. Tum demum natura communis secundum se vel est vna, vel plures, non secundum, quia fit plures solùm per differentias indiuiduales; ergo secundum se est vna formaliter vnitate illa minori.

Respond. hæc, & similia argumenta probare solum, quod natura etiam in indiuiduis retineat vnitatem formalem per indifferentiam, non autem quod hæc talis vnitas sit vna in omnibus, & non potius in singulis multiplicata indiuidualiter, sicut ipsa natura, quare ad argumentum distinguo antecedens, vel enim per carentiam diuisionis essentialis intelligis indiuisionem physicam, ac entitatiuam naturæ, quæ pertinet ad existentiam potius, quam ad essentiam, vel intelligis indiuisionem metaphysicam, & propriè essentialem, quæ consistit in connexione prædicatorum essentialium; in primo sensu negatur assumptum, quia tunc esset vna & eadem natura in omnibus per inexistentiam, quod est impossibile in creatis, tum quia ad oculum videmus naturam vnius indiui sui esse loco, & subiecto à natura alterius separatam; in secundo sensu conceditur assumptum, sed negatur consequentia indè deducta, quia cum tali indiuisione naturæ metaphysica, & essentiali stat diuisio eius physica, & entitatiua, & consequenter multiplicatio formalis vnitatis indiuidualiter simul cum natura; ad 1. probationem assumpti in sensu negato dico quod essentia sub tali nomine significatur, vt præcisa ex natura rei, vel saltim per intellectum ab existentia, & vt dicit connexionem prædicatorum essentialium rei, & ideò in tali sensu dicit indiuisionem in plures essentias, at quando consideratur vt inuoluta cum existentia sub nomine entitatis, tunc planè diuiditur in plures essentias indiuidualiter, & eodem modo multiplicatur eius formalis vnitas in singulis indiuiduis. Ad 2. natura communis secundum se, & sub nomine essentiæ est ens reale nominaliter, & habet vnitatem essentialem sibi correspondentem absque vlla diuisione physica, & entitatiua quia hæc non comitatur naturam, nisi in statu existentiæ, ratione differentiarum indiuidualium, atque ideò in statu existentiæ vnitas naturæ est solùm per indifferentiam, non per inexistentiam, quia est in singulis indiuiduis simul cum natura indiuidualiter multiplicata. Ad 3. probat solùm vnamquamque naturam, scilicet humanam, vel equinam secundum se consideratam habere propriam vnitatem essentialem, & metaphysicam; non tamen probat, quod ad existentiam contracta sit etiam vna physicè, ac entitatiuè in omnibus, quia ob differentias indiuiduales multiplicatur in singulis indiuidualiter cum ipsamet formali vnitate. Ad vlt. respondetur eodem modo, quod natura secundum se est vna formaliter, sed quando per singularitates adiunctas fit plura numeraliter, multiplicatur cum ipsa hæc vnitas formalis, quæ cum sit vnitas per indifferentiam benè stat cum multiplicitate numerali, quare argumentum totum cum suis confirmationibus probat solùm naturam, vt quamcunque singularitatem præcedit à parte rei esse vnam formaliter, & essentialiter, & per talem vnitatem distingui ab alijs naturis diuersis; nequaquam tamen probat naturam humanam esse vnam realiter, ac entitatiuè in omnibus, quia pluralitas entitatiua, & physica humanitatum non repugnat vnitati essentiali naturæ humanæ secundum se consideratæ.

180 Septimò, arguitur ex absurdis, nam si in singulis indiuiduis assignari debet vnitas formalis consequens naturam vniuscuiusque distincta à formali vnitate alterius indiuidui, sequitur primò tot esse species naturæ humanæ, quot sunt indiuidua eiusdem, quia in quolibet indiuiduo reperitur alia, & alia natura cum sua vnitate formali, & specifica, vt vrget Ocham. Sequitur 2, vt vrget Bonet. lib. 1. Met. cap. 1. Petrum, & Ioannem inter se specie distingui, quia in vnoquoque non est tantùm diuersa vnitas numeralis, sed etiam specifica, immò & distingui genere, quia eadem ratione, qua in ipsis geminatur vnitas formalis speciei, geminari quoque debent vnitates generis generalissimi, & subalterni. Sequitur 3. hanc vnitatem formalem non esse minorem numerali vt vult Doctor, intantum enim vocat eam Doctor numerali minorem, quia potest stare cum multitudine numerali, at non stat cum multitudine numerali, si ad multitudinem indiuiduorum ponatur multiplicari; sed solùm si vna duntaxat ponatur communis omnibus. Sequitur 4. naturam prius in se diuidi, quam per indiuiduales differentias; quod est falsum, quia immediata diuisio speciei est per hæcceitates probatur sequela, quia vnitas formalis in natura præcedit indiuidualem, ergo si sunt distinctæ vnitates formales naturæ in singulis indiuiduis, intelligitur diuisa natura antè singularitates. Sequitur demum Petrum, & Ioannem distingui per sua priora, quia non tantùm distinguentur in hæcceitatibus, imò in humanitate, animalitate, substantia &c. quia singuli isti gradus proprias habent vnitates formales in singulis indiuiduis multiplicatas.

Resp. negando sequi vllum ex præfatis absurdis; primum non sequitur, quia quælibet natura in suo indiuiduo ratione suæ vnitatis formalis quantum est de se nata est conuenire singulis indiuiduis eiusdem speciei, vndè ex hoc non sequitur in singulis indiuiduis esse diuersas naturas specificas, sed potius quod omnes sunt eiusdem rationis, & quod omnes natæ sunt fundare secundam intentionem eiusdem speciei specialissimæ quia intellectus comparans vnam ad omnia singularia, ad quę est indifferens, causat in illa secundam intentionem speciei specialissimæ, & similiter causat comparando aliam ad eadem singularia, & sic de alijs, quæ tamen intentiones secundæ, vt fundantur in illis naturis præcisè, non dicuntur differre specie, quia nec fundamenta, nec termini sic differunt, quælibet tamen secunda intentio fundata in illis naturis differt specie ab alia secunda intentione fundata in natura specie distincta; ita Lichet. loc. cit. ad 4. Ocham, quæ solutio longè præstat illi, quam affert Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 3. q. 3. vbi ex multiplicitate vnitatis formalis naturæ in inferioribus negat sequi tot fore species, quot indiuidua, quia per aduentum differen-

tia

tiarum indiuidualium à natura cuiuscunque indiuidui aufertur aptitudo proxima essendi in multis numero distinctis, quæ requiritur ad rationem speciei. Quæ solutio non est admittenda, quia cum saltim remaneat aptitudo remota, poterit quælibet natura saltim remotè fundare diuersas species, quod est falsum; vt enim possent fundare secundas intentiones diuersarum specierum opus esset, vt natura vnius indiuidui, scilicet Petri posset esse in multis pluſquam numero distinctis, à Paulo, & Ioanne, vndè cum nequeat esse nisi in multis indiuiduis speciei humanæ, nequit fundare nisi intentionem illius speciei, & non alterius.

Neque sequitur secundum absurdum, scilicet Paulum, & Ioannem inter se specie distingui, quia vt notat Tromb.cit.cum aliis Scotistis aliquid habere vnitatem formalem distinctam ab vnitate formali alterius dupliciter contingere potest, vno modo in se, & intrinsecè, vt accidit in homine, & equo, qui intrinsecè etiam per principia essentialia propria sunt distincta; alio modo per accidens, & extrinsecè, vt accidit in natura humana Pauli, & natura Ioannis, quæ solum habent distinctas vnitates formales extrinsecè, & numeraliter, & ex principijs indiuidualibus non autem intrinsecis, & essentialibus; multitudo igitur vnitatum formalium, quæ arguit distinctionem specificam, est ea solùm, quæ intrinsecè naturis conuenit, & per principia essentialia, non verò quæ conueni extrinsecè solum, & per principia indiuidualia, & ideò Paulus, & Bucephalus specie inter se distinguuntur, non verò Paulus, & Ioannes, sed tantùm numero. Vel dicas, & in idem recidit, quod licèt vnitas formalis à parte rei multiplicetur in indiuiduis modo iam explicato, tamen vnitas formalis vnius non distinguitur formaliter, seu essentialiter ab vnitate formali alterius, sed tantùm materialiter, & numericè, & ideo inquit Doctor 2.dist.3.quæst.7.D.& 1.dist.17.quæst.3.Y. inter indiuidua eiusdem speciei reperiri vtique distinctionem formarum, non tamen formalem, quod alij dicunt reperiri distinctionem, seu pluralitatem essentiarum, non tamen essentialem.

181 Nec etiam sequitur tertium absurdum, quia licet vnitas formalis naturæ multiplicetur in indiuiduis cum vnitate numerali, adhuc tamen dicitur minor ea, quia cum sit vnitas communis saltim per indifferentiam potest quantum est de se esse in alio indiuiduo, & sic dici potest stare cum multitudine numerali saltim aptitudinaliter, quia est indifferens ad plura numero constituenda disiunctim, & specificatiuè quod de hæcceitate verificari nequit, quæ ita affixa est huic indiuiduo, vt aliud sibi repugnet ab intrinseco constituere. Verum equidem est, quod dum postea per intellectum natura, quæ est à parte rei communis per solam indifferentiam, sit quoque communis omnibus per inexistentiam, quo actu fit vniuersalis, eius vnitatem dici tunc minorem numerali, quia stat actu cum multitudine numerali, attamen hæc vnitas non est realis, sed rationis, & non est vnitas formalis, sed vniuersalis, quæ conuenit naturæ per intellectum, vt postea dicemus.

Neque adhuc sequitur quartum absurdum, quandoquidem licet vnitates formales humanitatum Petri v. g. & Pauli præcedant indiuiduales, secundum se consideratæ, tamen non præcedunt, vt distinctæ, quia vt dixi non distinguuntur abinuicem intrinsecè, & ex propijs principijs essentialibus, sed extrinsecè dumtaxat, & concomitanter per coniunctionem ad differentias indiuiduales; & ideò nunquam sequitur naturam prius esse in se diuisam, quam per indiuiduales differentias, vbi tamen notandum est naturam secundum vnitatem formalem non dici propriè diuidi, sed potius secundum vnitatem vniuersalem, quia vt sic concipitur per modum totius vniuersalis in partes eiusdem rationis diuisibilis, vnde secundum vnitatem formalem dicitur potius contrahi, & determinari, quia vt sic non habet rationem totius, sed potius partis potentialis ad plura numero constituenda disiunctim indifferentis; & natura communis secundum hanc vnitatem adhuc in isto sensu dici debet diuidi immediatè per differentiam, quatenus per ipsam contrahitur, & determinatur ad incommunicabiliter existendum. Nec tandem sequitur vltimum absurdum, quia prædicata priora sunt communia per indifferentiam, & ideò nequeunt esse rationes distinguendi vnum indiuiduum ab alio sed potius assimilandi: nec refert quod singulisilli gradus habeant suas vnitates formales, quia vt dixi vnitates illæ non sunt abinuicè distinctæ formaliter, & essentialiter, sed tantum materialiter, acentitatiuè.

Septimò arguit multipliciter Pasqual.tom.2.Metaph.disp.15.sect.2. indiuiduatio est extra naturam secundum se consideratam, itaut indiuiduatio Petri sit extra naturam, quæ est in Petro, & indiuiduatio Pauli extra naturam, quæ est in Paulo, ergo non potest ponere multitudinem in ipsa natura, quia nihil ponit multitudinem in eo, cui est extrinsecum, & consequenter cum non sit in indiuiduis alia multitudo, nisi quę prouenit ab esse indiuiduali, non tollet hæc diuisio vnitatem, quæ ex se conuenit naturæ, etiamsi natura in pluribus ponatur, sed adhuc remanebit vna in omnibus sua vnitate formali. Conf. natura in indiuiduis est omnino eadem in se, ac sit præcisa indiuiduatione, & solum dicit esse indiuiduale super additum, sed hoc esse indiuiduale tantum ponit diuisionem naturæ materialem non vero immutat esse intrinsecum naturæ; igitur natura cum hoc esse indiuiduali retinet suam vnitatem formalem communitatis prorsus vnam in omnibus. Demum, vel natura est vna, & eadem in omnibus indiuis seclusis singularitatibus, & sibi correspondet vna sola adæquata vnitas in omnibus, vel non; si primum, habetur intentum; si secundum, ergo erit diuisa ante singularitates, nec prima eius diuisio erit per differentias, imo opus non erit superadderе singularitates, quia per ipsas naturas sufficienter indiuidua distinguerentur; alia argumenta loc.cit. congerit Pasqualig. quæ tamen omnia ad hæc tria reducuntur.

182 Resp. vt sæpè dictum est, non esse confundendam vnitatem essentialem, & metaphysicam naturæ cum vnitate physica, & entitatiua, illa namque respicit essentiam, vt sic, siue existat, siue non; hæc verò respicit essentiam, vt inuolutam cum existentio; indiuiduatio igitur vtique non ponit in natura multitudinem essentialem, quia est extra eius essentiam, & ideò in indiuiduis adhuc eam retinet, cum non importet, nisi connexionem prædicatorum essentialium, in quibus indiuidua non distinguuntur, benè tamen ponit multitudinem entitatiuam, cum hæcceitati sit realiter identificata natura, atque ideò ad eius plurificationem debet quoque natura realiter, ac entitatiuè plurificari, quo etiam pacto plurificatur vnitas identificata cum natura; nec benè ex vnitate essentiali, & metaphysica naturæ dedicitur vnitas physica, & entitatiua eiusdem in pluribus indiuiduis, quia talis vnitas naturæ in creatis dari nequit in pluribus indiuiduis, cum videamus naturam perseuerare in vno singulari, alio intereunte, & ideò natura in creatis nequit dici à parte rei vna in pluribus, nisi per indifferentiam. Ad Conf. pariter dicitur probare solum, quod hæcceitates non immutant vnitatem essentialem naturæ, quæ consistit in connexione prædicatorum, & competit essentiæ, quatenus abstrahit ab existentia, quia illi conuenit siue existat, siue non; non tamen probat, quin ponant multitudinem realem, ac entitatiuam in ipsa, cum realiter ipsi identificentur, vnde & opus est sic multiplicari naturam ad multiplicationem illarum, & cum ipsa natura multiplicari eodem modo formalem vnitatem nimirum entitatiuè, & realiter, non verò formaliter, & essentialiter. Ad vltim. secluſis singularitatibus est vna natura in omnibus vnitate essentiali, & per indifferentiam, & adiunctis singularitatibus hæc vtique intrinsecè non variatur, & formaliter, variatur tamen realiter, & extrinsecè, quia multiplicatur extrinsecè ad multiplicationem singularitatum, cum quibus identificatur realiter, atque ideò ante aduentum differentiarum neque diuisa intelligitur natura, neque superfluunt hæcceitates, sed sunt necessariæ ad distinguendam vnam naturam ab alia, seu vnum indiuiduum ab alio indiuiduo materialiter, ac entitatiuè; sed pro huius difficultatis exactiori intelligentia vide dicta quæst.5.n.125. vbi art. 2. soluta sunt alia argumenta facientia contra tertiam hanc conclusionem positam art.præced.

183 Postremò contra 4. conclusionem nullam habent Nominales, & Heruæistæ solidam rationem, qua probent vnitatem formalem, quam habet natura in indiuiduis, importare solam similitudinem, & conformitatem indiuiduorum adinuicem; id tamen nititur Auersa probare primò ratione, quia talis similitudo datur à parte rei inter Petrum, & Paulum, quia vterq. dicitur homo, vterq. animal &c. cum ergo à parte rei ratione talis similitudinis, hæc prædicata sint ipsis communia, meritò appellari potest vnitas formalis naturæ, quia ipsius opedicuntur res conuenire, idest quasi in vnum venire, idest in vnam proportionem, & similitudinem. Conf. auctoritate Arist. qui 5. Met. c.6. huiusmodi relationem æquiparantiæ vocat nomine vnitatis, inquit enim *eadem sunt quorum substantia vna, similia quorum qualitas vna, æqualia quorum quantitas vna;* ergo similitudo, & conformitas plurium indiuiduorum sub eadem specie rectè dicitur formalis vnitas naturæ, & talis vnitas ritè per talem conformitatem explicatur.

Resp. in primis ex doctrina ipsorum similitudinem non dicere vnitatem, sed potius in terminis inuoluere distinctionem eorum, quæ sunt similia, & quamuis per similitudinem, & proportionem dicantur plura conuenire, idest quasi in vnum venire, tamen non semper talis similitudo ducit nos in vnitatem vniuocationis, sed interdum solius proportionis, & analogiæ, vt ipsi fatentur; & ideò vnitas formalis naturæ, in qua fundatur præsertim vniuocatio speciei athomæ, non benè explicatur per puram vnitatem similitudinis, & conformitatis, nisi præcedat vnitas indifferentiæ, super quam fundetur essentialis conuenientia plurium indiuiduorum sub eadem specie. Ad Conf. ex Arist. iam supra num.45. & 142. ostendi locum illum de relationibus æquiparantiæ esse pro nobis, nam ait Philosophus eiusmodi relatiua dici secundum vnum, & fundari tales relationes supra vnitatem substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vnde non ipsam similitudinem, aut æqualitatem vocat vnitatem Arist. sed fundamentum proximum ipsorum.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit vnitas præcisionis, & in quo statu natura conueniat.

184 VNitas præcisionis dicitur esse illa, secundum quam natura abstrahit ab indiuiduatione quacunque sub qua abstractione dicitur communis positiuè, & positiuè indeterminata ad plura, quæ etiam dici solet indeterminatio contraria, quatenus positiuè contrariatur determinationi actuali per differentiam, & eam penitus excludit, si enim aliquam admitteret, non diceretur æquè ab omnibus

nibus præcisa; itaq; vnitas precisionis, de qua hic est sermo coincidit prorsus cum vnitate indeterminationis positiuæ, quam explicui supra qu.4.art.1.num.72. & 73. Cum igitur constet ex hactenus dictis naturam existentem in rebus ratione sui vnitatem quandam habere formalem, eo quia nec in se, nec in indiuiduis est per essentialia principia diuisa, & hanc esse minorem vnitate numerali, eò quia compatitur aptitudinem ad essendum in multis disiunctim, & communitatem quandam habet negatiuam sibi intrinsecam. Et cum etiam constet ex dictis disp.4.log.qu.1. & 2. naturam habentem talem esse abstractum ab indiuiduis, seu indeterminatum indeterminatione positiua esse aut vniuersalem actu, aut saltim fundamentum proximum vniuersalitatis, propterea quod ipsa sic manens est in potentia proxima, vt de quolibet supposito dicatur prædicatione dicente, hoc est hoc, vt docet Doctor 2.d.3.q.1. in præsenti priusquam declaremus q.seq. vnitatem vniuersalem naturæ, examinandum est, an natura communis talem vnitatem precisionis, seu indeterminationis positiuæ sibi vendicet ante quamcumque intellectus operationem, vel solum in statu existentiæ obiectiuæ.

Prima opinio affirmat hanc vnionem esse realem, & conuenire naturæ in statu reali, quod tamen non omnes eodem modo explicant, Fonseca 5.Met.cap.28.q.3. sect.4. dicit hanc vnitatem conuenire naturæ in statu essentiæ, & secundum se consideratæ, vt præcedit naturam omnes differentias indiuiduales, qui status dicitur antecessionis respectu contractionis per differentias; & quia talis antecessio, & prioritas naturæ ad differentias est realis, ideò vult talem vnitatem præcisionis esse realem, & naturæ conuenire in statu reali; addit tamen hanc vnitatem esse separabilem à natura, quia conuenit naturæ secundum se, ideſt absolutè sumptæ, vt non descendit ad indiuidua, nam dum contrahitur ad inferiora, status antecessionis amittitur, & consequenter vnitas, quæ ipsam comitabatur in tali statu. Amicus tract.4.log.quæst.4 dub.2.art.2. inquit, quod posita distinctione gradum à parte rei (vt ipse tenet cum Scotistis) vnitas præcisionis potest conuenire naturæ ante quamcumque operationem intellectus, nedum in statu essentiæ, & antecessionis, vt aiebat Fonsec. sed etiam in statu existentiæ, & contractionis licet non reduplicatiuè, & ratio est, quia præcisio, vel est idem, quod distinctio, vel saltim in distinctione fundatur, si ergo etiam in statu existentiæ, & contractionis, adhuc natura distinguitur formaliter à parte rei ab indiuiduatione, ratione talis distinctionis potest dici natura præcisa à differentia contrahente, non quidem precisa realiter, & separata, sed formaliter, quatenus non includit eam in suo conceptu formali; potest ergo in hoc sensu etiam in statu existentiæ gaudere natura vnitate præcisionis, quia sub tali precisione non conueniunt naturæ prædicata positiua, nisi sint essentialia, vel ex essentia necessariò profluentia, coniunctio autem cum hæcceitatibus non est naturæ essentialis, neque ex essentia profluens, quia potest carere vtraque.

185 Trombeta tandem eandem sustinens opinionem aliter declarat in quo sensu natura secundum aliquod esse reale existens extra animam verè talem vnitatem præcisionis possit obtinere, pro quo duas præmittit propositiones 7.Metaph.q.8.artic.2. concluſ.2. prima est, quod aliquid habet esse duobus modis, vno modo extra intellectum omnino, alio modo in intellecta, in intellectu autem duobus modis, vno modo subiectiuè, alio modo obiectiuè; subiectiuè sicut actus intelligendi, habitus, species intelligibilis; obiectiuè autem adhuc duobus modis; vno modo habitualiter, & primò, alio modo actualiter, & secundariò; primo modo sicut obiectum in specie, quæ non actualiter mouet intellectum, sed est in potentia proxima ad mouendum, secundo modo quando ipsa species actu mouet intellectum, obiectum in specie dicitur habere esse actualiter in intellectu obiectiue; sed iste secundus modus adhuc subdiuiditur, quoniam aliquid habet esse obiectiuum actualiter in intellectu ante actum intelligendi saltim ordine naturæ; aliquid habet esse post actum intelligendi accipiens esse per ipsum, aut per actum comparatiuum intellectus; primo modo natura vniuersalis in actu indeterminata positiuè habet esse in intellectu per speciem repræsentantem ipsam; secundo modo secundæ intentiones sic habent esse in intellectu, quæ intentiones secundæ causantur per actum collatiuum intellectus, & tamdiu manent in intellectu, quamdiu manet actus intelligendi. Secunda propositio, quam accipit, est quod Aristot. distinguens ens in anima contra ens extra animam, non accipit ens in anima subiectiuè, neque etiam in anima obiectiuè, siue habitualiter, siue actualiter ante actum intelligendi, quia species intelligibilis, habitus, & actus intelligendi sunt entia in anima subiectiuè, & adhuc sunt entia extra animam, quia sunt veræ, & reales qualitates; item genera, & species secundum ipsum; si pro prima intentione sumantur, sunt in anima obiectiuè, & adhuc sunt entia extra animam, quia sunt per se in genere. Ex quo sequitur, quod ens in anima distinctum contra ens extra animam est præcisè ens obiectiuè in anima actualiter post actum intelligendi, vel accipiens esse per aliquem actum collatiuum intellectus. Ex hoc tandem probat suam conclusionem, quia siue capiatur natura, vt habet esse obiectiuum in anima habitualiter, siue actualiter ante actum intelligendi, natura isto modo accepta est ens ex natura rei, ergo sibi correspondet aliqua vnitas ex natura rei, quia cuicunque enti correspondet sua propria vnitas, & talis esse nequit, nisi vnitas præcisionis, & positiuæ indeterminationis, ita discurrit Trombet. loc.cit.

186 Opposita sententia communis inter Scotistas, & Thomistas asserit, quod naturæ existenti extra animam nulla alia vnitas conuenit, nisi formalis, cum communitate reali negatiua præsertim secundum Scotistas, cæterum vnitas præcisionis ab indiuiduis, seu indeterminationis positiuæ non conuenit naturæ, nisi dum per intellectum abstracta est ab indiuiduis, & per abstractionem redditur indeterminata positiuè ad illa; & hanc expresè docet Doct. loc. sæpè cit. 2.d.3.q.1. nam ibi solam vnitatem formalem, & cõmunitatem negatiuam tribuit naturæ extra animam, cetera verò in anima; tum quia vnitas precisionis, vt dictum est ab initio quæstionis, coincidit cum vnitate indeterminationis positiuæ, secundum quam natura constituitur in potentia proxima, vt possit de pluribus prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc, sed hæc vnitas non competit naturæ extra intellectum, vt Doct. notat § *sed contra*, lit.H. his verbis, *nihil enim secundum quamlibet vnitatem in re est tale, quod secundum ipsam vnitatem præcisam sit in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito*, &c. nota illa duo verba *vnitatem præcisam*, ideſt vnitatem precisionis, quam ait non cõuenire naturæ in re, & extra intellectum. Rursus vnitatem abstractionis non esse vnitatē realem expresè docet in eadem q. § *contra istud*, in quinto argumento pro vnitate reali, quæ sic minor numerali, ibi enim assumens vnius actionis sensus esse vnum obiectum secũdum aliquam vnitatem realem, subdit sub lit.D. quod si ratio illa assumeret primum obiectum sensus debere esse vnum vnitate reali, non probaret sicut precedens, quia posset poni aliquod obiectum primum, vt est adequatum potentiæ, esse aliquod commune abstractum ab omnibus obiectis particularibus, ideoque non habere vnitatem realem, sed solam vnitatem communitatis & abstractionis; non ergo hanc vnitatem putauit esse realem in natura.

187 Sed quamuis hęc sententia communis sit Scotistis, & Thomistis non tamen probatur ab eis ex eisdem principijs, Thomistæ siquidem probare solent ex identitate omnimoda à parte rei reperta naturæ cum differentia contrahente, quia vbi non est distinctio, non est negatio coniunctionis duorum, sed inter gradus naturæ, & indiuiduationis nulla est distinctio à parte rei; ergo neq; negatio coniunctionis, in qua fundatur vnitas precisionis, quæ consistit in negatione diuisionis naturæ per differentias contrahentes. Sed hæc probatio falso nititur fundamento, nam supra probatum est inter gradus prædicamentales dari distinctionem ex natura rei formalem, & præsertim inter naturam, & differentiam contrahentem, vndè potius ex oppositō fundamento opposita conclusio deduci posset, sicuti deducebat Amic. loc. cit. Tum quia assertores oppositę sententię dicerent vnitatem precisionis non fundari in negatione qualiscunq; coniunctionis naturæ cum differentia indiuiduali, sed precisè in negatione coniunctionis per formalem identitatem, cum qua stare potest coniunctio per realem identitatem, atque ideò etiam à parte rei, & sub statu contractionis posse conuenire naturę eiusmodi vnitatem, licèt non reduplicatiuè sub tali statu.

Secundò probat Suarez disp.6.Metaph.sec.3.num.5. ex nomine, & ratione istius vnitatis, quam dicunt precisionis; si ergo precisio non est in re, neque conuenit naturę secundum se, sed per intellectum tantùm neque etiam vnitas conuenire potest naturæ secundum se, secludendo intellectum. Imo hoc ipso, quod dicitur *secundum se*, inuoluitur operatio intellectus, quia natura non prescinditur, aut separatur ab omnibus differentijs indiuidualibus, nisi opere intellectus, vndè quicquid conuenit naturę *secundum se*, sumptę propriè, & peculiariter ratione illius conditionis, seu status, qui explicatur per illam particulam *secundum se*, conuenit illi per intellectum, huiusmodi autem est predicta vnitas, ergo &c. Sed hęc quoq; ratio eneruatur, vt precedens, admissa cum Scotistis distinctione formali naturę ab hęcceitate citrà quodcunque opus intellectus, tunc enim diceretur dari precisionem in re, & non tantum per intellectum, à quacunque indiuiduali differentia; quamuis enim à parte rei sit cum Petreitate v.g. coniuncta, adhuc tamen dicitur ex natura rei ab ea prescindere, quatenus ita eam excludit à sua formali ratione, sicut aliam quamcunque cum qua non est realiter coniuncta. Et ad Conf. diceretur iuxtà doctrinam datam supra num.85. & 162. ly *secundum se*, non debere accipi negatiuè pro eo, quod solitariè, & non cum alijs, quo pacto importat perfectatem tertij modi dicendi per se, sed accipi debet positiuè, vt significat necessariam connexionem prædicati cum subiecto, tanquam de eius essentia existentis, & ab illo intrinsecè manantis, quo pacto importat perfectatem primi, & secundi modi dicendi per se.

188 Tertiò probat idem Suarez cit. numer.3. quia si dicatur hanc vnitatem conuenire naturæ, non quidem in statu existentiæ, sed essentiæ possibilis (nam status essentiæ solet interdum sumi pro statu possibilitatis, vt constat ex dictis disput.8.) hoc non videtur intelligibile, quia esse essentiæ non potest concipi, vt reale, nisi saltim aptitudine per ordinem ad existentiam; ergo si hæc vnitas non potest conuenire essentiæ, vt existenti, neque conuenit illi, vt aptæ ad existendum, quia sicut non existit, vt indiuidua, ita neque est apta ad existendum, nisi vt indiuidua; ergo nullo modo illi realiter conuenit. Conf. quia nullum prædicatum essentiale conuenit naturæ, quod nequeat indiuiduis conuenire per secundam regulam anteprædicamentalem, sed natura cum hac vnitate nequit ad indiuidua descendere sine implicatione; ergo realiter, & essentialiter naturæ non conuenit. Sed neque hæc ratio cum sua conf. conuincit, quia ad hanc benè occurrit

Amic.

Amic. cit. ab æterno tam naturam, quam hæcceitatem habere conceptum realem, non tamen inter illa ab æterno esse vnionem actualem, quia hæc non necessariò conuenit, sed esse possibilem vnionem inter illa, atque adeò posse constitui indiuiduam secundum conceptum essentiæ, quomodo natura non dicitur contracta, sed posse contrahi, & hac ratione indiuidua dicuntur ab æterno possibilia, quia ab æterno natura, & hæcceitas habent possibilitatem vnionis, quam doctrinam approbaui supra in hac disp. num. 75. Ad Conf. occurri potest ex dictis supra num. 98. in simili de communitate naturæ negatiua, vbi explicatum est, quo pacto prædicata quædam essentialia naturæ conuenire possint etiam à parte rei, & non indiuiduis.

Quartò fortius probari potest, excludendo omnes solutiones quæ dari possent admissa formali distinctione inter naturam, & hæcceitatem, quia etiamsi in opinione Scoti ita distinguantur, non tamen distinguuntur realiter; ergo à parte rei nequit obtinere natura vnitatem præcisionis ab hæcceitate etiam admissa formali distinctione inter ipsas, probatur consequentia, quia identitas realis adhuc sufficiens est ad impediendam hanc præcisionem, cum enim præcisio sit negatio quædam, & hæc sit malignantis naturæ, debet distributiuè negare quamcunque coniunctionem naturæ cum differentia, nedùm per identitatem formalem, sed etiam per realem. Amicus loc. cit. estò fateatur hoc argumentum difficulter solui, respondet tamen hic non considerari, quæ conueniunt rebus, vt habent identitatem realem, sed vt habent distinctionem formalem præscindendo ab identitate, vel distinctione reali, atque ita dicimus naturam in statu essentiæ, seu solitudinis, vt est distincta à differentijs, habere vnitatem præcisionis, quatenus, vt sic, non habet coniunctionem cum eis; quod necessariò ait quoque concedendum esse in sententia concedente vnitatem præcisionis naturæ solum ex vi intellectus, nam sicut cognitio non tollit ab obiecto identitatem realem, ita neque tollit contractionem, quam habet à parte rei, & tamen cum illa contractione stare potest præcisio per intellectum, quia cum identitate à parte rei stare potest distinctio rationis. Contrà, quia vnitas præcisionis in hoc differt ab vnitate formali, quod hæc vtique competit naturæ secundum se consideratæ, vt ly *secundum se*, dicit perfectatem primi, & secundi modi, & ideò potest quoque conuenire naturæ in statu existentiæ, præsertim, vt distinguitur formaliter à differentia, quia sub tali distinctione includit solum, quæ ei conueniunt in primo, & secundo modo; verùm vnitas præcisionis conuenit illi *secundum se*, vt dicit perfectatem tertij modi, & statum solitudinis, vt etiam fatetur Amic. loc. cit. sed status solitudinis dicit denudationem naturæ ab omni prorsus differentia, & seiunctionem ab ea nedùm per negationem identitatis formalis, sed etiam realis, ergo responsio allata non sufficit.

189 Conf. quia natura sub vnitate præcisionis habet indeterminationem positiuam, & contrariam determinationi singularitatis, secundum quam natura non solùm non est determinata per singularitatem, verum etiam habet esse abstractum ab omni singularitate, secundum quod indifferenter se habet ad quodcunque singulare, & omnia æquè respicit, vt docet Scot. loc. cit. dicitur autem hæc determinatio positiua, & contraria, quia non dicit negationem quomodocunque singularitatis, cum hanc negationem habeat etiam natura secundum se, vt formaliter ab hæcceitate secernitur, sed dicit tali modo negationem coniunctionis cum singularitate, vt neger omnimodam coniunctionem, adeout illi repugnet sine destructione illius status habere aliquo modo singularitatem coniunctam. Confirmatur adhuc, quia natura sub vnitate præcisionis nedum dicitur non hæc, sed positiuè communis, & ad plura indifferens saltim aptitudine, sed merito distinctionis formalis solum dici potest non de se hæc, non de se singularis, ergo distinctio eius formalis ab hæcceitate non sufficit, vt à parte rei dicitur habere vnitatem præcisionis. Instantiam verò, quam facit Amicus, nos quoque eius solutionem acceptare debere, quia cognitio abstractiua naturæ à differentijs non tollit identitatem naturæ cum illis à parte rei, & ideò sicut identitas realis naturæ à parte rei cum differentia non impedit præcisionem per intellectum, ita neque impediet præcisionem factam ex vi distinctionis formalis, quia cum identitate reali tam benè stat distinctio formalis, quam distinctio rationis, fateor vrgere, nihilominus adhuc retundi potest ostendendo disparitatem, quia ex vi distinctionis formalis potest fieri abstractio naturæ à differentia solùm præcisiua, non diuisiua, quia in virtute talis distinctionis solùm intelligitur non esse de se hanc, sed quando intellectus concipit naturam sub vnitate præcisionis, vt eam faciat vniuersalem, non solùm facit abstractionem præcisiuam intelligendo nempe naturam non intellecta singularitate, sed etiam diuisiuam, quia intelligit eam sine singularitate, immò sub opposito singularitatis nempe sub communitate, & indifferentia positiua, vndè apud intellectum illa natura perindè se habet, ac si à parte rei esset omni indiuiduatione expoliata.

Dices, ergo ista præcisio naturæ à differentia facta per intellectum potius erit diuisio, quam præcisio, & sic intellectus falletur per talem intellectionem, quia non solum sic intelligendo intelligit rem ac sit à parte rei, sed etiam sub opposito, quia à parte rei est cum singularitate, & intellectus nedum eam intelligit sine singularitate, sed cum communitate positiua ei opposita. Respond. hunc modum Aduersarijs quoque esse dissoluendum, quia & ipsi concedunt posse naturam concipi sub vniuersalitate, quę repugnat singularitati, quam habet à parte rei; dicendum itaque cum Scoto 2. d. 3. q. 1. & 7. ab initio, quod licèt hæc conceptio naturę sub communitate positiua habeat potius modum diuisionis, & separationis intentionalis, quam precisionis, & simplicis abstractionis, attamen adhuc fit sine fallacia, ac deceptione, primò quia habet fundamentum in re, & reperit non repugnantiam in natura, imò aptitudinem à parte rei ad sic concipi, nam estò sit à parte rei singularis, hæc tamen non est de eius essentia nec in primo, nec in secundo modo, immo de se est communis, & indifferens; deindè quia quando intellectus dicit naturam esse vniuersalem, & positiuè communem, hoc non affirmat de natura secundum esse reale, quod habet à parte rei, sed secundum esse intentionale, quod habet in intellectu. Dices, quomodo ergo stat vnitas communis illius axiomatis ex 2. Phys. 18. de sumpti, quod abstrahentium non est mendacium, quod passim interpretantur de abstractione precisiua, non diuisiua, quia hęc, inquiunt, contingere nequit sine mendacio? Resp. hoc esse intelligendum de prędicatis, quę conueniunt rei in primo, vel secundo modo dicendi per se, quamuis enim possimus v.g. concipere hominem non concepta risibilitate sine vlla falsitate, nequaquam tamen possumus ipsum concipere sine risibilitate, vel sub oppositio risibilitatis absque prejudicio essentiæ hominis; non autem intelligi debet de prędicatis merè accidentalibus etiamsi à parte rei inseparabilibus, quia vt aiebat Porphirius cap. de accidente, quamuis nigredo sit à coruo inseparabilis, vel Æthiope à parte rei, adhuc tamen, quia hoc est accidens commune, nedum potest coruus, vel Æthiops intelligi prejsiuè non intellecta nigredine, sed etiam absque vlla falsitate, ac prejudicio essentię eius intelligi potest sine nigredine diuisiuè, immò sub oppositio illius nempe sub albedine, quia hoc prędicatum non est de eius essentia nec in primo, nec in secundo modo, sic igitur in oppositio, quamuis natura à parte rei sit realiter coniuncta cum singularitate, quia tamen hęc non est de essentia naturę nec in primo, nec in secundo modo, sed merè accidit naturę, ideò natura absque vlla falsitate potest concipi sine ea etiam diuisiuè, imò sub oppositio illius.

190 Quintò, Vlterius probari potest excludendo singulos modos, quibus conantur Aduersarij oppositum nostrę conclusionis defendere; & quidem quod aiebat Amicus posse vnitatem precisionis conuenire naturę à parte rei merito distinctionis formalis eius ab hęcceitate satis impugnatum manet ex proximè dictis, quia ex vi distinctionis formalis natura solùm dicitur non de se hęc, nec de se singularis, cum quo stat quod aliundè, & ab extrinseco sit singularis, sed ex vi vnitatis precisionis dicitur positiuè communis, quę communitas petit, vt sub tali conceptu natura nec ab intrinseco, nec ab extrinseco sit singularis, sed omnem prorsus singularitatem excludat, & omni modo; ergo in statu existentiæ talis vnitas præcisionis nequit conuenire naturæ. Sed quod neque possit conuenire naturæ in statu essentiæ, vt volebat Fons. probatur, quia vel per statum illum prioritatis, & anteceſſionis naturæ ad contractionem factam per differentias, intelligit solam prioritatem naturæ, quatenus hæc præsupponitur illis, vel antecedentiam durationis in æternitate, in qua erat præcisè sub statu possibilitatis; sed prioritas naturæ non sufficit, quia hæc non dicit prioritatem temporis, in qua sit natura, & non sit contracta, sed dicit solùm independentiam essentiæ à differentijs, non enim attenditur quoad durationem existentiæ, sed quoad independentiam vnius ab alio, siue sit per causalitatem vnius ab alio, siue per simplicem præsuppositionem, vndè explicari non potest per hoc, quod sit *prius* in aliquo signo, in quo non sit posterius, sed tantùm per hoc, quod prius potest intelligi in aliquo signo, in quo non intelligatur posterius, vt dictum est disp. 9. Log. quæst. 2. art. 1, sed ad vnitatem præcisionis requiritur, vt natura præcedat durationę suam contractionem, quia negatio, & forma in eodem instanti durationis esse non possunt in eodem subiecto, etiamsi instans durationis diuidatur in diuersa instantia naturæ, vt dictum est disp. 4. Phys. qu. 2. Sed neque etiam ad hoc sufficit prioritas æternitatis ad tempus, in qua erat natura præcisè sub statu possibilitatis, nam eodem modo distinguitur humanitas possibilis à Petro possibilis, sicut humanitas existens à Petro existenti, non enim alia res sit existens, vt dictum est disp. prœced. nisi illamet, quę erat possibilis, ergo suo modo proportionato ita repugnat vnitas prejsionis naturę in statu possibilitatis sicut in statu existentię, quia vt notat Lichet. 2. d. 3. quæst. 1. §. *Respondeo*, ità suo modo identificatur natura possibilis cum hęcceitate possibili, sicut natura existens cum hęcceitate existenti. Tum quia quando etiam nolimus dicere naturam esse in æternitate contractam, sed tantùm posse contrahi à differentia indiuiduali, & hac ratione indiuidua dici ab æterno possibilia, vt suprà dictum est num. 138. soluendo rationem Suarez, adhuc tamen in illo statu non est libera à differentijs contrahentibus, sicut in statu existentię obiectiuę, quia illas concernit saltim in aptitudine; ex qua argumentatione colligitur hanc vnitatem prejsionis non posse esse realem in natura, quia nec in statu actualitatis, nec in statu possibilitatis benè illi accommodatur, sed tantùm in statu existentię obiectiuę.

191 Postremò probatur refellendo quoque modum dicendi Tromb. cit. num. 135. quia ex concessis ab ipso vnitas prejsionis, seu abstractionis non conuenit naturę, prout ipsa existit à parte rei, sed tantum quatenus per intellectum agentem, vel possibilem ipsa recipit illud esse abstractum ab indiuiduis, & hoc aut in specie intelligibili vniuersale, & vniuersalis, quatenus accipit illud esse repręsentatum vniuersale, & seclusum

seclusum ab omni differentia indiuiduali, aut in notitia ipsa naturæ communis, quatenus accipit illud esse expressatum vniuersalem, & seclusum ab omni differentia indiuiduali; sed natura communis, vt sic, aut repræsentata vniuersaliter, aut expressata vniuersaliter nullum habet esse reale realis existentiæ, aut essentiæ, sed solùm esse extrinsecè denominationis, quod est esse secundum quid, & rationis, vt docet Doctor 1. d. 3. q. 6. §. *Dicitur quod terminus actionis intellectus agentis* &c. & cum eo Lichet. Bargius, & alij Interpretes ibidem; ergo vnitas præcisionis, quę competit naturæ, vt sic, non potest esse vnitas realis, & competens naturæ habenti esse extrà animam. Confirm. quia natura non abstrahit ab indiuiduatione, nisi per opus intellectus agentis, vel possibilis, vt admittit ipse Tromb. ergo ab intellectu habet, quod sit vna vnitate ista præcisionis, & sic non illam sibi vendicat, quatenus est extrà animam. Confirm. adhuc, quia natura, quatenus abstracta, nullum esse habet extrà animam, quia extrà non est abstracta; igitur vnitas ista præcisionis, quæ illi conuenit, vt abstracta est, nequit sibi accomodari extrà animam.

Resp. pro Tromb. hoc argumentum conuincere solùm naturam abstractam non habere omninò esse extrà animam, & reale subiectiuum, non autem quod non habeat esse reale obiectiuum in anima, ac etiam extrà animam, prout ly *extra animam* opponitur enti rationis. Sed contrà, quia esse obiectiuum rerum non est aliquod verum esse reale, quod sit formale esse ipsarum, quasi de nouo productum in anima, vt ipse supponit, sed aut esse extrinsecæ denominationis, quod res extrà habent ex eo, quod species intelligibilis, aut notitia producta ad ipsas habet habitudinem quandam, aut esse speciei intelligibilis, vel notitiæ, in quibus ipsæ res repręsentantur, & exprimuntur, vndè nullo modo saluari potest naturam, quatenus habet esse abstractum formaliter habere esse reale. Tum quia non est necesse, quod si natura, quę animæ obijcitur, realis est, & reale esse habet extrà animam, modus uiter, & conditio, quo nobis obijcitur, realis sit, & extrà animam, uidelicet ipsius animę consurgere potest, vt constat ex ipso nomine abstractionis, & præcisionis.

Diluuntur obiecta.

192 PRimò. Contra prædicta obijcies pro Fonsec. natura communis præcedit saltim natura indiuidualem differentiam; ergo in illo priori erit natura non adhuc existente differentia, aut saltim non intellecta existere, & sic in illo priori habebit vnitatem præcisionis ab omni differentia. Confirm. quia si natura à parte rei existeret sine contractione ad indiuidua hanc vnitatem haberet; ergo cum natura communis ante quamcunque intellectus operationem præcedat indiuidua omnia, in eo statu antecedentiæ hanc vnitatem habebit.

Respond. negando vtranque consequentiam, quia vt supra dictum est prioritas naturæ non est antecedentia durationis, tanquam in aliquo signo natura existat, vel saltim existere possit sine differentia indiuiduali (non enim per instantia naturæ mensuratur existentia rei, sed durationis) sed est solùm prioritas independentię, vel naturalis præsuppositionis, vel præintelligentiæ cum fundamento in re, ideoque sicut in re nunquam est, vel esse potest sine talibus differentijs, ità nunquam poterit sibi à parte rei vendicare vnitatem hanc realem præcisionis. Ad Conf. concesso assumpto, negatur consequentia, quia si natura à parte rei existeret sine contractione, tunc præcederet differentias nedum prioritate naturæ, sed etiam durationis, at modò non præcedit nisi prioritate naturæ, vel naturalis intelligentiæ.

193 Secundò, obijcies fundamentum Amici supra relatum ab initio quæstionis, nam admissa distinctione graduum inter se, vt admittunt Scotistæ, actualiter à parte rei, non videtur posse denegari vnitas præcisionis naturę à parte rei, natura siquidem eo modo præscindit à differentia contrahente, quo pacto distinguitur; sed distinguitur à parte rei formaliter, & non tantùm per intellectum; ergo vnitas præcisionis conuenit illi ex natura rei, & non tantùm per intellectum.

Resp. licèt ob hanc rationem videatur à Scotistis posse probabiliter defendi opposita opinio, præstat tamen dicere, quod natura, quatenus est ex natura rei distincta ab indiuiduatione, eamque præcedit ordine naturę, nullam aliam vnitatem sibi vendicat, nisi formalem cum communitate negatiua, cum vnitas formalis, & communitas negatiua eam insequantur, velut passiones; vnitas ergo, quæ conuenit naturæ ratione distinctionis, est formalis pura, non autem vnitas præcisionis, quia ad hanc non sufficit distinctio naturæ ab hæcceitate, sed requiritur etiam negatio coniunctionis cum ipsa, quæ cum non haberi possit à parte rei, sed tantùm per intellectum separantem, & diuidentem naturam à differentia, consequenter vnitas præcisionis ex tali negatione resultans non nisi per opus intellectus potest haberi; & sic etiam sentit Meurisse lib. 2. Met. c. 3. quæst. 5. concl. 1. vbi ait præcisionem à differentia conuenientem naturæ à parte rei merito formalis distinctionis esse tantùm negatiuam, & consistere in eo, quod natura non includat differentiam; præcisio autem positiua addit actum intellectus deserentem, & abijcientem conditiones contrahentes, & quasi extrahentem, & separantem naturam ab illis, vndè concludit vnitatem consistentem in ea esse tantùm rationis.

194 Tertiò, obijcies fundamentum Tromb. ex num. 135. quod natura abstracta à singularibus siue opere intellectus agentis, siue possibilis verè præcedit tempore, & natura actum intelligendi, & est in intellectu obiectiuè nedùm actualiter antè actum intelligendi, sed etiam habitualiter; ergo verè habet existentiam adhuc realem, & non intentionalem acceptam per actum intelligendi; ergo & vnitatem quoque realem sibi proportionatam in tali statu, quæ esse nequit, nisi vnitas præcisionis, vt arguebat superius loc. cit.

Resp. eo argumento probari tantùm, quod natura ipsa, quæ abstrahitur, verè esse reale habet extrà animam, quod nos concedimus, sed quod ipsa, vt habens esse abstractum, aliquod esse reale sibi formaliter vendicet, hoc non probat sufficienter; nam estò ipsa habens esse abstractum præcedat actum, quo ipsa intelligitur extrinsecè denominari abstracta, & intellecta, non præcedit tamen omnem actum intellectus agentis, vel possibilis, cuius ope ipsa abstrahitur, & denominatur extrinsecè abstracta; vndè sicut non sequitur, paries dicitur visus, antequam intellectus consideret, ergo esse visum parietis est esse reale parietis, cum sit solùm esse denominationis extrinsecæ, ita neque in proposito. Cum autem dicebat Tromb. cit. num. 135. quod genera, & species ponuntur in recta linea prædicamentali, hoc verum est quoad naturas generum, & specierum, quę in rebus extrà sunt, non quoad conditionem illam abstractionis, & modum quo præcisè à nobis vniuersaliter repræsentatur in illa linea; etenim vt Scot. docet modus iste vniuersalitatis est modus intelligendi rerum realium, non autem est modus intellectus, aut pars conceptus primi earum, quia non conceptus metaphysici.

195 Supposito itaque hanc vnitatem præcisionis non relucere in natura, nisi per opus intellectus eam ab indiuiduatione præscindentis, quæri solet, an ad habendam hanc vnitatem, quæ posteà inseruire debeat pro vniuersalitate naturæ, sufficiat abstrahere naturam ab vno indiuiduo, vel potius opus sit abstrahere à pluribus inuicem comparatis, vt similibus; sufficere abstractionem ab vno tenent Hurtad. disp. 5. Met. sect. 9. Smigletius disp. 4. quæst. 4. Amic. tract. 4. Log. quæst. 2. dub. 5. in fine. Auersa quæst. 8. Phil. sec. 11. Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 20. non sufficere, sed necessariam esse abstractionem à pluribus asserit Ouuied. controu. 3. Log. punct. 7. duplici ratione solet probari prima sententia, quas affert, & soluit Ouuied. cit. prima est, quia natura abstracta ab vno indiuiduo cognoscitur sine singularitate, sed natura cognita sine omni singularitate abstrahitur ab omnibus, quia abstrahere est vnum sine alio cognosci, ergo natura abstracta ab vno indiuiduo perindè se habet, ac si ab omnibus abstraheretur, & eodem modo deseruire potest ad vniuersalitatem naturæ vel formaliter constituendam, vel saltim proximè fundandam. Respond. Ouuied. hos Auctores non attentè inspexisse, quid sit intellectum vnum prædicatum ab alio abstrahere, non enim abstractio dicit tantùm vnum sine alio cognosci, quando enim cognosco animal non cognito lapide, non dicor abstrahere animal à lapide; est ergo abstrahere cognoscere vnum sine alio, quod cum ipso est identificatum, vndè ab illo dicitur prædicatum abstractum, sine quo cognoscitur, & cum quo identificatur; ex hac doctrina nedùm soluit, sed etiam argumentum retorquet, soluit concedendo naturam abstractam ab vno indiuiduo cognosci sine omni differentia, & negando abstrahi per intellectum ab omni, sed tantum ab ea, cum qua est identificata, abstraheretur autem ab omnibus, si cum omnibus esset identificata. Retorquet deindè argumentum, quia de illo tantùm potest prædicari natura, quæ sine differentijs indiuidualibus cognoscitur, cum quo realiter, & physicè identificatur; sed natura quæ est in Petro, quantumuis cognoscatur sine differentijs indiuidualibus realiter, & physicè tantùm identificatur cum Petro, quia abstractio per intellectum non illi tribuit identitatem realem, quam in se non habet; ergo natura, quæ est in Petro, quantumuis cognoscatur sine omnibus differentijs, tantùm potest prædicari de Petro, & consequenter deseruire non potest pro vniuersalitate naturæ quæ debet prædicari de omnibus, & singulis.

196 Sed quamuis relatum argumentum pro prima sententia rectius confici posset, quam ab Hurtad. fiat, adhuc tamen ita confectum defendi potest à solutione, & impugnatione Ouuied. cum enim Auctores primę sent. aiunt naturam ab vno indiuiduo abstractam abstrahi etiam ab omnibus, non hoc absolutè asserunt, sed cum quadam limitatione, quod nempe ita se habet, ac si præscinderetur ab omnibus, quia, vt explicat Pasqualig. cit. sect. 2. num. 11. eo ipso quod natura abstrahitur explicitè ab vno indiuiduo, implicitè quoque abstrahitur à cæteris propter vnitatem naturæ in omnibus inferioribus, siquidem natura quoad prædicata essentialia est vna, & indiuisibilis essentia respectu omnium, vndè cum ab vno indiuiduo abstrahitur tota essentia naturæ, abstrahitur etiam totum id, quod dicunt cetera indiuidua in ratione talis essentiæ relictis indiuiduationibus; in hoc igitur sensu dicitur natura abstracta ab vno tantùm indiuiduo à cæteris etiam abstrahi implicitè, quia est vna, & eadem omnium natura saltim per indifferentiam. Quod amplius potest sic declarari, natura dum ab vno tantùm indiuiduo abstrahitur, dicit totum esse formale naturæ secundum se, & totum illud inuoluit perindè, ac si abstraheretur ab omnibus simul, quia dato quod ab omnibus simul abstraheretur, nihil amplius abstraheretur spectans ad essentiale esse naturæ, quam quod sit abstractum ab vno solo; ergo abstractio naturæ ab vno solo æquiualet abstractione eiusdem ab omnibus simul, & in hoc sensu procedit argumentum adductum pro prima sententia. Ex qua etiam doctrina respondeti potest ad argumentum retortum, quia natura præcisa ab vno indiuiduo post factam abstractionem nedùm aptitudinem

tudinem habet, vt fit per identificationem in illo indiuiduo, à quo est abstracta, sed etiam vt sit in alijs saltim disiunctim, & hæc aptitudo non est remota, sicut erat in statu contractionis, vbi aderat impedimentum differentiæ contrahentis, sed proxima, quia ablatum est impedimentum indiuiduationis per abstractionem; & ideò natura sic abstracta prædicari potest saltim aptitudinaliter, nedum de indiuiduo, à quo abstracta fuit, sed etiam de alijs. Confirm. solutio, quia natura abstracta ab vno indiuiduo caret omni indiuiduatione, & consequenter se habet per modum metaphysicæ potentiæ proximè contrahibilis, & cum non habeat aliquam determinationem, se habebit etiam vt quid proximè indifferens, nec magis determinatum ad vnum indiuiduum, quam ad aliud, sicut ergo proximè contrahi potest per identitatem ad hoc, & illud, sic etiam poterit de illis prædicari saltim aptitudinaliter.

179 Aliud argumentum pro prima opinione est hoc: natura abstracta ab vno indiuiduo est prædicabilis de illo indiuiduo, à quo fuit abstracta; ergo de reliquis etiam indiuiduis illi similibus, & sic non est magis prædicabilis de vno, quam de omnibus; ergo præcisio naturæ ab vno indiuiduo sufficiens est ad constituendam, vel saltim fundandam vniuersalitatem naturæ; probatur prima consequentia, quia natura sic abstracta est positiuè indifferens ad omnia indiuidua, ad eaque applicabilis, nam post abstractionem ab hoc indiuiduo non plus est illius, quam aliorum quorumcunque similium, alioquin non esset abstracta. Resp. Ouuied. cognitionem præscindentem naturam ab vno indiuiduo tantum attingere vnum indiuiduum, à cuius differentia dicitur naturam abstrahere, & reliqua omnia nullo modo per seipsam respicere, & ideò de illis prædicari non posse, sed tantùm de indiuiduo, à quo abstracta est. Sed hæc solutio reijcitur ex confutatione solutionis primi argumenti, imò ex ipso secundo argumento, quia natura ab vno indiuiduo semel abstracta est, postea indifferens positiuè ad cætera omnia, & per alias differentias proximè contrahibilis per identificationem cum illis; ergo de omnibus est proximè predicabilis, prædicatio namque aptitudinalis super talem aptitudinalem identificationem fundatur. Confirmat. quia si natura abstracta à Petro est tantùm prædicabilis de Petro, ergo natura abstracta tantùm à Petro, & Ioanne, tantùm de Petro, & Ioanne poterit prædicari; ergo vt natura possit prædicari de omnibus indiuiduis debet ab omnibus abstrahi. Resp. Ouuied. has omnes consequentias esse legitimas, & veras omnia consequentia, & absque formidine admittenda. Sed si Ouuied. absurdum hoc non formidat, nescio quodnam aliud formidare possit, quia vt intellectus possit vnum abstrahere ab alio, nedum formalitatem abstractam cognoscere debet, verum etiam id à quo abstrahit, vt terminum à quo; vt ergo naturam abstrahat ab omnibus indiuiduis, nedum omnia indiuidua sub aliqua specie existentia cognoscere debet, sed etiam omnia possibilia, quod intellectui creato est planè impossibile.

198 Vt tamen quid sentiam in hac dubitatione aperiam, arbitror hanc concertationem esse non posse, nisi de solo nomine, quia vtraque pars asseri potest, nempe naturam quæ fieri debet vniuersalis, & ab vno solo indiuiduo abstrahi posse, & à pluribus, si res citrà confusionem declaratur; si enim sermo sit de indiuiduis actu existentibus certum est necessariam non esse indiuiduorum pluralitatem, vt ab illis natura abstrahatur, & æquè benè posse ab vno solo abstrahi, sicut à pluribus, vt dixi disp. 4. Log. quæst. 2. art. 1. in solutione primi argumenti ad vlt. Confirm. alioquin natura solaris vniuersalitatem fundare non posset, cum non nisi vnum existat indiuiduum in tali natura; at si de indiuiduis non tantùm existentibus sed etiam possibilibus sit sermo, tunc vtique necessaria est ad abstractionem naturæ indiuiduorum pluralitas, quod euidenti conuincitur ratione, vt enim intellectus naturam abstrahat ab indiuiduatione, opus est vt prænoscat distinctionem formalem, vel saltim virtualem naturæ ab illa, quia vt dictum est, præcisio vel est idem quod distinctio, vel saltim in distinctione fundatur, ideò autem talis distinctio inter naturam, & indiuiduationem percipitur ab intellectu, quia nouit eandem naturam, quæ reperitur in vno indiuiduo reperiri etiam in alio, aut saltim reperiri posse, non verò idem esse indiuiduale; cum igitur talem distinctionem percipere nequeat intellectus, nisi facta collatione plurium indiuiduorum adinuicem, vel actu existentium, vel saltim possibilium, & sine cognitione similitudinis inter ea versantis, sequitur à primo ad vltimum in hoc sensu ad abstractionem naturæ, in qua plura conueniunt indiuidua necessariam esse indiuiduorum pluralitatem, similitudo siquidem siue actualis, siue possibilis non nisi inter plura versari potest, quia nihil est simile sibi ipsi. Conf. quia intellectus noster saltim pro statu isto nequit colligere communicabilitatem naturæ, & istam ab esse indiuiduali secernere ratione huius communicabilitatis nisi facta comparatione inter indiuidua quoad eorum similitudinem, & conformitatem, ergo pluralitas indiuiduorum in hoc sensu præire debet abstractioni naturæ, vt eius fundamentum.

199 Denique facta comparatione plurium indiuiduorum adinuicem in similitudine naturæ cuius ductu percipiat intellectus distinctionem vertentem à parte rei formaliter, vel saltim fundamentaliter inter naturam, & indiuiduationem potest intellectus ad libitum naturam abstrahere ab illis pluribus, vel ab vno duntaxat illorum non concipiendo eius indiuiduationem, & natura sic abstracta poterit vniuersalizari, quia vt sic habet vnitatem præcisionis, & in tali statu gaudet indifferentia positiua ad essendum in pluribus, & consequenter est apta nata prædicari de pluribus, vndè in tali statu vel est actu vniuersalis, vel saltim proximum fundamentum vniuersalitatis in quà varietatem opinionum de vniuersalitate naturæ, de qua quæst. seq. patet igitur quomodo ista concertatio inter Recentiores sit de nomine magna ex parte, & quod in vno, vel altero sensu potest vtraque pars problematis sustineri. Et cum hæc omnia concedat quoque Pasqual. loc. cit. sect. 2. & vltrò fateatur nullo modo abstrahi posse naturam nec ab vno, nec à pluribus indiuiduis, nisi præcesserit comparatio, qua fuerint indiuidua inter se collata, vbi & meritò reprehendit Suarez oppositum dicentem disp. 6. sect. 6. num. 11. non video cur posteà hac præmissa doctrina assertiuè teneat alteram problematis partem, nempe opus non esse, quod abstrahatur natura à pluribus indiuiduis, sed sufficere quod abstrahatur ab vno tantùm, potius enim ad consequenter loquendum dicere debebat vtramque problematis partem in alio, & alio sensu posse defendi, vt nos statuimus.

QVÆSTIO IX.

Quid sit vnitas vniuersalis, & in quo statu natura conueniat.

200 VT videamus quid re vera sit vnitas vniuersalis, & an sit vnitas realis, vel rationis, videndum est quod sit vniuersale in actu, & formaliter, quod apud omnes censetur vniuersale verè, & propriè dictum; & quidem ab omnibus, & in omni Schola accepta videtur definitio, quam de vniuersali in hoc rigore Doctor indicauit 1. Met. qu. 6. n. 6. & lib. 7. quæst. 13. num. 9. & clarissimè expressit 2. dist. 3. q. 1. §. *Sed contrà* lit. H. *Vniuersale in actu est illud, quod habet vnitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente hoc est hoc*, quam deducit ex Arist. 1. Post. 25. dum ait vniuersale esse, *quod est vnum in multis, & de multis* quod expositores passim interpretantur de esse in, & dici de, vel in actu, vel saltim in aptitudine proxima, & potentia propinqua, siquidem potentia remota ad esse in multis, & dici de multis non sufficit ad constituendum vniuersale in actu, & formaliter, vt hic de eo est sermo, sed in potentia tantùm, & fundamentaliter, quod cum ex professo declaratum sit disp. 4. Log. qu. 1. art. 2. alia ad hoc propositum hìc superaddere non oportet.

201 Præterea distingui solet apud omnes vniuersale in physicum, metaphysicum, & logicum, per vniuersale physicum intelligunt naturam in singularibus existentem cum sua vnitate formali, quæ est minor numerali; per metaphysicum intelligunt naturam, cum per opus intellectus abstrahitur, & exuitur differentijs, & induitur vnitate præcisionis; denique per vniuersale logicum intelligunt eandem naturam affectam secundam intentione vniuersalitatis, per quam ad inferiora refertur in ratione superioris, & prædicabilis; verum est tamen antiquiores primum membrum omisisse, & solùm distinxisse vniuersale in logicum, & metaphysicum, illud appellabant vniuersale formale, hoc autem fundamentale quod proindè rursus distinguebant in fundamentum vniuersalitatis proximum, & remotum, remotum appellabant naturam in statu contractionis per differentiam à parte rei, proximum appellabant eandem naturam in statu abstractionis per intellectum à conditionibus indiuiduantibus, vt videre est apud nostros Parisienses tract. vniuers. quæst. 1. Barg. & Viger. 1. d. 3. quæst. 6. Ant. Andr. 7. Met. quæst. 18. & Scotum ipsum ibid. Tromb. quæst. 8. & 9. Zerb. quæst. 17. vndè vniuersale physicum comprehendebant sub vniuersali metaphysico remoto, & quidem satis rationabiliter, vt dixi disp. 4. Log. cit. quæst. 1. art. 2. in fin. quia apud veteres per vniuersale, & genus physicum materia prima consuevit intelligi; vndè magis errant quidam Recentiores, qui in præfata vniuersalis diuisione tertium omittunt membrum, quod est principalius inter omnes, scilicet logicum, assignantes solùm vniuersale physicum, & metaphysicum, vt est videre apud Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 18. sect. 3.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit vniuersale propriè dictum.

202 MOdò est difficultas, cui nam vniuersali conueniat assignata ratio vniuersalis propriè, & formaliter dicti; Pasqual. loc. cit. affirmat conuenire vniuersali metaphysico, vndè definitionem vniuersalis in actu à Scoto allatam ipse applicat vniuersali metaphysico, idque asserit, tanquam de mente Doctoris. Alij, & est comunis opinio, affirmant conuenire duntaxat vniuersali logico, & de hoc locutum esse Doctorem loc. cit. quem dicendi modum ergo quoque tradidi disput. 4. Log. cit. quæst. 1. art. 2. Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 3. q. 5. inquit eam definitionem nec conuenire vniuersali metaphysico, nec logico, sed cuidam vniuersali ex vtroque mixto, quod vocat metaphysilogicum, & inuoluit tam materiale, quàm formale vniuersalitatis, estque natura vt præcisa per intellectum à conditionibus indiuiduantibus, & vt affecta secunda intentione vniuersalitatis, per quam refertur ad inferiora in ratione superioris, & prædicabilis; & hoc ait esse vniuersale propriè, & formaliter dictum, de quo loquitur Doctor, & subdit neminem imaginari debere vniuersale illud actuale, quod fit per actionem comparatiuam intellectus esse vniuersale

sale simpliciter pro formali ex mente Scoti, quia ex doctrina eius vniuersale illud actuale ita debet esse in multis, & dici de multis, vt quodlibet sit ipsum, quomodo quodlibet indiuiduum naturæ humanæ est homo; at vniuersale pro formali non ita se habet ad multa, vt quodlibet sit ipsum, non enim quodlibet indiuiduum naturæ humanæ est species sed homo. Alij tandem Scotistæ fatentur quidem solum vniuersale logicum esse vniuersale propriè, & formaliter dictum, sed distinguunt duplex vniuersale logicum vnum per se, & aliud per accidens; vniuersale logicum per se est tantùm secunda intentio fundata in natura communi, ipsa verò natura communis illi subtrata est tãtùm vniuersale logicum per accidens, & ratio est, quia sola secunda intentio per se consideratur à logico, & per accidens solùm res intentioni substrata; & quia vident definitionem vniuersalis in actu allatam à Scoto potius conuenire naturæ, vt substernitur secũdæ intentioni vniuersalitatis, quã ipsi intentioni, ob rationem allatam à Meurisse, ideò dicunt Doctorem ibi non definire vniuersale per se logicum, cum hoc sit tantùm secunda intentio, sed vniuersale logicum per accidens nempe naturam vniuersalitati substratam.

203 Dicendum tamen est solum vniuersale logicum esse vniuersale verè, & propriè dictum, eiq; præfatam definitionem conuenire non metaphysico, & de ipso loqui Doctorem loc. cit. & sub nomine vniuersalis per se logici comprehendi nedùm secundam intentionem vniuersalitatis in concreto sumptam, ideſt vt denominat naturam sumptam pro prima intentione, sed ipsam naturam substratam, vt denominatur ab ea. Probantur, & explicantur singula, & quidem in primis, quod vniuersale logicum sit vniuersale verè, & propriè dictum probatur, quia apud Philosophos analogum, quale est vniuersale, vt sic, ad logicum, physicum, & metaphysicum stat semper pro principali analogato; sed in communi modo loquendi ad prolationem huius nominis *vniuersalis*, venit in mentem vniuersale logicum, quod ad inferiora refertur in ratione superioris, & proximè prædicabilis. Tum quia vniuersale verè, & propriè dictum censetur id, quod est vniuersale in prædicando, sed per id intelligitur vniuersale logicum, cuius proprium est prædicari, non verò metaphysicum, quod dicitur solum vniuersale in essendo, nec habet rationem totius potentialis in ordine ad inferiora, sed potius partis contrahibilis per differentiam ad faciendam compositionem metaphysicam. Tum quia vniuersale propriè dictum apud omnes censetur illud, quod est vniuersale in actu, & non tantùm in potentia, quod est completum, non verò incompletum, & inchoatum, & proindè habet suum esse perfectum solùm per operationẽ intellectus, vt Doctor notat 7. Met. q. 13. n. 19. & loc. cit. 2. d. 3. q. 1. H. sed solum vniuersale logicum gaudet inter omnia his conditionibus; metaphysicum enim est incompletum, non completum, quia eius vniuersalitas compleri potest per intentionem logicam adhuc superuenientem; item habet aliquo modo esse à parte rei, & non præcisè per operationem intellectus, ergo solùm vniuersale logicum est vniuersale verè, & propriè dictum.

204 Secundò quod ei solùm competat allata definitio potest eisdem probari rationibus, nam in omni Schola per vniuersale in prædicando intelligi solet vniuersale logicum, non metaphysicum, siquidem prædicari proprium est secundarum intentionum non primarum. Tum quia vniuersale metaphysicum etiamsi consideretur sub vnitate precisionis, quando nimirum natura est abstracta per intellectum à singularitate, non adhuc habet rationem vniuersalis in actu, seu proximè prædicabilis de inferioribus, quia vel in eo statu concipitur solùm per modum partis potentialis, & contrahibilis, & sic non habet rationem vniuersalis, quia non respicit differentiam, vt inferius de quo prædicari possit, sed vt aliam compartem, à qua possit determinari; vel si in eo statu concipitur, vt totum quoddam, planè non concipitur, vt totum potestatiuum diuisibile in plures partes subiectiuas, de quibus est prædicabile, sed potius vt totum quoddam actuale, ideſt in ordine tantùm ad ea attributa, quæ actu continet, & quoad ista prædicata essentialia, & sic potius concipitur, vt natura subijcibilis, quam vt prædicabilis. Tum quia id totum concedit Pasqualig. cit. nu. 4. nimirum naturam etiam ab indiuiduatione abstractam tunc habere rationem partis contrahibilis, & potentiæ metaphysicæ per differentiam actuabilis ergo in tali statu non habet rationem vniuersalis in actu, nec superioris in ordine ad inferiora, vt ipse contendit ibidem. Tum quia in quæstionibus quæ pertinent ad modum loquendi tenendus est communior, ac magis receptus loquendi modus, ne excitetur quæstio de nomine, vt notat Doctor 9. Met. q. 6. *contra hanc opinionem*, & 3. d 1. qu. 1. M. & 4. d. 2. qu. 1. & alibi frequenter; sed per vniuersale in actu, formale, & completum; quod est prædicabile de pluribus vel actu, vel potentia proxima, in omni schola intelligitur vniuersale logicum, non metaphysicum, vt testantur Complut. disp. 3. log. q. 6. in fine, ergo &c. Tum quia etiamsi vniuersale metaphysicum, vt significat naturam à singularibus abstractam, & sub vnitate præcisionis consideratam, habeat solùm esse per actum intellectus, vt contendit Pasqualig. hoc tamen habet per actum abstractiuum intellectus, non verò collatiuum; sed vniuersale in actu, & completum, quod est actu, vel potentia proxima de inferioribus prædicabile accepit esse per actum collatiuum, non verò abstractiuum, vt probatum est disp. 4. cit. log. quæst. 3. ergo huiusmodi vniuersale non est metaphycum, sed logicum.

205 Tertiò quod Doctor loc. cit. loquatur de vniuersali logico, & non metaphysico, cum inquit vniuersale in actu esse illud, quod habet vnitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito, probatur ex ipso Scoti discursu in ea quæstione, nam §. *ad quæstionem*, lit. E. loquitur de vniuersali metaphysico, cum ait naturam de se nec vniuersalẽ esse actu, nec particularem, & licèt realiter nunquam sit sine aliquo istorum, non tamen est de se aliquod istorũ, sed est prius naturaliter omnibus istis, & secundum istam prioritatem naturalem est quodquid est, & per se obiectum intellectus, & per se, vt sic consideratur à Metaphysico, quibus verbis expresè docet vniuersale metaphysicum esse naturam secundũ se consideratã, vt præscindit à singularitate, & vniuersalitate actuali, non ergo de mente Doctoris vniuersale metaphysicum est vniuersale in actu, sed tantũ in potẽtia, quando ergo postea § *sed contrà*, lit. H. definit vniuersale in actu, & cõpletum, non loquitur de vniuersali metaphysico, quia de hoc supra locutus erat, & dixerat non esse vniuersale in actu, sed loquitur de vniuersali logico deducens eius definitionem ex libris logicalibus Posteriorum.

Dices Scotum ibi appellare vniuersale in actu, & potentia proxima, dicibile de pluribus, quod est abstractum à singularibus, & habet vnitatem præcisionis, sed hoc est vniuersale metaphysicum, quod per hoc distinguitur à physico, quia hoc dicit naturam cum differentia concretam à parte rei, illud verò dicit naturam à quacunque differentia abstractam, & præcisam per opus intellectus siue agentis, siue possibilis iuxtà varietatem opinionum; ergo ibi loquitur de vniuersali metaphysico, & illud ibi definit. Respond. Scotum ibi appellare vniuersale in actu naturam abstractam à singularibus, tanquam fundamentum proximum vniuersalitatis in actu, non verò quod ipsa, vt sic precisè considerata sub tali abstractione, & vnitate præcisionis, sit vniuersale in actu, completum, & formale, quia ibi disertè docet naturam in tali complemento cõstitui, & formaliter, & actu vniuersalizari non per abstractionem à singularibus, sed potius illã concernendo per modum superioris, & predicabilis, qui quidẽ respectus rationis prædicabilitatis sicut ad logicum spectat, & non ad metaphysicũ, ita facit quod vniuersale in actu, & potentia proxima prædicabile de pluribus sit vniuersale logicum, & non metaphysicum; & cum è contra ad metaphysicum solùm spectet considerare naturam, vel negatiuè præcisam à singularitate, quo pacto se habet à parte rei, quatenus adhuc in tali statu natura non includit eam in sua ratione formali, vel etiam positiuè, quatenus per intellectum abstrahentem accipit positiuam indifferentiam, & positiuè denudatur à conditionibus indiuiduantibus, ideò natura sub hoc vtroq; statu vniuersalis solùm metaphysicè dici potest, & solùm vniuersalis in potentia, remota quidem sub statu precisionis negatiuæ à parte rei, proxima verò sub statu præcisionis positiuæ apud intellectum; & hoc est, quod vult dicere Doctor, cum ait sub lit. I. quod etiamsi concederetur abstractionem naturæ à conditionibus indiuiduantibus fieri per opus intellectus agentis, & nõ possibilis, vt pleriq; volunt, adhuc tamen nõ est verũ intellectũ agentem facere vniuersalitatem in rebus, quia natura nunquã est vniuersalis in actu, & in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito, nisi vt est in intellectu possibili, eam ad inferiora conferente per modum superioris, & prædicabilis; per quod manifestè significat Doctor naturam precisè consideratam, vt abstractam à singularibus, & sub vnitate præcisionis esse vniuersalem tantùm metaphysicè, ac in potentia, non verò in actu, & completè.

Benè tamen verum est naturam sub tali abstractione consideratam à conditionibus indiuiduantibus, & sub vnitate precisionis esse in potentia proxima ad recipiendam relationem vniuersalitatis formalis, & actualis, quia in tali statu intelligitur habere indifferentiam positiuam, quatenus ad nullum indiuiduum intelligitur determinata, vbi in statu contractionis ob differentiam adiunctam dicebatur tantùm in potentia remota ad fundandam relationem vniuersalitatis, eo quia in tali statu non habet, nisi indifferentiam priuatiuam; in quo puncto hallucinati sunt aliqui, & præsertim Pasqualig. loc. cit. aliud enim est naturam in statu precisionis obiectiuæ esse in potentia proxima ad prædicari de pluribus prædicatione dicente, hoc est hoc, & aliud esse in potentia proxima ad recipiendam, & fundandam vniuersalitatem formalem, & actualem, hoc secundum vtiq; verum est, & gratis concedimus, sed non primum; & hoc est, quod Pasqualig. fefellit, quia vnum ab alio non distinxit, idemq; putauit esse naturam esse in potentia proxima ad prædicari de pluribus, & esse in potentia proxima ad fundandam relationem vniuersalitatis formalis, & actualis quæ duo confundi minimè debent, quia primum facit naturam actu vniuersalem, secundum verò efficit, quod sit, vel esse possit fundamentum proximum vniuersalitatis formalis, & actualis.

206 Quartò vlterius probatur nedum intentionem secundam vniuersalitatis in natura communi fundatam, sed etiam naturam ipsam, vt substat tali intentioni, posse, ac debere dici vniuersale per se logicum, & non tantùm per accidens, vt dicebant illi Scotistæ moti auctoritate Doctoris q. 3. vniuers. in fine, vbi naturam intentioni substratam vocat ens per accidens, quatenus est aggregatum ex diuersis naturis. Id autẽ declaratur ex Lichet. 2. d. 3. q. 1. §. *ibi sed contra*, vbi ait, quod natura sub ratione relationis ad inferiora per se prædicatur de illis, nõ quidẽ quatenus est ens per accidẽs ex natura, & relatione cõstitutũ, sed tantũ per rationẽ naturæ, quod est vnũ ens per se, quæ tamen prædicari non potest, nisi actu sit sub tali relatione rationis; adeout natura ipsa prædicatur, vt substat intentioni, non quidem tanquam rationi formali prædicandi, sed veluti conditioni eam ponẽti in statu

vniuersalitatis, iuxtà quam doctrinam posteà disp. 5. log. q. 1. art. 1. dixi in definitione generis à Porph. tradita non definiri quidem aggregatum ex vtroque, scilicet ex re, & intentione, sed vel definiri rem, vt subest intentioni, vel intentionem, vt applicatam rei, itaquod vnum eorum sit directè, & principaliter definitum, aliud autem vt connatum, & intrans definitionem per additamentum. Quod ibi fusè declaratum est, distinguendo de duplici prædicatione exercita, & signata, quamuis enim in prædicatione signata non sit propriè natura, quæ prædicatur, sed vniuersalitas ipsa in concreto sumpta, idest vt applicata naturæ prædicanti de pluribus, quia prædicatio huiusmodi fit per terminos secundæ intentionis, vt applicatur primis; tamen loquendo de prædicatione exercita, quæ fit per terminos primæ intentionis, natura est, quæ propriè prædicatur non intentio, illud enim prædicatur de subiecto exercitè, quod est in eo, natura autem propriè est in rebus vniuersali subiectis, non intentio; ergo natura erit, quæ propriè prædicatur de illis, & vniuersalitas erit tantum conditio, quæ facit naturam in potentia proxima de illis prædicabilem, quam doctrinam esse de mente Scoti testatur Lichet. loc. cit.

Ex qua doctrina colligitur, quod natura communis, vt fundat intentionem vniuersalis concepta nimirum cum indeterminatione positiua, & aptitudine proxima, vt sit in multis, quamuis dici possit vniuersale logicum per accidens, quoad prædicari signatè, quia hoc conuenit tantum secundis intentionibus, tamen quoad prædicari exercitè est vniuersale logicum per se, & per se consideratur à logico; ratio est, quia omne vniuersale in prædicando per se consideratur à logico, sed non tantum datur vniuersale in prædicando signatè, sed etiam exercitè, ergo id quoque ad logicum pertinere debet, ergo naturam vt prædicabilem exercite de pluribus non per accidens considerat, sed per se, & ipsa, vt sic, est vniuersale logicum per se. Tum quia omne per accidens reducitur ad per se, quæro igitur de natura in tali statu, vt scilicet substat relationi vniuersalitatis actualis, quę vniuersalitas ei per se competat, vel est metaphysica, vel logica; non primum, quia vniuersalitas metaphysica non constituitur per prædicabilitatem in ordine ad inferiora, sed per ordinabilitatem ad actum per modum potentię metaphysicę; ergo erit vniuersalitas logica. Dices naturam in tali statu esse per se vniuersale metaphysicum, per accidens logicum, quatenus accidit illi logica vniuersalitas. Contrà, quia licèt quando natura consideratur à parte rei, vt vna formaliter, & ex natura rei distincta à differentia, vel vt vna per abstractionem factam ab intellectu, in quo pura relucet natura quidditas cum vnitate præcisionis, dici possit illi accidere vniuersalitatem logicam; tamen quando concipitur vna in omnibus per inexistentiam actu, vel aptitudine, & indifferens ad omnia indiuidua proximè, & coniunctim, & sic fundat relationem vniuersalis ad inferiora, tunc non accidit ei vniuersalitas logica, quia talis vnitas, & communitas non fundant, sed essentialiter constituunt ipsam logicam vniuersalitatem.

207 Dices, quamuis natura sub relatione vniuersalitatis logicæ concepta per se exercitè prædicetur de inferioribus, non proindè dici vniuersale per se logicum, & per se à logico consideratum, quia talis prædicatio fit in terminis primarum intentionum, quæ per se non pertinent ad logicum, sed tantùm per accidens. Contrà, quia id non obstat, quin adhuc talis prædicatio per se ad logicum pertineat, nam adhuc verum est talem prædicationem non competere naturę nudè sumptæ, & in statu reali, sed contentę sub secunda intentione vniuersalitatis, tanquam sub conditione eam ponente in proxima potentia, vt possit prædicari de multis, & sic ad logicam pertinet, ad quem tam per se spectat considerare secundas intentiones applicatas primis, quam primas sub secundis conceptas, vt dictum est disp. 5. log. quæst. 1. art. 1. in fol. ad 1. ita tamen inter se dispositas, vt non importent aggregatum per accidens, hoc enim modo excluduntur nedum à consideratione logici, sed etiam cuiuscunque artificis, vt docet Doctor cit. quæst. 3. viuers. in fine, quia ens per accidens, vt sic, nec est scibile, nec definibile. Tum quia quando natura communis consideratur sub tali relatione vniuersalitatis, & vt sic prædicatur de pluribus in quid non sumitur tanquam ens per accidens constitutum ex natura, & relatione rationis, ac veluti reduplicatiuè, sed potius specificatiuè, vt sensus sit, quod de pluribus prædicatur natura, quæ substat intentioni vniuersalitatis, veluti conditioni eam ponenti in statu vniuersalitatis, vt dicebat Lich. loc. cit. Imò Meurisse loc. cit. n. 152. adeò tenaciter huic Lichet. doctrinę adhæsit, vt naturam sub relatione vniuersalitatis consideratam solum agnoscat pro vniuersali logico, verè & propriè dicto, non autem ipsam vniuersalitatis relationem, quia vniuersale sic sumptum, nempe omninò pro formali non ita se habet ad multa, vt quodlibet sit ipsum, non enim quodlibet indiuiduum naturæ humanę v.g. est species. Sed iam disp. 4. log. q. 2. art. 1. in fine ostendi, quomodo in prædicatione signata nec natura propriè loquendo, nec aggregatum ex natura, & vniuersalitate, sed vniuersalitas ipsa in concreto tamen sumpta prædicatur de pluribus, vndè in prædicatione signata vniuersalitas prædicatur de pluribus, in exercita verò natura vniuersalitati substrata modo explicato, & in vtroque sensu dici debet vniuersale logicum per se. Nec etiam probandus est modus loquendi Meurisse supra relatus, quod vniuersale in actu verè, & propriè dictum sit illud vniuersale mixtum ex logico, & metaphysico, quod ipse comminiscitur, ac proindè appellat metaphysilogicum, quasi ex vtroque coalescens; sic enim vniuersale sumptum propriè significat aggregatum per accidens, scilicet ex natura, & intentione secunda, quia hoc pacto vtrumque datur significari ex æquo, non autem vnum principaliter, & aliud de connotato, quo tantùm modo concretum accidentale definiri potest definitione quidditatiua per additamentum data, quia id, quod concernit principale significatum non cadit in intellectu eius, veluti pars, sed vt terminans respectum illius, & ideò non destruit vnitatem eius, vt notat Doctor 4. d. 1. q. 2. & q. 8. vniuers. propè finem, & fusè explicatum est disp. 5. Log. q. 1. art. 1.

ARTICVLVS II.

De Communitate Vniuersalis.

208 His iam prædeclaratis, vt ferè communiter ab omnibus concessis, nunc accedendum est ad punctum principale quæstionis, & declarandum quenam sit, & qualis vnitas, & communitas constitutiua vniuersalis in actu, formalis, & completi; vt enim constat eius Aristotelica definitione, *quod est vnum in multis* hęc duo concurrunt ad eius adæquatum conceptum constituendum, scilicet vnitas, & communitas; & quidem de communitate non admodum variant Doctores, paucis enim quibusdam exceptis, qui contendunt dari vniuersale, & in actu à parte rei, & reijciuntur abundè à nobis disp. 4. Log. quæst. 1. ceteri vnanimiter tam Scotistę, quam Thomistę fatentur communitatem constitutiuam vniuersalis in actu non esse realem, sed rationis. Et ratio est in promptu, quia vt inquit Doctor loc. cit. communitas, & indifferentia, quę in natura desideratur, vt dicatur vniuersalis, in actu, & completè, talis esse debet, vt sit in potentia proxima quod secundum ipsam de quolibet supposito prædicetur prædicatione dicente, hoc est hoc, sed nihil datur sic commune pluribus à parte rei, quia licèt alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularitate ab ea, in qua est, non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori, quod quodlibet sit ipsum saltim in potentia proxima, nam veritas prædicationis fundatur in identitate naturæ cum subiecto de quo prędicatur, at humanitas Petri v.g. à parte rei *identificatur* tantùm cum Petro, non verò cum Paulo, & Ioanne, ergo nequit, de omnibus, & singulis prędicari natura à parte rei prædicatione dicente hoc est hoc; vndè concludit Doctor hoc solùm esse possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti, secundum quam ipsum idem est prædicabile de omni singulari dicendo, hoc est hoc. Confirm. quia vt aliqua natura sic possit proximè prędicari de pluribus, opus est vt eadem reperiatur in illis multis per inexistentiam, sed non datur natura communis pluribus à parte rei per inexistentiam, sed tantùm per indifferentiam, vt satis constat ex dictis qu. 5. ergo communitas constituens naturam in statu vniuersalitatis non est communitas realis, sed rationis. Confir. adhuc, quia etiamsi sufficeret communitas per solam indifferentiam ad constituendum vniuersale in actu, non tamen sufficit indifferentia negatiua, vel priuatiua, sed debet esse positiua, & expedita, & à quocunque impedimento libera differentiæ contrahentis, alioquin non esset in potentia proxima ad prædicandum de pluribus; sed natura à parte rei non est sic ad multa indifferens, sed tantùm negatiuè, & priuatiuè ob impedimentum hæceitatis adiunctæ; ergo communitas ad vniuersalitatem requisita est rationis, non realis. Confirm. tandem, nam quando etiam poneretur natura positiuè indifferens à parte rei, vt sit in pluribus (quod tamen est impossibile stante impedimento differentiæ adiunctæ) successiuè, & disiunctim, adhuc talis indifferentia non sufficeret ad eam constituendam vniuersalem in actu, quia indifferentia naturæ vniuersalis debet esse ad plura simul, & coniunctim, cum de ratione vniuersalis sit, vt sic etiam de suis inferioribus prædicari possit, vt docet Doctor 4. dist. 43. qu. 2. F. tum quia alioquin eadem forma, si successiuè à Deo poneretur per replicationem in pluribus subiectis, posset dici vniuersalis; ergo ex omnibus his capitibus communitas naturæ vniuersalis in actu nequit esse realis, sed tantùm rationis, & per operationem intellectus fabricata cum fundamento in re, quæ omnia fusè declarata sunt dispu. 4. Log. qu. 1. & 2. neque hic sunt repetenda.

Sed quamuis hæc ratio cum suis confirmationibus sit Scoti expressè loc. cit. 2. d. 3. q. 1. & communi Scotistarum, immo & Thomistarum calculo recepta, eam tamen non absolutè approbat Poncius disp. 3. Log. qu. 6. concl. 2. & impugnat eo quia gratis supponatur in descriptione vniuersalis per aptitudinem prædicandi debere intelligi aptitudinem proximam, seu prædicabilitatem proximam, quemadmodum enim, quando describitur albedo esse disgregatiua visus, non intelligitur quod sit proximè disgregatiua, quia aliàs ex se non esset disgregatiua, sed haberet esse disgregatiuam formaliter ab applicatione ad potentiam visiuam capacem disgregationis, quia non posset disgregare proximè absque tali applicatione, ita quando dicitur quod natura vniuersalis logicè sit prædicabilis de multis, non debet hoc intelligi de prædicabilitate proxima. Conf. quia etiam diuina natura habet ab intellectu considerante illam in pluribus prędicabilitatem proximam de pluribus, neque enim magis posset ab intellectu prædicari de pluribus, nisi consideraretur in pluribus, quam natura vniuersalis, & tamen certum est aliam prædicabilitatem recipere vniuersale ab intellectu, quam non recipit ab eo diuina essentia. Quod si dicas prædicabilitatem vniuersalis debere esse proximam ex eo colligi, quod remota non sufficit, cum hanc habeat natura à parte rei, vniuersale autem logicum non haberi à parte rei, sed fieri per intellectum. Contra instat,

instat, hoc etiam gratis assumi, quod non detur vniuersale logicum à parte rei, nam si datur prædicabilitas remota à parte rei, sequitur etiam dari vniuersale logicum à parte rei, nec hoc est magis absurdum, quam illud.

209 Respondetur negando assumptum, quod scilicet gratis assumatur in descriptione vniuersalis, quod debeat esse proximè de pluribus prædicabile, hoc enim accipitur ex communi Metaphysicorum auctoritate, qui sic loquuntur de vniuersali, & sic interpretantur definitionem Aris. de vniuersali logico, & completo datam, vt illud distinguant ab vniuersali metaphysico quod est de pluribus prædicabile potentia tantùm remota; & probatur etiam euidenti ratione, quia vniuersalitas actualis; completa, & simpliciter dicta excludit omnimodam singularitatem, quia importat cõmunitatem, & indifferentiam positiuam, & contrariam, & ideò ad ipsam non sufficit prædicabilitas remota, quia hæc stat cum singularitate à parte rei, sed debet esse prædicabilitas proxima, & impedita, & natura cum singularitate coniuncta non debet dici absolutè, & simpliciter vniuersalis, sed potius particularis; & quamuis talis proximitas non pertineat per se ad albedinem, vt est disgregatiua visus, quatenus hoc arguitur ex speciali ratione albedinis, hinc tamen deduci non debet, quia talis proximitas possit ad alia per se pertinere pro speciali conditione rerum, nam causa libera v.gr. per hoc essentialiter distinguitur à naturali, quod hæc applicata ad passum, & positis omnibus necessariò prærequisitis ad agendum, necessariò agit, illa verò minimè, sed illis adhuc positis potest operari, & non operari, vt libet, vndè illa proximitas, & applicatio prærequisitorum ad agendum essentialiter spectat ad discrimen vtriusq; causæ, deficientibus siquidem necessariò prærequisitis ad agendum causa etiam libera necessariò non operatur, sicut & naturalis; sic igitur in proposito vniuersale ex sua intrinseca ratione, & constitutione petit talem prædicabilitatem proximam. Neque etiam valet instantia, quam affert de prædicabilitate proxima sentiæ diuinæ de tribus diuinis personis, falsum siquidem est hanc proximam prædicationem pendere ex apprehensione diuinæ naturæ in tribus, sicut pendet prædicatio proxima vniuersalis ex apprehensione eius in pluribus; nam diuina natura à parte rei vna, & eadem numero existit in illis tribus, nec intellectus per suam apprehensionẽ ideò eam facit vnam in tribus, vndè proximè à parte rei est prædicabilis de illis tribus nec intellectus per suam operationem dicitur illi appingere talem proximitatem, adhuc tamen non prædicatur per modum vniuersalis, quia non est in illis tribus cum sui diuisione, & multiplicatione; secus est in creatis, vbi cum nulla natura sit vna, & eadem per inexistentiam in pluribus, sed tantùm per indifferentiam, nequit eam intellectus prædicari proximè de illis pluribus, nisi illam consideret, vt vnam & eandem per inexistentiam in illis multis aut actualiter, aut saltim possibiliter.

210 Quidam alij Scotistæ negant communitatem naturæ vniuersalis in actu talem esse debere, vt sit, vel saltim esse possit vna, & eadem per inexistentiam in pluribus simul, quia id omninò repugnat etiam per opus intellectus, nam tunc intellectus rem aliter intelligeret, quam esset, & res simul haberet aptitudinem cum repugnantia ad esse in pluribus, & aiunt falsum esse, quod Doctor id vnquam asseruerit. Cæterum id quoq; non obscurè significauit Doctor loc. cit. lit. H. dum ait, quod licèt habeat natura à parte rei aliquam communitatem, & indifferentiam, vt sit in pluribus, per hanc tamen non constituitur talem, vt sit proximè de pluribus prædicabilis prædicatione dicente, hoc est hoc, quia licèt alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularitate ab illa in qua est, non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori, quod quodlibet sit ipsum, hoc enim solùm possibile est de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu; alia ergo est indifferentia, quam habet natura à parte rei, alia quam habet per intellectum, & hæc vtiq; est maior illa, quæ maioritas præsertim consistit in hoc, quod natura in intellectu sit apta esse in pluribus simul, & coniunctim; quod enim possit esse in pluribus disiunctim, id etiam competit illi à parte rei, si secundum suam formalem rationem consideretur, & secundum suam vnitatem formalem, quam habet à parte rei minorem vnitate numerali; ergo maiorem habet indifferentiam in intellectu, quam à parte rei, quia per opus intellectus secundum vnitatem vniuersalitatis potest esse vna in pluribus simul, & coniunctim. Confi. quia de ratione vniuersalis est, vt sit dicibile de pluribus predicatione dicente hoc est hoc, non solum disiunctim, & successiuè, sed etiam simul, & coniunctim iuxtà illud Porphirij *participatione speciei plures homines sunt vnus homo* idque etiam notauit rursus Doctor 4.d.43. qu.2. lit. F. his verbis *adhuc vniuersale cognoscitur sub tanta indifferentia, sub quanta ipsum sit cognitum est simul dicibile, est autem simul dicibile de omnibus singularibus, in quibus saluatur*, ergo sic etiam debet esse posse per intellectum in pluribus, quia in vniuersali *esse in*, & *dici de* adæquatè cõmensuratur, nec vnum patet latius alio; ex quo fit posteà, vt quando concipitur natura vniuersalis actu in suis inferioribus, concipiatur in eis vna per inexistentiam, quamuis enim talis vnitas repugnet natura, vt existit à parte rei in singularibus, non tamen ei repugnat, vt concipitur in eis per intellectum per modum vniuersalis.

211 Neque ex hoc sequitur, vt vrgebant illi Scotistæ, quod intellectus rem conciperet aliter, quam sit, intantum vt falleretur, & quod natura simul haberet aptitudinem, & repugnantiam ad esse in pluribus, id enim solùm sequeretur, si poneremus naturam de se hanc, & posteà conciperemus eam sub ratione vniuersalis, tunc enim vtique conciperetur sub ratione opposita suæ rationi, & sic intellectus falleretur, quia intelligeretur sub ratione vniuersalis, cum tamen secundum se esset hęc, & singularis, vt docet Doctor 2.d.3. q.1. §. *Sed contrà istud* & q.7. lit. H. eo modo quo loquuntur Thomistæ de naturis angelicis; in proposito autem argumentum contra nos non militat, quia non ponimus naturam de se hanc, sed de se cõmunem, & indifferentem negatiuè. Tum quia alioquin etiam dicere possemus intellectum falli, cum præscindendo naturam à differentijs ipsam cogitat esse communem, & indifferentem positiuè, ac proximè aptam ad essendum in multis, quia ita non se habet natura à parte rei; ne ergo dicatur intellectus falli in conceptione vniuersalis sufficit, vt præcedat in re cõmunitas, & indifferentia naturæ negatiua, & remota. Et denique nullam repugnantiam in hoc video, quod natura habeat aptitudinem proximam per intellectum ad essendum in multis etiam coniunctim, & illam non habeat à parte rei, imò potius repugnantiam, quia in hoc sensu aptitudo, & repugnantia ad esse in pluribus non contradicunt, cum non sint eiusdem ordinis, nam repugnantia est realis, & aptitudo rationis; aliæ difficultates contrà hanc doctrinam solutè sunt disp. 4. Log. q. 2. & seq. vbi ex professo agitur de hac re.

Contrà communitatem vniuersalis, quod non sit rationis, sed realis, possunt obijci argumenta, quibus probari solet dari actu vniuersale à parte rei, quæ iam soluta sunt disp. 4. Log. qu. 1. art. 1. & re vera quæ magis vrgent, probant solam communitatem negatiuam à parte rei iam declaratam q. 1. & 3. arguitur etiam, quod vniuersale cadat sub sensu, nam sepè apprehenditur res distans sine cognitione differentiæ contrahentis, vt cum videtur aliquod esse animal, & non cognoscitur cuius speciei, vel esse hominem, nec scitur quale indiuiduum. Cæterum ait Doctor 4. dist. 8. quæst. 2. O. quod cum à remotis prius videtur corpus, quam animal, & animal quam homo, non est intelligendum de vniuersali, quia visus non videt vniuersale, sed de singulari vniuersalioris; itaque in eo casu videtur aliquod singulare, sed indeterminatè, seu vage, nam constat videri animal, vel hominem ambulantem cum differentia loci, & temporis.

ARTICVLVS III.

De Vnitate Vniuersalis.

212 CIrca vnitatem vniuersalis maior est difficultas, quàm circa communitatem, nam nonnulli etiam ex Auctoribus vniuersale in actu à parte rei negantibus, quamuis vltrò admittant eius communitatem non esse nisi rationis, vt art. præced. dictum est, adhuc tamen volunt eius vnitatem esse realem, & non habere esse rationis, nisi prout substat communitati, ita Blancus disp. 2. Log. sect. 5. & 7. vbi ait vnitatem, quam habet natura vniuersalis esse vnitatem realem, communitatem verò esse communitatem rationis, vnitatẽq; illam prout stat sub communitate solummodò habere esse per intellectum, licèt vnitas secundum se sit à parte rei, atq; adeò naturam non esse vniuersam à parte rei non ob defectum vnitatis, sed ob defectum communitatis ad plura, vndè non existimat vnitatem quam habet natura abstracta, & relata ad multa esse vnitatem rationis, vnitatem verò, quam habet à parte rei esse vnitatem realem, vt passim dicitur, sed putat eandem vnitatem, quam habet natura à parte rei, habere per intellectum, solùm variatis accidentibus; cõmunitas enim ad plura, & singularitas sunt accidentia illius vnitatis, atq; ita à parte rei stare vnitatem illam sub singularitate, at verò in intellectu ipsã concipiente in ordine ad multa stare sub cõmunitate. Poncius verò disp. 3. Log. q. 2. tenet & ipse concl. 1. naturã non recipere vllam vnitatem ab intellectu, quæ sufficiat pro vniuersalitate, aut secundum quã natura verè possit prædicari de multis; & posteà concl. 4. inquit naturã, quæ denominatur vniuersalis, v.g. naturam Pauli non habere aliam vnitatem à parte rei cum natura, quæ est in Petro; quam vnitatem similitudinis, & conformitatis, & addit aliam vnitatem non requiri, ad hoc, vt sit formaliter vna illa vnitate, quæ requiritur ad hoc, vt sit formaliter vniuersalis. Pasqualig. etiam disp. 19. sec. 9. tenet vnitatem vniuersalem non esse rationis, sed realem, & vult esse ipsam formalem, quæ adæquatè correspondet naturæ in omnibus indiuiduis.

213 Alij volunt non vnitatem formalem, sed vnitatem præcisionis declaratam q. præced. constituere formaliter vniuersale, & hanc vniuersaliter docent quicunque tenent vniuersale in actu fieri per actum abstractiuum intellectus naturæ ab inferioribus, immo, & aliqui, qui docent fieri per actum collatiuum, quatenus natura facta vna per abstractionẽ, & à conditionibus indiuiduantibus denudata, posteà per actum collatiuum cogitatur pluribus inesse cum tali vnitate, vel saltim sic apta ad inessendum, adeout vnitatem habeat ab actu abstractiuo, cõmunitatem ab actu collatiuo, de quarum diuersitate opinionum egimus disp. 4. Log. q. 3. ita Amicus tract. 4. Log. q. 4. dub. 1. artic. 3. Auersa q. 8. sect. 8. & ex nostris Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 3. q. 5. concl. 1. & 2. vbi id magis declarando inquit vnitatem vniuersalem nondum esse completam, & actualem, nisi postquam intellectus comparauit naturam communem cum suis inferioribus, quatenus nimirum sic illam conferendo, apprehendit eam secundum illam vnitatem, seu vnicam rationem, quam habet, posse esse in multis, & de multis prædicari; itaut licèt in ipsa præcisione, & abstractione intelligi possit vnitas, nondum tamen intelligitur, vt vnitas vniuersalis,

quia nondum concipitur respectus ad multa, ratione cuius vnitatis illa fit vniuersalis, & completur perfectè in ratione vnitatis vniuersalis. Suarez disp.6.Met. sect.2. fatetur & ipse vnitatem vniuersalem non esse realem, sed rationis, & ad eam magis declarandam ait n.11. esse vnitatem quandam à formali, & numerali distinctam habentem proprium nomen, propriamque rationem, dicitur enim hæc vnitas vniuersalis, eiusque ratio consistere in indiuisione alicuius naturę in plures naturas similes sub eodem nomine, & ratione cum aptitudine, vt in eas diuidatur, qua de causa inquit non esse vnitatem realem, sed rationis, quia talis indiuisio non competit naturę in statu realis existentię, vbi per varias indiuiduales differentias diuisa manet, sed solùm in statu pręcisionis obiectiuæ, & vt subsitat conceptui mentis, hoc enim modo omnes homines in ratione speciei dicuntur vnus homo; vndè & ipse consentire videtur, quod vnitas vniuersalis sit ipsa vnitas prę-cisionis obiectiuę.

214 Dico Primò. Vnitatem vniuersalem in actu non esse vnitatem realem, sed rationis, & per operationem intellectus cum fundamento tamen in re. Colligitur ex Sco. loc.cit. lit.H. & ponitur in terminis à Tromb.7.Met.q.8.art.2.concl.3. & est communis ferè in omni Schola, quam docent D.Thom.de ente, & essentia cap.4. vbi Caiet. & Ripa, Compl.disp.3.Log.qu.3.Sot.q.2.vniuers.Tolet.ib.q.2. & 3. Conimb. q.3.Masius q.2.de vniuers.qu.3.Suar.Amic.Auers.cit. Alensis noster 5. Met.10. & lib.7. tex.52. ac etiam omnes ferè Arist.Interpretes, dum explicant eius dictum 1.Post.tex.149. quod vniuersale posterius est singularibus, quatenus ab eis abstrahitur per intellectum, ac etiam 5. Met.tex.11. & lib.10. tex.1. dum inter varios vnitatis modos recenset vnum ratione, & intelligentia, vnitatem huiusmodi tribuens vniuersali, & est expressè D.Damasc.lib.1.Fidei, cap.11. vbi ait naturas duorum singularium in creatis sola ratione vnam esse, quem refert Doctor loc.cit. Probatur, quia vnitas ad vniuersalitatem naturę requisita, debet ei in aliquo statu conuenire, nempe in eo statu, in quo ipsa natura est vniuersalis; sed duplex est status existentię naturę, scilicet realis, & obiectiuę, & duplex rursus est vnitas realis ex dictis, scilicet numeralis, vel formalis, quia omnis diuisio aut formalis est, aut materialis; cum ergo vnitas vniuersalis non ei competat in statu existentię realis, quia natura non est vniuersalis à parte rei formaliter, & in actu, competet ei tantùm in statu existentię obiectiuæ, cumque talis vnitas nequeat esse numerica, vel formalis, sequitur non esse vnitatem realem, sed rationis, quæ propriè sit proportionata statui existentiæ obiectiuę. Quod vnitas vniuersalis nequeat esse vnitas numeralis exploratum est de se satis, quia vnitas numerica est propria rerum singularium, & est incompatibilis omninò cum numerali multitudine tum actu, tum aptitudine, quia facit rem omninò indiuisibilem in inferiora. Et quamuis Doctor naturæ vniuersali in statu sub lit. H. quandam videatur tribuere numeralem vnitatem, certum tamen est ibi non loqui de vnitate numerali reali, sed obiectiua, seu in ratione obiecti intellecti, quatenus sicut conceptus formalis naturæ humanæ v.g. est vnus numero, ita obiectum eius in ratione obiecti vnum numero dici potest per denominationem extrinsecam à conceptu mentis, quia natura humana, vt sic, cum tota sua communitate est vnum de numero intelligibilium, vt eruditissimè ibi Lichet. exponit.

215 Quod verò vnitas vniuersalis non sit ipsa vnitas formalis naturæ minor vnitate numerali probatur; quia licèt hęc formalis vnitas vtique requiratur, vt pręcisum vniuersalitatis actualis fundamentum, non tamen sufficit ad illud formaliter constituendum, sed exigitur aliqua vnitas maior; probat hoc Suarez disp.6.cit.sect.2.n.10. tribus rationibus. Prima est, quia vnitas vniuersalis nequit vllo pacto conuenire, & communicari singularibus, benè tamen vnitas formalis; nam Petrus nedum dicitur indiuidualiter, sed etiam formaliter vnus homo, non tamen vnus vniuersaliter, ergo vnitas formalis non est vniuersalis. Sed hanc rationem facilè euaderet Blanc. dicendo vnitatem formalem benè communicari indiuiduis sub ratione vnitatis, vt sic, sed non vt subsitat communitati rationis quemadmodum, & nos suprà diximus non eis communicari, vt est aliquo modo communis à parte rei. Secunda est, quia vnitas formalis multiplicatur in inferioribus, vt dictum est q.7.art.1. concl.3. sed vnitas vniuersalis non potest multiplicari in inferioribus, quia sic tot essent genera, quot species, & tot species quot indiuidua, quod est absurdum. Sed hæc quoque ratio quamuis eam vtcumque admiserim disp.4.Log.q.2.ar.1. eandem ferre potest solutionem, quam suprà adhibui n.130. cum fieret contrà multiplicitatem vnitatis formalis in indiuiduis. Tertia ratio, quam affert, coincidit cum prima, & sic eandem potest admittere solutionem. Potest itaque probari melius ex nostris principijs Scoticis, quæ iecimus in superioribus; natura, vt sit vniuersalis in actu, non sufficit quod sit indeterminata negatiuè, sed etiam positiuè, & contrariè, quia vniuersale opponitur singulari non negatiuè tantùm, vel priuatiuè, sed contrariè, vndè isti status in natura oppositas exigunt conditiones, singulare dicit vnitatem, cui positiuè multiplicatio repugnat, vniuersale verò dicit vnitatem, cui positiuè conuenit aptitudo essendi in multis; hac stante maiori, subinfero minorem, sed sic est quod natura, vt stat sub vnitate formali non est indeterminata positiuè, & contrariè, sed tantùm negatiuè licèt ex vi vnitatis formalis non habeat determinationem, habet tamen illam ab extrinseco ex coniunctione cum differentia indiuiduali à parte rei, ergo vnitas formalis non est vnitas vniuersalis, nec apta est ad constituendum vniuersale in actu. Conf. quia vnitas formalis est compossibilis cum singulari in eadem natura, vt patet de humanitate Petri, quę simul & semel est vna formaliter, & singulariter, sed non potest eadem natura esse simul singularis, & vniuersalis in actu, quia hæc vniuersalitas omnem prorsus determinationem excludit tam intrinsecè, quam extrinsecè, alioquin in multis proximè esse non posset, vt exigit vniuersale in actu, ergo &c.

216 Et per hanc doctrinam reijcitur responsio, quam Blanc.cit.nu.162. significabat, nempe naturam eandem vnitatem realem, quam habet à parte rei, habere quoque per intellectum solùm variatis accidentibus, quia communitas ad plura, & singularitas sunt accidentia illius vnitatis, atque ita à parte rei potest illa vnitas reperiri cum singularitate, & in intellectu cum communitate. Reijcitur, inquam, quia hæc responsio saluat tantùm quod sicut eadem natura potest ab extrinseco suscipere modò vniuersalitatem ab intellectu, modò singularitatem à differentia, quia vterque status sibi accidit, ita & vnitas quæ ponitur eius propria passio; & sic saluat quod vnitas formalis esse potest fundamentum vnitatis vniuersalis, at non saluat quod sit formaliter ipsa vniuersalis vnitas, & quod formaliter ipsum vniuersale constituat, quia vnitas formalis, vt sic, potest stare cum singularitate coniuncta, nequaquam tamen vnitas vniuersalis. Dices coniunctionem singularitatis non repugnare vnitati vniuersali, vt vnitas formalis est, sed quatenus in intellectu habet vniuersalitatem adiunctam, nam vtrobique est vna, & eadem realis vnitas solis accidentibus variatis. Contrà, probo id ipsi repugnare etiam ex ratione ipsius vnitatis, quæ dicitur vniuersalis, nam vnitas formalis minor numerali, quæ conuenit naturæ à parte rei est diuisa à parte rei in singulis inferioribus, & in singulis multiplicata, ideoque dicitur vnitas formalis per indifferentiam, vnitas autem formalis (si eam sic appellare placet, quatenus est minor numerali, & ipsa quoque dicit indiuisionem essentialem) quæ competit naturæ in intellectu, cum est facta vniuersalis, non est diuisa, & multiplicata in singulis indiuiduis, sed vna, & eadem concipitur indiuisa in omnibus, quia in ratione speciei omnes homines dicuntur vnus homo, & ideò dicitur vnitas formalis naturæ per inexistentiam; ergo vnitates istæ formales inter se distinguuntur etiam *in ratione* vnitatis, & vna vnitas est maior alia, nimirum vnitas formalis conueniens naturæ per intellectum est maior vnitate formali conuenienti naturæ extrà intellectum à parte rei; & ratio est, quia vnitas formalis quam habet à parte rei, est vnitas per indifferentiam, quæ non stat cum multitudine numerali actuali, quia multiplicatur in indiuiduis secundum propriam cuiusque naturam; vnitas verò formalis, quam habet per intellectum, quando vniuersalizatur, est per inexistentiam, itaquod eius vnitas stat cum multitudine numerali indiuiduorum, eo quia vna in omnibus, & singulis per inexistentiam concipitur.

Conf. adhuc solutio, & probatur conclusio, nam vniuersale in actu est quid per se vnum in suo ordine, & habet conceptum per se vnum, qui vt & ipse Blanc. fatetur adæquatè integratur ex vnitate, & communitate, ergo vnitas, quæ ipsum essentialiter cum communitate constituit, nequit esse vnitas realis, sed rationis sicut est ipsam communitas, probatur consequentia, quia sicut ex rebus diuersorum prædicamentorum vnum per se non coalescit, tanto magis ex omninò diuersis, sicut est ens reale, & ens rationis; sicut ergo ens essentialiter reale non potest per se constitui ex ente rationis, ita è contrà ens rationis, sicut est vniuersale, non potest essentialiter constitui per ens reale, ergo vnitas ipsum constituens est vnitas rationis non realis. Conf. prætereà, quia potest vtique eadem natura esse vna à parte rei in pluribus per indifferentiam, non tamen per inexistentiam, vt dictum est; sed vt fiat natura vniuersalis in actu, & formaliter, concipi debet vna in omnibus per inexistentiam, & non tantum per indifferentiam ex dictis disp.4. Log.q.2. ergo vnitas vniuersalis nequit esse vnitas realis, sed rationis etiam in ratione ipsius vnitatis, quia in creatis à parte rei nequit vna, & eadem entitas in pluribus reperiri.

217 Deindè probatur contra Poncium vnitatem vniuersalis non esse vnitatem similitudinis inter plura indiuidua eiusdem speciei, neq; hanc sufficere ad vnitatem, quam requirit natura vniuersalis, vt sic; nam ipse quoque Suar.loc.cit. n.14. estò non aliam vnitatem naturæ à parte rei inter indiuidua concedat præter vnitatem similitudinis, cui Poncius adhæsit, ingenuè fatetur hanc vnitatem ad rationem vniuersalis nec sufficientem esse, nec necessariam, si enim sermo est de similitudine actuali, plànum est necessariam non esse, quia non est de ratione vniuersalis, vt actu sit in multis; si autem sermo est de similitudine in potentia, licèt hæc sit aliquo pacto necessaria ad abstrahendam naturam ab indiuiduis, & vniuersalitatem fundandam modo explicato n. 198. tamen non est apta ad constituendam formaliter rationem vniuersalis, quia ex vi illius similitudinis præcisè (inquit Suarez) siue in actu, siue in potentia sumptæ, non concipitur aliquid, vt vnum commune multis, sed concipiuntur multa, vt similia inter se, vniuersale autem, vt sic, debet concipi, vt vnum. Tum quia vniuersale, vt vniuersale concipitur vt indiuisum actu, quatenus tale est, & diuisibile, & communicabile aptitudine, res autem prout sunt à parte rei similes in natura, potius sunt actu diuisæ, & aptitudine seu fundamentaliter vnibiles in vna natura vniuersè concepta; ergo ex confessione ipsius Auctoris, quem Poncius sequitur, vnitas similitudinis non sufficit pro essentiali constitutione vniuersalis. Tum quia vnitas vniuersalis debet esse talis, vt secundum eam possit vniuersale proximè prædicari de pluribus prædicatione dicente, hoc est hoc, sed vnitas similitudinis ad hoc non sufficit, quia ex vi illius tantùm dici potest hoc

hoc est simile illi, non autem, hoc est hoc, ergo &c. Resp. Poncius nu. 45. vt aliquid sic prædicetur de pluribus minimè opus esse vt vnum, & idem intrinsecè includatur in illis, sed ait sufficere, quod vel secundum se, vel secundum aliquid sibi simile sit in multis, & de multis prædicabile. Sed hæc responsio iam fuit exposita suprà n. 18. quia apud omnes veritas prædicationis essentialis fundatur in inclusione essentiali, ac identitate reali prædicati cum subiecto; ergo si natura Petri dum à Petro abstrahitur; & de Paulo prædicatur dicendo *Paulus est homo*, non est eadem in ipso, & cum ipso non erit vera prædicatio essentialis, quia non eadem essentialiter humanitas in vtroque reperitur, sed tantùm consimilis. Tum quia illæ prædicationes sunt essentiales, Petrus est homo, Paulus est homo, sed istæ sunt accidentales, Petrus est similis Paulo in humanitate, & è contra, Paulus est similis Petro, quia licèt similitudo sit essentialis, idest in essentialibus, tamen in se est accidens cum sit relatio, & secundum actualem existentiam illis accidit, ergo istæ non sunt prædicationes vniuersalis de inferioribus. Tum quia vniuersale dicitur vnum in multis, & de multis, non autem simile in multis, & ex hoc quod Paulus habeat similem humanitatem cum ea, quæ reperitur in Petro, non ob id propriè diceretur eadem natura prædicabilis esse in vtroque sicut requiritur ad prædicationem vniuersalis.

Præterea, hæc vnitas similitudinis est à parte rei, ergò vnitas vniuersalis est à parte rei, quod est contra communem, & præsertim Doctorem loc. cit. Resp. Poncius hinc tantum probari dari à parte rei vniuersale metaphysicum, & fundamentale, non autem logicum, & formale. Contra, ex vi huius vnitatis similitudinis, quam habet natura à parte rei, potest de pluribus proximè prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc vt ipse concedit in solutione ad argumentum præcedens; ergo ex vi talis vnitatis datur vniuersale nedum fundamentale, sed etiam formale, & actuale à parte rei, quandoquidem ad vniuersale in actu nil aliud præter hoc desideratur. Resp. rursus, vt natura dicatur vniuersalis in actu præter vnitatem vniuersalem vlterius requiri, quod sit abstracta à singularitatibus, quia si consideretur v.g. natura Petri, vt affecta singularitate, videbitur vt distincta à natura Pauli, & consequenter non videbitur, vt indifferens secundum se formaliter ad hoc, vt prædicetur de Paulo. Contra, nam ex hac vltima solutione habeo totum, quod volo, nempe non sufficere vnitatem similitudinis, vt natura Petri possit proximè prædicari de Paulo prædicatione dicente, hoc est hoc, quia cum tali vnitate adhuc stat, vt natura Petri cognoscatur quoque vt distincta à natura Pauli, nam similitudo non tollit distinctionem similium; sed vlterius requiri vnitatem indifferentiæ positiuæ, quæ maximè elucet, cum natura est abstracta à singularitatibus; ergo iam ipse fatetur ad rationem vniuersalis non sufficere vnitatem similitudinis, sed vlterius requiri vnitatem indifferentiæ.

218 Alia pars conclusionis, quod scilicet hæc vnitas vniuersalis sit rationis cum fundamento in re est communis, & probatur à Scoto 2. d. 3. q. 1. & 7. ab initio, quia alioquin vniuersale logicum esset omnino confictum; non enim esset ratio, cur etiam non posset intellectus ad libitum concipere sub ratione vniuersalis & naturam diuinam, & omnia singularia; ratio ergo quæ obstat, ne Petrus possit concipi sub ratione vniuersalis, quia nimirum de se est incommunicabilis, & nequit esse in multis, illa eadem præstat, vt natura humana in Petro possit concipi sub ratione vniuersalis, quia nimirum de se est communicabilis, cum in sua essentia hæcceitatem non includat, & quantum est de se, potest esse in multis. Verum non conueniunt Auctores in assignando hoc fundamento vniuersalis à parte rei, Auersa qu. 8. ait esse vnitatem similitudinis, cum enim intellectus percipiat Petrum, & Paulum conuenire in hoc, quod vterque est homo, format conceptum humanæ naturæ vtrique communem. Hoc tamen non sufficit, quia adhuc quærendum manet, quodnam sit fundamentum talis similitudinis, nam vnitas quæ est fundamentum huius similitudinis, erit quoque verum, & proprium fundamentum vniuersalitatis, præsertim quia hic inquiritur fundamentum remotum, & omnino primum vniuersalitatis. Caiet. de ente, & essentia cap. 4. vbi & Ripa qu. 2. art. 6. aiunt vnitatem naturæ in indiuiduis, quæ est fundamentum similitudinis eorum non importare quid positiuum commune ipsis, sed solam negationem diuisionis formalis vnius ab alio, quæ etiam non est communis omnibus, sed in singulis multiplicata. Sed hoc impugnatum est supra numer. 167. quia cum talis similitudo sit realis, & positiua, etiam fundamentum eius esse debet reale, & positiuum, & alias huius dicti impugnationes vide ibi. Suarez cit. ait fundamentum vniuersalitatis esse vnitates formales indiuiduas, quatenus sunt inter se similes, quia à parte rei non datur vnitas formalis præcisa, sed in singulis indiuiduis est contracta, ergo vniuersalitas aliud fundamentum à parte rei habere nequit, nisi vnitates formales contractas, & sic etiam discurrit Hurtad. At neque hoc benè dicitur, quia vnitas formalis contracta, & indiuidua est singularis, sicut ipsa natura singularizata, sicut ergo naturæ singulari repugnat esse in pluribus, sic & vnitati formali contractæ, vt sic, repugnat esse fundamentum aptitudinis ad essendum in multis, quam vniuersalitas importat, quia per singularitatem fit incommunicabilis multis, & vnum oppositum nequit esse fundamentum alterius oppositi. Ruuius proinde inquit fundamentum vniuersalitatis esse vtique vnitatem formalem, quam habet natura à parte rei, non tamen quatenus contractam, sed secundum se præcisè consideratam, quatenus facit naturam in se formaliter vnam, nam si consideretur non consideratis indiuidualibus conditionibus, per quas fit incommunicabilis, nullam habet repugnantiam vt pluribus communicetur, vnde ratione talis vnitatis formalis sic abstractæ dicetur formaliter apta ad existendum in multis, & sic erit proportionatum fundamentum vniuersalitatis. At neque hoc placet, quia hic quæritur fundamentum vniuersalitatis à parte rei, natura vero sic abstracta à singularibus non datur à parte rei, sed tantum per intellectum; tum quia hæc vnitas, quæ ponit naturam in tali statu solitudinis, non est vnitas formalis, sed vnitas præcisionis, quæ est fundamentum proximum non remotum, & omnino remotum, quale hic quæritur. Tum quia secundum istos Auctores, & præsertim Suarez beneficio vnitatis formalis, quam habet natura à parte rei non valet dicere hoc indiuiduum esse vnum formaliter cum illo, sed tantum esse vnum formaliter, & indiuisum in se; ergo vnitas formalis secundum ipsos nequit poni fundamentum vniuersalitatis, quia hæc vnitas à parte rei talis esse debet, vt aliquo modo à parte rei verum sit dicere saltim inchoatè hoc esse vnum cum illo, vel saltim non esse essentialiter diuersum ab illo.

Igitur fundamentum remotum vnitatis vniuersalis est vnitas formalis, quam habet natura à parte rei, & est minor vnitate numerali, merito cuius natura dicitur à parte rei communis per indifferentiam, quatenus quantum est ex sua ratione formali non magis addicta est ad constituendum hoc indiuiduum in tali specie, quam aliud, & ratione talis indifferentiæ distinguitur ex natura rei formaliter ab hæcceitate, per quam est contracta in statu existentiæ; Et quia super talem vnitatem fundatur similitudo, & essentialis conuenientia indiuiduorum, & ex natura sic vna promanant communes proprietates totius speciei, hinc intellectus videns talem similitudinem ex naturâ rei repertam inter indiuidua, & indiuidua à parte rei habere communes proprietates identitatem essentiæ arguentes, concipit essentiam non conceptis differentijs contrahentibus, atque adeò concipit illam essentiam carentem, & diuisione essentiali, & diuisione numerali, & quia quamuis à parte rei sit singularis, tamen illam non habet singularitatem ex suis principijs intrinsecis, sed ab extrinseco, ideò intellectus separat eam ab hæcceitate modo quodam intentionali, eamque concipit amoto impedimento differentiæ, vt positiuè pluribus communicabilem, & sic facit eam vniuersalem cum fundamento in re.

219 Dico 2. vnitatem vniuersalem non esse ipsam vnitatem præcisionis, etiamsi hæc ponatur esse rationis. Conclusio est contra Auctores secundæ sententiæ, & videtur contra communem, consonat tamen ijs, quæ diximus de vnitate vniuersali disp. 4. log. qu. 2. & quæ docet Doctor 7. Met. quæst. 18. §. *circa huius quæstionis*, vbi ait vniuersale sumi posse tripliciter, primò pro intentione secunda, quæ est quædam relatio rationis in prædicabili ad inferiora de quibus prædicatur, & hunc respectum significat hoc nomen vniuersale in concreto, sicut vniuersalitas in abstracto; alio modo accipitur vniuersale pro illo, quod denominatur ab illa intentione, quod est aliqua res primæ intentionis, nam secundæ intentiones applicantur primis, & sic accipi potest dupliciter; vno modo pro illo, quod quasi vt subiectum remotum denominatur ista intentione; alio modo pro subiecto propinquo; primo modo dicitur natura absolutè sumpta vniuersale, quia non est de se hæc, & ita non repugnat sibi ex se dici de multis; & hoc modo non est vniuersale completum, quia licèt habeat indeterminationem priuatiuè, vel contradictoriè, non tamen habet indeterminationem positiuam, & contrariam, vt requiritur ad vniuersale; secundo modo dicitur naturam vniuersalis, quando habet actu indeterminationem contrariè, & est quando natura est vnum numero intelligibile, & dicibile de omni supposito; & subdit Doctor, quod neque hoc modo est vniuersale omnino completum, nam indeterminatio contraria, qua homo est sic indeterminatum, vt vnica intellectione conceptum quidditatiuè insit omni, præcedit naturaliter illam intentionem secundam, quæ est vniuersalitas logica, siue habitudo de multis; ita Doct. loc. cit. ex quo primo sic argumentor, vnitas præcisionis habetur ante illam relationem naturæ, vt prædicabilis ad inferiora, primo enim consideratur vt abstrahibilis, vel abstracta à singularibus, & postmodum vt prædicabilis de illis, in quo præcisè statu ait Doctor esse vniuersale completum, & in actu; ergo vnitas præcisionis non est ipsa vnitas vniuersalis, sed potius proximum eius fundamentum.

Secundò arguitur ex eadem doctrina, vnitas constitutiua vniuersalis in actu non est illa, qua natura est in se vna, sed per quam est vna respectu aliorum, seu per quam est vna in multis, vt constat ex definitione ipsius vniuersalis, sed vnitas præcisionis constituit naturam in se præcisè vnam, non autem in ordine ad multa; Per quam rationem præcluditur tacita responsio Meurisse cit. n. 213. vnitatem præcisionis non esse completam, & actualem, nisi postquam intellectus comparat naturam cum inferioribus, nam ratione huius comparationis completur vnitas præcisionis in ratione vnitatis vniuersalis; Præcluditur, inquam, hæc solutio, quia ex prædicta ratione conuincitur vnitatem præcisionis, & vnitatem vniuersalem non solum inter se differre ratione vniuersalitatis additæ, vel non, sed etiam ratione ipsarum vnitatum, quæ in se sunt alterius rationis, nam vnitas præcisionis est vnitas absoluta, qua natura dicitur vna in seipsa, sed vnitas vniuersalis est essentialiter vnitas relatiua, sicut similitudo, simile, & æquale habent vnitatem, non per quam ad se, vel in se sunt vnum, sed per quam sunt ad alterum.

220 Tertiò vnitas præcisionis ponit repugnantiam in natura, vt sit

in multis, quia ponit eam in statu solitudinis cui repugnat consortium differentiarum contrahentium; sed vnitas vniuersalis è contrà ponit naturam in multis actu, vel saltim aptitudine, & tollit statum solitudinis, ergo vnitas præcisionis non est formaliter vnitas vniuersalis, nec ad vniuersalitatem sufficiens. Conf. quia cum natura abstracta à singularibus poltmodum per actum collatiuum simplicem conferrur cum inferioribus, vt dicatur esse in ipsis, & de ipsis per modum superioris, & vniuersalis, amittit vnitatem præcisionis, & solitudinis, quam per actum abstractiuum anteà acquisierat, & adhuc remanet vniuersaliter vna, ergo vnitas vniuersalis non est ipsa vnitas præcisionis. Respondent cum vnitate præcisionis repugnare actum essendi in multis, non verò aptitudinem, quia non implicat naturam esse præcisam à pluribus, & simul aptitudinem retinere ad essendum in illis pluribus; & argumentum nos quoq; tangere, quia etiam si nolimus vnitatem præcisionis esse vnitatem vniuersalem, admittimus tamen esse saltim eius proximum fundamentum, ergo saltim per modum fundamenti, & substrati permanere debet cum ipsa vnitate vniuersali. Contra, quia vnitas vniuersalis non solùm stat cum aptitudine essendi in multis, sed etiam cum ipso actu essendi in multis, non quidem reali, sed per rationem, qui quidem omninò repugnat vnitati præcisionis, ergo hæc vnitas non est illa; antecedens latè probaui disp. 4. log. q. 2. art. 3. & iterum probo, nam *dici de*, supponit, *esse in*, ideò enim hoc prædicatur de illo, quia illi inexistit, vel saltim concipitur inesse, & ita illi connaturatur, vt prædicatio actualis supponat inexistentiam actualem prædicati in subiecto, & aptitudinalis aptitudinalem, cum igitur vniuersale nedum aptitudinaliter, sed etiam actualiter predicetur de multis, opus est quoq; vt præconcipiatur esse in illis nedum aptitudine, sed etiam actu superstire adhuc sua formali vnitate, quæ ei adequatè correspondet in omnibus, ergo vnitas vniuersalis permanet cum actuali communicatione naturæ multis. Tū quia cum natura vniuersalis diuiditur in plura eiusdem nominis, & rationis per intellectum, diuiditur solum secundum esse materiale, & numericum, non verò secundum esse proprium formale, quandoquidem cum tali diuisione adhuc vna, & eadem sibi correspondet formalis vnitas, vt est in omnibus inferioribus adæquatè, & ideò dicitur vnitas per inexistentiam, non autem per simplicem indifferentiam, quo pacto vna dicitur esse à parte rei in pluribus, ergo vnitas vniuersalis nedum stat cum aptitudine essendi in pluribus, sed etiam cum actu saltim per intellectum, quod vnitati præcisionis omnino repugnat, ergo non est eadem vnitas cum illa, sed etiam differunt in ratione vnitatis; Ad illam verò instantiam, quod stante hac doctrina vnitas præcisionis nō posset esse proximum fundamentū vnitatis vniuersalis, quia per actum diuisionis, & cōtractionis etiam per intellectum factæ illa destruitur, respondendum est, sicut Doctor respondet ad illud quod dici solet ex 5. Met. de relationibus secundi modi, quod fundantur per actionem, & passionem, quod tamen difficile videtur, quia relationes permanent, vt paternitas, & filiatio transacta generatione actiua, respondet, inquam, Doctor quol. 13. circa finem, & 4. d. 6. qu. 10. I. & d. 13. qu. 1. V. & quol. 12. C. hoc non debere intelligi in rigore, quasi actio, & passio sint propriè fundamentum illarum relationum, sed itaut sint solum conditiones, siue dispositiones necessario prærequisitæ, fundamentum vero potentia ad actum reducta; sic in proposito vnitas præcisionis dicitur proximum fundamentum vniuersalitatis, quia abstractio est veluti præuia dispositio in natura ad fundandam vniuersalitatem, quia exuenda est singularitas, quam habet natura à parte rei vt possit vniuersalitatem inducere, quod fieri nequit, nisi mediante, & præcisa actione abstractiua intellectus.

221 Dices, si ergo hæc vnitas vniuersalis non est vnitas numeralis, nec formalis, nec præcisionis, quænam, & qualis vnitas erit? Respondeo esse quandam vnitatem ab his distinctam habentem propriū nomen, propriamque rationem, habere tamen magis similitudinem cum vnitate formali, quam cum alijs, vnde cum ens rationis in vniuersum efformetur ab intellectu ad modum entis realis, quod imitatur, ita in proposito vnitas vniuersalis, cum sit rationis, efformatur ab intellectu ad modum vnitatis formalis, suprà quā fundatur, nimirū ad modum vnitatis communicabilis pluribus, & quæ stare possit cum multitudine numerali, & id quod intellectus ex opere suo superaddit negotiando vnitati formali, est, quod vbi vnitas formalis à parte rei est vnitas cōmunis pluribus per indifferentiam, ipse facit communem per inexistentiam, & vbi vnitas formalis à parte rei est multiplicata in individuis ad multiplicationem vnitatis individualis ex dictis nu. 168. intellectus eam concipit vnam, & individuam in omnibus concipiendo vnam naturam adequatè in omnibus; vndè hæc vnitas vniuersalis explicari debet eodem prorsus modo, quo explicabant q. 5. Auctores illi, qui à parte rei agnoscebant in omnibus individuis vnam, & eandem naturam per inexistentiam, non quidem vnam vnitate numerali, cum id repugnet in creatis, sed vnitate formali, & essentiali, quæ est minor vnitate numerali, nec aliud interest inter nos, & illos Auctores, nisi quod eam vnitatem naturę per inexistentiam cēsent esse realem, nos autem dicimus esse rationis, & esse illam, quæ propriè dicitur vnitas vniuersalis; quod si illis licet absq; implicantia talem admittere vnitatem in natura à parte rei, tantò magis licebit nobis absq; vlla repugnantia eam concipere in natura per opus intellectus dum fit vniuersalis. Et potest rursus hęc vnitas naturæ vniuersalis explicari exemplo quasi diuinæ naturæ, nam diuina natura dicitur actu communis positiuè pluribus personis, non potest autem dici vniuersalis, non quia de illis non prædicetur prædicatione dicente, hoc est hoc, sed solum quia est vna numero in illis absq; vlla sui diuisione, contractione, & multiplicatione; quod si esset in illis numeraliter saltim diuisa, nil obstaret quin re vera diceretur cum omni proprietate vniuersalis; vt ergo natura humana v.g. concipiatur cum vnitate, quæ eam reddat vniuersalem in actu, non sufficit eam intelligere vnā formaliter in omnibus per indifferentiam, vt modò est, quia sicut non conciperetur vna, & eadem natura cōmunis inadequatè identificata cum singulis, vt opus est ad vniuersalitatem in actu, & vt proximè possit prædicari de singulis prædicatione dicente, hoc est hoc, sed debet concipi vna in omnibus per inexistentiam, ideſt vna, & eadem entitas naturæ omnibus communicata, & identificata, ita tamen vt eius vnitas non sit numeralis (nam sic se haberet omninò, vt natura diuina, nec esset numeraliter diuisa in individuis) sed sit vnitas quædā minor vnitate numerali, maior tamen vnitate formali, quā habet à parte rei, quia vnitas formalis naturæ à parte rei est multiplicata in individuis, sicut & ipsa natura, sed dum est facta vniuersalis eius vnitas formalis non intelligitur multiplicata, sed vna, & eadē in omnibus, & singulis.

Sed Dices, etiam natura dum intelligitur facta vniuersalis, si intelligitur cum actu essendi in pluribus, intelligitur diuisa, & multiplicata numeraliter extrinsecè per differentias individuales per intellectum adiunctas; sed eodem etiam modo se habet à parte rei, quia eius vnitas formalis realis non multiplicatur in individuis, nisi extrinsecè, & denominatiuè, intrinsecè autem manet vna, & eadem, sicut ipsa natura. Respondetur, quod natura à parte rei etiam aliquo pacto plurificatur intrinsecè, & in ratione naturæ in individuis, vt constat ex dictis quæst. 5. artic. 1. adeout à parte rei tot homines dici debeant, quot sunt individua naturæ humanæ, nec dici possint cum veritate vnus homo, sicut in diuinis tres personę dicuntur vnus Deus; at dum fit vniuersalis per intellectum, & intentionaliter ad individua plura contrahitur, solùm merè extrinsecè multiplicatur, & individualiter, & nullo pacto in ratione naturæ, quo fit vt in tali statu vniuersalitatis plura humana individua dici possint vnus *homo* in ratione naturæ, vt dicebat Porphirius; & hinc est quod vnitas formalis, quam habet natura per intellectum, cum fit vniuersalis, maior est vnitate formali, quam habet à parte rei; fateor rem esse explicatu difficilem, quia hæc vnitas vniuersalis est quædam media vnitas inter vnitatem singularem, quam habet diuina natura in tribus personis, & vnitatem formalem, quam habet natura creata à parte rei in singularibus.

Soluuntur Obiectiones.

222 IN oppositum arguit Primò contra 1. conclusionem Poncius loc. cit. probando vnitatem vniuersalem non esse rationis, sed realem, nam hæc vnitas vniuersalis talis esse debet, vt eius beneficio possit natura de pluribus prædicari cum veritate prædicatione dicente, hoc est hoc; ergo non est quid rationis, & ab intellectu fictum, qui ob vnitatem fictam, quam haberet natura humana in Petro, & Paulo, non potest verè prædicari, neq; verè inesse Petro, & Paulo, non potest verè prędicari, neq; verè inesse Petro, & Paulo per modum vnius. Conf. quia ille conceptus obiectiuus, quem intellectus prędicat, vt vnū, de Petro, & Paulo, vel est verè, & realiter in illis individuis, vel non est; si non est, non poterit de illis prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc, si verò est in illis, ergo natura prædicata non recipit talem vnitatem ab intellectu. Conf. rursus, quia illa ipsa natura, quę consideratur in pluribus, vel est vna in multis à parte *rei*, aut saltim apta esse in pluribus, vel non est sic vna, aut apta; si est vna, & apta à parte rei, ergo nullam accipit vnitatem, aut cōmunitatē ab intellectu; si non est, certum per hoc quod sic intelligatur, nequit esse talis. Conf. demū, quia vel intelligitur, vt est, & sic nisi sit vna, non potest, vt talis intelligi, vel vt non est, & sic prēterquam quod conceptus sit falsus, adhuc natura non propterea fit vna, quod sic intelligeretur, sicut non propterea homo esset equus, quod intelligeretur, vt equus; alia argumēta ad idē congerit ib. Poncius, quæ sunt eiusdem texturæ.

Resp. hunc arguendi modum nedum destruere vniuersalitatem in naturis, sed omnes prorsus distinctiones rationis, ac entia rationis, quæ ab intellectu fieri dicuntur cum fundamento in re, itaq; ad 1. concesso antecedente concedo quoq; consequentiam, vnitatem vniuersalis non esse fictam ab intellectu, quia ficta ab intellectu dicuntur, quæ moliuntur ab ipso fine fundamento in re, vnitas autem vniuersalis fit ab intellectu cum fundamento in re, quod explicatum est n. 218. & ratione talis fundamenti prędicationes vniuersalium de inferioribus dicuntur veræ, & in veritate rei fundatæ, non temerè, & ad libitum machinatæ. Ad 2. cōceptus ille obiectiuus est vnus à parte rei fundamentaliter, & incompletè, non formaliter, & completè, nam complementum vnitatis vniuersalis accipit ab intellectu, seu est vnus à parte rei cōmunis Petro, & Paulo per indifferentiā, & fit vnus ab intellectu per inexistentiam, & licèt non sit sic vnus à parte rei, hęc tamen non debet dici vnitas ficta, quia habet fundamētū in re, & est occasionata ab vnitate reali reperta in natura. Ad 3. respondetur per idem, illa natura est vna à parte rei per indifferentiā, & apta ad esse in pluribus remotè, quo fundamento intellectus nixus tribuit ei vnitatē per inexistentiā, & aptitudinem proximā. Ad vlt. intelligitur natura, vt est à parte rei fundamentaliter, non est vt formaliter, vel vt alij dicere solent, intelligitur vt non est, vel aliter quā sit à parte rei præcisiuè nō vero diuisiuè, & ideò cōceptus nō est falsus, quia nō cōcipitur natura sub ratione

sibi

sibi intrinsecè repugnante à parte rei, quandoquidem vniuersalitas repugnat naturę existenti à parte rei solùm extrinsecè, & ratione adiuncti nempe indiuidualis differentiæ, qua per intellectum separata redditur natura proximè capax vniuersalitatis.

223 Secundò, ad idem arguit Pasqual. disp. 19. cit. sect. 9. quando concipitur natura abstracta ab indiuiduis concipitur vna ex eo, quod se habet, vt indiuisa in suo esse, atque adeò secundum suum esse est vna cum ergo vnitas non sit distincta ab esse vniuscuiusq; quod est vnum, natura quoq; sic abstracta erit vna ex vi sui esse formalis in se indiuisi. Tum 2. vnumquodque est tantùm capax illius vnitatis, quę ad ipsum consequitur, vt propria passio; cum ergo vnitas formalis naturam consequatur, vt propria passio, non erit natura capax alterius vnitatis, & hæc sufficiet ad vniuersalitatem. Tum 3. hæc vnitas formalis, quæ conuenit naturæ à parte rei, nõ est incommunicabilis, quia non est indiuidualis, sed potest stare cum aptitudine ad essendum in multis, cur ergo non sufficiet ad vniuersale? Deniq; natura secũdum suum esse intrinsecum communicatur pluribus, & venit in compositionem cum pluribus indiuiduationibus ad constituenda indiuidua; ergo secundum suum esse teale metaphysicum participare debet rationem vniuersalis.

Resp. Pasqualigum non videri in hac re satis sibi constare, nam hic disp. 19. sect. 9. vniuersalitatem actualem, & completam, quam ipse appellat metaphysicam, vult esse realem, & tamen disp. 18. sect. 3. tenet vniuersale metaphysicum solùm haberi per opus intellectus, nec dari à parte rei nisi vniuersale fundamentaliter, & phyficum; sed quicquid sit de eius sensu. Ad 1. concedo conceptum vnitatis vniuersalis fundari in vnitate formali, quam habet natura à parte rei, & ex vi talis vnitatis realis concipi sic vnam intentionaliter ab intellectu, hinc tamen non probatur vnitatem vniuersalem esse prorsus eandem cum vnitate formali, quam habet natura à parte rei, nec ei aliquid rationis superaddere. Ad 2. verum est assumptum intrinsecè, & essenliter, & sic natura non est intrinsecè capax nisi vnitatis formalis, cui hoc tamen stat, vt intrinsecè, & per accidens sit etiam capax tum vnitatis singularis à parte rei, tum vniuersalis per intellectum, quod & ipse Pasqualig. negare non potest. Ad 3. qui constituunt naturam vniuersalem per solam aptitudinem proximam essendi in multis, & negant vniuersalitatem coexistere cum exercitio talis aptitudinis, scilicet cum actu essendi in multis, facilè respondent vnitatem formalem compositi quidem aptitudinem essendi in multis, sed cum sui diuisione, atquæ est propria vniuersalis logici compatitur illam siue sui diuisione, sed admittendo etiam posse vniuersalitatem consistere cum actu essendi in multis dicendum est vnitatem formalem, quam habet natura à parte rei, esse communicabilem solùm negatiuè, & aptam ad essendum in multis remotè, non autem positiuè, & proximè; sicut est de ratione vniuersalis. Ad vlt. respondetur per idem negando assumptum si intelligatur de actuali, vel aptitudinali, & proxima communicatione, quia à parte rei non est communicabilis pluribus, nisi negatiuè, & remotè, ob impedimentum differentiæ adiunctæ, & solùm per intellectum cum fundamento in re fit communicabilis positiuè, & proximè.

224 Tertiò, arguit Blanc. ad idem, ex eo quod intellectus concipiat naturam humanam v. gr. non consideratis differentijs indiuidualibus Petri, & Pauli, non variatur entitas naturæ, sed eadem quæ est à parte rei concipitur, licèt diuerso modo, quo est à parte rei; ergo neq; variatur eius vnitas formalis, quam à parte rei habebat, sed solum *modo ei superadditur* communitas. Conf. quia vnitas formalis, quam habet natura à parte rei ex se, & secundum se non est incommunicabilis, & vltimò contracta, sed solùm hoc habet à differentia indiuiduali, cum qua realiter est identificata; atque adeo eo ipso, quod ab intellectu absq; differentia indiuiduali concipitur, eadem vnitas, quæ ratione differentiæ indiuidualis erat contracta, redditur absque additione nouæ vnitatis referibilis, & communicabilis pluribus, atq; ita ex vnitate formali reali, & ex communitate rationis constituitur adæquatè vniuersum.

Resp. sicut in statu existentiæ obiectiuè non variatur entitas naturæ realiter, & essentialiter, quia operatio intellectus non immutat realiter obiectum suum, ita neq; vnitas naturæ variatur realiter, & sicut natura variatur intentionaliter, quia concipitur vniuersalis, cum antea non sic conciperetur, ita quoque vnitas & quidem non solùm in ratione magis, vel minus communis, sed etiam in ratione vnitatis, quia ipsa vnitas formalis talem habet diuisionem, & multiplicationem in indiuiduis à parte rei, qualem non habet in intellectu, vt dictum est num. 221. & ideò est maior illa formalis vnitas in intellectu quam à parte rei, & sic variatur intentionaliter etiam in ratione vnitatis. Ad Conf. respondetur per idem, probat enim solum esse eandem vnitate naturæ à parte rei, & per intellectum, fundamentaliter, non formaliter; imò ex ipso argumento deducitur saltim intentionaliter vnitatem illam variari, nam vnitas formalis naturæ est à parte rei in indiuiduis multiplicata in ratione vnitatis, & indiuiduis diuisa, quam diuisionem amittit eo ipso, quod ab eis abstrahitur; cum ergo aliquam acquirat indiuisionem, quam non habebat à parte rei, sequitur vt etiam in ratione vnitatis aliquo pacto varietur, & sit maior per intellectum, quam à parte rei, & sic additur noua vnitas rationis; & denique iam dictum est non posse ex vnitate reali, & communitate rationis adæquatè vniuersum constituir, quia conceptu eius est per se vnus, talis autem conceptus ex ente reali, & rationis coalescere nequit.

225 Quartò, arguunt Suar. Amic. & alij Recentiores contra 2. conclusionem probantes vnitatem vniuersalem esse ipsam vnitatem præcisionis, nam vnitas propria vniuersalis est negatio diuisionis in plura eiusdem nominis, & rationis coniuncta cum aptitudine ad talem diuisionem, nam à negatione diuisionis habet vnitatem simpliciter, quod non præstat vnitas formalis, quæ licèt afficiat vnum essentia, & ratione, tamen absolutè relinquit in re naturam multiplicem; quatenus verò dicit aptitudinem, repugnat hæc vnitas singularibus, quia singularia etiamsi habeant vnitatem, qua non diuiduntur in similia, tamen illa est negatiua, non priuatiua, quia nec dicit diuisionem, at vnitas vniuersalis dicit hanc aptitudinem, & ideò dicitur priuatiua. Conf. quia vnitas propria vniuersalis est, quæ dicit negationem vnitatis numericæ, non solùm negatiuè, sed etiam contrariè, sed hanc non habet, nisi ratione præcisionis, quia per præcisionem separatur natura à singularibus.

Resp. illam Suarez doctrinam iam me reiecisse disp. 4. Log. q. 2. ar. 1. §. *hac doctrina*, vbi ostendo vnitatem vniuersalis nedum cum aptitudine, sed etia cum actu essendi in multis consistere, & ideò essentialiter non dicere indiuisionem in plura eiusdem nominis, & rationis, namque vniuersale diuisum in suas partes subiectiuas retinet suam integritatem, & totalitatem essentialem, secundum quam prædicatur de singulis licèt non totaliter, & adæquatè, & licèt vnitas formalis realis multiplicetur à parte rei simul cum natura in indiuis, tamen vnitas formalis intentionalis concipitur indiuisa in omnibus, sicut concipitur vna natura in singulis per inexistentiam. Ad Conf. vnitas vniuersalis vtiq; excludit statum contractionis à parte rei, quia per talem contractionem amittit natura indifferentiam positiuam & ita fit propria vnius, vt nequeat esse simul natura constitutiua alterius; at non excludit statum contractionis per intellectum, quia per talem contractionem non tollitur eius indifferentia positiua, & aptitudo proxima ad essendum in multis, sed potius talis potentia proxima exercetur, & ponitur in actu secundo, in singulis quidem indiuiduis figillatim sumptis inadæquatè, & in omnibus simul adæquatè; non tollitur inquam, eius indifferentia positiua per contractionem intentionalem, quia sic cogitatur vna natura per inexistentia contrahi ad omnia simul, vndè vt concipitur in Petro, non ita illi appropriatur, vt eadem etiam non sit in Paulo, & vna formaliter in omnibus, quia licèt repugnet à parte rei esse vnam, & eandem entitatem naturæ (etiam loquendo de vnitate minori, quam sit numeralis) in omnibus indiuiduis in creatis, non repugnat tamen concipi sic vnam in omnibus per intellectum, vndè aliud est loqui de statu contractionis à parte rei, aliud de statu contractionis per intellectum; primus vtiq; repugnat vniuersalitati, quia tollit indifferentiam positiuam, non tamen secundus, vt explicatum est loc. cit. in Logica.

226 Dices, vnitas vniuersalis, vt sic, cum sit totum quoddam potestatiuum consistit propriè in indiuisione in plures partes subiectiuas, & facta hac diuisione destruitur talis vnitas, vt etiam nos diximus disp. 5. Met. nu. 112. ergo propriè consistit in vnitate præcisionis, nec vllo pacto conseruari potest in statu contractionis siue realis, siue per intellectum; & parum refert, quod facta contractione intentionali cogitetur adhuc manere vna & eadem natura in omnibus per vnitatem formalem inexistentiæ, quatenus singula indiuidua includunt eadem prædicata essentialia, quia id pertinet ad totalitatem essentialem & actualè, non verò ad potentialee; vniuersaleverò, vt sic, nõ est totũ actuale, sed potentiale. Fateor hãc esse bonã instantiã, & qui vellet in rigore logico loqui, vtiq; argumento cedere deberet, quia vnitas vniuersalis in ratione totius potestatiui re vera cõsistit in indiuisione eius in partes subiectiuas cũ aptitude ad sic diuidi; verũ notandũ est vniuersali duplicẽ habere prædicationẽ de suis inferioribus vnã signatã, aliaexercitã, cũ hac differẽtia, quod in prædicatione signata prædicatur sub ratione totius potestatiui, vt v.g. genus de pluribus speciebus, vel specie differentibus, in exercita verò per modum totius essentialis, & actualis, vt v.g. homo est animal, equus, est animal, non enim ex hoc quod aliquod cõmune cõcipitur per modũ totius potentialis, amittit rationem totius actualis & essentialis, quia adhuc sub tali potestate includit sua prædicata quidditatiua, secundum quæ potest enunciari de inferioribus prædicatione exercita dicente, hoc est hoc; & quia vniuersale in actu à metaphysico præsertim definitur, & consideratur, vt prædicabile de inferioribus prædicatione exercita, dicitur enim esse illud, quod est in potentia proxima ad dici de multis prædicatione dicente, hoc est hoc; ideò in ordine ad talem prædicationem dicimus eius vnitatem vniuersalem melius explicari per vnitatem inexistentiæ, & indiuisionem prædicatorum essentialium, quam per indiuisionem in partes subiectiuas, quæ doctrina in hoc puncto valdè notanda est; & pro maiori intelligentia vnitatis vniuersalis sic à nobis explicatæ recolenda sunt, quæ diximus disp. 4. Log. q. 2. de vniuersali logico, & disp. 5. qu. 3. art. 1. de diuisione generis per differentias, quomodo exerceatur tum in statu realis existentiæ, tum obiectiuæ.

DI-

DISPVTATIO X.

De Indiuiduatione naturæ, seu principio Indiuiduationis.

1 ctum est de natura communi in præcedenti disputatione, nunc in præsenti de eius indiuiduatione agendum est, seu principio indiuiduationis eius, ratione cuius constituitur hæc, singularis, & indiuidua, id est in alias partes subiectiuas indiuisa, ac indiuisibilis, quibus communicari possit per modum naturæ communis, & superioris; vndè in hac disputatione non accipitur singulare, vel indiuiduum logicè, scilicet pro secunda intentione, & quatenus est correlatiuum speciei, vt benè notat Doctor 2.d 3.q.2.§. Contrà ista primò, sic enim indiuiduatio eius consistit in relatione subijcibilitatis ad speciem, quæ est quædam secunda intentio facta per opus intellectus; sed accipitur metaphysicè pro eo, scilicet quod est indiuisibile in partes subiectiuas, hoc est cui formaliter repugnat diuidi in plura, quorum quodlibet sit ipsum. Neque hic quæritur de principio effectiuo, quia hoc est causa efficiens, sed de formali. Neque hic quæritur vt subdit Doctor ibidem, de principio formali indiuiduationis quod dici solet principium formale denominandi, quo nimirum natura formaliter denominatur indiuidua, & indiuiduum ipsum formaliter vnum numero & singulare; sic enim facile esset respondere, ipsam esse formaliter indiuiduam per indiuiduationem, & illud esse vnum numero per suam vnitatem numericam; sed quæritur, quodnam sit fundamentum, & radix talis indiuiduationis, & vnitatis, & quid sit illud, ad quod immediatè consequitur vnitas numeralis. Demum non est hic sermo de indiuiduo vago, & indeterminato, sed determinato, & signato, hoc enim est, quod propriè, & simpliciter dicitur in plures partes subiectiuas indiuisum, & indiuisibile, & simpliciter incommunicabile increatis rebus, de quarum indiuiduatione tantùm præsens instituitur disputatio, ita notauit Doctor 2.d.3.q.4.§. Contrà istam, qui tractat de hac materia fusè prædicta dist. & 7. Met. qu.13. eodem idiomate.

QVÆSTIO I.

An omnis res existens sit singularis, & debeat principium assignari indiuiduationis eius, itaut non sit seipsa singularis.

2 DVas continet partes quæsitum hoc, & quia quoad vtramque difficultatem vacat, vtramque in hac quæstione resoluam. Quoad primam partem nonnulli Thomistæ, & præsertim Caiet. in 3.part. qu.4. art.4. docere videntur, quod estò res omnis materialis, quæ existit, singularis esse debeat, spiritualis tamen natura, & vniuersaliter quæ perfecta est, existit abstracta in sola veluti specifica essentia, & perfectione absq; propria indiuiduali contractione; & hoc quia in his naturis perfectis specifica essentia nedum natura est, sed etiam habens naturam, quod in naturis materialibus verificari non potest. Suar. disp.5. Met.sec.1. cum cæteris omnibus inquit quicquid per se, & immediatè existit, id est in se, & per se, & non alio esse indiuiduum, & singulare, quod addit ad excludendas communes rationes entium, quæ vt sic non possunt immediatè existere, neq; habent actualem entitatem, nisi in entibus singularibus, & indiuiduis, quibus sublatis impossibile est aliquid reale remanere, sicut de primis substantijs dixit Arist. in prædic. cap. de substantia, & est communissima, & receptissima sententia in omni schola etiam apud eos, qui admittunt vniuersale in actu à parte rei, quia hoc non admittunt separatum, sed in singularibus immersum, & existens, atque ita volunt esse singulare, vt quod.

3 Dicendum igitur est quicquid existit à parte rei, ac in rerum natura esse singulare, & indiuiduum. Conclusio est Arist. 1.Met cap.6. & lib.7. tex.26. & 27. vbi contrà Platonem ostendit nihil existere, nisi indiuiduum, & in prædic.cap. cit. de substantia, cum ait destructis prioribus substantijs impossibile esse aliquid aliorum remanere. Probatur inductione, quia Deus est singularissimus, sic etiam quilibet angelus existens, quilibet homo, quilibet lapis &c. quia nec Gabriel v.gr. diuidi potest in plures angelos, nec Petrus in plures homines, nec lapis in plures lapides, vndè quamuis possit lapis diuidi in plures partes similares, sicut & quodlibet aliud totum homogeneum, de quarum qualibet etiam dici possit, hæc est lapis, tamen vt notat Doct. 2.d.3.q.4. G. hæc est diuisio totius integralis in suas partes integrantes, non vniuersalis in singularia, & ideò nullum fructum lapidis erit ille lapis, qui diuisus est, sed pars integralis eius; quicquid existit in rerum natura est singulare, & indiuiduum. Probatur etiam euidenti ratione, omne quod in rerum natura exstat, vel est creatum, vel increatum, seu vel est à se, vel ab alio; si est à se, hic est Deus singularissimus; si est ab alio, planè nequit existere, nisi sit productum, hoc enim est existere in creaturis, quod extrà causas stare, omnis autem productio cum sit singularis, necessariò etiam tendit in rem singularem, ex Arist.1.Met. cap.1. & 7.Met. cap.15. Tum quia quælibet natura creata, vel est de se singularis, vt quidam volunt infrà citandi, vel est de se communis, vt dictum est præced.disp. & fere tenent omnes; sed quodcunque dicatur, habetur propositum, quia licèt naturæ communes dentur in rerum natura, & vniuersalia quæ dicunt in esse odo, nihilominus hæc non dantur separata à singularibus, sed omninò in illis inclusa, & per identitatem saltim realem immersa, vt dictum est præced. disputat. quæst.2. vndè licèt huiusmodi naturæ communes non sint singulares, & indiuiduæ intrinsecè, ideſt per inclusionem singularitatis in sua quidditate, quomodo Deus dicitur esse singularis, sunt tamen singulares extrinsecè nempè per coniunctionem cum singularitate, cum qua identificantur, vt docet Doctor 2.d.3.q.6. E. adeout quicquid est in rerum natura sit singulare vel immediatè, vel mediatè, vel per se, & formaliter, vt inquit dua ipsa, vel identicè, concomitanter, ac denominatiuè, vt naturæ communes indiuiduatæ, & contractæ.

Ex qua etiam ratione deducitur conclusionem hanc nedum de rebus actu existentibus intelligi debere, sed etiam possibilibus, & aliquando futuris; non enim sunt possibiles, & futuræ, nisi per possibilem, vel futuram productionem, & ideò cum productio sit singularis, & ad rem singularem debeat terminari, sequitur nullam rem esse possibilem, & nullam essentiam, nisi in ordine ad singularitatem. Et rursus sequitur conclusionem esse intelligendam, nedum de potentia ordinaria, & iuxtà ordinem naturæ iam constitutum, sed etiam de potentia Dei absoluta, eo quod neque Deus facere potest aliquam naturam communem existere sine singularitate; & ratio est, quia natura communis non distinguitur realiter à singulari, vel singularitate, sed realiter illi identificatur; ergo nec poterit de potentia absoluta separari à singulari, & sine singularitate existere, quia nequit Deus separare quæ sunt realiter identificata, vt apud omnes est in confesso, sed quid moror in re notissima, & à nemine controuersa?

4 Sed obijcies pro Thomistis citatis ab initio quæstionis; quia vnitas indiuidualis intelligitur aliquid addere supra rationem formalem, seu rationem essentialem, ratione cuius ipsa essentialis ratio potest in plura indiuidua diuidi, sed in natura spirituali, vt in angelo, nulla est hæc additio, sed in eo est tota essentia quasi præcisa, & abstracta, ob quam rationem nequit secundum numerum multiplicari, sicut si homo prout abstractè concipitur, sic existeret, non posset multiplicari, ergo &c. Confirmatur quia homo in reipsa existit in Petro, & Paulo, & vt sic non est quid indiuiduum, & singulare; ergo non omnis res existens in vniuerso est indiuidua, & singularis.

Respond. negando minorem quoad omnes partes, tenet enim Doctor naturam communem etiam in Angelis reperiri, quæ quantum est ex se sit indiff. rens indifferentia priuatiua ad plura singularia, ideoque propter differentiam indiuidualem superadditam etiam angelica ipsa natura indiuiduatur; sed quando etiam hæc sententia non admittatur à Thomistis, teneaturque multiplicationem indiuiduorum repugnare tali naturæ, non ob id tamen negandum est ipsos Angelos esse singulares, cum ratio singularis declarata conueniat illis, & ratio naturæ communis repugnet, imò maximè singulares dici deberent, propterea quod seipsis singulares essent, & ex propria ratione, & sicut & essentiam diuinam singularissimam esse dicimus, estò per nullam additionem differentiæ positiuæ indiuidualis singularizetur. Ad Conf. patet ex probatione conclusionis, quod humanitas in Petro, & Paulo licèt non sit singularis intrinsecè, & formaliter per inclusionem singularitatis in sua quidditate, adhuc tamè singularis est extrinsecè per coniunctionem cum singularitate, & identitatem cum indiuiduo, quod cum singularitate constituit.

5 Quoad alteram quæsiti partem, an scilicet quæri debeat, & admittit principium indiuiduationis rerum, refertur vt communis sententia Nominalium, quod ipsi asserant singularitatem nihil esse præter essentiam ipsius naturæ, vt enim natura est ex se formaliter natura, ita ex se est singularis, nec est vniuersalis, & communis nisi per intellectum, vndè infer unt potius quærendum esse quodnam sit principium

cipium communitatis, & vniuersitatis naturæ, quam quod sit principium singularitatis eiusdem; pro qua opinione citantur Adam 1. dist. 13. quæst. 8 art. 1. Ocham 1. dist. 2. quæst. 4. & 6. Gabriel quæst. 6. & 7. Durand. 2. dist. 3. quæst. 2. Aureol. 2 dist 9. quæst. 3. artic. 3. quam etiam sententiam videntur sequi Thomistæ in substantijs spiritualibus, in quibus sicut negant materiam, quam vnicè agnoscunt indiuiduationis causam, & radicem, ita quoque omne indiuiduationis principium Cæterum Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 41. sect. 1. negat hunc fuisse Nominalium sensum, neque enim volunt naturam, vt natura est, esse se ipsa indiuiduam, quemadmodum nonnullis ipsis adscribunt (inquit) imò ferè communiter, sed quod vnaquæque res, quæ est à parte rei sit indiuidua, & quod aliundè non habeat suam indiuiduationem, quam à proprio esse physico, quod participat, ita vt illud esse physicum sit seipso indiuiduum, & non per aliquid superadditum, & hanc esse ait legitimam eorum sententiam, vt vnicuique eos legenti palam fiet.

Sanè si hæc sententia Nominalium in hac re non discrepant à communi, imò neque ab opinione Scotistarum, nam & ipsa concedunt rem quamcunque in hoc sensu indiuiduari seipsa, idest non per aliquid physicè ipsi superadditum, & raliter ab ea distinctum, sed tantùm ex natura rei formaliter, & metaphysicè, vt constat ex dictis disp. præced. q. 2. & 3. arbitror tamen quid amplius voluisse Nominales, vt constat ex disp. præc. q. 1. vbi negant omnimodam communitatem naturæ à parte rei, & sola agnoscunt singularia, & in intellectu solam agnoscunt communitatem conceptus formalis mentis, non autem conceptus obiectiui; sed præsertim Aureolus noster hunc sensum recipere, non potest, nam loc. cit. 2. d. 9. q. 3. art. 3. proponit hanc quæstionem, quodnam sit principium indiuiduationis, & statim ab initio in hæc verba respondet; quod realiter loquendo quæstio nulla est, cum quæritur quid addat indiuiduum ad rationem speciei, quoniam omnis res eo quod est, singularis est, & eo ipso, quod est indifferens, & communis ratio, est concepta; ideò quærere aliquid, per quod res quæ extrà intellectum est, est singularis, nihil est quærere; hoc enim quærere, est, an si res extrà intellectum vniuersalis, & adueniat sibi aliquid, quod faciat eam particularem, quod nihil est, quia omnis res eo ipso, quod est res, non includens conceptum, illa eo ipso est singularis; tunc cum quæritur, per quid res est singularis; tunc cum quæritur per quid res est siggularis, dico quod omnis res est seipsa singularis, & per nihil aliud, sed per illam. Tamen difficultas est, verum addat aliquid in conceptum v. gr. concipio hominem nec concipio hunc hominem quod addat aliquid conceptui, quo contraham hominem ad hunc hominem; hæc Aureolus, ex quibus colligitur adeò in rigore ipsum velle, quod res quælibet seipsa sint singularis, vt nec singularitatem velit esse quid additum supra naturam per intellectum, & ideò sententiam Nominalium illam esse puto, quæ communiter ei tribuitur. Accedit, quod eisdem ferè verbis refert hanc sententiam Scotus ipse 2. d. 3. q. 1. ab initio, §. *Hic dicitur*, pro qua Margo ad marginem refert Adam, Ocham, aliosque Nominales, ergo ambigendum non est hanc fuisse Nominalium opinionem.

6 Dicendum est, quod licèt omnis res creata existens sit singularis, vt dictum est, nulla tamen natura creata est ex se indiuidua, & singularis, idest ex principijs sibi intrinsecis, & ideò meritò quæritur quodnam sit principium indiuiduationis eius. Hæc est communis Realium contrà Nominales, quam ponit Doctor loc. cit. & probat omnibus rationibus, quibus disp. præc. qu. 3. & 4. probata est communitas realis naturæ, eiusq; formalis distinctio ab indiuiduatione, & q. 6. vnitas eius formalis minor vnitate numerali. Verum quia rationes illæ nedum probant distinctionem rationis ratiocinatæ inter naturam, & indiuiduationem, vt communiter ponunt Receptiores, sed etiam distinctionem ex natura rei formalem; tunc præscindendo ab ea distinctione, quia de ipsa iterum infrà redibit sermo, hic solum rationem adducam, quæ tantam distinctionem conuincat, quanta sufficit ad ostendendum contra Nominales nullam naturam creatam esse seipsa, idest ex sua formali ratione singularem, & consequenter quæstionem de vestigatione principij indiuiduationis rerum non esse vanam, & irrationabilem.

Probatur itaq; primò ex indeterminatione, & indifferentia naturæ in sua essentia, quandoquidem licèt secundum se considerata determinata sit ad sua prædicata, & principia essentialia v. g. humanitas ad animalitatem, & rationalitatem, non tamen est determinata ad principia indiuidualia, nam quantum est de se humanitas non est magis natura Petri, quam Ioannis, sed indifferenter ad vtrumq; se habet; cum ergo à parte rei sit natura Petri, vel Ioannis, hoc nequit habere ex sua ratione formali, sed opus est concedere determinatiuum aliquod, quo determinetur, vt sit huius, vel illius; probat consequentiam Doctor 2. d. 3. qu. 5. F. ex paritate generis, quia enim videmus naturam genericam de se indeterminatam ad plures species, tribuimus ei differentiam specificam, per quam determinetur ad vnam potius speciem, quam ad aliam, vt animali rationalitatem, vt ad humanam speciem determinetur, ergo idem de specie dicendum respectu indiuiduorum. Tum quia si in conceptu essentiali naturæ v. gr. humanæ includerentur essentialiter principia indiuiduantia v. gr. Petreitas, & Pauleitas, cum huiusmodi naturæ conceptus sit communis omnibus indiuiduis humanæ naturæ, sequeretur quod de Ioanne, & Francisco nedum prædicaretur essentialiter animal rationale, sed etiam Petreitas, & Pauleitas, & aliæ quæcunque differentiæ indiuiduales humanæ, vndè singula indiuidua seinuicem essentialiter includerent. Probat consequentiam Doctor 2. d. 3. qu. 1. ab initio quia quicquid ineſt alicui ex natura sua, per se ineſt ei in quocunque ponatur, vndè si natura lapidis de se est hæc, in quocunque est lapidis natura, ista natura esset hic lapis; ergo falsum est naturam in sua essentia includere indiuiduationem, & assignari debent indiuiduales differentiæ, quæ non sint de conceptu essentiali naturæ. Tum quia experimur nos habere conceptum essentialem cuiuscunquæ naturæ præscindendo omninò à differentijs indiuidualibus, nam concepta v. g. humanitate, & rationalitate, & præscindendo à Petreitate, & Pauleitate habetur conceptus adæquatus essentialis hominis; ergo quilibet gradus indiuidualis est extrà essentiam naturæ, illique superadditus.

7 Deindè non minus euidenter probatur ex distinctione, & differentia numerica, quæ à parte rei versatur inter indiuidua, videmus enim illa in aliquo conceptu cõuenire, scilicet in conceptu naturæ, & in alio differre puta huius, & illius indiuidui, ergo saltim per intellectum cum aliquo fundamento in re debemus assignare conceptum, in quo conueniunt, & alicui in quo differunt, & hic est conceptus singularitatum, quibus illa indiuidua in suo esse vltimo, & determinato constituuntur, superadditus conceptui naturæ, in quo conueniunt, quorum vnus habet rationem determinabilis, & alter determinatiui. Et quidem immeritò negat id Aureolus loc. cit. dicens hos non esse conceptus subordinatos, quorum vnus includat alium, sed prorsus disparatos, quorum vnus se habeat per modum similitudinis, scilicet specificus, & alter per modum dissimilitudinis. Hoc planè est intelligibile, nisi enim admittere velimus vniuersalia separata Platonis, vt benè vrget Auersa q. 9. sect. 2. euidens est conceptum specificum essentialiter includi in conceptu indiuiduorum, & nequaquam esse disparatum, & extraneum ab eo, & in linea recta prædicamentali videmus vnum alteri subordinari secundum ordinem superioris, & inferioris; tum quia si conceptus specificus, & indiuidualis sunt disparati secundum Aureolum per modum simlitudinis, & dissimilitudinis, iam eo ipso fatetur differentiam indiuidualem non includi in conceptu essentiali naturæ, atque ita natura non erit seipsa, & ex sua ratione formali singularis, & indiuidua; & nota has rationes æquè de naturis materialibus, & spiritualibus vrgere, vt ea pertractanti patebit, nam & Angeli in aliquo conceptu essentiali eis communi conueniunt, & proprijs conceptibus differunt.

Ex his probat Canon. 1. Phys. qu. 6. art. 1. quæstionem motam de principio indiuiduationis esse bonam, & rationabilem, omnis quæstio aliquod verum supponens, & aliquod dubium quærens est bona, & rationabilis, hæc de principio indiuiduationis est huiusmodi, ergo &c. probat maiorem ex 7. Met. vbi dicit Philosophus, quod quærere, quare homo est homo, nihil est quærere, quia nullum dubium quærit, & quærere, quare homo est asinus, nihil est quærere, quia supponit falsum. Probat minorem, cum enim quæro, quid est causa indiuiduationis suppono quod aliqua res sit indiuisa, & hoc est verum, vt patet ex præced. disput. sed vltrà hoc quæro quid sit causa huius indiuiduationis, & hoc est dubium, nam quomodo tot valentes Doctores (inquit Canon.) hoc quæsiuissent, nisi dubitassent? vide Soncin. 7. Met. q. 31. vbi pluribus probat debere assignari principium indiuiduationis in rebus præsertim materialibus, & sequitur Bannes 1. de Gener. & Cor. qu. de principio indiuiduationis ar. 1.

8 In oppositum arguit Aureolus apud Canon. cit. illa quæstio, quæ quærit, per quid res est res, est nulla, sed quærere per quid res est singularis, est quærere per quid res est res, ergo est nulla, nam in eo, quod res est, est singularis, nulla enim res, vt sic, est vniuersalis, quia omne quod est extrà animam ideò est, quia vnum numero est, vt dicit Boetius lib. de Vnitate, & Vno. Confir. omnis quæstio supponens falsum est nulla, hæc est huiusmodi, quia supponit in rerum natura esse aliquod indifferens ad hoc, & illud, quod contrahi indigeat per differentias indiuiduales, quod est falsum, quia omnis res existens à parte rei est determinata.

Respondet Canon. negando minorem, cum probatur, quia omne quod est &c. ait ex Scoto aliquid esse vnum numero, vel singulare dupliciter contingere, vno modo de se intrinsecè, & essentialiter, alio modo extrinsecè, & denominatiuè, & altero ex his duobus modis quicquid est à parte rei est vnum numero, & singulare; indiuiduum primo modo est vnum numero, natura communis ipsum constituens est vna numero secundo modo, nempè per coniunctionem cum singularitate, quam licèt non includat in sua ratione formali, cum ea tamen identificatur realiter, atque ideò identicè, & denominatiuè dicitur singularis, eo ferè modo quo corpus pro altera parte compositi dicitur animatum, non quidem intrinsecè, & essentialiter, sed extrinsecè per coniunctionem cum anima, à qua informatur. Ad Conf. negatur minor, quia re vera datur in singularibus natura ex se, & intrinsecè habens indifferentiam priuatiuam ad omnia, & singula disiunctim, licèt sit extrinsecè determinata per indiuiduationem; & verum est quicquid à parte rei existit debere esse determinatum in sua entitate quoad certa principia essentialia, non tamen quoad indiuidualia, nisi extrinsecè, & per accidens.

9 Secundò, arguit rursus Aureolus dupliciter apud Ragusseium disput. 24. peripat. cap. 3. quamuis hæc argumenta in Aureolo non repe-

reperiam; primum est, Vnitas numeralis est vnitas realis, quod enim est vnum numero est vnum reipsa, & non per intellectum, sed natura per se est vna vnitate reali, ergo est per se vna vnitate numerali; alterum est, eadem sunt principia vnitatis, & indiuiduationis, illud enim est indiuiduum, quod est vnum, sed natura per propriam entitatem est vna, quia per se est ens formaliter loquendo, & vnitas est passio entis, ergo per propriam entitatem est indiuidua, & non per aliquod additum.

Respondet Ragusseius ad 1. quosdam Scotistas negare maiorem, quod vnitas numeralis sit realis, quia vnitas realis est vnitas naturæ, quam responsionem meritò reijcit, quia apud omnes vnitas numeralis est vnitas realis, & nemo affirmare audet id quod est vnum numero, eiusmodi esse per operationem intellectus; quare ipse respondet argumentum nihil concludere, quia procedit ex indefinitis propositionibus in secunda figura. Sed planè nullum vnquam Scotistam vidi, aut audiui negare vnitatem numeralem esse vnitatem realem, vnde credo potius Scotistas illos negasse solam vnitatem numeralem esse realem, quia etiam vnitas formalis naturæ minor numerali est realis, non autem absolutè negasse vnitatem numeralem esse realem, & hæc est vera solutio ad materiam argumenti, in quo etiam est error in forma notatus à Ragusseio. Ad alterum benè respondet maiorem non esse intelligendam de vnitate simpliciter, & absolutè sumpta, sed de vnitate numerali, ita quod sensus sit eadem esse principia vnitatis numeralis, & indiuiduationis; & tunc ad minorem dicendum vtique naturam per suam entitatem esse vnam, non tamen vnitate numerali, sed vnitate formali, quæ est minor numerali, & est propria naturæ.

10 Tertiò, Scot. 2. d. 3. q. 1. ab initio §. *Hic dicitur*, refert fundamentum Nominalium, quod est tale, sicut natura habet ex se verum esse extra animam, non autem habet esse in anima, nisi ab alio, idest ab ipsamet anima, & ratiò est, quia esse verum conuenit ei simpliciter, esse autem in anima est esse eius secundum quid, ita vniuersalitas non conuenit rei, nisi secundum quod habet esse secundum quid, idest in anima, singularitas autem conuenit rei secundum verum esse, & ita ex se, & simpliciter.

Respondet Doctor ibidem in fine quæstionis, quod non ita se habet communitas, & singularitas ad naturam, sicut esse in intellectu, & esse verum extra animam, quia communitas conuenit ex se naturæ, singularitas autem conuenit naturæ per aliquid in re contrahens ipsam, sed vniuersalitas non conuenit naturæ ex se; & ideò concedo, inquit Doctor, quod quærenda est causa vniuersalitatis, non tamen quærenda est causa communitatis alia ab ipsa natura, & posita communitate in ipsa natura secundum propriam entitatem, & vnitatem necessariò oportet quærere causam singularitatis, quæ superaddit aliquid illi naturæ, cuius est.

11 Quartò, Aureolus 2. d. 9. citat. quæst. 3. artic. 1. alia affert argumenta, quibus directè naturam specificam seipsa indiuiduari, & non per aliquod additum puræ naturæ nec re, nec ratione; quia vel id quod additur est essentiale, vel accidentale; si essentiale sequitur speciem diuidi posse per essentiales differentias contra Porphirium cap. de specie, vnde vlterius sequeretur indiuidua essentialiter differre; item speciem non dicere totam essentiam indiuiduorum; si est accidentale, igitur indiuiduum est ens per accidens, & sic species de ipso per se prædicari nequibit, & accidens non aduenit subiecto indiuiduo, sed illud constituet, quod est impossibile.

Resp. quod si per ly *essentiale* intelligatur entitas aliqua quidditatiua, & per ly *accidentale* intelligatur omne id, quod non præfert entitatem quidditatiuam, sic dico quod illud additum supra naturam communem est accidentale, quia vt docet Scot. 2. d. 3. q. 6. littera O, & est doctrina communis aliorum, quod indiuiduum addit supra naturam non est entitas quidditatiua, sed natura ipsa communis est tota quidditas indiuiduorum, & si sic accipiatur accidentale, non sequitur inde, ergo indiuiduum est vnum per accidens, quia entitas quidditatiua naturæ verè contrahibilis, & diuisibilis numero cum entitate non quidditatiua, sed per se contrahente, vnum indiuiduum per se constituere possunt alicuius vnius prædicamenti, de quo species per se prædicetur; si verò ly *essentiale* sumatur pro omni entitate intrinseca alicuius, & ly *accidentale* pro omni entitate extrinseca, sic differentia indiuidualis, quam indiuiduum addit supra naturam, non dicitur accidentalis, sed essentialis, quia vt docet Scotus differentia indiuidualis intrinsecè constituit indiuiduum, nec tamen ob id licet inde inferre, quod natura communis specifica sit contrahibilis per differentias essentiales, quia tunc ly *essentiale* sumitur, quatenus denotat differentiam aliquam essentialem dicentem quidditatem. Sed dices, ideò species dicitur tota indiuiduorum essentia, quia non est vlterius diuisibilis, nam si esset vlterius diuisibilis, & contrahibilis per alias differentias, quæ dicantur indiuiduales, tunc non diceret totam essentiam eorum, sed partem essentiæ, quia differentia indiuidualis esset gradus intrinsecus indiuiduo, & pertinens ad eius entitatem, & conceptum proprium, non minus, quam differentia specifica pertineat ad conceptum speciei; immo etiam talis differentia indiuidualis deberet dici essentialis, quia specifica diuidens genus dicitur essentialis speciei, quia intrat conceptum eius intrinsecum; cum ergo indiuidualis quoque sit de conceptu intrinseco indiuidui, hæc quoque in suo ordine essentialis differentia dici debebit.

Resp. speciem dici totam indiuiduorum essentiam, quia non est vlterius diuisibilis per alias differentias, quę dicantur essentiales, vt enim Doctor ait loco citat. licet gradus indiuidualis spectet ad integritatem entitatis indiuidui, non tamen spectare dicitur ad eius quidditatem; & ratio est, quam assignaui disputat. 4. Log. quæst. 5. quia essentia, & quidditas est illa, per quam respondetur ad quæstionem *quid est*, & ad hanc de indiuiduis motam respondetur per naturam specificam, si enim quæratur, quid est Petrus? respondetur est homo, at per differentiam indiuidualem respondetur solum ad quæstionem *quis est*, nam si queratur quis est ille, respondetur est Petrus; hac ergo de causa species dicit totam essentiam indiuiduj, licet non totam substantiam, & entitatem, & etiam hac de causa differentiæ specificæ dicuntur essentiales, non autem indiuiduales, quia si quæratur quid est Petrus, respondetur esse animal rationale; potest etiam dici ex Scoto quol. 19. art. 2. D. & K. quod species dicitur tota indiuiduorum essentia eo, quia essentia distingui solet à Philosophis contra entitatem hypostaticam, vt entitas communicabilis ab incommunicabili, & sic etiam differentiæ indiuiduales, esto pertineant ad integritatem entitatis indiuidui, non tamen dicuntur essentiales, quia non sunt vlterius communicabiles.

Quintò, arguit ad idem, quia si natura specifica non est seipsa indiuidua, sed per differentias vlteriores superadditas, ergo species specialissima non esset athoma, quia tunc eius ratio esset possibilis respectu differentiarum. Tum etiam quia vt refert Porph. descendentibus nobis per diuisionem à generalissimis ad specialissima iubet Plato quiescere, sed si possibilis esset vlterius diuisio, non esset quiescendum. Deinde illa differentia contrahens speciem esset aliquid communicabile; ergo per eam nequit natura specifica indiuiduari; probat assumptum, tum quia potest Deus duas albedines producere in eodem gradu, tum quia de *ratione* quidditatis est communicabilitas, sed illa differentia haberet verè rationem quid; tum quia differentia Petri esset indiuiduatio, sic etiam & differentia Pauli, ergo conuenirent in conceptu communi indiuiduationis, & tunc quærendum est, an indiuiduatio in communi indiuiduetur seipsa, aut aliquo alio. Demum nunquam aliqua realitas contrahens aliquid potest sibi dare, quod sit hoc aliquid, quia illud contrahens, ex quo inuenit realitatem priorem esse extra intellectum, inuenit eam singularem, & hoc aliquid.

12 Resp. Doctor 2. d. 3. q. 6. §. *ad argumenta*, quod species dicitur athoma, idest indiuisibilis in plures species, non est tamen purè athoma, hoc est simpliciter indiuisibilis; indiuisibilitas enim in plures species compatitur secum diuisibilitatem in plura eiusdem species compatitur secum diuisibilitatem in plura eiusdem species; & ad illud Porphyrii ait quod iubebat Plato quiescere, quia diuisio artificialis statum habet ad speciem specialissimam, quia vlterius procedere, & procedere in infinita, quę sunt ab arte relinquenda; vide Doct. ibi explicantem quoque quandam Boetii auctoritatem, in lib. diuision. non assignantis diuisionem speciei in indiuidua. Ad 2. negatur assumptum, ad 1. probationem negatur tot gradus intentionis in albedine esse differentiam indiuidualem constituentem hanc albedinem, quod etiam si concedatur adhuc non sequitur eundem gradum esse vtrique albedini communicatum, sed tantum illas albedines esse similes in gradibus. Ad 2. negatur differentiam indiuidualem habere rationem quid; cum sit entitas hypostatica, & habeat potius rationem *quis* quàm *quid*; Ad 3. videbitur inferius an ab hæceitatibus in particulari possit abstrahi conceptus indiuiduationis in communi. Ad vlt. posset idem argumentum fieri de differentia specifica, in ordine ad genus probando, quod nullo modo determinet illud, sed inueniat sic determinatum; dico itaque falsum esse, quod differentia indiuidualis inueniat naturam existentem in aliquo priori naturæ, vel temporis, nam in eodem instanti, quo natura singularizatur, existit, & ponitur extra causas.

Demum arguit, quia Aristot. 10. Metaph. 26. circa finem ait, quod vltima diuisio, quæ est per se, & essentialis fit per differentias specificas; ergo non datur vlterior diuisio. Conf. quia nulla diuisio per se potest in infinitum procedere, rationes enim per se, & essentiales non procedunt in infinitum, sed si species diuideretur per indiuiduationes procederetur in infinitum, ergo, &c.

Resp. Trombet. 5. Metaph. quæst. 5. art. 4. Aristot. ibi inquirere, quæ sint vltimæ differentiæ, & essentiales, quæ faciunt specificam contrarietatem, & dicit quod sunt differentiæ specificæ; & si quæ sit vlterior diuisio, illa est quasi per accidens non pertinens aliquo modo ad contrarietatem specificam, vnde non negat fieri diuisionem speciei in indiuidua, cum indiuiduum in linea prædicamentali sit infra speciem, sed tantum vult talem diuisionem esse per accidens, eo modo quo diuidens est extra rationem formalem illius, quod diuidit, neque pertinens ad esse quidditatiuum constituti per tale diuidens, ac etiam eo modo vt diuisio per accidens distinguitur contra diuisionem quidditatiuam, & essentialem in illa, quæ habent ordinem essentialem inter se, qualiter non est in proposito, quia species non diuiditur diuisione quidditatiua hoc est in aliqua constituta in esse quidditatiuo per ipsa diuidentia, neque in aliqua habentia ordinem essentialem, sicut sunt indiuidua

dua ex 5. Metaph. Ad Conf. patet per idem, quod diuisio speciei non est per se in præfato sensu, quia est in indiuidua, inter quæ non est essentialis ordo, de qua diuisione Aristot. non curauit, sed solum de diuidentibus quæ cum diuiso faciunt essentialem prædicationem de his, in quæ diuiduntur, & dicunt causam propter quid respectu passionis scibilis, & demonstrabilis de subiecto, nam ad duo attendebat Aristot. scilicet ad prædicationem essentialem, & ad prædicata essentialia, quæ dicunt propter quid respectu passionis, quia omnia ista ordinabat ad scientiam libr. Posterior. alia quædam argumenta adducit Trombet. quæstione citat. quæ faciunt ad hoc propositum, ab initio quæstionis, & soluit in fine; videantur ibi.

QVÆSTIO II.

Quomodo principium Indiuiduationis sit natura superadditum, & ab ea distinctum.

13 QVicunque ritè volunt disputationem hanc de principio indiuiduationis rerum instituere fatentur ad omnes contra Nominales quæst. preced. citatos hoc principium esse quidpiam præ naturæ superadditum, & aliquo pacto ab ea distinctum re vel ratione; si enim id non concederent, iam Nominalibus manus darent res omnes esse seipsis indiuiduas, & non per aliquid superadditum, verum de modo distinctionis non conueniunt, aliqui enim volunt esse aliquid realiter, & physicè naturæ superadditum, & reipsa ab ea distinctum, ita omnes qui asserunt res indiuiduari per accidentia quædam, quos inferius referemus q.q. sequ. alij volunt esse quidem à parte rei actualiter à natura distinctum, non tamen realiter in rigore, sed tanquam rem à re, sed formaliter, tanquam vnam formalitatem, à realitatem ab alia, ita Doctor loc.citat.cum vniuersa Scotistarum familia, & sequuntur Fonsec.7. Metaph.cap.12. quæst.vn.sect. 11. & seq. Amic.tractat.4.Log.quæst.3.dub.3.Raguss.disp.24.peripat.Piccol. de anim.com.8. Alij verò non admittentes distinctionem formalem ex natura rei dicunt principium indiuiduationis distingui à natura distinctione rationis ratiocinatæ cum fundamento in re, & quidem perfecta præcisione rationis, itaut per intellectum possit concipi natura absque eo quod vllo modo concipiatur indiuiduatio nec explicitè, nec implicitè, & è contra indiuiduatio absque natura, ita Suarez disput.5.Metaph.sect.2.Pasqualig.tom.2.Metaph.disput.43.sect. 1. & 3. & passim sequuntur alij Recentiores. Alij tandem nec volunt ita distingui, sed tantum imperfecta præcisione rationis, itaut nequeat concipi natura, nisi saltim implicitè concipiatur indtuiduatio, & è contra, ita Auersa q.9. Log.sect.12. pro resolutione quæsiti pono sequentes conclusiones.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæstionis.

14 DIco primò principium indiuiduationis non esse quidpiam realiter, seu physicè superadditum naturæ, & ab ea eodem modo distinctum. Conclusio hæc est communis in omni schola, ac sufficienter probata est disput.præc.quæst.2.à num.30.& pluribus absurdis, quæ inde sequerentur, & præcipua ratio à priori est, quia distinctio realis, ac entitatiua propriè dicta versatur inter rem, & rem, & attenditur penes distinctas rerum existentias, vnde si ita distinguerentur natura, & hæcceitas, opus esset naturam propriam habere existentiam antecedenter ad suum indiuiduationis principium & cum omne existens extra intellectum sit singulare, quia existentia singularitatem sequitur, tunc natura foret singularis ante singularitatem, vel non indigeret principio indiuiduationis superaddito. Sed neque etiam hæc distinctio potest poni realis realitate modi, vt videtur innuere Amic.citat. concluf.4. distinctio modalis, quæ ponitur à Recentioribus inter rem, eiusque modum extrinsecum talis est, vt quamuis modus esse nequeat sine re, cuius est modus etiam per potentiam Dei absolutam, potest tamen res esse sine modo; sed sic est quod Deus nequit separare naturam à singularitate, quia tunc esset singularis, & existens sine singularitate, quod implicat, ergo nequit natura distingui à principio indiuiduationis nec realitate rei, nec realitate modi. Et ita in hoc sensu dici potest res omnes seipsis esse indiuiduas, quatenus indiuiduantur per aliquid ab eis realiter distinctum.

Et quidem hæc fuit perpetua semper, & constans Scoti, & Scotistarum sententia, vnde immeritò Pasqual. tom. 2. Metaph. disput. 40. oppositum huius conclusionis Scotistis impingit; etenim ibi sect. 2. cum retulisset opinionem Doctoris ex 2. d. 3. qu. 6. dixisset q. per hanc entitatem, qua natura indiuiduatur intelligere solum quandam realitatem, quæ non sit proprie res, nec realiter distincta à natura, sed solum formaliter, ideoque per eam hæcceitatem non posse intelligere aliquam entitatem physicam, sed solum quendam gradum entis, quo natura compleatur; cum, inquam, sic retulisset Doctoris sententiam, subdit deinde, Scotistas, vt plurimum, eam aliter interpretari; quia volunt indiuiduationem importare aliquid super additum rei indiuiduæ, quod vocant hæcceitatem, quam ponunt ex natura rei distinctam ab ipsa re indiuidua, atque per ipsos hæc distinctio formalis ex natura rei præcedit omnem operationem intellectus, & reperitur in rebus ex natura ipsarum proueniens, quemadmodum reperitur entitatiua inter entitatem, & entitatem, & est realis non secus, ac entitatiua, pro qua sententia sic explicata adducit omnes ferè Scotistas Ant. And. Bassol. Lich. Tat. Rad. Meurisf. Raguf. sed legantur quæsò Auctores isti, & videbit quisq. ipsos nec latum quidem vnguem ab opinione Doctoris recedere, illamq. tueri eodem prorsus modo, quo ipse Pasqual. eam recitat, & intelligit; & falsum omnino esse, quod cum ipsi dicunt hæcceitatem ex natura rei formaliter à natura distingui, intelligant esse distinctionem entitatiuam, & realem, qualis est illa quæ reperitur inter entitatem, & entitatem, seu rem, & rem; nam non intelligunt nisi illam distinctionem, quam ipsi mediam agnoscunt inter distinctionem simpliciter realem, & simpliciter rationis, & ego fusè explicui disp.6.Met.9.

15 Dico 2. indiuiduationem addere saltim aliquid rationis supra naturam, ac eodem modo ab ipsa distinctum. Hæc etiam conclusio communis est, quam etiam concedit ipse Durand.loc.cit. & probari potest ex dictis q.præc.num.6.argumenta namq.illa talem distinctionem rationis, vt nimirum conuincant. Et adhuc probatur vlterius, quia natura de se est indifferens ad plura, indiuiduatio de se determinata ad vnum, & ideò illa concipitur, vt determinabilis, hæc verò vt determinans, ergo hæc superaddit illi aliquid saltim per intellectum, siquidem determinatiuum in determinabili nequit includi, alioquin determinabile non esset, sed determinatum. Tum quia natura est ratio de se communicabilis, indiuiduatio autem incommunicabilis, & natura per indiuiduationem trahitur ad esse incommunicabile; ergo necessariò superaddit naturæ aliquid saltim ratione distinctum, & specialem gradum entis, alioquin nulla esset ratio, cur potest contractionem dici nequeat communicabilis, sicut ante, si nihil intelligitur superadditum. Tum quia, si indiuidua comparando simul concipimus in eis præcisè naturam, percipimus inter se conuenire, & esse similia; si præterea concipimus singularitatem, percipimus eorum differentiam, ac esse dissimilia; ergo indiuiduatio superaddit quendam specialem gradum supra naturam; si enim nihil superadderet, nulla esset ratio, cur prius indiuidua noscerentur similia; & non etiam postea. Tum quia cum dicimus, Sortes est homo, subiectum in hac prædicatione dicit quid amplius, quam prædicatum, quia quod importatur per prædicatũ potest quoque de Platone enunciari, & alijs indiuiduis, nõ verò quod importatur per subiectũ sed Sortes præter humanitatẽ non importat, nisi Sorteitatẽ, quæ est indiuiduatio, ergo hæc addit aliquid supra naturam saltim ratione distinctum. Tum quia in quolibet indiuiduo v.gr. Petro nedum reperitur vnitas formalis, per quam dicitur vnus homo, & vnum essentialiter cum Paulo, sed etiam reperitur vnitas numeralis, per quam dicitur hic homo, & numeraliter distinctus à Paulo; cum ergo vnitas sit adæquata entis passio cuilibet vnitati proportionata entitas correspondere debet, à qua fluat, sed talis respectu vnitatis numeralis non est entitas naturæ, quia sicut natura de se communicabilis est, ita, & vnitas ab ea dimanans, ergo erit alius gradus entis superadditus naturæ. Tum demum, quia in recta linea prædicamentali, dum descenditur à generalissimo ad specialissimum, ac indiuiduum, semper descenditur per varios gradus à magis communicabili ad minus communicabile quousque perueniamus ad incommunicabile prorsus; ergo singulare, quod est primum subiectum in linea prædicamentali, ideoque dicitur prima substantia, importat specialem gradum entis naturæ superadditum, in quo fundetur incommunicabilitas.

16 Dico 3. distinctionem naturæ ab indiuiduatione nedum esse rationis ratiocinantis cum imperfecta præcisione vnius ab alia sed rationis ratiocinatæ, & cum mutua præcisione perfecta, adeoquod concipi possit natura sine indiuiduatione, seu hac non concepta, & è contra. Conclusio est contra Auersam, & probatur quia tunc distinctio perfecta, & præcisio adæquata rationis contingit, quando in eodem obiecto plures partitur intellectus formalitates, & vnam concipit nullo modo alteram concipiendo, vt dictum est disp. 2. de natura entis q.3.num.47.declarando quid interfit inter perfectam præcisionem rationis; sed ita est in proposito, quod potest intellectus concipere naturam absq; eo quod in tali conceptu inueniatur indiuiduatio, & è contra potest concipere indiuiduationem absq; eo quod in eo inueniatur natura; ergo vna perfectè, & adæquatè ab alia præscindit; maior patet, probatur minor, quia concipiendo præcisè prædicata, in quibus indiuidua conueniunt, habetur adæquatus conceptus naturæ, vt sola animalitate, & rationalitate concepta habetur adæquatus conceptus hominis, vt sic; & concipiendo præcisè prædicata, in quibus differunt, vt Petreitate, & Pauleitate, habetur adæquatus conceptus indiuiduationis, nec in isto conceptu vllo pacto inuoluitur natura, nec in illo conceptus indiuiduationis, quia si sic, tunc Petrus, & Paulus nec in prædicatis essentialibus præcisè conuenirent, quin etiam differrent nec in indiuidualibus, ita differrent, quin etiam conuenirent.

Respondet Auersa per id tantùm probari nec naturam explicitè includi in conceptu obiectiuo indiuiduationis, nec indiuiduationem explicitè in conceptu naturæ, implicitè tamen se inuicem includunt, & ideò non perfectè abinuicem præscindunt. Contra quia hanc solutio-

lutionem directè infringit argumentum, quia si ita est tunc indiuidua in prædicatis essentialibus perfectè non conuenirent, nec in indiuidualibus perfectè differrent, quod quidem de specie specialissima præsertim dici non potest, quandoquidem in ea nullæ latent æquiuocationes, & in ea indiuidua perfectè vniuocantur ex 7. Phys. 29. vnde quamuis de prædicatis transcendentibus hanc solutionem afferre soleat Auersa, quod non perfectè præscindant, quia in eis inferiora partim conueniunt, partim differunt, hæc tamen solutio in præsenti non habet locum, quia loquimur de specie athoma, & specialissima, in qua reperitur perfecta vniuocatio, & omnis abest analogia. Conf. nostrum argumentum ex ipso Auersa eadem q.9.art.2. vbi ex eo probat conceptum naturæ præscindere à conceptu indiuiduationis, quia conceptus naturæ humanæ v.g. essentialiter prædicatur de Petro, & Paulo, & singulis hominibus, ergo non includit essentialiter indiuiduationem, nam si essentialiter includeret, eam secum ferret vbicunque essentialiter reperitur, atque de vnoquoque indiuiduo diceretur secundum omnes conceptus proprios aliorum indiuiduorum, vnde omnia indiuidua includerentur in singulis, & sic sequeretur non esse inter se distincta; quo etiam argumento probatur indiuiduationem è contra perfectè à natura præscindere, quia si illam in suo conceptu essentialiter includeret, tunc posset Petreitas quoque de Paulo prædicari, & Pauleitas de Petro.

17 Respondebis rursus & similia probare tantùm imperfectam precisionem neque hinc illata absurda sequi scilicet in conceptu hominis, vt sic, indiuidua partim conuenire, partim differre, & vnum indiuiduum posse de alio prædicari, quia quod explicitè cognoscitur, tantùm prædicatur, & facit conuenire, non vero quod implicitè, & quia in conceptu naturæ tantum explicitè cognosco animal, & rationale, non autem indiuiduationem, quæ in eo tantùm inuoluitur implicitè, ideò sequitur in natura conuenire tantùm indiuidua, non verò differre, & naturam tantùm prædicari de pluribus, non indiuiduationem; & sic è contra, quia in conceptu indiuiduationis v.gr. Petreitatis, cognosco tantum id quod mihi explicitè repræsentatur, nam verò quod implicitè, & ideò cognosco tantum eam formalitatem, per quam differunt indiuidua, non per quam conueniunt. Contra, id tantùm habet esse obiectiuum in intellectu, quod ab ipso attingitur, & id tantùm intellectui representatur, quod ab ipso intelligitur; si ergo dum intelligit indiuidua conuenire, habet tantùm conceptum naturæ, non indiuiduationis, & dum intelligit ea differre, habet tantum conceptum indiuiduationis, non naturæ, signum est in conceptu naturæ nullo pacto inuolui indiuiduationem, nec in conceptu indiuiduationis naturam nec explicitè, nec implicitè. Tum quia, vt fusè probaui disp.2.Met. q.3.hæc implicita conceptio vnius formalitatis cum alia est adeò implicita, vt nullo modo declarari possit, vel enim dum humanitatem Petri præcisè concipio, exprimit mihi conceptus formalis Petreitatem vel non; si exprimit, iam non erit implicita, sed explicita, & expressa conceptio Petreitatis in humanitate; si non exprimit, ergo nec erit explicita, nec implicita. Quod si contendas implicitè exprimi, præterquamquod hæc videtur contradictio in adiecto, quia implicita conceptio non stat cum expressione respectu eiusdem obiecti, rursus argumentor, dum mihi in conceptu humanitatis exprimitur implicitè etiam indiuiduatio, aut eam concipio, & attingo simul cum humanitate, vel non; non primum, vt etiam Aduersarius concedit, nam tunc esset explicita conceptio, & non implicita tantùm; si secundum, hoc sufficit, vt dicatur humanitas perfectè præscindere à Petreitate, & è contra, quia tunc perfecta præcisio habetur, quando vna formalitas attingitur in eodem reali obiecto alia non attacta. Tum tandem, quia hæc implicita cunceptio vel continentia indiuiduationis in natura, vel è contra aut necessitatem trahit à reali identitate vnius cum alia, aut etiam ab identitate essentiali, quia nimirum vna est de conceptu alterius; non primum quia physica, & entitatiua identitas plurium formalitatum non obstat, quin possit eas intellectus intentionaliter & metaphysico modo seiungere concipiendo vnam sine alia; neque secundum, quia falsum est etiam ex ipsis Aduersarijs naturam esse de conceptu essentiali indiuiduationis, aut è contra; tum quia hoc concesso tunc concipiendo naturam non deberet indiuiduatio implicitè tantùm concipi, sed etiam explicitè, & è contra; nam in conceptu quidditatiuo rei explicitè debent attingi omnia, & singula eius prædicata essentialia, si adæquatè concipiatur.

18 Secundò, principaliter argumentor, quod hic non est sermo de aliquo conceptu transcendenti, neq; de generico, in quibus latere solent æquiuocationes, quæ ad minus analogiam inducant, vt ait Arist.7.Phys.29. sed de conceptu speciei specialissimæ, in qua perfecta vniuocatio reperitur, ac proindè indiuidua perfectè conueniunt; ergo talis conceptus perfectè præscindit à differentijs inferiorum, nec vllo pacto eas inuoluit nec explicitè, nec implicitè, quia si saltim implicitè eas contineret, tunc in specie athoma non esset perfecta vniuocatio nec in ea perfectè conuenirent indiuidua, nam ratione talis implicitæ continentiæ, cum continentia in natura specifica includeretur quoq; aliqua diuersitas, quæ ab inferioribus rationibus ortum ducit. Conf. quia ideò Auersa cum alijs negat conceptui entis aliorumq; transcendentium perfectam vnitatem, & præcisionem à suis inferioribus, & modis contrahentibus, quia ob eorum transcendentiam imbibunt, & imbibuntur in illis, atq; ideò inferiora in eis partim conueniunt, partim discrepant; cum ergo conceptus specificus non sit transcendens, sitque perfectè vnus, quia perfectè vniuocus, & nulli analogiæ permixtus, hinc sequitur nec explicitè, nec implicitè vllam in se continere indiuiduationem, sed perfectè à quacumq; præscindere, & è contra.

19 Tertiò genus, & differentia specifica perfectè præscindunt abinuicem, vt probaui disp.5.Log.qu.3.art.3. & in pluribus concedit Auersa; ergo tanto magis species, & differentia indiuidualis, Probatur consequentia, quia species maiorem, & perfectiorem habet vnitatem in suo conceptu, quam genus, ergo etiam perfectiorem præcisionem; Probatur rursus hæc consequentia, quia imperfectio vnitatis conceptus ex imperfecta præcisione ortum ducit, vt patet in transcendentibus, quibus Aduersarij negant perfectam vnitatem conceptus, quatenùs asseruntur non perfectè præscindere ab inferioribus. Tum quia ideò Aduersarij saluant in specie vtcunq; compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, ob distinctionem rationis cum perfecta præcisione inter naturam generis, & differentiæ; ergo tanto magis in indiuiduo talem perfectam præcisionem admittere debent inter naturam specificam, & indiuiduationem; Probatur consequentia, quia etiam in indiuiduo talis metaphysica compositio reperitur, imò vt notat Doct.2.d.3.qu.6.L. compositius est indiuiduum ipsa natura specifica, quia illa realitas, à qua accipitur specifica differentia potentialis respectu illius realitatis, à qua accipitur differentiæ indiuidualis.

Respondet Auersa, quod etiam in specie talis admittatur compositio, & distinctio, est adhuc neganda in indiuiduis, nam poterunt quidem reperiri gradus essentiales, quorum vnus formaliter non includat alium, qui possunt esse gradus determinati & præcisi; sed ratio singularitatis necessariò inest omni gradui, estque per omnia transcendens, atque ita in omnibus imbibitur, vt distingui non possit singularitas humana ab humanitate, substatialis à substantia, & sic de omnibus, & ideò hæc præcisio speciei est tantùm imperfecta per confusam conceptionem indiuiduorum per modum vnius. Hæc tamen responsio directè infringitur ex ipso argumento, quo ostenditur speciem habere maiorem vnitatem in suo conceptu, quam habeat genus, & indiuiduum esse compositius ipsa natura specifica, quæ si vera sunt, vt argumentum vrget, nulla est responsio. Tum quia falsum est singularitatem esse per omnes gradus superiores in linea prædicamentali transcendentem, & in omnibus imbibi nam quilibet gradus prædicamentalis singularitatis superior habet propriam vnitatem formalem, & essentialem ab indiuiduali saltim ratione distinctam, nec vllus dicitur intrinsecè singularis, ac indiuiduus, sed tantum extrinsecè; ac denominatiuè per coniunctionem cum singularitate in eodem indiuiduo.

20 Quartò, principaliter argumentor pro conclusione, & contra responsionem proximè allatam, genus perfectè præscindit à differentia, & è contra, non præcisè quia faciant compositionem metaphysicam, sed præsertim quia se habent, vt determinabile, & determinatiuum, contrahibile, & contrahens de quorum ratione est vt contrahens, ac determinans sit extra rationem contrahibilis, & determinabilis, & è contra, alioquin non esset determinabile, sed determinatum; sed sic est quod natura specifica, & indiuidualis differentia non minus se habent, vt determinabile, & determinatiuum, quam natura generica, ac differentia specifica; ergo sicut illa perfectè præscindunt, & ita ista. Maior patet, minor probatur, quia ideò natura generica dicitur contrahibilis, & determinabilis à differentia specifica, quia genus est maioris ambitus, & latitudinis, quam differentia specifica, nam genus est pluribus speciebus communicabile, sed differentia specifica in vna tantum specie reperitur, at sic etiam se habent natura specifica, & indiuiduatio in suo ordine, quod illa est maioris latitudinis extensiuæ, quatenus est pluribus indiuiduis communicabilis, indiuiduatio vero v.g. Petreitas est propria tantùm illius indiuidui, in quo reperitur, ergo pari modo seruata proportione illa quoq. se habent, vt contrahens, & contrahibile in suo ordine. Et hinc etiam colligitur ratio, cur quoque vice versa debeat contractiuum excludere contrahibile à sua ratione formali, quia contractiuum debet minus latè petere, quam contrahibile, illudque coarctare debet ad esse magis determinatum, quod facere non posset, nisi illud à suo conceptu prorsus excluderet, illique superadderet gradum entis magis determinatum.

Denique potest hęc conclusio probari rationibus adductis pro conclusione præcedenti, si quidem illæ si rectè perpendantur non probant tantum distinctionem rationis ratiocinantis, & imperfectam præcisionem vnius ab alia, sed distinctionem quoque rationis ratiocinatæ, & præcisionem perfectam, siquidem fundantur in oppositione rationum formalium naturæ, & indiuiduationis, natura enim ex sua ratione formali est communicabilis, indiuiduatio incommunicabilis; natura est determinabilis, & contrahibilis, indiuiduatio contractiua, ac determinatiua; natura facit à parte rei indiuidua inter se similia, & conuenientia, indiuiduatio dissimilia, & disconuenientia; natura ex radix vnitatis formalis, indiuiduatio vnitatis numerali; natura est principium operationum, & passionum toti speciei communium, non autem indiuiduatio, & oppositio igitur, quam habent natura, & indiuiduatio in suis rationibus formalibus, palam ostendunt se se mutuò excludere in suis conceptibus obiectiuis, & vnam ab altera esse perfectè præcisam; vide disputat. 2. Metaphy-

sicor.

ficor. quæstion. 3. de perfecta præcisione conceptus entis, vbi multa habebis ad hoc propositum.

21 Dico tandem naturam, & indiuiduationem nedum ratione ratiocinata inter se distingui, & cum perfecta præcisione vnius ab alia, sed etiam ex natura rei formaliter, quæ est nostra distinctio media inter distinctionem simpliciter realem, & rationis, vnde in hoc sensu dici potest, & debet naturas creatas non seipsis indiuiduari, sed per aliquid ex natura rei formaliter superadditum. Conclusio est contra Thomistas omnes, ac Recentiores, est Scoti 2.d.3.q 6. & Scotistarum Lich. Tatar. & Gratian. ibid. Canon. 1. Physicor. quæst. 6. Trombet. 5. Metaph. quæst. 5. Bassol. 2.d. 12. quæst. 4. Ant. Andr. 7. Metaph. qu. 16. Rada 2. part. controuers. 3. art. 4. Faber theor. 90. Meurisse 2. Metaph. cap. 2. quæst. 6. Poncij disputat. 6. Log. quæst. 9. Sarnan. ad finem vniuers. tractatu speciali de Indiuid. principio. Raguss. disput. 24. peripat. Probatur autem eisdem omnino rationibus, quibus disputat. præc. quæst. 4. probata est distinctio formalis naturæ à singularitate, probant enim reciprocè distinctionem naturæ ab indiuiduatione, & è contra. Deinde probari quoque potest rationibus illis, quibus disput. præced. quæst. 3. ostendi naturam habere communitatem quandam negatiuam à parte rei, cum enim ex alia parte indiuiduatio sit entitas de se omnino incommunicabilis, & ad hoc indiuiduum de se addicta, & alligata, sequitur manifestè naturam, & indiuiduationem plusquam ratione differre, quia hanc oppositionem habent à parte rei in suis rationibus formalibus, & non per intellectum tantum, vt in superioribus deductum est; ex quo etiam capite inseruire possunt ad hanc conclusionem rationes adductæ pro secunda, & tertia conclusione, ostendendo quod oppositio quam habent in suis rationibus formalibus natura, & indiuiduatio ex diuersis, & oppositis eorum muneribus deprehensa, non est oppositio rationis, & per intellectum facta, sed ex natura rei, nam à parte rei natura facit indiuidua similia, indiuiduatio dissimilia, & non tantum virtualiter, sfundamentaliter, sed etiam actualiter nullo cogitante intellectu; natura est communicabilis saltim negatiuè, indiuiduatio incommunicabilis; natura est determinabilis, indiuiduatio determinatiua &c.

Rursus probant hanc conclusionem rationes adductæ q. 6. pro vnitate formali, si enim datur vnitas formalis à parte rei minor vnitate numerali, sicut vnitas indiuidualis ab ea vnitate formali naturæ aliquo pacto secernitur à parte rei, ita quoque indiuiduatio, ad quam consequitur vnitas numeralis, debebit aliquo modo à parte rei secerni ab entitate naturæ, ad quam consequitur vnitas formalis. Denique probatur rationibus illis, quibus disputat. 8. Metaph. qu. 6. art. 2. probata est in vniuersum distinctio formalis ex natura rei inter omnes gradus prædicamentales; & ratio à priori pro omnibus est, quam tangit Bassol. 6.d 12. quæst. 4. art. 2. §. *Dico igitur*, vbi ait quod huiusmodi rationes de se communicabili, & incommunicabili, determinabili, & determinante, assimilandi, & discernendi, &c. ideò in gradibus prædicamentalibus inferunt indistinctionem formalem ex natura rei, & non virtualem tantum, aut rationis ratiocinatæ, vt faciunt in transcendentibus, quia gradus prædicamentales communis, & proprius efficiunt in creaturis compositionem metaphysicam, quæ cum in suo ordine sit realis nimirum ex realitate, & realitate, vt sæpius docet Doctor, consequenter important, non tantum puros conceptus, vt gradus transcendentes, sed etiam veras realitates in eadem physica entitate per identitatem realem immersas, & imbibitas; adhuc tamen formaliter inter se discretas ex suis rationibus formalibus. Solet etiam à Scotistis probari ex quibusdam Aristot. locis, nam 3. de Anim. 9. ait, quod aliud est magnitudo, & aliud magnitudinis esse, & 7. Metaphysic. 20. 21. & 41. ait in concretis cum materia, scilicet totius, quæ est hæcceitas, vt explicat Scot. 2. dist. 3. quæst. 6. in fine non esse idem quodquidest cum eo, cuius est, volens per hoc innuere distinctionem plusquam rationis inter naturam, & hæcceitatem, quas auctoritates adduxi disput. 6. Metaphysic. quæst. 11. num. 219. ad probandum ex Aristot. dari formalem distinctionem.

ARTICVLVS II.

Rationes ad oppositum solutæ.

22 CONtra tertiam conclusionem arguit Auers. cit. qu. 9. sect. 11. probans differentiam indiuidualem nec etiam per intellectum perfecta præcisione rationis, à natura distingui, quasi nec explicitè, nec implicitè singularitas naturam, & natura singularitates includat; probat autem primò ex Aristot. 4. Metaph. tex. 3. dicente *idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo, & non significat diuersam aliquid secundum dictionem repetitam, ideſt homo, & homo, & vnus homo*, per quod plane significat (inquit) nihil plus denotari, nec quicquam distinctum addi dicendo homo, & homo singularis, humanitas, & humanitas singularis.

Resp. Aristot. ibi non loqui de indiuiduatione, & natura, nec quærere an singularitas sit quid naturæ superadditum, sed loquitur de vno, & ente, & probat vnum non dicere diuersam naturam ab ente, quasi vnum sit quædam res diuersa ab ente, quia sunt idem prorsus realiter, & conuertuntur, vt subiectum, & passio, vt ibi explicant Scotus, & Alensis, non ergo loquitur de indiuiduatione in ordine ad naturam, sed de vnitate in ordine ad ens, quam etiam estò assirmet identificare cum ente realiter, adhuc tamen significat non esse idem formaliter, vel ratione illis verbis *si itaque ens, & vnum idem, ac vna natura sunt propterea quod seinuicem consequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quod vna ratione significantur*, vnde quando etiam de indiuiduatione Arist. loqueretur, inde Auersa non concludit intentum.

23 Secundò arguit, si natura perfectè præscinderet ab indiuiduatione, indiuiduatio quoque vt sic deberet perfectè præscindere ab hac, & illa hæcceitate, consequens est falsum, ergo etiam id, ex quo sequitur; consequentia probatur, quia non minus conueniunt singulæ hæcceitates, in ratione hæcceitatis, vt sic, quam indiuidua in ratione naturæ; probatur etiam falsitas consequentis, nam alioquin deberent dari aliæ differentiæ indiuiduales, quæ contraherent rationem indiuiduationis, vt sic, quæ rursus conuenirent in ratione indiuiduationis, quæ perfectè præscinderet, & sic daretur processus in infinitum. Nec valet, inquit, responsio Scoti 2.d.3.quæst.6. differentias indiuiduales esse inter se primò diuersas, nec in aliquo communi conceptu conuenire. Nam datur iste conceptus, qui exprimitur nomine hæcceitatis, & indiuiduationis, non enim hæc sunt pura nomina sine re significata; sed in isto conceptu communi singularitatis conueniunt hæc, & illa singularitas, nam singularitas Petri est singularitas, sic etiam singularitas Pauli; immo quantum conueniunt naturæ rerum in conceptu naturæ communis, nihil minus conuenire videntur hæc, & illa singularitas in conceptu communi singularitatis; alias quoque tres solutiones affert vnam ex Rada, aliam ex Fonseca, & tertiam ex Suarez, quas optimè, & efficaciter refellit, quia re vera difficultatem non euacuant.

Resp. de hac difficultate, quia non est leuis momenti, integram quæstionem inferius instituendam esse; sed ne in præsenti quoque argumentum sine sufficienti solutione dimittatur, interim respondendum est ex dictis disput. 5. log. quæst. 2. ar. 4. concedendo consequentiam, nempe abstrahi posse ab vltimis differentijs conceptum indiuiduationis, vt sic, in quo omnes, & singulæ quidditatiuè conueniant, vt benè probat argumentum, & concedit Doctor 1. dist. 25. quæst. vn. in fine, & clarius d. 26. q. vn. litt. Y. vbi etiam Lichet. & alij Scotistæ; cæterum iste conceptus non esset realis, & adæquatus, quasi fundatus esset in aliqua realitate communi omnibus hæcceitatibus, quo pacto realis, & adæquatus est conceptus humanitatis indiuiduis humanæ naturæ, quia nempe fundatur in natura à parte rei communi omnibus illis, sed esset conceptus rationis, & inadæquatus eo ferè modo, quo est conceptus entis, & aliorum transcendentium respectu Dei, & creaturæ, quibus nulla est communis natura, vel realitas à parte rei, vnde falsum est quod dicebat Auersa tantum conuenire Pauleitatem, & Petreitatem in communi ratione hæcceitatis, quantum conueniunt Petrus, & Paulus in conceptu communi humanitatis, quia horum conuenientia est realis, & actualis à parte rei, vt potè quæ fundatur in natura reali illis communis, at conuenientia Petreitatis, & Pauleitatis in communi conceptu hæcceitatis non est realis, & actualis à parte rei, quia vltimæ differentiæ à parte rei sunt primò diuersæ, & in nulla conueniunt realitate, aut naturæ communi, siquidem omnis differentia differentium debet tandem reduci ad aliqua primò diuersa ex 5. Metaph. 10. Neque Doctor sibi contradicit, dum in loc. citat. in argumento, ac etiam in 1. d. 3. quæst. 3. ait vltimas differentias in nullo quidditatiuè conuenire, sed esse primò diuersas, & in locis in solutione citatis ait in aliquo quidditatiuè conuenire, nam vt explicat Lichet. in illis locis ex verbis ipsius Doctoris 1. d. 26. quæst. vn. lit. Y. vult esse primò diuersas in realitate, in istis verò posse conuenire in aliquo conceptu rationis, & inadæquato. Et per hoc benè euitatur processus in infinitum, quoniam quamuis conueniant in conceptu apud intellectum inadæquatè concipientem, quia tamen à parte rei non conueniunt in aliqua realitate eis communi, vt indiuidua conueniunt in natura, ideò in vltimis differentijs datur status, quia ipsæ sunt realitates vltimò determinantes naturam in linea prædicamentali, & in hoc sensu tenent rationes illæ, quibus Doctor probat 1. d. 3. quæst. 3. §. *ad quæstionem*, vltimas differentias esse primò diuersas, quia nimirum in nullo conceptu reali, & adæquato, seu in aliqua communi realitate conueniunt. Quomodo autem neque adhuc in conceptibus rationis, & inadæquatis dari possit processus in infinitum, benè quoque declaratum est disp. 5. log. citat. q. 2. artic. 4. quæ responsio adhuc magis enucleabitur inferius in proprio quæsito de hac re, interim quoq; vide de hoc dicta superius in præced. disp. n. 48. & n. 144. & dicenda infra q. 10.

24 Tertiò arguit, quia rursus concedenda esset distincta coordinatio indiuiduationum, sicuti conceditur graduum essentiæ, nam hæcceitates vnius speciei non conueniunt solum in ratione indiuiduationis, vt sic, sed etiam in ratione indiuiduationis talis naturæ v.g. indiuiduationes humanæ naturæ in eo, quod sint indiuiduationes humanæ naturæ, in quo differunt ab indiuiduationibus naturæ brutorum; similiter etiam omnes indiuiduationes eorum, quæ conueniunt in aliquo genere, habent etiam inter se conuenientiam genericam, vnde omnes indiuiduationes substantiæ sunt substantiales, accidentium sunt accidentales, omnes indiuiduationes rerum materialium sunt materiales, & omnes indiuiduationes rerum spiritualium sunt spirituales; & ideò ratione harum conuenientiarum

tum concedenda esset propria coordinatio indiuiduationum in qua darentur gradus superiores intermedij, & infimi, quod non videtur concedendum, quia rursus daretur processus in infinitum, quia quælibet coordinatio prædicamentalis, sicut habet genera, species, & indiuidua in recta linea collocata, ita habet differentias à latere generum diuisiuas, & specierum constitutiuas.

Resp. hoc esse argumentum Caiet. lib. de ente, & essentia c. 2. cui passim, & benè respondent Scotistæ, & Lichet. 2.d.3.q.6. indiuiduationes eiusdem generis, vel speciei magis inter se conuenire, quam indiuiduationes rerũ diuersorum generum, vel specierũ posse dupliciter intelligi, vno modo per se, quidditatiuè, & directè, alio modo cõcomitanter solum, indirectè, & per identitatem realem, quã habent cum aliquo, quod per se, quidditatiuè, & directè continetur sub aliquo genere, vel specie; primo modo negatur, quod differentia indiuidualis Petri cum differentia indiuiduali Pauli magis conueniat, quam cum indiuiduali Bucephali quia omnes sunt primò diuersæ; secundo autem modo vtique magis conueniunt, sed ex hoc inferre non licet dari debere distinctas coordinationes indiuiduationum, sicut dantur graduum essentiæ, & naturarum, quia non reperitur in indiuiduis, & indiuiduantibus consimilis; ratio conuenientiæ, siquidem duo indiuidua eiusdem speciei magis conueniunt per se, directè, & quidditatiuè, quam indiuiduum vnius speciei, cum indiuiduo alterius, non sic verò magis conueniunt indiuiduantia, nisi concomitanter, alioquin directè, & formaliter loquendo tam sunt primò diuersæ inter se Petreitas, & Pauleitas, quam Petreitas, & Bucephaleitas, quia quidditatiuè, & formaliter tam excluditur humanitas à Petreitate, & Pauleitatè, quam à Bucephaleitate. Reductiuè ergo tantum differentiæ indiuiduales Petri, & Pauli sunt sub eadem specie, sicut differentiæ specificæ sub diuersis speciebus, & sub eodem genere, sed non per se, & quidditatiuè de suis enunciatur differentijs, nec species de differentijs indiuidualibus vt dictum est in logica; hæc itaque, communis Scotistarum responsio optimè hoc argumentum dissoluit licet malè applicetur ab ipsis ad dissoluendum quoque argumentum præcedens, nam aliud est comparare indiuiduationis ad naturam, quam contrahunt aliud ad communem rationem indiuiduationis, vt sic; nam primo modo comparantur, vt contrahentia ad contrahibile, & ideò non includunt rationem eius quidditatiuè, alio modo comparantur vt inferiora ad suum superius, ac ideò debent illud quidditatiuè includere, & ideò benè valet hæc solutio ad soluendum hoc argumentum, non autem præcedens, vt notaui disp. præced. num. 47. & nota hoc argumentum æquè benè fieri posse de differentijs specificis in ordine ad genus, sicut fit de indiuidualibus in ordine ad speciem, nam omnes differentiæ specificæ vnius generis magis inter se conueniunt, quam differentiæ specificæ alterius generis, vnde cum Auersa in quibusdam generibus admittat præcisionem perfectam à differentijs saltim in ijs tenetur, & ipse argumentum dissoluere.

25 Quartò, arguit, sicut consideratur homo communis singulis hominibus, ita considerari, & nominari potest homo singularis vtique conueniens omnibus hominibus singularibus, quia nedum dicitur Petrus esse homo, sed etiam singularis homo, & sic quoque Paulus; vel ergo per ly *singularis* intelligitur addi aliqua formalitas ratione distincta à natura humana, vel potius non plus dicit singularis homo, quam dicebat homo absolutè; non primum, quia homo realiter possibilis non est, nisi singularis, & nulla ratio est, quæ cogat dicere hominem singularem addere aliquam formalitatem in communi supra ipsam naturam humanam, vt dicatur homo singularis in communi. Deinde indiuiduum determinatum deberet addere aliam formalitatem, qua determinaret singularem hominem, vt sic, quod tamen fieri non potest, quia non potest addi singularitas supra singularitatem; quare fatendum est singularitatem non addere supra naturam aliquam formalitatem perfectè præcisam.

Respondet Pasqual. cita. per singularem hominem in communi intelligi debere hominem, vt sic, cum singularitate superaddita, non tamen in communi sumpta, quia non datur, sed cum determinata hac vel illa disiunctiuè, & ideò non est concedenda alia ratio singularitatis, quæ singularitati superaddatur, quia intantum esset concedenda, inquantum daretur singularitas, vt sic præcisa; necessitas autem ponendi hanc, vel illam singularitatem superadditam naturæ, est, vt natura, quæ de se non est singularis, fiat singularis, & licet homo sit singularis, ideò est singularis, quia habet singularitatem superadditam. Hæc tamen solutio non satisfacit, nam præterquam quod gratis negat conceptum singularitatis, vt sic, in communi, malè accipit singularem hominem, vt sic, pro indiuiduo vago, vt idem significet, quod *aliquis homo* cum disiunctione, quo pacto explicari solet indiuiduum vagum nam homo singularis, vt sic, idem significat quod indiuiduum humanum absolutè sumptum abstrahendo ab hoc, & illo indiuiduum autem humanum ita sumptum non significat idem quod quidam homo, aut aliquis homo sub disiunctione, quia indiuiduo vago, vt aiunt Summulistæ, nullum apponi potest signum particularitatis, aut vniuersitatis, non enim dicimus *omnis quidam homo*, *aliquis quidam in homo*, quæ tamen signa passim apponuntur indiuiduo humano, & homini singulari, vt sic, dum dicimus Petrus est aliquod indiuiduum humanum, est aliquis homo singularis, item omne indiuiduum humanum est risibile, est incommunicabile, omnis homo singularis est incommunicabilis &c. Quare potius respondendum est, vt ad simile argumentum diximus disp. 5. Log. citat. quæst. 2. art. 4. quod natura humana concepta cum indiuiduatione illa communi non efficeret compositum aliquod vnum in intellectu nostro, quia indiuiduatio non concipitur in tali statu per modum contrahentis, & determinantis, sed potius per modum contrahibilis, & determinabilis, quia vt sic, concipitur in communi; tum quia, si vnum per se conceptum efficit apud intellectum, tunc ly *indiuiduum* determinatur per ly *humanum*, non è contra vt distinguatur ab indiuiduo brutali, & alijs, non autem humanitas determinatur per indiuiduationem, nisi hæc determinatè sumatur pro Petreitate, & Pauleitate. Et tandem si contendas singularitatem adhuc in tali casu determinare aliquo modo humanitatem apud intellectum, & vt sic cum ea efficere conceptum per se vnum, benè adhuc poterit per singularitatem certam, & determinatam determinari vlterius homo singularis in communi, vt fiat hic homo, & indiuiduum signatum, nec ob id singularitas determinaret singularitatem vt talem, quia tunc non accipitur, vt singularis, sed vt communis per intellectum assistrahentem; quæ responsio adhuc magis infra patebit, dum videbitur, an dari possit conceptus communis indiuiduationis, vt sic.

26 Quintò, arguitur contra 4. conclusionem, quod indiuiduatio non distinguatur ex natura rei formaliter ante operationem intellectus, quia si est ita distincta à natura communi, vel aduenit naturæ communi, vel ipsam constituit in esse naturæ communis, hoc secundum dici non potest, vt patet, si primum, iam sequitur naturam communem esse ex se singularem, quia quod aduenit alicui supponit illud in proprio esse constitutum, & quod in suo esse constitutum, & perfectum est, iam singulare est, non ergo potest indiuiduatio ex natura rei à natura distingui. Conf. ex Caietan. lib. de ente, & essentia cap. 2. q. 4. nam si hæcceitas aduenit naturæ, vt verè in re componant indiuiduum, & singulare, certum est quod alterum *illorum*, scilicet natura communis habebit rationem potentiæ, aliud verò, *scilicet* differentia rationem actus merito distinctionis ex natura rei inter ea versantis, at actus singularis supponit potentiam singularem ex 2. Physic. 38. ergo natura communis ex se singularis erit aute aduentum differentiæ indiuidualis. Si dicas minorem esse veram, vbi actus, & potentia distinguuntur realiter, vt contingit in compositione physica, quia tunc potentia realiter recipit actum. Contra, quia secundùm Scotum quol. 1. quando aliqua duo adunantur realiter, sed adhuc formalem retinent distinctionem, eundem ordinem quoque ex natura rei retinent, quem haberent si forent distincta realiter; sed si hæcceitas realiter distingueretur à natura præsupponeret eam, vt potentiam singularem, ergo etiam modo ello sit solum ab ea distinctus ex natura rei formaliter. Si rursus dicas actum singularem supponere potentiam singularem, quando non confert eidem potentiæ singularitatem, indiuiduationem autem conferre, ideò non supponere. Contra, quia hic videtur committi manifesta petitio principij, hoc enim est; quod argumentum directè probat, scilicet non posse hæcceitatem singularizare naturam per modum actus, si ab ea ex natura rei distinguitur, quia huiusmodi actus supponit potentiam sibi proportionatam, & commensuratam, vnde cum ipse sit singularis, talis quoque debet esse potentia correspondens, quia solum actus particularis cum potentia particulari proportionatur, non autem cum potentia vniuersali.

27 Resp. concedendo differentiam indiuidualem aduenire naturæ, & negatur quod inde deducitur, scilicet naturam ante aduentum hæcceitatis futuram esse singularẽ, nam illud solum singulare est, quod in suo esse ita constitutum est, & perfectum, vt amplius determinari nequeat; modo natura communis, cui indiuiduatio aduenit, esto in esse naturæ sit perfectè constituta in suis prædicatis essentialibus, non tamen est vltimatè determinata, ideoque non singularis, sed verè communicabilis erit, & determinabilis per illam ad hoc indiuiduũ. Ad Conf. dico argumentum esse quoque soluendum ab Aduersarijs sola ratione indiuiduationem à natura distinguentibus, quia ob talem distinctionem rationis cum fundamento in re saluare prætendunt compositionem metaphysicam in indiuiduis ex per se actu, & potentia metahysica, vnde & ipsi explicare tenentur, qualiter differentia concepta per modum actus singularis determinet potentiam communem, & singularizabilem, & adhuc sit actus tali potentiæ proportionatus. Itaque dico illam propositionem, actus singularis supponit potentiam singularem, non esse formaliter, & absolutè veram, non enim formaliter sequitur, quod quanta vnitas est in actum, tanta sit in potentia, quæ actuatur per illum actum, alias genus tantam vnitatem haberet, quantam habet differentia diuidens illud, quod est manifestè falsum, quia contrahibile, & determinabile semper est maioris latitudinis, quam contrahens, & determinans; itaque dicendum illam propositionem intelligi de actu physico, qui supponit potentiam physicam præexistentem, non autem de actu, & potentia metaphysica, nam actus metaphysicus non supponit potentiam præexistentem, atq; ideò nec supponit singularem; rursus intelligitur de actu, & potentia physica, quę realiter distinguuntur, non de actu, & potentia metaphysica, quę sunt realiter idem, & solum formaliter distincta. Neque proportio requisita inter actum huiusmodi & potentiam petit, vt si actus est singularis, potentia quoque sit singularis, & particularis, vt argumentum vrget, nam proportio inter actum, & potentiam

tiam tali esse debet, vt non destruat rationem ipsorũ, destrueret autẽ rationẽ ipsorum, si in potentia præexigeretur effectus, qui expectatur ab actu, quia tunc actus talem potẽtiam actuare non posset, vnde cũ vnitas indiuidualis sit effectus indiuiduationis non potest in natura supponi ante singularitatem, sed ab ipsa singularitatẽ formaliter præstatur; proportio itaq; inter naturam, & indiuiduationem requisita est singularitatis, & communitatis, & quod actus sit singularis, vt quo, natura verò communicabilis pluribus, neque hoc mirum esse debet, quia vt sæpius aduertit Doctor, proportio non requirit similitudinem in proportionatis, sed potius dissimilitudinem; per quam doctrinam satisfit etiam replicis factis contra solutiones inter arguendum datas, quatenus ad hanc responsionem pertinent. Aliam quoque solutionem ad idem argumentum solent adhibere Scotistæ, quæ in nostram recidit, dicentes illam propositionem, actus singularis supponit potentiam singularem, valere de actu singulari, vt quod, sicut est pars compositi materialis siue per se, siue per accidens, hæc enim anima supponit hoc corpus, hoc accidens supponit hoc subiectum, & in hoc sensu profertur à Philosopho, non autem valet de actu singulari, vt quo, qui primò rem in esse singulari constituit, qualis est differentia indiuidualis, quia tunc esset processus in infinitum; quam solutionem dedit, & fusè declarauit Lichet. 2. d. 3. q. 6. & sequitur ad verbum Rada contra. cit. licet ipsum non memores, quod non semel deprehendes in Auctore illo.

28 Sextò, arguit Pasqualig. disp. 40. sect. 3. indiuiduatio nedum vnum indiuiduum realiter ab alio distinguit, & secernit, sed etiam naturam vnius à natura alterius, nam distinguit vnum indiuiduum ab alio adæquatè secundùm totum esse physicum, & reale, quod reperitur in ipsis etiam secundum esse naturæ, quia ex vi talis distinctionis videmus vnum corrumpi alio superstite, ergo nequit esse ex natura rei formaliter distincta à natura, adeout sit extra esse naturæ formaliter, consequentia probatur, quia nihil distinguitur realiter, à secundum suum esse ab alio, per illud quod est sibi extrinsecum, cum eadem sunt principia distinctiua, & constitutiua. Resp. concesso antecedente nempe tam singularitates, quam naturas ipsas contractas in indiuiduis inter se distingui realiter, adnuc negando consequentiam; nam licet indiuiduatio in Petro formaliter distinguatur, à natura, tamen in Petro realiter cum ipsa identificatur, & ratione nullis identitatis realis sufficiens est ad distinguendam realiter naturam Petri à natura Pauli, quia distinctio realis non attenditur penes formalitates, sed secundum entitates, vt sunt existentiæ capaces, & cum in Petro sit vna tantum physica entitas ex illis duabus formalitatibus metaphysicis constituta, & consequenter vna tantum existentia, ideo totus Petrus, & secundum totum esse physicum ratione indiuiduationis identificatæ cum natura distinguitur à Paulo; neque ob id natura Petri distingui à natura Pauli per aliquid sibi omninò extrinsecum, quia licet distinguatur indiuiduatio à natura formaliter, adhuc tamen sunt idem realiter, & in hoc sensu dicitur distingui per aliquid sibi intrinsecum; immò indiuiduatio dici debet pertinere ad esse intrinsecum naturæ, quatenus realiter distincta, vel distinguibilis ab alia natura, quia cum nequeant realiter distingui, nisi quæ diuersas habent existentias, & cum existentia singularitatem comitetur, non potest natura Petri fundare realem distinctionem à natura Pauli, nisi vt coniuncta, vel coniungibilis cum Petreitate. Conf. hæc solutio, quia natura Petri non distinguitur realiter à natura Pauli secundum suum esse formale, quasi talis distinctio in eius formalitate fundetur, secundum quam ab indiuiduatione distinguitur, sed secundum suum esse reale, physicum, ac entitatiuum, in quo realiter imbibitur etiam indiuiduatio; ergo distinguitur realiter natura Petri à natura Pauli per indiuiduationem, vt sibi intrinsecam, quatenus realiter distinguibilis; licet sit extrinseca, quatenus est distinguibilis formaliter, & secundum esse formale considerata.

Ac instat Pasqualig. quod si dicatur naturam, & indiuiduationem identificari realiter in eadem entitate, tunc sequitur indiuiduationem non esse aliquid realiter superadditum naturæ, nec à parte rei intervenire aliquam actualem distinctionem, & formali modo se habentem; nam identificatio realis coadunat omnes formalitates metaphysicas in vnum, atq; idem esse physicum, atq; adeò in vnicam existentiam, ex quo fit, quod vna, & eadem productione, atq; corruptione debeant produci, & corrumpi, ergo posita identificatione naturæ cum iudiuiduatione non potest à parte rei interuenire distinctio. Probatur hæc consequentia, quia data tali aliqua distinctione inter naturam, & indiuiduationem, posset in productione, qua res producitur, intelligi distinctio, itaut ex vi productionis intelligeretur poni hoc esse rei indiuiduę distinctum ab indiuiduatione, quod tamen est impossibile, quia implicat intelligi ex vi productionis communicari aliquod esse, quod non sit in se certum, determinatum, & designabile, atq; adeò indiuiduum. Resp. concesso toto antecedente negando consequentiam, sicut namq; realis identitas, vel distinctio rerum attenditur penes identitatem, vel diuersitatem existentiarum, ita quoque quia productio, & corruptio existentiam rerum respiciunt, vt terminum ad quem, vel à quo immediatè, formalitates verò non nisi mediatè, & concomitanter, ideò identitas, vel diuersitas earum sunt signa tantum idonea identitatis, vel distinctionis realis, non autem formalis, vt dictum est supra disput. 6. q. 8. art. 2. n. 185. Ex quo fit impossibile esse ex vi distinctionis formalis ex natura rei præcisè posse intelligi produci naturam, vt ab indiuiduatione distinctam, quia sufficiens, ac idoneus terminus physicæ productionis est solum physica entitas capax propriæ existentiæ, qualis nequit esse pura, & nuda formalitas metaphysica, quæ dari nequit in rerum natura, nisi immersa per identitatem in entitate physica; congerit alia plura argumenta Pasqualig. loc. citat. quæ probant solum realem distinctionem indiuiduationis à natura, quam perperam, putat negare Scotistas, vt dixi disputat. præced. qu. 3. articul. 2. numer. 69. & alia quædam, quæ etiam distinctionem formalem inter illa labefactare videntur, ibidem soluti sunt.

29 Septimò, natura existens præscindendo ab omni alia formalitate superaddita includit quicquid perfectionis diceret singularitas, si distingueretur à natura, ergo non est ponenda singularitas à natura distincta. Consequentia patet, quia si natura in se, & intrinsecè singularitatem continet, sicut non distinguitur à seipsa, ita neq; à perfectione singularitatis, quam in se continet. Antecedens probatur, nam natura extrinsecè est determinata non solum in ratione specifica, sed etiam indiuiduali, quia existentia supponit singularitatem. Resp. argumentum vrgere tribuentes naturæ existentiam distinctam ab existentia singularis, vel singularitatis, quod nos non concedimus agnoscentes vnicam dumtaxat existentiam in singulari, quæ est propria ipsius singularis, per quam existere dicuntur formalitates omnes metaphysicæ incluse in ipso per identitatem, iuxta quem dicendi modum implicat intelligere naturam existentem præscindendo ab omni formalitate superaddita, cum enim existentia actualis non sit modus cuiuslibet entitatis quoquo modo acceptæ, sed determinatæ indiuidualiter, sequitur naturam intelligi non posse existentem sine singularitate. Quod si teneretur naturam, & singularitatem diuersas habere existentias formaliter distinctas, licet realiter identificatas, tunc negandum esset antecedens, quia existentia vt sic, dat tantum essentiæ extra causas stare, & de potentia in actum exire, non autem eam determinat vltimatè in rerum natura, nec ponit in vltimo esse subijcibili, quia hoc est munus singularitatis, & indiuiduationis; & ad probationem illius antecedentis vel esset negandum assumptum, vel concedendum de existentia incommunicabili, non autem de existentia communicabili, qualis poneretur existentia naturæ, si eam haberet formaliter distinctam ab existentia singularis.

Octauò, Adhuc magis euidenter vrgetur de entitatibus respectiuis, & modalibus rerum, quas admittunt Reales in sua Schola, estò à Nominalibus negentur, nam modi rerum sunt seipsis singulares, ideò enim sessio Petri per nullam potentiam potest poni in Paulo, quia essentialiter respicit determinatè Petrum, & hoc non ratione hæcceitatis ab essentia distinctæ, nam respicere subiectum est essentiale sessioni, quod autem est essentiale rei non potest illi conuenire per aliquid à se distinctum; & idem est de causalitate, qua producitur Petrus, quia est essentialiter productio Petri, & non per aliquid distinctum determinatur ad Petrum. Conf. quia essentiæ respectiuæ, præsertim quæ respiciunt terminos actuales, sunt singulares seipsis, vt patet in visione albi, vt sic, nam respicit essentialiter talem terminum, ita vt non possit respicere alium, vt visio intuitiua huius albi non potest esse alterius albi, hoc autem non habet ex singularitate superaddita, sed ex sua essentia, quæ specificatur in ordine ad tale obiectum, non enim essentia visionis potest respicere obiectum per aliquid à se distinctum, quia tunc haberet essentiam à se distinctam, cum essentia visionis consistat in respicientia obiecti.

30 Resp. nullam maiorem vrgere difficultatem in entitatibus modalibus, & respectiuis; quam in absolutis, quoad earum indiuiduationes, nam pari proportione debet de vtrisq; discurri, & sicut in entibus absolutis tres gradus prædicamentales admittimus genericum, specificum, & indiuidualem, totidem quoque admitti debent in relatiuis, & quomodo distinguuntur in absolutis, sic quoq; distingui debent in relatiuis; sic vnio si consideretur secundum suum gradum genericum respicit partes, vt sic, si secundum specificum, respicit partes talis speciei, si deniq; secundum indiuidualem, respicit partes taliter indiuiduas, vt optimè adnotauit Amic. loc. cit. & ideò hæc vnio inter has partes nequit esse, nisi inter has partes, non quidem ratione suæ essentiæ præcisè sumptæ, quia vt sic, indifferens est vt inter alias partes, sed ratione hæcceitatis, virtute cuius ita respicit has partes, vt nequeat respicere alias, sic etiam sessio Petri ita determinatè respicit Petrum, vt nequeat poni in Paulo, non in ratione sessionis, vt sic, nam sic indifferens, vt sit etiam in Paulo, sed in ratione talis sessionis, sub qua ratione essentialiter includit hæcceitatem, & sic ratione hæcceitatis, non verò specificæ quidditatis, repugnat ei, quod in Paulo ponatur, & sic etiam dicendum de productione effectuum, quod scilicet ideò productio huius numero effectus terminari nequit ad alium numero effectum, non quia sit ad istũ determinata ex principijs essentialibus, sed ex indiuidualibus. Ad Conf. sic pariter dicendũ esset cum Amic. cit. si teneatur actus vitales esse essentialiter entia relatiua, quod scilicet sicut in obiecto est v. g. ratio cõmunis, & ratio particularis, ita in cognitione illius obiecti est ratio communis, & ratio particularis enim est albedo, & hæc albedo, ita in visione distinguuntur gradus; quibus illa visio dicitur terminari ad album, vt sic, & ad hoc album; attamen Scotus docet quol. 15. actus vitales esse potius essentialiter entitates absolutas de genere qualitatis, & solum relatiuas secundũ dici, quatenus includunt relationes prædicamẽtales, vel transcẽdentales ad sua obiecta, & ideò inquit eos habere intrinsecas suas differentias absolutas tam specificas, quam indiui-

duas citrà referentiam ad obiecta, & tales differentias solum per obiecta extrinsecè manifestari, non autem constitui, de quo dictum est in lib. de anima.

Postremò quamplura alia congerunt argumenta etiam hactenus relatis vrgentiora contra distinctionem formalem indiuiduationis à natura Suarez disputat. 5. sect. 2. Auersa quæst. 19. Philosoph. sect. 10. Arriag disputat. 11. log. Hurtad. disputat. 5. Metaphysicor. sect. 3. Ouied. controuers. 4. Metaphysicor. punct. 3. quæ iam fuere soluta disputat. preced. quæst. 3. art. 2. & disput. 8. quæst. 6. art. 3. sunt enim tot numero, vt opus fuerit ad temperandum Lectoris tædium illa in plures quæstiones dispertiri.

QVÆSTIO III.

An principium indiuiduationis naturæ superadditum sit quid positiuum, vel potius negatiuum.

31 DOctor 2. dist. 3. postea quam in prima quæstione determinauit naturam nullam creatam esse seipsa formaliter indiuiduam, sed per aliquid ex natura rei superadditum, statim in secunda quæstione eiusdem distinctionis quærit, quidnam sit hoc naturæ superadditum, quo formaliter importat indiuiduatio, an sit aliquid positiuum, vel potius negatiuum. Et ratio dubitandi est, quia in omni opinione indiuiduum est illud, quod est indiuisum, & indiuisibile in plura eiusdem, quorum quodlibet sit ipsum, & incommunicabile illis per modum superioris, itaut nequeat de illis pluribus prædicari prædicatione exercita dicente, hoc est hoc, ex quo constat apud omnes supra naturam dicere indiuiduum negationem diuisionis, & diuisibilitatis in plures similes, quod satis constat ex vi ipsius nominis, indiuiduum enim sonat idem, quod non diuiduum, vel diuisibile in plura similia, sicut est vniuersale, cui opponitur, cum ergo certum sit indiuiduum talem dicere negationem supra naturam, quæstio est an indiuiduatio in tali negatione præcisè consistat, itaquod supra naturam nil addat præter hanc puram negationem, num potius antecedenter ad negationem addat supra naturam formalitatem quandam positiuam de se incommunicabilem, ad quam tanquam ad proximum fundamentum illa negatio consequatur. Henricus referente Doctore loc. cit. asserit quol. 5. qu. 8. singulare formaliter indiuiduari per negationem, & indiuiduationem solam, & præcisam negationem addere supra naturam specificam, vt determinetur in esse indiuiduo, & ait hanc negationem esse duplicem, vna est negatio diuisionis in se, siue in plura similia, & alia est negatio identitatis cum quolibet alio ente; vnde hæc opinio nullum principium positiuum indiuiduationis agnoscit in genere causæ formalis, sed tantum in genere causæ efficientis, nempe efficientem causa, à qua res producitur in sua entitate.

Dicendum est breuiter pro resolutione quæsiti dari quidem præfatam negationem in indiuiduo, non tamen per eam formaliter, & præcisè in tali esse constitui, ita quod ipsa sola naturæ sit superaddita, sed insuper indiuiduationem addere formalitatem quandam positiuam de se incommunicabilem, ad quam velut ad proximum fundamentum talis negatio consequitur. Conclusio est Scoti loc. cit. & Scotistarum omnium, & passim eam recipiunt alij Auctores Suarez disputat. 5. sect. 2. Auersa quæst. 9. cit. sect. 3. Pasqualig. disputat. 40. sect. 1. Mercen. disput. speciali de hac re cap. 3. Ragusseius disput. 24. peripat. cap. 9. Contaren. disputat. de princip. indiuid. cap. 2. Amic. tractat. 4. log. quæst. 3. dub. 2. artic. 2. quam etiam probant ijsdem omnino rationibus, quas protulit Doctor; & quidem quoad primam partem res est de se explorata, nam verissimum est indiuiduum esse indiuisum, ac indiuisibile in plura similia, siue in plures partes subiectiuas, quarum quælibet sit ipsum, & licet aquæ poculum in plures aquæ portiones diuidi possit, quarum quælibet sit aqua sumendo aquam pro toto vniuersali, nulla tamen illarum dici potest illa aqua, quæ diuisa fuit vnde illa diuisio non fuit totius vniuersalis in partes subiectiuas, sed totius integralis in partes integrales, vt ait Doct. 2. d. 3. q. 4. G. ergo dubitari non potest, quod indiuiduum talem negationem non inuoluat.

32 Quoad aliam partem, in qua consistit difficultas, probat Doctor, pluribus rationibus, & primò sic, nihil simpliciter repugnat alicui enti per solam negationem in eo positam, sed per aliquid positiuum ad quod consequitur illa negatio, hæc est propositio maior, quam assumit Doctor, & probari potest inductione, nam negatio corporeitatis conuenit angelo per aliquam formalitatem positiuam, cui repugnat esse corporeum, quam dicimus spiritualitatem, negatio brutalitatis conuenit homini per rationalitatem, cui directè repugnat opposita affirmatio, scilicet brutalitas, & sic de alijs; tunc subinfero hanc minorem, sed singulari v. g. lapidi repugnat diuisio in plures singulares lapides, qui sint tales, qualis est diuisus lapis; ergo debet poni aliquid positiuum, ratione cuius radicaliter conueniat hæc repugnantia. Dices, etiam per solam, & nudam negationem in subiecto existentem posse illi repugnare oppositam affirmationem, nam cœco ratione cæcitatis, quæ est pura priuatio, repugnat visus, & substantiæ materiali, si à Deo quantitate priuaretur, repugnaret diuidi in plures partes integrales per solam priuationem quantitatis. Contra replicat Doctor, quia negatio, vel priuatio, vt cœcitas in homine negat vtique potentiam proximam ad actum videndi, non tamen ponit repugnantiam simpliciter ad videndum, aliter non posset Deus illuminare cœcum; sic etiam expoliatio quanticatis à substantia materiali, tollit vtique potentiam proximam ad diuidi in eas partes, quia sine quantitate substantia materialis non est proximè diuisibilis, cæterum non ponit in ea repugnantiam simpliciter ad diuidi, nam potest Deus illi substantiæ dare quantitatem, qua sibi tributa potentia proxima esset diuisibilis; licet ergo subiecto ratione negationis repugnet ex suppositione secundum quid opposita affirmatio, non tamen repugnat absolutè, & simpliciter, quia per negationem tollitur à subiecto potentia proxima ad agere, & pati, non tamen potentia simpliciter, quia idem subiectum, quod est sub negatione, est secundum se simpliciter capax potentiæ, & actus, quæ negantur per negationem; cum igitur negatio diuisionis, vel diuisibilitatis in plura similia repugnet indiuiduo, non secundum quid, & ex suppositione, sed absolutè, & simpliciter, sequitur hanc negationem, vel repugnantiam ad diuidi ei conuenire ob aliquam causam positiuam.

33 Conf. à pari de natura specifica, ipsi enim repugnat diuidi in plures species, & quia talis repugnantia conuenit ei simpliciter, & absolutè, & non tantum secundum quid, quasi sit separabilis ab ea, ideò dicimus conuenire illi non per simplicem negationem, sed per aliquid positiuum, ratione scilicet vltimæ differentiæ essentialis, per quam constituitur; ergo pariter de natura indiuiduali sic dici debet, quod cum ei repugnet diuidi in plura similia, & hoc simpliciter, & absolutè; quia talis repugnantia nequit ab ea tolli, talis repugnantia ei conuenit non per puram negationem, sed per quandam differentiam omninò vltimam, & incommunicabilem, per quam constituitur, & ad quam consequitur illa negatio. Dices rursus, etiam per simplicem negationem posse aliquid repugnare alicui simpliciter, & indispensabiliter, quia personæ creatæ repugnat omninò communicari alteri, vt quo, & vt quod & non nisi per duplicem negationem, quia secundum Doctorem 3. d. 1. qu. 1. litt. E. persona creata constituitur in esse personæ per negationem communicationis actualis, & aptitudinalis; ergo per solam negationem potest secundù Scotum aliquid simpliciter repugnare. Sed hanc instantiam optimè excludit Rada controu. 3. cit. ar. 2. aduertendo ex Doctore ibid. 3. d. 1. q. 1. G. quod negatio communicabilitatis est triplex, alia quæ est præcisè negatio actualis communicationis, quam habet anima separata, alia quæ negat aptitudinem ad communicari, tertia verò quæ repugnantiam includit ad communicari alteri, vt quo, & vt quod; tunc dicitur quod negatio prima, & secunda possunt alicui inesse abiq; aliquo positiuo intrinseco, per quas etiam non repugnat aliquid alicui simpliciter. sed tantum secundum quid, at verò tertia negatio non potest alicui conuenire, nisi per aliquam entitatem positiuam, ac proinde non conuenit personæ creatæ secundum Doctorem ibidem, sed solum personæ diuinæ, cui per entitatem hypostaticam, quam habet omnino, ac simpliciter repugnat alteri communicari, vt quo, & vt quod; non tamen est sic incommunicabilis persona creata, quia non repugnat sibi absolutè communicari alteri, sed tantum secundum quid, quia talis repugnantia est ab eo separabilis auferendo illam duplicem negationem, quare remanet propositione illam ab initio assumptam esse omnino veram, quod nunquam alicui repugnat aliquid simpliciter, & absolutè per solam negationem, sed per quid absolutum, ad quod illa negatio consequitur.

Respondebis fortè hanc negationem diuisionis, vel diuisibilitatis in plura similia conuenire vtiq; indiuiduo per aliquod positiuum, hoc tamen non esse quidpiam naturæ superadditum, sed naturam ipsam, cui vt est in Petro v.g. repugnat communicari, & in esse Paulo, Contra, quia tantum abest, vt natura petat hanc negationem, quod potius de se petit oppositam affirmationem, scilicet communicari, & multiplicari in pluribus similibus, quia de se etiam vt in Petro est negatiuè indifferens, vel priuatiuè, quatenus non est de se hæc; ergo nequit talis negatio fundari supra ipsum, & formale esse naturæ; atq; ideò addenda est alia formalitas de se incommunicabilis, supra quam fundetur, & hæc erit indiuidualis differentia; cum autem dicebatur naturæ, vt in Petro, repugnare communicabilitatem, reduplicatiuè verum est, quia sic consideratur identificatio realis naturæ cum Petreitate; specificatiuè tamen falsum est, quia sic datur locus distinctioni formali, qua natura secernitur ab hæcceitate. Immo ex hoc argumentum nostrum principale sic confirmari potest, nam communis natura de se non postulat talem negationem, & tamen illi naturæ, vt in re existit, & facta est hæc, per se & intrinsecè conuenit talis negatio, ergo additum est ei aliquid, ratione cuius nunc ei conuenit illa negatio, quæ prius non conueniebat. Conf. quia non fit transitus à contradictorio in contradictorium nec re, nec ratione, nisi per aliquam mutationem in transeunte factam intrinsecè, vel extrinsecè, per quam aliter dicatur se habere nunc quam antea; cum ergo natura post indiuiduationem factam dicatur incommunicabilis, & immultiplicabilis, non autem antea, opus est fateri per indiuiduationem aliquid esse illi adiunctum, & superadditum, à quo talis denominatio in ipsam deriuetur, & hæc erit indiuidualis differentia. Conf. tandem, quia si talis negatio fundaretur supra ipsum purum, & nudum esse naturæ, etiam ante indiuiduationem illi talis conueniret negatio, & non postea tantum, quia etiam ante indiuiduationem tale suum esse habet.

34 Secundò principaliter probat Doct. negatione non constituitur ali-

aliquid formaliter in entitate perfectiori, quam sit illa entitas præsuppositanegationi, quia negatio, vt negatio, nullam dicit perfectionem; sed prima substantia per Arist. in prædicamento substantiæ est maximè substantia, & etiam magis substantia, quam secunda; ergo non formaliter constituitur in entitate primæ substantiæ per negationem, inquantum distinguitur à secunda. Conf. hæc ratio ex numeribus, quę ab Arist. tribuuntur primæ substantiæ, quia prima substantia est, de qua secunda per se prædicatur; non autem ita prædicaretur, si prima substantia non adderet supra secundam nisi solam negationem, quia ex positiuo, & negatiuo non fit per se vnum, sed per accidens, nihil autem per se prædicatur de vno per accidens. Neque valet dicere, quod recipit prædicationem per se secundæ substantię non ratione negationis, sed ratione naturæ incluſę, quia tunc esset tantum prædicatio eiusdem de seipso. Item primę substantię per se primò conuenit generari, & existere 2. Metaph. text. 34. & 35. & per se primò operari in proœmio Metaph. & similia, constituta item hæc esse munera positiua, quę exerceri non possunt per puram, & simplicem negationem.

35 Tertiò probatur ex Tromb. 5. Met. q. 5. §. *impugnata opinione* ita positiuè differt sub eadem specie vnum indiuiduum ab alio, sicut vna species ab alia sub eodem genere, sed vna species ab alia non differt per simplicem negationem, sed per aliquam differentiam sui constituiuam, ergo idem dicendum de indiuiduis. Conf. quia Franciscus differt à Ioanne, non quidem per simplicem negationem, quasi solum negatio quædam sit in vno, quæ non est in alio, sed omnino differt aliqua entitate positiua, quatenus est quædam entitas in vno, quæ non est in alio, & in hac entitate fundatur ista negatio. Conf. adhuc quia, cum non posse diuidi in plures partes subiectiuas sit eiusdem rationis in Francisco, & Ioanne, adhuc quærendum restat, vnde habeat vna illarum negationum, quod sit negatio Francisci, & Ioannis, nec satisfieri potest, nisi assignando aliquam realitatem positiuam seipsa prior hanc, & ab alia realitate positiua, quę est in Ioanne, primò diuersam, vt ait Doct. loc. cit. lit. C.

36 Quartò, probat idem, illud per quod species est athoma, & indiuisibilis est ens positiuum, ergo multo magis id, per quod indiuiduum est indiuiduum; probatur consequentia, quia vnitas numeralis est maior, & perfectior, quam sit vnitas specifica ergo sicut vnitas specifica est positiua, & passio entis positiui, ita vnitas indiuidualis erit positiua, & consequitur aliquod positiuum. Conf. quia vnitas, vt sic, est passio entis, siue formaliter in positiuo consistat, siue in negatiuo; ergo quotiescunque ponitur noua vnitas, etiam superaddi debet nouus entitatis gradus, ad quem talis vnitas consequatur, velut eius propria passio, neque enim ex eodem gradu entis diuersi gradus vnitatis promanare possunt, sed vnaquæque à suo gradu proportionato, nimirum vnitas transcendens ab ente, vt sic, generica à gradu entis generico, & specifica à specifico; cum igitur vnitas indiuidualis importet nouum gradum vnitatis, siquidem alię sunt vnitates communicabiles, ista verò incommunicabilis, planè concedit debet peculiaris gradus entis naturæ superadditus, ad quem vnitas indiuidualis consequatur, siue hæc formaliter in positiuo consistat, siue in negatiuo, de quo modo non est quæstio.

Demum probat Doctor per opinionem oppositam non responderi quæsito, sed ad idem responderi per idem, quę est manifesta petitio principij; dato namque quod per illam duplicem negationem constituatur indiuiduum formaliter in tali esse, quæro quare illa negatio conueniat indiuiduo, seu cur ei repugnet diuidi in plures partes subiectiuas. Si dicas propter illam duplicem negationem, petis principium idem assignando causam sui ipsius, est enim perinde, ac si diceres non potest diuidi, quia non potest diuidi. Quod amplius explicatur exemplo, si enim quæratur cur animal non sit lapis, & respondeas per negationem lapidis, non satisfacis quęsito, sed principium petis idem assignando pro causa sui ipsius, nam respondendo illi quęsito per negationem lapidis perinde est ac si dicas, animal non est lapis, quia non est lapis; sic ergo etiam in proposito petitur principium, dum quæstioni, propter quid indiuiduum non sit diuisibile in plures partes subiectiuas, respondetur per illam negationem ab Henrico assignatam, vide Mercen. disp. de princ. indiuiduationis, vbi etiam id probat auctoritatibus Arist.

37 In oppositum arguebat Henricus, vt refert Doctor, quia vnitas transcendens adæquatè conuenit enti, & solum addit supra ens negationem diuisionis in se, & identitatis cum alio; ergo proportionaliter vnitas indiuidualis erit negatio diuisionis in plura indiuidua, & identitatis cum quolibet alio indiuiduo; cum ergo indiuiduum formaliter aliud non dicat, quam vnitatem indiuidualem, consequens est, vt formaliter constituatur per illam duplicem negationem, quam vnitas indiuidualis importat. Deinde non potest facilè assignari quodnam sit hoc indiuiduationis principium, quod sit positiuum, non enim benè assignatur forma, nec materia, nec aliquod accidens; ergo melius, & facilius assignatur præfata negatio.

Respondet Doctor in primis assumptum esse falsum, quia vnitas transcendens superaddit enti quid positiuum, vt dictum est disp. 5. Met. q. 4. art. 1. deinde dato assumptum adhuc non sequitur ait Doctor, quod non habeat indiuiduum aliquam rationem positiuam, per quam insit ei duplex negatio, nam & vnitas specifica pari ratione significat duplicem negationem & tamen nullus negat entitatem positiuam esse rationem vnitatis specificæ, à qua entitate positiua sumitur ratio differentiæ specificæ; immo hinc sumitur argumentum pro nostra opinione, cum in qualibet vnitate minore vnitate numerali si dare entitatem positiuam, quæ sit ratio per se illius vnitatis, & illius repugnantiæ ad multitudinem oppositam, maximè vel æqualiter erit hoc dare in vnitate perfectissima, quæ est vnitas numeralis. Deinde etiam falsa est subillata minor, quod indiuiduum formaliter constituatur per vnitatem indiuidualem, hæc enim non est eius formale constitutiuum, sed potius passio consequens gradum entitatis indiuidualis per quam formaliter indiuiduum constituitur in esse indiuidui; sicut à pari neque natura specifica formaliter constituitur per negationem diuisionis in plures species, sed per differentiam specificam, ad quam talis vnitas consequitur, vt eius passio. Ad aliud satisfiet in sequentibus vestigando verum, & genuinum indiuiduationis principium.

38 Secundò arguitur, nihil potest intelligi habere conceptum realem, quod non intelligatur includere singularitatem, quia nihil potest existere extra causas, nisi sit singulare, cum ergo natura habeat conceptum realem obiectiuum, erit seipsa singularis per solam illam duplicem negationem absque alio positiuo superaddito.

Resp. sæpius dictum esse vtique quicquid à parte rei reperitur esse singulare, sed non eodem modo, quædam enim sunt intrinsecè, & quidditatiuè talia per inclusionem hæcceitatis in suo intrinseco conceptu, & talia sunt indiuidua ipsa; quædam verò sunt singularia tantum extrinsecè per coniunctionem & identitatem cum singularitate, & sic se habent naturæ communes singularibus immersę per realem identitatem, vnde gratis concedo conceptum obiectiuum naturæ communis esse realem, & esse in re, & non tantum in intellectu, licet cum coniunctione cum singularitate, quod non facit ipsum esse singularem intrinsecè, sed extrinsecè tantum.

Tertiò indiuiduum est formaliter tale per indiuisionem, vt ex ipso nomine constat, sed indiuisio non est aliud formaliter quam negatio diuisionis, ergo &c. Resp. indiuiduum posse considerari dupliciter, vel vt indiuiduum, ideſt vt ens per infimum gradum prædicamentalem constitutum in recta linea, vel vt vnum; hoc secundo modo vtique est formaliter tale per diuisionem, quia per talem negationem solet explicari vnitas, sed primo modo est formaliter tale per gradum infimum entis vltimò naturę communis determinatiuum, ad quem vnitas indiuidualis consequitur, velut eius propria passio; quæ etiamsi explicetur per negationem, secundum quod à nobis concipitur, adhuc tamen quod positiuum importat, vt dictum est disput. 5. cit. q. 4. art. 1. & quando etiam solam negationem importaret, adhuc concedendus est gradus entis positiuus, qui sit radix talis vnitatis, & fundamentum huiusmodi negationis, vt probatum est.

Postremò si natura per aliquid positiuum superadditum indiuiduatur; ergo in vnoquoque indiuiduo erit duplex entitas; Quod si dicatur cum Scoto hæcceitatem non formaliter entitatem, sed potius talitatem entis, quia cum sit vltima differentia non includit ens formaliter, & quidditatiuè, tunc adhuc magis habetur intentum, quod hæcceitas non sit entitas positiua, sed potius negatio quædam. Resp. vt dictum est, & negatur consequentia indè deducta, quamuis enim dicat Doctor hæcceitatem non esse formaliter ens, non tamen dicit, quod sit formaliter non ens, imò vult esse ens realiter, & identicè, quod sufficit vt sit in se conceptus positiuus, & non mera negatio.

QVÆSTIO IV.

An existentia sit principium indiuiduationis.

39 Refert Doctor 2. d. 3. qu. 3. vt veterem quorundam opinionem existimantium existentiam actualem (nam de actuali propriè hic est sermo, non de possibili) esse principium indiuiduationis rerum, & proindè non esse quærendum aliud quoddam principium, quia eo ipso, quod habent res existentiam, habet etiam formaliter per ipsam suam indiuiduationem, quam opinionem Scoti Marginiltæ abscribunt Bonet. 8. lib. Met. & Rogerico de Pacconis. Hanc opinionem iamdudum collapsam denuò erigere tentarunt Recentiores quidam apud Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 39. sect. 1. præmissa distinctione, quod existentiam esse principium indiuiduationis potest dupliciter intelligi, primò quidem tanquam principium formale constitutiuum indiuidui, itaut sit ratio formalis, per quam res indiuiduetur; alio modo tanquam principium radicale, itaut sit proxima radix, ex qua consequatur indiuiduatio, & in hoc secundo sensu hanc sententiam tuentur, non autem in primo, in quo sensu videntur illi Veteres esse locuti.

Pro resolutione, & recta intelligentia quæstionis propositæ aduertendum est hic non sumi existentiam, prout ab aliquibus vocabulis abutentibus solet vsurpari, pro subsistentia naturæ substantialis, qua vltimo terminatur, & constituitur in ratione suppositi quam ideò vocant existentiam, quia facit naturam existere in se, & non in alio (ex quo capite tamen adhuc melius vocaretur subsistentia) & dicunt existentiam in hoc sensu sumptam esse principium indiuiduationis accipiendo indiuiduum pro supposito, scilicet prout dicit primam substantiam omnino completam, & terminatam in se substantiali, ac in esse suppositi constitutam, adeout sit incommunicabilis alteri tam vt quo, quam vt quod, ideſt per modum formæ subiecto, & per

modum superioris inferiori ; non inquam, in hoc sensu est hic sermo de existentia, quia neque hic loquimur de indiuiduo sumpto pro supposito substantiali, sed de indiuiduo, vt sic, vt nimirum importat naturam pluribus incommunicabilem, vt quod, & per modum superioris, quo pacto indiuiduum etiam in accidentibus reperitur, idemque est quod singulare, & vnum numero ; sed hic accipitur existentia pro actu illo, quo vnaquæque res ponitur extra causas, & per quam formaliter terminat actionem producentis, quo pacto existentia conuenit etiam accidentibus, & de ea locuti sumus disp. 8. per totam. Rursus agitatur hæc quæstio supponendo aliquam intercedere distinctionem vel ex natura rei, vel saltim rationis cum fundamento in re inter essentiam, & existentiam ; si namque inter ea negetur qualiscunque distinctio, & asseratur existentiam nil prorsus esse præter actualem entitatem cuiuscunque rei, tunc idem esset asserere res indiuiduari per suam existentiam, ac esse per suam essentiam indiuiduas, atque seipsis, nulloque alio principio indiuiduationis indigere præter entitatem suam, vnde talis dicendi modus pertineret ad opinionem quæst. 1. huius disputationis iam refutatam, quod res quælibet indiuiduetur seipsa, non autem ad præsentem quæstionem, in ipsa supponimus principium indiuiduationis esse quidpiam naturæ superadditum re, vel ratione, & quærimus an hoc superadditum sit existentia ; hoc præaccepto.

40 Dicendum existentiam non esse principium indiuiduationis rerum nec formale, nec radicale. Hæc est communis, quam docent Scotus, & Scotistæ omnes loc. supracit. Suarez disp. 5. sect. 5. Pasqualig. disp. 39. sect. 2. Contaren. cit. c. 3. Ragul. disp. 24. cap. 11. & alij passim, quam variis probant rationibus ; Primo nonnulli Scotistæ cum Bassol. ita probant, & annuit Suarez loc. cit. nihil quod contingenter prædicatur de indiuiduo potest illud constituere in esse indiuidui, sed existentia prædicatur contingenter de omni indiuidua re creata, ergo non potest rem indiuiduam creatam constituere in esse indiuiduo ; minor patet, quia res omnes aliæ à Deo contingenter existunt, & solus Deus necessario existit ; maior clara est, quia id, quod constituit indiuiduum intrinsecè includitur in ratione indiuidui, ideoque de ipso necessario dicitur, imò implicat indiuiduum intelligi sine ipso. Hæc tamen ratio satis efficax non videtur ad conuincendum propositum, quia vt bene notat Pasqualig. si existentia actualis, de qua propriè hic est sermo, comparetur cum indiuiduis in actu positis, sanè per se illis conuenit, & necessariò de ipsis prædicatur, supposita namque eorum actualitate necessariò existunt, quia vt ait Philosop. 1. Perhier. omne quod est, quando est, necesse est esse, si etiam loquamur de existentia possibili, & comparetur pariter cum indiuiduis possibilibus, conuenit quoque illis necessario, & per se prædicatur de ipsis ; vnde existentia non videtur contingenter conuenire indiuiduo, nisi comparando existentiam actualem cum indiuiduo possibili ; & sic posset quispiam argumento ex contingentia existentiæ deducto respondere, quod vtique existentia actualis non benè ponitur principium indiuiduationis indiuidui possibilis, & hoc tantum concludere argumentum, benè tamen adhuc per existentiam actualem posse indiuiduare indiuidua actualia, & per possibilem possibilia ; & ideò etiam Bassolius loc. cit. 2. d. 12. qu. 4. hanc rationem reliquit tanquam dubiam.

41 Secundò probat Suarez, & annuit Pasqualig. quia hic agitatur hæc quæstio supponendo existentiam esse aliquo pacto ex natura rei ab essentia distinctam, tunc sic arguitur, actus singularis supponit potentiam singularem, hoc siquidem principium præsertim est verum in actu, & potentia ex natura rei distinctis, quia tunc potentia realiter supponitur actui saltim ordine naturæ, & est quid vnum distinctum à suo actu, & vnum non cogitatione, sed reipsa, & ideò fieri non potest, vt formaliter, & intrinsecè habeat vnitatem ab actu suo ; cum ergo in opposita sententia essentia, & existentia comparentur, vt distincta ex natura rei, sicut essentia eo modo, quo per se habet entitatem essentiæ distinctam ab existentia, & aptam actuari per illam, ita etiam habebit suam vnitatem, & indiuiduationem antecedenter ab existentia. Hæc tamen ratio non absolutè concludit, sed tantum contra Thomistas realiter essentiam ab existentia distinguentes, non autem contra Scotistas hanc ab illa distinguentes tantum ex natura rei modaliter, vt dictum est disp. 8. q. 2. art. 4. & contra alios distinguentes tantum ratione ratiocinata cum fundamento in re, sicut etiam illa propositio, actus singularis supponit potentiam singularem, est tantum vera de actu physico, & potentia physica, quæ realiter distinguuntur distinctione reali propriè dicta, quæ coincidit cum entitatiua rei à re, non de potentia metaphysica, & actu metaphysico, quæ sunt realiter, & entitatiuè identificata, & solum ex natura rei formaliter distincta, vel saltim ratione ratiocinata cum fundamento in re, vt dictum est supra in hac disp. nu. 27. hæc igitur ratio non absolutè concludit, sed tantum ex suppositione distinctionis realis propriè dictæ inter essentiam, & existentiam.

42 Tertiò, probant Pasqualig. cit. & Poncius disp. 6. Log. qu. 5. principium indiuiduationis debet coarctare, & determinare naturam, vt incommunicabiliter se habeat, & sit hæc numero designabilis : existentia autem nullum ex his præstat, non enim coarctat naturam, vt sit hæc numero designabilis, quia ex se non importat rationem coarctatiuam, & limitatiuam, sed tantum rationem quandam, qua res sit in actu extra causas, neque distinguit vnum indiuiduum ab alio, quia extrahere rem extra causas non est formaliter distinguere, totus autem effectus formalis, quem exhiber, in eo consistit, quod ponat rem in actu. Conf. quia existentia formaliter non habet alium conceptum, quam facere rem existentem, ergo non habet formaliter constituere rem distinctam numero ab alijs rebus, ergo non est principium indiuiduationis. Hæc tamen ratio cum sua confirmatione faciliter solueretur ab Auctoribus secundæ opinionis dicendo concludere tantum, quod existentia non sit principium formale indiuiduationis, quia non exhibet talem effectum formalem indiuiduandi rem, & distinguendi numeraliter ab alia ; non tamen probare, quod non sit principium radicale proximum, nam dum rem ponit in actu, & extrahit extra causas, ponit eam in tali statu, vt ad eam proximè sequi debeat indiuiduatio, & sic est proxima radix indiuiduationis, & sic hæc ratio non absolutè probat existentiam non esse principium indiuiduationis, sed tantum non esse principium indiuiduationis, sed tantum non esse principium formale, atque ideò procedit contra primam opinionem, non contra secundam.

43 Quartò, Itaque probanda est absolutè conclusio cum Doctore loc. cit. attendendo, quod indiuiduatio natura sua est prior existentia, itaut existentia supponat indiuiduationem, sic enim absolutè probabitur existentiam nedum non esse principium formale indiuiduationis, sed nec etiam radicale, & cum hoc probatum fuerit de existentia actuali in ordine ad essentiam actualem, facilè quoque probabitur de possibili in ordine ad possibilem ; hoc autem probat Doctor hac ratione, quam verbatim referam, nec minimum immutabo, quia vt ab ipso disponitur, est clarissima, & efficacissima ; quod non est ex se distinctum, & determinatum non potest esse primum distinguens, ac determinans aliud, sed esse existentiæ eo modo, quo distinguitur ab esse essentiæ, non est ex se distinctum, ac determinatum, non enim esse existentiæ habet proprias differentias alias à differentijs esse essentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum aliam à coordinatione essentiarum, sed præcisè determinatur ex determinatione alterius, igitur non determinat aliquod aliud. Conf. quia illud, quod præsupponit coordinationem, & distinctionem alterius non est prima ratio distinguendi ipsum, vel determinandi ipsum, sed existentia, vt determinata, & distincta, præsupponit ordinem, & distinctionem essentiarum, ergo &c.

Et si dicatur, quod præsupponit distinctionem, & determinationem essentiarum aliam ab illa, quæ est ad indiuidua, sed illam quæ est quasi per indiuiduum, caulat. Contra, instat Doctor, in coordinatione prædicamentali sunt omnia, quæ per se pertinent ad illam coordinationem circumscripto quocunque quod nihil est illius coordinationis, quia secundum Philosophum 1. Post. 34. status est in quolibet prædicamento & in sursum, & in deorsum ; igitur sicut inuenitur supremum in genere præcisè considerando illud sub ratione essentiæ, & inueniuntur genera intermedia, & species, & differentiæ, ita inuenitur etiam infimum, ideſt singulare absque omni existentia actuali, quod patet euidenter, quia hic homo non plus includit formaliter existentiam actualem, quam homo ; ita discurrit Doct. loc. cit. quo discursu euidenter probat existentiam supponere indiuiduationem in natura, & Petrum esse distinctum numero à Paulo, siue existat, siue non existat, ideoque illud, quo constituitur distinctus indiuidualiter ab alio, non esse existentiam. Sed quia quis adhuc posset respondere hac ratione probari tantum indiuiduum possibile, quale est tantum secundum quod ponitur in prædicamento, per existentiam actualem indiuiduari non posse, non tamen probare, quin possit indiuiduum actuale indiuiduari per existentiam actualem, & possibile per possibilem ; præter quam quod hoc est falsum, quod res disponantur in prædicamento quatenus præcisè sunt possibiles, nam potius ponuntur in prædicamento secundum quòd ab vtroque statu præscindunt tam scilicet possibilitatis, quam actualitatis, & ratio est, quia disponuntur in eis secundum esse essentiæ, hæc autem indifferenter respicit statum possibilitatis, & actualitatis, quia in vtroque statu illæsa seruatur, cum in vtroque retineat connexionem prædicatorum essentialium, in qua formaliter consistit. Quamuis, inquam, sic sufficienter excluderetur præfata responsio, libet tamen adhuc aliam subdere rationem, quæ vniuersaliter probet de existentia tam actuali, quàm possibili.

44 Quintò, itaque probatur vniuersaliter essentiam non posse indiuiduari per existentiam non essentiam actualem per existentiam actualem, nec possibilem per possibilem, & quidem quod indiuiduari nequeat tanquam per ipsummet principium formale indiuiduationis satis probatur, vt dixi, per tertiam rationem, quia nimirum effectus formalis indiuiduationis est omnino diuersus ab effectu formali existentiæ, nam effectus formalis indiuiduationis est determinare naturam ad infimum gradum entis, vt incommunicabiliter se habeat, & sit hæc numero designabilis, tota verò ratio formalis existentiæ siue actualis, siue possibilis reducitur ad id, vt sit ratio ponens extra causas rem illam, cuius est existentia, actualis enim actu ponit, potentialis verò potest ponere. Sed probatur vlterius, quod nec etiam posit possit principium indiuiduationis radicale proximum, & ratio est, quia indiuiduatio vniuersaliter in essentia præcedit existentiam tam in esse actuali, quam in esse possibili ; ergo tantum abest, vt existentia sit proxima radix indiuiduationis, vt potius è contra res se habeat, quod existentia sequitur ad indiuiduationem, non è contra, probatur assumptum, quia existentia ex natura sua est actus vltimus ordinatus ad constituendam rem extra causas ; ergo suppo-

nit

nit rem sic extra causas constituendam completam quoad omnem gradum essendi prædicamentalem etiam vltimum; qui est indiuidualis, non enim potest fieri existens sola animalitas absque rationalitate, aut sola humanitas absque indiuiduatione; ergo vt res dicatur possibilis existere prius intelligitur indiuidua, vel indiuiduabilis, quia inter alios gradus necessarios pro complemento cuiuscunque entitatis præsertim requiritur indiuidualis. Verum est vtiq; quod sicut existentia actualis identificatur cum essentia actuali, vt modus eius intrinsecus, ita quoq; existentia possibilis cum possibili, vt dictum est disp.8.q.2. attamen in statu actualitatis, quam possibilitatis indiuiduatio intelligitur natura præcedere existentiam, sicut vniuersaliter differentia in qualibet re constituta præcedit modum intrinsecum, vnde ex hoc noua ratio deduci potest ad conuincendum propositum; singularitas constituit indiuiduum, vt differentia vltimò contrahens, & determinans naturam, existentia verò ad illud se habet, vt modus intrinsecus, sed à toto genere differentia præcedit in constituto modum intrinsecum; ergo à toto genere indiuiduatio in essentia præcedit existentiam tam in esse actualitatis, quam possibilitatis, & sic sequitur non posse existentiam poni indiuiduationis principium nec formale, nec radicale.

Deniq; probat Doctor per oppositam opinionem non satisfieri quæsito de principio indiuiduationis naturæ, est enim eadem quæstio de existentia, quo contrahatur, & fiat hæc, perinde ac de natura; & ratio est, quia existentia quantum est ex se est quid commune pluribus, reperitur enim in singulis indiuiduis, neq; ex vi suæ rationis formalis est ratio distinguendi indiuidua, conueniunt enim in hoc, quod omnia habeant existentiam; ac proinde in ipsamet existentia considerari potest ratio communis existentiæ, vt sic, & ratio peculiaris huius existentiæ, vel illius; ergo de ipsa existentia adhuc inquirendum superest, per quid contrahatur, & fiat hæc, acideò benè Doctor concludit opinionem oppositam non satisfacere quæsito.

15 In oppositum adducit Bass.loc.cit.& soluit nonnulla argumentatione spernenda, quæ etiam affert Meurisc.cit. concl.8.sed Bassolium non memorat; illud est principium indiuiduationis, ad quod generatio primò terminatur, quia ad indiuiduum, vt singulare est, & hoc, primò terminatur generatio; sed hoc est esse existentiæ actualis, generatio enim ad esse in actu terminatur, ergo &c. Tum 2. vltima vnitas rei debet conuenire per vltimum actum, tanquam per proximum, & immediatum fundamentum, sed vnitas indiuidualis est vltima vnitas rei, & perfecta, esse autem existentiæ est vltimatus actus, ergo &c. Tum 3. esse in actu, quod est esse existentiæ, & esse in intellectu sunt opposita, & vniuersale, & singulare, vel indiuiduum sunt opposita; sed per esse in intellectu est natura vniuersalis, ergo per existere in effectu est res, & natura particularis. Tum 4. illud est principium indiuiduationis; quo existente vnito res est vna, & quo multiplicato res multiplicatur, sed esse existentiæ est huiusmodi, quia vnius rei vnicum est esse, ergo &c. Tum tandem, quia per esse existentiæ vnum indiuiduum distinguitur realiter, & numeraliter ab alio, ergo &c.

Resp. ex eodem Bassolio vtiq; indiuiduum actu existens terminare generationem primò, hinc tamen non necessariò sequi existentiam esse ipsummet indiuiduationis principium, sed ad veritatem illius propositionis sufficere, quod existentia concomitetur principium indiuiduationis; vnde si existentia ponatur terminus generationis, tunc licet generatio sit singularis, & existentis, non tamen vt singularis, sed vt existentis; si autem non sit terminus generationis, sed magis totum indiuiduum existens, vt verius est, tunc debet negari minor. Ad 2. Doct. ipse respondet existentiam esse vltimum actum posteriorem tota coordinatione prædicamentali, non autem per se pertinentem ad talem seriem, actus autem vltimus, quem sequitur vnitas indiuidualis, spectare debet ad seriem prædicamentalem; vnde conceditur, inquit Doct. quod existentia distinguit vltimatè, sed distinctione, quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem, quæ distinctio est aliquo modo accidentalis, licet non in rigore, quia existentia non est purum accidens physicum indiuidui, sed modus intrinsecus; sed etiam respondet Bassol. sed vnum addit, quod approbare non possum scilicet rem non esse in genere metaphysico in actu, nisi existat in actu, cuius oppositum expressè docet Doctor in hac quæstione, & omnes Peripatetici, quia res, vt sunt in prædicamento, ab actuali abstrahunt existentia. Ad 3. opus non est, quod res est vniuersalis per esse in intellectu, quod ob id singularis esse debeat per esse in re, sed sufficit, quod singularitatem in re comitetur actualis existentia, & in hoc sensu verificatur, quod sicut res est vniuersalis in intellectu, ita est singularis in re, & in effectu, siue existentia ipsum in tali esse constituat, siue ipsum comitetur in tali esse, immo in rigore loquendo negandum est rem fieri vniuersalem præcisè per esse in intellectu, nam alia requiruntur ex dictis disp. præced. q.vlt. nempè præcisio à singularibus, aptitudo essendi in illis &c. sicut ergo dicere non valet, natura est in intellectu, ergo hoc ipso formaliter est vniuersalis in actu, quia adhuc alia desiderantur; ita dicere non valet, natura est à parte rei, siue actualiter existit, ergo hoc ipso, ideſt per ipsam existentiam est singularis, sed consequentia valet tantum materialiter, ob necessariam connexionem singularitatis cum existentia. Ad 4. illud est principium formale indiuiduationis, quo multiplicato res primò multiplicantur, sicut principio formali, non concomitatiuo, vel conlecutiuo, & quo vnico res primò est vna singulariter, hoc autem non est actualis existentia, vt probatum est, sed aliquid prius. Ad vlt. vnum indiuiduum non primò distinguitur singulariter ab alio per suam actualem existentiam, sed per aliquid prius; verum tamen est quod ad constituendum integrum, & totale fundamentum distinctionis realis propriè dictæ, quæ dicitur entitatiua, & rei à re, requiritur singularitas simul cùm existentia iuxta dicta de tali distinctione disp.6.Met.q.8. nu.182. quæ etiam solutio adhuc magis verificatur in communi sententia, quæ asserit diuersitatem existentiarum esse tantum signum à posteriori realis distinctionis, non autem formale constitutiuum, nam sic dicendo innuitur distinctionem realem inter aliqua duo fieri per singularitates eorum, quæ postea à posteriori manifestatur per diuersas eorum existentias.

46 Deinde arguitur vlterius probando existentiam esse saltim radicale principium indiuiduationis; omnia existentia sunt indiuidua, & quod non est indiuiduum nequit existere, & productio, quę communicat esse actuale, & facit existens, eo ipso communicat esse indiuiduum, non alia ratione, nisi quia eo ipso, quod res determinat ad existentiam, determinatur etiam ad esse indiuiduum, ergo existentia est proxima indiuiduationis radix. Tum 2. quia vnitas indiuidualis fundatur in esse rei, tanquam in radice, itaut ex eo quod res habeat esse, sit etiam indiuidua, sed existentia est vltima ratio constitutiua rei in suo esse; ergo fundatur proximè, & immediatè in ipsa. Tum 3. quia si consideratur natura solum secundum essentialia præcisa existentia, præscindit ab indiuiduatione, & est communicabilis multis, posita autem existentia fit incommunicabilis, & ita in se indiuisa, vt sit etiam diuisa à quocunq; alio; ergo existentia est proxima radix indiuiduationis, siquidem ex vi illius immediatè sequitur, quod sit indiuidua. Demum indiuiduatio non ingreditur esse rei, sed est extra ipsum, tanquam quid consequens, existentia verò ingreditur esse rei, & vltimò complet, & proindè res vnaquæq; ratione existentiæ possibilis substernitur potentiæ agentis, & ratione existentiæ actualis constituitur terminus illius; ergo existentia est immediata radix indiuiduationis, indiuiduatio enim possibilis consequitur rem potentem existere, & indiuiduatio actualis rem actualem; hæc argumenta refert Pasqualig.loc.cit.pro illa secunda sententia ab initio relata.

Resp. ex dictis omne existens esse indiuiduum, & nihil existere posse quin sit indiuiduum, non quia existentia sit ipsa formalis indiuiduatio, sed quia necessariò, & indispensabiliter existentia sequitur esse indiuiduale, ac in esse indiuiduali fundatur, vnde sicut ex hoc quod homo est risibilis, colligitur à posteriori esse rationalem, ita ex hoc quod aliquid est existens, vel existere potens colligitur, quod sit indiuiduum actualiter, vel potentialiter, & ideo fallum est, quod assumebatur in argumento, determinationem fieri prius ad esse existens, quam ad esse indiuiduale, cum res potius è contra se habeat, vt supra probatum est. Ad 2. vt benè notauit Pasqual. falsa est maior, & minor, maior quidem, quia vnitas indiuidualis fundatur in esse indiuiduali, non autem in esse existentiæ, quia passiones quæ per se alicui conueniunt, ei conueniunt independenter ab existentia, est quoq; falsa minor, quia existentia non constituit rem in suo esse, quasi conferat ipsi nouum gradum intrinsecum essendi, sed tantum idem esse modificat, quatenus facit illam esse in actu, si de existentia loquamur actuali, aut esse possibilem si sermo sit de possibili. Ad 3. ideò considerando naturam quoad essentialia dicitur præscindi ab existentia, & indiuiduatione, non quia hęc sint formaliter idem, sed quia vtrumq; est extra essentiam rei; absolutè tamen loquendo, vt rursus benè aduertit Pasqu. ex doctrina Scoti, potest fieri in natura præcisio à sola existentia non facta præcisione ab indiuiduatione præsertim loquendo de existentia actuali, tale enim est indiuiduum, vt ponitur in prędicamento, & sic indiuiduum dicitur Petrus modò possibilis; ideò autem posita existentia dicitur etiam natura esse indiuidua, non quia existentia sit ipsa indiuiduatio, aut ad eam consequatur, vt in argumento deducitur, sed potius quia existentia semper indiuiduationem supponit, & ideò natura nunquam esse potest existens, quin sit indiuidua. Ad vlt. negatur assumptum, nam potius res è contra se habet, quia indiuiduatio licet non pertineat ad esse quidditatiuum indiuidui, quod in solis prædicatis specificis dicitur consistere, pertinet tamen ad esse intrinsecum, ac entitatiuum eius, quia est differentia constituens indiuidua cum natura specifica in vltimo esse determinabili intrà seriem prędicamentalem; existentia verò non est differentia constituens indiuiduum, nec pertinens ad intrinsecum eius conceptum, sed tantum modus eius intrinsecus, & solum pertinet ad esse rei, non quia conferat nouum gradum essendi, sed quia facit illud in actu; & ideò negatur consequentia inde deducta.

QVÆSTIO V.

An accidentia sint principium indiuiduationis.

47 DE hac quæstione agit disertè, & vberrimè Doct.2.d.3. qu.4. quæ dupliciter ventilari potest, vt ipse notat ibidem, primò de tota collectione accidentium in vniuersum, quæ in singulis substantijs reperitur, cui etiam quædam extrinseca sunt annexa, vt locus, tempus &c. an scilicet tota ista accidentium collectio sit principium formale indiuiduationis illius rei, in qua reperitur, & in hoc sensu quæstio nedum habet locum in substantijs materialibus, sed etiam ad spirituales creatas extenditur, quandoquidem & ipsæ sua

habent accidentia spiritualia ; imò in hoc sensu etiam extendi potest ad indiuidua accidentium , siquidem tenent nonnulli mox citandi res omnes in vniuersum etiam accidentia comprehendendo , vt qualitates, actus intellectus , voluntatis &c. indiuiduari ex ordine ad has numero causas , & circumstantias temporis , & loci , in quibus primò producitur ; secundò tractari potest specialiter de aliquo accidente , scilicet de quantitate quam nonnulli putarunt esse principium indiuiduationis substantiæ,& in hoc sensu quæstio habet locum dumtaxat in substantijs materialibus , siquidem in his solum quantitas reperitur, & non in alijs ; & iuxta hunc duplicem quæstionis sensum duplex quoque est affirmatiua opinio. Prima opinio asserit totam accidentium collectionem esse principium formale indiuiduationis substantiarum in quibus reperitur , cui fauere videntur nonnulli SS. Patres Boetius, Damascenus, Basilius infra citandi, item Auicen, & Porphyrius c. de specie , dum indiuiduum descripsit per ordinem ad huiusmodi collectionem ; ac etiam subscribere videntur Recentiores quidam , quatenus asserunt quamlibet rem indiuiduari per ordinem ad has numero causas,& circumstantias temporis,& loci,in quibus primò producitur , vt Vasquez tom.1. in tertiam partem disp.94. c.7.& Suar.tom.2. in 3.part. disput.44. sect.6.licet postea disp.5. Met. sect.6.& lib.1.de concursu Dei c.7. nu.4. oppositum doceat. Secunda opinio asserit quantitatem specialiter esse principium indiuiduationis substantiæ materialis,pro qua citatur in margine Scoti Gotfred. quol. 6.q.16.& quol.7.qu.5. cui etiam ex parte fauent Thomistæ , dum docent materiam quantitate signatam esse principium indiuiduationis substantiarum materialium , de quo quæst. sequ.

ARTICVLVS I.

Neque collectio accidentium , nec ordo ad circumstantias extrinsecas est principium indiuiduationis .

48 CONclusio huius articuli ponitur à Doctore loc.cit.& communiter recipitur in omni Schola , quam tenent Ragus. & Contar.loc.cit. Pasqual. disp.36. sect.2. Auers. q.19. sect.4. Faber , Rada , Meurisse , Tromb.Lich. Tat. Bassol. & omnes denique Scotistæ loc.cit.verum tamen est Auctores istos non ponere conclusionem in terminis , nisi quoad primam partem , non autem quoad secundam , de qua tamen est maior controuersia cum Recentioribus præsertim ; & quidem per hoc solum sufficienter probaretur conclusio , quod Deus facere potest substantiam sine omni accidente , non tamen sine singularitate , sed alij rationibus etiam libet eam probare quoad vtramque partem . Quoad primam partem probat conclusionem Doctor , §. *contra istam* , tribus vijs , primò ex identitate rationis numeralis , siue indiuiduationis , vel singularitatis ; secundò ex ordine substantiæ ad accidentia ; tertiò ex ratione coordinationis prædicamentalis, quas ergo ad faciliorem captum inuerso ordine proponam inchoando ad vltima .

Primò igitur probatur ex ratione coordinationis prædicamentalis , sic , in quacunque coordinatione prædicamentali sunt omnia pertinentia ad illam coordinationem circumscripto quocunque alio , quod non est aliquid illius coordinationis essentialiter,quia duæ coordinationes sunt primò diuersæ , vel saltim impermixtæ , & ita nihil vnius est tale per aliquid coordinationis alterius ; sed ad seriem substantiæ in sursum,& deorsum,sicut pertinet aliquod primum prædicatum , de quo nihil prædicatur , ita pertinet infimum subiectum , cui nihil subijcitur ex 1. Post. 34. ergo singulare , vel indiuiduum est in qualibet coordinatione per nihil alterius coordinationis . Conf. in qualibet coordinatione circumscripto quocunque alterius coordinationis est ratio speciei , nam speciem nulla opinio fingit in aliquo genere esse per rationem alterius generis præsertim loquendo de absolutis;sed de ratione speciei est,quod sit de pluribus differentibus numero prædicabilis ; ergo in qualibet coordinatione potest inueniri aliquid intrinsecè indiuiduum, & singulare, de quo species prædicatur . Conf. adhuc infimum subijcibile , & subiectum recipit per se prædicationem cuiuslibet prædicabilis , sicut primum prædicatum prædicatur per se de quolibet illius coordinationis ; sed ens per accidens inquantum ens per accidens nullius recipit prædicationem per se; igitur infimum subijcibile non potest esse ens per accidens, & consequenter substantia singularis non constituitur formaliter in esse indiuiduo per vnum,vel plura accidentia,quia tunc esset ens per accidens aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, sed intrinsecè constituitur per indiuiduationem substantialem . Dices indiuiduum substantiæ esse incompletum . Contra, vt sit completum sufficit , vt sit vlterius indiuisibile , & incommunicabile vt quod ; est autem tale citra quodcunque accidens . Tum quia tale complementum,cum sit substantiale,nequit haberi ab accidente, ergo habet illud in suo genere.

49 Respondet Caiet. de ente, & essentia c.2. quod aliud est loqui de his , quæ ponuntur in prædicamento , & de ratione reponendi ea in illis , aliud verò de conditione , sine qua non reponuntur ; res quidem reposita in prædicamento substantiæ , & ratio reponendi eam est necessariò substantia , conditio autem sine qua non , qualis est indiuiduatio , non inconuenit , quod exigat aliquod accidens, vt quantitatem;ratio autem reponendi primam substantiam in prædicamento substantiæ non est singularitas, sed substantia . Hæc tamen solutio est voluntaria prorsus, quia, vt infra patebit, differentia indiuidualis substantiæ primæ non est tantum conditio reponendi eam in genere substantiæ , sed est differentia per se primò illius constitutiua , atque ideò est quædam substantialis realitas ad idem genus pertinens cum ipsa substantia,cuius est differentia,vt docet Doctor 2.d.3. qu.6. Quod etiam confirmari potest ex paritate de specie , ita namque se habet differentia specifica substantialis ad speciem constituendam , sicut se habet indiuidualis ad primam substantiam , & indiuiduum substantiale ; sed differentia specifica non se habet tantum velut conditio sine qua non in constitutione speciei in genere , sed est pars metaphysica simul cum genere eam constituens , & ratio reponendi eam in tali genere , ergo idem pariter dicendum de indiuiduali differentia in ordine ad primam substantiam . Minor patet , probatur maior , quia differentia indiuidualis primæ substantiæ ita est ei intrinseca , ac de eius conceptu , sicut specifica est de conceptu speciei . Deinde prima substantia , vt talis , neque est in subiecto , neque dicitur de subiecto ; ergo eius indiuiduatio non est aliquod accidens , nec vllo pacto coexigit accidens , quia si esset accidens , tunc ratione indiuiduationis peteret esse in subiecto . Præterea substantia prima , vt talis , est fundamentum cæterorum , quia destructis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere ; ergo vt talis non includit accidens , aut coexigit accidens , cui repugnat omninò esse primum fundamentum cæterorum .

50 Secundò , Probatur ex prioritate substantiæ respectu accidentium , nam ex 7. Met. cap. 4. substantia à toto genere est naturaliter prior omni accidente , vnde inter ea non conuertitur subsistendi consequentia , benè enim tenet , est accidens , ergo est substantia , non tamen è contra , est substantia, ergo est accidens , quia substantia non dependet in suo esse , & fieri ab accidente , sed è contra ; ergo substantia secundum totum suum genus est prior accidente , etiam quoad indiuiduum præcedit accidens , nec vt fiat indiuidua egebit accidente . Si dicas substantiam in communi esse priorem quolibet accidente , non tamen substantiam primam . Contra, *quia substantia* , vt dictum est , præcedit accidens à toto genere , vt ostendit Doct. ex intentione Arist. loc. ci. ergo si substantia in communi præcedit accidens in communi , etiam substantia in particulari , præceder quodlibet accidens in particulari , eandem namque proportionem prioritatis , & posterioritatis seruat indiuidua substantia ad sua accidentia indiuidua , quam seruat substantia vt sic , ad accidens, vt sic. Tum quia, vt instat Doctor , quandocunque aliquid est prius altero , maximè primum illius est prius ipso , sed maximè primum substantiæ in communi est substantia prima ; igitur substantia prima est prior simpliciter omni accidente . Si rursus dicas substantiam esse priorem accidente in essendo, non tamen in diuidendo, & indiuiduando . Contra instat Doctor , quia hæc responsio seipsam destruit, nam si prima substantia est prior naturaliter omni accidente , & non potest intelligi prima substantia in suo esse , nisi inquantum hæc, ergo non erit hæc per aliquod accidens . Conf. eodem modo substantia est prior naturaliter omni accidente , quo est subiectum , & causa omnium accidentium , inquantum enim subiectum probatur esse prius definitione omni accidente , quia sic ponitur in eius definitione per additamentum ; sed vt est subiectum , & causa eorum est hæc substantia , quia secundum Philosophum 12. Met. singularium effectuum sunt causæ singulares in quocunque genere causæ ; igitur singularis accidentis singulare subiectum est causa ; & hoc maximè verificatur de accidente per accidens , quia illud primò inest singulari secundum Philosoph. 5.Met. ca. de eodem; quod etiam euidenti ratione probatur , quia vt patet ex Physicis causa causare nequit , nisi actu existat , & consequenter , nisi sit indiuidua , quod præcipuè elucet in causa materiali ex modo causandi eius , quia causat exhibendo seipsam tanquam subiectum recipiens , & proinde habere debet suum esse entitatiuum substantialiter determinatum in indiuiduo . Demum ratione talis prioritatis potius accidentia indiuiduari deberent per ordinem ad substantiam,vt solent dicere Thomistæ,quam è contra,licet neque illud cum veritate cohæreat, vt inferius patebit , ergo omnino absre ponitur substantia indiuiduari per accidentia.

Respondet Caiet. loc. cit. quod licet id , quod est in prædicamento substantiæ sit prius simpliciter in quolibet alio prædicamento , & præsertim in genere causæ materialis , quia substantia est primum subiectum accidentium ; tamen aliqua conditio , sine qua indiuiduum vt sic , non est in prædicamento ; potest esse prior substantia , vt singularizata , in genere causæ formalis , estò sit alterius prædicamenti ; materia enim signata est causa quantitatis in genere causæ materialis , ac indiuiduationis eius , & quantitas est causa materiæ signatæ , ac eius indiuiduationis in genere causæ formalis ; nec est inconueniens (inquit) causam in causando dependere à causato , non vt causato , sed vt causa est secundum aliud genus causæ ; neque implicat causatum esse causam suæ causæ , dummodo id contingat indiuerso genere causæ . Sed iam probatum est singularitatem non esse solam conditionem , sed veram & propriam rationem reponendi primam substantiam in genere substantiæ , quia est differentia constitutiua eius in esse substantiæ primæ , vt sic . Deinde hoc etiam admisso, adhuc solutio non subsistit, quod enim est effectus alicuius non dat illi conditionem necessariò requisitam ad causandum seipsum , quia tunc idem dependeret à seipso, & esset prius, & posterius seipso , cum ergo accidens sit effectus substantiæ in genere causæ materialis,nequit præstare

præstare substantiæ conditionem requisitam ad causandum, qualis est singularitas. Quod autem ait Caiet. id conueniens non esse in diuerso genere causæ iamdudum reieci vberrimæ disp.8.Phys.q.1.artic.1.n.6. quia tunc idem esset realiter, & essentialiter prius, & posterius respectu eiusdem, si enim A, est causa materialis B, erit realiter prius ipso, & si B est causa formalis A, erit realiter prius ipso A causato, & sic eidem respectu eiusdem erit realiter, & essentialiter prius, & posterius.

51 Tertiò probatur ex identitate singularitatis, & separabilitate accidentium, impossibile est, quod substantia non mutata substantialiter de hac substantia fiat non hæc, vel è conuerso, de non hac fiat hæc, sed si esset aliquod accidens principium indiuiduationis substantiæ hoc esset possibile, ergo &c. maior videtur ex terminis nota, implicat enim Petrum fieri non Petrum, vel fieri Paulum nihilo prorsus de eius substantia immutato, probatur minor, quia substantia sine contradictione potest fieri, & esse sine quocunque accidente, quia est prior naturaliter illo, igitur ipsa non mutata substantialiter de hac fieret non hæc per solam accidentium variationem similiter non hæc substantia posset fieri hæc, quia vnam substantiam panis potest Deus facere sub accidentibus alterius, sicut patet. Forte dices hanc rationem procedere per miraculum, & ideò non concludere contra rationem naturalem. Contra, hoc vtique verum est, sed miraculum non est respectu contradictoriorum, quia tunc miraculum non esset, sed simpliciter impossibile, includit autem contradictionem quod aliquid substantialiter non mutatum de non hoc fiat hoc, vel è conuerso; procedit ergo per miraculum ratio ex eo capite, quo supponit posse substantiam expoliari à Deo quocunque accidente, hoc enim est supra naturæ cursum, & viribus naturalibus impossibile; sed quod aliqua substantia de non hac fiat hæc; vel è contra penitus substantialiter immutata, id, inquam, æque miraculosè fieri potest, quia hoc implicat contractionem, atque ideò diuinam quoque omnipotentiam subterfugit; quod etiam videndi potest à simili de natura specifica quia implicat hominem v.gr. substantialiter non immutatum in suis principijs specificis fieri non hominem, vel brutum, ergo pariter in proposito implicat hanc substantiam substantialiter immutatam fieri non hanc, vel aliam per solam accidentium variationem. Confirm. quia etiam de facto mutantur accidentia in vno, eodemque indiuiduo, atque ideò fit diuersa accidentium collectio, & tamen semper censetur idem substantiæ indiuiduum. Neq; dicas nunquam variari posse omnia accidentia simul, sed aliqua remanere alijs variatis, ideoque censeri idem indiuiduum. Nam si accidentia variata sunt ex maiori parte planè non est amplius eadem accidentium collectio, & consequenter variata est indiuidualis differentia, si in tali accidentium collectione indiuisibiliter consistebat. Vel si naturaliter id contingere non potest, tamen fieri potest per diuinam potentiam, & tamen in tali adhuc casu manet idem substantiæ indiuiduum, quia nulla est facta intrinsecè mutatio in substantia illius indiuidui.

52 Demum omne accidens commune, quod dicitur accidens, per accidens, supponit rem, cui debet inexistere singularem; ergo nihil potest indiuiduari per id, quod sibi accidit consequentia patet, probatur assumptum, quia in hoc differunt accidentia propria, & communia, quod propria primò insunt naturis communibus, vt risibilitas humanitati, & per hæc non potest res indiuiduari, quia sunt æquè communicabilia, sicut naturæ communes; communia verò accidentia insunt primò indiuiduis, & per indiuidua naturis, vnde ideò dicimus hominem esse album, quia hic homo est albus, supponunt igitur accidentia res, quibus insunt, singulares. Dices, quod quando assignatur pro principio indiuiduationis collectio accidentium, intelligi non debet de accidentibus absolutis solummodo, sed præcipuè de relatiuis, vt sunt forma, figura, respectus ad tempus, & locum, nam talis collectio nequit reperiri aut abiq; illa natura singulari, in qua semel existit, aut in pluribus naturis singularibus. Contra, nam hæc quoq; accidentia etiamsi alligata forent necessariò, & indispensabiliter huic naturæ singulari, non tamen eam efficiunt singularem, sed eam supponunt talem ex vi huius vltimi argumenti; tum quia falsum est hæc quoque accidentia esse necessariò huic naturæ alligata, nam forma, & figura accidentalis separatur à pane in Eucharistia, & posset eadem numero in alio pane reponi nouiter sub ipsa producto; potest etiam vna substantia simul cum alia in eodem tempore produci, ac etiam in eodem loco existere successiuè naturaliter, & simul supernaturaliter, non ergo illa accidentia sunt adeò huic naturæ singulari alligata, quin possint in alijs reperiri. Dices respectum huius singularis substantiæ ad hunc locum, & tempus non posse reperiri in alia substantia. Hoc nihil ad propositum refert, quia non ob id sequitur hanc substantiam per talem respectum indiuiduari, quia potuisset illa substantia absolutè loquendo in alio loco, & tempore produci, ac etiam alia substantia potuit produci in eodem loco, & tempore, quo illa producta fuit, quod sufficit ne dicatur illa substantia per respectum ad hunc numero locum, & tempus indiuiduari, vt nunc magis patebit probando conclusionem quoad alteram partem.

53 Altera pars conclusionis effectum nempe non indiuiduari per ordinem ad has numero circumstantias extrinsecas agentis subiecti, loci, temporis &c. latè probatum est disput.8. Phys. q.2. artic.3. & nunc rursus ostenditur ex ibi dictis, quia indiuiduatio v. g. caloris hodie producti in mea manu hic Meldulæ nequit referri in agens quia agens naturale, est indifferens ad hoc, vel illud indiuiduum producendum, non ergo penes ipsum determinatio talis effectus potest attendi, neq; attendi potest ex parte subiecti ob eandem rationem, quia & ipsum indifferens est passiuè ad recipiendum hunc, vel illum numero calorem; neq; ex parte loci, quia calor in mea manu existens indifferens est, vt sit hic in cella, vel schola, vel templo, quocunque enim vado, ipsum mecum defero quamdiu in manu mea conseruatur, & è contra in eodem loco producuntur ab igne diuersi numero calores. Neq; attendi potest ex parte temporis eadem de causa, quia indifferens est hic calor, vt hodie, vel cras producatur, aut duret in manu mea, nam pluribus partibus temporis idem numero coexistere potest, & in eodem tempore alius diuersus numero calor potuit produci; non ergo potest effectus indiuiduari per ordinem ad has circumstantias. Confirm. quia si hic calor de facto ab igne procedens ex natura sua determinatè hunc ignem respiceret, & qui procedit à Sole Solem, tunc sequitur contra communem hos esse calores specie diuersos, quia determinatè respicerent causas specie diuersas, vt producantur; & idem argumentum fieri potest de eodem calore in ordine ad subiectum, nam si productus ab igne in manu mea ita determinatè respicit pro subiecto manum meam, vt non potuerit esse in aqua; ergo erit specie diuersus à calore, quem ignis producit in aqua, quia petunt subiecta specie diuersa.

Respondent, quod licet indiuiduatio effectus attendi nequeat penes vllam ex dictis circumstantijs per se sumptam, quia vnaquæque seiunctim indifferens est ad hunc, vel illum effectum attamen attendi potest penes omnes simul sumptas, quia tota collectio illarum petit determinatum effectum. Contra, nam hanc solutionem refello disput.8.Phys.cit.nu.44. & nunc rursus impugno, nam quæro de illis circumstantijs, ex quarum collectione effectus indiuiduatur, vel sunt singulares per proprias differentias indiuiduales, vel indiuiduantur præcisè ex illa collectione, & combinatione adinuicem; hoc secundum dici non potest, quia tunc ante talem combinationem nec agens, nec subiectum, nec locus, nec tempus fuissent singularia, sed communia, quia de causa etiam conueniendo in vnum in ipsa actuali combinatione nequibit vnum determinare aliud, quandoquidem nullum commune alteri communi additum, illud cui additur singulare facere potest, quia nemo dat, quod non habet; si primum admittatur, quod nempè illæ circumstantiæ sint singulares per proprias differentias indiuiduales, idem quoque de ipsis effectibus dici poterit, ac debebit, quod nempè sicut ipsæ circumstantiæ temporis, & loci, & causæ indiuiduantur per proprias differentias sine ordine ad alias circumstantias temporis &c. sic etiam & ipsi effectus per proprias hæcceitates indiuiduantur independenter à circumstantijs. Conf. tandem hæc secunda pars conclusionis euidenter, nam quando etiam daremus aliquem effectum necessariò huic causæ alligatum v.g. hunc numero modum huic numero subiecto, vt hanc sessionem cum Petro sedente, & etiam his circumstantijs loci, & temporis, scilicet hic, & nunc, adhuc tamen non benè poneretur indiuiduari adæquatè per ordinem ad hoc numero subiectum, & circumstantias, & ratio est, quia licet essentialiter penderet ab hoc numero subiecto, & circumstantijs adhuc essent possibiles plures formæ solo numero distinctæ sub eisdem numero circumstantijs diuisiuè v.g. in hoc eodem tempore, loco, subiecto &c. possibiles sunt hæc vel illa vnio, aut calor, aut sessio, aut actio &c. quod sufficit ne distinctio eorum numerica adæquatè attendatur penes illas circumstantias, quandoquidem intra illas eadem possunt esse indiuidua numero distincta, vt optimè aduertit Arriag. disp.1. Metaph. sect.3. subsect. 9. quod autem hoc sit possibile satis luculenter deducitur ex discursu supra facto de indifferentia agentis ad producendum hanc, vel illam numero formam, hunc vel illum modum, item de differentia subiecti ad hunc, vel illum recipiendum, & tandem de indifferentia loci, & temporis, in quibus fiant.

In oppositum arguitur Primò varijs auctoritatibus probando indiuidua ex varia accidentium collectione inter se distingui; ita enim significat Porphyrius c.de specie, dum ait quod indiuidua differunt suis accidentibus, quorum multitudinem in vno repertam impossibile est in alio reperiri. Auicen.5. Metaph. cap. 3. ait, naturæ, quæ eget materia ad eius esse, aduenium accidentia, & dispositiones extrinsecæ, per quas indiuiduantur. Damascenus in sua Dialectica cap.30.& 42. ait accidentia esse characteristicas proprietates, quibus tanquam certis notis hypostasis exprimitur, & lib.3. sent. cap.6. vt refert Bassol. dicit, quod hypostases non differunt secundum substantiam, sed tantam secundum accidens, idem habet libr.primarum Institut. cap.3.& 4. & alijs in locis, vt referunt Pasqualig. & Auers. Boetius de Trin.libr.1. cap.5. in numero differentiam varietas accidentium facit, nam tres homines nec specie, nec genere differunt, sed suis accidentibus, nam si animo cuncta his accidentia separemus, locus tamen cunctis diuersus est, quem vnum fingere duobus minimè possumus. Tandem habent idem Basilius epist. de differ. nat. & hypost. & Nissen. libr. de differentia essentiæ, & hypost.

Resp. ad has, & similes auctoritates ex Scoto loc.cit. duplicem esse differentiam indiuidualem, vnam intrinsecam, & in se, aliam extrinsecam, & quoad nos, illa est primaria, ista est secundaria, cum igi-

tur SS. Patres, & alij Philosophi aiunt indiuidua inter se distingui ex accidentium collectione, & per sua accidentia, intelligunt de distinctione indiuiduali extrinseca, secundaria, & quoad nos, quandoquidem cum vltimæ differentiæ nos lateant, regulariter vnum indiuiduum ab alio discernimus ex differentia suorum accidentium. Potest etiam dici cum Doctore cit. quod cum Philosophi aiunt indiuidua abinuicem per accidentia distingui, non per substantiam, nomine accidentium non intelligunt accidentia communia, quæ pertinent ad alia prædicamenta, sed intelligunt ipsas differentias substantiales indiuiduales, quæ accidentia dicuntur sumendo accidens pro extraneo iuxta dicta superius nu. 11. quatenus sunt extra conceptum naturæ, & quidditatis, & illi accidunt, sicut differentia specifica dicitur accidere generi; primam expositionem fert Porphyrius, vt eum passim explicant expositores, secundam expositionem petit Auic. vt explicat Doctor cit. in fine quæstionis; eodem modo ibidem explicat Doctor Dama c. quod per accidens intelligit propriam, & intrinsecam indiuidualem differentiam, quam vocat accidens, quia est extra rationem per se ipsius naturæ specificæ, hoc enim modo quicquid ponitur indiuiduans est accidens. Ad Boetium concedit Doctor varietatem accidentium facere distinctionem numeralem indiuiduis, ait tamen hanc non esse primariam, & intrinsecam, sed secundariam, & concomitantem, immo quia omnem distinctionē numeralem concomitatur distinctio accidentium, propterea vbi nulla potest esse accidentium varietas, ibi nulla potest esse distinctio numeralis, & per hoc ait tenere argumentum Boetij, quod ibi facit, quod cum non possit in diuinis esse accidens aliquod, nec accidentiū varietas, ibi non potest esse distinctio numeralis, vel differentia materialis, non sicut à causa præcisa negata ad negationem illius, cuius est causa, sed tanquam à necessario concomitante negato ad negationem illius, quod necessariò concomitatur; cum verò ait impossibile esse fingere duobus corporibus eundem locum, benignè interpretandus est, quod loquatur in ordine ad potentiam naturalem, & quod quamuis supernaturaliter possit amborum esse vnus, & idem locus, tamen non necessariò est amborum idem locus, sicut esset, si forent idem corpus. Vel tandem dicendum cum alijs, quod prædicti Patres ita loquentes non sunt locuti de indiuiduo præcisè, sed de hypostasi, & supposito sumentes suppositum, vel indiuiduum substantiæ pro concreto ex substantia, & accidente, vt importat quoddam totum incommunicabile omnino subsistens, quo pacto benè dicentur indiuidua differre indiuidualiter per sua accidentia, sicut benè dicerentur Petrus albus, & Paulus niger, vt sic, differre inter se per albedinem, & nigredinem.

Dices, indiuidua substantiæ nequeunt inter se distingui substantialibus differentijs, quia tunc differrent essentialiter inter se; remanet ergo, vt solum per accidentales distingui possint. Responsio patet ex dictis supra n. 11. ex Scot. 2. d. 3. qu. 6. M. substantia namque considerari potest, vel secundum esse formale tantum, vt importat quidditatem substantialis naturæ, secundum rationem genericam, & specificam; vel etiam secundum esse materiale, quo pacto imbibit etiam differentiam indiuidualem, quæ licet sit realiter identificata cum natura, est tamen extra rationem eius formalem; si ergo sumatur differentia substantialis, vt dicitur à substantia primo modo sumpta, sic verum est quæcunque differunt differentia substantiali differre essentialiter, & in hoc sensu differentia indiuidualis non est differentia substantialis; si verò sumatur differentia substantialis, vt dicitur à substantia secundo modo sumpta, sic differentia indiuidualis est planè substantialis, sed falsum est in hoc sensu quæcunque differunt differentia substantiali differre quoque essentialiter, sic enim differentia indiuidualis est differentia substantialis, & diuersæ rationis à differentia essentiali, & quidditatiua.

55 Secundò arguitur probando quamlibet rem indiuiduari ex ordine ad has numero causas, & circumstantias temporis, & loci, in quibus primò producitur; quia si in hoc instanti, & cum istis circumstantijs essent possibiles plures actus voluntatis solo numero distincti v.g. plura odia Dei, sequeretur Deum determinari quoad indiuiduum peccati. Accedit, quod nisi hic effectus v. g. hæc numero forma sit alligata huic tempori, non potest assignari ratio, cur naturaliter nequeat reproduci forma corrupta; ergo dicendum est eam alligari huic numero temporis, quod eum nequeat postea iterum existere nequit forma reproduci.

Resp. Deum determinare actum illum odij in indiuiduo quoad entitatem, non quoad malitiam, nam in ordine ad istam permissiue se habet, vt dixi disp. 8. Phys. cit. q. 2. art. 3. n. 47. quare autem non obstante adhuc tali determinatione ad entitatem actus in indiuiduo non dicatur Deus causa peccati fusè differui disp. 5. Met. q. vlt. per totam, quæ necessariò videnda est pro solutione difficultatis. Ad 2. non potest reproduci à causa secunda effectus iam præteritus, quia decreuit Deus non concurrere ad vnum, & eundem effectum, nisi semel, vt continuetur varietas indiuiduorum in vniuerso, vnde repugnantia non est intrinseca ex causarum, & effectuum naturis exorta, sed ex decreto Dei extrinseco, vt dictum est disp. Phys. cit. & colligitur ex Scoto 2. d. 43. §. *De secundo articulo*; Quod si etiam concederetur hunc numero effectum esse alligatum huic numero tempori, & teneretur cum aliquibus posse quidem idem ens permanens sensu corruptum à Deo reproduci, non tamen idem ens successiuum, tunc sequeretur talem effectum, neq; etiam per potentiam Dei absolutam posse reproduci, immo absolutè nullum effectum, quia quilibet in hac opinione ponitur alligari determinato tempori, quod tamen rationabiliter diuinæ omnipotentiæ denegari non potest.

ARTICVLVS II.

Quantitas non est principium indiuiduationis.

56 CONclusio huius articuli quoq; est ferè communis in omnis schola, quamuis enim Thomistæ velint materiam quantitate signatam esse indiuiduationis principium, id tamen non asserunt de sola quantitate per se sumpta, vt asseruit Gotifred. loc. cit. ab initio q. cui ex parte videtur adhærere Aureol. 7. d. 9. qu. 3. art. 3. & quamuis ex præcedenti articulo sufficienter probata maneat, cum enim ibi probatum sit nullum accidens in vniuersum esse idoneum indiuiduationis substantiæ subiectum, nec per quamcumque collectionem eorum sufficienter indiuiduari posse, id ipsum consequenter illa argumenta probant de quantitate, supposito contra Nominales, quod sit speciale accidens habens propriam entitatem à substantia condistinctam, vt conclusum est in physicis disp. de continuo qu. 2. Attamen Doctor rationibus illis generalibus non acquiescens adhuc speciales deprimit de quantitate tam physicas, quam theologicas; quibus etiā alias nonnullas addunt alij Scotistæ, & Thomistæ, qui nobiscum in hac conclusione conueniunt, vt Bannes p. de gener. & cor. q. 10. ar. 3. vbi plures congerit ad hoc probandum, quarum tamen nonnullæ vel non concludunt, vel solum iuxta sua principia, vt quod quantitas, sicut & alia accidentia indiuiduantur per subiectum atq; ideò illud singulare supponunt; illud enim assumptum est verum dumtaxat in principijs Thomistarum; probat etiam; quia vnitas numeralis est substantialis, & ideò nequit à quantitate deriuari; sed neq; hoc assumptum est vniuersaliter verum, quia vnitas numeralis etiam reperitur in accidentibus, cum in illis prædicamentis etiam propria dentur indiuidua; solum ergo in prædicamento substantiæ id verum est, quod vnitas indiuidui substantialis est substantialis, & de hac benè argui potest, quod nequeat haberi à quantitate, probat tandem, quia differentia indiuidualis Petri est substantialis, quia species substantiæ non contrahitur ad aliquod indiuiduum per accidens aliquod, & ideo nequit esse quantitas, quæ ratio admitti potest, probemus nos efficacius rationibus ex Doctore, nostrisq; principijs deductis.

Primo itaq; probatur, quia substantia prima, vt sic, non habet suam entitatem indiuidualem à quantitate, ergo neq; vnitatem quæ ipsam concomitatur, consequentia patet, probatur antecedens, quia etiam infimus gradus substantiæ est substantialis ergo à quantitate præstari non potest, quæ est merum accidens, & inferioris ordinis. Respond. Thomistæ, qui volunt quantitatem aliquo pacto concurrere ad indiuiduationem substantiæ, quod de ratione indiuidui sunt duo; primū, & principale est, quod sit incommunicabile multis; secundum est, quod sit ab alijs numeraliter distinctum, dicunt ergo Capreol. 2. d. 3. q. 1. Sonc. 7. Met 34. & Ferrar. 1. contra Gentes, quod quantitas est principium indiuiduationis quantum ad hunc secundum effectum, ita quod indiuiduum esse actu distinctum ab alijs habet à quantitate, & sic dum dicitur quantitas esse principium indiuiduationis substantiæ, hoc non debet ita intelligi, quasi tribuat illi esse intrinsecum indiuiduale, quia id habet ex vi proprij esse, sed solum quia distinguit indiuidua, quæ existunt, cum enim sint omnia eiusdem rationis, non possunt distingui, nisi ratione quantitatis.

Hæc solutio futilis omninò est, quia si substantia indiuidua per aliquid peculiare de genere substantiæ constituitur in tali esse nempè indiuiduali; ergo per idem etiam indiuidualiter distinguitur à qualibet alia substantia indiuidua, si quidem eadem sunt principia rei constitutiua, & distinctiua. Tum quia considerata substantia, prout sub diuersis quantitatibus reperitur, verè substantialis entitas vnius secundum esse intrinsecum non est substantialis entitas alterius, nec cōmunicat cum alia secundum proprium esse intrinsecum substantiale, & ablata quantitate per diuinam potentiam non ob id vna substantia transiret per identitatem in aliam, vt v.g. Petrus in Paulum, aut è contra; ergo citrà quantitatem oportet concedere differentias intrinsecas indiuiduales substantialiter distinguentes Petrum à Paulo, nihil enim potest ab alio realiter distingui per aliquid sibi omninò extrinsecum, & ab ipso realiter distinctum. Tum quia per quantitatem nequit substantia differre substantialiter, cum non possit quantitas effectum præstare perfectiorem se, & vltrà suam speciem, at hic non de distinctione accidentali, sed substantiali fit sermo, qua vnum indiuiduum substantiæ ab alio differt citrà quodcunq; accidens. Hinc lepidè deducit Bannes loc. cit. suos Con-Thomistas præcitatos non respondere propositæ quæstioni, nam ipsi concedunt, quod quantitas non facit differre, nisi differentia quantitatiua, & accidentali, & tamen in hac quæstione non solum de ista, sed etiam de principio differentiæ substantialis quærimus intrà eandem speciem; non ergo propositæ quæstioni respondent, quia non explicant per quid indiuiduum substantiæ sit vnum indiuisum in se, & à quolibet alio diuisum substantialiter.

57 Secundò probat Doctor quantitatem nedum in genere substantiæ, sed etiam in ipso genere quantitatis esse omninò ineptam ad faciendam distinctionem indiuiduālem plurium sub eadem specie quia esse diuisibile in plures partes subiectiuas non conuenit naturæ communi per quantitatem, quod ita probat, quia quod est ratio diuisibili-

sibilitatis ineſt formaliter illi, quod eſt diuiſibile tali diuiſione, ſed quantitas non ineſt formaliter ſpeciei, ſeu toti vniuerſali, inquantum eſt diuiſibile in partes ſubiectiuas, igitur ipſa non eſt ratio diuiſibilitatis talis totius in parte tales; maior patet, probatur minor, quia totum vniuerſale, quod diuiditur in indiuidua, & in partes ſubiectiuas prædicatur de qualibet illarum partium ſubiectiuarum, ita quod quælibet pars ſubiectiua eſt ipſum, partes autem quantitatiuæ, in quas fit diuiſio totius continui, nunquam recipiunt prædicationem totius diuiſi in ipſas.

Dices, aqua eſt totum quantum, & tamen dum diuiditur, prædicatur de ſingulis partibus diuidentibus, nam hęc aqua eſt aqua, & pariter illa; ergo quoad hoc inter partes quanti ſaltem homogenei, & partes ſubiectiuas vniuerſalis non eſt diſcrimen. At ſubtiliter occurrit Doctor huic obiectioni loc. cit. lit. H. quod interdum in eadem diuiſione totius in ſuas partes duplex interuenit diuiſio, alia totius quanti in ſuas partes integrales, & alia totius communis, & vniuerſalis in ſuas partes ſubiectiuas, vt in diuiſione cuiuſcunque homogenei, ſed in prima diuiſione diuiſum eſt ipſum totum quantum integrale, vt ſic, & ideò de partibus diuidentibus non enuntiatur in recto, non enim aqua eſt tota illa aqua, quæ diuiſa fuit, quod adhuc magis patet in diuiſione totius heterogenei, quod pars diuiſa non recipit prædicationem totius; in ſecunda verò diuiſione diuiſum eſt totum vniuerſale, membra verò diuidentia ſunt partes ſubiectiuæ, in quibus tota natura diuiſi continetur, ac proinde de ipſis in recto enunciatur, nam animal diuiditur in hominem, & brutum, quorum ſingula ſunt animal, ex his ſequitur (infert Doctor) diuiſionem totius quanti in ſuas partes integrales eſſe alterius rationis à diuiſione totius vniuerſalis in ſuas partes ſubiectiuas, & per conſequens diuiſum primæ diuiſionis, vt ſic, eſſe alterius rationis à diuiſo ſecundę diuiſionis, & ſic etiam de partibus diuidentibus, licet per accidens coincidant, quando ambæ diuiſiones in eodem concurrunt.

58 Tertiò probat Doctor, ſi quantitas eſt principium indiuiduationis ſubſtantię, vel illa eſſet quantitas terminata, vel interminata (de qua diſtinctione dictum eſt in Phyſ. diſp. 2. q. & art. vlt.) non primum, quia illa ſequitur eſſe formæ in materia, & per conſequens ſingularitatem ſubſtantiæ, quia ſicut ſubſtantia eſt cauſa eius, vt eſt terminata, ita hæc ſubſtantia eſt cauſa eius, vt eſt hęc terminata; ſi autem quantitas interminata ſit cauſa quare ſubſtantia eſt hęc; Contra, inquit Doct. quia hęc eſt indiſtincta, & confuſa in materia & ideò nullam diſtinctionem afferre poteſt; tum quia ſecundum ipſos hæc manet eadem in genito, & corrupto, ergo non eſt cauſa alicuius ſingularitatis determinatæ, & ſi dicatur, quod non ſequitur, quia quantitas non ponitur cauſa ſingularitatis, niſi prędpoſita vnitate ſpecifica, generatum autem, & corruptum non ſunt eiuſdem ſpeciei; Contra, rurſus inſtat ſupponendo quod ex aqua primò generetur ignis, ſecundò ex igne generetur aqua, in prima aqua corrupta, & in ſecunda generata eſt eadem quantitas, & non ſolum quantitas interminata, ſed etiam terminata, quia poteſt habere eundem terminum à forma, vel ſaltim ſufficit eadem interminata, & illa per te eſt cauſa ſingularitatis prędpoſita vnitate ſpecifica; ergo prima aqua, & ſecunda aqua ſunt hæc aqua eadem numero, quod videtur impoſſibile, quia idem indiuiduum numero non redit naturali actione ex 2. de gener. & 5. Phyſ.

59 Quartò generans inquantum generans circumſcripto omni alio diſtinguitur à genito, quia non eſt intelligibile, quod idem generet ſe, nam etiam in diuinis eadem perſona non ſe generat, ſed generans inquantum generans non includit quantitatem, ſicut proprium principium generatiuum; nec genitum, vt genitum includit quantitatem, vt per ſe formalem terminum generationis; ergo circumſcripta vtraque quantitate ſcilicet generantis, & geniti hæc ſubſtantia diſtinguitur numero ab illa. Conf. nam generatio ſubſtantialis terminatur ad ſubſtantiam, at ſit quantitas conſtituens indiuiduum ſubſtantiale in tali eſſe, tunc generatio terminatur per ſe ad quantitatem, quod eſt abſurdum. Conf adhuc, quia terminus generationis ſubſtantialis eſt per ſe vnus, ſed ſi quantitas eſſet principium indiuiduationis, hoc aliquid, & indiuiduum ſubſtantiæ, quod eſt per ſe terminus generationis, non eſſet per ſe vnum, quia ex ſubſtantia, & quantitate non fit aliquid per ſe vnum, ergo &c. quæ ratio facit etiam pro alijs accidentibus.

Quintò illa conditio quæ eſt neceſſaria ſimpliciter in terminante dependentiam realem non eſt ab ipſo dependente, ſed quantitas eſt ens reale dependens realiter, & eſſentialiter à ſubſtantia materiali, & conditio in ſubſtantia materiali ad terminandam talem dependentiam eſt ratio ſingularitatis, & hæcceitas, ergo quantitas non poteſt eſſe ratio indiuiduandi talem ſubſtantiam; maior patet quia tunc ipſum dependens eſſet cauſa, qua terminans ſui dependentiam terminaret, ideoque ad ſeipſum penderet, & terminans dependentiam in virtute dependentis terminarent, quæ implicant; minor probatur, quia nihil poteſt terminare dependentiam realem, niſi reale, & ſingulare ſit, ergo ſingularitas eſt conditio in ſubſtantia materiali ad terminandam dependentiam realem quam accidens omne, & in primis quantitas ad ſubſtantiam habent; Tum quia prima ſubſtantia vt indiuidua, dicitur fundamentum aliorum per hæc alia intelligenda tam ſecundas ſubſtantias, quam accidentia, quo fundamento deſtructo impoſſibile eſt aliquid illorum remanere; ergo ſingularitas eſt ratio terminandi dependentiam accidentium ad ſubſtantiam in ratione ſubiecti.

60 Sextò arguit Doctor argumento theologico ex inconuenientibus quæ ex hac opinione ſequerentur in myſterio Euchariſtæ; ſi ſubſtantia materialis indiuiduaretur quantitate, ſequeretur, quod nullus panis ſingularis in Euchariſtia tranſubſtantiatus eſſet in corpus Chriſti, quod eſt hæreticum, probatur conſequentia, quia certum eſt quod nullum ſingulare tranſubſtantiatur in aliud, niſi ſingularitas vnius tranſubſtantietur in ſingularitatem alterius, quia ſicut ſubſtantia non tranſubſtantiatur in ſubſtantiam, niſi cuius deſitionis ſuccedit eſſe alterius, ſic ſingulare non tranſubſtantiatur in ſingulare, niſi cuius deſitioni ſingularitatis ſuccedit alia ſingularitas; ſed ita eſt quod cum panis tranſubſtantiatur in Euchariſtia maneret ſingularitas iſtius panis, ſeu ratio ſingularitatis, quæ eſt eius quantitas per hanc opinionem; ergo &c. ſequeretur etiam, quod ex vi verborum conſecrationis poneretur ſub hoſtia quantitas corporis Chriſti, quod eſt communem Theologorum, & verba Conciliorum, conſequentia patet, quia ex vi verborum ponitur corpus Chriſti ſub hoſtia, ergo & ſua ſingularitas, quæ eſt ſua quantitas. Item ſequeretur in Euchariſtia ſingularitatem ſeparari à natura, quam indiuiduat, quod eſt impoſſibile, quia quæ realiter identificantur neque per Dei potentiam ſeparari poſſunt, natura autem, & ſingularitas non diſtinguuntur realiter, vt patet ex qu. 2. huius diſp. art. 1. n. 14. tum quia ſicut poſſet Deus conſeruare ſingularitatem ſine natura panis, quam indiuiduabat, ita poſſet è contra, ac etiam maiori facilitate naturam panis conſeruare ſine ſua ſingularitate, nam facilius eſt conſeruare prius ſine poſteriori, quam poſterius ſine priori, & in eo caſu daretur natura communis panis exiſtens in vniuerſo ſine ſingularitate, quod eſt per quamcunque potentiam impoſſibile; & hæc ratio vniuerſaliter probat naturam indiuiduari non poſſe per aliquid à ſe realiter diſtinctum, ſed neceſſario indiuiduari per quidpiam ſibi realiter identificatum, & inſeparabile.

61 Denique arguit Doctor, quod ſi quantitas eſſet principium indiuiduationis ſubſtantiæ, opus eſt quod ipſa primo ſit de ſe hæc, & indiuidua, & de ſe diſtincta numeraliter ab alia, quod enim eſt vnum ſpecie nequit alteri eſſe ratio eſſendi vnum numero, ſed falſum eſt quantitatem eſſe de ſe hanc, & vnam numero quia ità in quantitate ſicut in alijs rebus, conſideratur natura communis, nam ratio lineæ de ſe communis eſt lineæ curuæ, & rectæ, nec magis implicat intelligere lineam ſub ratione communi lineæ, quam hominem, & leonem; ergo oporter aſſignare per quid indiuiduetur natura communis quantitatis & in tali ſingulari contrahatur. Quod ſi dicatur quantitatem abſolutè ſpectatam non eſſe de ſe hanc, & vnam numero, ſed vt habet ſitum aliquem determinatum. Contrà, inquit Doctor, quæro de quo ſitu loqueris, aut de ſitu, qui eſt prædicamentum, & iſte eſt naturaliter poſterior quantitate, aut de ſitu qui eſt differentia quantitatis, prout quantitas dicitur conſtare ex partibus habentibus poſitionem, & tunc eadem quæſtio eſt de hoc ſitu, atque de ipſa quantitate quantum ad diſtinctionem, & ſic principium petis aſſignans idem pro ratione ſui ipſius; non enim notius eſt partes permanentes, & continuas in ipſo toto ſeipſis diſtingui à partibus permanentibus & continuatis in illo toto, quæ dico, ſcilicet continuationem, & permanentiam includit poſitio, vt eſt differentia quantitatis, quam quod hæc quantitas differat ſeipſa ab illa. Deinde dato etiam, quod hæc reſponſio ſit bona, cur ſi quantitati intra propriam coordinationem aſſignatur principium indiuiduationis, non aſſignatur quoque ſubſtantiæ in ſuo genere, ſed ab alijs generibus hoc mendicare debebit; ſanè ſi aliquod genus ſibi ſufficit, & habet in ſe omnes gradus prædicamentales ſupremos, medios, & infimos, id præſertim generi ſubſtantiæ, quod eſt omnium perfectiſſimum, eſt tribuendum.

Ob efficaciam harum rationum inquit Doctor loc. citat. §. *propter argumenta* Ægidium in margine citatum quol. 1. q. 5. ar. 1. alio modo tueri ſubſtantiam indiuiduari per quantitatem, nam ad euitanda hæc argumenta fatentur vtique ſubſtantiam non immediatè per quantitatem indiuiduari, ſed per aliquid à quantitate cauſatum in materia, quam ipſe Ægidius vocat ſignationem ſubſtantiæ. Sed Doctor ibidem probat neque hoc modo ſubſtantiam indiuiduari per quantitatem mediatè, ideſt per ſignationem à quantitate cauſatam in ſubſtantia, eique realiter identificatam, vt aſſerit Ægid. quem ſequitur Caiet. lib. de ente, & eſſentia cap. 2. quia ſi quantitas ipſa, quæ eſt prior naturaliter ipſo cauſato non eſt eadem ſubſtantiæ, ipſum quoque quod ſic cauſabitur à quantitate, minus erit idem ipſi ſubſtantiæ, quando enim aliqua duo recipiunt vnum tertium, quorum vnum eſt naturaliter prius altero, ſi prius non eſt idem realiter illi tertio, neque minus poſterius cauſatum ab illo priori identificabitur illi tertio; vndè à primo ad vltimum tam benè hęc ſignatio à quantitate cauſata in ſubſtantia realiter diſtinguitur à ſubſtantia, quam ipſa quantitas, quare ſi ſubſtantia ob realem diſtinctionem à quantitate, & naturalem prioritatem ad illam poteſt eſſe ſine illa, tanto magis poterit eſſe abſque eo quod derelictum eſt, vel cauſatum ab ea in ſemetipſa, & ſic omnia argumenta, quæ hactenus vrſimus contra quantitatem æquè benè vrgeri poſſunt contra ſignationem à quantitate cauſatam in materia; ſed de iſta ſignatione materiæ quæſt. ſeq. ex profeſſo diſſeremus.

62 In oppoſitum tria argumenta adducit Doctor in textu pro parte oppoſita; primum eſt, quod primò, & per ſe competit alicui, cuilibet alteri competit per rationem ipſius, ſed diuidi in partes eiuſdem rationis per ſe primò conuenit quantitati ex 5. Metaph. ergo cum hæc diuiſio conueniat ſubſtantiæ, vt ſpeciei in indiuidua, conueniet ei per rationem quantitatis, & ſic quantitas erit ratio diſtinguendi plura indiuidua ſub eadem ſpecie, & conſequenter erit principium indiuiduationis eorum. Deindè hic ignis non differt ab illo igne, niſi quia

forma

forma differt à forma, nec forma differt à forma, nisi quia recipitur in alia, & alia parte materiæ, nec pars materiæ est alia ab alia parte, nisi quia est sub alia, & alia parte quantitatis; ergo tota distinctio huius ignis ab illo à primo ad vltimum reducitur ad quantitatem, sicuti ad primum distinctiuum, ergo quantitas est principium indiuiduationis substantiæ materialis. Demum generans generat aliud propter diuersitatem materiæ 7.met.tex.28.non est autem diuersa materia generantis à materia geniti, nisi quia habet materiam alia quantitate affectam, ergo &c.

Resp.ad 1.ex doctrina allata ex Doctore supra num. 57. quod duplex est diuisio, alia est diuisio totius vniuersalis in suas partes, quarum quælibet est ipsum, alia est totius integralis, vel quantitatiui in suas partes, quarum quælibet est hoc aliquid, non tamen est ipsum diuisum; diuisio in partes integrantes, & quantitatiuas vtique competit alicui beneficio quantitatis, & de hac diuisione loquitur Arist. 3.Metaph.non tamen diuisio in partes subiectiuas, ex qua tamen posteriori diuisione oritur multiplicatio; & distinctio indiuiduorum per differentia contrahentes; & sicut hæc diuisio conuenit generi per differentias specificas, sic conuenit speciei per omninò vltimas, ac indiuiduales. Ad 2. ait ambas propositiones assumptas esse falsas, licèt enim alia forma fit in alia materia, non tamen propter alietatem materiæ est alia forma, nam forma potius affert distinctionem materiæ, quam ipsa recipiat, sed sicut entitas formæ est distincta ab entitate materiæ, ita quoque sua alietas, vndè formæ per aliqua sibi intrinseca multiplicantur prius natura, quam in alia, & alia parte materiæ recipiantur; similiter alia præmissa, scilicet quod est alia pars materiæ propter aliam partem quantitatis falsa est; quia siue sit distinctio partium materiæ in se præter quantitatem (vti re vera est quæ dicitur entitatiua) siue non, prior est distinctio partium materiæ, quam quantitatis, quia huius accidentis subiectum est hoc aliquid; itaque licet verum sit in alio, & alio igne esse aliam, & aliam formam numero, præcisa tamen, & prima ratio distinctionis huius ignis ab illo desumitur à differentia numerica huius ignis alia à differentia numerica illius. Ad vltimum materiam generantis, & geniti distingui per quantitatem potest dupliciter intelligi, vel intrinsecè, & primariò & ita falsum est, nam sic distinguuntur proprijs hæcceitatibus, vel extrinsecè, & concomitanter, & ita verum est; quia ad aliam, & aliam materiam sequitur alia, & alia quantita & in rebus materialibus ex distinctione quantitatiua substantiarum solemus à posteriori deprehendere quoque entitatiuam; quo autem sensu dixerit Aristot.7.Metaph. generans generare aliud propter diuersitatem materiæ quæst. seq. explicabitur.

63 Secundò, arguunt alij, diuidatur lignum in decem partes, constat quod istæ partes sunt indiuidua eiusdem speciei, sunt enim decem ligna, constat item non per aliud abinuicem distingui, & diuidi, quam per proprias quantitates; ergo re vera quantitas est principium indiuiduationis, & distinctionis in locis significat indiuiduum esse vnum per quantitatem, nam 3.Met.11.ait, *vnum est, quod indiuisibile ens; omne verò indiuisibile aut secundum quantum, aut secundum speciem*, indiuisibile secundum speciem intelligit ipsam speciem, indiuisibile secundum quantum intelligit indiuiduum, quod non est in sua quantitate diuisum; & 5.Met. cap.6. vnitatem indiuidualem constituere videtur in vnitate continuatiua per quantitatem, & distinctionem in distinctione quantitatis.

Resp.ad 1.ex doctrina allata num. 57. quod cum lignum diuiditur in decem partes ibi concurrit duplex diuisio nempe diuisio ligni, vt totius integralis in suas partes integrantes, & quantitatiuas, & vt totius vniuersalis in suas partes subiectiuas, quarum vnaquæque recipit prædicationem ligni in communi, prima diuisio fit per quantitatem, non tamen secunda, sed hæc fit per proprias hæcceitates cuiuscunque frusti ligni diuisi; & quamuis vnum ligni frustum distinguatur ab alio per quantitatem, non tamen præcisè distinguitur per illam, sed per propriam entitatem, quia etiam quantitate sublata non ob id illa duo ligna fierent vnum entitatiuè lignum, sed adhuc vna substantia esset diuersa ab alia per propriam hæcceitatem; vndè non est confundenda diuisio quantitatiua, & entitatiua substantialis materialium, quia licèt istæ diuisiones in huiusmodi substantijs sint connexæ, attamen vna non est alia, & vna est substantiarum, & alia merè accidentalis; imò interdum possunt illæ distinctiones non esse connexæ, & vna separari ab alia, nam si aqua in decem partes diuidatur, vna aqua est ab alia distincta tam entitatiuè, quam quantitatiuè; si rursus reuniantur tunc destruitur distinctio quantitatiua, quæ fit per discontinuationem vnius partis ab alia, num singulæ aquæ fiunt vna aqua quantitatiuè, quia integrant vnum quantum vnitate continuitatis, non tamen fiunt vna aqua entitatiuè, nam adhuc sub continuitate retinent suas hæcceitates, & verè sunt plures partes, & portiones aquæ entitatiuè, & rursus diuisibiles, ac separabiles abinuicem. Ad confirm. ait Bassol. cit. quod in rebus materialibus, & quantis quantitas in substatia non pertinet ad genus quantitatis, sed ad genus substantiæ, vndè & in separatis à quanto continuo inuenitur etiam multitudo numeralis, vel indiuidualis, quæ sicut non pertinet ad genus quantitatis discretæ, ita neque ad genus quantitatis simplicite; vndè concludit, quod nec vnitas, nec multitudo indiuidualis aliorum generum à quantitate pertinent ad quantitatem plusquam pertineat quantitas ad illa genera, vel prædicamenta.

64 Hæc tamen solutio non placet, quamuis enim verum sit multitudinem v.gr. plurium angelorum non spectare ad prædicamentum quantitatis, tamen multitudo quæ consurgit ex rebus quantitatis, etiamsi istæ sint substantiæ, ad prædicamentum quantitatis pertinere dicitur secundum communem, vt dictum est disp.7.Log.q.2.art.1. Quare sicut in solutione præcedentis argumentis diximus non debere confundi distinctionem entitatiuam eum quantitatiua in rebus materialibus, ita tunc dico confundendam non esse vnitatem entitatiuam cum quantitatiua; vnitas entitatiua, & substantialis consistit in indiuisione alicuius in plura seipsa, & distinctione suæ entitatis ab omnia alia re; vnitas verò quantitatiua consistit in indiuisione rei quantæ in plures partes, seu in continuatione omnium partium adinuicem, sicut opposita multitudo in earum diuisione, & discontinuatione, de qua vnitate locutus est Arist.5.Met.tex.8.& 11.itaque numerus prædicamentalis, qui resultat ex diuisione continui, constat ex pluribus vnitatibus numeralibus quantitatiuis, & numerus transcendens ex pluribus entitatiuis, & concedi potest singulare substantiæ in vnitate quantitiua indiuiduari per quantitatem, quia quantitates sunt, quæ constituunt vnitates, ex quibus consurgit numerus prædicamentalis, sed in sua vnitate entitatiua minimè per quantitatem indiuiduatur, quia hæc est vnitas substantialis, & intrinseca, quæ solùm habetur ab alio intrinseco, à propria nimirum hæcceitate, igitur ad argumentum dicitur multiplicationem, vel diuisionem quantitatis in rebus materialibus causare numerum prædicamentalem, & distinctionem numericam quantitatiuam, quæ est extrinseca substantiæ, non tamen intrinsecam, ac entitatiuam. Ad loca Arist. ex eadem doctrina responderi potest, ipsum declarasse interdum vnitatem, & distinctionem entitatiuam rerum materialium per vnitatem & distinctionem quantitatiuam; vt potè quæ nobis est notior, & magis familiaris, vndè quando partes aquæ sunt abinuicem *diuisæ*, ac discontinuatæ optimè deprehendimus ex distinctione earum quantitatiua distinctionem quoque entitatiuam, & substantialem, quam non ita benè deprehendimus, cum sunt coniunctæ, & continuatæ; non ob id tamen intendit Arist. in eisdem rebus materialibus negare vnitatem, & distinctionem entitatiuam vltrà quantitatiuam, nec dixit distinctionem numeralem inter substantias materiales præcisè haberi per distinctionem quantitatis.

QVÆSTIO VI.

An materia nudè sumpta, vel saltim quantitate signata sit principium indiuiduationis.

65 QVæstio, vt constat ex titulo, solùm habet locum in substantijs materialibus, & corporeis, in quibus quantitas reperitur. Quidam antiquiores Thomistæ dixerunt materiam nudè inspectam citrà quamcunq; quantitatis sigillationem esse principium indiuiduationis substantiarum materialium, & hunc dicendi modum Flandria 7.Met.qu.22.art.1. etiam tribuit Albertò, & quidem Scotus ipse 2.d.3.q.5.hàc refert, vt Thomistarum sententiam, nullam memorando quantitatis sigillationem, & non immeritò, quia D. Th. p.1. q.3.art.2.ad 3.& q.50. art.4. in corpore, dici absolutè materiam esse principium indiuiduationis non exprimendo, an sit materia signata, vel non signata. Verum quia difficilimum est id tueri de materia per se, & absolutè sumpta, ideò communiter dicunt non quidem materiam nudè sumptam esse principium indiuiduationis, sed materiam signatam, seu quantitate sigillatam; sed quid dicat hæc signatio, & sigillatio quantitatis in materia, & quomodo explicari debeat magna inter Thomistas distinctio, & discrepantia. Quidam volunt esse materiam quantitate formali affectam, & ex his duobus principium indiuiduationis constitui substantiarum materialium, itaut materia det incommunicabilitatem, & quantitas distinctionem ita Capreol.2. d.3.quæst.1.art.1.Ferrar.contra Gentes lib.1.c.21. Soncin.7. Metaph. quæst.34.Nazar.1.p.quæst.3.ar.2. & in hoc eodem sensu eam recepisse videntur Mercenarius disp.de hac re cap.11.vt constat ex exemplis ab ipso adductis, & Bonamicus lib.6. de motu cap.18. Alij verò per materiam signatam volunt intelligi materiam includentem quantitatem, sed solam materiam capacem huius, & non alterius quantitatis, quia, vt inquiunt, estò ipsa ad omnem quantitatem sit indifferens, præuijs tamen dispositionibus ab agente ita appropriatur huic quantitati, quod non alterius sit proximè capax, vndè putandum est, quod in primò instanti generationis compositi, quod est primum esse illius, materia ita est capax quantitatis illius, quod nullo modo alterius, nam omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis, & augmenti, vt dicitur 2.de Anima, materia igitur vt capax huius, & non alterius quantitatis materia signata dicitur, & est principium indiuiduationis, ita Caiet. lib. de Ente, & essentia cap. 2. quæst.5. Thomisticam materiam signatam explicat, & ait hanc capacitatem, & signationem non addere aliquid reale suprà materiam in recto, quod ab ipsa sit realiter distinctum, sed ordinem duntaxat, & respectum ad talem, vel talem quantitatem, qui ordo, & respectus est quid reale vtique sed ratione solùm à materia distinctum, & hunc dicendi modum amplexi sunt Iauel s. Mer.

Met. q. 15. Bannes 1. p. qu. 3. art. 2. Zumel ibid. & alij quamplures ex Thomistis.

66 Alius dicendi modus traditur ab eodem Caiet. 1. p. qu. 29. art. 1. vbi notat materiam dupliciter comparari posse ad quantitatem, vel vt causam materialem, & receptiuam illius, vel vt principium, & radicem eius quasi ipsam, quantitatem virtute continentem; primo modo ait non posse esse principuum indiuiduationis, quia potentia illa materiæ ad quantitatem non est genere substantiæ, sed de genere quantitatis, quia actus, & potentia sunt in eodem genere 12. Met. 26. & ideò nequit esse principium indiuiduationis rei substantialis; sed est principium indiuiduationis secundo modo, vt est radix, & principium quantitatis, quia distinctio numeralis, qua vnum indiuiduum substantiale distinguitur ab alio non est distinctio quantitatiua, sed fundamentum quantitatiuæ distinctionis, vnde etiam principium distinctionis, & indiuidationis debet esse fundamentum, & radix quantitatis; atque ita Caiet. in summa resipuit suam explicationem materiæ signatæ, quam dederat lib. de Ente, & essentia, & hunc secundum dicendi modum Caiet. magis approbat Ripa de Ente, & essentia cap. 2. q. 4. art. 5. & passim alij Thomistæ Recentiores, vt Gonzales 1. p. q. 11. disp. 23. Salmaticenses tract. de principio indiuiduationis disp. 1. dub. 3. Blasius Concep. disp. 3. q. 4. imò Bannes quamuis in Summ. loc. cit. primam prætulerit Caiet. explicationem, tamen lib. 1. de Gen. & Cor. q. 20. art. 8. præfert hanc secundam, vt valdè subtilem, ac de mente D. Thomæ, quia per eam aperte, & clarè intelligitur, quomodò prædicamentum substantiæ in sua ratione non includat aliquod accidens, in quo tota huius quæstionis difficultas consistit. Io. da S. Th. quæst. 9. de Gen. & Cor. art. 4. dicit materiam signatam esse materiam, vt dicit ordinem non actualem, sed aptitudinalem ad quantitatem, vt diuidentem, & separantem, & adeò ambiguè loquitur, vt discerni non possit quem dicendi modum Caietani vel amplecti, num primum, an potius secundum. Et quamuis Suarez disp. 5. Met. sect. 3. num. 18. & alij dicant hunc secundum modum explicandi Caiet. coincidere cum primo, quia materia non est fundamentum, & radix quantitatis, & eam veluti in virtute continens, nisi quatenus est in potentia passiua ad quantitatem. Thomistæ tamen ex Dominicana familia contendunt esse omninò diuersum, quia iuxtà hunc secundum dicendi modum materia est quantitatis principium, sicut est essentia passionum, & forma aliorum accidentium, & non solum est subiectum quantitatem recipiens, sed etiam radix ratione cuius quantitas conuenit, & debetur rebus materialibus, ità explicat Bannes lib. 1. de Gen. q. 20 cit. ar. 8. discrimen inter duos dicendi modos traditos à Caiet. pro explicatione materiæ signatæ.

67 Alij tandem per materiam signatam intelligunt materiam determinatam, & appropriatum, quasi sigillatam ad hanc formam substantialem, quia, vt inquiunt, estò in instanti generationis dispositiones omnes præcisæ desinant, & euanescant ad corruptione compositi præcedentis, in earum tamen virtute manet materia per seipsam determinata ad hanc formam, quam recipit immediatè in eodem instanti, ita nonnulli Recentiores in 1. part. D. Thomæ q. 3. art. 2. quorum etiam aliqui ad explicandam magis hanc materiæ sigillationem dicunt, vt refert Suarez disp. 5. Met. sect. 3. num. 22. addi materiæ in illo instanti quendam modum realem, & ex natura rei distinctum à materia præuium ad introductionem formæ substantialis cum sua quantitate, & alijs dispositionibus, & per hunc modum sigillari materiam, & nonnulli vocant modum illum substantialem, alij accidentalem. Hi sunt varij modi dicendi, quibus Thomistæ explicare conantur hanc eorum implicatissimam sententiam de materia signata, ex qua varietate, & obscuritate in ea explicanda satis aperte deducitur, vt aduertit Rada, parum varietatis continere, veritas namque de se rutilans, nequaquam sineret ad eis aspectum ingenia tot eruditissimorum virorum cęcutire. Et quidem consideratione dignum est, quod Caietanus vir doctissimus, & solertissimus in excogitandis probabilioribus modis ad tuenda D. Thomæ placita, tamen in hac materia nedum Aduersarijs, sed nec etiam sibi satisfacere potuit, reprobans in summa modum explicandi materiam signatam, quem dederat in lib. de ente, & essentia.

ARTICVLVS I.

Materia nudè sumpta non est principium indiuiduationis.

68 Conclusio est Scoti 2. d. 3. qu. 5. quam etiam tenent omnes Thomistæ, qui eam ponunt principium indiuiduationis tantùm modo, vt signatam, non verò nudè sumptam, vndè eam tradit in terminis Bannes 1. de gen. quæst. 20. art. 4. probat Doctor primò expressis Arist. auctoritatibus, nam 7. Metaph. 35. & 39. & 12. Metaph. 27. docet materiam non esse de se primo indiuiduam, sed ipsam distingui in vniuersalem, & particularem, sicut in vniuersum formam, & compositum, sic enim loquitur 7. Metaph. 36. in calce, Palam autem quod anima quædam substantia est, corpus verò materia, homo verò, aut animal, quod est ex vtrisque vt vniuersale, sed Socrates, aut Coriscus, vt singularite; ergo materia in se est quædam natura communis contrahibilis ad hanc, & illam singularem materiam per differentias indiuiduales, & ideò esse non potest principium indiuiduationis, cum hoc per se primò incommunicabile esse debeat, vt indiuiduum constituat in esse incommunicabili. Quod si dicatur ex hoc tantùm sequi, quod materia in vniuersali non sit principium indiuiduationis, quod non obstat quin materia particularis sit tale principium, & quod Thomistæ non dicunt materiam quomodocunq; sumptam indiuiduare compositum, sed prout est hæc, & vna numero. Hæc solutio friuola est, quia cum Thomistæ dicant materiam indiuiduare, & dare esse incommunicabile, vt est primum irreceptibile, quod non conuenit formæ, cum materia in sua essentia talem irreceptibilitatem includat, oportet quod secundum ipsos indiuiduet ratione suæ essentiæ. Tum quia neque etiam hæc irreceptibilitas saluat, quod materia esse possit radix prima indiuiduationis, quia in communi sumpta includit istam irreceptibilitatem, & simul communicabilitatem, quia vt sic sumpta est pluribus communis; ergo sicut forma secundum ipsos nequit esse indiuiduationis principium, quia de se pluribus est communicabilis, eadem ratione neque poterit esse materia, estò sit primum irreceptibile. Tum quia si materia, vt est hæc numero, est principium indiuiduationis, quia sic est incommunicabilis, eadem ratione & forma, vt hæc numero, poterit esse principium indiuiduationis, quod ipsi negant & meritò. Tum tandem, quia si datur materia in communi, vt ipsi concedunt conuicti prælegatis auctoritatibus; ergo materiæ in communi debet aliquod principium indiuiduationis assignari, quo singularizetur, sed illud principium non potest esse materia, vt patet, ergo materia non est principium indiuiduationis, sed potius illud per quod ipsa materia in communi sumpta indiuiduatur.

69 Secundò probat Tromb. 5. Met. qu. 5. art. 2. auctoritate famosissimæ Vniuersitatis Parisiensis, quæ duobus articulis hanc opinionem damnauit; primus est, si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia error, alter est, qui dixerit formam non recipere diuisionem sine materia, error. Nec suffragatur Thomistis dicere, quod illi articuli sint Parisijs damnati, non vbique. Nam replicat Tromb. quod sententia damnata alicubi per Vniuersitatem famosam, vbique est damnata, aut suspecta de hæresi, non solum auctoritate Diœcesani Episcopi, sed etiam Domini Papæ, vt patet Extrà Orbis Vniuersitates primum semper locum obtinuit, & obtinet Vniuersitas Parisiensis, vt potè in qua floruerunt semper litteratorum Proceres, & tot Scholarum Fundatores.

Tertiò probatur ratione, materia est pars quidditatis compositi non solùm secundum Scotum 3. dist. 22. quæst. vn. sed etiam secundum D. Thomam pluribus in locis, sed quod est de quidditate, & essentia naturæ specificæ non potest esse principium indiuiduationis, quia hoc est extrà essentiam naturæ, vt patet ex dictis; ergo materia nequit esse principium indiuiduationis. Respondent quidam apud Tromb. loc. citat. quod materia secundum suum esse potest comparari vel ad formam, à qua habet esse, vel ad ipsum generans, à quo producitur forma dans esse materiæ, & secundum hoc materia habet duos gradus in esse, qui licèt sint vnum, & idem in re, distinguuntur tamen ratione, & ita esse materiæ potest considerari secundum gradum, qui est à forma, vel secundum gradum, qui est à generante; secundum gradum qui est à forma esse materiæ est communicabile, secundum gradum qui est à generante eius esse est incommunicabile; secundum priorem gradum constituit speciem, & secundum alium gradum constituit indiuiduum. Hanc solutionem fusè refellit Tromb. cit. sed quia non est modò multum à Thomistis vsitata, circa eius impugnationem non immoror, solùm aduerto, quod in ea videtur vnum valdè falsum assumi, quod nempe suum esse intrinsecum, & essentiale, secundum quod simul cum forma compositum constituit, recipiat à generante saltim secundum aliquem gradum, quod est ab omni Philosophia alienum, quæ docet materiam secundum suum esse intrinsecum, & essentiale esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

70 Quartò probatur vlterius quod ex se est distinctum, & confusum nequit esse principium indiuiduationis quæ distinguit vnum indiuiduum ab alio; materia est huiusmodi, cum in fundamento naturæ, qualis est materia, nihil sit distinctum ex 1. Metaph. tex. 17. ergo &c. Respondent Thomistæ duo esse in indiuiduo, primum est, quod sit indiuisum in se vltima diuisione, seu quod sit incommunicabile eo communicationis modo, quo superius communicatur inferiori; alterum est, quod sit diuisum à quolibet alio, quod non est ipsum, primum dicitur à materia prouenire ratione suæ irreceptibilitatis, nam ratione materiæ indiuiduum non potest in alio recipi, & illi communicari, secundum verò habet à quantitate; & Ferrariensis addit in primo duntaxat consistere rationem essentialem indiuidui, & secundum esse solùm eius proprietatem, quare concludunt materiam nudè sumptam non esse principium indiuiduationis quoad ad omnem rationem indiuiduationis, sed tantùm quoad incommunicabilitatem, quæ est prima, & præcipua ratio.

Sed hæc solutio reijcitur ex hactenus dictis, quibus probatum est materiam esse de se communicabilem, quia est pars quidditatis specificæ, & nedum datur hæc materia, sed etiam materia in communi correspondens formæ, & composito in communi; tum quia materiæ secundum suam essentiam non repugnat diuidi in plura numero distincta, non enim est omnium vna numero materia, sed vna specie ex dictis in Physica; ergo nequit esse principium indiuiduationis quoad incommunicabilitatem, & indiuisionem in se, quasi id habeat indiuiduum præ-

præcisè ratione materiæ. Confirm. quia indiuiduatio ſtat cum receptibilitate in ſubiecto, & communicabilitas indiuiduationi oppoſita ſtat cũ irreceptibilitate; ergo falſum eſt materiã ratione irreceptibilitatis, quæ ei primò, & eſſentialiter conuenit, eſſe radicem incommunicabilitatis formæ, & compoſiti, conſequentia patet, aſſumptum quoad primam partem liquet in accidentibus Euchariſticis, quæ ſunt extrà ſubiectum, & illi communicari poſſunt, ac in eo recipi, & adhuc ſunt indiuidua; quoad ſecundam probatur, quia materia prima ſecundum ſuam eſſentiam precisè conſiderata eſt primò, & eſſentialiter irreceptibilis, cum ſic importet rationem primi ſubiecti, & tamen adhuc eſt communicabilis pluribus inferioribus etiam ſecundum ipſam rationem irreceptibilitatis, nempe huic, & illi materiæ numero differentibus. Confirm. amplius adducendo rationem à priori, incommunicabilitas, qua aliquid non poteſt alteri communicari, tanquam ſubiecto, aut per vnionem aliquo alio modo ſecundum eſſe entitatiuum, non eſt incommunicabilitas propria indiuidui, quæ ipſum conſtituit in tali eſſe, ſed ſolùm illa, qua nequit alteri communicari, tanquam ſuperius inferiori, & ideò indiuiduum dicitur incommunicabile, non vt quo, ſic enim eſt communicabile, ſed vt quod, & per hoc diſtinguitur à ſuppoſito, quod eſt vtroque modo incommunicabile; cum igitur irreceptibilitas non faciat irreceptibile, vt ſic, incommunicabile, vt quod, ſeu vt ſuperius inferiori, ſed tantum vt quo, & vt forma ſubiecto, etiamſi materia ſit cauſa irreceptibilitatis, non hinc ſequitur eſſe radicem incommunicabilitatis, quæ eſt propria indiuidui, conſequentia patet, probatur aſſumptum, quia incommunicabilitas indiuidualis eſt illa, quæ directè opponitur incommunicabilitati vniuerſalis, & naturæ communis, at communicabilitas, naturæ communis reſpicit plura, vt inferiora, non vt ſubiecta, & ipſis communicatur per identificationem realem, & eſſentialem, non autem per aliquam aliam vnionem magis extrinſecam, ergo incommunicabilitas indiuidualis eſt illa præcisè, qua indiuiduum redditur incommunicabile pluribus, vt ſuperius ſuis inferioribus quorum quolibet ſit ipſum.

71 Reſpondent quidam Thomiſtæ incommunicabilitatem ſingularis nedum eſſe per modum ſuperioris inferioribus ſuis, ſed etiam per modum formæ reſpectu ſubiecti, & hoc ea ratione, quam nos nunc innuimus, quia eius incommunicabilitas debet adæquatè opponi communicabilitati vniuerſalis, vniuerſale autem nedum eſt communicabile per modum ſuperioris ſuis inferioribus, ſed etiam per modum actus ſuo ſubiecto, vnde dicuntur ſecundæ ſubſtantiæ, & eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto. Sed hæc reſponſio ex proximè dictis falſitatis conuincitur, quia indiuidua accidentium, vt hæc albedo, hic ſapor ſunt verè, & propriè indiuidua, & tamen ſunt alteri communicabilia, vt ſubiecto, ſimiliter humanitas à Verbo aſſumpta ſingularis erat, & tamen communicata fuit diuino ſuppoſito; ergo incommunicabilitas indiuidui ſolam excludit communicabilitatem per modum ſuperioris ſuis inferioribus, quæ ſola, & præcisè conſtituit vniuerſale; neque verum eſt vniuerſale, & præſertim ſecundas ſubſtantias eſſe in alio, velut in ſubiecto, & oppoſitum habetur in prædicamentis c. 2. &c. ſubſtantia, vbi habetur ſecundam ſubſtantiam dici quidem de ſubiecto ſcilicet de inferiori, nequaquam tamen eſſe in ſubiecto, quia licèt humanitas ſit in Petro, & Paulo, nequaquam tamen vt forma in ſubiecto per inhæſionem, ſed tanquam natura in ſuis inferioribus per identitatem realem, & eſſentialem, qua de cauſa poteſt de illis quidditatiuè prædicari; & quamuis vniuerſalia accidentium dicantur etiam eſſe in ſubiecto, vt color, & ſapor, id tamen eis non conuenit, qua ratione vniuerſalia ſunt, ſed quia talia vniuerſalia nempe accidentalia; quod ſi tandem inueniatur vniuerſalia eſſe in ſuis inferioribus, vt ſubiecto, id eſt intelligendum de ſubiecto prædicationis, non inhæſionis, vel receptionis.

72 Quintò, ad concedendum magis hoc fundamentum Thomiſtarum, quod materia nudè ſumpta de indiuiduo incommunicabilitatem, licet non diſtinctionem eius ab alio, probo quod ſi dat primum, debeat quoque dare ſecundum, & cum hoc non præſtet ex eorum confeſſione, neque præſtabit primum, quod eſt noſtrum intentum probatur autem ſic, id quod facit, vt vnum indiuiduum cum alio non communicet, diuidit, & diſtinguit hoc ab illo ſecundum illud eſſe, in quo non communicant; ſed quod tribuit incommunicabilitatem indiuiduo, eo ipſo facit vt cum alio non communicet in eſſe indiuiduali, ergo diſtinguit indiuidualiter illud à quocunqne alio, & quod tribuit incommunicabilitatem, tribuit etiam indiuidualem diſtinctionem; ſi ergo materia tribuit incommunicabilitatem nudè ſumpta, & citrà ſignationem quantitatis, diſtinctionem quoque indiuidualem præſtare debebit Conſ. quia eadem ſunt principia rei conſtitutiua, & diſtinctiua, & eo modo, quo conſtituunt ſic etiam diſtinguunt, & in eodem gradu; ſi ergo per materiam nudè ſumptam indiuiduum conſtituatur intrinſecè in eſſe incommunicabili, pariter per eam indiuiduaiiter à quocunq; alio diſtinctum erit, nec opus erit hanc diſtinctionem à quantitate expectare. Conſ. adhuc, quia ſi materia conſtituit indiuiduum in eſſe incommunicabili, ergo etiam in vnitate numerali, quia nihil poteſt conſtituere aliquod in aliquo eſſe niſi conſtituat illud in aliqua vnitate conſequente illud eſſe, & illi proportionata, cum vnitas ſit paſſio adæquata entis ſed per vnitatem vnumquodque eſt indiuiſum a ſe, & diſtinctum a quolibet alio, ergo indiuiduum per vnitatem, quam habet à materia, diſtingueretur à quolibet alio, cum ergo nolint Thomiſtæ materiam nudè ſumptam eſſe principium indiuiduationis quoad diſtinctionem, nam hanc dicunt prouenire à quantitate, vel quantitatis ſignatione conſequenter nec ponere debent eſſe principium eius quoad incommunicabilitatem, & debent aut vtrumq; affirmare, vel melius vtrumque negare; videatur Tromb. loc. cit. vbi latè hoc medium proſequitur contra Thomiſtas.

Poſtremò arguuit Doctor. cit. in fine quæſtionis, principium indiuiduationis debet eſſe maximè proprium rei ſingulari, & indiuiduæ, ita quod nec ſimul, nec ſucceſſiuè ſit multis indiuiduis commune, ſed materia non eſt huiuſmodi, quia vna, & eadem numero manens eſt communis ſucceſſiue multis indiuiduis nimirum genito, & corrupto, ergo ipſa non eſt indiuiduationis principium. Reſpondent per hoc tantùm probari, quod materia nudè ſumpta non ſit principium indiuiduationis, quia ſic poteſt eſſe communis pluribus, tamen vt intelligitur ſignata, ideſt ita capax huius quantitatis, quod non alterius, eſt ita propria vni indiuiduo, quod nequit eſſe communis pluribus nec ſimul, nec ſucceſſiuè. Hæc reſponſio concedit quantum in præſenti contendimus, neque enim in hoc articulo aliud probare intendimus, quam materiam nudè ſumptam principium indiuiduationis eſſe non poſſe, mox articulo ſequenti probaturi neque poni poſſe, vt ſignatam; Imò Doctor loc. cit. directè hanc ſolutionem impugnat, hunc modum, ſupponatur ex aqua generari ignem, & deindè ex igne rurſus aquam generari, in tali caſu licèt in aqua corrupta, & igne genito ſit materia cum eadem quantitate, vel ſignatione, tamen videtur eſſe in prima aqua corrupta, & alia deinceps ex igne generata, & non ſolum eadem quantitas interminata, ſed etiam terminata, quia poteſt habere eundem terminum à forma, ergo eadem materia cum eadem ſignatione poteſt eſſe in genito, & corrupto, & ideò neque cum ſignatione poteſt eſſe indiuiduationis principium; ſed de hoc art. ſeq.

Obiectiones Solutæ.

73 In oppoſitum. Primò vrgent Thomiſtæ pro ſua Materia ſignata plures Ariſt. auctoritates innuentes eſſe principium indiuiduationis; ſed quia auctoritates illæ abſolutè de materia loquuntur, potius fauere videntur ponentibus materiam principium indiuiduationis abſolutè inſpectam quam ſignatã, atque ideò in hoc articulo ſunt ſoluendæ; Prima habetur 5. met. 12. vbi ait Ariſt. ea eſſe vnum numero, quorum materia eſt vna; Secunda 1. Cœli 92. Cœlum vt ſic ait eſſe formam, hoc vero Cœlum inquit eſſe formam in materia, & deinceps 93. & 94. negat eſſe plures mundos, quia nequeunt multiplicari per materiam, cum tota ſit in hoc mundo. Tertia 12. met. tex. 49. docet quæcunque ſub eadem ſpecie plura numero ſunt, ea neceſſario materiam includere, vnde deducit plures numero primos motores reperiri non poſſe, quoniam primus motor materia caret. Quarta 7. Met. 28. habet quod generans generat aliud propter materiam, Callias, inquit, & Sortes ſunt diuerſa propter materiam. Quinta in eodem lit. tex. 35. cum docuiſſet vniuerſalem hominem ex forma, communique materia conſtare, poſtea ſubdit, ſingulare autem ex vltima materia iam Socrates eſt. Sexta 7. Met. 4. 1 & lib. 8. tex 8. ait in rebus materialibus quidditatem eſſe idem eum re, cuius eſt quidditas ideſt cum ſingulari, in rebus autem materialibus eſſe diſtinctam, quod dicere videtur propter ſingularitatem, quę ſumitur à materia. Quas auctoritates non retuli per ordinem librorum Ariſt. ſed eo ferè ordine, quo eas adducit, & ſoluit Doct. 2. d. 3. q. 6. §. *ad quæſtionem quintam*, vt ſimul ponantur, quæ eandem ferunt explicationem.

Reſp. his auctoritatibus non benè fundari Thomiſtarum ſententiã, tum quia Doctor his opponit alias auctoritates ex 7. & 12. Met. ab initio articuli relatas, quibus palam conuincitur non eſſe Ariſt. mente, quod materia phyſica ſit principium indiuiduationis; tum quia dum ſæpè Philoſophus rerum vnitatem ex vnitate materiæ auſpicatur certum eſt non ſemper loqui de materia partis, ſeu materia phyſica, vt conſtat ex 5. Met. tex. 10. vbi ait quod homo, equus, & canis ſunt vnum, ſicut illa ſunt vnum, quorum materia eſt vna & capit materiam pro genere; tum quia ſecundum veriora Philoſophi, & Commentatoris principia Cœlum eſt corpus ſimplex materia forma carens, vt Doct. oſtendit 2. d. 14. q. 1. & ideò dum per Cœlum intelligit formam, & per hoc Cœlum materiam 1. Cœli 92. ſtante illa ſententia loqui non poteſt de materia phyſica, ſed in alia acceptione, tum quia ſi loqueretur de materia partis, & phyſica, non minus nos læderet, quam Thomiſtas admittentes in Cœlo compoſitionem materiæ, & formæ, quia inquit, Cœlum, vt ſic, & ſimpliciter ſumptum, dicere formam ſolam, cum tamen in communi ſumptum ſecundum eorum opinionem materiam quoque in communi includere deberet; tum quia vltima auctoritas, quæ in concretis cum materia videtur materiam excludere a quidditate, & eſſentia compoſiti, non minus contra nos militat, quam contra Thomiſtas, qui nobiſcum ſentiunt, quod materia ſit pars quidditatis compoſiti materialis; ad conciliandã ergo hæc Ariſt. loca, itaut non ſibi inuicem contradicant, nec veritati tenebras offendant, varias excogitarunt Expoſitores acceptiones materiæ, & formæ ab Ariſt. vſitatas.

74 Itaque Doctor ad hæc loca Ariſt. inter ſe cõponenda inquit loc. cit.

cit. & quol. 2. art. 2. lit. M. propè finem, Arist. in diuersis locis diuersimodè materiam accipere, materiam enim quandoq; vocat principium receptiuum faciens compositionem cum actu, siue cum forma, quo modo dicit materiam, & formam esse duo principia 1. Phys. & multis alijs locis; alio modo forma dicitur quidditas secundum ipsam multis locis; & per oppositum materia dicitur quicquid habet rationem contrahentis, vel determinantis ipsam quidditatem, & hoc modo differentia indiuidualis quæcunque sit, ipsa dicitur materia respectu quidditatis specificè, dicitur ergo materia quandoque illud, quod recipit formam informantem, quandoque illud quod contrahit, vel determinat quidditatem indifferentem; ita Doctor loc. cit. quol. 2. & quia ipsemet 3. d. 2. qu. 2. & dist. 22. q. vn. formam præcisè pro quidditate sumptam vocat formam totius, vt eam discerneret à forma in altera acceptione nimirum pro forma partis, hinc Scotistæ differentiam indiuidualem, quæ dicitur materia opposita formæ totius, consueuere appellare materiam totius, vt eam discernerent à materia partis, quæ correspondet formæ partis. Et hanc duplicem materiæ, & formæ acceptionem alij fere omnes post Scotum approbarunt, vt est videre apud Ragus. disp. 24. cit. cap. 25. & Pasqualig. disp. 37. sec. 3. vbi ad explicanda varia Arist. loca iam citata notat nomine formæ interdum Aristot. intelligere quidditatem rei in communi præcisè sumptam, & consideratam, quo sensu ait accipere formam 7. Met. tex. 28. & clarius tex. 35. vbi partes definitionis appellat partes formæ, & tamen constat materiam quoque esse partem definitionis, & essentiæ, & ideò per formam ibi nequit intelligere formam partis, sed formam totius sumptam pro quidditate, vt etiam Doctor explicat 3. d. 22. q. vn. nomine autem materiæ intelligit entitatem rei, in qua inuoluitur quidditas, dicitur autem quidditas forma, tum quia importat esse formale rei, tum etiam quia respectu illius entitatis, in qua inuoluitur, se habet veluti forma, nam illi tribuit esse formale, & constituit in tali, vel tali esse; entitas autem dicitur materia, tum *quia* veluti subijcitur esse formali, quod in ipsa imbibitur, tum etiam quia importat esse materiale rei; hanc quoque duplicem acceptionem materiæ, & formæ apud Arist. tradiderunt Io. Baccon. 5. distinct. 12. Franciscus Piccol. lib. 3. de materia cap. 18. & Zabarella lib. de natura cœlesti cap. 8. vbi etiam eam applicat prælegatæ auctoritatiex 1. de Cœlo tex. 92. dum Arist. Cœlum absolutè sumptum vocat formam, & hoc Cœlum materiam, nam Cœlum absolutè sumptum significat ipsam Cœli quidditatem veluti in abstracto, quando autem dicimus hoc Cœlum, dicimus rem sensibilem, ac demonstratam, proindè quidditatem in materia, idest in habente quidditatem. Hæc, inquam, est illa duplex materiæ, & formæ acceptio à Scoto animaduersa in Arist. nec aliud est discrimen, nisi in explicatione materiæ, prout respondet formæ acceptæ pro natura, & quidditate, nam Scotus, & Scotistæ dicunt illam esse differentiam indiuidualem, illi verò Auctores dicunt esse ipsum totum concretum ex natura, & differentia contrahente, quod dicitur habens naturam.

75 Hæc tamen est dissensio de nomine, & vtrumque dici potest de mente Doctoris, nam quol. 2. cit. & d. 3. quæst. 6. §. *ad quæstionem quintam*, differentiam indiuidualem vocat materiam comparatione quidditatis, vt est forma totius, quia ipsam constituit in vltimo esse subijcibili, & rem constituit in esse materiali; non vero formali, prout quidditas dicitur forma, quia ista entitas non est quidditatiua; & in eadem q. 6. lit. H. ipsum totum habens quidditatem vocat materiam respectu quidditatis, vt est forma totius his verbis; & quia apud Philosophum quidditas dicitur forma frequenter vt patet 5. Met. cap. de causa, & lib. 7. cap. de partibus definitionis, quod in quibuscunque non est materia, idem est quodquid est cum eo cuius est, sicut exponit loquendo de materia, & forma, quia materia apud eam vocatur quodlibet habens quidditatem contractam &c. idem habet 3. d. 2. q. 2. art. 3. vbi cum probasset ex Arist. 5. Met. cap. de causa, quod natura, & quidditas potest dici forma, subindè quærit, sed respectu cuius est forma? & respondet, quod respectu totius compositi, non quidem forma informans, sed forma qua compositum est ens quidditatiuè, & hoc modo totum est ens formaliter forma totius, sicut album dicitur album albedine. Et per hoc cessat inutilis contentio, quam habet Faber cum Scotistis theor. 21. cap. 1. & theor. 90. cap. 4. in fine, vbi acriter omnes reprehendit Scotistas, quod dicant Scotum appellasse differentiam indiuidualem materiam totius, quia apud Doctorem solum habens quidditatem dicitur materia totius, per quod faciliter euadere putat argumentum, quod Mercenarius vrget disp. cit. de principio indiuiduationis cap. 5. vbi ait hanc materiam totius esse purum figmentum Scoti, & Scotistarum, quia apud Arist. materia semper est potentialis, & passiua, & apud Scotistas materia totius est actus naturam communem contrahens, ac determinans; euadit hanc difficultatem Faber quia inquit falsum esse, quod apud Scotum materia totius sit indiuidualis differentia, si quidem est totum habens naturam, quod vtique potentialiter, & passiuè se habet ad naturam. Hæc, inquam, est inutilis contentio, quia vtrumque apud Doctorem habetur; & quod differentia indiuidualis sit materia respectu formæ totius, & ipsum habens naturam, siue concretum ex differentia, & natura; & parum officit instantia Mercenarij, quia benè explicat Doctor, in quo sensu differentia indiuidualis dicatur materia, quatenus nimirum constituit rem in esse vltimo subijcibili, & materiali, non autem in esse formali, quia non pertinet ad quiditatem rei; vndè quamuis ex eo capitè, quo naturam contrahit, & determinat possit dici actus, id tamen non obstat, quin adhuc in sensu declarato dici possit materia, atque potentia.

76 Hoc stante respondet Doctor cit. §. *ad quæstionem quintam* tres primas auctoritates non loqui de materia partis, sed de materia sumpta pro indiuiduali differentia, & hanc glossam ait quadrare primo loco ex 5. Met. tex. 12. quia postquam dixit ea esse vnum numero, quorum est materia vna, statim addit, specie verò vnum sunt, quæcunque rationem vnam habent, idest quidditatem vnam, ratio enim ibi sumitur pro quidditate, quæ dicitur forma respectu esse indiuidualis; sic etiam exponit alium locum ex 1. de Cœlo 92. quod per Cœlum simpliciter, & absolutè dictum intelligit ipsam Cœli quidditatem, & naturam, veluti in abstracto, per hoc verò Cœlum intelligit eandem naturam veluti in concreto nempe contractam per indiuidualem differentiam, & præsertim ait sic explicari debere ab his, qui Cœlo negant compositionem materiæ, & formæ in Arist. sententia; tex. 93. & 94. videtur quidem loqui de materia partis, nam probat alium mundum esse non posse, quia putauit hunc mundum (licèt perperam) constare ex tota materia tam actuali, quàm possibili, vndè sicut dari non potest physicum compositum, quod ex sua non constet materia, ita neque dari potest alius mundus, si alia materia non est possibilis; ex hac autem Aristot. ratiocinatione non benè deducitur materiam esse indiuiduationis principium, sed tantùm quod requiratur, & necessaria sit pro constitutione alterius mundi, vt essentialis pars compositi physici, quæ solutio innititur à Doctore 2. d. 3. q. 7. in fine. Locum etiam ex 12. Met. 49. exponit Doctor de materia, non partis, & physica, sed de materia sumpta pro indiuiduali differentia, quam alijs metaphysicam appellare placet, probat enim quod non possunt esse plures primi motores, quia in primo motore non est materia, hoc est, non est in eo aliquid contrahens, vt materia, vel aliquid aliud, sed est de se hoc sine alio contrahente, nam talis contractio non stat cum perfecta simplicitate, & ideò quidditas Dei est de se hæc, quam expositionem recipiunt Pasqual. cit. & Ragusius optimus Peripateticus ex ipso contextu deducit, quicquid reclament cum Caiet. Thomistæ.

77 Quartam auctoritatem ex 7. Met. 28. deductam quidam Scotistæ eodem modo exponunt, quod accipiat Aris. formam pro quidditate, & materiam pro indiuiduali differentia, quos sequitur Pasqualig. loc. cit. cæterum Doctor 2. d. 3. q. 6. in fine fatetur ingenuè ibi sermonem esse de materia, & forma physica, quem sequitur Ragus. cit. non tamen indè colligi, materiam esse principium formale, & proximum indiuiduationis, de quo est quæstio, sed tantum quoad esse physicum magis quodammodo generans, & genitum abinuicem distingui per materiam, quam per formam, siquidem ratio distinctiui appropriatur potius materiæ, quam formæ, quia forma non solum est distinctiua, sed etiam assimilatiua, materia autem nullo modo est assimilatiua, quia generans non assimilat sibi genitum ratione materiæ; disputat enim ibi Arist. contra Platonem, & probat quod ideæ non sunt necessariæ quoad generationem, quia tam distinctio gigneitatis à genito, quam assimilatio geniti cum generante, quæ duo requiruntur ad generationem vniuocam, possunt haberi sine eis, agens enim particulare ex forma sua habet, vndè assimilet sibi passum, & generans genitum, & ex materia habet, quod fit distinctum à genito, nam dùm generans exit in actum generationis, tunc formam producit, materiamque perficit non quidem suam, illa namque iam per propriam formam est perfecta, sed materiam alterius, scilicet rei genitæ; itaque loquitur de principijs physicis, & declarat quodnam illorum sit assimilatiuum, & quodnam distinctiuum generantis à genito, non autem loquitur de principio indiuiduationis metaphysico, quo res vna vltimatè distinguitur ab alia, adeout non sit amplius opus recurrere ad vlterius principium, hoc siquidem principijs physicis conuenire non potest, quamuis enim in genere physico dicere habeat, quod Petrus est hic homo, quia ex hac anima constituitur, & ex hoc corpore, tamen adhuc vlterius quærendum manet, à quonam primò hæc materia, & hæc forma fuerint singularizata, & hoc erit vltimatum indiuiduationis principium, de quo hic est sermo. Quinta etiam auctoritas loquitur de materia partis, & secum fert solutionem, non enim ibi loquitur de distinctione vnius indiuidui ad alio, sed de differentia inter compositum in communi, & in particulari, dicens compositum in communi esse illud, quod constat ex materia, & forma in communi, & singulare illud, quod constat ex hac materia, & subintelligitur etiam ex hac forma, nam in genere physico ad constituendum vnum numero compositum ita necessario exigitur hæc forma, sicut hæc materia, at quia de ipsis quoque quærendum adhuc remanet, per quidfacta sint hæc, & singularia, ideò neutrum eorum potest constitui principium per se primum indiuiduationis, quod hic vestigamus.

78 Sexta, & vltima auctoritas ex 7. Met. 41. & lib. 8. tex. 8. explicatur à Scoto in vtroq; sensu tam scilicet de materia partis, quam de materia totius, vndè in 2. d. 3. q. 6. lit. R. ait, quod si loquitur Philosophus de materia totius, sensus est, in abstractis à materia, idest à differentia indiuiduali quidquid est, idest ipsa quidditas est idem cum eo, cuius est, idest est idem per se, & primò cum eo, cuius est, quia cuius est, est ipsamet quidditas; in conceptis verò cum materia, ideest cum differentia indiuiduali, quæ est extrà rationem quidditatis, quodquidest non est idem cum eo, cuius est, idest non est idem primò,

& adæquatè, quia includit materiam, ideſt differentiam indiuidualem; v.gr. in homine humanitas dicitur quodquideſt hominis, quia eſt quidditas eius, & eſt idem per ſe primò cum homine, quia homo, & humanitas ſunt idem omninò, & differunt ſolùm in modo ſignificandi, vt concretum, & abſtractum; humanitas verò, & Petrus, qui eſt ſingulare hominis non ſunt idem omnibus modis, quia præter quidditatem, ideſt præter humanitatem in Petro eſt aliquod, quod non pertinet ad eius quidditatem, ſcilicet differentia indiuidualis; ſi autem dicatur Ariſt. ibi loqui de materia partis, ita explicat Doctor 3.d.22. q.vn.lit.I. in abſtractis à materia, ideſt à materia non quidem in communi, ſed ſingulari, & contracta, idem eſt per ſe primò quodquideſt cum eo cuius eſt; in concretis verò cum materia, ideſt cum materia ſingulari quidditas ſuperioris non eſt idem per ſe primò cum inferiori, ſed tantùm per ſe ſecundò, vt dictum eſt diſp.5.Phyſ.quæſt. 12.art.1.nu.142.& pro maiori adhuc intelligentia harum auctoritatum vide Doctorem in metaphyſica in expoſitione textus ſingulos namque allegatos textus exponit conformiter ad dicta ab ipſo in lib. ſent.& adhuc magis ad rem noſtram dilucidat Ant.And. in annotationibus ad illos; alias expoſitiones quoque ad hæc loca aſſignat Poncius diſp.6.Log.q.6.quæ tamen prorſus voluntariæ videntur,& ab intentione Philoſophi alienæ.

Poſt explicationem huius vltimæ auctoritatis Doctor 2.d.3.quæſt. 6.in fine mouet hoc dubium, an carentia materiæ, quæ eſt altera pars inferat carentiam huius entitatis indiuidualis ſecundum intentionem Philoſophi, ex cuius dubij reſolutione manifeſtum fiet, quo ſenſu Ariſt. ex carentia materiæ phyſicæ in ſubſtantijs abſtractis deduxerit earum immultiplicitatem numericam ſub eadē ſpecie. Reſoluit hoc dubium Doctor non ibi, ſed immediatè in quæſt. ſeq. in ſolutione ad primum principale, & ait veriſſimum eſſe apud Ariſt. quod omne non habet materiam partem ſui poſuit formaliter neceſſarium, quicquid autem poteſt eſſe in natura formaliter neceſſaria eſt ea, ſiquidem in iſtis potentia non diſtat ab actu ex 9.Met. 17. ergo quodlibet quod poteſt habere illam quidditatem habet eam, & ſic omnem poſſibilitatem quam poſuit in tali natura ſuppoſita poſuit in actu; ſi autem ibi eſſet poſſibilitas ad plura indiuidua, eſſet poſſibilitas ad infinita, igitur eſſent infinita in actu; quarè cum infinitas ſit impoſſibilis in aliqua natura, igitur & in hac natura ſecundum ipſum eſt impoſſibilitas ad infinitatem, & ideò vnamquamque naturam à materia partis abſtractam poſuit de ſe hanc, & conſequenter immunem quoque à materia pro differentia indiuiduali ſumpta. Non ergo ex eo immediatè, & formaliter deduxit Ariſt. ſubſtantias abſtractas eſſe numero immultiplicabiles quia carent materia, quaſi hæc ſit principium indiuiduationis, & præciſa cauſa multitudinis, & diſtinctionis numeralis, ſed quia ob carentiam materiæ ſunt formaliter neceſſariæ, & ſi ſunt neceſſariæ, ſunt de ſe hæc, & non numero multiplicatæ per differentias contrahentes, quia tunc in vnaquaq; ſpecie illarum eſſent indiuidua infinita.

79 Secundò, principaliter arguunt rationibus, quæ fundantur in antedictis auctoritatibus, illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt principium multiplicationis, & diſtinctionis indiuiduorum, eiſdem namque principijs entia conſtituuntur, quibus multiplicantur, & diſtinguuntur; ſed materia eſt huiuſmodi diſtinctionis, & multiplicationis principium, ergo &c. Maior patet, probatur minor, eſt quidem principium diſtinctionis, quia generans non generat aliud, niſi propter materiam ex 7.Met. eſt etiam principium multiplicationis numeralis, quia quæ materiam non habent, non poſſunt ſolo numero multiplicari, qua de cauſa Ariſt. ſubſtantias abſtractas poſuit ſpecie inter ſe diſtingui, non autem numero. Confirm. quia quando negatio eſt cauſa negationis, affirmatio quoque eſt cauſa affirmationis; ſi ergo carentia materiæ eſt cauſa indiſtinctionis, & immultiplicitatis numeralis, poſitio materiæ erit cauſa huiuſmodi diſtinctionis, itaque multiplicitatis.

Reſp. maiorem intelligi debere, non de quocunque principio diſtinctionis, & multiplicationis, ſed de principio formali, proximo, & primo, itaut ad aliud prius non ſit recurrendum, in quo ſenſu negatur minor, ſic enim materia nec eſt principium formale, nec radicale proximum diſtinctionis, & multiplicitatis numeralis; & ad primam probationem de diſtinctione patet ex iam dictis in explicanda quarta auctoritate; quod abſolutè loquendo tam diſtinguitur generans à genito per formam, quam per materiam, quia vtrumque habet aliam materiam, & aliam formam, appropriatè tamen, & comparatiuè loquendo potius dicitur generans à genito diſtingui per materiam, quam per formam, quia forma nedum eſt diſtinctiua, ſed etiam aſſimilatiua, vbi materia eſt ſolùm diſtinctiua, non verò aſſimilatiua; ex hoc tamen non ſequitur, vt dicebamus ſuprà, & notat Baſſol. cit. materiam eſſe ſimpliciter, & omninò primum indiuiduationis principium, quale hic quærimus, nam adhuc vltrà quærendum reſtat per quid materia eſt alia, & alia, ſicut per quid eſt hæc, vel hæc; licèt ergo materia benè concurrat ad indiuiduationem ſubſtantiæ materialis, ſicut cauſa intrinſeca illius rei, non tamen eſt principium formale, vel radicale proximum indiuiduationis eius; ad probationem de multiplicitate patet ex explicatione vltimæ auctoritatis, quomodo in ſubſtantijs abſtractis Ariſt. non immediatè, & præciſè ex ſola materiæ carentia ſtatim arguit immultiplicabilitatem earum numeralem, ſed mediatè, & conſecutiuè ex alijs multis, quia nempè ſunt neceſſariæ ob carentiam materiæ, & ſub nulla ſpecie eſſe poteſt multitudo indiuiduorum infinita, & in neceſſarijs actus à potentia non diſtat, ex quo tandem deducit ſubſtantias abſtractas poni debere de ſe has, & ſingulares. Ex quo etiam facilè occurritur confirmationi, nam maior valet in cauſis præciſis, quo ſenſu negatur carentiam materiæ eſſe cauſam indiſtinctionis, & immultiplicitatis numeralis, quia ad hoc multa alia concurrunt, vt declaratum eſt; imò extra ſcholam Philoſophi, & abſolutè loquendo falſum eſt carentiam materiæ pro altera parte eſſe cauſam immultiplicitatis numeralis, quia extrà ſcholam D.Thomæ apud cæteros Theologos Angeli carentes materia adhuc ſub eadem ſpecie numero multiplicantur, vt docet Doctor 2.d.3.q.7.

80 Tertiò, id eſt principium indiuiduationis per quod conuenit indiuiduo ſubijci omnibus ſui generis, & repugnat communicari, ſicut vniuerſale communicatur particularij; ſed hoc præcisè conuenit ei per materiam, ergo &c. Maior patet, probatur minor, quia materia eſt primum omnium ſubiectum, & receptibile quarumcunque formarum, & non receptibile in alio, ergo talis ſubijcibilitas ad omnia prædicata ſuperiora conuenit indiuiduo per ipſam, ac etiam incommunicabilitas, quia per materiam tam forma, quam compoſitum fiunt irreceptibilia in alio, & conſequenter incommunicabilia, hæc vltima conſequentia patet, quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum 10.Metaph. tex. 2. & ideò cum materia ſit primum ſubijcibile alijs, & primum non receptibile in alio, erit cauſa in cæteris, cur in alio recipi nequeant, & omnibus ſubijciantur.

Reſp. negando minorem, ad primam probationem de ſubijcibilitate dico cum Baſſol. æquiuocè conuenire materiæ ſubijci omnibus ſui generis, & indiuiduo, quia indiuiduo ſubſtantiæ conuenit ſubijci omnibus ſui generis in ſurſum, tanquam prædicabilibus de ipſo, non ſic autem materiæ conuenit ſubijci formis ſui generis, ſed ſicut actuantibus, & perficientibus ipſam, vt partem ad conſtitutionem compoſitorum eiuſdem generis, & ideò non oportet, quod conueniat illud indiuiduo per materiam, nec quod materia ſit principium indiuiduationis ex hoc capite. Ad aliam probationem de incommunicabilitate patet ex dictis num.70.& 71. incommunicabilitatem conuenientem indiuiduo ratione principij indiuiduationis excludere communicabilitatem per modum ſuperioris inferiori per realem, & eſſentialem identificationem, non autem per modum formæ ſubiecto per interminationem, aut aliam vnionem, nam forma licèt ſit indiuidua, adhuc poteſt communicari ſubiecto, & humanitas Chriſti domini, quamuis indiuidua, communicata eſt Verbo; vnde quando etiam talis incommunicabilitas alteri per modum formæ ſubiecto conuenire indiuiduo, non ob id materia principium indiuiduationis poni debet, quia hæc non eſt incommunicabilitas propria indiuidui, quod ſolùm eſt incommunicabile, vt quod, ſed ſuppoſiti, quod eſt incommunicabile, vt quod, & vt quo; ſed adhuc falſum, eſt quod in argumento aſſumebatur in probationem vltimæ conſequentiæ, quod materia ſit primum irreceptibile ſimpliciter, ideoq; cauſa cur alia nequeant in ſubiecto recipi, nam ſubſtantiæ ſeparatæ nequeunt in ſubiecto recipi, nec tamen id ipſis conuenit ratione materiæ, ſed quia per ſe ſubſiſtunt, nec ſunt actus vlterius ordinabiles ad aliquid ſubſtantialiter perficiendum, ideoq; id eis conuenit ratione propriæ ſubſiſtentiæ, vt benè notauit Doctor quol.9.

81 Quartò oppoſitorum oppoſita ſunt principia, cum ergo forma ſit principium naturæ vniuerſalis, materia quæ opponitur formæ erit principium naturæ particularis. Conf. quia diſtinctio numeralis, ſeu indiuidualis, non eſt formalis, ſed ſolum materialis; ergo à ſola materia deſumitur. Demum illud eſt principium indiuiduationis, quod ab indiuiduo tollit ne ſit definibile, quia indiuiduum, vt ſic, non eſt definibile; ſed hoc tollit materia ab indiuiduo, quia partes materiales ad definitionem non pertinent ex 7. Met. ergo &c. Reſp. ſi ſermo ſit de materia, & forma phyſica, & vtraque conſideretur ſecundum eſſentiam, & in communi, vtraque poteſt eſſe principium phyſicum naturæ vniuerſalis compoſitæ, ſeu compoſiti in communi; & ſi vtraq; conſideretur vt contracta, poteſt eſſe principium conſtitutiuum compoſiti in particulari, vnde in hoc ſenſu falſum eſt magis formæ competere, quod ſit principium naturæ vniuerſalis, quam materiæ, & plus materiæ conuenire eſſe conſtitutiuam naturæ particularis, quam formæ, vt docet Scot.3.d.22.qu.vn. non ergo poſſunt opponi materia, & forma, ita quod hæc ſit principium naturæ vniuerſalis, & illa particularis, niſi in alia acceptione ſumendo, ſcilicet formam pro forma totius, & materiam pro indiuiduali differentia. Ad Conf. dicitur cum Scot.2.d.3.qu.6.H. quando diſtinctio per differentia indiuiduales dicitur materialis, & per ſpecificas formalis, non ſumi materiale, & formale phyſicè, vt nempe denominantur à materia, & forma parti, ſed metaphyſicè, vt denominantur à materia, & forma totius, vel logicaliter, iuxta quod ſignificatum illa dicitur entitas materialis, quæ rem conſtituit in eſſe ſubijcibilis, & illa formalis, quę conſtituit in ratione prædicabilis præcisè, prædicatū enim formale habet rationem formæ, & ſubijcibile habet rationem materiæ. Ad vltimum negatur minor ſi ſermo ſit de materia partis, quia ſicut eſt pars quidditatis, ità etiam eſt pars definitionis, & indiuiduum immateriale eſt perinde indefinibile, ſicut materiale, quare minor eſt tantum vera de materia totius ſumpta, ſcilicet pro indiuiduali differentia, vel de materia partis contracta; & in hoc tantū ſenſu dixit Ariſt. 7. Met. partes materiales ad definitionē non pertinere, ità Doct. 3.d.22.q.vn.ad 3. pro opinione.

A R-

ARTICVLVS II.

Materia signata non est principium indiuiduationis,

82 CONclusio huius articuli est Scoti 2.d 3.q.4.§.*contra, ista positio*, quam præter Scotistas tenent alij omnes extrà schola D. Th. Suarez disp. 5. met. sec. 3. Pasqualig. disp. 37. sec. 2. Zabarel. lib. de constit. indiuidui cap. 4. Raguſ. disp. 24. cap. 20. & seq. Contar. disp. de princip. ind. cap. 6. & seq. Piccol. lib. 3. de materia prima cap. 12. & seq. Fonsec. 5. met. c. 6. q. 4. sec. 2. & 3. Pererius lib. 6. cap. 11. Auersa qu. 9. log. sec. 5. & 6. & alij passim; duplici verò via hanc conclusionem firmabo, primo sigillatim refutando omnes dicendi modos ab initio quæstionis relatos n. 65. ex Thomistis, quibus hactenus vsi sunt ad tuendam suam materiam signatam, deindè tandem ratione generali omnes in simul reijciendo.

Primò itaque probatur materiam signatam non esse principium indiuiduationis substantiæ materialis, vt importat substantiam actuali quantitate affectam, qui erat primus dicendi modus, nam hic etiam abipsis Thomistis passim spernitur, vt omnino irrationabilis, vt videre licet apud Ripam Bannes Blasium à Concep. Salmatic. & alios Recentiores Thomistas supracit. & quidem meritò nam vel isti loquuntur de principio indiuiduationis substantiæ materialis interno, per se, & principali, quod nempe substantialiter, ac entitatiuè vnum indiuiduum ab alio secernit, vel de principio quodam externo, & secundario, quod accidentaliter tantum, & à posteriori illa discriminat; non secundum, quia non de tali principio hic vestigatur, sed de principio interno, per se, ac præcipuo, neque primam, quia indiuiduum substantiæ quoad omnes gradus in prædicamento substantiæ contentos etiam vltimum est substantia, ergo nequit in esse tali constitui ab accidente. Tum quia, vt etiam illi Thomistę fatentur, nequit quantitas afferre, nisi vnitatem, & distinctionem accidentalem, & quantitatiuam, aduenitas, & distinctio, quam affert principium indiuiduationis est substantialis. Tum quia substantia à toto genere, idest quoad omnes gradus genericum, specificum, & indiuidualem præcedit accidens, vt supra dictum est num. 59. ergo quantitate non indiget, vt indiuiduetur per quod excluditur responsio Mercenarij, quod substantia, vt substantia præcedit accidens, non vt indiuidua, sicut paries præcedit albedinem absolutè, sed paries albus est posterior albedine, vt effectus formalis est posterior causa formali. Excluditur (inquam) quia ex ibi dictis substantia etiam, vt indiuidua, præcedit omne accidens, quia illa præcedit, vt est eorum subiectum, non est autem eorum primum, & vltimatum subiectum, nisi vt prima, & singularis; tum quia si substantia, vt sic, est prior accidente, vt concedit Mercenarius, ergo etiam vt hęc substantia, quia differentia addita non destruit naturam generis, vel speciei, vnde si vt substantia est prior accidente, non erit posterior, vt hęc; & exemplum illud de esse albo in pariete est penitus abs re, quia esse album respectu parietis est prorsus esse accidentale, at non sic esse indiuiduale respectu Petri, tum quia albedo non supponit parietem album, sed accidens supponit substantiam indiuiduam, vt eius proportionatum subiectum, non enim in substantia vniuersali fundatur, sed singulari, & particulari, vnde prima substantia est quæ cæteris substare dicitur.

Respondens aliqui Thomistæ per hoc benè probari quantitatem *cum materia* non esse propriam rationem indiuiduandi substantiam, *concurrere* tamen vt conditionem sine qua non, & sic præsertim ait Bannes in fauorem istorum; Contra, quia hoc est recedere palam ab isto modo dicendi, qui intantum asserit quantitatem concurrere cum materia ad indiuiduandam substantiam, quia duo sunt de essentia, & ratione indiuidui scilicet incommunicabilitas, & distinctio à quocunque alio, & quia hoc secundum à materia haberi non potest, aiunt necessarium esse quantitatem, non ergo hęc supperadditur materiæ iuxta hunc dicendi modum, vt mera conditio sine qua non, sed vt ratio per se ad indiuiduationem pertinens; Tum quia hac solutione data, iam sola materia erit per se radix, & principium indiuiduationis, quantitas verò per accidens & vt quædam extrinseca conditio, quod ad rem non facit, quia hic quæritur principium internum, & per se indiuiduationis, non autem principium extrinsecum, & quod concurrit solum per modum conditionis. Tum quia cum dicunt concurrere quantitatem, vt meram conditionem sine qua non indiuiduaret materia compositum, vel intelligunt quod sit prævia ad indiuiduationem compositi, & hoc dicere non possunt quia etiam in eorum sententia immediatam subiectum quantitatis, & aliorum accidentium non est materia prima, sed compositum; si vero per conditionem sine qua non intelligunt naturalem dispositionem concomitantem materialem substantiam indiuiduam, eo modo quo dicimus calorem, & siccitatem in igne esse conditiones, sine quibus ignis non esset, hoc nihil refert, quia tales conditiones supponunt subiectum, cui inhærent, singulare, & indiuiduum.

83 Deindè principaliter, cum aiunt materiam formali quantitate affectam esse principium indiuiduationis, quasi sit per ipsam sigillata, vel intelligunt de quantitate interminata, vel terminata; non primum, quia præterquam hæc non datur coęua materiæ, vt nobiscum tenent Thomistæ contra Auerroistas, adhuc admissa non esset idonea ad materiam sigillandam, quia sigillatio determinationem importat, non potest autem determinatio procedere ab eo, quod est de se indeterminatum, tum quia ab admittentibus hanc indeterminatam quantitatem in materia admittitur etiam eandem numero materiam cum eadem quantitate interminata posse successiuè in pluribus reperiri, si verò intelligunt de quantitate terminata, tunc vlterius arguitur, vel hæc subiectatur in materia prima, vel in composito, si secundum, vt ipsi dicere tenentur, ergo supponit substantiam compositam singularem, sicut omne accidens suum subiectum supponit singulare; tum quia compositum substantiale, vt sic natura præcedens quantitatem, quæ in ipso est tanquam in subiecto, verè ponitur adæquatus terminus generationis substantialis; ergo verè singulare erit priusquam quantitas composito adueniat, nam generatio ad singulare terminatur; si verò dicatur proximè, & immediatè in materia prima subiectari, neque adhuc sufficiens est ad sigillandam materiam ita pro hoc composito, vt nequeat esse alterius, quia nedum per Dei potentiam, sed etiam naturaliter contingere potest, vt eadem materiæ portio, quæ cum tanta quãtitate fuit in hoc composito, successiuè ponatur in alio cum eadem quantitate, vt patet in eadem virga prius viridi, & posteà arida.

Resp. Mercenarius disp. cit. cap. 11. per quantitatem terminatam, qua sigillatur materia, non debere intelligi solam quantitatem certis dimensionibus longitudinis, vel latitudinis constantem, sed quantitatem affectam certis dispositionibus, vt tali raritate, aut densitate, vel alijs qualitatibus, quibus materia ad hanc formam potius, quam ad illam determinatur; sic enim materia incommunicabilis redditur cæteris indiuiduis, & huic solo addicta manet. Suarez sec. 3. cit. n. 11. inquit admitti posse in hoc sensu materiam quantitate signatam, idest sic proximè dispositam ita esse propriam huius indiuidui, vt nequeat esse in alio; attamen sic respondentes non sibi constare, quia tunc materia non quantitate, sed qualitatibus signata esset principium indiuiduationis, tum quia sequeretur qualitates illas per se, & essentialiter includi in principio indiuiduationis substantię quod supra refutatum est. At estò instantiæ, & replicæ huiusmodi benè allatam solutionem infringant, falsum tamen est, quod dicebat Suarez materiam sic affectam, & proximè dispositam ita huic formæ, & composito addictam esse, vt alteri conuenire nequeat; nam fortè etiam naturaliter est possibile, vt Doctor notat loc. c. 2. d. 3. q. 4. infrà G. in illa generatione circulari ignis ex aqua, & rursus aquę ex igne, nam in substantijs homogeneis potest benè contingere, quod plures formæ numero distinctę cum sint eiusdem rationis materiam informandam requirant sub eisdem dimensionibus, & dispositionibus in eodem gradum; vel saltim si hoc esse nequit naturaliter, saltim supernaturaliter contingere potest, sicut si v.g. nunc sub accidentibus Eucharistiæ eisdem numero permanentibus poneret aliam substantiam panis, in quo nulla apparet implicantia, nam in tali casu quantitas terminata etiam in hoc sensu esse posset cum diuersis indiuiduis, quod satis esset, ne materia sic signata ita dicatur propria vnius indiuidui, vt nequeat esse alterius. Quod si dicas id euenire per miraculum. Dico id sufficere ad ostendendum indiuiduationem compositi à materia sic signata dependere non posse, quia si ita esset, cum indiuiduatio sit inseparabilis à proprio indiuiduo, vt potè realiter ideutificata cum ipso, tunc non posset materia sic signata, & terminata in alio indiuiduo reperiri etiam per Dei potentiam quia sicut materiæ tribueret sigillationem eandem, ita quoque eandem semper indiuiduationem efficeret.

84 Demum vrget semper argumentum Scoti superius allatum q. 5. quo passim vtuntur Thomistæ contrà hunc primum modum explicandi materiam signatam, quod prima substantia, seu indiuiduum substantiale est ens per se directè in prædicamento reponibile; atque ideò ex aggregato per accidens, sicut est materia cum quantitate constitui non posse. Resp. Capreolus, & Soncin. indiuiduum non esse ob id ens per accidens, quia id dicitur, quod importat res diuersorum generum ex æquo, & æquè principaliter, quod in proposito non contingit, nam indiuiduum substantiæ non includit accidens in recto, sed in obliquo, nec tanquam partem suę essentiæ, sed vt determinatiuum eius, neque ex principali significato, sed secundariò, addit Bannes cit. in fauorem istorum quantitatem non pertinere ad indiuiduationem substantiæ, vt propriam rationem determinatiuam eius, sed vt conditionem sine qua non. Hoc vltimum, dictum supra refutatum est, sed neque subsistit alia solutio, quia ita pertinet differentia indiuidualis ad conceptum intrinsecum indiuidui, vt sic seruata proportione, sicut differentia specifica ad conceptum intrinsecum speciei, nec video aliam disparitatem afferri posse, nisi quod illa est differentia vltima, & incommunicabilis, non autem ista, quod certè ad rem nil attinet, sed differentia specifica non pertinet in obliquo, & secundariò ad conceptum speciei, sed æquè primò, & principaliter, sicut genus, & ambo ex æquo concurrunt ad constituendum vnum per se conceptum, vt plures realitates ad idem genus pertinentes, & adinuicem ordinatæ per modum actus, & potentiæ; ergo idem seruata proportione dicendum de differentia indiuiduali in ordine ad indiuiduum, quare ad euitandum, ne indiuiduum substantiale sit ens per accidens, abigendum est omne accidens à ratione differentiali eius.

85 Secundò probatur materiam signatam non esse principium indiuiduationis in sensu tradito à Caiet. de ente, & essentia cap. 2. qu. 5. nimirum, quatenus est in potentia proxima ad hanc quantitatem recipiendam, & ita est capax istius, quod non alterius; putatur autem validum argumentum ad hoc probandum illud ipsum, quo Caiet. ipse 1. p. q. 2. art. 2. illam suam sententiam retractauit, quoniam scilicet potẽtia materię ad quantitatẽ est etiã accidens pertinens ad idem prædicamẽtum

tum quantitatis, quia actus & potentia pertinent ad idem prædicamentum ex lib. 10. & 12. metaph. vndè & ex hoc modo dicendi sequuntur omnia illa incommoda, qua contra priorem vrgebantur, quod nimirum indiuiduum substantiæ esset ens per accidens, & quod indiuiduum constitueretur per aliquid alterius prædicamenti, quæ omnia sunt absurda; & hæc consequentia probatur quia potentia materiæ ad recipiendam quantitatem, non minus est accidens, quam ipsa quantitas cum sit in eodem prædicamento. Hanc rationem conantur soluere Iauellus, & Bannes dicentes propositionem illam, potentia est in eodem genere, in quo est actus, non esse veram, nisi de eo actu intelligatur, quem potentia per se, & primò respicit, non autem secundariò, quo pacto materia respicit formas accidentales. Quam solutione conantur infringere Fonsec. & Ragus. cõtendentes actum, & potentiam in eodem esse prædicamento, siue potentia talem actum respiciat primariò, siue secundariò. Re vera argumentum Caietani infirmum est, non quidem ob solutione allatam à Iauello, & Bannes quæ nulla est, quia diceret Caiet. vt notat Ripa ar. 5. quod licèt materia secundum suam potentiam, vt sic, respiciat primò formam substantialem, & secundariò accidentalem, tamen vt signata respicit primò hanc quantitatem; sed de eo præsertim, quia propositio illa, cui innitur, quod potentia passiua sit in prædicamento sui actus, cuius est receptiua, est omnino falsa, siue actum illum respiciat primariò, siue secundariò, nec de actu, & potentia passiua, siue actiua illam pronunciauit Arist. sed de actu entitatiuo, & potentia obiectiua, vt explicat Doctor 2. d. 16. qu. vn. lit. A. §. *rationes ista*, qua de causa potentiam substantiæ passiuam ad recipienda accidentia siue hæc immediate recipiantur in materia prima, siue in composito, dictum est disp. 3. Phys. q. 2. esse de prædicamento substantiæ, & substantiæ realiter identificata, cum non sit, nisi quædam aptitudo, vel capacitas in substantia ad illa recipienda, vt ibi latè probatum est, per quod etiam refellitur replica Ragusei, quia nititur probare illam propositionem esse vniuersaliter veram in quocunque prædicamento.

86 Itaq; motiuum Caiet. bonum est, nempe sustineri non posse illum secundum dicendi modum, quia etiam potentia proxima materiæ ad hanc quantitatem est accidens; sed ex alio capite probanda est hæc accidentalitas, quam ex identitate prædicamenti potentiæ, & actus, probari autem potest sic; quod potentia materiæ non sit proxima, nisi ex præuijs dispositionibus ab agente introductis, quæ materiam de se indifferentem ad omnes determinant ad hanc formam, & hoc ipsum fatetur Caiet. loc. cit. dum ait materiam esse sua natura capacem quantitatis, sed vt sic non posse esse completum indiuiduationis principium, quia est indifferens ad quamcunque quantitatem, sicut ad quamuis formam, per actionem autem agentis præuiam ad generationem determinatur, vt sit capax huius quantitatis & non alterius, & sic dicitur esse indiuiduationis principium, vndè per quantitatem ait intelligi debere non solam mathematicam quantitatem, sed physicam, idest physicis qualitatibus & dispositionibus affectam; si ergo materia non intelligitur figillata, & proximè capax huius quantitatis, nisi sub his dispositionibus accepta, iam constat esse principium indiuiduationis, quatenus est aggregatum per accidens, & non tam esse prncipium indiuiduationis, vt signata quantitate, quàm vt signata qualitatibus, & sic ad hunc dicendi modum sequuntur eadem incommoda, quæ ad primum. Deindè, vt benè arguit Suarez, in Thomistarum sententia potentia materiæ, vel nullo pacto respicit formas accidentales, quia in ipsa non recipiuntur, sed in composito, vel si illas respicit, & recipit, hoc non est nisi secundariò, & mediatè, mediante nimirum forma substantiali; ergo prius etiam determinatur eius potentia ad hanc formam substantialem, quam ad hanc quantitatem, ergo non signatur, seu determinatur ad hanc formam per potentiam ad hanc quantitatem, sed potius è contra per determinationem ad hanc formam determinatur ad hanc quantitatem; vndè materia potius cum habitudine ad hanc formam, quam ad hanc quantitatem, constituenda esset indiuiduationis principium.

87 Præterea difficile est declarare à quo determinetur vniuersalis capacitas quam de se habet materia ad omnes formas, & quantitates itaut sit capax huius numero præcisè quantitatis, & non alterius; hæc enim determinatio ab ipsa quantitate procedere nequit, quia tunc effectum suum formalem materiæ præstaret priusquam intelligatur illi inhærere, nam hæc capacitas intelligitur esse determinata ante quantitatis aduentum, tum quia in eadem materia secundum suam capacitatem considerata non magis hæc quam illa quantitas potest recipi; si dicas determinari ab agente, quatenus materiam disponit ad hanc numero formam, planè illæ dispositiones nequibunt sic materiam determinare ad hanc formam numero recipiendam, nisi & ipsæ sint singulares, & indiuiduæ; quod si tales ponantur, petendum erit an sint singulares de se, & per aliquid sibi intrinsecum, vel extrinsecum; si primum hoc ipsum de materia hac singulari poterit dici, quod sit vna numero per quid sibi intrinsecum, & non per extrinsecam signationem à quantitate, vel qualitatibus mendicatam; si secundum, rursus declarandum erit, quid sit hoc. Conf. quia absolutè loquendo eadem numero quantitas saltim de potentia Dei absoluta potest esse in diuersis materijs, ac etiam eædem numero dispositiones, & è contra eadem numero materia sub diuersis quantitatibus & dispositionibus; ergo nec per quantitatem, nec per dispositiones ita huic numero formæ, vel composito alligatur materia, vt principium indiuiduationis eius poni possit. Tum quia si ita esset, sequeretur, quod cum præparata esset materia ligni ad formam ignis, & ad quantitatem propriam illius formæ, & vniuersaliter ad ea, quæ eam formam consequuntur, non posset Deus in eo instanti, quod est primum non esse formæ ligni, introducere in ea formam aquæ, illudq; idem instans primum esse aquæ, & huius aquæ, consequens est falsum & contrà omnipotentiam diuinam, ergo & antecedens; consequentia probatur, quia implicat ponere in aliquo principium constitutiuum huius indiuidui, & facere vt illud constituat aliud indiuiduum. Dices, negari non posse quod materia non determinetur ab agente, & præuijs dispositionibus ad hanc potius formam, quam ad illam, quia omnes Philosophi id concedunt. Resp. materiam ex præuijs dispositionibus determinari, ad certam formam in specie, non autem numero, quia vt adhuc stat sub dispositionibus ad ignem, indifferens est, vt educatur ab ea potius hæc numero forma ignis quam illa sicut cum aqua est igni opproximata adhuc indifferens est, vt ab ea educatur hic, vel ille numero calor; vndè disp. 8. Phys. qu. 2. art. 3. dixi determitationem effectus cuiuslibet in indiuiduo immediatè à causa prima pendere etiam in causis liberis.

88 Rursus materia etiam cum hac proxima potentia ad talem quantitatem est communicabilis pluribus diuidi potest in vniuersalem, & particularem; ergo etiam cum tali capacitate proxima principium indiuiduationis esse non potest; cum indiuiduationis principium per se primò, vt quo incommunicabile esse debeat, & indiuisibile in plura vnitati numericæ opposita; probatur assumptum, quia dari potest hęc materia in tali potentia proxima ad talem quantitatem, & hęc alia materia in alia potentia proxima ad talem quantitatẽ, cum ab igne hoc non solùm materia huius ligni disponi possit ad hanc formam ignis, & quantitatem consequentem, sed alia quoque materia alterius ligni; quarè necessariò fatendum est materiam, vt sic affectam dispositione proxima ad talem quantitatem non posse esse principium indiuiduationis, nisi recurratur ad hanc materiam tali dispositione affectam ad talem quantitatem, quod tamen dici non potest, nisi ponatur aliud indiuiduationis principium respectu materię huius, & quantitatis huius, quod esse nequit, nisi aliquid ipsis intrinsecum, in quo detur status, vt nos infrà dicemus. Demum, vt benè defenderetur modus ille secundus explicandi, quomodo materia signata sit indiuiduationis principium, vt nempe proximè capax huius quantitatis, opus esset defendere illam capacitatem huius quantis nihil realiter distinctum ab ipsa materia in ea ponere, vt dixit Caiet. loc. cit. de ente, & essentia, alioquin si poneretur realiter distincta, & accidens superadditum, redeunt eadem incommoda, quę prius vrgebantur contra priorem dicendi modum, at impossibile est saluare huiusmodi proximam capacitatem esse realiter materię identificatam & non potius esse accidens superadditum, quia aduenit materiæ, & ab ea recedit absque illius interitu, ergo re vera est accidens superadditum. Tentauit quidem Caiet. loc. cit. de ente & essentia illum dicendi modum defendere dicendo cum Ægidio quol. 1. quęst. 5. art. 1. hanc signationem in materia præcedere quantitatem, esse quid ab ipsa quantitate realiter causatum, & adhuc cum ipsa materia realiter identificatum. Sed hanc defensionem ostendit Doctor 2. d. 3. q. 4. §. *contra ista positio*, esse omninò fictitiam, & chimericam, quandoquidem percipi nequit, quomodo ista signatio præcedat quantitatem in materia, & sit realiter causata à quantitate, quæ tamen supponitur iuxtà hunc dicendi modum non esse in materia, & adhuc magis incapibile est; quomodo sit identificata realiter cum materia, quandoquidem materia potest esse sine tali signatione, cum nimirum intelligitur in potentia tantùm remota ad hanc quantitatem, non verò proxima, tum quia, vt arguit Doctor ibid. quotiescunque duo respiciunt aliquod tertium, quorum vnum est naturaliter prius alio, si illud prius non sit realiter idem ipsi tertio, posterius erit minus realiter idem; si ergo quantitas, quæ est prior hac signatione ab ipsa realiter causata in materia, non est realiter idem cum materia, tanto minus erit idem cum ea signatio causata à quantitate; nititur Caiet. hæc & alia argumenta eludere loc. cit. quæ Doctor contra Ægidij positionem intorquet, sed quia modus iste dicendi à Recentioribus Thomistis non recipitur, eum vlterius insectari non operæ pretium duxi; qui tamen hunc quoq; impugnatum videre cupit, Fabrum legat, & Radam loc. cit. vbi plura circa hoc contra Caiet. disp.

89 Tertiò principaliter reprobatur tertius dicendi modus à Caiet. excogitatus 1. par. q. 29. art. 1. & modò à Recentioribus Thomistis passim receptus, nimirum materiam, quatenus virtualiter, & radicaliter hanc potius quantitatem præcontinet, quam illam, esse indiuiduationis radicem, itaquod materia signata, prout talis, nihil aliud dicit, quam esse radicem huius numero quantitatis determinatæ. Et quia hic dicendi modus est valdè confusus, nec benè adhuc Thomistæ explicuerunt, quod sibi velint per illa verba, materia vt prę habet, & præcontinet virtualiter, & radicaliter hanc quantitatem est indiuiduationis principium, petendum est quomodo intelligant materiam esse radicem, & principium quantitatis; Suarez disp. 5. sect. 3. n. 18. putat eos intelligere quod sit radix, & origo quantitatis in genere causæ materialis, quia materia præsertim Thomistarum sententia non præhabet quantitatem in genere causæ efficientis, sed ab extrinseco agente fit, vel resultat à forma, hoc autem nil alius est, quam quantitatem vel

hanc præcontinere, velut eius subiectum, ex quo educi potest talis tantitas, & habere capacitatem ad hanc numero quantitatem; si autem sic intelligunt, statim patet tertium hunc dicendi modum prorsus coincidere cum secundo, vt benè vrget Suarez, atque ideò eodem modo refutari debere; si autem hoc intelligunt in genere causæ efficientis, vt Bannes velle videtur lib. 1. de gen. & cor. quæst. 20. artic. 8. contra eorum principia omninò loquuntur, quia ipsi volunt materiam esse potentiam omninò passiuam, ac si dicendo faciunt eam quoque actiuam; tum quia ipsi volunt quantitatem à toto compositum manare; & non à sola materia, vt potè in quo adæquatè subiectatur; si dicant compositum esse vtique subiectum quod, & adæquatum quantitatis, materiam tamen esse subiectum quo, & inadæquatum. Contrà, quia vt dixi disp. 3. Phys. quæst. 1. estò verum sit materiam quoque esse subiectum quo, & inadæquatum accidentium, attamen est subiectum quo indeterminatum, & sola forma est subiectum quo determinatum, idest determinatè recipiendi talem quantitatem, & qualitatem, quia ad talem formam sequitur hæc, & illa qualitas, talis & tanta quantitas, & sic potius forma est radix determinatæ quantitatis, quam materia, vndè hac ratione potius forma, quam materia esset ponenda principium indiuiduationis compositi.

90 Deindè vel iste ordo virtualis, & radicalis continentiæ respectu talis quantitatis aliquid superaddit essentiæ materiæ, vel non, si ponit aliquid superadditum, recurrunt difficultates factæ contra alios dicendi modos; si non, ergo sola materia, & secundum suam essentiam considerata erit indiuiduationis principium, quod satis est impugnatum præcedenti articulo, quia materia secundum proprium esse potest esse cum hac & illa forma, & in hoc, aut illo composito, vndè nisi aliquid superaddatur, non potest esse huic formæ, vel indiuiduo alligata. Conf. quia vel materia prima ex se, & sua ratione formali habet hanc radicalem continentiam talis quantitatis, vel ab alio, & per aliquid superadditum, non primum, quia tunc omnes materiæ haberent eandem signationem, cum omnes sint eiusdem speciei, neque secundum, quia redirent difficultates iam factæ. Conf. vlterius ex Suarez, quia materia virtute non continet quantitatem, nisi quia virtute continet formam, quam ipsa quantitas consequitur, ergo prius materia est fundamentum, radix, & origo huius formæ, quam huius quantitatis, atq; ita potius materia, vt virtute continet formam, quam vt virtute continet quantitatem indiuiduationis erit principium. Negat Blasius à Concep. disp. 3. Met. q. 4. prius contineri in materia hanc formam, quam hanc quantitatem, quia esto prius à materia causetur forma substantialis, quam quantitas, tamen opus non est materiam eodem ordine suos continere effectus, quo illos causat, quod declarat exemplo causæ efficientis certum enim est, quod qualitates, quæ disponunt ad introductionem formæ substantialis, prius procedunt à generante, quam introducatur forma substantialis in agente, quam dispositiones illæ. Contrà, sicut materia ideò quantitatem actu causare dicitur, quia actu causat formam, ad quam illa consequitur, ita quoq; ideò dicitur causatiua quantitatis, siue potens causare quantitatem, quia potens est causare formã substantialem, ad quam consequitur, sicut enim se habet effectus in actu ad causam in actu, ita effectus in potentia ad causam in potentia ex 2. Phys. ergo quo ordine causat materia suos effectus in actu, scilicet formam, & quantitatem, sic etiam illos continet in potentia & in virtute. Conf. quia si materia non contineret virtualiter formam substantialem, non contineret virtualiter quantitatem, & alia accidentia ad formam consequentia; ergo materia eodem ordine illos effectus continet virtualiter, quo actu causat. Neq; exemplum allatum de dispositionibus est ad propositum, imò potius ad oppositum, aliud enim est loqui de dispositionibus quæ præcedunt formam in materia, & aliud de illis, quæ subsequuntur eam; illæ enim quæ subsequuntur, ab agente dimanant eodem ordine prorsus, quo cum forma continentur in illo, & sicut forma prius continetur, quam illæ, ita quoq; prius producitur illis, & sic pariter erit in proposito de quantitate dicendum respectu formæ substantialis, quam consequitur, quod prius forma continetur in materia quam quantitas.

91 Præterea cùm dicunt materiam esse principium indiuiduationis, vt virtualiter, & radicaliter continet hanc numero quantitatem, vel intelligunt de quantitate terminata, vel interminata; & quidem Blasius à Concep. supracit. fatetur id non posse intelligi de quantitate terminata, tum quia ita expressè asserit D. Thomas opusc. 30. q. 4. artic. 2. tum quia quantitas non terminatur, nisi per figuram, nam figura est terminus quantitatis; cum ergo quantitas, vt continetur in materia virtualiter, non sit ibi secundum suum esse formale in tali statu, consequenter non est ibi sub esse figurato, & consequenter intelligitur esse in materia, vt interminata; at suprà num. 83. ostensum est quantitatem interminatam esse prorsus ineptam ad sigillandam materiam, quia sigillatio dicit determinationem, & determinatio nequit haberi per id, quod est omninò indeterminatum. Respondet prædictus Author, non esse idem quantitatem esse terminatam, & determinatam, potest namq; esse determinata, etsi non sit terminata; & sic hæc quantitas, vt virtualiter contenta in materia, licèt secundum tale esse non sit terminata, quia non est figuræ capax nisi cum habet in materia suum esse formale, adhuc tamen est determinata, quia res non solum in seipsa, sed etiam in suo principio potest habere esse determinatum. Contrà, quia quantitas non determinatur, nisi per figuram sub qua actu existit, & hanc esse quantitatem determinatam est esse sic, vel sic figuratam, at eo ipso, quod quantitas est figurata, est quoque terminata, ergo idem est in quantitate esse terminatam, & determinatam; tum quia idem est quantitatem esse indeterminatam, & interminatam, ergo idem erit è contrà esse terminatam, & determinatam, tum quia concesso etiam, vt contendit respondens, quod possit esse quantitas interminata cum determinatione, adhuc tamen talis determinatio non est talis, vt materia virtute ipsius sit sigillata ad hanc formam, & compositum, quia omnes concedunt materiam cum quantitate interminata posse esse sub diuersis formis, & cum diuersis indiuiduis; ergo quantumcunque determinata ponatur, vt continetur virtualiter in materia, si tamen adhuc est interminata, potest esse sub diuersis formis simul cum materia, quod sufficit ne materia cum ipsa sit principium indiuiduationis. Accedit, quod admittentes quantitatem interminatam, faciunt eam perpetuò connexam secundum suum esse formale cum materia nec vnquam admittunt materiam esse in potentia ad ipsam.

Tandem materia etiam sic considerata, vt virtualiter præcontinet hanc quantitatem, adhuc est realiter distincta à substantia composita materiali; ergo nequit esse principium metaphysicum indiuiduationis eius, nam hoc cum re indiuiduata debet realiter identificari. Accedit, quod Deus potest eandem materiam conseruare cum eadem numero quantitate, ideoque quæ non habent proximè ordinem virtualis continentiæ, nisi respectu talis quantitatis, & tamen potest saltim successiuè ponere diuersas formas in ipsa, ad quarum variationem variarentur quoque indiuidua constituta; ergo malè ponitur materia, etiam vt virtualiter contentiua talis quantitatis, principium indiuiduationis, patet antecedens, quia hoc non subterfugit diuinam omnipotentiam, ita enim de facto in Eucharistia conseruat eandem quantitatem, quæ antea erat in substantia panis, & si modò illam conseruat se sola, tantò magis posset conseruare in materia, consequentia probatur, quia non potest Deus multiplicare, & variare indiuidua manente eodem principio indiuiduationis; & quidem hæc ratio mihi videtur euidentissima.

92 Quartò principaliter reijcitur quartus dicendi modus relatus suprà ab initio quæstionis num. 67. eorum nempe, qui dicebant per materiam signatam intelligi materiam quasi sigillatam ad talem formam, quod illi prouenit ex præcedentibus dispositionibus, & præcipuè per quantitatem, nam præterquamquod contra hunc dicendi modum recurrunt difficultates factæ contra alios, cum quibus reipsa coincidit; nunc rursus percunctor, quid sit ista sigillatio materiæ ad formam substantialem facta per quantitatem, & præuias dispositiones, vel enim est accidens aliquod superadditum, vel modus aliquis materiæ, vel nihil, si nihil pro nihilo reputetur, vel per nihil constituetur materia principium indiuiduationis; si accidens, redeunt omnia argumenta superius facta contra primum modum explicandi materiam signatam, parum enim refert, an accidens materiæ coniunctũ ad indiuiduandam substantiam materialem sit quantitas, vel qualitas, vel relatio quædam. Si verò dicatur, quod sit modus quidam materiæ, rursus queritur, an sit cum ipsa materia realiter identificatus, ita quod materia sine ipso nunquam existere possit, vel potest sine ipso existere; si dicatur hoc secundum, ergo erit verè accidens superadditum, nam potest adesse, & abesse præter materiæ corruptionem, & parum refert, an sit entitas absoluta, vel modalis, dummodo sit aliquid materiæ superadditum, sine quo ipsa potest existere. Si dicatur primum, preterquam quod redeunt argumenta à Scoto facta contra Ægidium 2. d. 3. q. 4. ponentem talem signationem in materia esse aliquid verè à quantitate causatum, sicut illi ponunt esse causatũ à dispositionibus præcedẽtibus, & adhuc esse cum ipsa realiter identificatum, aliud etiã ingens sequitur absurdum, nempe materiam de facto conseruari in esse modo isto sibi identificato destructo, nam constat materiam non semper sub eadem sigillatione manere, sicut non semper stat sub eadem forma, sed succelliuè ad alias formas, & nouas sigillationes transire eadem semper numero perseuerans sub omnibus, & substantialiter inuariata. Conf. quia huiusmodi sigillatio siue dicatur haberi in materia per quantitatem, siue per præuias dispositiones, aut est quid omninò fictum, vel si est quod reale, nequit esse ratio indiuiduandi substantiam, si enim est quid reale superadditum, hoc esse nequit, nisi quidpiam accidentale, quod non sufficit pro indiuiduatione substantiæ, vt suprà probatum est; si est quid fictum, vel respectus rationis, patet etiam non esse idoneum pro indiuiduatione entitatis realis. Dices cum Thomistis vtique hanc sigillationem importare quid reale in materia, non tamen à materia realiter distinctum. Contrà, quia materia potest esse sine tali sigillatione, cum eadem numero possit de vna in aliam formam transire, atque ita nouam sigillationem acquirere; ergo non est realiter identificata cum ipsa; tum quia si est identificata realiter cùm ipsa, ergo erit aliquid spectans ad entitatem ipsam materiæ intrinsecè, & substantialiter, sed materia secundum totum suum esse substantiale adæquatè sumptum etiam in indiuiduo est indifferens, vt sit sub hac, vel illa forma, & consequenter vt hoc, vel illud constituat compositum; ergo materia etiam cum tali sigillatione esse nequit principium indiuiduationis.

93 Postremò ratione quadam generali arguitur contra omnes relatos modos ponendi materiã signatam indiuiduationis principiũ, nam ista signatio materiæ vel est ipsa quantitas iam in materia recepta, vt dicebant veteres Thomistæ, vel saltim ordo materiæ ad quantitatẽ re-

recipiendam, vel principiandam, vt dixerunt alij Recentiores post Caiet. sed quicquid dicatur, semper idem incurritur absurdum, quod indiuiduum substantiæ intrinsecè constituatur in tali esse per accidens, parum enim refert, quod tale accidens sit respectiuum, vel absolutum, imò magis absurdum est ponere illud respectiuum, quam absolutum, quia accidens absolutum licèt in ratione accidentis opponatur substantiæ, tamen cum ea conuenit in ratione absoluti, at relatio in vtraque ratione opponitur cum ea. Quod si dicatur talem ordinem materiæ ad quantitatem non esse prædicamentalem, sed transcendentalem, & materiæ realiter identificatum. Hoc nuper impugnatum est, quia materia esse potest sine tali signatione, & ordine; ergo non est transcendentalis, sed prædicamentalis, tum quia si est transcendentalis, & pertinet ad esse substantiale materiæ, omnes materiæ habebunt eandem signationem, cum omnes sint eiusdem speciei; vel si spectat ad esse indiuiduale materiæ, cum hæc indiuidua materia possit eadem numero reperiri sub diuersis formis, & in pluribus compositis, non poterit ita sigillare materiam, vt sit principium indiuiduationis. Conf. per rationem Scoti contra Ægidium 2.d. 3.q.4. nam siue ista sigillatio in materia habeatur per quantitatem, siue per præuias dispositiones, semper erit quantitate posterior, atque ideò sicut quantitas inepta est ad indiuiduandam substantiam ratione talis posterioritatis, vt supra probatum est q.5. quia prius vnius prædicamenti non indiuiduatur per posterius alterius prædicamenti, sic etiam ista sigillatio à quantitate dependens. Dices ista signationem non peti à quantitate actuali, & existente, talis enim signatio vtique esset posterior materia, & composito, sicut & ipsa actualis quantitas, sed peti à quantitate possibili, quo pacto potest in materia præcedere substantiam compositam. Contra, quia sicut quantitas actualis, & existens est posterior materia, vel composito existentibus, ita quantitas possibilis est posterior materia, aut composito possibili, nam semper eadem proportio prioritatis, & posterioritatis seruari debet tam in esse existentiæ, quam in esse possibili, quia non datur possibilitas rei, nisi in ordine ad existentiam, nec res est possibilis, nisi eo modo, quo potest existere. Tum quia, sicut materia, & compositum in esse existentiæ non dependent à quantitate, & ceteris accidentibus simpliciter, sed tantum secundum quid, vnde absolutè, & per diuinam potentiam potest conseruari substantia sine quocunque accidente, ita quoque possibilitas substantiæ etiam in indiuiduo non dependet à possibilitate accidentis, vnde si impossibilia forent accidentia omnia, adhuc possibilis foret quæcunque substantia, tam simplex, quam composita; ergo nec ad existentiam, nec ad possibilitatem substantiæ etiam in indiuiduo exigitur signatio aliqua ab accidentibus emendicata; siue dicatur peti ab illis actu existentibus, siue possibilibus. Deinum secundum Thomistas proprium subiectum accidentium non est materia, sed compositum; ergo nequit ab illis vllam signationem recipere, cum ea accidentia immediatè in se recipere nequeat. Consequentia patet, quia figillum figillationem relinquere nequit in subiecto, cui immediatè imprimi non potest, & hæc sola ratio sufficit ad eos conuincendos in suis principijs.

Occurritur obiectis.

94 IN oppositum instant Thomistæ passim, illud est principium indiuiduationis, cui per se primò repugnat communicari pluribus eo modo, quo vniuersale communicatur inferioribus; sed materia signata est huiusmodi quia ita est propria vnius; vt licèt absolutè loquendo possit esse alterius, non tamen cum ista signatione, ergo &c. Maior patet, probatur minor, nam ex 2. de Anima 41. omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis, & augmenti. Tum 2. repugnat materiam signatam concipi vt vniuersalem; ergo est per se primò singularis, & consequenter est principium indiuiduationis. Tum 3. illud est principium indiuiduationis, quo posito, alijsque sublatis ponitur indiuiduum, & quo sublato alijs positis non ponitur, sed materia signata est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, probatur minor, nam si à materiali indiuiduo præter materiam signatam quodcunque aliud remoueas, adhuc incommunicabilis substantia remanebit, non autem si auferatur materia signata. Tum demum, quia in substantia composita assignari debet aliquid quod sit radix, vel principium indiuiduationis, & in ea non reperitur nisi materia, & forma, talis radix nequit poni forma, quæ de se communicabilis est, neque materia nudè sumpta, quia vt sic potest successiuè in pluribus indiuiduis reperiri, ergo &c.

Resp. multipliciter ad hanc rationem, quam Thomistæ iactant, vt demonstrationem primò negando min. quia vt constat ex dictis n. 83, materia etiam cum eadem signatione potest esse successiuè sub diuersis formis ac plura indiuidua constituere saltim numero diuersa, quamuis enim diceretur indiuidua specie diuersa diuersam signationem in sua materia requirere, nulla tamen cogit ratio, vt id etiam asseri debeat de indiuiduis homogeneis, & eiusdem speciei, vt de duabus aquæ portionibus, nec ad rem facit auctoritas illa ex 2. de Anima, totum enim ibi docere voluit Arist. viuentia determinare sibi certam mensuram, & magnitudinem quantitatis, quam non possint excedere, & quidem toti speciei debitam, & non soli indiuiduo. Deinde si hoc argumentum valeret, posset quoque probari ipsam naturam communem, vt v.g. humanitatem in Petro, quatenus est signata, & sigillata per Petreitatem, quæ est indiuidualis differentia, esse principium indiuiduationis, quia sub tali signatione ita est propria Petri, vt alterius esse nequeat; & tamen sic arguere non valet, quia per signationem, & contractionem factam per Petreitatem, non appropriatur Petro, nisi extrinsecè, intrinsecè autem, & essentialiter remanet cõmunis pluribus, sic pariter in proposito etiamsi cõcederetur materiã sub ista signatione ita esse propriam vnius, vt nequeat esse alterius, quia tamen hoc sibi extrinsece conuenit, non autem ex ratione sua intrinseca colligi nequit ipsam esse per se primo propriam huius indiuidui, vt non sit alterius, sed tantùm ex consortio signationis, & sic signatio ipsa esset re vera indiuiduationis principium, non autem materia signata. Itaque ad argumentum negandum est absolutè materiam signatam esse per se primam rationem incommunicabiliter essendi composito, quia hæc materia signata est indiuidua, & singularis, vt quod, & de ea adhuc quærendum restat, quo sit incommunicabilis facta, & indiuidua; tum quia alia sunt indiuidua & singularia, quæ materiam non habent, vt patet de Angelis, accidentibus, & formis simplicibus; tum quia esto hoc compositum exigat hanc materiam, quia compositum singulare non nisi ex principijs singularibus componitur, adhuc tamen certum est ipsum non esse primo hoc per materiam sed sua differentia indiuiduali; vnde ad summum ea ratio probat, quod hæc materia habet suam singularitatem non aliunde sed sibi internam, & quod ipsa est principium physicum indiuidui compositi, non verò indiuiduationis eius.

95 Ad 2. negatur consequentia, nam Petrum quoque repugnat concipi vt vniuersalem, & pluribus communicabilem, nec tamen hinc infertur esse per se primò singulare, & principium indiuiduationis, sed tantum esse singulare, vt quod, & ipsum indiuiduum; vnde non quod est singulare, vt quod, sed tantum quod est singulare, vt quo, est principium indiuiduationis; ex illo autem antecedenti solum deduci potest materiam signatam esse singularem, vt quod. Ad 3. etiam si hæc forma ab hoc composito remoueatur, non amplius subsistit illa substantia incommunicabilis, non quia eius *incommunicabilitas* ab hac forma attenderetur, vt à principio eius formali, vel radicali proximo, sed quia hæc forma est principium physicum huius compositi, & ablata vna parte compositi opus est totum compositum dissolui, eodem igitur modo verificatur, quod ablata materia signata non amplius erit substantia illa composita incommunicabilis, vnde ratio identidem probat materiam signatam esse principium physicum substantiæ compositæ indiuiduæ, non vero indiuiduationis eius. Ad vltimum concedo in vnaquaque re assignari debere radicem, vel principium indiuiduationis eius, non tamen realiter distinctum à re indiuiduata, & ideò nec forma, nec materia etiam signata bene statuitur principium indiuiduationis eius, vnde ratio illa nil aliud ad summum probat, nisi quod materia cum forma sint physica principia rei compositæ indiuiduæ, non tamen quod substantia composita sit primò hæc per materiam signatam, nam sicut substantia composita dicit entitatem realiter distinctam à materia, & forma saltim sigillatim sumptis, ita quoque habet suum intrinsecum principium indiuiduationis diuersum à principio indiuiduationis materiæ, & formæ.

Deinde arguit Blasius à Conceptione disputat. 3. Metaph. quæst. 2. illud, per quod radicaliter constituitur substantia prima in ratione substantiæ primæ, est radix indiuiduationis, sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiæ primæ per materiam primam, vt quantitate signatam, ergo &c. Probat minorem, quia substantia prima dicitur illa, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto, hoc autem per se primò conuenit materiæ signatæ, quia vt talis nec potest esse in subiecto, neque dici de subiecto, licet enim considerata secundum se præcisè, & vt habet indifferentiam essendi in pluribus compositis, possit de hac & illa materia prædicari, tamen vt signata nequit de alia prædicari. Respond. negando minorem, quandoquidem etiam Michael est prima substantia, & directè in prædicamento posita, & tamen materiam signatam non habet; ad probationem verum est in substantijs materialibus prius conuenire materiæ signatæ, & singulari nec esse in subiecto, nec dici de subiecto, non quia sit principium indiuiduationis, sed quia ipsa quoque est quædam prima substantia incompleta, quæ concurrit physicè ad constitutionem substantiæ compositæ completæ; & valde hallucinatur hic Auctor, dum putat materiam posse de hac, & illa materia prædicari, quia est indifferens vt esse possit sub hac, & illa forma, in hoc & illo composito, non enim hæc indifferentia est quæ ipsam constituit vniuersalem, & de pluribus prædicabilem, quandoquidem hęc est indifferentia physica, quæ ipsi competit etiam indiuiduæ, ex eo enim quod est commune subiectum omnium transmutationum habet, vt vna numero possit successiuè reperiri in pluribus compositis; sed est indifferentia metaphysica, quæ sibi conuenit, vt abstrahit à quacunque hæcceitate in suo ordine, nam in tali statu est proximè indifferens, vt possit ab hac, & illa hæcceitate contrahi, & de hac, & illa materia prædicari; alia argumenta Thomistarum soluta sunt art. præced.

QVÆSTIO VII.

An forma per se sumpta, vel saltim cum materia sit principium indiuiduationis.

96 INter Philosophos Auerroistas frequens est, ac satis recepta opinio formam absolutè sumptam esse indiuiduationis principium in rebus materialibus, ita enim sensisse videtur Auerroes pluribus in locis, & præsertim 3. Phys. com. 60. & lib. 4. com. 38. & 1. de Anim. com. 7. & 2. lib. com. 2. plusquam Commentator in 2. artis paruæ Galen. librum ab Achill. lib. 1. de elementis, Gandouens. de substantia Orbis qu. 7. Baccon. 3. sent. dist. 11. quæst. 2. artic. 2. & alij nonnulli Auerroistæ, qui dicunt solam formam esse per se indiuiduationis principium, materiam verò non nisi per accidens, quatenus est subiectum formæ, quæ per se indiuiduationis causa est. Alij verò coniungunt formam cum materia, itaquod vtraque integrum sint indiuiduationis principium, formam tamen esse principium præcipuum, & principale, materia verò minus principale; ac veluti conditionem sine qua non, ita Zabarella lib. de constitutione indiuidui c. 5. 6. & 7. Zimar. theor. 97. Pererius lib. 6. cap. 12. Piccol. lib. 3. de prima rerum materia cap. 17. Niphus 5. Met. q. 5. Durand. 1. d. 44. q. 1. & 2. d. 3. q. 2. Contaren. quæst. de princ. ind. cap. 10. & seqq. quibus etiam ex parte subscribere videntur Suarez disp. 5. Met. sect. 4. Auersa qu. 9. Log. sect. 7. Qui etiam relati Authores, vt plurimum, asserere videntur formam nedum indiuiduare compositum, sed etiam materiam, quam informat.

Faber noster theor. 90. cap. 10. ait opinionem asserentem solam formam esse principium indiuiduationis esse veram, si benè intelligatur, pro quo notat ibidem formam habere varias realitates, per quas est contrahibilis, & communicabilis pluribus, vnde forma specifica est communis, quia habet realitates diuersas, per quas communicari potest, rationalitas enim est forma realis communis, sed in ea clauduntur multæ realitates, quas nomine proprio ignoramus, & istæ sunt, quæ dant esse indiuiduis, vna enim realitas dat esse huic indiuiduo Socrati, quam possumus appellare Sorteitatem, alia dat esse Platoni, & hanc dicemus Platoneitatem, & sic de alijs; adeoquod sicut hæc forma, animal, est communicabilis per varias realitates, quas includit, vt est rationalitas, & aliæ differentiæ constituentes alias species animalis, ita rationalitas est contrahibilis per Sorteitatem, Platoneitatem, &c. quæ dicuntur differentiæ indiuiduales, istæ autem realitates non distinguuntur per alias differentias, sed sunt primò diuersæ, & istæ sunt, quæ appellantur formæ particulares, realitas enim qua Sortes est homo, dicitur forma particularis Sortis, sed non est forma distincta realiter à rationalitate in cōmuni, sed est eadem realiter cum forma, quæ dat esse reale speciei, & solùm formaliter ab ea distinguitur; vndè forma partis duobus modis accipi potest, vno modo pro forma communi, alio modo pro vltima realitate formæ, in primo sensu falsa est opinio ponens formam principium indiuiduationis, sed in secundo sensu est vera. Vndè concludit cap. 2. quod quia Doctor 2. dist. 3. quæst. 6. non determinat, quænam sit realitas illa, à qua sumitur indiuidualis differentia, an scilicet sit realitas materiæ, formæ vel compositi, verosimilius est esse vltimam realitatem formæ ob rationem ex eo inferius referendam; quem etiam dicendi modum, vt de mente Scoti amplexus est Brundusiensis, qui scripsit in 2. sent. d. 3. quæst. 8. quos Scotistas cum vidisset Contarenus q. cit. cap. 8. & non alios, censet hanc esse opinionem Scoti, & Scotistarum, & ideò ex hac parte eam approbat; ac etiam Zabarel. loc. cit. cap. 8. putat Scotum ab hac opinione non distare, cuius rei ait signum esse, quia in sua tam prolixa de hac re disputatione, in qua alias omnes sententias diligenter impugnat, hanc opinionem de forma non impugnauit.

97 Dicendum est, Nec formam, nec vltimam realitatem formæ esse absolutè principium indiuiduationis, & nec etiam si simul cum materia sumatur. Conclusio tres habet partes, vt patet, & quidem quoad primam statuitur contra primum modum dicendi Auerroistarum, qui formam solam faciebant principium indiuiduationis, & quamuis Scotus 2. distinct. 3. non tractet hanc quæstionem in terminis, an forma sit principium indiuiduationis, tantùm abest, quod ob id in eam consenserit opinionem, vt arbitretur Zabarel. cuius iudicio Faber adhæsit, quod potius eam non tractauit ex professo, quia vt communem sententiam, & ab omnibus receptam putauit, quod forma non sit indiuiduationis principium, & ideò tanquam verum apud omnes, & extrà controuersiam supposuit, vt constat ex his, quæ habet dist. 3. cit. quæst. 5. vbi probat materiam non esse indiuiduationis principium, quia diuiditur in vniuersalem, & particularem sicuti forma, & est pars quidditatis specificæ cum illa; & ideò non esse principium indiuiduationis, sicut ob eandem rationem forma tale principium non ponitur; & ideò hanc conclusionem, vt de mente Scoti tenent Scotistæ omnes supracit. Canon. Tromb. Bassol. Rada, Poncius, Tatar. Lichet. Meurisse, & alij passim; vbi tamen hic vltimus Auctor eam probat ratione falsum assumente, & nihil concludente; probat enim sic quæst. cit. conclus. 5. forma dat solùm esse specificum, ergo non dat esse indiuiduale. Probat antecedens, dare esse specificum est adæquata ratio formæ, quatenus forma est constitutiua gradus, non enim loquimur de forma prout est informatiua materiæ, & constitutiua compositi; ergo forma dat solum esse specificum. Probat rursus antecedens, adæquata ratio formæ, vt est constitutiua gradus, est collocare rem sub determinato genere, & efficere, vt conueniat cum multis alijs, quæ sub eodem genera continentur, quemadmodum enim forma distinguit specificè, ita assimilat numero distincta, sed hoc est esse specificum, ergo adæquata ratio formæ est dare esse specificum. Hæc ratio nil valet, aut certè vim eius non capio, falsum siquidem assumit, quod forma det solùm esse specificum, cum etiam det indiuiduale, vt innuit Doctor 2. d. 18. q. vn. sub C. & 4. d. p. 11. quæst. 3. Hh. clarius 3. dist. 22. q. vn. vbi rationem assignat, quia sicut forma, & materia in communi constituunt compositum in communi, ita hæc materia, & hęc forma constituunt compositum in particulari, vt principia physica particulari eius, non ergo negari potest quod forma hoc pacto, sicut materia, det partialiter esse particulare composito; vndè etiam falsa est probatio antecedentis, quod dare esse specificum sit adæquata ratio formæ, si in hoc sensu intelligat, vt verba præseferunt, quod sola forma det adæquatè esse specificum, quia tunc sola forma esset tota quidditas compositi, nec materia daret suo modo esse specificum, quod expresè contradicit Doctori loc. citat. & veritati; neque satis capio, quod ait Meurisse se in præsenti loqui de forma prout est constitutiua gradus, non autem prout est informatiua materiæ, & constitutiua compositi; quia certum est ipsam intantum esse constitutiuam gradus specifici, inquantum constitutiua est compositi specifici, & in communi, nec concipi potest esse vllo modo constitutiuam gradus, nisi simul concipiatur constituere compositum in aliquo gradu.

98 Primò itaque melius probatur vel enim forma physica est entitas de se communis, & vniuersalis, vel particularis, vel ad vtrumque indifferens, si primum, iam clarum erit principium indiuiduationis esse non posse, cui directè, & per se primò communitas repugnat; si secundum, ergo forma nequibit constituere rem in esse specifico, nec erit pars quidditatis, vt sic, & tanto minus tota quidditas, vt illi Auerroistæ volunt; si tertium, vt re vera dici debet, sequitur adhuc principium indiuiduationis esse non posse, sed indigere aliquo alio, quo determinetur ad esse indiuiduum, cum de se sit indifferens ad vniuersalitatem, & singularitatem; varias solutiones, & euasiones Aduersariorum refert, & fusè confutat Faber loc. cit. quas hic breuiter stringo. Respondet Zimara, quod duplex est forma, alia vniuersalis, alia particularis, illa constituit speciem, siue esse specificum, & hæc indiuiduum. Contrà, quia tunc in quolibet composito essent plures formæ substantiales, & realiter diuersæ, vna qua esset homo v. g. & alia, qua hic homo, quod est falsum, quia ad multiplicationem graduum prędicamentalium non debent plurificari formæ substantiales in composito, vt probatum est disp. 8. Met. q. 6. art. 1. contra cōmunem Auerroistarum multiplicantium in compositis formas physicas ad multiplicationem graduum metaphysicorum, vndè minus rectè ait Faber cit. omnes istos Aduersarios vbique concedere, quod est eadem forma, qua Sortes est corpus, animal, homo, & hic homo.

Respondet proindè aliter Zabarel. formam duobus modis considerari posse, vel vt dat esse essentiæ, & sic est vniuersalis, & dat esse specificum, vel vt dat esse existentiæ, & sic est particularis, & principium indiuiduationis. Reijcit hanc solutionem Faber, quia vna forma nequit dare duos modos essendi oppositos, sed esse vniuersale, & esse singulare sunt duo modi essendi oppositi, quia esse vniuersale est esse communicabile, esse verò singulare est esse incommunicabile, ergo vna forma non potest dare istos modos essendi oppositos. Hæc instantia nulla est, quia & ipse in confutatione solutionis Zimaræ immediatè anteà docet Sortem per eandem formam esse hominem, & hunc hominem, imò & ipse tenetur ad solutionem argumenti, quia vult ab eadem forma peti esse specificum, & indiuiduale, quod si dicat hoc fieri per diuersas eius realitates, nempe formam per suam realitatem non vltimam dare esse specificum, & per vltimam esse indiuiduale, sic etiam respondebit Zabarel. quod vtiq; eadem forma dat esse vniuersale, & singulare, sed non secundum eandem rationem, secundum quod dat esse essentiæ confert esse specificum, secundum quod dat esse existentiæ, confert esse indiuiduale. Melius proindè refellitur hæc solutio, quod si forma est principium indiuiduationis, vt dat esse existentiæ, ergo forma non se sola, sed cum existentia erit principium indiuiduationis, vel potius ipsa præcisè existentia, vt posteà & ipse Faber argumentatur; at superius probatum est neque existentiam esse principium indiuiduationis præsertim quia existentia supponit naturam singularizatam. Respondet denique Pererius, quod forma quantum est ex se est indifferens ad vniuersalitatem, & singularitatem, per abstractionem autem intellectus fit vniuersalis; quatenus verò producitur ab agente per dispositiones singulares fit singularis, & vt sic est principium indiuiduationis. Sed neque hæc responsio est ad rem, quia hic quærimus principium indiuiduationis intrinsecum, non verò extrinsecum, quale est agens; quod si dicat formam fieri singularem per ordinem ad singulares dispositiones. Hoc nil iuuat, quia dispositiones illæ sunt accidentia, quæ nequeunt esse principia indiuiduandi substantiam; tum quia adhuc de ipsis dispositionibus quærendum manet, per quid sint singulares; tùm quia etiam si forma fieret eo modo singularis, non indè sequitur esse posse principium indiuiduationis, sed potius esse quoddam indiuiduum incompletum, & singulare, vt quod.

99 Secundò probatur eisdem omninò rationibus, quibus probatum est q.præc.art.1. materiam non esse indiuiduationis principium, nam forma est diuisibilis in vniuersalem, & particularem, non est primò incõmunicabilis in ratione formæ, sed communicabilis huic, & illi formæ. Tum quia estò hæc forma sit incommunicabilis, tamen neque ipsa est per se primò incommunicabilis, & vt quo, sed vt quod, & per aliquid superadditum, principium autem indiuiduationis debet esse solum incommunicabile primò, & vt quo. Tum quia forma realiter distinguitur à substantia materiali composita; ergo nequit metaphysicè constituere substantiam materialem indiuiduam, nam tale principium est cum re indiuiduata realiter identificatum. Tum quia sequeretur, quod multiplicata materia, & conseruata in singulis eadem forma, compositum esset omninò idem, quod est falsum. Tum deniq; quia non sola forma est principium intrinsecum constituens totam rei compositæ entitatem, sed etiam concurrit materia, & sicut compositum in communi non solam formam includit, sed etiam materiam, ita hoc compositum, nedum essentialiter intrinsecè hanc formam includit, sed etiam hanc materiam, non ergo sola forma dicitur indiuiduationis principium. Respondent formam nedum habere vim indiuiduandi compositum, sed etiam materiam ipsam, quia forma non tantùm dat esse composito, sed etiam materiæ; ex quo fit, vt hoc ipso, quod materia iungitur eidem formæ numero, sit ipsa eadem numero, & resultet idem numero compositum, atque ita præsertim sentire Durandum 4.d.44.quæst.1. refert Suarez disp. 5. sec. 4. licèt alij referant Durandum asserere solùm quod estò materia in communi sit de essentia compositi in communi, tamen materia particularis, non est de essentia compositi particularis, vndè consequenter inquit, quod in resurrectione quamuis animæ non daretur idem numero corpus, quod anteà habuit, sed ex alia materia confectum, esset idem numero homo, qui anteà fuerat, sed quicquid sit de mente Durandi certum est multos ex præcitatis Auctoribus tenere, quod forma nedùm indiuiduat compositum, sed etiam materiam, quam informat; cuius dicti falsitatem ad hanc infringendam solutionem nunc ostendo.

100 Tertiò itaque probatur materiam non indiuiduari per formã, in primis quia falsum est, quod Aduersarij dicunt formam dare esse intrinsecum, & essentiale materiæ, sicut dat composito, nam potius res è contrà se habet, quod materia est causa formæ, quatenus de illius gremio educitur, & illi præsupponitur saltim prioritate naturæ, vt eius subiectum, & sicut forma in communi præsupponit materiam in communi, ita forma in particulari supponit materiam in particulari, & singularem. Tum quia si suum esse proprium, & intrinsecum à forma reciperet, tunc generaretur, & corrumperetur ad eius generationem, & interitum, quæ omnia constant ex dictis in physicis. Tum quia, vt arguit Doctor 2.d.12.qu.1. materia peculiarem terminauit productionem à productione formæ distinctam nempe creationem, actio autem, & productio, vt apud omnes est in confesso, immediatè terminatur ad rem singularem certum, ac designatum esse habentem. Tum quia eadem materia singularis potest successiuè informari pluribus formis, cum sit commune subiectum omnium transmutationum naturalium, alias materia geniti, & corrupti eadem numero non esset. Tum quia sequeretur, quod materia vna ab alia realiter, & numeraliter distincta posset illi numero identificari, si formam illius reciperet, quod est impossibile; concludendum igitur est materiam non indiuiduari per formam, quia nihil indiuiduatur, vt sæpius dictum est, per aliquid à se realiter distinctum, & præsertim quia materia per Dei potentiam potest esse sine forma.

Dices materiam vtique non indiuiduari per formam in se, sed per ordinem ad certam formam, quia sicut materia in communi respicit formam in communi, ita materia in particulari respicit hanc formam in particulari, & indiuiduatur per habitudinem ad eam. At hæc solutio subsistere nequit, quia nedum materia, vt sic, respicit indifferenter quamcunque formam, sed etiam materia hæc, & singularis ad singulas formas indifferenter se habet, itaut disiunctim possit singulas recipere, & hæc indifferentia illi conuenit, quatenus est primum, & commune subiectum formarum omnium, Tum quia si hæc materia determinaret sibi hanc numero formam, tunc eadem materia in genito, & corrupto esse non posset, nec posset esse subiectum commune omnium transmutationum naturalium, de cuius ratione est, vt idem numero permaneat sub vtroque termino mutationis.

101 Quartò præterea probatur conclusio ostendendo falsitatem alterius dicti Durandi, quod ad vnitatem numeralem compositi seruandam sola sufficit vnitas formæ, atque adeò, quod si non daretur animæ in resurrectione idem numero corpus, quod anteà habuit, sed ex alia materia confectum erit idem numero homo, qui anteà fuerat; hoc inquam omninò falsum est, & communi Theologorum calculo reiectum, quia ad vnitatem numeralem compositi præter eandem numero formam requiritur etiam identitas numeralis materiæ, vt notat Doctor 2.d.20.q.2. lit.B. & ad resurrectionem eiusdem hominis opus est eandem animam eidem corpori vniri, vt idē Doctor docet 4.d.44. q.1. §. *de secundo*, & §. *ad argumenta*, quæ est communis opinio Theologorum hoc autem probari potest ex concessis ab ipso Durand, concedit enim ipse materiam in cõmuni esse de essentia cõpositi in cõmuni, ex hoc autem sequitur materiam quoq; in particulari esse de integritate, & essentia indiuidui in particulari, consequentia probatur, quia sicut tota essentia indiuiduari debet, & non tantum pars essentiæ in composito, ita etiam indiuiduatio supra totam essentiam cadere debet; ergo indiuiduatio, quam in genere physico dat forma composito, totam essentiam compositi indiuiduare nequit, seu pro tota essentia eius non sufficit quandoquidem tota compositi essentia non ex sola coalescit forma, sed etiam ex materia. Conf. quia indiuiduatio à forma prouenies nequit essentiam compositi totam adæquare in indiuiduando, sed tantum pro ea parte, quam præstat forma; ergo pro alia parte à materia indiuiduari debebit, ergo ad perfectã numeralem vnitatẽ compositi physici requiritur vnitas numeralis nedũ formæ, sed etiam materiæ; Conf. tandem, quia vnitas seruari proportione sequitur esse, sed esse indiuiduale compositi non tantum ex hac forma coalescit, sed etiam ex hac materia; ergo etiam vnitas numeralis eius ex vnitate tantum formæ nequit attendi, sed etiam postulat vnitatem materiæ, loquendo tamen semper de modo indiuiduandi physico, quo tantum pacto materia, & forma indiuiduare compositum dici possunt, quatenus sunt principia intrinseca eius constitutiua etiã in particulari, non autem de modo indiuiduandi metaphysico, quia hic tantùm competit differentiæ indiuiduali contrahenti, & determinanti naturam specificam ad esse hanc, vt infrà explicabitur.

102 Quintò probatur secunda pars conclusionis, quod nempè neq; vltima realitas formæ sit principium indiuiduationis compositi materialis, neq; ipsius materiæ, vt asserebat Faber, quamuis enim vltima realitas formæ benè ponatur esse principium indiuiduationis ipsius formæ, quia est sibimet realiter identificata; & quia est vltima potest naturam & essentiam formæ, vt sic, contrahere, & determinare ad esse hanc, ipsamq; incõmunicabilem facere, vt quod, & vt superius inferiori; attamen respectu compositi, & materiæ hoc munus obire nequit, cum sit ab vnoquoq; realiter distincta, nihil autem indiuiduatur per aliquid à seipso realiter distinctum, vt toties dictum est; Quod si neget Faber totum physicum realiter à partibus distingui, quia inquit partes vnitas in toto transire in illud per realem identitatem; præterquamquod hoc eius principium disp.5.Phys.q.11. art.2. latè conuulsum est, attamen negare nequit, quin ipsa forma realiter distinguatur à materia, ac etiam à composito per se, & singillatim sumpta, vnde & materia saltim de potentia Dei absoluta potest esse sine forma, & forma sine composito, vt constat de anima separata; at principium indiuiduationis separari nequit à re per ipsum indiuiduata, nec res indiuiduata ab illo principio; ergo sicut forma ob hanc rationem nequit poni principium indiuiduationis nec materiæ, nec compositi, vt supra deductum est, ita etiam vltima formæ realitas, nam eadem ratio, quoad hanc partem militat tam de forma ipsa, quam de vltima eius realitate. Conf. quia duo indiuidua per idem indiuiduationis principium nequeunt indiuiduari, vt de se constat, quia vel tunc principium indiuiduationis esset cõmune pluribus, quoad eius rationi directè repugnat, vel illa non essent plura indiuidua, sed vnum, & idem; ergo cũ forma, vt natura quædam, per vltimam sui realitatem indiuiduetur, illa realitas nullo modo poterit esse principiũ indiuiduationis compositi. Quod si dicat id valere de duobus indiuiduis completis, non autẽ de vno completo, & alio incompleto, quod concurrit ad constitutionem illius completi. Hoc minimè iuuat, quamuis enim hoc indiuiduum incompletum ad constitutionem illius completi concurrat, adhuc tamen realiter distinguitur ab illo, & absolutè esse potest sine illo, vt patet de anima separata respectu hominis; ergo non erat idem principium indiuiduationis vtriusq; Conf. adhuc, quia eadem forma potest saltim per potentiam Dei absolutam successiuè plures informare materias, non enim repugnat, quod anima quæ est in hoc corpore, sit etiam in alio eiusdem rationis, nec tamen esset omninò idem numero compositum, quia ad perfectam eius identitatem requiritur etiam identitas materiæ, vt supra probatum est; ergo forma per suã vltimam realitatem non est præcisa, & adæquata ratio indiuiduandi compositum. Tum quia etiam de facto eadem numero rationalis anima informat plures eiusdem corporis partes, vt caput, & pedes, quæ & numero, & plusquam numero distinguuntur, ergo &c. Quod si dicat in singulis adhuc reperiri in nostra sententia diuersas mistionis formas. Hoc solum sufficeret ad saluandum, quod sint plura indiuidua incompleta constituta in esse indiuiduali per vltimas realitates illarum formarum partialium; sed quia in esse vltimato, & completo constituuntur per eandem animam, adhuc sequeretur quod partes illæ, verbi gratia, caput, & pedes in esse indiuidui completi, & corporis animati non distinguerentur numero, quod tamen falsum est, quia caput est diuersa pars animata à pede, &c.

103 Deindè discursus ille Fabri relatus ab initio quæstionis nu.96. multa falsa continet; nam explicare volens, quomodo vltima realitas formæ partis sit principium indiuiduationis compositi affert exemplum de rationalitate, in qua ait claudi, & contineri plures vltimas realitates, scilicet Sorteitatem, & Platoneitatem, & procul dubio loquitur de actuali inclusione, & continentia, sic enim vltima realitas formæ continetur in forma, cum sit ei realiter identificata; at falsum est quod rationalitas sit forma partis, quamuis enim sit differentia sumpta à forma partis aliquo pacto, attamen non est ipsa forma partis, & rursus falsum est Sorteitatem, & Platoneitatem esse vltimas realitates rationalitatis, sunt enim potius vltimæ realitates humanitatis, & totius naturæ specificæ, quia totam

totam naturam contrahunt, & non partem, & hoc ipsum conuincitur ex eo, quod in huius asserti probationem adducit, inquit enim, quod sicut hæc forma, animal est communicabilis per varias realitates, quas includit, vt est rationalitas, & aliæ differentiæ constituentes alias species animalis; ita rationalitas est contrahibilis per realitates Sorteitatis; & Platoneitatis; sicut ergo animal per ipsum est, quod communicatur, & contrahitur per differentias specificas, non autem sensibilitas, quæ est differentia animalis constitutiua; ita pariter dicere debebat, quod humanitas, & tota natura specifica est, quæ communicatur, & contrahitur per indiuiduales differentias, non verò rationalitas, quæ est differentia humanitatis constitutiua; Tum quia quando id etiam de rationalitate concederetur, falsum est Sorteitatem, & Platoneitatem in ipsa actualiter includt, quia differentiæ inferiores non actu continentur in superioribus, sed ad summum in potentia, vt liquet de differentijs vltimis specificis in ordine ad genericas neque enim rationalitatis actu continetur, & includitur in sensibilitate, quia tunc brutum ex parte esset rationale, & homo ex parte irrationalis, quandoquidem tam rationalitas, quam irrationalitas actu includerentur in sensibilitate.

104 Rursus falsum est, quod vltimò addebat Faber cit. c. 2. Doctorem illa quæst. 6. non determinare, quænam sit vltima realitas, à qua sumitur differentia indiuidualis, an scilicet sit realitas materiæ, vel formæ, vel compositi, quod fortè Faber inde deduxit, quia Doctorem vidit loquentem cum particula disiunctiua, & veluti dubitatiuè; at absit vt defectum adeò notabilem Doctori tribuamus in resolutione huius quæsiti de indiuiduationis principio, vt tam exactè, & diligenter aliorum placita expenderit, & reiecerit, & tandem quæstionem irresolutam relinquerit, imò disertè, id Doctor resoluit ibidem lit. K. cum inquit, *& si quæras, quæ est ista entitas indiuidualis, à qua sumitur differentia indiuidualis est ne materia, vel forma, vel compositum?* Respondet, *quod est vltima realitas entis, quod est materia, vel quod est forma, vel quod est compositum*, vbi particula, *vel*, non est dubitatiua, sed potius distributiua, ac in sensu (vt aiunt) accòmodo intelligenda, ita vt principium indiuiduans materiam, vt sic, & vt est quædam natura communis, sit vltima realitas eius principium indiuiduans formam, vt sic, sic vltima realitas eius, & denique principium iudiuiduans formam, vt sic vltima realitas eius, & denique principium indiuiduans compositum sit pariter vltima eius realitas, vnde Scotus ibi nedum assignat principium indiuidutationis substantiæ materialis compositæ, quæ est natura completa, sed etiam principium indiuiduationis materiæ, & formæ, quæ sunt naturæ communes incompletæ, & dicit vnamquamque harum naturarum posse dupliciter considerari, vel vt naturam, vel vt hanc naturam, & sic quamlibet diuidi in duas realitates, quarum vna non est formaliter alia, & vna formaliter est singularitas, alia vero formaliter est entitas naturæ, & tales plures realitates, inquit, nedum inueniri in naturæ completa compositi, sed & in naturis quoque incompletis partium; & tandem subdit, *nec possunt istæ duæ realitates esse res & res sicut possunt esse realitas, vnde accipitur genus; & realitas, vnde accipitur differentia specifica, sed semper in eodem siue parte, siue toto sunt realitates eiusdem rei formaliter distinctæ; siue parte, siue toto &c.* expressè indicat totum non indiuiduari per vltimam sui realitatem sibi realiter identificatam. Accedit, quod Scotus in ea quæstione, nedum assignat principium indiuiduationis substantiæ materialis (licet de hoc principaliter ibi quæreret) sed cuiuscunque naturę creatę in vniuersum, etiam substantiarum spiritualium, seu angelorum, in quarum gratiam omnes illas quæstiones etiam de substantijs materialibus tractauit, vndè postea quæst. 7. sequenti docet quamlibet naturam angelicam indiuiduari per vltimam sui realitatem; non ergo per hanc vltimam realitatem quam statuit principium indiuiduationis substantiarum materialium voluit intelligere vltimam realitatem formę, sed vltimam realitatem cuiuscunque naturę indiuiduabilis, siue sit materialis, siue materialis, siue completa, siue incompleta, vt magis infrà explicabitur, dum in vnaquaque re principium indiuiduationis assignabitur.

105 Postremò probatur vltima conclusionis pars, quod neque forma simul cum materia sint adæquatum indiuiduationis principium, vt hic de eo loquimur; probatur, quia materia & forma sunt partes quidditatis, & essentię specificę, & sunt principia essentialia, in quibus omnia indiuidua compositi conueniunt, vt omnes concedunt & præsertim docet Doctor 2. d. 22. quæst. vn. ergo non sunt principia indiuiduationis, sed potius, & ipsæ sunt naturę indiuiduabiles, consequentia patet, quia principium indiuiduationis est extrà essentiam rerum, nec est principiù conuenientię inter indiuidua, sed omnimodę differentiæ; Conf. quia licet materia, & forma sint causę intrinsecę compositi, tamen compositum præsertim in nostra sententia dicit entitatem realiter distinctam à materia, & forma; ergo nequit indiuiduari per formam simul etiam cum materia; consequentia patet quia nihil indiuiduatur per aliquid, à quo realiter distinguitur; Tum quia esto compsitum (vt tacitę occurram solutioni) nequeat consistere à suis partibus separatum, tamen partes possunt à toto diuelli, & seorsim separatæ existere sine toto composito; ergo nequeunt esse principia illud indiuiduantia; probatur consequentia, quia ob realem identitatem principij indiuiduationis cum re indiuiduata implicat æquè indiuiduum sine principio indiuiduationis existere, ac ipsum principium sine re indiuiduata per ipsum.

Respondet rationem probare solum de materia, & forma in communi, quo pacto sunt partes specificæ quidditatis in rebus materialibus, non autem de materia, & forma singulari, quæ quidem sicut principia constitutiua indiuidui, ita quoque indiuiduationis eius. Et sic etiam confirmationem aiunt valere de principio formali metaphysico, non autem de principio radicali physico. Contrà, quia si materia, & forma, vt sic, non sunt singulares, sed naturæ de se communes per differentiam pluribus materijs, & pluribus formis particularibus, sicut superius dicitur commune suis inferioribus; ergo fieri debet singulares per aliquid naturæ communi ipsarum superadditum & ita neque hæc materia neque hæc forma erunt per se primò singulares, & vt quo, sed vt quod, & per aliquid aliud superadditum, & hoc erit verum, & proprium indiuiduationis principium, quod hic vestigamus, & de quo non amplius quærendum restat, per quid sit hoc, cum sit tale per se primò, & vt quo. Et per hoc etiam refellitur responsio ad confirmationem data, quæ potius facit pro nobis, quia vt sæpè dictum est hic non quærimus principium indiuiduationis physicù rerum materialium, nemo enim dubitare potest materiam, & formã esse huiusmodi principia, cum cõpositum in tantùm sit hoc, aut aliud, inquantum constat ex hac, & illa forma, & materia; non inquam, tale principium indiuiduationis quęrimus, quia vt notat Bass. cit. 2. d. 12. q. 4. verum & proprium indiuiduationis principium est illud, quod est per se primò singulare, & de quo non amplius quærendum restat per quid sit factum singulare, & per quid fuerit transactum hoc autem solùm verificari potest de differentia indiuiduali contrahente naturàm specificam, quæ dicitur principium indiuiduationis metaphysicum, non autem de materia, & forma etiam singularibus, quandoquidem adhuc de ipsis quærendum restat, per quid sint factæ singulares; & hinc est quod apud Philosophos solum principium indiuiduationis metaphysicum dicitur verè, & propriè huiusmodi principium, non verò principium physicum; quod etiam libenter fatentur illi ipsi Auctores ab initio citati, qui dicebant compositum indiuiduari per materiam, & formam singularem, vndè Auersa q. 9. sec. 7. postquam id asseruit concl. 2. statim subdit, Cęterum non per hæc dico esse sufficienter assignatum principium indiuiduationis in ipso composito, quoniam hoc modo tantum physicè assignatur, non autem per modum differentiæ contrahentis, & determinantis naturam specificam, quod tamen hic præcipuè quæritur; & in eodem etiam sensu loquitur Suarez cum ait materiam, & formam singulares esse principium indiuiduationis compositi physici; quod si sensum hunc intendant alij quoque Sectatores huius opinionis, vt Zabarel. & Contaren. non illis repugno, sed quia aliud postea principium indiuiduationis metaphysicum, & vltimatum non assignant, videntur velle quod materia, & forma singulares sint adæquatum principium indiuiduationis compositi ita vt aliud non sit quærendum, & ideò non benè philosophantur.

Obiectiones Soluuntur.

106 IN contrarium obijcitur primo probando solam formam esse principium indiuiduationis, iam Arist. 1. Phys. 69. formam appellauit hoc aliquid, & 2. de anima tex. 2. ait per formam fieri hoc aliquid, sed hoc aliquid non est aliud quam indiuiduum, vt constat ex c. de substantia; & alias plures auctoritates ex Comment. ad hoc Bassolius adducit loc. cit. Itè 7. met. 49. ait formam esse actum, quę ab inuicè indiuidua separat, & distinguit; ergo ipsa est principiù indiuiduationis. Item 2. Phys. 91. distinctio materiæ est propter distinctionem formæ, & 1. de anima tex. com. 53. membra cerui non differunt à membris Leonis, nisi quia anima Cerui differt ab anima Leonis, vt præsertim ibi explicat Commentator; ergo sola forma est indiuiduationis principium.

Respondet Auersa loc. cit. quem etiam imitatur Pasqualig. his, & consimilibus auctoritatibus & rationibus indè deductis non probari solam formam esse principium indiuiduationis, sed tantùm esse principium & principale non excludendo matetiam; quæ responsio bona esset, si hoc intelligerent de principio physico indiuiduationis, non autem de metaphysico, sed quia absolutè loquuntur minus rectè respondent; vndè melius est dicere cum Bassolio, quod per formam est aliquid vnum numero vel indiuiduum, non sicut per immediatum, & proximum fundamentum repugnantiæ ad diuisionem, sed sicut per causam, intrinsecam, & principaliorem eius, quod est vnum numero, vel indiuiduum, sicut est pars principalior, quam potentia alicuius compositi; vndè, vt vides, explicat Bassol. has auctoritates de principio physico, non autem metaphysico, de quo propriè hic est quæstio. Adhuc tamen respondere libet ad singulas auctoritates, easque ad intentionem Arist. exponere. Ad primam falsum est *hoc aliquid* illis in locis sumi, vt in cap. de substantia, scilicet pro indiuiduo, & vno numero, sed sumitur pro eo quod est perfectum, & completum, & in certa, ac determinata specie constitutum, vndè ipsa dicitur esse hoc aliquid, vt quo, & dare esse hoc aliquid composito, quia ipsum constituit in certa, ac determinata specie, & hæc est communis expositio omnium Interpretum Arist. ibid. & præsertim 2. de anima tex. 2. per non esse hoc aliquid intelligit illud, quod non est in actu, sed in potentia, & per esse hoc aliquid intelligit esse in actu, vt Mercenarius aduertit; sed quia per esse in actu contradistinctum ab esse in potentia nõ intelligit esse in actu existentiæ, sed intelligit de actu formali, & specifico, ideò hæc expositio recidit in primã. Ad 2. respõ-

detur eodem modo, quod sicut forma res constituit in certa, ac determinata specie, non autem materia, quæ de se indeterminata est ad omnes, ita res ab inuicem secernit distinctione essentiali, & specifica; non ergo loquitur ibi de distinctione numerica, & indiuiduali, sed specifica, & essentiali, vt ex ipso contextu colligitur. Ad 3. pariter respondetur sermonem ibi esse de distinctione specifica non verò numerali, nam anima Cerui specie differt ab anima Leonis vt explicat Doctor 2.d.3.q.6. §. *sed quæ*.

Secundò obijcitur rationibus, vna materia communi est omnibus formis, & compositis, non autem forma, sed determinata forma est vnius tantùm materiæ; ergo ipsa est principium indiuiduationis, cum alteri composito communicari non possit, sicut materia, quæ est eadem in genito, & corrupto. Tum 2. quia materia non tribuit composito nec vnitatem, nec distinctionem specificam, siquidem diuersa specie composita habent eandem specie materiam; ergo neque tribuere potest vnitatem, & distinctionem indiuidualem, quod enim nequit esse principium vnitatis specificæ, nec etiam erit numericæ, cum hæc sit maior vnitas. Tum 3, quia materia nullam habet actualitatem, vnde possit terminare, & actuare naturam, sed sola forma; ergo sola forma est principium indiuiduationis, quia indiuiduare nil aliud est, quam actuare, & terminare naturam. Tum 4. nisi vnitas numeralis compositi totaliter à forma desumatur, sequitur, animal quod nutritur, non esse idem post, & ante nutritionem, quia per nutritionem nouam acquirit materiam, imo progressu temporis per actionem caloris naturalis totam mutat materiam, & dicitur vnum numero perseuerare ob solam vnitatem formæ. Tum 5. si Deus annihilaret animam Petri, & aliam crearet in eodem corpore organico Petri, tunc tale compositum esset distinctum numero à priori, & non nisi ratione animæ. Tum 6. eodem est aliquid indiuiduum, & terminus generationis, quia generatio terminatur ad singulare, & indiuidum, sed forma est terminus generationis, ergo &c. Tum demum ab eo tribuitur singularitas, à quo tribuitur existentia, cum nihil existat, nisi sit singulare; sed existentia tribuitur à forma, ergo &c. alia argumenta congerunt Aduersarij, quæ reducuntur ad ista,

107 Resp. quod licet eadem materia numero possit esse successiuè sub pluribus formis, eo quia est commune subiectum omnium transmutationum, tamen non implicat etiam formam eandem numero successiuè diuersas informare materias immo de facto in homine eadem anima informat plures successiuè portiones materiæ fluentes, & refluentes per actionem caloris naturalis, & ideò falsum est absolutè loquendo, quod forma sit vnius tantum materiæ; tum quia hoc etiam concesso, non inde sequitur formam esse principium metaphysicum, & vltimatum indiuiduationis compositi, quia adhuc quærendum restat, per quid forma sit facta hæc, & appropriata huic materiæ, vnde non est per se, & primò incommunicabilis, atq. ideò argumentum ad summum probat posse formam constitui principium physicum indiuiduationis compositi, non autem metaphysicum, quod hic quærimus. Ad 2. negari nequit materiam quoque suo modo concurrere ad vnitatem specificam constituendam, cum ipsa quoque sit pars speciei, & quidditatis; quia tamen concurrit, vt pars potentialis, ac indeterminata, ideò non concurrit ad distinctionem vnius speciei ab alia, sicut à pari genus quidem cum differentia constituit speciem vnam tamen quia constituit per modum partis potentialis, ac indeterminatæ, non distinguit vnam speciem ab alia, vndè tribuit vnitatem, ex ea parte, qua facit speciem in se indiuisam, non autem ex ea qua reddit speciem à quacunque alia diuisam; sed quicquid sit de hoc negari potest consequentia, quia cum materia est facta singularis, & hæc, ita est mea materia, quod non sit tua, & ideò ratione singularitatis superadditæ potest ipsa quoque suo modo distinguere hoc compositum ab illo, licet minus principaliter, quam forma, quia etiam singularis existens potest esse plurium successiuè, quod non contingit de forma, hinc tamen non deducitur aut formam, aut materiam esse principium indiuiduationis metaphysicum, quod est propriè, & simpliciter tale, sed tantum physicum modo iam explicato. Ad 3. verum est, quod indiuiduare est propriè vltimò terminare, & actuare naturam, itaut non sit vlterius commmunicabilis, vt quod, sed negatur id conuenire formæ, siquidem forma terminat, & actuat materiam in genere physico, & sola indiuidualis differentia est, quæ naturam specificam terminat, & actuat in genere metaphysico. Ad 4. eadem difficultas vrget in brutis habentibus formam materialem, & diuisibilem, quæ proindè fluit & refluit cum carne, vndè probaret saltim in ipsis vnitatem numeralem compositi, nec etiam ex parte formæ attendi posse; quare negandum est iuxta quæ dixi lib. de gen. & cor. disp. 8. qu. 7. in continuata nutritione variari totam animalis materiam, quamuis enim varietur quoad aliquas partes impuriores, & fluxibiliores, semper tamen remanet eadem numero quoad solidiores, & puriores, in quibus fundatur identitas indiuidui; hoc tamen totum intelligendum est de vnitate, & identitate numerali physica compositi, & eius principijs physicis, non autem de vnitate, & identitate metaphysica, cuius principium hic vestigamus.

Ad 5. pariter probat, quod loquendo de principijs physicis indiuiduationis forma est principium præcipuum & principale, & materia minus principale, at loquendo de principio indiuiduationis metaphysico, quo res interne, & primò fit hæc metaphysicè, hoc nullo modo est forma, aut vltima realitas formæ, sed vltima realitas compositi, quæ rationem communem ipsius ad esse hoc contrahit. Ad 6. dicitur cum Bassol. quod forma est terminus *quo* generationis, & totum compositum est terminus *quod*, ex quo concludit nequi formam esse principium vltimatum indiuiduationis compositi, quia forma etiam ipsa de se non est hæc, sed per singularitatem superadditum, quia de se est communicabilis pluribus, sicut species, & quælibet alia natura specifica; & quando etiá concederetur esse de se hanc, adhuc esse non posset proprium principium indiuiduationis compositi, quia sicut compositum aliam habet entitatem à partibus, ita & aliam debet habere hæceitatem. Ad vltimum falsa est maior, & minor, maior quidem, quia licèt verum sit nihil existere posse, nisi sit singulare, tamen non eodem compositum est singulare, & existens, quia vt sæpè dictum est, indiuiduum prius est singulare, quam existens, & indiuiduũ continetur in serie prædicamentali ab existentia actuali præscindens, vt notat Doctor 2.d.3. qu. 3. Est etiam falsa minor, tum quia indiuidum materiale in prædicamento contentum constat ex materia, & fora, & adhuc præscindit ab existentia, tum quia quando actu existit in rerum natura, non dicitur formaliter existere per existentiam formæ, sed per propriam existentia, quia sicut compositum aliam dicit entitatem à partibus, ita quoq; aliam existentiam, quia tamen entitas, & existentia compositi causatur à forma, & materia, dici potest causaliter existere per ipsas.

Tertiò probat Faber theoremate 90. capitul. 2. vltimam realitatem formæ esse principium indiuiduationis compositi, nam forma est, quæ constituit rem in esse, quod autem dat esse, dat quoque distinctionem à quocunq; alio, quod non est ipsum; cum ergo forma specifica constituat naturam in esse specifico, & actuet materiam, & compositum resultet ex ea, & materia, ita dicendum est, quod realitas vltima formæ sit ea, quæ constituat in esse indiuiduali, & actu vltimam realitatem materiæ, ex qua realitate materiæ, & realitate formæ resultet indiuiduum; cum enim materia non habeat rationem constitutiui, sed potius constitui realitas vltima materiæ *non potest* esse tale principium indiuiduationis; neque vltima realitas *compositi* potest esse tale principium, quia illa est, quæ resultat, & habet esse à constituente, & ideò non potest esse constituens; erit ergo principium indiuiduationis vltima realitas formæ specificæ; ita arguit Faber pro sua opinione loc.cit. cui ego adijcio duas expressas Scoti auctoritates, prima est 2.d.3.q.6.lit.G. vbi habet, quod indiuidualis differentia sumitur præcisè ab vltima realitate formæ; altera habetur 1.d.3.q.5.lit. O. vbi distinguit differentia in vltimas, & non vltimas, & ait, quod differentiæ non vltimæ sunt, quę sumuntur à parte essentiali, & à tota forma, vt potè ab anima intellectiua desumitur rationale, & ait, quod de istis prędicatur ens in quid, vnde ista est in quid, rationale est ens; differentię autem vltimę sunt quę sumuntur ab vltima realitate formę, & de istis non prędicatur ens in quid, quia sunt simpliciter simplices, & huiusmodi sunt differentię indiuiduales; ergo differentia indiuidualis sumitur ab vltima realitate formę.

108 Resp. negando paritatem in argumento assumptam, quod scilicet sicut forma actuat materiam, & compositum constituit in esse specifico, & quidditatiuo, sic etiam vltima realitas formę debeat actuare vltimam realitatem materię, & constituere compositum ita esse indiuiduali; primò quia actuatio, quam habet differentia indiuidualis, respicit totam naturam specificam, non autem alteram partem eius; deindè quia potest vtique aliquid constitui in esse specifico, & quidditatiuo ab aliquo à se realiter distincto, sicut est de composito physico respectu suarũ partium, non tamen potest constitui in esse indiuiduali quia principium indiuiduationis cum re indiuiduata realiter identificatur, & quia vltima realitas formę realiter distinguitur à materia, & composito perindè ac tota ipsa forma, ideò nec materiam, nec compositum in esse indiuiduali constituere potest. Et cum dicit vltimam materię realitatem principium indiuiduationis compositi esse non posse, gratis concedo, non quidem ob rationem à Fabro allegatam, quia materia non habeat rationem constitutiui, sed potius constituti, hoc enim falsum est, quandoquidem ita concurrit suo modo materia ad compositum constituendum, sicut ipsa forma; sed ob rationem nunc à nobis allatam, quia tam materia, quàm vltima eius realitas realiter distinguitur à composito; & tandem negatur omninò quod ait principium indiuiduationis esse non posse vltimam realitatem compositi, & cum id probat, quia ipsa resultat, & habet esse à constituente hoc vtique verum est in genere physico, siquidem & ipsa causatu concomitanter à causis physicis ad causationem compositi, sed in genere metaphysico actuando, & determinando naturam specificam compositi exercet munus principij indiuidualis metaphysici. Ad illas auctoritates cum Scotus diuidit differentiam in vltimam, & non vltimam, per differentiam vltimam non intelligit differentiam indiuidualem, sed differentiam specificam, quæ sumitur ab vltima realitate eiusdem physicæ formæ, à qua secundum aliam realitatem potentialem sumitur genus; sicut è contra per differentiam non vltimam intelligit differentiam specificam, quæ sumitur à forma physica diuersa quidem ab ea, à qua sumitur genus, non tamen à tota illa forma, seu ab omni realitate illius formæ, vt intellexit Suar. disp. 2. Met. sect. 5. vt supra declaraui disp. 2. de natura entis num. 183. & 184. & rursus nu. 213. & illa differentia specifica, quam vocat Doctor vltimam, non ideò eam sic vocat, quia vltimò specificet,

ret, & determinet naturam, nam in hoc sensu sola indiuidualis differentia dicitur vltima, sed eam vocat vltimam, quia sumitur ab vna realitate simplici, quæ vlteriores non continet realitates, & ideo habet conceptum simpliciter simplicem, vt loc. cit. declaratum est; & eum inquit Doctor 2.d.3.q.6.sub lit.G.in hoc differentiam indiuidualem à specifica dissidere, quod indiuidualis *numquam sumitur à forma addita, sed præcisè ab vltima realitate formæ*, re vera per formam ibi non intelligit formam partis, sed formam totius, idest naturam specificam, quæ per sui vltimam realitatem indiuiduatur; differentia verò specifica sumitur à forma partis, quia ipsa constituit re in esse quidditatiuo, non sic differentia indiuidualis, quæ tantum constituit in esse materiali, quæ expositio colligitur ex ipso contextu.

109 Quartò probatur formam simul cum materia esse integrum, & adæquatum indiuiduationis principium compositi materialis, quia Arist. 2. Phys. 38. effectibus in genere assignat causas in genere effectibus singularibus singulares causas; quod etiam suadet ratio, cum enim compositum physicè ex materia, & forma consistat, intantum compositum est hoc, & illud inquantum constat ex hac illa forma, & materia. Conf. quia principia essendi sunt quoque principia vnitatis rei, sed hæc materia, & hæc forma sunt principia essendi indiuiduo; ergo sunt quoque principia vnitatis indiuidualis eius.

Resp. per id probari tantùm materiam, & formam esse principia physica indiuiduationis compositi & physico modo indiuiduare illud, non autem metaphysicè, quia realiter à composito distinguuntur, & ipsa quoque sunt singularia per aliquid superadditum, cum eorum natura sit æquè communicabilis, & specificabilis, sicut ipsa natura compositi; & ob id esse nequeunt omninò primum, & vltimatum indiuiduationis principium, vndè inquit Bassol. compositum indiuiduari per materiam, & formam causaliter, sed non formaliter, & tanquam immediato, & proximo fundamento repugnantiæ ad diuisionem, sic enim indiuiduatur, per vltimam sui realitatem, & hæcceitatem; & per hoc etiam patet ad confirmationem. Contenus cit. cap. 11. nititur hanc solutionem infringere, quia hæc hæcceitas, si datur, est effectus indiuiduationis factæ per materiam, & formam, non ergo est eius principium. Tum quia materia, & forma sunt simplicissimæ substantiæ, nec admittitur in eis realis compositio ex aliquo determinante, seu distinguente, & ex parte determinabili realiter distincta; ergo materia, & forma huius compositi sunt seipsis singulares, & compositum est singulare per ipsas. Resp. negando hæcceitatem esse effectum indiuiduationis, nam potius est indiuiduatio ipsa, quæ quamuis dici possit in genere physico saltim concomitanter ad causationem totius à partibus physicis totum constituentibus causata, tamen in genere metaphysico actuando, & determinando totam naturam compositi exercet munus principij indiuiduationis illius, quamuis materia, & forma sint substantiæ simplices physicè loquendo, quatenus non admittant compositionem ex materia, & forma, seu actu, & potentia realiter distinctis; sunt tamen compositæ metaphysicè ex realitate determinabili, & determinante, nec sunt seipsis singulares, seu ex propria ratione formali, quia tunc dari non posset materia, & forma in communi respondentes composito in communi, nec materia de se esset in plures numero materias diuisibilis, nec forma in plures formas, quod nemo negat; & quando id etiam concederetur, non adhuc concedi deberet compositum indiuiduari per ipsas, quia sicut præsertim in sententia nostra aliam dicit entitatem ob entitatem partium, ita quoque distinctam, & aliam petit singularitatem.

110 Quintò probatur tandem materiam ipsam indiuiduari per formam, quia materia nullam habet actualitatem, imò nullum esse, nisi per formam; sed ab eodem habet res esse, & vnitatem in se, ac distinctionem ab aliis rebus, quandoquidem eadem sunt principia essendi, & distinguendi; ergo materia suam habet vnitatem, ac distinctionem indiuidualem à forma. Conf. quia materia in suo esse essentiali constituitur per habitudinem ad formam, ergo etiam in suo esse indiuiduali, probatur consequentia, quia sicut materia, vt sic, constituitur in suo esse essentiali per habitudinem ad formam, vt sic, ita hęc materia per ordinem ad hanc formam.

Resp. negando maiorem vniuersaliter prolatam, vt constat ex dictis disp. 2. Phys. qu. 1. & 2. nam sicut est entitas distincta realiter à forma, & prior naturaliter, ipsa ita etiam habet propriam actualitatem entitatiuam, & existentiam propriam, licèt incompletam, secundum quam fuit terminus creationis, & sic pariformiter loquendo habet propriam vnitatem, & distinctionem entitatiuam, & ratione diuisionis entitatiuæ poterit vna materia esse diuersa indiuidualiter ab alia præcisa forma, vt constat ex Doctore 2.d.12.q.1. Ad Conf. ait Auersa loc. cit. dupliciter posse intelligi materiam posse indiuiduari per habitudinem ad formam, vel per habitudinem ad certam formam, & hoc falsum est, quia potius constat quamlibet singularem materiam dicere habitudinem indifferentem ad omnem formam; vel indiuiduari per certam habitudinem ad formam, ideſt hanc materiam per hanc habitudinem, & hoc verum est, quia cum materia dicat essentialiter habitudinem ad formam hæc materia dicit hanc habitudinem, illa ad illam, & sic indiuiduatur. Hæc solutio seipsam destruit, si enim hæc materia indiuiduatur per hanc certam habitudinem, indiuiduabitur consequenter etiam per hanc formam, quia hæc habitudo est ad hanc formam; negatur itaque assumptum, quia vt dictum est disp. 2. Phys. q. 5. art. 5. nec habitudo actualis nec aptitudinalis est de essentia meteriæ in primo modo dicendi per se, sed tantùm in secundo modo loquendo de aptitudinali, nam materia in se est quædam entitas absoluta per sua essentialia prædicata intrinsecè constituta præsindendo à quocunque respectu; & ideò sicut materia, vt sic, non constituitur in suo esse essentiali per habitudinẽ ad formam, ita neque hæc materia per ordinem ad hanc formam, nec minus per hanc habitudinem, vt dicebat Auersa, nam vt dictum est supra num. 100. etiam hæc singularis materia est indifferens ad hanc, & illam singularem formam, vt commune omnium subiectum, & sicut indifferenter respicit hanc, & illam formam, ita pariter respicit indifferenter hanc, & illam habitudinem; quare dicendum remanet materiam indiuiduari per suam vltimam realitatem & propriam hæcceitatem, non autem per formam, quæ ab ipsa realiter distinguitur, aut per habitudinem ad formam, quæ est posterior ipsa, sicut in vniuersum respectus posterior est suo fundamento, siue sit respectus prędicamentalis, siue transcendentalis, saltem natura, & entitas relatiua entitate absoluta.

QVÆSTIO VIII.

An formæ substantiales indiuiduentur per materiam, & accidentales per subiectum.

111 PArtem affirmatiuam docet S. Th. 1.p.q.29.art.1. vbi ait accidentia indiuiduari per subiectum, dicitur enim hæc albedo, inquantùm est in hoc subiecto, & q.39.art.3. ait, accidentia sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, & multitudinem, & opusc.29. sed aduerterdum est, inquit, quod accidentia non indiuiduantur per materiam primam sed per subiectum propriũ, quod est ens in actu, sicut formæ substantiales per materiam primam, quæ est in earum subiectum; sequuntur passim Thomistæ Caiet. & alij Expositores eius circa ea loca, Salmaticenses trac. de princip. indiuid. disp. 2. dub. 1. Blasius à Concep. disp. 4. Met. quæst. 1. Bannes 1. de Gen. quæst. 20. art. 9. Io. de S. Tho. quæst. 9. de Gen. & Cor. art. 5. qui alios vetustiores citant Thomistas, hoc tamen passim asserunt de omnibus accidentibus præter quantitatem, quam velle videntur indiuiduari seipsa, quam limitationem ipse S. Thomas assignasse videtur quol. 7. artic. 19. sola itaque quantitate excepta omnia alia accidentia in vniuersum, siue sint materialia, siue spiritualia indiuiduari docent per proprium subiectum; cui sententiæ fauet ex parte Auersa quæst. 19. sect. 8. vbi probabile censet accidentia quædam indiuiduari per subiectum, illa nimirum quæ sunt inseparabilia, & se habent ab subiectum, vt propriæ passiones; idem tenet Pasq. disp. 42. sect. 2. vbi ait accidentia modalia, & relatiua ex subiecto indiuiduari.

Opposita sententia docet nullum prorsus accidens, siue materiale, siue spirituale, siue absolutum, siue respectiuum indiuiduari per subiectum, sed per propriam differentiam intrinsecam, idemque docet de formis substantialibus in ordine ad materiam primam; ita Scotus 4. d. 12. qu. 2. §. *hic sunt duæ opiniones*, & 3. d. 8. qu. vn. vbi eius Expositores Rada cont. cit. art. 3. Faber theor. 90. cap. vlt. & 92. vbi specialiter loquitur de anima rationali, Poncius disp. 6. Log. qu. 8. Meurisse quæst. cit. concl. 7. Suarez disp. 5. Met. sect. 7. & alij passim extrà scholam D. Thomæ, & hæc est sententia vera, & absque vlla trepidatione tenenda, quæ quidem primò probabitur in generali de omnibus formis, ac deindè in speciali de illis, de quibus maior esse videtur difficultas.

112 Primò, itaque probat Doctor loc. cit. quia nullum ens est singulare formaliter per aliquid alterius generis, sicut enim in quolibet genere est inuenire supremum in coordinatione illius generis, & omnia media genera, & species, ita est inuenire aliquod infimum per se in illa coordinatione, de quo omnia superiora per se prædicantur, & ipsum non de alio, cuius ratio est, quia prædicamenta sunt impermixta; ergo accidentia non indiuiduantur per subiectum, quod est res alterius prædicamenti. Conf. quia accidens singulare cuiuscunque prædicamenti, vt hæc quantitas, hæc albedo, secundum se consideratum est vnum per se, non per accidens, ergo substantia non constituit illud in esse indiuiduali, quia tunc foret ens per accidens. Conf. adhuc quia differentia indiuidualis debet esse intrinseca indiuiduo, immo ei realiter identificata, sed subiectum non est intrinsecum accidenti huic, nec materia huic formæ, ergo &c. Respondent Thomistæ passim, quod cum dicunt accidentia indiuiduari per subiectum, formas per materiam, non est ita intelligendum, quod ipsum subiectum sit principium intrinsecum indiuiduationis eorum, sed quod indiuiduentur per ordinem, & habitudinem ad ipsum, vndè Bannes loc. cit. concl. 2. inquit formas omnes indiuiduari per subiectum extrinsecè, & per ordinem ad tale subiectum intrinsecè. Contrà, quia vel intelligunt de ordine, & habitudine actuali, vel de ordine tantùm aptitudinali; si primum, redeunt eadem argumenta, quia actualis vnio, vel inhærentia qualitatis ad substantiã v.g. distinguitur realiter saltim modaliter, vt aiunt Recentiores, ab ipsa qualitate, & est alterius prædicamẽti; tũ quia accidẽtia in Eucharistia permanent eadẽ numero post consecrationẽ quę anteà, tali inhęsione destructa; ergo talis ordo actualis ad subiectũ nõ est principiũ formale indiuiduationis eorũ. Consequentia patet, quia res nequit esse indiuiduata, ac eadẽ numero permanere non permanente eodem principio indiuiduationis. Tum quia adhuc de

illo respectu, cum sit accidens, quærendum manet, per quid indiuiduetur.

Respondent debere intelligi de ordine aptitudinali, qui est respectus transcendentalis identificatus realiter, & essentialiter cum ipsa forma, neque inconueniens est (ait Bannes) talem respectum esse formæ absolutæ intrinsecum, vt ostendi potest multis exemplis, per quod euitare prætendunt argumentum cum suis confirmationibus. Sed hæc solutio, vt faciliter datur, ita facilè impugnatur, nam falsum est hoc accidens dicere determinatum ordinem ad hoc subiectum, quasi aptum non sit, vt possit poni in alio subiecto eiusdem rationis; immo omne accidens singulare quantum est de se, æquè indifferenter respicit quodcunque subiectum in sua specie sibi proportionatum; & nulli dubium est, quod si vellet Deus accidentibus panis in Eucharistia rursus substantiam panis dare pro subiecto, non cogitur dare illam eandem numero, quæ in corpus Christi est transubstantiata, sed potest dare aliam numero, & similis discursus fieri potest de forma substantiali respectu materiæ, & de anima respectu corporis, nam eadem forma substantialis potest saltim successiuè poni in diuersis materijs, & eadem anima in pluribus; immo de facto eadem anima rationalis informat successiuè diuersas materiæ partes in nutritione viuentis, quæ per actionem naturalis agentis continuò fluunt, & refluunt. Deinde diuersæ aptitudines diuersis conueniunt ob eorum diuersitatem, non autem per aliquid commune ipsis, alioquin omnibus, & singulis eadem aptitudo conueniret; ergo diuersæ aptitudines nequeunt esse primò distinctiua aliquorum. Tum quia aptitudo non est ens absolutum, sed respectiuum, & absolutum à toto genere est prius respectiuo saltim natura, quia respectus fundatur in absoluto, siue sit prædicamentalis, siue transcendentalis, indiuiduatio autem aut est prius natura, aut saltim simul natura cum re indiuidua, & singulari; ergo forma absoluta nequit indiuiduari per aptitudinem ad hoc subiectum. Denique quamuis respectus transcendentalis realiter cum absoluto identificetur, non tamen formaliter, & essentialiter, quia nunquam respectus potest esse de essentia absoluti ex disp.8.Log. quæst.2.at differentia indiuidualis, licet ad quidditatem indiuidui non pertineat, quæ tota consistit in natura specifica, tamen est de intrinseco conceptu indiuidui, vt indiuiduum est; ergo nullus respectus quantumuis transcendens constitui potest differentia constituens absolutum in esse indiuiduali; atque ideò ex hoc capite concludit argumentum principale, quod nequeat forma absoluta constitui indiuidua per ordinem ad subiectum etiam aptitudinalem, quia tunc indiuiduum nō diceret conceptum per se vnum, neque indiuidualis differentia esset intrinseca indiuiduo, idest de intrinseco, & formali eius conceptu, quia respectus cum absoluto non integrat conceptum per se vnum, nec est de conceptu eius essentiali, & intrinseco, etiamsi sit transcendentalis.

113 Secundò, probatur ratione, qua solent vti Thomistæ contra Scotum ad probandum hæcceitatem non posse singularizare naturam, sed eam supponere talem, quia actus singularis supponit potentiam, quam actuare debet, singularem 2.Physic.38.quamuis enim hæc ratio parum, & nihil concludat de actu, & potentia metaphysica, quia non sunt realiter distincta, vt supra dixi numer. 27. tamen in proposito de materia, & forma, subiecto, & accidente, quæ se habent, vt actus, & potentia physicè, & sunt abinuicem realiter distincta, concludit mirabiliter. Dices, ex hoc tantum sequi, quod accidens supponat subiectum singulare, & pariter forma substantialis singularem materiam, non tamen è conuerso. Contra, quia proportio ista actus, & potentiæ fundatur supra commensurationem, quæ versatur inter ea in ratione receptibilis, & receptiui, & cum hęc sit relatio mutua, vt patet in quantitatibus, petit, quod sicut actus singularis supponit potentiam singularem, ita etiam è conuerso potentia singularis supponat actum singularem. Conf. quia ideò actus singularis supponit potentiam, quā actuat, singularem, quia si esset potentia vniuersalis non ei commensuraretur, nec eam adæquaret; ergo è conuersò eadem ratione potentia singularis requirit actum singularem, quia si esset actus vniuersalis, non esset illi commensurata, & proportionata; ergo antequam accidens recipiatur in subiecto, debet intelligi indiuiduum, & pariter forma, antequam recipiatur in materia, & anima in corpore. Conf. adhuc, quia & forma in materia, & accidens in subiecto recipiuntur secundum proprium esse entitatiuum, ac indiuiduum, ità quod saltim in aliquo priori naturæ præsupponantur secundum tale esse ad receptionem; ergo sunt indiuiduæ independenter à subiecto. Consequentia patet, & probatur assumptum, quia recipiuntur per modum actus informantis physico modo, sed hæc informatio non fit, nisi secundum esse physicum, & entitatiuum, omne autem tale esse est indiuiduum. Si dicas id probare tantum, quod forma non indiuiduatur per receptionem actualem in subiecto, non autem quod non indiuiduetur per ordinem aptitudinalem, & receptibilitatem in illo.

Contra, quia hæc solutio iam in præcedenti ratione manet confutata, ac etiam ex proximè dictis ex commensuratione, quæ inter actum, & potentiam versari debet, ac inter ipsa attendi nedum in actuali receptione, sed etiam aptitudinali, adeoquod sicut potentia non est capax actus singularis, nisi ipsa sit singularis, ita neque actus sit receptibilis in potentia singulari, nisi sit in se singularis, vnde nisi forma esset in se singularis, non haberet aptitudinem, vt in singulari subiecto reciperetur; ergo ille ordo aptitudinalis in forma ad singulare subiectum supponit ipsam formam singularem, & in eis singularitate fundatur; nam si forma singularis non esset, consequenter nec esset proportionata, vt in singulari subiecto reciperetur. Sed nunc vlterius probo (qui punctus est valde notandus) quod cum Thomistę dicunt accidens indiuiduari per ordinem ad subiectum, aut formam per ordinem ad materiam, non posse hoc intelligere de ordine aptitudinali, sed necessariò secundum eorum principia debere intelligere de actuali receptione in subiecto; nam intantum ipsi dicunt formam quamlibet per subiectum indiuiduari, quia per ipsum fit irreceptibilis in alio, & consequenter redditur incommunicabilis per modum formæ, vel actus cuicunque alteri subiecto, vt mox patebit ex eorum obiectionibus; sed hanc irreceptibilitatem non acquirit forma à subiecto per ordinem aptitudinalem ad illud, sed per actualem, seu per actualem receptionem, nam antecedenter ad istam semper est receptibilis, quantum est de se in quocunque subiecto eiusdem rationis, ergo ponere debent iuxta eorum principia formam indiuiduari per actualem ordinem ad subiectum. Tum quia esse receptum facit eam irreceptibilem, & consequenter incommunicabilem, non verò esse receptibile, ergo in eorum principijs fit indiuidua forma per actualem receptionem in subiecto, non per aptitudinalem.

114 Tertiò, possunt plura, & distincta numero accidentia successiuè saltim in eodem subiecto reperiri, vt modò abstrahamus ab alia quæstione, de qua infra disputat.12.an plura talia accidentia possint simul reperiri in eodem subiecto; ergo non indiuiduatur accidens per ordinem ad subiectum, quia si ita foret, nec etiam successiuè possent plura accidentia numero distingui in eodem subiecto, quia sicut semper est idem subiectum, ita quoque semper eandem daret indiuiduationem, assumptum patet experientia, nam aqua v.g. sæpius frigescit, & incalescit, aer sępius illuminatur, & tamen non est idem lumen, quod redit, non idem frigus, nec idem calor. Respondet Bannes, quod sicut ad vnitatem numericam motus ex 5.Physic. non solum requiritur vnitas termini, & mobilis, seu subiecti, sed etiam temporis, ita etiam dicendum, quod ad vnitatem numericam cuiuslibet alterius accidentis non solum requiritur, quod sit in hoc subiecto singulari, sed etiam quod sit in hoc tempore, vnde diuersitas temporis sufficit ad distinguenda numero plura accidentia eiusdem speciei, quæ successiuè in eodem subiecto recipiuntur. Contra, quia sic dicendo iam accidentia à circumstantia temporis indiuiduarentur, & non à subiecto. Tum quia ex eorum principijs non benè respondent, quia fundamentum eorum præcipuum, cur accidens indiuiduetur per subiectum, & forma per materiam, est quia ab ipsis in esse dependent, & suum esse recipiunt, sed accidentia non accipiunt suum esse à tempore, sed tantum in tempore. Tum quia iam supra probatum est quęst. 5. art. 1. num. 53. ineptam esse temporis circumstantiam ad indiuiduandum aliquem effectum, quia hic calor, hæc albedo æquè benè potest hodie produci, sicut eras, & calor modò in manu mea productus potest in ea per quadrantem v.g. durare, ac idem numero diuersis partibus temporis coexistere. Tum quia potest Deus formam antea corruptam in eodem numero subiecto modò reproducere, ergo identitas eius non pendet ex identitate temporis.

Rursus fieri potest, quod duo calores numero distincti subiectum respiciant, prout connotat eandem temporis differentiam, nam eadem manus v.g. potest quantum est ex se calefieri pro tempore præsenti disiunctim saltim, vel ab isto igne, vel ab illo, ergo cum calor, qui procedit ab isto igne sit numero distinctus ab illo, qui procedit ab alio, poterunt duo calores numero distincti respicere idem subiectum pro eodem temporis instanti. Hoc argumentum adducit Blasius à Concept.disputat.4.Met. quæst.3. in fine, & respondet, quod subiectum non habet solum indiuiduare diuersa accidentia eiusdem speciei per connotationem ad diuersum tempus, sed etiam per connotationem ad diuersum agens, diuersamque actionem, & vna ex prędictis connotationibus sufficit in subiecto, vt numericè, & indiuidualiter accidentia distinguat, vnde non mirum, quod illi duo calores, de quibus fit mentio in argumento, numero distinguantur, quia licet connotarent idem tempus, in quo possunt fieri, connotant tamen diuersum agens; diuersasque actiones, per quas potunt fieri. Contra, ex hac ipsa responsione patet infirmitas doctrinæ Thomistarum de indiuiduatione accidentium, primò enim absolutè dicunt indiuiduari per subiectum; deinde quia negare nequeunt plura accidentia eiusdem speciei recipi saltim successiuè in eodem subiecto, recurrant pro indiuiduatione accidentis ad circumstantiam temporis; & tandem quia negare etiam nequeunt non posse in eodem tempore idem subiectum disiunctim saltim recipere duos calores numero distinctos, recurrunt ad diuersitatem agentium, & actionum, vnde tandem infertur, quod accidens secundum ipsos, non ex subiecto indiuiduetur, quod fatentur esse de se indifferens ad recipiendum hoc, vel illud numero accidens, sed ex diuersis circumstantijs, in quibus reperitur, quod iam refutatum est supra q.5.art.1.n.53.& præsertim circumstantiam agentis non posse esse indiuiduationis principium iam probatum est disp.8.Physic. quæst.3. art.1. vbi ostendo eundem numero effectum posse disiunctim produci à pluribus agentibus eiusdem rationis. Demum falsum est, quod dicebat Bannes ad vnitatem entitatiuam motus requiri vnitatem temporis, solum enim requiritur ad vnitatem eius continuatiuam, non verò entitatiuam, vt ostendi disput.15.Phys.qu.7. art.2. & disp.5. de Gen. & Cor. quæst.7. art. 1. & quando id etiam concederetur de motu, non inde sequi-

tur

cur etiam de quocunque alio accidente debere concedi, quia motus est accidens successiuum, quod tempore mensuratur, & successiuè secundum diuersas sui partes diuersis partibus temporis coexistit, at calor, albedo, dulcedo, &c. sunt accidentia permanentia, quæ secundum totam suam entitatem eandem numero coexistunt diuersis partibus temporis succedentibus.

115 Quartò, si accidentia numero differrent per subiectum tunc nedum duo accidentia numero distincta in eodem subiecto repugnarent, sed etiam duo accidentia diuersæ speciei, quod est contra experientiam, nam in eodem primo v.g. videmus albedinem, & dulcedinem, Probatur consequentia, quia idem indiuiduationis principium nequit plura numero indiuiduare, quia est proprium illius, quod indiuiduat; si ergo idem subiectum plura accidentia specie distincta indiuiduare potest, poterit etiam indiuiduare plura accidentia solo numero distincta.

Respondet Bannes cit. negando paritatem, quia accidentia specie distincta dicuntur esse in eodem numero subiecto solum materialiter, formaliter verò dici possunt in diuersis subiectis, nam istæ formæ sicut sunt diuersarum specierum, ita quoque diuersas potentias in eodem subiecto respiciunt, vnde pomum secundum aliam potentiam recipit in se albedinem, & secundum aliam dulcedinem, quia albedo inest ei secundum quod participat de natura diaphani, dulcedo autem secundum naturam humidi; quam responsionem amplectuntur, & magis declarant Salmaticenses tractat. de princip. individ. disputat. 2. dub. 3. §. *ad vltimum*, dicentes, quod respectu accidentium specie distinctorum dantur simul in vnico subiecto plures potentiæ saltim virtualiter distinctæ, secundum quas illa recipiuntur, at respectu accidentium eiusdem speciei vnica tantum datur potentia receptiua, vnde eo ipso, quod vnum tale accidens recipitur in subiecto, eo ipso complet totam potentiam illius, adeò quod non est capax alterius eiusdem rationis, benè autem aliorum accidentium specie distinctorum quia sicut non recipitur in subiecto secundum potentias alijs accidentibus specie distinctis conuenientes, ita non complet subiectum secundum prædictas potentias. Hæc tamen solutio multa continet difficilia, & fortasse voluntariè dicta, nam in primis non assignatur ratio, cur in subiecto multiplicentur potentiæ ad multitudinem formarum specie distinctarum, & non etiam ad multitudinem formarum eiusdem speciei, cum relationes ad pluralificationem terminorum multiplicari debeant tam specie, quam numero. Deinde concesso, quod detur in subiecto vna tantum potentia ad omnes & singulas formas eiusdem speciei, falsum est hanc potentiam compleri, & exhauriri per receptionem vnius dumtaxat formæ, quia licet hæc potentia sit vna, non tamen est determinata ad talem formam, sed ad omnes & singulas indifferens, ac indeterminata, cum ergo vnaquæq; forma in se sit terminus talis potentiæ inadæquatus, consequenter adæquare nequit, & complere illam potentiam, adeout sit alterius formæ in capax saltim successiuè, & diuisim, quod sufficit ne illa accidentia dicantur indiuiduari, & numero distingui per subiectum, vt patet ex ratione præcedenti. Tandem potentia receptiua accidentium secundum Thomistas est accidens, & ad idem pertinens genus, ad quod spectat forma receptibilis, ergo de tali adhuc potentia quærendum restat per quid indiuiduetur; an rursus per subiectum, vel per seipsam, aut suam differentiam realiter sibi identificatam; si pri num recurrunt difficultates eædem, quæ prius de alijs accidentibus vrgebantur & dabitur processus in infinitum; si secundum, idem quoque de alijs accidentibus dici poterit, *quod* seipsis indiuiduentur, & per proprias indiuiduales differentias, & nequaquam per subiectum.

116 Quintò probatur idem de accidentibus respectiuis, quæ à Recentioribus entitates modales vocari solent; probatur, inquam, neque ista, de quibus magis videtur, per sua indiuiduari subiecta; sed per proprias hæcceitates, pertractando præcedentes rationes, nam plures paternitates in sententia probabili Scoti sunt in eodem Patre ad plures filios, vel saltim esse possunt successiuè, quod & Thomistæ non negabunt; possunt etiam & modi successiuè variari in eadem re, vt si Petrus nunc sedet, postea surgit, & denuò sedet, non est ratio cogens, quod dicatur sedere postea per eandem sessionem, qua prius sedebat, sed per aliam denuò productam sedere dicendus est. Tum quia, vt benè notat Suarez disp. 5. Met. sec. 6. num. 15. licèt modus vnionis in indiuiduo huius formæ ad hoc subiectum non possit esse in alia forma, sed necessario sit huic alligata, tamen forma eadem potest esse vnita eidem subiecto per aliam numero vnionem, non enim est necesse, si dissoluatur hæc vnio, & pereat, & velit Deus rursus hanc formam cum hoc subiecto vnire, eandem vnionem reproduci quæ anteà, sed potest ea vnire per aliam vnionem eiusdem rationis, quia forma de se est indifferens, vt per hanc vniatur, vel per illam; & licèt sit possibile eandem redire vnionem, quando eadem redeunt extrema, vt notat Doctor 4. d. 43. qu. 1. in fine, tamen hoc non est necessarium, quia in alijs modis figuræ sessionis, aut similibus, non est necesse eosdem numero reproduci, cum ergo possint illæ vniones in eadem forma numero multiplicari successiuè respectu eiusdem subiecti, signum est nec entia respectiua sufficienter per subiectum indiuiduari, sed potius intrinsecè per proprias indiuiduales differentias, & extrinsecè, per subiectum, & terminum. Quandoquidem si relationum indiuiduatio ab aliquo extrinseco peti debet manifestatiuè saltim, nulla est ratio cur eam ex solo subiecto, vel fundamento attendere debeamus excludendo terminum; sicut enim essentia relationis magis per ordinem ad terminum explicari solet, quam ad subiectum, vel fundamentum, ita quoq; de eius indiuiduatione philosophari debemus.

Respondet Pasqualig. disp. 42. cit. sec. 2. num. 3. quod sicut huiusmodi accidentia modalia non habent proprium esse sed sunt ens entitate subiecti, ita etiam per entitatem subiecti indiuiduari debent; quia verò huiusmodi accidentia consurgent in subiecto, eo quod tali vel tali modo se habeat, nec potest tali, & tali modo se habere, nisi concurrant aliquæ extrinsecæ circumstantiæ, ideò eorum indiuiduatio vtique dependet à subiecto, non tamen simpliciter, & absolutè sumpto, sed sic, vel sic circumstantionato, vndè ex variatione circumstantiarum fit, vt possit idem numero subiectum varias præstare iudiuiduationes huiusmodi accidentibus. Hæc responsio fundatur in falso principio, quod huiusmodi entitates, quam Recentiores appellant modales, non habeant propriam entitatem aliam in re ab entitate subiecti, quod modificant, quamuis non habeant entitatem perfectam in eo gradu, sicut habet eorum subiectum, tamen sunt in se aliquid, & habent propriam entitatem in suo ordine, licet ita exilem, & imperfectam, vt per se consistere nequeant à subiecto separatæ, vt notauit Doctor 2. d. 1. q. 5. §. *Quod si adhuc*; & ideò sicut in se habent propriam entitatem aliam ab entitate subiecti, ita quoque propriam habere debent indiuiduationem. Quod verò inquit posse idem subiectum his accidentibus varias præbere indiuiduationes per varietatem circumstantiarum, coincidit cum responsione Thomistarum allata num. 114. atque ideò eadem modo est impugnanda.

117 Sextò probat hoc idem de accidentibus inseparabilibus Poncius disp. 6. log. q. 8. concl. 2. quia sicut cætera accidentia non indiuiduantur per subiectum, ita hæc non dici debent indiuiduari, nisi sit specialis ratio, quæ ad hoc cogat; sed non est, ergo &c. probatur minor, quia non est alia ratio præter inseparabilitatem ipsorum, sed hæc ratio nulla est, quia si ex inseparabilitate vnius ab alio deberet, indiuiduari per illud, Deus esset principium indiuiduationis omnium creaturarum; quia nulla creatura potest esse sine Deo. Sed hæc ratio Aduersarijs non multum facessit negotij; nam inseparabilitas accidentis à subiecto, vnde deducunt indiuiduari per illud, non est sola inseparabilitas quoad existentiam, quo pacto creatura est inseparabilis à Deo, quia nequit sine Deo existere, sed etiam quoad vnionem, ex eo enim quod videmus aliquod accidens esse necessariò connexum cum suo subiecto deducimus indiuiduari per illud, hoc autem pacto creatura nedum est separabilis à Deo, sed etiam de facto separata, quia non est vnita per inhærentiam cum ipso, sicut forma subiecto; melius ergo conclusio quoad hanc partem probabitur, quia vel per accidentia inseparabilia intelliguntur illa, quæ talia dicuntur, non quia subiectum sine ipsis existere nequeat, sed quia ipsa nequeunt à subiecto separata consistere, & inseparabilitas in hoc sensu non facit, quod accidentia sic inseparabilia debeant indiuiduari per subiectum, vt constat de accidentibus modalibus; vel per accidentia inseparabilia intelliguntur, sine quibus subiectum naturaliter existere nequit, & ideò dici solent passiones ipsius, vt calor respectu ignis, & neq; inseparabilitas in hoc sensu facit, quod accidens sic inseparabile per subiectum indiuiduari debeat, quia saltim per Dei potentiam potest subiectum sine tali accidente consistere, vel illo destructo alio consimili informari; vel denique per accidens inseparabile intelligitur accidens proprium, & passio propriè dicta alicuius; & vtiq; inseparabilitas in hoc sensu potest esse in causa, vt accidens indiuiduetur per subiectum, quia talis inseparabilitas oritur, ex identitate reali accidentis proprij cum subiecto, vnde cum accidens proprium non dicat entitatem aliam realiter ab entitate subiecti, consequenter per eius entitatem indiuiduari potest, sed hoc non militat contra conclusionem, in qua est sermo de formis reipsa distinctis à subiecto, quod informant.

118 Deniq; probatur id specialiter de anima rationali, quod non indiuiduetur per corpus ex Scoto quol. 2. ab initio lit. B. & 2. d. 3. q. 7. lit. A. anima intellectiua prius natura est terminus creationis, quam infundatur corpori, quia actio est singularis, & ad singulare terminatur ex 1. Metaph. sed in eo priori est hæc, & singularis, ergo non per corpus. Quod si dicatur, vt re vera respondent Thomistæ, animam non indiuiduari per actualem vnionem ad corpus, sed per aptitudinalem. Contra, instat Doctor multiplicitur, quia natura ac entitas animæ est absoluta, illa verò aptitudo est relatio quædam aptitudinalis, quia sine termino intelligi nequit, sed absolutum nequit per respectum intrinsecè constitui, & semper est prius respectiuo, cum hoc fundetur in illo. Tum quia inclinatio non est entitas absoluta, siquidem nequit aliquid inclinari ad se, ergo præsupponit aliquam entitatem absolutam, & distinctam, quia enim est hæc anima, ideò habet talem inclinationem, & non è contra; ergo inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed præsupponit eam. Tum quia, quod conuenit huic, & repugnat alij eiusdem speciei, non conuenit huic per se secundum illud, quod est commune istis; sed necessariò præexigit distinctionem illorum, alioquin ambobus conueniret; sed ita est, quod aptitudo ad hoc corpus conuenit huic animæ, & repugnat illi; ergo hæc anima distinguitur ab illa distinctione præcedente aptitudinem; quæ argumenta superius tacta sunt refutando solutionem Thomistarum ad primum argumentum

mentum pro nostrâ sententia sub num. 112.

Respondet Caiet. de ente, & essentia cap. 6. & cum eo cæteri Thomistæ concedendo animam non indiuiduari per vnionem actualem ad corpus, sed per aptitudinalem; ad primam, & secundam impugnationem ait procedere de aptitudine formaliter sumptâ, quo pacto vtique est relatio, & est posterior anima, nec per tales aptitudines distinguuntur animæ substantialiter adinuicem, sed tantum accidentaliter; non tamen procedere de aptitudine fundamentaliter sumpta, idest pro ipsa commensuratione substantiali animæ ad suum corpus, sic enim aptitudo animæ ad hoc corpus non est posterior anima, cum sit ipsamet animæ substantia, & sic etiam respondet Ferrar. contra Gentes cap. 81. & quamuis Caiet. loc. citat. non vtatur terminis, *formaliter*, & *fundamentaliter*, nam sub his terminis datur à Ferrar. tamen vt notauit Ripa de ente, & essentia ad caput 6. q. 3. coincidunt, nam aptitudinem formaliter sumptam Caiet. appellat relationem, & fundamentaliter sumptam vocat commensurationem substantialem; ad tertiam impugnationem negat maiorem, scilicet quod vni conueniat, & non alteri semper supponere distinctionem illorum, interdum enim secum fert, & parit distinctionem, vt patet de rationali, & irrationali, irrationale siquidem homini repugnat, & bruto conuenit, & tamen non præexigit aliquod distinctiuum, sed ipsa est differentia distinctiua; immo retorquet argumentum in Scotum, quoniam hæcceitas, seu singularitas animæ Sortis conuenit sibi, & repugnat animæ Platonis; ergo hæcceitates præsupponunt ipsas animas distinctas, quod vtique Scot. non concederet.

119 Vt hæc solutio, & doctrina Thomistica plenius impugnetur, declarandum est quid intelligant per hanc commensurationem substantialem in anima, quæ est fundamentum commensurationis formalis, & accidentalis; quæ est relatio, vel namque est entitas relatiua, vel absoluta, absoluta esse non potest, quia nequit intelligi sine ordine ad aliud, si verò est entitas relatiua, redeunt argumenta iam facta, quod substantia animæ cum sit entitas absoluta erit prior ea, & non poterit intrinsecè, & substantialiter constitui per ipsam. Respondet Caiet. esse entitatem absolutam, quia licet aliud respiciat, non tamen respicit, tanquam terminum, sed tanquam subiectum, & receptiuum, vnde hoc non impedit, quin anima sit entitas absoluta, quia licet respiciat corpus, non tamen illud respicit, vt terminum, sed vt subiectum, & receptiuum. Contra, hæc doctrina impugnata est disp. 8. log. qu. 1. dum reijciebam discrimen positum à Thomistis inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, parum enim refert, quod hoc respiciatur ab alio sub hac, vel illa ratione, id enim non excludit, quin propriè sit terminus talis respicientiæ, sed solum facit, quod sit terminus eius sub hac ratione, quamuis ergo anima per talem commensurationem referatur ad corpus, vt ad subiectum, vel receptiuum, id non impedit, quin etiam referatur ad ipsum, vt ad terminum talis dependentiæ, & inclinationis, nec munus recipiendi animam excludit à corpore munus terminandi talem receptibilitatem; ergo hæc commensuratio re vera erit relatio, ac entitas relatiua; tum quia alioquin pari ratione negare possemus creationem esse relationem dependentiæ creaturæ ad Deum, nam dici posset creatura ad Deum referri per creationem, tanquam ad primum afficiens, non tanquam ad terminum, quod vt patet est ludere verbis. Quare cæteris Thomistæ, vt Bannes art. 9. cit. & alij relinquendo Caietanicas ambages, vltrò fatentur talem commensurationem, & coaptationem substantialem esse relationem, non quidem prædicamentalem, sed transcendentalem, & ideò dici substantialem, quia non est accidens de genere relationis, sed intrinseca & essentialis substantiæ, nullum autem est inconueniens, inquit Bannes, quod talis respectus sit intrinsecus, & essentialis absoluto, immo per hoc distinguitur à relatione prædicamentali, quæ rebus accidit. Sed hæc quoque doctrina loc. cit. disp. 8. log. q. 1. & 2. fusè reijcitur, quamuis enim verum vtique sit relationem transcendentalem realiter, ac entitatiuè cum absoluto identificari, & per hoc à prædicamentali differre, falsum tamen est posse identificari formaliter, & essentialiter, quia tunc idem secundum suam essentiam, & ex principijs eius intrinsecis esset ad se & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, quæ est manifesta implicantia, vt ibi deductum est. Tum quia etiam relatio transcendentalis quamuis sit realiter identificata cum re absoluta, adhuc intelligitur posterior ea, vt potè quæ fundatur, & radicatur in ipsa, eo modo quo passio licet sit identificata cum suo subiecto, adhuc tamen censetur esse posterior eo, quia in ipso radicatur, & ab ipso dimanat; & ratio est, quia absolutum esto per relationem transcendentalem sibi identificatam referatur ad aliud, tamen semper prius intelligitur esse ad se, quam ad aliud; ergo per distinctionem allatam de commensuratione, vel coaptatione accidentali, & substantiali animæ ad corpus non soluuntur argumenta Doctoris, quia etiam concludunt de coaptatione substantiali, & realiter cum anima identificata.

Et ex hoc reijcitur etiam solutio Caietani ad vltimam Scoti impugnationem, quando enim assumit Doctor illam maiorem, quod conuenit vni, & alteri repugnat, non loquitur de eo, quod illis conuenit per modum differentiæ primò constituentis, sed de eo, quod conuenit per modum passionis consequentis; loquitur enim de aptitudinibus quæ res ipsas consequuntur, vt propriè passiones, vt constat ex ipso argumento, vnde instantia, quam affert Caietan. de differentijs specificis, scilicet rationali, & irrationali, & de indiuidualibus respectu huius, & illius indiuidui, non est ad rem, quia hæc non sunt aptitudines ab essentia priori dimanantes, sed sunt ipsa differentiæ, & principia constitutiua in esse specifico, vel indiuiduali. Quod si illam maiorem reputat Caietan. absolutè falsam, miror cur postea adeò libenter eam accepit, vt veram, eodem lib. de ente, & essentia cap. 2. quæst. 4. & per eam adeò alacriter impugnauit, quod hæcceitates vltimæ nequeant esse principia omnino prima indiuiduationis, quia hæcceitas Sortis ita conuenit Sorti, vt repugnat Platoni, quicquid autem conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit illorum distinctionem; nisi fortè velit eandem propositionem in ore suo esse veram, & in ore Scoti falsam.

Diluuntur obiectiones Thomistarum.

120 IN oppositum adducit Caiet. p. 1. quæst. 29. art. 1. primum, & præcipuum Thomistarum fundamentum quod est tale, accidens dependet à substantia in esse; ergo à substantia quoque indiuiduatur, à quo enim res habet esse, ab ea quoque habet indiuiduationem. Confirmatur, à quo res habet entitatem, habet & vnitatem, sed accidens habet suam entitatem à subiecto, quia est entis ens ex 7. Metaph. ergo, & vnitatem & qualis erit vnitas in subiecto, talis erit vnitas in accidente.

Respondet Doctor 4. d. 12. quæst. 1. lit. G. assumptum esse verum extrinsecè tantum, in genere, scilicet causæ efficientis, & materialis subiectiuæ, non verò intrinsecè in genere causæ formalis; hic autem, vt sæpè dictum est, non quæritur quodcunque principium indiuiduationis, & quomodocunque, nam physicè loquendo quot sunt causæ rei, totidem poni possunt principia physica indiuiduationis eius, sed quæritur principium metaphysicum, quod scilicet intrinsecè, & formaliter dat indiuiduo esse tale, scilicet incommunicabile pluribus; ex hoc verò, quod accidens ita dependeat à subiecto, minimè sequitur vt debeat indiuiduari per illud, vel per ordinem ad illud, quia stante vnitate in causa efficiente, ac etiam materiali extrinseca, potest esse pluralitas in effectibus, nam ab eodem efficiente prodire possunt plures effectus numero distincti, & in eodem subiecto inueniuntur plura accidentia saltim specie distincta; at si argumentum concluderet quòd probaret repugnare in eodem subiecto plura accidentia numero perinde, ac specie distincta, à quo enim res habet esse, ab eodem habet vnitatem tam indiuidualem, quam specificam, & sic argumentum probaret, accidens nedum indiuiduari, sed etiam specificari à subiecto, nec posse esse in eodem subiecto plura accidentia specie distincta; deinde quando etiam argumentum aliquo pacto concluderet de formis materialibus nequaquam tamen concludit de anima rationali, quia hæc non habet talem dependentiam à subiecto, cum non educatur de potentia materiæ. Ad Confir. respondetur eodem modo, & quod non minus probat accidentia habere suam vnitatem, & distinctionem specificam à subiectis, quam numericam; & planè si Thomistæ concedunt accidentia ex seipsis habere suam distinctionem, ac vnitatem specificam, vel per aliquam formalitatem ipsis identificatam non autem à subiecto, non video cur id postea negent de vnitate, & distinctione numerica; cum vtrobique eadem currat paritas.

Quod si dicant id concedere de vnitate, ac distinctione specifica, non verò numerica, quia de facto plura accidentia specie distincta reperiuntur in eodem subiecto, non autem plura numero distincta. Hæc non est sufficiens disparitas, quia falsum est in eodem subiecto non reperiri plura accidentia numero distincta, nam multæ sunt species intentionales solo numero differentes in eodem oculo, plures paternitates in eodem patre plures filios habente, vt habet Doctor 3. dist. 8. qu. vn. quod si quædam plura numero repugnant in eodem subiecto, hoc non est quia indiuiduentur à subiecto, sed quia vel educuntur è subiecto per motum, vt innuit Doctor 5. Met. qu. 7. §. *ad quæstionem ergo*, vel quia ad idem omnino munus sunt destinata, vel alia de causa inferius explicanda disp. 12. in proprio quæsito; tum quia esto huiusmodi accidentia nequeant esse simul in eodem subiecto, possunt tamen esse successiuè, quod sufficit ne dicantur per subiectum indiuiduari, vt supra probatum est.

121 Secundò vrget Io. de S. Th. cit. aliud præcipuum Thomistarum fundamentum; nulla forma receptibilis est de se indiuidua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum recipiens; ergo indiuiduatur per subiectum; probatur assumptum, quia omnis forma est communicabilis, nisi per subiectum determinetur, & limitetur, atque irreceptibilis reddatur in alio subiecto; ergo non est indiuidua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum.

Resp. hoc quoque fundamentum infirmum esse, vt constat ex dictis supra quæst. 6. art. 1. num. 70. vbi ostendi incommunicabilitatem propriam indiuidui non esse irreceptibilitatem in alio per modum formæ in subiecto, nam materia secundum suam essentiam considerata est sic irreceptibilis, nec tamen est indiuidua, & accidentia eucharistica sunt indiuidua, & tamen sunt receptibilia, sed incommunicabilitas indiuidui est illa, quæ excludit communicabilitatem vniuersalis, quod est commune pluribus inferioribus, & ideò dicitur incommunicabile, vt quod, etiamsi ex alia parte esset communicabile, vt quo, & sicut forma subiecto, vt contingit de indiuiduis accidentium. Tum, quia vt supra arguebam numer. 115. si accidentia indiuiduantur per ordinem ad subiectum, quatenus per ipsum limitantur, & redduntur irreceptibilia in alio subiecto, tunc deberent indiuiduari per ordinem, &

& receptionem actualem in subiecto, non autem aptitudinalem tantum, quia accidens accipit esse irreceptibile in alio subiecto, quando actu recipitur in illo, nam antecedenter ad actualem receptionem semper habet esse receptibile, non autem irreceptibile, vnde accidentia eucharistica extra subiectum dicuntur receptibilia, non irreceptibilia, cum igitur subiectum non præbeat accidenti incommunicabilitatem oppositam communicabilitati vniuersalis, sed sola eius individualis differentia, nequit accidens indiuiduari per ordinem ad ipsum.

122 Tertiò arguit Blasius à Concept. loc. citat. distinctio indiuidualis, & numerica est materialis, & non formalis; ergo debet in accidente peti, tanquam à prima radice ab eo, quod ipsum materializat, ergo cum subiectum accidentis materializet ipsum, reddatque illud incommunicabile per modum formæ, vel actus cuicumque alteri subiecto. debet ab eo peti radix indiuiduationis ipsius. Conf. quia omnis actus limitatur formaliter in ratione actus per potentiam, in qua recipitur; ergo cum potentia propria actui, vel formæ accidentali correspondens sit subiectum, in quo recipitur, illud vnde accidens limitabitur, & restringetur in ratione actus, & formæ erit subiectum, in quo recipitur, & consequenter erit id, vnde petetur radix indiuiduationis accidentis. Demum vel radix indiuiduationis debet in accidente desumi ab ipsa forma accidentali, vel à subiecto, in quo sustentatur, non primum, ergo secundum; probatur minor, quia de ratione indiuidui, & singularis est, quod nec sit in subiecto, nec de subiecto aliquo prædicetur, at ista ratio non potest peti ab ipsa forma accidentali, quia forma accidentalis, quantum ex se, petit esse in subiecto, & de eo prædicari; ergo debet talis ratio peti, tanquam à prima radice ab eius subiecto, per quod accidens redditur incommunicabile cuicunque alteri subiecto, tum in essendo, tum in prædicando.

Resp. sæpius dictum esse, quod distinctio indiuidualis, & numerica dicitur materialis, & non formalis, vt esse materiale distinguitur contra esse quidditatiuum, quod dicitur formale à forma totius, vt monet Doctor 2.d.3. quæst.6. H. & hoc esse materiale sumitur à materia totius, quæ est differentia indiuidualis, non autem à materia partis, vel subiecto; & quod ita materializat accidens non est subiectum, sed indiuidualis eius differentia, & concesso quod subiectum reddat accidens incommunicabile alteri per modum formæ, vel actus, negatur hinc sequi, quod sit radix indiuiduationis eius, quia hoc non est esse incommunicabile, quod est proprium indiuidui, vt sic, non enim de ratione indiuidui, vt sic, est quod sit incommunicabile, vt quo, & per modum formæ, vel actus, sed vt quod, per modum superioris suis inferioribus. Ad Conf. patet per idem, nam concesso antecedente cum prima consequentia, negatur altera consequentia ob eandem rationem, quia non est de ratione indiuidui, quod sit incommunicabile, vt quo, & per modum formæ, vel actus, sed vt quod, & per modum vniuersalis inferioribus suis. Ad vltimum negatur minor, nam etiam in accidente indiuiduatio sumi deberab vltima realitate eiusdem formæ accidentalis; cum autem probatur, quod debeat à subiecto desumi, & non à forma, quia de ratione indiuidui est, quod nec sit in subiecto, nec de subiecto dicatur, respondeo id esse verum de subiecto prædicationis, quia singulare non habet inferius, de quo prædicari possit per modum superioris prædicatione dicente, hoc est hoc, non autem est verum de subiecto inhæsionis, quia non est de eius ratione, quod sit incommunicabile, vt quo; vnde etiamsi per subiectum forma reddatur incommunicabilis, vt quo, quia tamen per illud non redditur incommunicabilis, vt quod, quæ est incommunicabilitas propria indiuidui, sed tantum per propriam differentiam indiuidualem, ideò hæc præcisè est radix indiuiduationis eius, vel ipsa formalis indiuiduatio, non verò subiectum, aut ordo ad illud.

123 Quartò arguit Pasqualig. pro accidentibus modalibus, & respectiuis, nam huiusmodi accidentia non habent aliquod esse proprium contradistinctum ab esse subiecti; ergo nec habent propriam indiuiduationem aliam ab indiuiduatione subiecti; consequentia patet, quia ideò nos ponimus accidens propriam habere indiuiduationem, quia propriam habent entitatem aliam ab entitate subiecti; probatur assumptum, quia si huiusmodi accidentia propriam haberent entitatem, iam dicerentur res, & non modi, neque ex sua ratione peterent non esse necessariò affixa rebus, quas modificant, hæc autem indigentia ex eo oritur, quod non habeant propriam entitatem. Deinde arguit Auersa pro accidentibus inseparabilibus, quia propria passio ita est cum hoc subiecto connexa, vt nequeat alteri inesse; & potentiæ animæ ita se habent, vt hic numero intellectus, hæc numero voluntas, non nisi huic animæ possint inesse, & huic animæ non alius intellectus, aliaue voluntas possit inesse.

Resp. ex dictis supra nu. 116. negando huiusmodi accidentia non habere propriam entitatem, immo & existentiam aliam ab entitate subiecti, dicunt enim aliquam entitatem ita distinctam ab entitate subiecti, quod modificant, vt quamuis ipsa sine tali subiecto consistere nequeant ob imperfectionem propriæ entitatis, tamen subiectum potest existere sine ipsis, quod est signum sufficiens ad asserendum entitatem modi esse aliam reipsa ab entitate subiecti modificati, nam si non esset, nisi præcisè entitas ipsa subiecti, tunc implicaret subiectum esse sine tali entitate, sicut implicat esse sine entitate sua propria; neq; inseparabilitas vnius ab alio sufficiens signum est ad arguendam identitatem realem inter aliqua duo, quasi sit eadem entitas physica amborum, vt dictum est disp.6. Met. q.8. art.2. nam talis inseparabilitas, & necessaria connexio vnius cum alio ex alijs capitibus prodire potest, & præsertim in proposito prouenit ex imperfectione modi, qui cum sit entitas relatiua, non potest existere sine adminiculo fundamenti; ideò autem modus, quamuis propriam habeat entitatem aliam ab entitate subiecti, non dicitur res, sed precisè modus, quia per rem intelligimus, quæ se sola consistere potest absq; necessaria connexione cum alio, in quo sensu accidens modale vtiq; res dici non potest, at si res accipiatur in ampliori significato pro eo, scilicet quod propriam habet entitatem, siue se solo consistere possit siue non; etiam modus potest dici res, vt monet Doctor loc. supracit. 2.d.1.q.5. §. *quod si adhuc*, Ad argumentum Auersæ concedo totum discursum, quia vt constat ex dictis n.117. talis inseparabilitas prouenit ex identitate reali passionis cum subiecto, & potentiarum cum anima, quæ hæc de causa non possunt in rigore dici accidentia, vt notat Doctor 2.d.16. q.vn. quia accidens non identificatur realiter cum substantia, sed dicuntur accidentia accipiendo accidens pro extraneo quatenus nec potentiæ sunt prædicata quidditatiua animæ, sed eius innatæ facultates, neq; passio respectu subiecti.

124 Vltimò arguit Caiet. probans animam intellectiuam quoque indiuiduari per ordinem ad corpus; sicut de essentia animæ humanæ in communi est, quod sit proportionata corpori physico organico, quod ponitur in eius definitione, ita hæc anima est perfectiua, & proportionata ita huic corpori, quod non illi, & sicuti commensuratio ad corpus humanum non sequitur animam iam humanam, sed facit ipsam animam esse humanam, & constituit illam in esse humano, ita substantialis commensuratio animæ ad hoc corpus non sequitur essentiam huius animæ, sed constituit illam animam hanc; probatur antecedens, quod scilicet anima humana constituatur in esse per illam compositionem ad corpus humanum, quia per hanc primò distinguitur ab anima bouina, quia illa est actus corporis bouini, hæc autem est actus corporis humani.

Resp. negando antecedens in sensu accepto à Caiet. quia vt notat Scot.4.d.12.q.1. lit.L. particula *actus*, vt ponitur in definitione animæ non accipitur neq; pro relatione actuali, neq; aptitudinali formaliter commensurationis animæ ad corpus, sed tantum fundamentaliter, & radicaliter, quatenus scilicet anima est principium exigitiuum talis proportionis, & commensurationis ad corpus, vnde anima est actus corporis formaliter solum in secundo modo dicendi per se, exigitiuè verò, & radicaliter in primo; & sic etiam respondetur ad probationem antecedentis, quod anima humana primò distinguitur à bouina per hoc, quod hæc est actus corporis bouini, & illa humani, accipiendo actum fundamentaliter non formaliter, sic enim distinguuntur per actum concomitanter tantum, & à posteriori, veluti per proprias passiones; atq; ideò negatur consequentia inde deducta, vel in eodem sensu conceditur, quod hæc & illa anima humana distinguuntur per commensurationem ad hoc, & illud corpus à posteriori tantum, & concomitanter, velut per proprias passiones, si talis commensuratio formaliter sumatur pro ordine, & respecta transcendentali ad corpus; primò vero, & per se distinguuntur proprijs hæcceitatibus. Demde adhuc dato, & non concesso antecedente, non benè consequentia deducitur, immo potius oppositum, nam si talis ordo commensurationis ad corpus est de essentia animæ, vt sic, & cõuenit animæ ex vi suæ essentiæ; ergo nequit poni formale principium indiuiduationis, quia indiuiduatio ex natura sua est extra rationem essentiæ in quacunque re creata; & hæc ratio vniuersaliter probat de omni forma, quod nequeat indiuiduari per ordinem ad subiectum, si talis ordo de eius essentia ponitur; tum quia adhuc quærendum manet de tali ordine per quid fiat hic, cum sit de essentia formæ, vt sic. Vide disputat.5. de Gen. q.5. art.2. n.139. vbi dico asserere animam petere informare tale corpus, scilicet gibbum vel rectum aliud non esse, vt ait Hurtad. quam constituere animas alias gibbas, alias simas, alias coclites, vbi etiam soluo communem obiectionem, quod pigmei à pigmeis, & nigri à nigris nascuntur.

QVÆSTIO IX.

Quodnam re vera sit principium indiuiduationis cuiuscunque rei in creatis.

125 DOctor 2.d.3. examinatis, & reiectis aliorum opinionibus per quinque quæstiones de principio indiuiduationis rerum in creatis, tandem q.6. exactissimè suam aperit sententiam, & dicit in corpore quæsiti, quod natura contrahibilis ad indiuiduum indiuiduatur per aliquid reale positiuum sui generis sibi additum aliquo modo, & illud reale positiuum, seu realitas positiua addita naturæ dicitur indiuidualis differentia contrahens naturam ad esse hãc, & dans formaliter indiuiduo esse indiuisibile in plura, de quibus prædicetur prædicatione dicente hoc est hoc; & est illud, quod est immediatum fundamentum, & proximum repugnantiæ talis diuisionis in partes subiectiuas; vnde sicut differentia specifica genus contrahit ad speciẽ specialissimam, & athomam, & indiuisibile in species, ita hęc differentia indiuidualis contrahit naturam ad indiuiduum, & dat formaliter singulari, vel indiuiduo, quod sit diuisibile in plura numero,

tan-

tanquam in partes subiectiuas, & est indiuiduationis principium, & aliquid reale extra intellectum, nec præsupponit naturam esse hanc, vel indiuiduum hoc, sed est ipsum formale principium constituendi hoc. Hæc verò indiuidualis differentia vocari solet communi nomine apud omne singularitas, vel indiuiduatio, quatenus constituit rem, in qua est, singularem, indiuiduam, & incommunicabilem; solet etiam præsertim in Schola Scotistarum *hæceitas* appellari, quia facit rem determinatam, & hanc; nec est cur quidam Metaphysici Grammatici hoc vocabulum adhorreant, vt barbarum, quia Philosophi non venustatem, autem leporem in dicendo attendunt, & quærunt, sed rei veritatem, ad quam explicandam vocabula adhibent etiamsi non vsitata, dummodo intimius rei conceptum exprimant. Est autem dubitatio quisnam fuerit vocabuli huius primus inuentor, communiter enim Scotum faciunt inuentorem, sed perperam, quia tale vocabulum apud Scotum non legitur quamuis Scotistæ eo passim vtantur; Sueſſanus 5. Metaph. disp. 5. c. 3. ait Varronem Scoti præceptorem hoc vocabulo primum vsum esse, cui fidem præstat Raguseius disp. 24. cit. c. 33. de quo satis dubito, quia scriptum sentent. Varronis adhuc Typis datum non est (quod viderim) sed manuscriptum habetur in quibusdam ex nostris bibliothecis, vnde difficile est Sueſſanum Auctorem hunc in fonte vidisse; Meurisse ait Bassolium Scoti discipulum hoc hæceitatis vocabulum primum adhibuisse 2. d. 12. quæst. 4. sed ego vocabulum huiusmodi apud Bassolium non reperio, aut patienter non legi, benè tamen apud Canonicum antiquitate cum illo contendentem, sed quicquid sit de hoc, certum esse hoc vocabulum modo frequens esse, nedum in Schola Scotistarum, verumetiam in alijs, vt potè apprimè expressiuum indiuidualis differentiæ, hęc est sententia Doctoris qu. 6. cit. & 7. Metaph. quæst. 13. mox fusius explicanda.

ARTICVLVS I.

Differentia indiuidualis hæceitas appellata est principium indiuiduationis omnium rerum.

126 HÆc est sententia Scoti loc. cit. quam omnes ferè Reales extra Scholam D. Th. passim amplectuntur cum hoc solum discrimine, quod Scotus differentiam indiuidualem distinguit à natura contracta vel contrahibili distinctione sua formali omne opus intellectus antecedente, at alij eam tantum distinguunt distinctione rationis ratiocinantis; vel ad summum ratiocinatæ, sequuntur Raguseius disp. 24. cit. Suarez disp. 5. Met. sect. 2. Auersa qu. 9. sect. 9. vbi notat hanc sententiam etiam à quibusdam Thomistis approbari, & præsertim à Caiet. 1. p. q. 85. art. 7. §. *Ad hæc argumenta*, vbi fatetur dari indifferentiam indiuidualem ita intrinsecam rei singularis, sicut est differentia specifica speciei; Raguseius etiam & Sueſſanus dicunt hanc sententiam de differentijs indiuiduantibus vltimatè res constituentibus, & distinguentibus non esse nouam, sed antiquitus fuisse Auicen. 5. Met. Plotini, & Procli veterum Philosophorum; hoc idem contendit Fonsec. 5. Met. cap. 6. qu. 5. & tandem Canon. loc. cit. inquit hanc Scoti opinionem à D. Damasceno in sua Logica originem traxisse, vbi expresè concedit quosdam gradus vltimos sub natura specifica, tanquam vltimo determinatiua, & contractiua illius; Dixi autem in conclusione hæceitatem huiusmodi esse principium proximum, & formale indiuiduationis in omnibus rebus in vniuersum in creaturis, quia hic est modus communis, & adæquatus pro assignando indiuiduationis principio in omnibus rebus, ita vt in varijs rerum generibus opus non sit assignare semper varia indiuiduationis principia, vt faciunt Thomistæ, sed in vnaquaque re, & natura creata assignare sufficiat pro formali indiuiduationis principio vltimam eius realitatem omninò incommunicabilem, & indiuisibilem, quæ dicitur hæceitas, siue natura sit substantialis, siue accidentalis, siue materialis, siue spiritualis, siue totalis, siue partialis; vnde neque nos admodum solliciti erimus inuestigando principium indiuiduationis substantiarum immaterialium, nam ex decisione huius quæsitis satis sufficienter apparebit.

127 Primò itaque antequam probetur declaranda est Doctoris sententia in hunc modum, certum est in vnaquaque re creata tam simplici, quam physicè composita, dari compositionem metaphysicam quæ coalescit ex gradibus prædicamentalibus genericis, specificis, & differentialibus, & vt hæc compositio sit aliquo modo realis, & non omnino per intellectum, alioquin etiam poni posset in Deo, iuxta pluralitatem graduum prædicamentalium multiplicandæ sunt in vnaquaque re variæ realitates metaphysicæ, quarum aliæ sint magis communes, aliæ minus communes, & aliæ tandem ita huius naturæ, quam constituunt, peculiares, vt alij nequaquam conuenire possint, priores realitates sunt quidditatiuæ & determinabiles, & secundum quod sunt magis, vel minus communes, dicuntur genericæ, vel specificæ, posteriores sunt realitates indiuiduales, & vltimo determinatiuæ illarum; quare vltima realitas in prædicamento, quæ vltimo contrahit omnes gradus prædicamentales in recta linea contentos genericos, & specificos, & cum illis omnibus indiuiduum constituit, hæc dicitur indiuidualis differentia primo, & per se incommunicabilis, atque ideò principium indiuiduationis; Et vt exemplo rem manifestemus, in Sorte v. g. omnes gradus prædicamentales habentur à supremo vsque ad infimum, nimirum gradus substantiæ, corporis, animalis, hominis, & Sorteitas ipsa, hoc vltimo excepto, qui est gradus indiuidualis, omnes priores gradus sunt quidditatiui, generici, vel specifici, secundum quod sunt magis, vel minus communes multis, & sola Sorteitas, qui est vltimus gradus in prædicamento, est per se primò singularis, & incommunicabilis, & cum prioribus omnibus gradibus Sortem constituit in ratione huius indiuidui signati, atque ideò merito dicitur principium indiuiduationis eius; Itaque iuxta hanc doctrinam, inquit Doctor, vltima realitas cuiuscunque rei est principium indiuiduationis eius siue fuerit simplex, siue composita, siue completa, siue incompleta, siue totalis, siue partialis, siue substantialis, siue accidentalis, & sic principium indiuiduationis materiæ est vltima realitas eius, principium indiuiduationis formæ vltima realitas formę, principium indiuiduationis compositi vltima eius realitas, principium indiuiduationis Michaelis vltima eius realitas, & tandem principium indiuiduationis accidentis vltima realitas eius.

128 Secundò, pro maiori notitia huius indiuidualis differentię, quę ponitur indiuiduationis principium in omnibus rebus, eam declarat elegantissimè Doctor cit. lit. F. per comparationem ad differentiam specificam; sicut enim differentia specifica ad tria comparari potest, scilicet ad id, quod est infra se, ad id quod est supra se, & ad id quod est iuxta se, sic etiam indiuidualis differentia; si differentia specifica comparetur ad id, quod est infrà se, sic ipsi per se primò repugnat diuidi in plura, quę essentialiter, & specie distinguantur, & consequenter per ipsam repugnabit speciei in plura specie distincta posse diuidi; & similiter si differentia indiuidualis ad ea, quę infra se sunt, comparetur, sic illi per se primò repugnat diuidi in plura, quę numero differant, & consequenter per ipsam indiuiduo repugnabit in plura numero distincta diuidi; Cęterum quia vnitas naturę specificę minor est hac vnitate numerica, ac indiuiduali, hinc differentia specifica, & numeralis in hoc differunt, quod illi non repugnat simpliciter omnis diuisio, quia non diuisio numerica, huic verò omnis diuisio repugnat, cum vnitas numerica maxima sit vnitatum. Si verò differentia specifica comparetur ad id, quod est supra se scilicet ad genus, tunc comparatur, sicut actus ad potentiam determinans ipsam, quia realitas, à qua sumitur genus potentialis est ad illam, à qua sumitur differentia specifica, differentia namque in compositione speciei se habet, vt actus, & genus sicut potentia, & realitas differentię specificę formaliter non includitur in realitate generis, aut è contra, quia tunc in definitione alterum superflueret, cum per vnum indicaretur sufficienter tota rei quidditas, vel saltim committeretur nugatio, quia idem bis diceretur tum in genere, & rursus in differentia, sic à pari si differentia indiuidualis comparetur ad id, quod est supra se nimirum ad naturam specificam, quam contrahit ad esse indiuidui, tunc se habet ad eam, vt actus determinans ad entitatem potentialem, & determinabilem, sicut enim differentia specifica contrahit, & determinat realitatem generis ad speciem, ita differentia indiuidualis naturam contrahit specificam ad indiuiduum; adhuc tamen inter vtramque differentiam etiam ex hoc capite est discrimen, quod differentia specifica constituit in esse specifico, & quidditatiuo, indiuidualis verò in esse numerico, & materiali, & ratio est, quia realitas, à qua sumitur differentia specifica, est realitas communis, & compositum constituit in esse quidditatiuo, at realitas à qua sumitur differentia indiuidualis, vel quæ per differentiam indiuidualem intelligitur, est omnino diuersa ab entitate quidditatiua, quia est de se singularis. Tandem si differentia specifica comparetur ad id, quod est iuxta se puta ad differentiam specificam oppositam, sic ipsa primò diuersa est ab illa; & similiter si differentia indiuidualis vna ad aliam comparetur, primò diuersa est ab illa, nec realitatem communem habent, aut conceptum quidditatiuum in tali realitate fundatum, in quo conueniant; ceterum quia differentiæ specificæ possunt esse vltimæ, & non vltimæ vltimatæ simplicitatis, hinc ex differentiæ specificæ solum sunt primò diuersæ, quæ vltimæ sunt, differentiæ verò indiuiduales, quia omnes vltimæ sunt vltimatæ simplicitatis, hinc omnes absolutè primò diuersæ sunt.

129 Tertiò, vlterius naturam adhuc huius indiuidualis differentiæ declarat Bassolius 2. d. 12. q. 4. art. 3. ex analogia rursus ad differentiam specificam ad imitationem Doctoris, quod sicut differentia specifica suo modo est quædam realitas, vel formalitas realis distincta ab ipso genere, non quidem realiter, sed formaliter, & ipso generi superaddita, vt cum ipso speciem constituat, ita differentia indiuidualis est quędam realitas naturæ specificæ superaddita, & ab ea formaliter distincta, quę ponitur ipsi aduenire, vt eam contrahat, & determinet, & cum ea indiuiduum constituat in esse indiuiduali, vt principium formale indiuiduationis eius; nec oportet, quod sit aliqua res distincta ab ipsa natura in tali indiuiduo, sicut etiam nec differentia specifica est quid realiter distinctum à genere, alioquin omne illud, quod est per se in genere, esset per se compositum ex diuersis rebus, & parirer omne per se indiuiduum, quorum vtrumque est falsum, vt patet in angelis, & accidentibus noueni generum; Adhuc tamen est duplex præsertim dissimilitudo inter differentiam specificam, & indiuidualem, prima est, quia illa pertinet ad esse quidditatiuum speciei, & constituit eam in esse quidditatiuo, scilicet in esse, quod exprimitur per definitionem, sed differentia indiualis nec pertinet ad quidditatem indiuidui, nec illud in esse quidditatiuo constituit, licet ad entitatem eius intrinsecè pertineat, entitas enim, & quidditas, vt accipitur in proposito, non sunt idem, sicut innuit Philosophus 7. Met. vbi dicit, quod simul totum, & quodquidest in habentibus non sunt idem, quia in quibuscunque singulare differt à natura, differt quidditas, vel quidquid est ab eo cuius est,

est, ita quod natura specifica, licet dicat totam quidditatem indiuidui, non tamen dicit totam entitatem. Alia dissimilitudo est, quia differentia contrahit genus, tanquam aliqua realitas perfectior, & completior, vel nobilior, quam sit genus secundum se, sed differentia indiuidualis non contrahit naturam specificam, tanquam differentia formalis nobilior, ac perfectior ipsa natura contracta, sed potius, sicut differentia materialis, non quia sit materia, quæ est altera pars compositi, sed quia dat indiuiduo esse vltimum subijcibile omnibus gradibus eiusdem generis de ipso prædicabilibus, in quo assimilatur materiæ, quæ omnibus subijcitur, vel quia contrahit naturam ad esse indiuiduale, quod non pertinet ad conceptum quidditatiuum, nec ad quidditatem alicuius, quam quidem quidditatem Arist. frequenter vocat formam, indiuiduum verò, vel differentiam indiuidualem vocat materiam, vt supra visum est. Quod autem differentia indiuidualis ad quidditatem non pertineat patet, quia omnis quidditas creata est communicabilis, & plurificabilis secundum se numeraliter; illud verò ad quod intrinsecè pertinet indiuidualis differentia, est intrinsecè incommunicabile, & implurificabile, sicut ipsa indiuidualis differentia, & per consequens oportet, quod indiuidualis differentia sit alterius rationis ab ipsa quidditate, quam contrahit, & omnino extra ipsam; tum quia differentia indiuidualis se habet ad naturam specificam, sicut actus ad potentiam, actus autem semper est alterius rationis à potentia subiectiua, vel contrahibili per ipsam; hanc totam doctrinam, transcribit ad verbum etiam Rada tom. 2. controuers. 3. articul. 4. notab. 2. pro explanatione sententiæ Scoti ex Bassol. loc. citat. quem tamen, vt sui moris est, non memorat, quod mihi non placet, nam citrà notam furti, vel saltim ingratitudinis tacere non licet Auctores, quorum doctrinam sumimus præsertim ad verbum.

130 Quartò, ex his facilè reijcitur doctrinam quorundam Thomistarum, qui admittentes cum Scoto differentias indiuiduales, vt gradus infimos vltimò contrahentes naturam, negant tamen illos se habere per modum actus respectu naturæ, immo inquiunt rem è contra se habere, quod cum natura specifica per gradum indiuidualem contrahitur, non contrahitur per eum, tanquam potentia per actum sicut accidit in ratione generica, quando per differentiam specificam contrahitur, sed potius contrahitur, sicut actus per suam potentiam, & propterea quando natura specifica ad gradum indiuidualem descendit, tantum abest, quod perficiatur, quod potius imperficitur, & limitatur ab eo; huius rei rationem reddit Blasius à Concept. disputat. 3. Metaph. quæst. 1. num. 3. quia si natura specifica ad gradum indiuidualem descenderet per modum potentiæ ab eo perfectibilis, tunc non diceret essentiam omnino completam, & perfectam, hac enim præcisè de causa genus dicit essentiam incompletam, quia descendit ad gradum specificum per modum potentiæ perfectibilis ab eis. Tum quia species athoma dicitur talis, quia per differentiam specificam est in vltimo gradu constituta; ergo quando postea descendit ad gradum indiuidualem, non descendit per modum potentiæ ab eo perfectibilis, alioquin non esset athoma præcisa à gradu indiuiduali. Hæc, inquam, Thomistica doctrina mihi videtur falsa, vt constat ex proximè dictis, quia re vera differentia indiuidualis comparatur ad naturam specificam, vt actus ad potentiam, quod euidenti ostenditur ratione, nam se habent adinuicem, vt contrahens, & contrahibile, determinans, & determinabile, at quando aliqua duo ita ad seinuicem comparantur, planè se habent, vt actus, & potentia, quia contrahibile, & determinabile habet rationem potentiæ, contrahens, & determinans habet rationem actus, ergo &c. Ex hoc tamen, quod se habeant, vt actus, & potentia, non sequitur, quod differentia indiuidualis sit simpliciter nobilior, & perfectior ipsa, vt benè notauit Bassol. loc. citat. sed tantum secundum quid, non enim actus semper est nobilior, & perfectior potentia, quam actuat, vt patet de accidente, quod quidem actuat, & aliquo modo perficit substantiam, & tamen non est simpliciter ea perfectior, quia illi affert perfectionem tantum secundum quid, nec illam perficit, & actuat substantialiter, sed tantum accidentaliter, vnde actus est perfectior potentia sibi correspondente cæteris paribus, & præsertim quando eam perficit in eodem ordine, quo pacto differentia indiuidualis non perficit naturam specificam, sicut differentia specifica perficit genericam, nam differentia specifica pertinet ad rei quidditatem, sicut realitas generica, atque ideò in eodem ordine essentiali, & quidditatiuo ipsam perficit, & propterea est perfectior ipsa, at differentia indiuidualis est extra ordinem quidditatum, & est differentia materialis, non formalis, vnde quia non perficit naturam in eodem ordine, seu intra eundem ordinem quidditatum, ideò non sequitur, quod sit simpliciter perfectior, sed tantum secundum quid; & sic etiam huic difficultati occurrit Trombet. 5. Metaphysic. art. 4.

Ex quo patet ad rationem Blasij à Concept. in contrarium, negatur enim consequentia cum eius probatione, non enim ideò genus dicit essentiam incompletam, quia descendit ad gradum specificum per modum potentiæ ab eo perfectibilis quomodocunque, sed quia est perfectibile ab ea intra eundem ordinem, & modo quidditatiuo, vnde ratio generica præcisa à specifica dicitur incompleta, & imperfecta essentialiter, quia adhuc est perfectibilis essentialiter, & in ratione quidditatis à differentia specifica; sic etiam species athoma dicitur talis, quia est in vltimo gradu quidditatiuo constituta, nec est vlterius in eodem ordine perfectibilis, ideò est quidditatiuè per differentiam indiuidualem, sed tantum hypostaticè, ac veluti accidentaliter. Deinde prima substantia perfectior est, quam secunda, vnde dicitur maximè substantia, sed non superaddit substantiæ secundæ, nisi indiuidualem differentiam; ergo re vera negari nequit, quia hæc aliquam perfectionem in genere suo addat naturæ specificæ; dixi in genere suo, quia re vera talis perfectio nequit esse quidditatiua, & essentialis, sed potius hypostatica, quæ non tam est perfectio, quam perfectionis quidditatiuæ vltima determinatio. Præterea Thomistæ quamplures tenent vnam animam alia substantialiter esse perfectiorem quoad gradus indiuiduales, quod asseri nequit, nisi dicatur differentia indiuidualis addere aliquam perfectionem supra specificam, ratione cuius vnum indiuiduum dicatur aliud excedere in perfectione indiuiduali, de quo dicemus infra; ergo differentia indiuidualis re vera est actus in ordine ad naturam specificam, & aliquo pacto eam perficit per modum potentiæ.

131 Quintò ex his vlterius probatur directè conclusio cum Doctore quæst. 6. cit. in corpore §. *ad quæstionem* nempe differentiam indiuidualem prædeclaratam esse indiuiduationis principium formale, & proximum quod hic vestigamus, nam si natura singularis aliquod positiuum addit naturæ, & ex natura rei ab ipsa distinctum, quod ob id differentia indiuidualis vocatur, quia naturam contrahit ad esse hoc, certè indiuiduationis principium aliud non erit, nisi hoc additum quod differentia indiuidualis vocatur, nam hoc ita ad indiuiduum se habet, sicut differentia specifica ad suam speciem, sed differentia specifica, quia genus determinat ad certam speciem dicitur principium specificationis, ergo & differentia indiuidualis vere dicitur, & est principium indiuiduationis. Tum quia illud poni debet principium indiuiduationis, quod vnitas numerica consequitur, tanquam propriam entitatem, nam quælibet vnitas realis propriam sequitur entitatem, vt eius passio; sed hoc non est aliud, nisi differentia indiuidualis prædeclarata, neque enim sequi potest entitatem naturæ specificæ, quia hæc habet vnitatem propriam minorem vnitate numerali, ergo &c. Tum etiam, quia illud est principium indiuiduationis naturæ, quod eam vltimatè determinat, & ponit in gradu vltimato indeterminabili, & incommunicabili, sed hoc facit solum differentia indiuidualis. Tum præterea illud est indiuiduationis principium, per quod indiuidua intrinsecè distinguuntur, cum idem sit principium constitutiuum, & distinctiuum, sed indiuidua non nisi differentijs indiuidualibus intrinsecè distinguuntur, quia non per entitatem naturæ, cum in ipsa conueniant. Tum tandem, quia principium indiuiduationis illud est, quo indiuiduum excedit naturam, sed hoc non est, nisi iam declarata indiuidualis differentia, vt de se patet, hanc enim indiuiduum superaddit naturæ, ergo &c.

Bannes 1. de gen. & cor. q. 20. art. 2. respondet re vera huiusmodi indiuiduales differentias, quibus specifica natura contrahatur, vt generica per specificas, negari non posse, & admitti à Caiet. Iauello, & alijs politioribus Thomistis, imò hoc esse verum, proprium, & formale indiuiduationis principium, vt ibi statuit, & probat conclusione tertia, neque in hoc esse controuersiam inter Scotum, scilicet & D. Thomam, sed solum discrimen esse in assignanda radice, & fundamento, vnde sumitur talis differentia indiuidualis, quæ dicitur hæcceitas, nam Scotus imaginatur, quod differentia indiuidualis sumatur ex parte formæ, D. autem Thomas ex parte materiæ signatæ, vnde sicut nesciremus contrahere animal ad hominem, & brutum, nisi essent formæ partium, scilicet anima intellectiua, & sensitiua leonis, è quibus sumuntur differentiæ specificæ, sic nesciremus contrahere naturam hominis ad hunc, & illum hominem, nisi essent materiæ signatæ, à quibus sumuntur diuersæ indiuiduales differentiæ, quibus vnumquodque indiuiduum constituitur in prædicamento sub specie sua, & à quolibet alio distinguitur; quare concludit, quod sicut anima intellectiua non est ipsa differentia specifica, scilicet rationale, sed id vnde sumitur, ita materia signata non est ipsa indiuidualis differentia, sed radix illius, & fundamentum, vnde sumitur, vnde aduertit; quod quando in sequentibus articulis quærit, an quantitas sit principium indiuiduationis, aut forma, aut materia &c. non quæritur, vtrum ipsa quantitas, vel forma, aut materia sint principium indiuiduationis formale, nam hoc certum est esse solam indiuidualem differentiam, sed vtrum sit id, vnde talis differentia originatur; sic etiam loquitur Ripa lib. de ente, & essentia c. 2. q. 4. art. 2. ab initio, ex quo deducit Scotum non benè satisfeciſſe huic quæsito de indiuiduationis principio, nam ipsemet 2. d. 3. quæst. 2. non multum à principio dicebat se non inuestigare, quo formaliter repugnet naturæ, vt sit communicabilis, quoniam hoc modo per repugnantiam sibi repugnat, sed quo tamquam fundamento proximo, & intrinseco hæc repugnantia ei insit, quod sanè non assignat, dum ait quæst. 6. naturam esse hanc, & singularem entitate illa positiua, hæc enim est sua singularitas, quare videtur dicere naturam esse singularem sua singularitate, de quo nullus dubitat, vnde incipiendum adhuc manet, à quo velut à fundamento proximo, & intrinseco obtineat hanc singularitatem, & hanc ipsi dicunt esse materiam signatam.

132 Ex hac responsione patet, quomodo tandem Thomistæ nec etiam inuit in nostram descendant sententiam de indiuiduationis principio propriè, & simpliciter dicto, quod sit vniuscuiusque indiuidualis differentia, & hæcceitas, quod certè quando vidi, non potui non vehementer exhilarari, cum viderim inter nos remanere fere quæstionem de solo nomine; eo præsertim quia quod dicunt radicem talis differentiæ indiuidualis esse materiam signatam, iam supra

abunde

abundè impugnatum est, quandoquidem materia præcipuè in ipsorum sententia est prorsus incapax quantitatis, ergo nullo modo per eam signari potest, consequentia patet, quia sigillum signationem relinquere nequit in subiecto, cui immediatè imprimi nequit. Neque verum est, quod ait Bannes Scotum imaginari, quod differentia indiuidualis sumatur ex parte formæ, si per hanc formam partis intelligat, vt re vera intelligere videtur, nam tales differentias indiuiduales etiam in accidentibus agnoscit, & substantijs separatis, quæ carent materia, & forma; sed dum ait Doctor differentiam huiusmodi sumi ex parte formæ, per formam intelligit formam totius, seu naturam totam indiuiduatam, quam dicit indiuiduari per quandam eius vltimam realitatem ab ipsa formaliter distinctam, vnde sicut in specie duas distinguimus realitates vnam potentialem, & aliam actualem, & à tota natura specifica dicimus sumi rationem generis, & differentiæ, secundum tamen diuersas sui realitates, nempe rationem generis à realitate potentiali, & rationem differentiæ à realitate actuali, vt dictum est disput. 5. log. quæst. 3. art. 2. propè finem; sic pariter in proposito à tota natura indiuiduata dicimus sumi rationem speciei, & differentiæ indiuidualis distinguendo in ipsa duas realitates vnam potentialem, & aliam actualem, à quarum prima sumitur ratio speciei, & ab alia ratio indiuidualis differentiæ. Falsum quoque est, quod aiebat Ripa Doctorem per hanc suam positionem non satisfacere quæstioni, immo ipse subtilius, & accuratius præ ceteris in indiuiduis radicem proximam, & immediatum fundamentum assignauit repugnantiæ communicabilitatis, & diuisibilitatis in vlteriores partes subiectiuas, dum dixit esse vltima realitatem indiuiduo repertam, quæ dicitur hæcceitas, ratione namque talis realitatis precisè repugnat indiuiduo plures partes subiectiuas habere, quandoquidem omnes aliæ realitates sunt communicabiles, & vlterius determinabiles; neque resoluendo hanc quæstionem dixit solummodo Scotus naturam esse singularem sua propria singularitate, sed declarauit quæ & qualis sit ista entitas, quæ dicitur singularitas, & ideò optimè satisfecit quæsito.

ARTICVLVS II.

Thomistarum argumentis occurritur.

133 QVamplura obijciunt Thomistę contra Scoticam hæcceitatem, sed cum & ipsi eam admittant, si tamen à materia signata sumi dicatur, multa argumenta, quæ vrgent contra nos, non minus ipsis aduersantur, quandoquidem hæcceitatem absolutè sumptam impugnat, siue sumatur ab vltima realitate indiuidnatæ naturæ vt docet Scotus, siue materiæ signatæ, vt contendunt Thomistæ; referemus ergo prius veterum Thomistarum argumenta, & soluemus, ac Recentiorem deinceps.

Primò arguit Heruæus quol. 3. q. 9. apud Flandriam 7. Met. q. 22. art. 7. ista hæcceitas aut est aliquid diuersum à materia, & forma signatis, aut non; si non, iam Scotus est cum Thomistis; si sic, aut erit substantia, aut materia, aut forma, aut compositum, non materia, & forma, vt supra probatum est; si compositum, ergo id erit seipso indiuiduum, quod Scotus non concedit, si accidens aut est accidens respectiuum, aut absolutum, non primum quia accidens respectiuum est posterius omni absoluto, si verò absolutum, hoc potissimum erit quantitas, quod etiam supra est impugnatum, aut ergo hæc opinio nulla est, aut coincidit cum alijs iam refutatis.

Resp. argumentum hoc magnificum esse solum in apparatu verborum, re autem ipsa inane, cui etiam respondere tenentur Thomistæ admittentes nobiscum hæcceitatẽ, & differentias indiuiduales, & facillimè solui ex doctrina Trom. 5. Met. qu. 5. art. 4. nam differentia indiuidualis formaliter nec est substantia, nec accidens, sicut enim non includit ens formaliter, quia habet conceptum simpliciter simplicem, vt docet Scot. 1. d. 3. qu. 3. §. *contra istam*, ita neq. includit formaliter partes subiectiuas entis, sicut sunt substantia, & accidens, quamuis autem non sit quidditatiuè hoc, vel illud, tamen realiter, ac identicè est vnum, vel alterum, vnde illa hęcceitas, quę substantiam determinat ad esse indiuiduale est realiter, & identicè substantia, & illa quę determinat accidens est realiter, ac identicè accidens, adeòquod differentia, indiuidualis est talis identicè, qualis est natura, quam contrahit, & determinat; & sic etiam in accidentibus relatiuis est identicè relatiua, & in absolutis absoluta; & sic etiam in prædicamento substantiæ, si substantia accipiatur, non quidem vt natura, & quidditas, nam sic ab omni abstrahit hęcceitate, sed vt ens in vltima actualitate, tunc differentia indiuidualis est identicè substantiæ, quę est forma & substantia, quę est materia, & substantia, quę est compositum, ita quod cum quodlibet istorum, vt natura, si determinabile per aliquas vltimas realitates actuales, quę sunt eedem naturę determinabili realiter, sequitur, quod indiuidualis differentia, quę est talis realitas vltima, est identicè forma, identicè materia, & etiam compositum, quod concedimus esse seipso realiter indiuiduum, non tamen seipso formaliter, & per suam essentiam, sed per aliquam realitatem sibi superadditam, quę est per se primò incommunicabilis; sic etiam occurrit huic argumento Bass. cit. 2. d. 12. q. 4. art. 3. ad 5.

134 Secundò arguit Sonc. 7. Met. qu. 32. si res quelibet indiuiduatur per propriam hęcceitatem, sequitur in composito physico tres esse hęcceitates, scilicet materiæ, formę, atque ipsius compositi, atque adeò tria indiuidua, hoc autem est absurdum, ergo &c. probat minorem, quia primò ex hoc sequitur dari in composito plures existentias, quia vnumquodque indiuiduum proprium possidet existentiam secundò sequitur formam non vniri immediatè materiæ, sed mediante illa realitate, qua forma sit hæc, vt potè, quæ est intimior formæ, quam ipsa vnio; tertiò sequitur quod materia separata ab omni forma non tantum esset in actu entitatiuo, sed etiam formali, quia materia sic separata haberet propriam hæcceitatem, quæ illam determinaret, determinare autem est proprium actus formalis, quia omne sic determinans habet modum cuiusdam qualificantis.

Resp. si totum distinguatur realiter à partibus, vt tenet schola nostra, gratis conceditur in composito tres reperiri hæcceitates, sicut tres sunt entitates, duas partiales, & incompletas nempe materiæ, & formæ, & alteram totalem, & completam, quæ est compositi; quod si totum à partibus non distinguatur simul sumptis, tunc non egebit totum hæcceitate distincta ab hæcceitatibus partium, sed erit hoc per hæcceitates partium simul sumptas; & sic pariter concedi debebit esse tria indiuidua in composito, duo incompleta, scilicet hanc materiam, & hanc formam, & aliud completum, & perfectum ex illis duobus incompletis constitum, quod est ipsum compositum, & negatur ex hoc vllum sequi absurdum; primum enim quod inde deducitur, scilicet pluralitas existentiarum, nedum est absurdum, immo potius necessarium, cum enim tam materia quàm forma proprias habeant essentias & existentias partiales & incompletas in composito, vt dictum est in physicis, nullum absurdum est præter essentiam, & existentiam completam compositi, admittere pro partibus alias duas partiales, quarum vna sit potentialis ad aliam, ac proindè possint vnum tertium per se existens constituere, nec pariter vllum est absurdum formam vniri materiæ mediante sua hæcceitate, cum materiæ vniri nequeat, nisi forma singularis, & existens, neq. ob id dicetur vniri mediatè, quia nil mediat realiter ab ipsa forma distinctum, quandoquidem talis hæcceitas sit ipsi formæ realiter identificata; nec tandem tertium sequitur absurdum, quia hæcceitas non est actus physicus, sed metaphysicus, & determinatio, quæ est propria formæ, seu actus formalis physici, non est determinatio quoad esse indiuiduale, sed quoad esse specificum, forma enim est, quæ physicè constituit compositum in certa, ac determinata specie. Neque omnis actus substantialis est forma substantialis, quæ est altera pars compositi, vt bene aduertit Bassol. loc. cit. art. 3. ad 1. simili argumento respondens, sed est dare actum substantialem, vel actum, qui est substantia, qui tamen non est talis forma, sicut patet de differentia specifica, quæ est actus respectu generis; & sicut differentia specifica non est per se, & directè in genere, sed per reductionem, quatenus includitur in eo, quod est per se, & directè in genere, sic etiam dicendum de differentia indiuiduali.

At contra hanc solutionem instat Mercenarius disputat. de principio indiuiduationis frustra tot hęcceitates multiplicari in composito, cum vna totius compositi satis sit ad indiuiduandum omnia, quæ ad ipsum indiuiduum intimè pertinent. Negatur assumptum, quælibet enim entitas physica, sicut propriam habet quidditatem pluribus communicabilem, ita etiam propriam debet habere indiuiduationem qua illa quidditas communis ad esse indiuiduale contrahatur, & ideò cum in composito physico plures physicæ entitates reperiantur, sic etiam & plures hæcceitates; verum tamen est, quod sicut plures entitates partiales in vnicam totalem coalescunt, sic etiam & ipsæ hęcceitates incompletæ, & partiales in vnum totale indiuiduum coalescunt; atque ita sicut in composito physico vna tantum totalis entitas reperitur, ita etiam vna totalis hęcceitas, verum sicut illa consurgit ex duabus entitatibus partialibus simul iunctis, sic etiam hæcceitas totius ex partium hęcceitatibus consurgit.

135 Tertiò arguitur, & est veluti replica contra modò allatam solutionem, quia si ad multiplicationem entitatum physicarum plurificantur hęcceitates in composito physico, ita quoque ad multiplicationem formalitatum metaphysicarum erunt multiplicandæ, & sic cum in Petro sint plures naturæ communes indiuiduabiles nempe gradus hominis, animalis, viuentis, corporis, substantię, consequenter tot hęcceitates assignare oportebit, quibus ille naturę communes indiuiduentur; ex quo tandem sequitur in eodem indiuiduo esse plura indiuidua nẽpe hoc animal, hoc corpus, hãc substantiã &c.

Resp. non de esse Auctores, qui paritatem concedant, & dicant singulis gradibus communibus in prędicamento existentibus proprias correspondere hæcceitates; quorum prędipua ratio est, quia dantur indiuidua generica à specificis distincta, de quibus etiam genus ipsum immediatè prædicatur, nimirum hoc corpus, hęc substantia; hoc ens, quę proinde dici solent indiuidua incompleta, quam sententiam ego quoque tradidi disputat. 5. log. quęst. 1. art. 3. vt de mente Doctoris 1. d. 3. quæst. 6. vers. *item vltimo*, & d. 8. q. 3. propè finem, & clarius 4. d. 8. q. 2. lit. O. hac igitur rationem partem hanc tuentur Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosoph. quęst. 10. dub. 2. concluſ. 1. Hurtad. disputat. 4. Metaph. sect. 5. Poncius disputat. 6. log. d. 9. num. 73. & alij nonnulli. Verumtamen oppositum probabilius puto nimirum per vnicam hęcceitatem indiuiduari omnes gradus communes, qui sunt in prędicamento, illo eodem ordine seruato, quo inter se ordinatur à parte rei in prędicamento vt nimirum per Petreitatem in Petro prius indiuiduetur homo primitate, inquam immediationis, postea animal, deinde viuens, &c. quamuis enim absolutè loquendo illis gradibus, vt

sunt

sunt naturę, & quidditates, Petrus prius dicitur substantia, deinde corpus, postea viuens &c. non tamen prius dicitur hęc substantia, hoc corpus, sed prius hic homo, & ratio est, quia natura generica non coniungitur indiuiduationi nisi mediante natura specifica; & quia in hoc stat punctus difficultatis, ostenditur hac euidenti ratione, quę desumitur ex dictis art. preced. nam differentia indiuidualis comparatur cum natura, quam contrahit, & determinat, sicut actus cum potentia in ordine ad compositionem metaphysicam, hęc autem debent esse inter se proportionata, adeout potentia sit proportionatum perfectibile actus; at solus gradus specificus proportionatur cum hęcceitate, vt perfectibilis immediatè per ipsam, & per ipsam determinabilis, genericus verò minimè, sed solum mediante specifico, ergo &c. maior patet, probatur minor, quia differentia indiuidualis, cũ non nisi materialiter perficiat, ac ad esse indiuiduale contrahat, supponit naturam, quam contrahit, & determinat esse essentialiter completam seu habere vltimũ complemẽtũ essentiale, sed gradus solum specificus est ita essentialiter completus, non autem genericus, ergo solus gradus specificus est immediatè actuabilis, & contrahibilis per differentiam indiuidualem, genericus verò non nisi mediatè ordine suprædicto. Conf. quia differentia indiuidualis ideò dicitur vltimus gradus in prædicamento, quia omnino complet naturam prædicamentalem cui aduenit; ergo supponit in ea natura omnes differentias superiores essentiales, etiam specificam, merito cuius illa natura dicatur essentialiter completa, ergo solam naturam specificam actuat immediatè, alias verò superiores mediatè. Demum probatur à pari de specifica differentia nam sola rationalitas v.g, quę immediatè afficit animal, sufficit vt mediatè ita specificet omnes gradus superiores nempe gradum viuentis, corporis, substantię, neq. distinguuntur varij gradus rationalitatis vnus pro contrahenda animalitate, alter pro corporeitate &c. sed vnus sufficit pro omnibus; si ergo pro omnibus gradibus prædicamentalibus vnum sufficit specificationis principium, sic etiã & vnum principium indiuiduationis sufficere poterit, & hęc est ratio Doctoris ad hoc assertum probandum 7. Met. q. 13. nu. 21. ad 4.

136 Neque ratio in oppositum allata, quod dentur indiuidua generica, & incompleta, huic asserto obstat, immo potius confirmat, quia disp. cit. log. q. 1. art. 3. explicando, quo pacto admitti possint eiusmodi indiuidua generica, & incompleta, dixi id minimè intelligendum esse a parte rei, quia sic nullum datur, aut dari potest indiuiduum immediatè sub genere contentum, quia omne tale continetur immediatè sub aliqua specie infima, vt enim inquit Doctor 2. d. 12. q. 2. lit. B. quod determinat sibi genus, determinat sibi speciem in genere illo & omne quod determinat sibi speciem, de necessitate sibi determinat esse in aliquo vno indiuiduo illius speciei; non ergo dari possunt à parte rei talia indiuidua generica, sed tantum apud intellectum res interdum inadęquatè, & confusè concipientem, cum v.g. considerat aliquid existens in rerum natura illudq. immediatè concipit sub gradu naturę superioris non considerato gradu specifico, quem re vera à parte rei participat, vt constat in exemplo de veniente à longe, quem ex motu apprehendo esse aliquod animal, immo & hoc signatum animal, sed non discerno, num sit equus, vel asinus; hic autem dum de principio indiuiduationis loquimur, loquimur de naturis rerum prout existunt, ac indiuiduantur à parte rei, non autem apud intellectum inadęquatè concipientem. Nec tandem valet paritas, quę in argumento principali assumebatur de entitatibus physicis, vtique enim ad harum multiplicationem in composito multiplicari etiam debent hæcceitates pro singulis, quia singulæ sunt res propriam essentiam, & existentiam habentes, vt constat de materia, & forma, & vna potest ab alia separari, & sine illa existere, & ideò non eadem singularitate, indiuiduari possunt; at formalitates metaphysicæ, vt pluries dictum est, non sunt adinuicem realiter distinctæ, neque propriam habent essentiam in rigore dictam, ac existentiam, sed in eadem re physica sunt omnes, & singulæ per identitatem immersæ, ad cuius existentiam existunt, atque ideò sicut in eodem indiuiduo pro omnibus gradibus prædicamentalibus vna sufficit existentia, ita etiam & vnica hæcceitas, quem dicendi modum sequuntur etiam Fonsec. 5. Metaphysic. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. ad 4. Suarez disputat. 6. Metaphysic. sect. 9. numer. 15. & 16. Pasqualig. disputat. 43. sect. 4. verum isti Auctores etsi nobiscum in hoc puncto conueniant, attamen absolutè negant indiuidua generica, & incompleta, quasi hæc duo asserat sint inter se connexa, quod tamen verum est, nisi sit sermo de indiuiduis genericis, & incompletis à parte rei; quod si præcisè per intellectum admittantur inadæquatè concipientem, hoc nihil obstat assertioni nostræ.

173 Quartò arguit Caiet. de ente, & essentia cap. 2. quæst. 4. actus singularis supponit potentiam singularem 2. Phys. 38. hæcceitas est actus singularis, ergo supponit naturam, vt potentiam singularem, nec eam reddit talem. Deinde quicquid conuenit vni indiuiduo & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit eorum distinctionem per Scotum quol. 2. aliàs non magis vni repugnaret, quam alteri, sed Petreitas Petro conuenit, & Paulo repugnat ergo supponit ea indiuidualiter distincta, & sic non est indiuiduationis principium. Demum non solũ indiuiduationes conueniunt in ratione indiuiduationis, vt sic, sed indiuiduationes vnius speciei conueniunt cum indiuiduationibus eiusdem speciei magis quam cum indiuiduationibus alterius rationę naturæ indiuiduatæ; ergo non sunt principia indiuiduationis, quandoquidem per Scotum hæc debent esse primò diuersa, & in nullo quidditatiue conuenientia, ne detur processus in infinitum; scias tamen hæc argumenta tangi quoque ab Aureolo 2. d. 9. & primum præsertim adducitur à Bassol. cit. 2. d. 12. 3. 4. art. 3. in terminis, & optime soluit.

Resp. vt dixi ab initio quæstionis hæc, & similia argumenta pariter vrgere Thomistas præsertim admittentes nobiscum indiui duales differentias; primum quidem vrget quia quicquid ipsi ponant indiuiduationis principium, certum est id esse debere actum singularem, atque ita naturam quam indiuiduare deberet, supponeret singularem; secundum pariter vrget eodem, nam quicquid ponant principium indiuiduationis Sortis, ita Sorti conuenit, vt repugnet Platoni, atque ita non constituit, sed supponit illa distincta, tertium tandem denique vrget ipsos, quia etiam vna materia signata, vt sic, conuenit cum alia in ratione signationis, vt sic, esto non in ratione talis signationis, & materiæ signatę pro indiuiduis vnius speciei magis inter se conueniunt, & assimilantur, quam materię signatę pro indiuiduis diuersę speciei atque ideò etiam Thomistis incumbit horum argumentorum solutio; Ad 1. itaque patet ex dictis suprà n. 27. illam propositionem valere de actu, & potentia physicis, ac realiter distinctis, non metaphysicis, & realiter indistinctis, vt se habẽt indiuiduatio, & natura. Ad 2. maior est absolutè falsa, vt à Caiet. assumitur, alioquin posset etiam assumi ad probandum rationale, & irrationale non esse differentias specificas sic arguendo, rationale conuenit homini, & repugnat equo, ergo non facit, sed supponit distinctionem hominis ab equo; Scotus autem quol. cit. loquebatur de aptitudine animæ ad corpus, quam ait non esse primam rationem animę constitutiuam in esse indiuiduo, quia conuenit illi per modum passionis consequentis, quod autem in hoc pacto conuenit vni indiuiduo, & alteri repugnat vtiq; non illa constituit in esse tali, sed supponit, at si illud quod conuenit vni indiuiduo, vel speciei, & repugnat alteri, vt prima ratio constitutiua illius, vt in proposito est de hęcceitatibus, nullo modo potest eorum distinctionem prę supponere, sed eam formaliter afficit, vnde patet Caiet. non sumere propositionem illam in eo sensu, quo assumitur à Scoto quol. cit. & ideò assumpta à Scoto valet, assumpta à Caiet. non valet, vide dicta circa hoc idem argumentum supra nu. 119. Ad vlt. patet ex dictis supra nu. 24. indiuiduationes naturarum eiusdem speciei magis inter se conuenire, & assimilari, quam diuersarum concomitanter solum, & indirectè, quatenus nempe naturę, quibus identificantur, sunt eiusdem rationis, non autem formaliter, & directè, quasi illas naturas quidditatiuè includant, neq; talis conuenientia tollit primò diuersitatem ab ipsis, quia non ob id conuenire dicuntur in aliqua ratione communi de illis quidditatiuè dicta; nam formaliter, & quidditatiuè loquendo tam excluditur humanitas à Petreitate, & Pauleitate, quam ab ipsa Bucephaleitate; an verò indiuiduationes omnes conueniant quidditatiuè in ratione indiuiduationis, vt sic, & num talis conuenientia primò diuersitatem tollat ab eis, dicemus statim, quia hęc est maior omnium difficultas.

138 Quintò arguit Ripa de ente, & essentia c. 2. qu. 4. art. 2. si natura per vltimam sui hęcceitatem indiuiduatur, vt vult Scotus, cum hęc non distinguatur realiter ab ipsa natura, sequitur naturam seipsa indiuiduari, quod tamen acriter impugnat ipse 2. d. 3. q. 1. Quod si dicatur Scotum impugnasse naturam esse de se hanc formaliter, non realiter poterit Aureolus, Adam, & alij, qui censent naturam esse de se hanc respondere, quod id acceperint identicè, licet non formaliter, & ita vanus deprehenderetur labor in illa prima quęstione. Præterea ait in illa 6. q. talem positiuam entitatem esse vltimam realitatem entis, quod est materia, quod est forma, quod est compositum, ergo iam alię realitates sunt in materia, in forma, in composito alioquin vanè vocaretur realitas vltima; quæritur ergo an realitates illæ, quæ præsupponuntur huic vltimæ sint singulares, nec ne; si primum, ergo frustra additur hæc vltima singularitas ad eas indiuiduandas; si secundum, ergo materia ex se non erit vna numero, non erit hæc, sed determinabitur ad hac vltima realitate, quæ cum determinet erit præstans munera formæ, & sic materia absque forma habebit actum formalem. Tandem talis hæcceitas in composito sequitur vnionem formę in composito; ergo forma vniuersalis vnietur materiæ vniuersali in eo priori, quia nondum intelligitur adesse hæcceitas, quæ est principium indiuiduationis earum.

Resp. gratis concedendo quamlibet rem seipsa realiter indiuiduari, quatenus non indiuiduatur per aliquid ab ipsa realiter distinctum, nõ tamen seipsa indiuiduatur formaliter, idest per suam rationem formalem, & in hoc sensu probat Doctor quęst. illa prima naturam creatam non se ipsa indiuiduari, sed per aliquid superadditum, vt explicatum est supra quęst. 2. huius Disp. neque possunt Aureolus, Adam, & alij Nominales dicere, quod in hoc sensu loquantur, nam ipsi volunt naturam quamlibet esse de se hanc, & per consequens esse seipsa singularem, nedum realiter, & identicè, vt loquitur Scotus, sed etiam formaliter. Ad 2. concedo consequentiam alias nimirum realitates præter illam vltimam reperiri in materia, forma, & composito, tot nimirum quot sunt gradus prędicamentales generici, & specifici, & vlterius dico illas non esse de se singulares, sed fieri tales per vltimam realitatẽ superuenientem, quę dum determinat illas non gerit munus formę physicę in materia, sed metaphysicę, vt dicitur de differentia specifica respectu generis. Ad vlt. verum est assumptum de hæcceitate perfecta, completa, & totali, quæ est hæcceitas compositi, non autem de hæcceitatibus incompletis, & partialibus, quæ præcedunt vnionem, in materia, & forma, & ideò negatur consequentia.

Sextò

139 Sextò arguunt alij, si indiuiduum vltra naturam specificam habet eam peculiarem entitatem, quam dicimus differentiam indiuidualem, diuisa aqua in guttas tot nouæ nascerentur entitates, quot fuerint guttæ, totque rursus peribunt, si eædem rursus guttæ coadunentur, quod non est facile creditu, præsertim cum nulla aqua generetur, aut corrumpatur per eam diuisionem, aut coniunctionem, illo enim modo eadem aqua nec corrupta, nec annihilata poterit modo accipere, modo amittere eandem differentiam indiuidualem, quod fieri nullo modo potest, alioquin eadem res, dum eadem permaneret, modo esset hæc, modo non esset hęc, quod implicat.

Resp. hanc quoque difficultatem de toto homogeneo, eiusque partibus adduci à Bassol. cit. optimeque dissolui; breuiter tamen dicendum est, quod sicut ibi nulla interuenit generatio, & corruptio substantialis aquarum, sed solum noua diuisio, aut compositio totius alicuius integralis, quod neque esse realiter à suis partibus distinctum dixi disp. 5. Phys. q. 13. art. 2. ad summum petit argumentum, an partes illæ diuisæ integrantes sint eædem, quæ prius erant; & dicendum est, quod sic, quia partes aquæ siue sint vnitæ, siue diuisæ semper suam seruant vnitatem, & distinctionem entitatiuam, & consequenter suas quoque intrinsecas hæcceitates, solumque mutatur vnitas, vel distinctio quantitatiua, quæ consistit in acquisitione, vel deperditione indiuisibilium terminantium, vel copulantium illas partes adinuicem vt notat Doctor 4. d. 12. q. 4. lit. I. vnde concludendum est partes vnitas aquæ adhuc esse abinuicem entitatiuè distinctas, licet quantitatiuè & integraliter vnam constituant aquam, & quando separantur, easdem remanere, quę prius in toto, nec nouas acquirere hæcceitates entitatiuas, sed solum quantitatiuas nempe noua indiuisibilia terminantia, singulis enim partibus totius homogenei, siue in toto existant, siue sint à toto separatæ, singulæ respondent hæcceitates vtrobique semper distinctæ, sed non vtrobique diuisæ, & talis est natura compositionis continui, vt fusè declarauí disputat. 9. quæstion. 2. art. præsertim 6.

140 Septimò arguit multipliciter Suessanus contra Scoti opinionem 5. Met. disp. 5. cuius rationes ad hoc præsertim tendunt, vt ostendat admissis differentijs indiuidualibus indiuidua eiusdem quoque speciei essentialiter, & specificè abinuicem fore distinguenda; hoc autem ostendi potest his rationibus, quæ in hanc formam reductæ, robustiores apparent, quam vt ab ipso adducantur; huiusmodi differentiæ ponuntur à Scoto intrinsecæ, & substantiales indiuiduis, sed quæ sic differunt essentialiter, & substantialiter differunt, ergo &c. Deindè omnis differentia aliquorum plusquam proprijs, & specialibus accidentibus eorum est essentialis, & specifica, sed si indiuidua differunt hæcceitatibus differunt plusquam propriis, & specialibus accidentibus eorum, ergo &c. probatur maior, ex Porph. c. de differentia, vbi eam distinguit in communem, quæ scilicet sumitur ex accidentibus communibus, propriam, quæ sumitur ex proprijs spectantibus ad secundum modum dicendi per se, & proprijssimam, quæ sumitur ex prædicatis intrinsecis in primo modo, quæ est essentialis, & specifica. Sed hæcceitates secundum Scotum præcedunt tam communia, quam propria indiuiduorum accidentia, ergo &c. Tandem si hæcceitas constituit indiuiduum, aut illud constituit per se, sic quod per se ei competat, aut per accidens; si secundum, ergo posset separari hæcceitas ab indiuiduo adhuc ipso indiuiduo remanente, quod implicat; si autem competit ei per se, aut per se primo modo, aut secundo modo, non secundum, quia tunc hæcceitas esset passio singularis, non autem differentia ipsum in esse tali constituens; si primum, ergo de ipso essentialiter, & quidditatiuè prædicatur, & eodem modo ab omni alio distinguit.

Resp. ad hæc, & similia patere ex dictis supra in hac disp. n. 11. & 54. adhuc tamen ad 1. respondet in forma Bassol. quod quæcunque differunt differentijs substantialibus essentialibus vtique specificè differunt, non tamen quæ differunt differentijs substantialibus indiuidualibus, quia licet istæ comparentur ad naturam, vt actus ad potentiam, tamen non sunt differentiæ formales, sed materiales, quia ad quidditatem speciei non pertinent, intelliguntur enim aduenire, vel quasi aduenire naturæ post esse specificum completum, & ita variare nequeunt tale esse specificum. Ad 2. negatur maior absolutè sumpta, nec eius probatio valet, quia Porph. loc. cit. per differentiam proprijssimam re vera intelligit differentiam essentialem, & specificam, quia ibi agit de differentia, quæ est pars speciei, & quæ simul cum genere constituit speciem, neque sub illa triplici diuisione differentiæ voluit Porph. comprehendere differentiam indiuidualem, quia agere intendebat de illis solummodo differentijs, quæ vniuersalitatem fundare possunt, & de pluribus prædicari, attamen vt ibi notaui disputat. 5. log. quæst. 3. potest indiuidualis differentia reduci ad secundum membrum, & dici quod faciat indiuidua accidentaliter differre, non quidem accidentalitate prædicamentali, quia est gradus substantialis penetrans per realem identitatem totam substantiam, ac essentiam rei, sed accidentalitate prædicabili, quatenus indiuidua differre facit non specificè, sed indiuiduáliter. Ad vlt. dicitur cum Trombet. differentiam indiuidualem competere singulari per se in primo modo, cum autem infertur, quod quidditatiuè competit, & quidditatiuè distinguit, negat consequentiam, quia est prædicatio in primo modo, non solum quando prædicatum importat quidditatem subiecti, vel partem quidditatis, verum etiam, quando ratio prædicati includitur intrinsecè, & formaliter in ratione subiecti, sicut pars essentialis ipsius, vel quasi pars, & hoc siue illud prædicatum sit quidditas, ideit essentia pluribus communicabilis, vel primò diuersum à quiditate, sicut est entitas indiuidualis. Quod si instes, primum modum esse, quando definitio prædicatur de definitio, vel pars definitionis ex Arist. 1. Post. Resp. quod extendendo nomen definitionis ad quamcumque rationem exprimentem essentialia, intrinseca rei, propositio Arist. habet veritatem; sed si accipiatur definitio solum pro ratione quidditatiua exprimente quidditatem definiti, vel partem quidditatis non est verum, quod solum illa prædicatio sit per se primi modi, in qua sic prædicatur definitio, vel pars definiti; pro quo notandum quod si aliqua ratio possit exprimere, quicquid constituit, & conuenit ad entitatem indiuidui, non tamen illa ratio erit perfecta, & rigorosa definitio, quia non exprimit quod quid erat esse, definitio enim propriè dicta ex Philosopho 1. Top. exprimit quidditatem rei, & ideò conceditur, quod loquendo de definitione propriè dicta singulare non est definibile definitione, alia à definitione speciei, & tamen per se includit aliquam entitatem additam entitati speciei, sed illa per se entitas, quam addit, non est entitas quidditatiua, & sicut non habet singulare propriam definitionem eo modo, quo dictum est, ita non habet aliquam propriam passionem, sed tantum passiones speciei, & ita eius non est demonstratio, neque scientia alia à scientia speciei, ita Doctor ad verbum 2. d. 3. q. 6. lit. M.

141 Octauò, instat idem Suessanus; si indiuidua hæcceitatibus inter se differunt, sequitur ita inter se differre duo indiuidua eiusdem speciei, vt Petrum, & Paulum, sicut duo diuersarum specierum, vt Petrum & Brunellum, quod est falsum. Probatur consequentia, quia huiusmodi hæcceitates sunt inter se primò diuersæ, cum in nullo quidditatiuè conueniant, ne detur processus in infinitum, quæcunque verò differunt ij, quæ primò diuersa sunt, æquè differunt, quia primò diuersa inuicem maximè distant.

Resp. Raguseius disputat. citat. cap. 41. concedendo æquè differre per hæcceitates indiuidua eiusdem, & diuersæ speciei, quia omnes sunt primò diuersę; hoc tamen falsum est, quia indiuidua non per solas hæcceitates constituuntur, sed etiam per naturam, & ideo non omnia æquè differre possunt, quia indiuidua eiusdem speciei inter se conueniunt ratione eiusdem naturæ specificæ, & indiuidua diuersarum specierum nedum indiuidualibus differunt differentijs, sed etiam specificis; itaque ad hoc argumentum, quod in terminis Doctor adducit 2. d. 3. quæst. 6. litter. I. neganda est consequentia cum eius probatione, quia non tanta debet esse distinctio in constitutis, quanta est in constituentibus, possunt enim benè principia indiuiduantia esse primò diuersa, & adhuc indiuidua conuenire in communi aliqua ratione quidditatiua, eo quod cum differentiam indiuiduali naturam communem continent, quæ est communis omnibus indiuiduis; aliqua enim æqualiter distingui (inquit Doctor) potest dupliciter intelligi, vel quia æqualiter incompossibilia sunt, quia non possunt inesse eidem, vel quia æqualiter in nullo conueniunt, & primò modo verum est, quod distincta sunt æquè diuersa, sicut ipsa distinguentia, non enim possunt distinguentia esse incompossibilia, quin etiam distincta sint incompossibilia; secundo modo vniuersaliter est impossibile, quia distincta non solum includunt distinguentia, sed etiam aliquid, quod est quasi potentiale respectu distinguentium, & tamen distinguentia in eo non conueniunt.

142 Nonò, arguunt alij, quia indiuiduum est per se vnum, non apparet autem, quomodo ex natura specifica, & hæcceitate possit fieri quid per se vnum, quia cum se habeant, vt actus, & potentia, non videtur ex eis fieri posse quid per se vnum, nisi per compositionem, at ex alia parte compositio est respectus quidam realis vnionis inter componentia, modo non videtur esse aliquis respectus realis naturę ad differentiam indiuidualem, neque è conuerso, quia non videtur posse assignari, quinam respectus sit iste, præsertim cum respectus realis sit inter extrema realiter abinuicem distincta, quo pacto natura, & indiuidualis differentia non distinguuntur.

Resp. Doct. 2. d. 3. q. 6. lit. L. hanc esse compositionem metaphysicam ex realitate, & realitate, qualis est compositio ex genere, & differentia, nec maior est difficultas de vna, quam de alia; & compositio oritur ex eo, quia realitas specifica ex se non habet, vnde per identitatem includat realitatem indiuidualem, ed tantum aliquod tertium includit ambo ista per identitatem; & hæc est talis compositio, qualis non potest stare cum simplicitate diuina, illa enim non tantum non compatitur compositionem rei, & rei actualis, & potentialis, sed nec realitatis actualis cum realitate potentiali, comparando enim quodcunque essentiale ad quodcunque essentiale in diuinis est formaliter infinitum & ideò ex se habet, vnde per identitatem includat quodcunque quod potest secum esse, & non sunt præcisè illa extrema eadem perfectè, quia aliquod tertium includit vtrumque, sed in proposito, nec entitas specifica includit per identitatem indiuidualem, nec è conuersò, sed aliquod tertium tantum, & ita inter se identificari dicuntur, quatenus in illo tertio identificantur, & vt vno verbo dicam, ista compositio explicari debet eo prorsus modo, quo explicata est compositio ex genere, & differentia disp. 5. Log. qu. 3. art. 2. Verum tamen est, quod hæc compositio metaphysica inter materiam, & formam, vel subiectum, & accidens, vt benè aduertit Bassol. cit. art. 4. ad 1. quia extrema huius compositionis sunt inter se idem realiter saltim in tertio, & ideò nequeunt à tali compositione separari, quasi possint esse ambo extrema in rerum natura siue tali compositione, vt contingit de materia, & forma, subiecto, & accidēte, sed dici potest respectus con-

consubstantialis vtrique, siue cum vtroque realiter identificatus, cum vtrumque sit ab altero inseparabile per quamcumque virtutem.

Postremò obijcitur ratio omnium efficacissima, qua sola vtitur Ioannes ad totalem destructionem nostræ opinionis; natura non potest fieri indiuidua per aliquod commune, ex hoc enim medio semper impugnat Scotus opiniones aliorum, sed hæccitas est quid commune, ergo &c. Probatur minor, nam omnes hæccitates particulares v. g. hæccitas Petri, & hæccitas Pauli conueniunt quidditatiuè in ratione communi hæccitatis, nam hæ sunt veræ, hæccitas Petri est hæccitas, & hæccitas Pauli est hæccitas; ergo hæccitas de se est quid commune non minus, quam quælibet alia natura contrahibilis; ergo nequit esse principium indiuiduationis. Esto autem hoc argumentum adeò valenter vrgeant Thomistæ, tamen argumentum fuit Aureoli, & tanquam Aureoli adducitur à Canonico 1. Physic. quæst. 6. immo ipsius Scoti, qui illud affert in terminis in hac ipsa quæstione sub litt. I. pro cuius solutione necessaria est decisio sequentis quæstionis, scias interim hoc argumentum etiam vrgere Thomistas, concedentes hæccitatem esse indiuiduationis principium, dummodo sumatur à materia signata, immo vrget omnes quodcunque posuerint indiuiduationis principium, nam quæcunque talia indiuiduationis principia erunt similia in ratione indiuiduandi.

QVÆSTIO X.

Num detur conceptus communis indiuiduationis, vel hæccitatis, vt sic.

143 NEgant communiter Scotistæ eo quod passim doceat Doct. 1. d. 3. q. 3. F. & 2. dist. 3. qu. 6. §. *Ad quæstionem*, differentias indiuiduales esse primò diuersas, & in nullo conceptu per se vno quidditatiuè conuenientes, nec quidem in conceptu transcendentissimo entis, quam sententiam amplexus est Fonsec. 5. Metaph. cap. 6. qu. 5. sect. 5. & ex Recentioribus mordicus tuentur Pasqual. to. 2. Met. disp. 43. sect. 3. & Ponc. disput. 6. log. q. 2. ac etiam ex parte profitentur Suar. disp. 5. Met. sect. 2. n. 20. & Auersa q. 9. log. sect. 11. quatenus ille, esto concedat conuenientiam vnius indiuiduationis cum alia, quia tamen differentia indiuidualis est omnino simplex, & in vlteriores conceptus irresolubilis, negat posse intellectum concipere rationem communem indiuiduationis præcisam ab hic, vel illa indiuiduatione; iste verò esto concedat conceptum indiuiduationis posse præscindi, adhuc tamen negat posse perfectè præscindi; vnde licet in hac quæstione partem affirmatiuam profiteatur, re tamen vera magis fauet parti negatiuæ, quia ratio dubitandi proposita in calce præcedentis quæstionis aut nil probat, aut probat perfectam præcisionem huiusmodi conceptus, vt mox videbimus.

Affirmantem docui partem iam disp. 5. log. qu. 2. art. 4. vt de mente Scoti, & meliorum Scotistarum pluribus in locis ibi citatis, inter quos luculentissimus est, qui habetur 1. d. 23. qu. vn. vbi postquam pro vtraq; parte disputasset, tandem in fine quæstionis dubium resoluit his verbis, ista igitur via supposita, sicut certa, quod à personis potest abstrahi aliquis conceptus negatiuus negationis in genere, & hoc non solum à personis quasi constitutis, sed etiam à formalibus constitutiuis earum; est dubitatio vlterior, vtrum tale commune solummodo negatiuum sit abstrahibile ab eis, vel aliquid commune positiuum, & videtur, quod oporteat ponere aliquod positiuum posse abstrahi ab eis propter verbum Aug. de doctrina Christiana, & verbum Magistri in littera d. 25. quæ adducta sunt contra opinionem; potest dici quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quasi proprium; hæc Doctor, ex quibus verbis patet ipsum non loqui dubitatiuè, vt ipsum explicare conatur Ponc. loc. cit. (vbi hunc locum citat 1. d. 26. sed fortè per errorem Amanuētis, vel Tipographi, aut inaduertentiam) sed assertiuè, nam ibi resoluere intendit, quod antea pro vtraque parte disputauerat. Nec etiam valet, quod ait Ponc. Doctorem ibi non dicere illud proprium indiuiduis esse singularitatem, aut constitutiuum indiuiduj, vt sic, immo hoc reijcitur ex ipsis verbis Poncij, quæ immediatè subdit ad refellendam quorundam Scotistarum expositionem per illud proprium intelligentium proprietatem aliquam quarti prædicabilis; nam ait ipse Doctorem ibi omnino loqui de aliquo proprio, hoc est, particulariter competente indiuiduis, qua talia sunt, siue illud proprium sit proprietas quarti prædicabilis, siue non sit, sed aliquid essentiale, vnde paucis verbis videtur sibi contradicere, nam his vltimis verbis reuocat, quod immediatè antea dixerat; vide Lichet. ibi eodem modo Doctorem exponentem.

144 Sed adhuc clarior, & notabilior est locus, qui habetur 1. d. 26. q. vn. infra 11. hic enim nedum docet posse dari talem conceptum præcisum ab vltimò constitutiuis, sed etiam explicat modum, & sensum, quo debet id asseri, ne sibi contradicat in alijs locis; vbi dixit hæc esse primò diuersa, audiamus verba Doctoris. Ad aliud dico, quod licet aliquis conceptus communis possit haberi, qui dicatur in quid de generatione diuina, & spiratione diuina, immo fortè qui dicatur in quid de paternitate diuina, & creata, tamen nulla realitas potest esse in diuinis aliquo modo distincta ex parte rei, à qua sumatur iste conceptus dictus in quid, quæ realitas sit determinabilis per aliam realitatem, sicut conceptus communis est determinabilis in intellectu per alium conceptum; & impossibilitas huius, & ratio satis dicta est; dico igitur, quod paternitas, & filiatio non sunt duo primò diuersa quantum ad intellectum, quin possit intellectus abstrahere ab eis aliquem conceptum realem communem; sed sunt primò diuersa quantum ad realitatem, & realitatem, ita quod nullum vnum gradum realitatis includunt, qui sit quasi potentialis, & determinabilis per proprias differentias, vel quasi proprias, sicut albedo, & nigredo includunt realitatem aliquam eiusdem rationis determinabilem per proprias differentias specificas earum, siue realitates, à quibus sumuntur earum differentiæ specificæ, & tunc illa propositio maior, quod primò distinctiua sunt primò diuersa, debet intelligi de ipsis realitatibus, quæ primò constituunt, quantum ad non conuenientiam in aliqua realitate vna formali, quam formaliter includant ambo; hæc Doctor loc. citat. vbi vt vides, disertè explicat, quo sensu sit intelligendum, quod alibi dixerat, primò distinctiua esse primò diuersa, hoc enim debet intelligi quantum ad realitatem, non quantum ad conceptum, vt mox magis explicabitur; videatur Lichet. in vtroq; loco pro hac parte Doctorem exponens, licet sit adeo clarus, sicut constat ex allegatis verbis, vt nulla egeat expositione; inclinat etiam Bargius ibid. licet id velit solum verificari de vltimò constitutiuis, in diuinis, non verò in creatis, quia, inquit, hæc faciunt vnum per se, non illa, & ideò non sunt primò diuersa, non illa; quæ est quędam ratio Logica nullius momenti, quia quantum ad hoc eadem prorsus est ratio de vltimò constitutiuis in diuinis, & creatis, tum quia illa ratio non quadrat loco ex 1. d. 26. quæst. vn. vbi Doctor ait posse probabiliter defendi diuinas personas posse per absoluta constitui, iuxta quam viam persona diuina dicit conceptum per se vnum logicè; pro hac sententia etiam stant multi Recentiores, Ruuius cap. de specie quæst. 6. Complut. disput. 6. log. quæst. 6. Hurtad. disput. 5. sect. 7. Arriag. disputat. 7. num. 53. Fuent. quæst. 8. num. 33. Serna disput. 3. sect. 2. quæst. 3. art. 2. & alij quamplures ex nostris, vt Aretinus 3. d. 1. quæst. 1. art. 13.

145 In huius sententiæ confirmationem plures adduxi rationes in logica loc. cit. hic vnam tantum adducam rationem, scilicet dubitandi propositam in fine præcedentis quæstionis, illa enim sola benè intellecta hanc veritatem mirabiliter euincit, eam itaq. promoueo eiusque robur ostendo refellendo singulas solutiones Aduersariorum, omnes indiuiduationes, & hæccitates nedum conueniunt in cōmuni nomine, sed etiam in ipsa ratione hęcceitatis, itaut assignata ratione quid sit hęcceitas, ita intrinsecè, & quidditatiuè hanc rationem participabunt Petreitas, & Pauleitas, sicut ipse Petrus, & Paulus participant ipsam rationem humanitatis; ergo negari nequit conceptus indiuiduationis, vt sic. Respondent in primis Scotistæ ex Scoto 1. d. 3. q. 3. F. & 2. d. 3. qu. 6. I. differentias indiuiduales esse primo diuersas, & seipsis primò differre, & non per alias differentias, atque ideò in nullo conceptu communi conuenire. Hæc tamen solutio non satisfacit, immo talem conuenientiam directè probat argumentum, cui nihil respondetur, nec explicatur qualis sit illa conuenientia; quod si dicatur esse conuenientia in solo nomine, hoc etiam improbat argumentum, quia hęc & illa singularitas non tantum conueniunt in communi nomine singularitatis, sed etiam in ipsa communi ratione faciendi vltimò differre, non minus quam Petrus, & Paulus in ratione humanitatis.

Secundò, alij Scotistæ ad euitandam vim argumenti concedunt inter hęcceitates quandam conuenientiam analogam, quæ non importet conceptum communem præcisum, sed solum quandam proportionem, quam hæccceitates seruant inter se in modo constituendi, & faciendi differre, incommunicabiliter nimirum, & vltimatè; vnde sicut hoc indiuiduum est tale per suam indiuiduationem, ita vnumquodq. est tale per suam; quam solutionem amplectitur Fonsec. loc. cit. Neq. hæc solutio valet, nam argumentum directè probat, nedum conuenientiam analogicam, & proportionalem, sed etiam vniuocam in communi conceptu hęcceitatis, vt sic, singularum hæccceitatum. Et si quis proteruè propugnare velit ex eo argumento deduci non posse, nisi conuenientiam proportionalem inter hęcceitates, nullam verò vnitatem conceptus; sic à pari poterit vnitas conceptus nedum in conceptibus transcendentibus aboleri, sed etiam in ipsis prædicamentalibus; dicitur enim omnia entia conuenire tantum proportionaliter in ratione entis, & pariter omnes homines proportionaliter tantum in ratione humanitatis conuenire, quia sicut Petrus per suam humanitatem est animal rationale, ita Paulus per suam; & quicquid afferretur ad probandam conuenientiam vniuocam inter hominem, & brutum in ratione animalis, inter Petrum, & Paulum in ratione hominis, hoc totum pariter poterit adhiberi in ipsis differentijs indiuidualibus vt ostendantur, & ipsæ in ratione communi hæccceitatis pariter vniuocè conuenire. Denique hic respondendi modus, vt vno verbo dicam, viam præbet negandi præcisiones obiectiuas quorumcunque graduum metaphysicorum tam prædicamentalium, quam transcendentium.

146 Tertiò, alij Scotistæ dicunt per illum conceptum communem hæccceitatis non exprimi aliquam rationem cōmunem indiuiduationis, vt sic, sed immediatè, & indeterminatè omnes, pro quo aduertunt per aliquem conceptum explicari interdum rationem vnam obiectiuam, vt cum dicitur quod homo est animal rationale; aliquando verò plura etiam explicitè, sed indeterminatè, vt si quis explicare vellet

hunc conceptum, quem haberet de aliquo animali, quod deberet esse vel rationale, vel irrationale dicendo, quod deberet esse vel potens discurrere, vel impotens; conuenientia in conceptu primi generis infert vnjuocationem, seu conuenientiam vniuocam inter plura, quia ille conceptus fundatur in vna, & determinata ratione; non autem conuenientia in conceptu secundi generis, quia hic non fundatur in vna, & determinata ratione, sed pluribus immediatè, ac indeterminatè, nam licet verum sit, quod hoc animal assignando hominem sit rationale, vel irrationale, & illud alterum animal assignando Bucephalum sit etiam rationale, vel irrationale, tamen certum est, quod non conueniunt ista animalia in aliquo conceptu vno positiuo, & determinato significato per illud prædicatum *rationale, vel irrationale.* Hanc solutionem refert, vt communiorem Scotistarum Poncius loc. citat. & inquit sibi semper visam esse difficilem. Et quidem meritò, quia hic quoque dicendi modus viam sternit, vt inquit ipse, ad negandam præcisionem obiectiuam aliorum graduum communium, nam pariter dici potest per hoc, quod est hominem esse animal rationale, non explicari aliquid determinatum, sed immediatè, ac indeterminatè plura, nec omnes homines conuenire in aliqua ratione communi hominis. Tum quia licet quando in explicatione ponitur coniunctio *vel*, siue *aut*, facilè possit deduci, quod explicentur plura indeterminatè, vt constat in exemplo ab ipsis adducto, quando tamen in explicatione talis particula non apponitur, tunc signum est per illum conceptum exprimi vnum determinatum significatum immediatè, & non plura immediatè, ac indeterminatè; talis autem est conceptus, quo explicatur indiuiduum, vel indiuiduatio, vt sic, ergo talis conceptus exprimit vnum determinatum significatum.

147 Quartò, proinde respondet Poncius ipse concedendo, quod singularitates, ac indiuidua omnia, qua talia sint conceptibilia conceptu tam determinato, quam omnes homines, qua homines, & quod etiam sint tam similia inter se, & definibilia vna definitione vniuocè competente ipsis, quia est eadem ratio de omnibus quoad hoc; adhuc tamen negat consequentiam, quæ inde deducebatur, quod conueniant in aliqua ratione abstracta ab ipsis, & præcisa; sicut nec omnes humanitates, vt abstrahunt à singularitatibus, conueniunt in aliqua vna humanitate abstracta ab ipsis; cuius ratio est, quia quotiescunq; datur vna ratio abstracta, & præcisa ab aliquibus, debet esse alia ratio distincta, à qua præscindatur, & per quam contrahatur ad illa, à quibus præscinditur, in humanitatibus autem, vt præscindunt à singularitatibus non datur aliqua ratio, vel quam ad ipsas contrahatur humanitas, vt sic abstracta ab illis, & idem est de singularitatibus, vnde sicut de humanitatibus, vt sic, melius diceretur, quod omnes, vt sic, sunt vna ratio quam quod in vna ratione conueniant, sic pariter in proposito de singularitatibus est dicendum.

Hæc tamen solutio multa continet falsa, & implicatoria; concedit enim omnes singularitates & omnia indiuidua, quę talia, esse conceptibilia conceptu tam determinato, quàm omnes homines in ratione hominis, & quod etiam sint tam similes inter se, & definibiles vna definitione vniuocè competente ipsis, quemadmodum omnes humanitates, vt præscindunt à singularitatibus; & negat hinc deduci, quod conueniant in aliqua ratione abstracta ab ipsis, & præcisa; quod planè implicare videtur, nam vniuocatio fundatur in vnitate rationis precisè, & abstractæ ab vniuocatis, vt constat ex definitione vniuocorum, & ex communi omnium sensu; si ergo indiuiduationes omnes sunt vnica definitione definibiles, & hæc eis vniuocè competit; ergo hæc definitio dicit vnam rationem ab ipsis abstractam, & precisam, & negata hac vnitate præcisionis pariter negatur vniuocatio, quæ in ea fundatur, & consistit. Deinde exemplum, quod affert de pluribus humanitatibus à singularitate precisis non potest admitti etiam in eius sententia, nam & ipse quoq; superius disp. 3. de vniuersali, vt sic, q. 2. nu. 35. & 44. negat humanitates præcisis singularitatibus posse dici plures, nam nequeunt dici plures specificè, vt satis de se patet, sed nec etiam plures numero, quia talis pluralitas in hæcceitatibus fundatur, sicut & realis, ac entitatiua distinctio, quæ existentiam supponit in extremis distinctis, & hæc non conuenit humanitatibus precisis. Et quando etiam aliquam pluralitatem, & realem distinctionē vellemus admittere inter humanitates ab hæcceitatibus præcisas, vt Lich. admittit 2. d. 3. q. 1. & 6. illæ intantum dicerentur eiusdem rationis, vt ipse ibi explicat, quia cum quælibet sit natura de se communis tam contrahi potest ad constituendum Petrum, sicut & Paulum; at hoc de hæcceitatibus minimè dici potest, quia vna hæcceitas v. g. Petreitas ab humanitate præcisa non est de se indifferens ad constituendum Petrum, & Paulum, sed non nisi Petrum constituere potest, & sic etiam est de Pauleitate, ergo falsum est singularitates ab humanitatibus præcisas ita esse inter se eiusdem rationis, sicut sunt humanitates ab ipsis precisè, quia singularitates etiam, vt ab humanitatibus precisè, sunt ita abinuicem primò diuersæ, vt quæ hoc nata est constituere indiuiduum, nequeat aliud constituere.

148 Quintò dicunt alij Scotistæ magis vtique adinuicem conuenire Petreitatem, & Pauleitatem, quam Petreitatem, & Bucephaleitatem, quia tamen hæc conuenientia non est, nisi concomitanter, & per reductionem, scilicet per identitatem realem, quam habent cum natura contracta, quæ est eiusdem rationis in indiuiduis per ipsas cōstitutis, ideo hæc non infert quod quidditatiuè, & vniuocè conueniāt in aliquo conceptu communi, quia ratio formalis humanitatis, quam contrahunt, non in ipsis includitur quidditatiuè, & formaliter, sed solum in indiuiduis per ipsas constitutis, & sic solum de ipsis indiuiduis dicere valebit, quod non sunt primò diuersa, sed in aliquo quidditatiuè conuenientia, non autem de vltimis differentijs, nam ipsæ adhuc remanent primò diuersæ, ad quod sufficit, vt quæ sic dicuntur primò diuersa, in nullo quidditatiuè, & directè conueniant, licet possint conuenire concomitanter, & ratione alterius, cui identificantur. Sed vt superius dixi n. 24 non videntur hi Scotistæ sufficienter vim argumenti percipere; aliud enim est comparare hæcceitates ad naturam quam contrahunt, aliud ad communem rationem indiuiduationis, vt sic, de qua comparatione loquitur argumentum; primo enim modo comparantur, vt contrahentia ad suum contrahibile, & ideo re vera non includunt formaliter, & quidditatiuè naturam contractā, quia determinabile debet esse extra rationem determinantis, & è contra, at secundo modo hæcceitates comparantur ad indiuiduationem, vt sic, vt inferiora ad suum superius, ac ideò debent quidditatiuè, & formaliter illud includere; licet ergo hæc responsio sit bona, ad soluendum argumentum factum, de maiori conuenientia duarum hæcceitatum eiusdem speciei, quam diuersarum, vt dictum est prædicto num. 24. tamen minimè valet, dum in argumento vrgetur conuenientia, & similitudo omnium hæcceitatum in ratione indiuiduationis, vt sic, sic autem vrget argumentum supra propositum.

149 Sextò respondet Pasqual. disp. 43. cit. sect. 3. nu. 15. conuenientiam illam, qua vna indiuiduatio conuenit cum alia in eo, quod sit indiuiduatio, non esse conuenientiam fundatam in ratione communi, sed esse tantum conuenientiam æquiualentiæ, qua vnaquæque indiuiduatio est eiusdem rationis cum alia æquiualenter, quatenus vnaquæq; habet ab intrinseco suo, quod constituat tale numero determinatum indiuiduum. At neq; hæc responsio est melior alijs, nec nisi verbis differt à secunda responsione, quam enim Scotistæ illi vocabant proportionem vnius hæcceitatis cum alia, hic Auctor vocat æquiualentiam, vt aliquid noui, saltim in vocabulis afferre videatur; vnde hæc quoque solutio ex eodem capite confutari debet, vt illa, vt potè quæ viam parat ad abolendam præcisionem obiectiuam in quibuscunque gradibus prædicamentalibus, quando enim quis probare tentabit conuenientiam vniuocam inter hominem, & brutū in ratione communi animalis, aut inter Petrum, & Paulum in ratione communi hominis, statim respondebitur hanc non esse conuenientiam fundatam in ratione communi, sed esse tantum conuenientiam æquiualentiæ; & quicquid afferetur ad probandam vnitatem vniuocationis inter Petrum, & Paulum in ratione humanitatis, hoc totum poterit adhiberi æquè bene ad probandam similem conuenientiam inter Petreitatem, & Pauleitatem in ratione humanitatis. Conf. quia effectus eiusdem rationis quando sunt vniuoci, seu vniuocè à causa procedunt, arguunt causas suas esse eiusdem rationis, nedum virtualiter, & æquiualenter, sed etiam formaliter, & quoad vnitatem specificam; sed effectus formales Petreitatis, & Pauleitatis quoad singularizandam, & distinguendam naturam sunt eiusdem rationis, & vniuocè procedunt ab hæcceitatibus, quia procedunt ab ipsis in genere causæ formalis; ergo arguunt illas causas esse eiusdem rationis specificæ inter se, nedum æquiualenter, sed etiam formaliter; non ergo sufficit conuenientia illa æquiualentiæ à Pasqual. confecta ad tollendum argumenti robur.

150 Septimò Suarez loc. cit. conuictus argumento concedit conuenientiam nedum æquiualentiæ, sed etiam eiusdem rationis specificę vnius hæcceitatis cum alia, subdit tamen illas non habere in se alias differentias ratione distinctas ab isto conceptu, in quo conueniunt, quia sunt simpliciter simplices, & in vlteriores conceptus irreſolubiles, sed in seipsis determinari, non per aliquam nouam additionem, sed solum per maiorem expressionem illius conceptus, & ideò non potest intellectus concipere rationem communem indiuiduationis ab hac, & illa indiuiduatione precisam; & sic concedit hic Auctor rationem communem indiuiduationis abſq; eo, quod possit præscindi. Hæc solutio implicatoria concedit, quod nempe differentiæ indiuiduales inter se conueniant, & differant, & quod nequeat intellectus præscindere rationem conuenientiæ à ratione differentiæ, quæ duo inter se pugnant, nam quando duo ita se habent adinuicem, vt partim conueniant, & partim differant, potest intellectus vti virtute sua precisiua, & illa duo contemplari ex ea parte, qua conueniunt, non considerando ex alia parte, qua differunt. Conf. quia non alia ratione intellectus in ipsis indiuiduis v.g. Petro, & Paulo præscindit rationem humanitatis à differentijs indiuidualibus nisi quia videt illa ratione naturæ inter se conuenire, & ratione differentiarum differre, ex quo motiuo fundamentum sumit cogitandi rationem, per quam conueniunt nil cogitando de rationibus quibus differunt; ergo si hæc est causa sufficiens, vt possit naturam præscindere ab indiuiduis, erit quoque sufficiens in proposito, vt à Petreitate, & Pauleitate præscindi possit communis conceptus hæcceitatis.

151 Octauò Auersa loc. cit. esto in virtute propositi argumenti concedat à differentijs indiuidualibus præscindi posse communem rationem indiuiduationis, in qua conueniunt, non cogitando rationes peculiares quibus differunt; negat tamen posse perfectè præscindi, quia semper tales rationes peculiares inuolutæ inueniuntur in illa ratione communi, & istæ nihil addunt illi nec etiam ratione distinctum; Sed hic modus imperfectæ præcisionis in gradibus metaphysicis pluries impugnatus est supra disput. 2. quæst. 3. & disp. præsenti q. 2. à num. 16.

Dein-

Deinde licet inter indiuiduationem, vt sic, & peculiares hæcceitates ex alia parte perfecta præcisio intercedere nequeat, qualis est quę versatur inter naturam specificam, eiusque differentias contrahentes, quia determinans, & determinabile se inuicem formaliter excludunt perfectè, adhuc tamen intercedere potest illa præcisio, quę solet versari inter superius, & inferius, quę ita se habent, vt licet inferius includat quidditatiuè rationem superioris, non tamen è contra, quia inferiora dicuntur accidere superioribus; cum igitur indiuiduatio in communi respiciat Petreitatem, & Baiarditatem, vt propriè inferiora, perfectè præscindent ab illis. Tum quia fatetur hic Auctor ita Petreitatem, & Baiarditatem vniuocè conuenire in ratione communi indiuiduationis, sicut Petrum, & Paulum in ratione communi hominis, & quælibet alia indiuidua in ratione communi naturæ specificæ, sed conceptus specificus est perfectè vnus, & præcisus ab inferioribus, ergo &c. probatur minor ex 7. Metaphys. 31. vbi hac de causa speciem vocat athomam, idest perfectè vnam, quia perfectè præscindit ab inferioribus, ac differentijs contrahentibus, quando vero conceptus est imperfectè præcisus, non est perfectè vnus, quia non omninò excludit inferiora, à quibus prouenit multiplicitas, cum ea saltim implicitè includat iuxta explicationem imperfectæ præcisionis, quam assignant Moderni imperfectè præscindentes.

162 Demum alij Scotistæ argumenti robore pressi concedunt tamen conceptum indiuiduationis esse Petreitate, & Pauleitate abstrahibilem, & esse conceptum perfectè vnum, & præcisum ab inferioribus, ac etiam perfectè vniuocum, non tamen vniuocè dictum de illis, sed tantum accidentaliter, & denominatiuè, quo etiam modo inquit Doctor 1.d.3.quæst.3.§. *ad quæstionem igitur*, ens respectu suarum passionum, & modorum contrahentium esse quidem vniuocum quia prædicatur de illis secundum vnitatem nominis, & rationis, non tamen vniuocè dictum, quia non includitur in eis essentialiter, & quidditatiuè, vt dictum, est supra disputat. 2.qu.7. nu. 193. vbi de consequenter dicunt prædicationes illas Petreitas est hęcceitas, Pauleitas est hæcceitas, non esse prædicationes essentiales, & quidditatiuas, sed identicas, & denominatiuas, eo modo quod dicuntur esse ens; quæ fuit solutio Canonici 1. Phys. qu. 6. Matron. 1.d.23.qu.3. quam amplectitur Ragus. disp. cit. cap. 39. ac etiam in hunc modum Vigerius explicat loca superius adducta ab initio quæst. pro nostra sententia, quando enim ait Doctor posse aliquem conceptum per se vnum abstrahi ab vltimo constitutiuis, & distinctiuis, inquit intelligi debere de conceptu quidem per se vno, imò & vniuoco, non tamen vniuocè dicto. Verùm hæc quoque responsio directè ex ipso principali argumento excluditur, quod quidem probat peculiares hæcceitates in ratione communis indiuiduationis non quomodocunque conuenire, sed intrinsecè, & quidditatiuè, ita enim Petreitas est essentialiter indiuiduatio, sicut Petrus essentialiter homo, & hoc adeò clarum est, ac exploratum, vt alia probatione non egeat; neque etiam hæc explicatio bene quadrat locis è Scoto allegatis quia nedum ait ab vltimò constitutiuis posse abstrahi conceptum vtcumque vnum, vel vniuocum, sed etiam vniuocè dictum, & in quid, vt textum legenti patebit; præsertim 1.d.26. Neque ad rem facit paritas, quam assumebant illi Scotistæ de conceptu entis, quia aliud est conferre differentias indiuiduales ad conceptum entis, & aliud ad conceptum indiuiduationis, vt sic, etenim ad illum comparantur, vt vltimo contrahentia ad primum contrahibilem, ad istum vero, vt indiuidua ad suum superius, quamuis autem prædicatio contrahibilis de contrahente sit denominatiua, vt cum dicimus rationale est animal, quia contrahibile est extra rationem contrahentis, attamen prædicatio superioris de inferiori semper est quidditatiua, talis autem est illa prædicatio, Petreitas est hæcceitas, vel est indiuiduatio. Concludendum igitur est posse dari conceptum communem indiuiduationis, vt sic, non tamen in aliqua communi realitate fundatum, quæ sit per aliam realitatem contrahibilis, vt notat Doctor cit. 1. d. 26. qu. vn. & quæ per ipsum adæquatè exprimatur, sicut per conceptum animalis adæquatè exprimitur vna realitas, quæ est per aliam contrahibilis; sed conceptus indiuiduationis fundatur vel in pluribus differentijs indiuidualibus inadæquatè conceptis vel in vna puta Petreitate, inadæquatè concepta, adeout conceptus adæquatè Petreitatis vt sic, sit vtique simplex quoad realitates, compositus tamen apud intellectum ex conceptu communi, & proprio, vt ex solutione obiectionum magis patebit.

Obiectiones diluta.

153 IN oppositum Primò arguit Pasqual. cit. in hæcceitate distingui nequit ratio contrahibilis, & contractiua; ergo nequit dari conceptus indiuiduationis, vt sic qui postea veluti per contractiua descendat ad Petreitatem, & Pauleitatem, consequentia patet, probatur assumptum, indiuiduatio namq; secundum rationem formalem indiuiduationis est essentialiter vltimum contractiuum, & proindè vt tale non potest amplius contrahi.

Resp. quod sicut vniuersalitas, quamuis secundum rationem formalem vniuersalitatis sit essentialiter contrahibilis, & vt quid, adhuc tamen esse potest contractiua, vt modus, quemadmodum apparet, quando vniuersale, quod est genus ad quinque vniuersalia per diuersas, & particulares vniuersalitates contrahitur ad illa constituenda, sic è contra singularitas, esto secundum se, & vt quid, sit contracti ua, tamen per operationem intellectus inadæquatè Petreitatem v. gr concipientis potest fieri vniuersalis, vt modus, seu concipi sub ratione vniuersalis absq; vlla repugnantia, eo pacto quo dicit Doctor 1.d. 2.quæst. 3. §. *Ad illa*, hanc propositionem esse concedendam *singulare est vniuersale*, quia licet quo concipitur sit singularitas, modus tamen, sub quo concipitur est vniuersalitas, quia quod concipitur, vt concipitur, habet indifferentiam ad plura; itaque argumentum probat solum à parte rei non dari naturam communem indiuiduationis ad plura indiuidua contrahibilem per alias differentias vt datur natura humana, quod vtique verum est, quia hæcceitas à parte rei est tantum contractiua, nec aliud reale munus exercet, quam contrahendi, & singularizandi, tamen illa realitas contractiua à parte rei quæ dicitur hæcceitas, potest inadæquatè concipi, vt conuenit cum alia hæcceitate in munere faciendi vltimatè differre, & tunc induit modum contrahibilis; & sic per intellectum inadæquatè concipientem eadem prorsus realitas à parte rei diuidi potest, & partiri in duos conceptus, quorum vnus sit communis, & contrahibilis, alter proprius, & contractiuus.

154 Secundo contrahibile, & contractiuum important diuersas formalitates, & vnum esse debet extra formalem rationem alterius, ergo nequit dari conceptus indiuiduationis, vt sic, communis; patet antecedens, & probatur consequentia, quia contractiua illius non habebunt rationem indiuiduationis, sed quod non habet rationem indiuiduationis nequit esse determinatiuum alicuius communis. Resp. contrahibile, & contractiuum dicere diuersas formalitates eo modo, quo fit contractio, si fit à parte rei, dicunt pariter formalitates diuersas à parte rei; si est contractio per intellectum, sic pariter ratione tantum secernuntur, & vnum est extra rationem alterius, & sic contingit in proposito, nam Petreitas v. gr. apud intellectum inadæquatè concipientem in duas formalitates obiectiuas partitur, quarum vna per rationem est extra aliam, & indiuiduatio vt sic, licet, vt quid, sic indiuiduatio, tamen ex modo concipiendi non est indiuiduatio, sed potius quid ad multa indifferens, vt modus; & formalitas contractiua propriè concipitur per modum indiuiduationis, & singularitatis incommunicabilis.

Tertiò indiuidua secundum totum esse indiuiduale distinguuntur, & solum conueniunt in ratione naturæ; ergo nequit dari conceptus communis indiuiduationis, in quo omnes indiuiduationes, conueniant; antecedens patet, probatur consequentia, quia si in ratione quoq. indiuiduationis conuenirent, iam non distinguerentur secundum totum esse indiuiduale, nec indiuiduatio esset tantum ratio distinguendi, sed etiam conueniendi. Resp. negando consequentiam, quia non dicimus indiuidua v.g. naturæ humanæ conuenire in ratione indiuiduationis, vt sic, sed potius eorum indiuiduationes Petreitatem nempe & Pauleitatem, & indiuiduatio v.g. Petreitas à parte rei est tantum ratio distinguendi, at confusè, & inadæquatè concepta esse potest ratio conueniendi.

155 Quartò de ratione indiuiduationis est, vt sit hæc, & vna numero, ergo directè repugnat dari conceptum communem indiuiduationis, qui tanquam aliquid commune descendat ad hanc, & illam indiuiduationem; assumptum patet, & consequentia probatur, quia tunc conciperetur tale obiectum sub modo sibi omnino repugnanti à parte rei. Quod etiam confirmari potest argumento quo vtitur Scot. 2.d.3.qu.7. ad probandum plures angelos esse posse sub eadem specie, ita enim arguit ab initio lit. A. quælibet quidditas creaturæ potest intelligi sub ratione vniuersalis absque contradictione, si autem ipsa esset de se hæc, contradictio esset intelligere eam sub ratione vniuersalis, sicut est contradictio intelligere diuinam essentiam sub ratione vniuersalis, quia ratio intelligendi repugnat omnino suo obiecto intellecto, at in proposito singularitas, est de se hæc, & incommunicabilis omnino, ergo nequit concipi sub ratione vniuersalis. Neque dicas assumptum verificari solum de indiuiduatione signata, & hæc vna numero, non verò de indiuiduatione, vt sic. Nam primò sic respondendo committeretur petitio principij, cum in hac responsione assumatur indiuiduatio, vt sic, tanquam possibilis ita concipi, quod hic modo impugnatur; deinde non videtur vllam aliam assignari posse rationem formalem indiuiduationis, nisi illam, quod est ratio per se primò hæc, & incommunicabilis, & apta reddere naturam, quam contrahit sic incommunicabilem.

Resp. hoc argumento probari tantum indiuiduationem, vt sic, dici non posse vniuersalem, & communem essentialiter, & vt quid, sicuti dicitur natura humana, bouina, &c. quæ re vera præferunt realitates pluribus communicabiles; non tamen probat, quin possit dici, & concipi sub ratione vniuersalis denominatiuè, & vt modus. Neque nouum est vnum oppositum posse sic denominari a suo opposito per superuenientem intentionem, vt sæpius docet Doctor in quæstionibus vniuersalium, sic enim genus dicitur species vniuersalis ob peculiarem intentionem speciei superuenientem, sic etiam æquiuoca, quatenus definiuntur, dicuntur vniuoca determinatiuè, & vt modus, quatenus fundant intentionem vniuocationis, & sic in proposito realitas, quę est indiuiduatio, & singularitas, & essentialiter, & vt quid dici, potest vniuersalis denominatiuè, & vt modus, vnde quod modo dixi, intelligi debet de realitate, quà dicit hæcceitas à parte rei, quia si sermo sit de conceptu cõmuni, quẽ illa realitas fundat inadequatè cõcepta, ille conceptus communis est essentialiter cõmunis, & vt quid

& non denominatiuè tantum, ac vt modus. Ad Conf. Doctor ibi loquitur de vniuersalitate, quæ fundatur in natura verè communicabili pluribus à parte rei, atque multiplicabili, quam vniuersalitatem sicut nequit fundare natura diuina, quia est de se hæc, ita neque indiuiduatio ob eandem rationem, vt benè concludit argumentum. Dices, ergo natura quoque diuina poterit saltim istam fundare vniuersalitatem, quam potest fundare indiuiduatio, neque enim maius motiuum hic haberi videtur, vt possit concipi indiuiduatio in communi quam ibi, vel falso, & sine vllo prorsus fundamento concipitur indiuiduatio, vt vniuersalis, & communis. Resp. quamuis tam diuina essentia, quam indiuiduatio sit à parte rei de se hæc, adhuc tamen cum maiori fundamento posse concipi indiuiduationem sub ratione vniuersalis, quia indiuiduationes sunt plures à parte rei; & vlterius quandam inter se habent similitudinem, & conuenientiam à parte rei saltim virtualem, & fundamentalem in modo constituendi, & distinguendi indiuidua, quod non habet diuina essentia, quæ est vnica à parte rei, nec aliam naturam consimilem formaliter, aut saltim fundamentaliter à parte rei habere potest, quo fit vt ei omnino repugnet concipi sub ratione vniuersalis; fateor tamen hoc argumentum ob allatam confirmationem ex Scoto maiorem cœteris euidentiam habere.

156 Quintò, indiuiduatio ex vi suæ rationis formalis habet, quod distinguat, atque multiplicet, at si indiuiduationes conuenirent in conceptu communi indiuiduationis, vt sic, non distinguerent, sed ponerent vnitatem, & conuenientiam. Conf. quia differentiæ diuidentes rationem communem, quatenus diuidunt, non possunt conuenire inter se, vt constat de differentijs specificis; ergo sicut nequeunt specificæ hac ratione conuenire in aliquo conceptu communi, ita nec etiã indiuiduales. Resp. maiorem esse veram de indiuiduatione vt est à parte rei, & prout adæquate concipitur, seu est talis essentialiter, & vt quid; tamen inadæquatè, seu confusè consideratas; ac vt modus, potest esse ratio conueniendi, non quidem a parte rei, sed per intellectum inadæquatè concipientem, neque indiuiduis à parte rei per ipsam constitutis, sed indiuiduationibus ipsis, quibus constituuntur. Ad conf. respondetur eodem modo, differentias non distinguere constituta per ipsas, nisi à parte rei, vel vt adæquatè conceptas, sed apud intellectum præsertim inadæquatè concipientem possunt etiam esse rationes conueniendi; & hoc ipsum etiam asseri potest de ipsis differentijs specificis inuicem comparatis, quia licet secundum se non conueniant in aliquo illorum generum, quæ diuidunt, conueniunt tamen in hoc, quod habent similem modum diuidendi genus, & constituendi speciem, quam rationem communem descripsit ipse Porph. cap. de differentia, cum ait differentiam esse diuisiuam generis, & constitutiuam speciei.

157 Sextò indiuiduatio in linea prædicamentali importat vltimum gradum entis, quo natura, & omnes gradus illius coordinationis prædicamentalis vltimo terminantur; ergo nequit dari ratio communis indiuiduationis, vt sic, quæ ad omnes indiuiduationes descendat, alioquin non esset ipsa vltimum complementum, sed posset cõpleri ab alijs, quibus contrahitur. Conf. quia enim est vltimus gradus in prædicamentali coordinatione, sequitur etiam quod sit vltimum distinctiuum; igitur impossibile est vnam indiuiduationem conuenire cum alia in ratione indiuiduationis, quia tunc non esset vltimum distinctiuum. Resp. ita esse à parte rei, quia sicut indiuiduatio est vltima realitas prædicamentalis, ita etiam est vltimò constitutiuum, & distinctiuum rerum; verum adhuc ab intellectu inadæquatè concipiente potest ipsa quoq; intentionaliter partiri in duos conceptus obiectiuos, quorum vnus sit communis, & alter proprius, & secundum priorem poterit adhuc vlterius contrahi, & fecari. Dices, ergo dari poterit processus in infinitum. Negatur consequentia, nam à parte rei datur status in ipsis differentijs indiuidualibus, cum sint simplices realitates, & in vlteriores irresolubiles; quomodo autem neq; adhuc in conceptibus rationis fiat progressus in infinitum, iam dixi disp. 5. log. cit. q. 2. art. 4. vbi etiam declaraui tres Scoti rationes, quibus probauit 1. d. 3. q. 3. §. *ad quæstionem*, differentias indiuiduales esse primò diuersas, nec in aliquo quidditatiuè conuenire. loquitur enim de conuenientia quoad realitatem, non quoad conceptum inadæquatum, & rationis.

158 Septimò, arguit Ponc. loc. cit. quia si indiuiduatio potest esse ratio communis omnibus indiuiduis, vel indiuiduationibus, tunc constitutum per ipsum non esset singulare, sed vniuersale. Tum 2. quia natura humana v.g. ideò est vniuersale metaphysicum, quia est sic communis; ergo idem de indiuiduatione dicendum foret, si sic communis esset. Tum 3. quia ideò Petrus est singulare, & non vniuersale, quia non est commune pluribus; ergo si indiuiduatio est sic communis, nequit esse de se hæc, nec indiuiduum poterit per ipsam constitui in esse tali. Tum 4. quia illa ratio sic abstracta deberet per alias differentias ad hanc, & illam indiuiduationem contrahi, sicut animal in communi contrahitur ad hominem, & brutum per rationalitatem, & irrationalitatem, & sic daretur processus in infinitum. Tum 5. quia nequit assignari quænam essent ista natura communes, nec vllus effectus assignari in rerum natura ad quem deseruiret, nec quodnam munus reale, & physicum exerceret, quemadmodum humanitas dicitur esse principium operationum rationalium, animalitas sensitiuarum, & sic de alijs. Tum 6. quia singularitas sic abstracta deberet habere aliquam naturam communem sibi correspondentem, quam faceret singularem, sed hæc assignari non potest, ergo &c. Tum demum, quia si Petreitas non conueniat in tali communi conceptu cum Pauleitate, adhuc naturam Petri singularizaret, & constitueret ipsum Petrum formaliter singularem, ergo frustrà assignatur talis conuenientia ipsius cum Pauleitate in aliquo communi.

Resp. hæc argumenta eò tendere, vt probent hæcceitatem non posse habere talem communitatem à parte rei, qualem habent aliæ naturæ communes, vt humana, equina, &c. quod verissimum est, quia non tribuimus ei communitatem, nisi per opus intellectus eam inadæquatè concipientis, alioquin à parte rei dicimus esse de se hanc, & per se primò singularem; ad 1. itaq; gratis concedo nullum constitui singulare signatum per indiuiduationem, vt sic, quia sub tali abstractione non constituit singulare, sed vt est à parte rei, quo pacto est de se hæc, & incõmunicabilis. Ad 2. indiuiduatio nequit dici vniuersale metaphysicũ, quia nullam habet cõmunitatem à parte rei nec positiuam, nec negatiuam, immo vt existit à parte rei est de se hæc, & solum per intellectum inadæquatè concipientem potest habere cõmunitatẽ. Ad 3. pariter respondetur non esse indiuiduationem de se cõmunem à parte rei, sicut est humanitas. vel animalitas, sed tantùm per intellectum inadæquatè concipientem. Ad 4. non datur processus in infinitum à parte rei, quia ipsa indiuiduatio, vt Petreitas, est realitas vltimò constitutiua, & distinctiua à parte rei; & quomodo nec etiam detur talis processus in infinitum apud intellectum inadæquatè concipientem dictum est disp. cit. Log. q. 2. art. 4. Ad 5. gratis concedo non posse assignari aliquem effectum, vel operationem realem, cuius indiuiduatio in communi sit principium; quia non est aliqua natura communis vera, & realis à parte rei, sicut est humanitas, & animalitas, sed tantùm per intellectum habet cõmunitatem, & effectus formalis ei correspondens in tali statu esset reddere naturas cõmunes reales singulares, & indiuiduas, non quidem in esse exercito, quia tale munus gerit à parte rei, sed veluti in esse signato. Ad 6. indiuiduatio, vt sic, nullam respicit naturam, vt per ipsam singularizabilem, quia *in eo statu* potius habet rationem contrahibilis per intellectum, quam contractiui; quod si habet rationem contractiui, hoc habet in esse veluti signato, non exercito, & sic respicit omnes naturas communes reales indeterminatè, vt contrahibiles, non autem certam, ac determinatam. Ad vlt. concesso assumpto negatur consequentia, quia non assignatur conuenientia Petreitatis cum Pauleitate in communi conceptu indiuiduationis, vt sic, ex eo quia Petrum constituat in esse singulari, sed ob rationem allatam pro probatione conclusionis.

159 Demum, si possunt vltimæ differentiæ indiuiduales in conceptu indiuiduationis, vt sic, quidditatiuè conuenire; ergo pariter poterunt conuenire in conceptu entis, præsertim quia neque ipse entis conceptus fundatur in aliqua realitate contrahibili, vt dictum est suprà disp. 2. de natura entis; sed hoc expresè negat Doctor 1. d. 3. q. 3. §. *Ad quæstionem*, ergo &c.

Resp. non deesse insignes Scotistas, qui ob hanc rationem admiserint etiã vltimas differentias includere quidditatiuè conceptum entis; ita videtur sentire Bassol. d. 12. q. 4. art. 3. vbi ait per hoc non tolli, quin sint adhuc primò diuersæ, quia vniuocatio entis non est realis, idest fundata in realitate à parte rei cõtrahibili per aliã actualẽ, quales sunt gradus prædicamentales, sed est secundum conceptũ rationis vndè cũ hoc adhuc benè stat, quod vltimæ differentiæ sint inter se primò diuersæ à parte rei, quia in nullo conceptu reali à parte rei conueniunt; sic etiam discurrit Lichet. 1. d. 26. q. vn. § *Sed contra*, vbi ait, dico, quod ens eodem modo prædicatur in quid de Deo, & vltimis differẽtijs, licet de decem prædicamentis alio modo predicentur in quid, nam de Deo, & vltimis differentijs prædicatur in quid, vt dicit conceptum non acceptum à realitate perfectibili ab alio, sed vt prædicatur de decẽ prædicamentis, sic prædicatum dicit cõceptum abstractũ à realitate, vt perfectibili ab alia realitate. Et quidem hic modus dicendi magnum videtur habere fundamẽtum in Doctore 2. d. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem*, vbi ait, quod vnitas simpliciter, quæ est vnitas numeralis per se consequitur entitatẽ indiuidualẽ, seu hæcceitatem, velut propria eius passio; ex quo Scoti asserto sic arguere licet, omne illud, quod proximè consequitur vnitas, est verè, & formaliter ens, cum vnitas sit affectio entis, sed hæcceitatẽ proximè consequitur vnitas numeralis, quæ est maxima inter omnes, ergo hæcceitas est formaliter, & quidditatiuè ens.

160 Cæterum longè probabilius est ens non includi quidditatiuè in vltimis differentijs, etiamsi non dicat realitatem, sed conceptum rationis, hæc est expressa mens Doctoris 1. d. 3. q. 3. vt probatum est disp. 2. de natura entis qu. 7. art. 1. quia contrahibile, & determinabile semper est extrà rationem contractiui; & determinatiui, quare cum ens sit primum omninò contrahibile, & determinabile, & indiuiduales differentiæ vltimò contractiuæ, sequitur necessariò ens non in eis formaliter, & quidditatiuè includi; & hæc est præcipua ratio, qua vtitur Doctor loc. cit. ad probandum ens non includi quidditatiuè in vltimis differentijs, vndè parum refert, quod data inclusione quidditatiua entis in ipsis non ob id tollitur primò diuersitas earum, quia etiam hoc admisso adhuc vrget illa ratio, quod se habent ad ens, vt vltimò contractiua, & ideò debent illud necessario excludere à suo conceptu formali; ex quo etiam patet non eodem modo comparari vltimas differentias ad ens, vt sic, & indiuiduationem, vt sic, quia ens respiciunt, vt conceptum per ipsas contrahibilem, & ideò illud excludunt à sua ratione formali, at conceptum communem indiuiduationis respiciunt vt suum superius, & ideò illum in sua ratione

ne formali necessariò includunt. Quod autem in oppositum adducebatur ex Scoto 2.d.3. q.6. §. *Ad quæstionem*, rectè intelligendum est, non enim propriè intendit ibi Doctor, quod vnitas indiuidualis sequatur hæcceitatem, velut eius propria passio, sed inquit quod sequitur indiuiduum, seu totum constitutum ex ipsa, & natura, vt eius propria passio, & quod hæcceitas est ratio, cur talis passio consequatur ad ipsum, sicut à pari vnitas formalis, quæ est minor numerali, non consequitur differentiam specificam, vt eius propria passio, sed totam speciem, & à tota natura specifica fluit, licèt differentia sit principium quo, & determinatum talis consecutionis; sic igitur in proposito dicendum vnitatem indiuidualem verè, & propriè totum indiuiduum consequi, vt eius adæquatum subiectum, & à tota natura indiuiduali fluere, hæcceitatem verò esse solum rationem determinatam quidem, sed inadequatam talis consecutionis, & ideò ex hoc inferri non valet, quod sit formaliter ens, & quidditatiuè.

161 Ex resolutione huius quæsiti resoluitur tandem difficultas adducta à Thomistis in fine præcedentis quæstionis nu. 142. contra principium indiuiduationis à nobis statutum, natura enim (dicebant) nequit fieri indiuidua per aliquid commune, per hoc enim medium semper impugnat Doctor opiniones aliorum, sed hæcceitas vt quod commune pluribus hęcceitatibus v.g. Petreitati, & Pauleitati, non minus communis est, quam sit ipsa humanitas Petro, & Paulo, sicut enim valet dicere Petrus est homo, Paulus est homo, & est prædicatio superioris de inferiori, ita quoque dicere valet, Petreitas est hęcceitas, Pauleitas est hæcceitas, ergo &c. Resoluitur, inquam, hæc difficultas, quia quando Scotus inquit naturam per aliquod commune indiuiduari non posse, loquitur de eo, quod est de se commune, vel non de se hoc à parte rei, non autem per intellectum, vt constat ex 1. q. illius 6. dist. inculcat enim ibi nullam naturam creatam esse posse seipsa formaliter indiuiduam, quia quælibet est de se communis à parte rei, & ideò indiget aliquo contractiuo, quod à parte rei sit de se hoc, & per se primò singulare, & talem ait esse hæcceitatem ciuscunque rei creatæ, quæ est vltima omninò eius realitas in linea prædicamentali; quod autem talis realitas possit inadæquatè concipi, & per considerationem intellectus aliquam communitatem rationis induere, non obstat quin adhuc possit poni principium indiuiduationis, nam ad hoc sufficit, quod non sit quid commune à parte rei, etiam si possit intellectus beneficio aliquam rationis communitatem induere; patet igitur quomodo à Scoto intelligatur illa maior, vndè neganda est minor, cum eius probatione, quod nempe hæcceitas sit communis Petreitati, & Pauleitati, sicut humanitas Petro, & Paulo, quia humanitas est communis à parte rei per indifferentiam modo explicato præced. disp. ad Petrum, & Paulum, non sic hæcceitas Petreitati, & Pauleitati, sed tamen per intellectum.

162 Sed Dices, ex reali conuenientia, & similitudine Petri, & Pauli in natura humana arguimus communitatem realem talis naturæ, sed ita assimilantur, & conueniunt Petreitas, & Pauleitas in natura hæcceitatis, vt Petrus, & Paulus in natura humana; ergo ita communis erit à parte rei hæcceitas Petreitati, & Pauleitati, sicut humanitas Petro, & Paulo. Respond. negando minorem, quia conuenientia, & similitudo Petri, & Pauli in natura humana, eiusque operationibus est realis actualis à parte rei, & ideò requirit fundamentum reale, & actuale, scilicet realem vnitatem, & communitatem naturæ in ambobus per indifferentiam; similitudo verò, & conuenientia Petreitatis, & Pauleitatis in natura hæcceitatis, vt sic, non est realis, & actualis, sed tantùm virtualis, & fundamentalis, vndè à parte rei illæ duæ hæcceitates sunt omninò alterius rationis, & abinuicem primò diuersæ. Sed dices rursus, cum in prædicatis quidditatiuis communibus ad hæcceitatem spectantibus ita conueniant Petreitas, & Pauleitas sicut Petrus, & Paulus in prædicatis ad humanitatem spectantibus cur non vtrobique conuenientia erit realis, & actualis, vel vtrobique fundamentalis solùm, & virtualis? Respond. ex Doctore 2.d.3. quæst. 6. §. *Ad quæstionem*, quia nunquam est tanta conuenientia in constituentibus quanta in constitutis, & omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primò diuersa, ideòque in nullo à parte rei quidditatiuè conuenientia, ne detur processus in infinitum, vt docet Arist. 7. Met. cap. de eodem, ista verò primò diuersa, ad quæ tandem opus est peruenire in linea prædicamentali, sunt vltimæ differentiæ indiuiduales, & ideò conuenientia earum in ratione communi hæcceitatis nequit poni formalis, & actualis, sed tantum virtualis, & fundamentalis, nec alia immediatior ratio reddi potest huius difficillimæ petitionis.

ARTICVLVS XI.

An inter indiuidua eiusdem speciei detur inæqualitas perfectionis, ac etiam aliqua dissimilitudo maior vltrà hanc, quod vnum non sit aliud.

163 HÆc quæstio duas habet partes, in prima quæritur, an differentia indiuidualis secum ferat aliquam inæqualitatem perfectionis itaut vnum indiuiduum sit perfectius alio in suo esse indiuiduali, quamuis autem hæc quæstio tractari soleat specialiter ab Auctoribus de animabus rationalibus, quærendo an omnes sint in perfectione indiuiduali æquales, vel inæquales, supposito, quod omnes sint eiusdem speciei, quia tamen hæc difficultas communis est ad indiuidua cuiuscunque speciei etiam inanimatæ, ita etiam de omnibus in vniuersum tractanda est hoc loco, sicut enim rationabiliter de animabus proponitur, quia videmus vnam animam melius, & perfectius altera operari, sic etiam proponi, & quæri debet de cæteris indiuiduis, quia vnus ignis est altero calidior, vnum vinum vehementius agit, & est altero generosius, vna caro suauior altera, & sic de alijs; atque ideò recta ratione non hanc quæstionem in lib. de anima tractaui, vt fit ab alijs, sed data opera huc eam distuli ad communem disputationem sed omnibus indiuiduis, vt etiam in communi de omnibus simul, & semel pateret quid sit dicendum. Vt verò sensus quæsiti quoad hanc partem pateat, notandum est hic quæstionem non esse de æqualitate, vel inæqualitate in perfectione accidentali, & extrinseca, nec etiam intensiua, aut extensiua indiuiduorum, sic enim apud omnes est exploratum vnum indiuiduum esse perfectius alio, quia habet perfectiora accidentia, sic vnus est melioris complexionis, pulchrioris formæ, & acutioris ingenij, quam sit alter, sic etiam in indiuiduis quantitatis, vel qualitatis extensionem, vel intensionem admittentibus vna linea est altera longior, calor vt quattuor intensior est calore vt duo, atque ideò perfectior intrà eandem speciem; sed neque etiam quæstio est de æqualitate, vel inæqualitate in perfectione essentiali, & quidditatiua, quia sic etiam apud omnes certum est indiuidua cuiu cunque speciei esse hoc pacto perfectione omninò æqualia, quia differentiæ indiuiduales non sunt differentiæ formales, & ad quidditatem spectantes, & ideò nullam secum perfectionem huius ordinis ferunt, & ideò difficultas est solum de perfectione intrinseca entitatiua, quæ in singulis indiuiduis variari non potest, & præcisè consistit in differentijs indiuiduantibus ipsorum singularium constitutiuis.

164 Pariter explicandus est titulus quæsiti quoad secundam partem de dissimilitudine, præsertim quia in hoc sensu tractatur solùm hæc quæstio à Recentioribus; cum igitur certum sit apud omnes differentias indiuiduales inducere inter indiuidua tale discrimen, vt vnum non sit aliud; quæritur an tantùm hoc discrimen importent, vt vnum non sit aliud, an potius possint inducere aliquam adhuc maiorem disconuenientiam intrà eandem speciem, & hic similiter non est difficultas de dissimilitudine accidentali, nam hanc omnes concedunt inter indiuidua eiusdem speciei, sed intrinseca, ac entitatiua, quæ nimirum indispensabiliter spectet ad esse intrinsecum, & indiuiduale rei.

In hac controuersia duæ sunt sententiæ extremæ, & vna quasi media, prima extrema docet differentias indiuiduales nedum secum ferre indiuiduorum distinctionem, sed etiam inæqualitatem in perfectione indiuiduali, itaut ratione indiuidualis differentiæ non solum hoc indiuiduum, non sit illud, sed etiam perfectius illo in esse entitatiuo; pro qua citantur Magister 2.d.32. D. Bon. & Riccard. ibid. q.4. art.1. Ægid. q.3. D. Thom. p.1. q.85 art.7. vbi Caiet. & Bannes Ferrar. 1. contra Gent. cap.13. Iauell. 8. Met. q.6. Ruuius 2. de anim. cap.3. q.3. & alij complures ex Recentioribus, præsertim verò Arria. disp.1. de Anim. sec.7. subsec. 2. Ouuied. controu.1. de anim. punc.8. §.4. an autem indiuidualis differentia importet semper necessariò hanc inæqualitatem perfectionis vniuersaliter in omnibus indiuiduis, an verò solum in aliquibus, aliqui primum affirmant, vt Fonsec. 5. Met. c.28. q.16. alij secundò, vt Arriag. modò cit. & Auersa q.9. sec.14. argumenta verò, quæ afferunt, probant præsertim de animabus rationalibus, vt poté de quibus specialiter quæstionem hanc tractant. Sic etiam consequenter affirmatiuè respondent ad secundam partem quæsiti de dissimilitudine nempe reperiri posse, imò & de facto dari differentiam indiuidualem, quæ præter esse hoc, & esse illud importet aliquam aliam maiorem disconuenientiam intra eandem speciem, quod probant præsertim ex actu visionis, quo conspicitur vna albedo, comparato cum actu visionis, quo conspicitur alia albedo numero, hi namque actus non solum differunt, eo quod sint hæc, & illa visio, sed etiam quia ordinantur ad diuersa obiecta, & hic ordo est intrinsecus, & substantialis illis, non accidentialis, & idè contingit in relationibus, quæ sunt ad terminos eiusdem rationis, in omnibus actibus cognitionis, & appetitus, in motu, atque præsentia locali, in actionibus, quibus producuntur termini eiusdem rationis, & alijs huiusmodi accidentibus; & ita sentire videntur Fonsec. 5. Met. cap.10. q.7. sec.3. & 4. & Suar. disp.5. Met. sec.8. n.15.

Hoc autem sic declarat Arriag. cit. quia illa tantùm specie differre dicuntur, quæ inter se notabiliter differunt, & sunt notabiliter dissimilia, sic enim dici possunt ex hoc capite essentialiter dissimilia, vndè si aliqua duo inueniantur differre etiam in prædicatis intrinsecis, si tamen per talia prædicata non sunt notabiliter dissimilia, non debent dici specie differre; sed tantum numero, & adhuc dici debet talis dissimilitudo illi conuenire ratione differentiarum indiuidualium, quia non conuenit eis ratione differentiarum, quæ faciant notabiliter differre, quales sunt solùm differentiæ essentiales, & specificæ; ex quo infert, quod licèt plus intrinsecè differant duæ visiones ad diuersas numero albedines terminatæ, quam plures terminatæ ad eandem albedinem, quia tamen non notabiliter differunt, non debent censeri specie distinctæ, sed tantùm numero ratione differentiarum indiuidualium. Ouuied. autem loc. cit. licèt cum Arriag. conueniat, quod sola differentia notabilis est differentia specifica, & ideò prædictas visiones specie non differre, non tamen vult eas differre tantùm numero, nec ratione differentiarum indiuidualium præcisè, sed ratione alicuius prædicati communis illis omnibus, quæ terminantur ad eandem albedinem, quod non conuenit illis, quæ terminantur ad diuersas, quod quidem quia non facit illas notabiliter dissimiles non facit specie differre, esto faciat differre pluſquam numero, vndè consequenter admittit dari

debere aliquam differentiam intrinsecam, & communem pluribus, quæ illa ab alijs plusquam numero distinguat, non tamen specificè, quia non distinguit notabiliter, & prædicatum illud commune, quod est causa talis differentiæ mediæ inter specificam, & indiuidualem, vult consequenter dicendum esse medium inter specificum, & indiuiduale, scilicet minus vniuersale specifico, & latius patens indiuiduali.

165 Alia sententia extrema omninò negat hanc inæqualitatem perfectionis inter indiuidua ex differentijs indiuidualibus procedentem, & asserit totum munus differentiæ indiuidualis in eo consistere, quod hoc sit hoc, & illud; & sic etiam pariter respondet ad alteram quæsiti partem quod differentiæ indiuiduales nullam maiorem disconuenientiam, & dissimilitudinem inducunt inter indiuidua eiusdem speciei præter illam, quod vnum non sit alterum, & sic consequenter dicit quod visiones ad diuersas numero albedines terminatæ ab alijs pluribus ad eandem numero albedinem terminatis differunt specie, vel si numero tantùm differunt, disconuenientiam maiorem inter has, vel illas repertam non esse intrinsecam, sed accidentalem, & extrinsecam, quatenus licet sit inseparabilis ab eis, tamen non est de earum ratione formali, quia talis inseparabilitas procedit tantùm ex identitate reali cum ipsis illius determinati ordinis ad hanc numero albedinem, vel illam, non autem ex identitate formali, & essentiali, pro qua citantur Henric. quol.5. qu.9. Durand. 1. dist.32. quæst.3. Argent. ibid. qu.1. art.2. Soncin.8. Met. qu.27. Sotus in log. cap. de subst. qu.2. art.5. Zimar. theor.44. Tolet.3. de anim. q.18. Pasqualig. tom.2. Met. disp.44. & hæc est Scoti, & Scotistarum locis non citandis.

Tertia sententia media est Auersæ loc.cit. sect.13. vbi notat speciem dupliciter sumi posse, vno modo logicè, alio modo physicè, primo modo sumitur pro specie infima prædicabili, quæ ita de pluribus numero differentibus prædicatur, vt sit primum, ac proximum prædicatum intrinsecum, in quo ipsa indiuidua conueniunt, nullaque alia dentur prædicata media inter talem speciem, & vltima indiuidua; species vero physica est, quæ pro vna aliqua specie vsurpari solet, quamuis re vera non importet vnum aliquod prædicatum, quod immediatè se habeat ad indiuidua eo modo quo importat species logica, sed aliqua alia intermedia inter illud, & indiuidua qua præmissa distinctione concordat relatas duas extremas opiniones, nam si sermo sit de specie logica, planè verum est indiuidua nec esse, nec esse posse inæqualis perfectionis, nec maiorem admittere posse dissimilitudinem præter hanc, quod vnum non sit aliud adeout in omnibus prorsus conueniant intrinsecis prædicatis excepta indiuiduatione, & in hoc sensu vera est secunda sententia; at si species physicè sumatur, ratione illius prædicati intermedij reperiri possunt indiuidua in perfectione intrinseca, & substantiali inæqualia, & quæ differant plusquam per esse hoc, & esse illud, quod ostendit illis ijsdem exemplis quibus vtuntur prima sententia; in qua parte simul concordant Auersa, & Ouuied. quia & ipse admittit tale prædicatum medium inter specificum, & indiuiduale, in qua plura indiuidua conuenire possunt, & per illud ab alijs indiuiduis eiusdem speciei discerni differentia quadam media inter indiuidualem, & specificam.

166 Dico Primò sententiam hanc mediam esse prorsus irrationabilem, ac inutilem. Probatur, quia si per speciem physicam illud prædicatum intelligitur, quod non immediatè per indiuiduationem contrahitur, sed per aliud prædicatum intermedium inter ipsum, & indiuiduationem, vt ipsa explicat, tunc planè constat hanc non esse speciem sed re vera genus, vt benè arguit Pasqualig. sect.2. probatur consequentia quia omne prædicatum medians inter genus, & indiuiduales differentias est prædicatum essentiale, & spectans ad constitutionem naturæ, atque ita erit prædicatum specificum, & sic indiuidua tale prædicatum participantia speciè distinguentur ab alijs indiuiduis illud non participantibus non autem numero tantum, aut plusquam numero intra eandem speciem. Conf. quia hoc prædicatum commune, per quod duæ visiones eiusdem albi differunt à duabus visionibus duorum alborum est prædicatum specificum; ergo illud, quod immediatè contrahit, est genericum, & quæ per ipsum distinguuntur, erunt specificè distincta, probatur assumptum, quia illud prædicatum prædicatur per ipsos essentialiter de pluribus numero differentibus, hæc autem est ratio essentialis prædicati specifici, vt patet cap.de specie. Conf. rursus, quia hoc prædicatum non est indiuiduale, quia nihil indiuiduale est multis commune, neque est genericum, quia est commune pluribus solo numero differentibus, ergo erit specificum.

Respondet Ouuied. tale prædicatum quod conuenit duabus visionibus ab eadem potentia procedentibus, & in idem album tendentibus non esse indiuiduale, quia conuenit pluribus nec etiam esse specificum, quia non notabiliter discriminat istas duas visiones ab alijs visionibus ad aliud album terminatis, atque adeò tale prædicatum esse medium inter specificum, ac indiuiduale, ac etiam differentiam in ipsa radicatam, quia nec est purè indiuisibilis, cum conueniat pluribus, nec purè specifica, quia non est notabilis. Sed ista responsio inuertit principia logica, & metaphysica, nam ex ea sequitur specialissimam non esse athomam, nec immediatè per indiuiduales differentias contrahi ad sua indiuidua in linea prædicamentali. Respondet rursus tale prædicatum medium inter specificum, & indiuiduale non pertinere ad lineam prædicamentalem, neque de illo agere metaphysicos, vel Dialecticos, cum rationem supremam prædicamenti vsque ad vltimam rationem partiuntur, quia parum de natura horum prædicatorum cognoscenda curarunt, cum non notabiliter ex illorum diuersitate constitutum ex illorum aliquo differat. Sed contra, quia hoc prædicatum pertinet ad constitutionem intrinsecam illorum indiuiduorum, quibus est commune, ergo debet, & ipsum pertinere ad lineam prædicamentalem, sicut ceteri gradus metaphysici. Tum quia gradus indiuiduales minus notabiliter differre faciunt, quam hæc prædicata intermedia ab his Auctoribus inuentas; ergo si non sunt fictitia, debebant de illis curare Dialectici, sicut curarunt de alijs; Et præterea admissis his etiam prædicatis intermedijs, si maior diuersitas quam numeralis habetur ratione ipsorum, non autem ipsarum indiuiduationum, iam non respondetur quæsito proposito, quod solum procedit de diuersitate ab indiuiduationibus prouenientè, non autem ex alio capite. Tum quia hæc maior diuersitas, quam numeralis, si fit per prædicatum essentiale aliquo modo, & intrinsecum, erit diuersitas specifica.

167 Respondet rursus non esse diuersitatem specifioam, quia non est notabilis, vnde infert in duabus actionibus respicientibus ignem A. v.g. prædicatum commune respiciendo hoc principium non facere illas specie differre ab actionibus, quæ non possunt hoc principium attingere, sed aliud diuersum debent respicere, quia per illud hæ actiones non notabiliter sunt dissimiles, respicere enim magis hunc ignem, quam illum prudenti æstimatione parui fit, ac proindè non sufficit ad differentiam essentialem constituendam, & specificam. Contra, quia vt benè arguit Poncius disp.6. log. qu.10. in fine valdè notabilis differentia est, quod hæc actio nequeat etiam de potentia Dei absoluta procedere ab illo principio, à quo procedit illa, neque hæc visio possit se extendere ad album, quod est obiectum alterius, & certè etiam ex prudenti hominum æstimatione multa censentur specie distingui, in quibus non apparet tam notabilis differentia, qualis versatur inter prædictas actiones, & visiones, vt constat de multis herbis, piscibus, atq; lapidibus. Deinde vanum omninò est essentialem, & specificam rerum differentiam velle auspicari ex morali hominum æstimatione, quia quælibet res habet ex se independenter ab illa sua prædicata intrinseca, & essentialia; tum quia apud morales parua differentia duorum potest paruipendi, vt ipse fatetur Ouuied. quæ apud Physicos posset esse essentialis differentia. Tum quia cum dicitur specificam differentiam inter ea tantum versari, quæ notabiliter differunt, vel id intelligunt de notabilitate se tenente ex parte rei, vel ex parte nostri, itaut nos deprehendamus tale notabile discrimen inter illa, ideoque specie distingui dicantur, non secundum, quia non deprehenso à nobis tali discrimine notabili inter leonem, & ouem, adhuc specie distinguuntur; si primum, ergo dicam differentiam plusquam numericam, si fiat per prædicata essentialia, & intrinseca, non verò per accidentia, esse notabilem differentiam, quantum sufficit, vt dicatur specifica.

168 Dico 2. non dari inæqualitatem perfectionis entitariuæ inter plura indiuidua eiusdem speciei. Hanc dixi esse sententiam Scoti disput. 5. de gen. & cor. q.5. art.2. quamuis enim 8. Met. q.3. videatur in hac re problematicè procedere, dum disputat, an substantia suscipiat magis, & minus, tamen in libr. sent. pluries fauet huic conclusioni negatiuæ, vt videre est in 2.d.16.qu.vn. in fine, vbi negat potentias animæ in vno esse perfectiores, quam in alio, & d.20.q.2. vbi tenet indiuidua speciei humanæ posse esse indifferenter à quolibet parente, sicut & in alijs speciebus, quod fieri non posset, si indiuidua in genere substantiæ essent inæqualis perfectionis indiuidualis, quia imperfectius non potest producere perfectius, idem colligitur ex 4.d.44.q.1. suprà F. vt ibi deduco num.134. vbi etiam pro hac conclusione adduxi Tatar. cap. de substantia q.2. dub.2. Bargium 1.d.8. q.2. §. *ad aliud de attributione*, Mairon. passu 17. in prædic. Cauell. disp. 1. de anim. sec.10. & optimè defendit Poncius loc.cit. vide ad hoc alia loca Scot. supra disp.8.q.7.n.227. vbi sicut Doctor petit in speciebus inæqualitatè, ita æqualitatè in indiuiduis. Hanc verò conclusionem loc.cit. de generat. probaui specialiter de substantijs materialibus, vt ostenderem eas nò suscipere magis, nec minus, nedù diuisibiliter, & successiuè, vt asserebant Auerroïstæ, sed neq; etiam indiuisibiliter, & simul, vt tenèt Thomistæ, cum quibus in hoc puncto concordant nonnulli Scotistæ, vt ibi dixi; & probationem deduxi à priori n.135. ex eo, quod importat suscipere magis, & minus in formis materialibus, vt communiter explicatur, hoc enim aliud non est, quam plures portiones eiusdem formæ specificæ inuicem vniri, & compenetrari ad constituendam vnam formam perfectiorem, vndè cum talis vnio gradualis, seu graduum indiuidualium substantiæ repugnet, vt ibi probatur, conclusio nullam formam substantialem materialem magis, & minus suscipere in indiuiduo, nec vnam esse indiuidualiter alia perfectiorem; ex quo deindè deduco num.136. hac de causa neque in animis rationalibus talem inæqualitatem admitti posse, quia cum anima sit substantia indiuisibilis tam extensiuè, quam intensiuè, vt angelus, non potest talem vnionem, vel compenetrationem plurium graduum indiuidualium in se admittere, vel certè alio modo explicanda erit hæc inæqualitas perfectionis in substantijs spiritualibus.

Quod si dicatur in substantijs spiritualibus indiuidualè perfectionè importare, non quidem illam graduum pluralitatem, sed modù quendam substantialem, per quem natura determinatur ad hoc, & illud indiuiduum, atque ita vnum indiuiduum esse altero perfectius, est habere

habere vnum modum substantialem perfectiorem, quo constituitur in esse talis indiuidui sic perfecti, qui substantialis modus reipsa à differentia indiuiduali non differt. Hæc responsio ibi reiecta est num. 137. quia si in rebus materialibus hęc maioritas, vel minoritas perfectionis indiuidualis explicatur per latitudinem gradualem, seu pluralitatem graduum indiuidualium eiusdem formæ, sic pariformiter deberet explicari in formis immaterialibus, vel si in istis talis inæqualitas explicatur per varietatem modi cuiusdam substantialis, sic etiam deberet explicari in materialibus, vel in omnibus negari. Tum quia vel hic modus substantialis à natura dimanat, vel à differentia indiuiduali, si primum, iam non erit hic modus perfectior in vno indiuiduo, quam in alio, cum natura in omnibus sit eiusdem rationis; si secundum asseratur, adhuc idem sequitur, quia differentiæ indiuiduales antecedenter ad talem modum ponuntur in perfectione indiuiduali omninò æquales; vide hanc rationem loc. cit. fusius deductam.

169 Secundò probatur conclusio rursus ratione à priori, & generali pro omnibus indiuiduis differentiæ; namque indiuiduales, & vltimò constitutiua non sunt entia quanta, quæ scilicet dicant perfectionem, & quantitatem virtutis, vt ostendi disp. 7. met. q. 2. n. 31. ex Doctore quol. 5. in fine, & quol. 19. art. 2. infrà lit. D. & clarius ibidem infrà lit. R. vbi ait *propriè perfectio non videtur conuenire, nisi entitati quiddit atiuè quia entitas hypostatica non est secundum quam aliquid perficitur, sed secundum quam aliquid recipit perfectionem, vel saltim determinatur ad perfectionem receptam* adeò quod secundùm Doctorem differentia indiuidualis non tam est perfectio, quam perfectionis determinatio; & huius ratio est, quia sicut ipsa non includit formaliter, & directè rationem entis ex dictis disp. 2. de natura entis q. 7. art. 1. ita neque includit propriam, & formalem bonitatem, nec consequenter propriam quantitatis perfectionem, quæ est modus intrinsecus entis, hæc enim est fundamentum illius; si ergo differentiæ indiuiduales non sunt entia quanta, consequenter æqualitas, vel inæqualitas in perfectione ipsis competere nequit, quia istæ sunt passiones solius entis quanti, vt loc. cit. dictum est; vndè quando dicimus omnia indiuidua eiusdem speciei infimæ esse æqualia in perfectione entitatiua, hoc non debet accipi in rigore, & positiuè quasi parem gradum perfectionis includant singula, quia nullum talem formaliter includunt, sed debet potius intelligi negatiuè, quatenus nullum indiuiduum, vt sic, aliquem gradum perfectionalem includit, & hæc apud Scotistas esse debet ratio à priori, cur in quacunque specie nullum indiuiduum possit esse perfectius alio; neque aliter responderi potest, quam negando differentias indiuiduales non includere formaliter rationem entis, quod satis superque loc. cit. probatum est. Conf. quia fatentur omnes indiuidua eiusdem speciei esse æqualia in perfectione essentiali, & specifica, eo quia omnia, & singula naturam eiusdem rationis participant, in qua talis æqualitas fundatur; ergo cum dicimus indiuidua eiusdem speciei esse æqualia in perfectione indiuiduali, ac entitatiua, non debet id accipi positiuè, quia tunc sequeretur indiuidua vt talia, participare aliquam entitatem eiusdem rationis, in qua talis æqualitas fundaretur, quod omninò repugnat, quia indiuidua ratione indiuiduationum sunt primo diuersa, nec aliquam entitatem eiusdem rationis participant præter naturam specificam; debet ergo intelligi solum negatiuè, quatenus nullum indiuiduum, vt tale nullam formaliter perfectionem includit ratione indiuiduationis.

170 Tertiò quia ratio modò allata concludit solum in principijs Scotist. prob. vlterius quod concesso etiam vnamquamque indiuiduationem peculiarem perfectionem afferre suo indiuiduo, non adhuc potest dici, quod vna maiorem perfectionem afferat, quam alia, idque probo ex effectu formali indiuiduationis, qui est terminare naturam incommunicabiliter, reddereque indiuiduum vnum quid certum, designabilem, & incommunicabile, cum enim hic effectus formalis indiuiduationis sit æqualis in omnibus, æqualis etiam erit causa formalis eius, quæ est indiuiduatio, quoad conferendam hanc indiuidualem perfectionem, consequentia patet ex proportione effectus formalis cum sua causa, quo enim causa formalis est perfectior, perfectior quoque effectus formalis ab ea dimanat; probatur assumptum, non enim magis incommunicabiliter terminatur natura per vnam indiuiduationem, quam per aliam, neque per Petreitatem magis quid certum, designabile, ac incommunicabile redditur Petrus, quam Paulus per Pauleitatem; ergo effectus formalis indiuiduationis non est perfectior in vno indiuiduo, quam in alio, sed æqualis. Conf. vt enim vnum indiuiduum diceretur perfectius alio in esse indiuiduali, opus esset, vt per suam indiuiduationem magis compleretur, & terminaretur in esse certo, designato, & incommunicabili, quam aliud indiuiduum per suam; sed hoc est impossibile, quia vnumquodque indiuiduum est æqualiter incommunicabile, vlterius quia indiuiduatio in vnoquoque est vltimum complementum, & vltimus terminus quoad communicabilitatem, vt quod; cum ergo vnum indiuiduum non possit perfectiori modo se habere, quam aliud, quoad esse incommunicabile, planè nequibit vnum esse perfectius alio quoad indiuidualem perfectionem. Hæc ratio adducitur etiam à Paiqual. loc. cit. sed posset infirmari ex paritate assumpta de speciebus quoad communicabilitatem, nam omnes sunt æquè communicabiles, nec vna est communicabilior alia, & tamen adhuc in perfectione quidditatiua, & essentiali sunt inæquales; ergo pariter dicendum est de perfectione indiuiduali quod licèt vnum indiuiduum non sit incommunicabilius alio, adhuc potest esse perfectius indiuidualiter. Verùm hæc instantia facilè præcluditur, quia non est eadem ratio quoad hoc de differentia specifica in ordine ad speciem, & indiuiduali quoad indiuiduum, specifica namque non solùm confert speciei esse communicabile, sed etiam gradum essentiæ, qui potest esse nobilior, & perfectior gradu essentiæ collato per aliam vt patet de rationali & irrationali; hoc autem asseri nequit de differentijs indiuidualibus, nam istæ dant præcisè esse hoc determinatum, & incommunicabile, quod ab omnibus & singulis eodem prorsus modo præstatur, & ideò ex ipsis nulla potest attendi inæqualitas perfectionis indiuidualis.

171 Quartò hinc potest alia ratio deduci, quia munus differentiæ indiuidualis vt sic aliud non est quam facere naturam hanc, & indiuiduam, & facere quod hoc indiuiduum non sit illud, neque eius munus vlterius extenditur, & tota hęc distinctio inter indiuidua habetur virtute ipsius absque excessu perfectionis vnius super aliud, ergo talis excessus penes differentias indiuiduales attendi nequit, quia tota virtus hæcceitatis exhauritur in hoc, quod faciat hoc indiuiduum non esse illud, non autem quod faciat hoc indiuiduum perfectius alio. Conf. quia quicunque perfectionis excessus admittatur inter indiuidua inducit inter ea maiorem distinctionem, quam numericam, & indiuidualem, vt de se patet & Aduersarij concedunt, dum dicunt distinctionem indiuiduales saluari absque excessu perfectionis, sed differentiæ indiuiduales, quantum est ex natura ipsarum, nequeunt maiorem distinctionem causare, quam indiuidualem, scilicet quod hoc non sit illud, vt conclusione sequenti probabitur, ergo per eas nequit inter indiuidua haberi inæqualitas perfectionis.

Respondent aliqui verum quidem esse ex vi indiuiduationis, vt sic, haberi solam distinctionem indiuidualem, quæ faciat esse hoc, & illud, sed ratione talis indiuiduationis posse haberi aliquam maiorem distinctionem. Sed hæc solutio reijcitur ex dictis quæstione præcedenti, vbi conclusum est omnes differentias indiuiduales esse à parte rei primò diuersas, nec dari conceptum indiuiduationis realem (sed ad summum per intellectum) qui contrahatur ad talem, & talem indiuiduationem; ergo nequit à parte rei distingui indiuiduatio vt sic, ab indiuiduatione tali; tum quia si tot formalitates possent in eadem hæcceitate distingui, vt secundum vnam daret distinctionem indiuidualem, & secundum aliam distinctionem maiorem, tunc dici posset quod etiam daret distinctionem specificam, imo & genericam multiplicando in ea formalitates. Ideò Ouied. loc. cit. ait, quod excessus perfectionis fundaretur in illo prædicato communi, quod aliqua indiuidua eiusdem speciei participarent non participatum ab alijs, & per tale prædicatum distinguerentur ab eis. Sed iam præcedenti conclusione ostensum est non dari tali prædicatum commune medium inter specificum, & indiuiduale. Deinde quia ipso etiam admisso, si talis maior distinctio non habeatur ratione indiuiduationum, sed ratione talis prædicati, & similiter excessus perfectionis, iam sumus extra præsentem quæstionem, quæ procedit de distinctione, & perfectione, quæ præcisè potest haberi ab ipsis indiuiduationibus; tum tandem quia data opposita sententia non apparet, cur sicut plura indiuidua possunt alia excedere in perfectione, ita quoque vnum figillatim sumptum nequeat aliud excedere, quo casu dato ruit ista responsio, quia tunc illud excederet non ratione alicuius prædicati sibi communis cum alijs, sed præcisè ratione suæ hæcceitatis.

172 Quintò dantur aliqua indiuidua eiusdem speciei, in quibus nullus cernitur perfectionis excessus, vt constat in rebus homogeneis, si enim aqua in plures diuidatur partes, consurgunt plura indiuidua, quæ sunt æquè perfecta in esse indiuiduali; sed est eadem ratio de istis, & omnibus alijs cuiuscumque speciei; ergo omnia prorsus erunt eiusdem perfectionis indiuidualis; probatur minor, quia in alijs quoque indiuiduis aliarum specierum non aliud reperitur in ipsis præter naturam specificam, nisi propriæ indiuiduales differentiæ; cum ergo in exemplo allato de pluribus aquis differentiæ indiuiduales non ponant excessum perfectionis vnius indiuidui super aliud, idem dicendum erit de indiuiduis aliarum specierum, quia quantum ad hoc omnes indiuiduales differentiæ sunt eiusdem rationis in quacunque specie. Conf. quia si aliqua inæqualitas perfectionis ex differentia indiuiduali prouenire posset, maximè proueniret ex differentia indiuiduali animarum rationalium, eo quia videmus vnam operari melius alia, & ex perfectiori operatione arguitur perfectior forma, sed hoc non est sufficiens vt talis inæqualitas ponatur in ipsis, ergo tantò minus in alijs, maior patet, quia hac de causa præsens quæstio specialiter agitatur de animabus rationalibus ab Auctoribus potius, quam de alijs indiuiduis. Probatur minor, quia quicunque excessus perfectionis reperitur quoad operationes animæ inter diuersos homines, reperitur etiam in eodem homine quoad diuersa tempora, magna namque variatio cernitur in ipsis, dum homo est puer, iuuenis, vel senex, magna etiam contingit ex quibusdam morbis, & quidem non quia eadem anima modò sit perfectior, modò imperfectior seipsa substantialiter, sed ex varia temperie corporis, & organorum quæ modò magis, modò minus purgata sunt; cum ergo talis differentia, vel varietas in operationibus animæ sufficienter colligatur ex sola diuersitate temperamenti accidentalis, & aliorum humorum sine vlla prorsus diuersitate substantiali, aut indiuiduali corporis vel animæ, malè ex hoc capite arguitur excessus perfectionis substantialis vnius animæ super aliam. Conf. adhuc, quia si ex perfectiori operatione volumus semper arguere maiorem perfectionem substantialem in operante, tunc talis perfectio, vel perfectionis excessus tribui deberet naturæ potius,

quam indiuiduali differentiæ, quia natura est ratio agendi differentia verò indiuidualis tantùm conditio agendi, vel agentis, ergo talis inæqualitas nullo pacto ex parte differentiarum potest attendi. Demum pro hac conclusione est expressa Aristot. auctoritas 3. Met. 11. vbi in indiuiduis eiusdem speciei docet non dari prius, & posterius, hoc est, magis, & minus perfectum, vt colligitur ex verbis textus, quæ ponderaui disput. cit. de gen. num. 133.

173 Dico 3. inter indiuidua eiusdem speciei ex vi indiuiduationum maiorem substantialem dissimilitudinem, vel diuersitatem reperiri non posse præter hanc, quod vnum non est aliud; dixi substantialem, quia maior distinctio accidentalis vtique haberi potest supra esse hoc, & esse illud, nimirum aut ratione intensionis, vel extensionis, vel alterius accidentis, consequentis hanc indiuidualem differentiam, vel illam. Conclusio hęc sequitur ex præcedenti, vbi probatum est quemcunq; excessum perfectionis entitatiuæ repertum inter indiuidua, si daretur, inducere inter illa maiorem distinctionem, quam sit indiuidualis, id est quod hoc non sit illud; & ideò cum ibi probatũ sit non dari talem excessum inter indiuidua eiusdem speciei, sequitur indè non dari posse talem maiorem dissimilitudinem inter illa; vndè & eisdem ferè rationibus probatur, sicut illa; eadem sunt principia constituiua, & distinctiua, & eodem prorsus modo, quo constituunt, etiam distinguunt, vt quæ specificè constituunt, specificè etiam distinguant, & quæ indiuidualiter constituunt, indiuidualiter quoque tantùm distinguant, non autem distinctione maiori; sed differentia indiuidualis tantùm indiuidualiter constituit, ergo tantùm indiuidualiter distinguit; maior est probata, minor de se patet, & consequentia est clara; & hoc argumentum adeò euidens mihi videtur, vt non videam quid probabiliter responderi possit; Si namq; dicatur ex vi indiuiduationis, vt sic, haberi vtique solam indiuidualem distinctionem, sed ratione talis indiuiduationis posse haberi aliquam maiorem. Præterquamquod hæc euasio præclusa est paulò supra num. 171. eodem argumento reijcitur, quia ratio superior maiorem distinctionem causat, quam inferior, quia est vniuersalior, & distinguit secundum esse magis commune; si ergo ratione indiuiduationis, vt sic, habetur tantum iudiuidualis distinctio nimirum, quod hoc non sit illud, implicat quod possit haberi distinctio maior per talem indiuiduationem, quia hæc est ratio inferior ad illam. Et si dicatur cum Ouuied. talem distinctionem maiorem haberi ratione prædicati communis, quod possunt aliqua indiuidua sub eadem specie participare, & non alia, hoc etiam num. cit. 171. refutatum est Conf. quia distinctio indiuidualis, quæ facit hoc non esse illud, est vltima, & minima distinctio inter omnes distinctiones substantiales; ergo si datur, vel dari potest maior distinctio substantialis inter indiuidua eiusdem speciei præter esse hoc, & illud, hæc erit diuersum genus quoddam ab indiuiduali distinctione, neque per differentias indiuiduales poterit haberi; prima consequentia patet, quia si est maior distinctio, quam esse hoc, & illud; ergo non est indiuidualis distinctio, quia hæc ex suo genere est vltima, & minima inter omnes; alia consequentia etiam patet, quia per differentias indiuiduales non nisi indiuidualis distinctio haberi potest.

174 Deindè si esset maior distinctio inter plura indiuidua eiusdem speciei præter esse hoc, & illud, & talis distinctio est per prædicata intrinseca, & substantialia, sequitur contradictio, quòd essent, & non essent eiusdem speciei, essent quidem ex suppositione, non essent autem, quia dicuntur differre pluſquam numero, sed omnis talis distinctio, quando est per prædicata intrinseca, & substantialia, est essentialis, & specifica distinctio, sicut enim nequit dari prędicatũ substantiale medium inter indiuiduale, & specificum, ita nequit dari distinctio media inter specificam, & numeralem, vt constat ex dictis in prima Conclusione contra Ouuied. & Auersam. Conf. quia modò arguimus hominem, & equum specie distingui, quia ex operationibus arguimus inter ea maiorem diuersitatem, vel dissimilitudinem, quam quod hoc non sit illud; ergo si talis dissimilitudo maior reperitur inter plura indiuidua eiusdem speciei, & habetur per prædicata eis intrinseca, & substantialia, poterit hinc deduci, quod non sint eiusdem, sed diuersæ speciei, sicut eadem ratione deducimus, Petrum, & Brunellum specie distingui. Dices non quæcunque prædicata intrinseca, & substantialia, si sint diuersa, inferre inter sua constituta specificam diuersitatem, sed solùm quando sunt quidditatiua, & essentialia, qualia non sunt quæ distinguunt aliqua indiuidua vnius speciei. Contrà, quia talia prædicata si darentur, essent intrinseca, & communia pluribus, ergo nihil eis deficeret, vt essent quidditatiua, & essentialia, & consequenter specificè distinguerent sua constituta ab alijs, consequentia patet, quia Philosophi per prædicata quidditatiua, & essentialia, intelligere solent prædicata intrinseca, & communia pluribus. Et si dicas cum Arriag. & Ouuied. talia prædicata non distinguere specificè, quia non distinguunt notabiliter, hæc euasio præclusa est supra n. 167.

Argumenta ad oppositum soluta.

175 IN Contrarium Primò obijciunt contrà secundam conclusionem, quod sicut genus contrahitur per differentias specificas inæquales, ita etiam contrahi debet species per numerales. Deindè arguit Arriag. cit. subsec. 2. quia cognitio de Petro solo nõ differt specie a cognitione de Ioanne, & Paulo, vt fatentur omnes, sed cognitio de Ioanne, & Paulo simul perfectior est, quia plura obiecta repræsentat, quam cognitio de solo Petro, ergo duo indiuidua eiusdem speciei possunt esse inæqualia. Rursus arguit Ouuied. cit. §. 4. nu. 30. duo indiuidua possunt habere aliquod prædicatum ipsis commune, quod non sit commune alijs; ergo possunt in hoc prædicato physicè superare prędicatum illi correspondens in alijs indiuiduis, ergo secundum hoc prædicatum possunt hæc indiuidua esse alijs perfectiora, ergo inæqualia. Tandem arguunt ex auctoritate Salomon. cap. 8. vbi Deo refert gratias, quod animam bonam sortitus sit in comparatione ad alios homines; & ex Arist. 2. de generat. animal. cap. 3. vbi ait, sicut anima est perfecta magis, vel minus; ita corpus præparat.

Resp. negando paritatem, quandoquidem differentijs specificis inæqualitas perfectionis non repugnat, benè tamen indiuidualibus, vt probatum est. Ad 2. supponitur falsum in argumento nempe cum Petrus, & Paulus simul cognoscuntur, cognosci eodem actu, nam pluribus actibus saltim numero distinctis cognosci iam ostendi contrà Arriag. disp. 6. de Anim. quæst. 9. Ad 3. negatur assumptum, nam tale prædicatum intrinsecum, & commune pluribus indiuiduis eiusdem speciei, non autem omnibus, repugnare monstratum est conclusione prima; quo etiam admisso, si in ipso fundatur inæqualitas perfectionis illorum indiuiduorum, iam non habebitur ex ipsis differentijs indiuidualibus, sed ipsæ adhuc æquales erunt. Ad vlt. gratias Deo refert Salomon, quod acceperit animam meliorem non quidem substantialiter, sed accidentaliter ratione dispositionis corporalis, ac donorum superadditorum gratiæ, & naturæ, quo sensu etiam intelligi debet, quod communiter dicitur animam Christi Domini fuisse perfectiorem animæ Iudæ; Arist. loc. cit. loquitur de animabus specie diuersis, quod si contendatur loqui de eisdem speciei; interpretandus est de maiori perfectione accidentali; cætera argumenta contra hanc conclusionem vrgentia tum de animis rationalibus, tum de alijs formis materialibus soluta sunt disp. 5. cit. de gener. q. 5. art. 2.

176 Secundò arguit Arriag. contra secundam conclusionem Petrus, & Paulus sunt indiuidua eiusdem speciei, sed tamen habent maiorem dissimilitudinem inter se, quam numericam, ergo &c. probat minorem, quia Petrus, & Paulus includunt vniones magis inter se dissimiles, quam esse hanc, & hanc, ergo & ipsi inter se magis differunt, quam numero, etiamsi non specificè, consequentia patet, probatur antecedens, quia vnio Petri ex se determinatur ad materiam, & formam Petri, itaut non possit poni inter materiam, & formam Pauli, hæc autem non est sola, & pura differentia numeralis, quia talis differentia versatur quoque inter plures vniones possibiles inter materiam, & formam huius, vel illius, ergo est differentia maior numerali, & tamen non est specifica.

Respondet Poncius cit. negando minorem, ad cuius probationem ait, quod Petrus, vel Paulus non includit talem vnionem, vt habet illam maiorem differentiam, esset enim idem numero Petrus, quamuis illam non includeret, sed aliam quamcunque. Quod si Petrus ex natura sua peteret talem vnionem particularem pluſquam numero distinctam ab vnione, quam peteret Paulus, dicendum esset, quod essent distinctæ speciei; nec refert, quod communiter reputentur esse eiusdem speciei, quia considerantur communiter, vt homines, & vt includunt formalitates spectantes ad esse hominis, qua homo est præcisè, easq; quæ consequuntur ad illas formalitates, vndè cum in his formalitatibus non habeant dissimilitudinem, meritò censentur eiusdem speciei humanæ, quamuis secundum alias considerationes essent diuersæ speciei. Hæc solutio falsa est quoad vtramq; partem, quoad primam quidem, quia falsum est, quod Petrus esset idem numero homo, si haberet vnionem Pauli, quia illæ vniones habent diuersos numero terminos, & fundamenta, vndè Petrus habendo vnionẽ Pauli, non haberet eandem numero materiam, & formam, ex quibus modo constat, & sic non esset idem numero homo, impossibile ergo est Petrum, vt sic, constitui ex vnione Pauli. Quoad aliam partem adhuc falsior est, quis enim non nisi mente captus concederet Petrum, & Paulum esse distinctæ speciei? nec refert, quod inquit debere absolutè loquendo eiusdem speciei, quia consideratur cõmuniter homines, vt includunt formalitates spectantes ad esse hominis, vt sic, nempe animalitatem, & rationalitatem; non, inquam, id sufficit ad euitandum hoc absurdum, quia negant Aduersarij vnionem non pertinere ad essentiam compositi, tum quia hic quadrat maxima illa Scoti, & generalis regula ab eodem assignata 2. d. 1. q. 6. ad 1. princ. quod quæcunq; differentia sufficit ad distinguendum, sed non quæcunque identitas sufficit ad perfectam identitatem aliquorum, vndè iuxtà hanc regulam Petrus, & Paulus ex diuersitate specifica vnionum suarum deberent simpliciter, & absolutè dici specie differre potius, quam conuenire ratione animalitatis, & rationalitatis.

177 Respondeti itaque potest melius tripliciter, primò negando minorem, quod distinctio inter vnionem Petri, & Pauli sit maior, quam numerica, & ad probationem dicitur, quod illa maior diuersitas, quam habere videntur præter numeralem, non est eis intrinseca, sed accidentalis, & extrinseca ratione diuersitatis extremorum, vt magis mox explicabitur in solutione sequentis argumenti. Vel concessa tali diuersitate inter illas vniones, adhuc negatur consequentia hinc deducta, quod nempe talis eadem diuersitas redundet quoq; inter Petrum, & Paulum, quia vnio non includitur in essentia compositi, sed tantum vt conditio sine qua non, vt dictum est disput. 5. q. 12. artic. 2. vnde quamuis etiam vniones Petri, & Pauli essent diuersæ spe-

speciei, adhuc non sequenter Petrum, & Paulum esse diuersi speciei & plusquam numero distinctos. Hanc tamen solutionem impugnat Ponc. cit. 1. quia quamuis vniones non includerentur per se in composito, sed per modum conditionis, tamen materia Petri respicit vnionem Petri sic, vt non possit subiectare vnionem Pauli; ergo est differentia plusquam numerica inter materiam, quæ per se includitur in Petro, à materia Pauli, & consequenter Petrus, & Paulus distinguuntur plusquam numero non minus, quam sic distinguerentur, si per se includerent vniones. Tum quia quæcunque ex natura sua intrinseca præsupponunt conditiones diuersæ rationis sunt diuerse rationis, sed Petrus præsupponit (vt in hac secunda responsione supponitur) vnionem distinctæ rationis ab ea, quam præsupponit Paulus; ergo Petrus, & Paulus sunt distinctæ rationis. Attamen hæc responsio despicienda non est, quandoquidem eam probabilem iudicat Doctor 4. d. 43. quæst. 1. in fine lit. I. vbi ait, quod compositum potest redire idem, licet non redeat eadē vnio partius, quia illa vnio non est de essentia totius. Neque impugnationes Poncij molestiam ferunt, quia falsum est assumptum, quod scilicet materia Petri ita respiciat vnionem Petri, vt nequeat subiectare vnionem Pauli, vnio quidem Petri determinatè respicit materiam Petri, quia cum sit essentialis determinatio nequit esse indifferens, non tamen è contra, quia materia quantum est de se indifferens est ad quamlibet vnionem, sicut ad quamlibet formam, immo hoc ipsum fatetur Poncius ipse in sua solutione ad hoc argumentum, dum ait quod Petrus esset idem numero homo, quamuis talem vnionem non includeret, sed aliam quamcunq. vnde paucis verbis sibi contradicit. Ad aliam impugnationem quicquid sit de maiori, quam non probat, negatur minor, quia in hac secunda solutione conceditur quidem vniones Petri, & Pauli esse diuersæ rationis, vel saltim plusquam numero distingui, non tamen conceditur Paulum ex sua intrinseca ratione præsupponere vnionem diuersæ rationis ab ea, per quam constituitur Petrus, cum enim ponatur concurrere, vt pura conditio, non autem vt quid intrinsecum, & essentiale ipsi, non eam præsupponit ex sua intrinseca ratione.

Tandem concesso vnionem esse de essentia compositi, & vniones Petri, & Pauli esse diuersæ rationes, vel saltim plusquam numero differre, adhuc negatur hinc sequi Petrum, & Paulum eodem modo debere distingui; quia vt munet Doctor 2. d. 3. quæst. 6. I. non tanta esse distinctio debet in constitutis, quanta est in constituentibus, quia possunt constituentia, nedum specie differre, immo esse primò diuersa, vt constat de differentijs indiuidualibus, & adhuc constituta conuenire in aliqua communi ratione quidditatiua, eo quod cum differentia indiuiduali communem naturam includunt, quæ est communis omnibus indiuiduis; ita igitur dicendum in proposito, quod quamuis vniones Petri, & Pauli essent diuersæ rationis, vel plusquam numero differentes, quia tamen præter vniones continent materiam, & formam, quæ eiusdem rationis sunt in vtroque, & solo numero differunt, ideò non sequitur Petrum, & Paulum ita distingui debere, sicut vniones ipsorum.

178 Secundò, arguit idem, Ouuied. vrgendo exempla insinuata supra num. 164. quæ adducebat prima opinio, nam visio vnius albedinis distinguitur, magis à visione alterius albedinis; ergo habet aliquam dissimilitudinem cum visione alterius albedinis plusquam numericam; item præsentia localis, qua ponitur Petrus Romæ magis est dissimilis præsentiæ; qua ponitur Venetijs, quam alteri præsentiæ, qua poneretur Romæ, ergo inter præsentiam Romanam & Venetam, est maior differentia, quam inter plures Romanas, sed istæ numero distinguuntur, ergo illæ plusquam numero, cum tamen omnes sint eiusdem speciei ex dictis in Physica. Item duæ actiones, quibus possunt ignis A, v.g. & ignis B. producere duos numero calores sunt magis dissimiles, seu magis distinguuntur, quam duæ actiones quibus posset ignis A, vel B. producere eundem numero calorem distinctim, sed istæ duæ numero differunt, ergo illæ duæ plusquam numero intra eandem speciem.

Respondet Poncius loc. cit. actionem qua producitur vnus calor, hoc ipso quod ex natura sua determinatur ad illum calorem, ita nequeat etiam de potentia absoluta ad alium terminari, esse omninò distinctæ speciei ab alia actione, per quam producitur alius calor numero distinctus, & idem ait esse dicendum seruata proportione de Vbi, & visionibus, alijsque rebus eiusdem rationis. Hanc solutionem, quæ est multorum Recentiorum impugnat Ouuied. quia hinc sequeretur indiuidua humana specie distingui, nam modus vnionis est de essentia hominis, ergo si vnio quæ est in Petro specie distinguitur ab ea, quæ est in Paulo, sequitur etiam Petrum, & Paulum ita inter se distingui. Sed hoc argumentum iam supra solutum est; & ideò ex eo communi medio debet impugnari præfata responsio, quod distinctio specifica respectuum, & actionum sumi debet ex termino, vel fundamento, seu ratione fundandi, vel saltim ex aliqua speciali conditione, & connotato, vt dictum est in Logica, sed ex nullo horum capitum sumi potest specifica conditio prædictorum in allatis exemplis, cum omnes illi respectus versentur inter terminos, & fundamenta eiusdem speciei; ergo enumerati respectus nequeunt poni specie distincti. Conf. à fortiori, quia aliæ quædam relationes tam rationis, quam reales, quæ habent terminos, vel fundamenta magis diuersa, quam enumeratæ, quia tamen habent rationem fundandi eiusdem rationis, aut consimilem modum denominandi, adhuc non ponuntur specie distingui, vt patet de relatione genereitatis fundata in substantia & accidente, vel relationibus specieitatis fundatis in homine, & equo, quas proindè ponit Doctor quol. 6. X. tantùm numero distinctas, idem etiam contingit de similitudinibus duarum albedinum, & duarum nigredinum, vt dixi disp. 8. Log. q. 10. art. 1. in fine, quia licè naturæ, quæ sunt extrema illarum relationum, sint alterius rationis, modus tamen vnitatis, qui est ratio proxima fundandi eas, est vtrobique eiusdem rationis, eo modo quo dicunt Arithmetici proportionem duplam inter duo, & quatuor repertam esse eiusdem rationis cum ea, quæ reperitur inter quinque, & decem, etiamsi numeri, qui illas fundant, specie inter se differant; sicut ergo hac ratione ex dictis ibidem omnes paternitates sunt eiusdem rationis inter se, omnes item similitudines, & omnes dissimilitudines, quod enim reperiantur in his, & illis naturis specie diuersis est prorsus accidentale rationibus earum; sic à fortiori dicendum in proposito de relationibus in argumento enumeratis, quod omnes sint eiusdem speciei, quia versantur inter extrema eiusdem speciei, & omnes habent rationem fundandi eiusdem rationis.

179 Quod autem illi respectus ita se habeant, vt quæ afficiunt hæc extrema, nequeant afficere alia, hoc non efficit, vt debeant censeri alterius rationis, quia talis repugnantia non oritur ex natura, & essentia ipsorum, sed potius ex eorum hæcceitate, & ideò non facit eos esse alterius rationis ab alijs respectibus, qui petunt alia extrema, sed solam arguere potest numericam distinctionem inter ipsos, non verò maiorem, sicut ex eo, quod negatio identitatis cum alio indiuiduo reperiatur in vno, & non in alio, non arguit inter ea maiorem distinctionem, quam numericam. Cum verò instatur debere arguere maiorem saltem intrà eandem speciem, quia omnes respectus, qui possunt esse inter eadem numero extrema, inter se magis conueniunt, quam cum alijs respectibus eiusdem rationis, qui non possunt esse inter illa eadem extrema, sed petunt alia numero distincta; & ideò cum omnes illi inuicem comparati numero distinguantur, debent plusquam numero ab alijs differre. Resp. talem distinctionem esse maiorem maioritate accidentali, non autem substantiali, & intrinseca, eo ferè modo, quo dicere soluemus plures calores, vt quatuor, magis differre à calore, vt sex, quam differant abinuicem, nam magis differunt non maiori distinctione substantiali, sed accidentali ex maiori, vel minori pluralitate gradum, quæ accidit calori, vt sic; sic in proposito plures v.g. præsentiæ Romanæ plus differunt à præsentijs Venetis, quam ipsæ differant inter se, sed maioritas ista non est substantialis, sed accidentalis, quia accidit præsentiæ, vt sic, quod sit Romana, vel Veneta; neque Romana denominatio competit pluribus illi præsentijs, quas ego possum habere Romæ, ratione alicuius prædicati illis intrinseci, ac essentialis, sed ex aliquo superaddito respectu ad centrum, vel polos, qui illis præsentijs accidit si non physicè, & separabiliter, saltim metaphysicè, & ideò non est commune prædicatum intrinsecum illis, quod proindè inter illas, & alias præsentias, scilicet Venetas inducat maiorem distinctionem substantialem, quam sit numerica; & ita pariformiter dicendum de vnionibus pluribus possibilibus inter materiam, & formam Petri, & alijs possibilibus in Paulo, nam omnes sunt eiusdem rationis, & omnes numero differunt, & adhuc magis differunt Petrinæ vniones, à Paulinis, quam Petrinæ inter se, hic tamen excessus distinctionis non est substantialis, sed accidentalis, & extrinsecus, quia competit eis per aliquod prædicatum, quod eis accidit saltim metaphysicè, sicut v. gr. diceremus magis distingui plures homines albos à pluribus nigris, quam albi distinguantur inter se, magis, inquam, accidentaliter, non substantialiter.

180 Et adhuc facilius soluitur argumentum de visionibus, & alijs actibus intellectus, aut appetitus comparatis ad idem numero obiectum, vel plura eiusdem rationis, quia huiusmodi actus non sunt puri respectus, vt enumerati in alijs exemplis, sed sunt entitates absolutæ de genere qualitatis, vt notat Doctor quol. 13. ac proindè ordo ad obiectum non est intrinsecus, & essentialis eis, quia respectus non est de essentia absoluti, sed ad summum realiter identificatus; vndè cum absolutum saltim natura præcedat respectum in ipso fundatum, siue sit prædicamentalis, siue transcendentalis, nequit indiuiduari per ordinem ad aliud, atque ideò, inquit Doctor, cum dicitur actus per obiecta distingui, id intelligi debere manifestatiuè, ac veluti extrinsecè. Atque ita in proposito, ita numero distinguuntur duæ visiones terminatæ ad duas albedines, sicut duę determinatæ ad eandem, nec magis substantialiter distinguuntur illæ duę inter se, quam istæ duæ; quia maior disconuenientia inter illas reperta, quia scilicet terminatur ad diuersas numero albedines itaut quę terminatur ad vnam nequeat terminari ad aliam, est illis extrinseca, & accidentalis, & eis realiter identificatus, non tamen formaliter, & essentialiter, vndè vnaquæque illarum visionum, etiam quatenus hæc, quantum est de se ità posset terminari ad istam albedinem, sicut ad illam, quia talis respectus non eas singularizat, sed eas supponit indiuiduatas.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

An vnitas indiuidualis sit principium numeri, & hæc in omnibus rebus reperiatur, vbi etiam de radice multiplicationis indiuidualis.

181 PRæter vnitatem transcendentalem, quæ est entis, vt sic, adæquata passio, & essentialem, seu formalem, quæ ponitur propria naturarum communium prædicamentalium, in hac vltima quæstione explicanda est vnitas indiuidualis, quæ dicitur omnium maxima, & ponitur passio indiuidui; & quia vulgò appellari solet etiam apud metaphysicos vnitas numeralis, videndum est, an id rectè dicatur, adeo quod ipsa sola propriè dicatur principium numeri, quem etiam principiare possit in omni ente, siue prædicamento. Nominales 1.d.24. docent non solam vnitatem indiuidualem esse principium numeri, sed etiam quamlibet aliam tam formalem, quam transcendentalem, & fundantur in communi modo loquendi, iuxtà quem dicimus non solùm duos lapides, duos homines, sed etiam duas naturas, duo genera, duo prædicamenta, & denique duo vel tria entia, ita Rubion loc. cit. cum alijs Nominalibus. Alij verò communiter extra scholam Nominalium docent solam vnitatem indiuidualem esse principium numeri propriè dicti, qui tamen adhuc inter se discrepant, nam quidam ita limitant hanc vnitatem, quæ est principium numeri, vt in solis rebus quantis reperiatur, adeout sola vnitas indiuidualis de genere quantitatis sit principium numeri propriè dicti, quorum vnicum fundamentum est, quia numerus est species quantitatis, & ex diuisione quantitatis continuæ dicitur resultare 3. Phys. 68. sic passim videntur sentire Thomistæ ex D. Thoma 4. Metaph. sect.2. Capreol.1. dist.24. quæst.1. art.1. Iauel.4. Metaph.q.8. Soncin. 4. Metaph. quæst.25. Durand. 1. dist. 24. quæst. 2. Fonsec. 5. Metaph. cap.13. q.3. sect.3. Suarez disp.4. Metaph. sect.9. num.8. & seqq. vndè consequenter deducunt vnitatem, quæ est principium numeris superaddere accidens, quod est de genere quantitatis, atque ideò talem vnitatem in rebus solùm materialibus, & quantis reperiri. Alij verò è contra vnitatem, quæ est principium numeri, non ad solum restringunt quantitatis prædicamentum, sed illam extendunt ad quodcunque prædicamentum, & quodlibet genus entium, itaut quodlibet indiuiduum in vnoquoque genere habeat suam vnitatem, quæ possit esse principium alicuius numeri, si cum alijs entibus computetur, ita quoque Nominales loc. cit. & alij ex Realibus extra Scholam D. Thomæ; & hunc dicendi modum quoque ait esse probabilem noster Alensis 5. Metaph. tex. 18. & lib. 10. ab initio, ac etiam inferius in eodem libro tex. 21. licèt dicat priorem esse probabiliorem de mente Philosophi, qui solum videtur posuisse numerum in ijs, quæ resultant ex diuisione continui; determinatè tamen ex nostris tenent Bassol. 1. distinct. 24. quæst. vn. artic. 3. Tatar. in Logica cap. de quant. notab. 3. & alij ex Scotistis, & sequuntur Recentiores passim.

182 Dico primò sola vnitas indiuidualis est principium numeri propriè dicti, & numerum constituit alijs confimilibus vnitatibus adiuncta. Hæc est communis contra Nominales, & probari potest ex communi modo loquendi nedum vulgarium, sed etiam Sapientũ qui per vnitatem numeralem, quæ est principium numeri solam indiuidualem intelligunt, quo factum est vt per vnitatem numeralem sola significetur vnitas indiuidualis, & singularis, sic loquitur Scotus 2.d.3.q.1. per totam quæstionem, vbi vnitatem indiuidualem semper appellat numeralem; & hunc loquendi modum docuit ipse Aristot. 3. Met. 14. dum ait *numero enim vnum dicere, aut singulare nil differt, ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est*, & 10. Met. tex. 1. rursus repetit *numero igitur, indiuisibile est singulare*, & de hoc vnio numero, quod hic vult esse idem, ac singulare subdit statim tex. 2. quod est mensura numeri, quod vtique verum non esset, nisi veram, & rigorosam vnitatem numeralem importaret. Ex quo communi loquendi modo confici potest prima ratio pro nostra conclusione, sola vnitas numeralis principium est numeri propriè dicti, hac enim de causa numeralis denominatur, quia numerum causat, & constituit; sed inter omnis vnitatis gradus sola vnitas indiuidualis, & singularis vocatur vnitas numeralis, ergo sola vnitas indiuidualis est principium numeri.

Deindè illa vnitas est principium numeri propriè dicti, vt hic de eo loquimur, quæ omnem prorsus excludit numeralem multitudinem, & cum ea incompossibilis est, nam vnitas numeralis multitudini numerali directè opponitur; sed talis est sola vnitas indiuidualis, non verò specifica, generica, vel transcendens; ergo ipsa sola est principium numeri. Maior patet, probatur minor, quia veritas specifica stat cum multitudine numerali, vnitas generica cum multitudine specifica, & denique; transcendens cum multitudine generica, adeò vt sola vnitas singularis omnem prorsus excludit multitudinem; ergo hæc sola est principium multitudinis numeralis. Conf. vnum quod est principium numeri debet esse indiuisibile in plura numero ex Ario. Metaphysic. ab initio, sed tale est solùm vnum numero, non autem vnum specie, vel genere, ergo &c. Conf. adhuc, quia per numerum res secernuntur, & distinguuntur ab inuicem, sed per vnitatem vniuersalem, qualis est specifica, & generica, vel transcendens, res numeratæ non distinguuntur, sed potius in eis confunduntur, ac adunantur, & solùm per vnitates singulares omninò inter se distinguuntur, ergo hæc sola vnitas est principium numeri.

183 Præterea, si non tantùm indiuidualis vnitas posset esse principium numeri, sed etiam quælibet alia vnitas specifica, generica, & transcendens, ergo vnitas numeralis nedum erit omnium infima, sed potius omnium suprema, imò omnes aliæ erunt species quedam numeralis vnitatis, etiam ipsamet vnitas transcendens, quæ ponitur passio adequata entis; hoc autem constat omninò falsum esse, quia tunc admittendus esset aliquis conceptus entis communior ipso ente, vt sic, cuius ponatur passio vnitas numeralis, vt sic, quæ ponitur esse communior ipsa vnitate transcendenti iuxta hunc modum dicendi Nominalium. Conf. quia vel vnitas numeralis ponitur esse quædam determinata species vnitatis transcendentalis, vel è contrà; si primum, habetur intentum, quod scilicet vnitas transcendens nequit esse principium numeri, quia vnitas numeralis aliquid ei superaddit, ratione cuius est principium numeri; si secundum, sequitur id quod prius, scilicet vnitatem numeralem esse communiorem vnitate transcenденti, quæ est passio entis adequata. Demum videmus rationes vniuersales, naturasq; communes non numerari, nisi quatenus intelligitur contractæ per hæceitates, ac indiuiduales differentias, duo enim animalia significant hoc, & illud animal, duo entia hoc, & illud ens; ergo vnitas numeralis solas consequitur differentias indiuiduales, & ratione ipsarum potest aliquo pacto applicari naturis communibus, non autem ratione gradus vniuersalis ipsarum, vt volunt Nominales; vide Pasqual. tom.2. Met. disp.46. sect.3. vbi nobiscum hanc conclusionem defendit, ac etiam Meuris. lib.2. Met. cap.3. q.7.

Fundamentum verò Nominalium friuolum est, quia numerus abusiuè solùm, & impropriè applicatur naturis communibus, quo etiam pacto applicatur entibus rationis, secundis intentionibus, & chimæris; dicimus namq; duo entia rationis, duas species &c. sic pariter dicimus hoc, & illud genus, hanc & illam speciem, & tamen ex hoc modo loquendi non deducitur singularitatem propriè *illis* naturis conuenire in sua communitate consideratis, quia *id* solùm abusiuè dicitur, & non propriè, sed per translationem insinuando per vocabula hæceitatis gradum determinatum, etsi communem illarum naturarum in toto ordine entium. Accedit quod modò dicebamus numerum non applicari cum aliquali proprietate naturis communibus, nisi quatenus aliquo pacto contractæ intelliguntur saltim incompletè per singularitatem; ergo singularitas, vel melius singulare est propria, & immediata radix vnitatis numeralis.

184 Dico 2. hæc vnitas, quæ est principium numeri, reperitur in omni ente, non autem in solis rebus materialibus, aut in solo prædicamento quantitatis. Hanc tenent Bassol. Tatar. Meuris. & alij Scotistæ, ac Nominales contra Thomistas, sed inter alios egregiè defendit, & probat tum auctoritate, tum ratione noster acutissimus Aureolus 1.d.24.art.3. prop.1. nam Io.19. Angelis tribuitur numerus duodenarius, non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquà duodecim legiones Angelorum; similiter & Dæmon respondit Luc.8. quod nomen sibi erat legio, qui numerus secundum Hyeronimum, & Bedam est sex millia sexcenti sexaginta sex, ergo numerus verè reperitur in non quantis. Deindè probatur ratione, nam numerus discreta quantitas est subiectum in Arithmetica, sed rebus omnibus materialibus annihilaris, remanente sola Angelorum multitudine, adhuc Arithmetica locum haberet circà multitudinem illam, quoniam ibi reperiretur par, & impar, cubum, & quadratum, & sic de omnibus passionibus, quas Arithmeticus considerat, ergo &c. Tum quia vbicunq; est vera ratio summæ, ibi est ratio numeri, quæ consistit in summa, sed diuersæ summæ reperiri possunt in Angelis, eis enim attribui potest ternarius, quaternarius, millenarius, & sic de alijs; ergo &c. Tùm quia forma non diuersificatur, quantumcunq; applicetur ad subiecta alterius rationis, vndè eadem est albedo specificè in margarita, & niue; sed formalis ratio numeri consistit in clausione mensuratiua, quæ importatur per trinitatem, quaternitatem, & sic de alijs; ergo siue reperiatur huiusmodi mensuratiua conclusio in rebus materialibus, & quantis, siue in rebus immaterialibus, & abstractis, ipsa remanebit eiusdē rationis in omnibus. Tum demum, vbi reperitur totum discretũ, & partes discretæ, ibi verè est numerus, qui dicitur discreta quantitas, sed in Angelis est totũ discretum, ac etiā partes discretæ, denarius enim Angelorũ est quoddā totum constitutum ex decem Angelis abinuicem distinctis nō continuis; vel vnitis, vt patet; ergo verè in ipsis est numerus discreta quanticas, & vnitas, quæ est principium numeri.

185 Et ex hoc deduci potest ratio à priori nostræ conclusionis, quia numerus secundum suam rationem formalem conseruari potest in rebus non quantis, & immaterialibus, ergo immeritò restringitur solum ad res materiales, & coarctatur ad prædicamentum quantitatis. Probatur assumptum, quia numerus numeratus, de quo hic est sermo, de suo formali est collectio quędā vnitatum, quæ important discretionē, & numerabilitatē, vnde collectio se habet veluti materiale numeri, discretio vero, vel numerabilitas, tanquam formale; hoc totum habetur in rebus immaterialibus, & non quantis, haberi namque potest collectio vnitatum, ideſt plurium indiuiduorum, habetur etiam discretio talium vnitatum, & licet non sit discretio per discontinuationem, seu per negationem continuitatis, habetur tamen per diuersitatem hæceitatum, quæ discretio sufficit ad constituendā pluralitatem, quæ numerari possit, perindè ac in rebus quantis; ergo in rebus immaterialibus negari nequit numerus dictus cum omni proprie-

prietate, & vnitas quę talis numeri sit principium, & hęc est ratio fundamentalis conclusionis, qua passim vtuntur Nominales.

Fundamentum verò oppositę sententię facilè soluitur, quia nititur purę Arist. auctoritati, qui benignè interpretandus est, quod cum numerum reponit in prędicamento quantitatis, loquitur de numero quantitatiuo, & materiali, qui resultat ex diuisione, continui, & cuius principium est vnitas quantitatiua in indiuisione continui consistens, vt Tatar. & Bassolius exponunt, & de hoc numero pręcipuè mentionem facit, quia numerus rerum materialium est sensibilior, & nobis notior; non ob id tamen in alijs quoque rebus negari debet numerus, si in eis eadem, vel consimilis ratio inueniatur, propter quam ponitur in rebus quantis, qui ad illud prędicamentum spectet, in quo sunt res numeratæ, pręsertim quia numerus non est aliquod totum à rebus numeratis ex natura rei diuersum, soletque dici numerus transcendens, eo quia per omnia, & singula prędicamenta vagatur, & in omnibus rebus in suo genere, vel specie multiplicitatis reperitur; & in eodem sensu vnitas principium illius numeri dicitur transcendens, non quod sit ea, quę ipsum ens sequitur immediate, sed quia ad nullum speciale gradus entis coarctatur, sed per omnia vagatur.

186 Dico tertio vnitatem; quæ est principium numeri non esse quidpiam realiter à re numerata distinctum, & pręsertim non esse accidens de genere quantitatis illi realiter superadditum. Conclusio est contra Thomistas, & sequitur ex dictis suprà disp. 5. de vnitate transcendentali, quam diximus cum ente, vt sic realiter identificari, vt cum suo proprio, ac adęquato subiecto, cum enim vnitas numeralis sit quędam eius species, cum sit quædam determinata vnitas, debet & ipsa includere rationem vnitatis, vt sic, quę est transcendens, vt pote quę est inchoatio indeterminata cuiuscunque gradus inferioris vnitatis, cum igitur vnitas numeralis debeat proportionem seruare cum vnitate, vt sic, velut cum suo genere, sequitur, quod sicut vnitas transcendens cum ente, vt sic realiter identificatur, ita quoque quęlibet talis vnitas cum quodlibet tali ente identificari debet, & sic in proposito vnitas numeralis cum re numerata identificari debebit. Præterea probari potest omnibus illis rationibus, quibus loc. cit. probatum est vnum, vt sic, ab ente non distingui realiter, sicut enim ibi arguebatur, quod illud realiter distinctum enti superadditum deberet esse vnum non tantum, vt quo, sed etiam vt quod, quia non tantùm esset formalitas quędam, sed vera, & propria res, atque ideò propriam in recto haberet vnitatem; sic etiam argui potest in proposito, de vnitate numerali, quod si est aliquid realiter superadditum rei numeratæ, & præsertim accidens de genere quantitatis, tunc & ipsum propriam haberet numeralem vnitatem, & cum alijs entibus numerari posset, & sic daretur processus in infinitum. Tum quia, vt arguit Rubion. dist. 24. cit. q. 2. facta præcisione à re numerata cuiuscunque realiter distincti, & solùm concipiatur secundum proprium esse, adhuc res illa numerari potest, & cum alijs simul sumpta numerum componere ternarium, vel quaternarium per modum vnitatis. Tum quia omnis substantia potest esse sine omni accidente actualiter inhærente præsertim absoluto, sed impossibile est esse tres angelos, vel homines sine numero ternario; ergo nec numerus huiusmodi est accidens realiter superadditum, nec vnitates illæ ex quibus resultat.

Probatur vlterius, & magis adhuc declaratur, nam aliud est loqui de vnitate quantitatiua, quæ est principium numeri quantitatiui, qui dicitur resultare ex diuisione continui, & aliud est loqui de vnitate entitatiua, seu indiuiduali, quæ est principium numeri transcendentis, nam vnitas quantitatiua, cum consistat in indiuisione continui, est quidem accidens realiter superadditum substantiæ materiali, sicut & ipsa quantitas est illi accidentaria, & extrinseca, & sic etiam numerus quantitatiuus, est accidens ipsis rebus numeratis, quæ proindè sine tali numero existere possunt, vndè duæ guttæ aquæ separatæ, si inuicem vniantur, amittunt dualitatem quantitatiuam, & rursus acquirunt si denuò separentur; at aliæ vnitates numericæ entitatiuæ sunt intrinsecè rebus quarum dicuntur vnitates, quia quicquid est intrinsecè est vnum in seipso, vndè sic res sine talibus vnitatibus reperiri non possunt, sic etiam sine numero ex illis resultant, vndè quando duæ guttæ aquæ vniuntur, quamuis amittant dualitatem quantitatiuam, & fiant vna aqua per continuitatem, adhuc tamen retinent dualitatem transcendentalem, quia adhuc retinent suas hæcceitates, & adhuc sunt duæ res, non vna per identitatem, sed tantùm per coniunctionem; & ratio huius est, vt notauit Ant. And. 10. Metaph. quæst. 3. quia vnitas quantitatiua negat diuisionem continui; sed omnis alia vnitas numerica entitatiua negat diuisionem ex contradictione ortam, quia enim hoc ens non est illud ens, sit vt vnum dicatur. Neque hic rationes Thomistarum sigillatim referre opere prætium est, quia ex doctrina modò tradita facillimè diluuntur tum quia Soncin. 4. Metaph. quæst. 25. cit. oppositum huius conclusionis non probat, nisi quibusdam auctoritatibus Commen. de quibus parum nobis curandum est, quia non sumus in Schola Commentatoris sed Scoti.

187 Postremò addendum est id, quod benè adnotauit Pasqualig. disp. cit. rationem mensuræ, quam ait Arist. 10. Metaph. tex. 2. conuenire vnitati, quæ est principium numeri, non pertinere ad formale constitutiuum ipsius, sed esse passionem consequentem talem vnitatem, quatenus est pars componens numerum; hoc autem probatur, quia non est idem conceptus, qui de vnitate formatur, vt est principium numeri, & vt est mensura numeri; nam dicitur principium numeri ratione indiuisionis, quam in se importat, & diuisionis ab alio, ratione cuius sit, vt possit esse compars cum illo alio ad numerum componendum, dicitur autem mensura, quatenus replicata, & sæpius repetita manifestat numeri summam, & quantus sit, mensurare enim est per rem notam aliam ignotam manifestare, vt docet Doctor quol. 14. Si autem huiusmodi conceptus inter se conferantur nempe quod talis res, tanquam pars indiuisa veniat in constitutionem numeri, & quod rursus sit mensura numeri constituti, satis constat illum esse priorem, & istum posteriorem, & hunc ab illo deriuari, ex eo enim vnitas est mensura numeri, quia est pars indiuisibilis eius, vt docet Arist. loc. cit. & ideò benè concipi potest vnitatem esse partem constitutiuam numeri præscindendo ab eo, quod sit mensura, non tamen è contrà; est autem regula generalis, quod quotiescunque plures conceptus per se alicui conueniunt, ille pro essentia constituendus est, qui primò tali rei competit, & à quo alij originem ducunt, vt patet in homine, qui plures habet conceptus proprios ei per se competentes, scilicet rationalitatem risibilitatem, discursiuitatem, &c. & sola rationalitas pro eius essentiali ratione constituitur, quia primò homini competit, & alij verò secundariò, & ab eo originem ducunt, atq; ideò constituuntur pro passionibus; sic ergo in proposito discurrendum est de ratione indiuisionis, & mensuræ in vnitate, quæ est principium numeri, quod prima sit ratio essentialis eius, & altera passio.

At obijciunt, quod ratione indiuisionis in seipsa res ab alia diuiditur, & diuisio formaliter dicit recessum, vnitas verò numeralis dicit accessum, quia debent vnitates componentes numerum inter se accedere; atque ideò quod vnitas ratione indiuisionis nequeat esse principium numeri constitutiuum. Sed optimè occurrit Pasqualig. log. cit. lec. 4. verum quidem esse vnamquamqne rem hoc modo per suam vnitatem ab alia recedere, quatenus cum ipsa non communicat in eodem esse: at ex hoc ipso recessu habet, vt simul possit accedere ad aliam componendo numerum, quia non accidit per accessum illi recessui oppositum, scilicet per communicationem in eodem esse, sed alio accessu, nempe per collectionem partium discretarum, qui quidem accessus in actu primo dicit indiuisionem in seipso, & diuisionem ab eo, ad quod accedit, vt pars discreta ad constituendum numerum cum ipso.

188 Pro complemento huius disputationis de principio indiuiduationis, ac vnitate indiuiduali resoluendum est ex hactenus dictis dubium de radice multiplicationis indiuidualis, vndè scilicet proueniat, quod intra eandem speciem possint indiuidua multiplicari numero. Thomistæ passim aiunt hanc radicem esse materiam præsertim signatam, vndè & aliqui explicant, quod cum materia ponitur à D. Thoma principium indiuiduationis, hoc non debet intelligi de principio formali, nam, & ipsi fatentur id esse differentiam indiuidualem, sed de radicali, quia nimirum est radix, vndè prouenit multiplicatio indiuidualis, & à qua multiplicata sumuntur omnes differentiæ indiuiduales, supponunt enim materiam habere ex se suam indiuiduationem, atque quod in diuersas partes diuidi possit, vndè consequenter negant substantias spirituales esse numero multiplicabiles sub eadem specie, eo quia carent materia, nec esse possunt actus informantes materiam. Alij verò hanc opinionem tenent esse probabilem in rebus materialibus, quia re vera in ipsis materia est causa, & ratio, qua multiplicari possint indiuidua, licè substantiæ spirituales aliundè multiplicari possint, quem dicendi modum ex Recentioribus sequitur Auersa qu. 9. sec. 6. concl. 3. quod probat, quia pluribus in locis expresè significauit Arist. materiam in his inferioribus esse principium multiplicationis indiuiduorum; non enim rectè Scotus (inquit) 2. d. 3. q. 6. §. *ad quæstionem quintam*, tentauit explicare per materiam debere intelligi ipsam indiuidualem differentiam, quia satis manifestè apparet in textu, Arist. intellexisse materiam physicam, vt verè, & propriè ipsum nomen materię sonat. Probat etiam ratione, quia intantùm multiplicari possunt plura, & plura indiuidua in rebus materialibus, inquantum materia ex natura sua habet plures partes, & potest diuidi in plures portiones, in quibus plures formas recipere queat. Et in tantùm formæ ipsæ multiplicari possunt, inquantum habent materiæ copiam, ac etiam animæ rationales per ordinem ad materiam ideò multiplicari possunt, quia ex parte materiæ esse possunt plura corpora; sic ergo materia est causa, vt indiuidua multiplicari possint.

Cæterum materiam non esse principium radicale multiplicitatis indiuiduorum luculenter ostendit Doctor quol. 2. art. 1. vt enim esset tale principium, nedum ipsa deberet ex se multiplicabilis esse in diuersas portiones, sed etiam deberet esse ratio multiplicitatis formarum, tam substantialium, quam accidentalium vt etiam Thomistæ ipsi concedunt, qui ex hoc capite eam ponunt radicem omnis indiuidualis multiplicitatis in rebus materialibus; sed hoc est falsum, vt ibi solidè probat Doctor, & ostensum est suprà ex instituto q. 8. Tum quia multiplicatio indiuidualis formæ haberi potest sine multiplicatione indiuiduali materiæ, nam etiam naturaliter loquendo potest eadem numero materia sub diuersis numero formis successiuè reperiri per varias mutationes; ergo materia non est radix multiplicitatis indiuidualis absolutè loquendo. Tum quia adhuc minus consequenter loquuntur Auctores illi, qui materiam volunt esse in materialibus

præ-

præcisam radicem multiplicitatis individualis, & posteà adhuc talem admittunt multiplicitatem in substantijs spiritualibus; nam in causis præcisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio quoq; è contra est causa negationis; si ergo materia, est radix præcisa pluralitatis individualis, vbi non est materia neq; talis multiplicitas admitti poterit, vndè in hoc magis consequenter loquuntur Thomistę, qui cum id asserant, consequenter negant substantias separata posse numero multiplicari. Conf. quia si natura materialis, & formalis conueniunt in effectu individualis multiplicitatis, etiam in eius radice conuenire debebunt, quia idem effectus formalis non habetur nisi per eandem causam formalem, & eadem passio vbicunq; ponatur, semper eandem habet radicem, à qua promanat; aut ergo materia poni debet in omnibus naturis sic multiplicabilibus, tanquam præcisa causa, & radix eiusdem passionis, aut in nullis ad consequenter loquendum.

189 Dicendum igitur est cum Doctore loc.cit. & 2.d.3.qu.1. & 7. quod vel sit sermo de multiplicatione actuali, vel de aptitudinali, seu multiplicabilitate, si sit sermo de actuali multiplicatione, natura actualiter multiplicatur per differentias individuales ipsam diuidentes, & contrahentes, quia ista sunt principia formalia individuantia naturam; si verò sit sermo de multiplicitate aptitudinali, cum hęc sit passio ipsius naturæ creatæ, radix eius ex parte ipsius naturæ est assignanda, & est hæc, quod individuatio non sit de essentia naturæ, statim enim ac natura creata concipitur esse non de se, hæc, seu non in suo conceptu includere singularitatem, tunc etiam conciditur esse de se multiplicabilis, & per varias differentias contrahibilis; quod quidem probari potest tum à contrario, tum à consimili cum Doctore loc.cit. à contrario quidem, quia ideò natura diuina non est multiplicabilis in plures naturas consimiles, quia est de se hæc, & in suo intrinseco conceptu singularitatem includit; ergo è contra quia natura creata non est de se hæc nec in suo conceptu intrinseco claudit singularitatem, ideò de se multiplicabilis est in plures naturas consimiles, & hæc est proxima radix talis multiplicabilitatis; probatur etiam à pari de natura generica, quia formalis causa suæ multiplicationis specificæ sunt ipsæ differentiæ specificæ illam diuidentes, & contrahentes, causa verò radicalis suæ multiplicabilitatis est suamet essentia, quatenus in se, vel in suo intrinseco conceptu differentias specificas non includit, nam eo ipso, quod in suo conceptu quidditatiuo determinationem specificam non includit, remanet de se indifferens ad determinari specificè per varias differentias essentiales; ergo pariter in proposito, quia natura specifica non includit in suo quidditatiuo conceptu indiuiduales differentias remanet ex se indifferens ad quodcunq; determinatiuum eiusdem rationis, quod est esse multiplicabile numero, & indiuidualiter; & hanc quoq; sententiam de radice multiplicitatis indiuiduales tenet Pasqualig.disp.44. sect. 2. quamuis ibi Scotum non memoret, qui tamen fuit eius præcipuus Auctor, quod est commune vitium Recentiorum, Veteres sub silentio prætereuntium, vt nouæ doctrinæ habeantur Auctores.

190 Auctoritates verò Arist. quæ frequenter solent adduci pro Thomistarum sententia, iam explicatę sunt suprà qu. 6. art. 1. à nu. 37. & seqq. & falsum est, quod aiebat Auersa Scotum omnes illas interpretari de materia pro individuali differentia, quasdam enim ita exponit, quia re vera de materia sic accepta loqui Arist. colligitur ex ipso contextu, aliàs verò, vbi loquitur de materia partis, & physica, alio modo exponit, nec vllam auctoritatem extorquet, vt loc. cit. cumulatè ostendi. Neque etiam ratio ab eodem adducta est alicuius momenti, materiam namq; non esse causam multiplicitatis formarum satis constat ex dictis suprà q.8. sed sicut in materia non assignatur alia radix extrinseca individualis multiplicationis, quia est de se, & ab intrinseco suo multiplicabilis, ita neque debet assignari in forma, sed ipsa quoq; ab intrinseco multiplicabilis poni debet, sicut vniuersaliter quælibet natura creata, tam completa, quam incompleta; constat etiam ex dictis qu.6. & 7. non esse radicem multiplicitatis in diuiduorum, nisi quatenus est principium intrinsecum eorum constitutiuum physicè, quatenus, scilicet compositum hoc constat ex hac materia, & illud ex illa, qua etiam ratione forma dici posset radix multiplicitatis eorum, cum enim ambæ sint partes physicæ compositi naturalis, sicut hęc nequeunt consistere sine materia, & forma, ita sine ipsis multiplicari nequeunt, vt enim multiplicentur, opus est multiplicetur totum, & integrum esse eorũ, atq; ideò materiã, & formã, ex quibus constant, ex quo capite nõ magis concludi potest radicẽ individualis multiplicitatis esse materiã, quã formã.

DISPVTATIO XI.

De Substantia, eiusque Subsistentia.

1 *MVneris Metaphysici esse substantiam, & accidens secundum se considerare dictum est ab initio huius Operis disp.1.quæst.1.& 2.& rursus præcipuam diuisionem entis finiti esse in substantiam, & accidens dictum est ab initio huius secundi Tomi disp.7. quæ posteà per varia prædicamenta distribuuntur; & quia de eorum gradibus communibus, & particularibus, per quos lineam prædicamentalem constituunt, hactenus disputatum est cumulatè, remanet, vt in sequentibus disputationibus naturam, & essentiam ipsius substantiæ, & Accidentis perscrutemur, de quibus agit Metaphysicus, vt de præcipuis partibus subiectiuis entis finiti, & quia substantiam inquit Philosophus 7.Met. ab initio esse à toto genere accidente priorem, prius de substantia, eiusque subsistentia tractabimus in præsenti disp. post modum de accidente, eiusque inhærentia in sequenti.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit substantia, prout ab Accidente distinguitur.

2 VT ex titulo quæsiti constat non accipitur hic substantia pro eo, quod est summum genus prædicamenti substantiæ, & competit solummodo illis, de quibus hoc summum genus predicatur in quid, quid enim sit substantia in hoc sensu explicatum est ex instituto disp.7.log.qu.1.art.1.dum texturam prædicamenti substantiæ constituerem, sed accipitur pró eò, quod à toto genere opponitur accidenti, siue sit finitum, siue infinitum, siue completum, siue incompletum, quo pacto sub nomine substantiæ comprehenduntur Deus, Angeli, composita substantialia, materia, & forma substantialis, eorum partes, & omnes denique differentiæ, & modi, & proprietates harum substantiarum; verum tamen est, quod substantia hoc modo sumpta accidenti contraposita non diuidit ens finitum, sed ens transcendenter captum vt dixi disp.7.met.q.1.num.24. vt est commune Deo, & creaturis; quamuis autem de substantia creata præcipuè in hac disp. sit sermo, & vt est pars subiectiua entis finiti, vt modò dixi in præfatione ad Disputationem, tamen quia substantia ipsa creata per rationem, qua distinguitur ab accidente, conuenit cum substantia increata, rationabiliter mouetur quæstio de substantia, vt est vtrique communis, hoc enim modo sumpta substantia adæquate distinguitur ab accidente; Hæc dubitatio apud antiquiores non multum viguit, omnes namque potius supposuisse videntur, quam probasse substantiam, & accidens differre per aptitudinẽ, vel ineptitudinem ad inhærendum formaliter vel saltim radicaliter sumptas, non vlterius inquirentes quid hoc ipsum importet inhærere, vel non inhærere subiecto; at apud Recentiores res est acerrime controuersa vt est videre apud Hurtad.disp.10.Met.sect.2.Ouied.controu.6.met.punct.1.Aueri.quæst.17.log.sect.1.Ponc.disp.12.log.quæst.1.Meurisf.lib.3.Iuæ met.quæst.1.& Arriag. disp.4.met.sect.2.vbi dicere non veretur rem hanc esse è difficilioribus totius Philosophiæ ab antiquioribus vix tactam, & à Recentioribus nondum explanatam.

3 Omnes in hoc conuenire videntur, quod esse per se, siue perfectas sit ratio formalis constitutiua substantiæ, sicut è contra esse in alio, seu inalietas est ratio constitutiua accidentis; sed quamuis, inquam, omnes in hoc conueniant, adhuc tamen Meurisf.quæst.2. cit. in fine ait se non audere determinare, an ens per se sit ratio quidditatiua substantiæ imò potius suspicari non esse, eo quia Doctor 4.d.12. quæst.1.ad argumenta principalia eodem modo philosophatur de per se respectu substantiæ, ac de in alio respectu accidentis, & tamen non sentit in alio esse de ratione quidditatiua accidentis etiam in 1.d. 3.quæst.2. & d. 22. quæst. 1. docet nos non posse pro hoc statu habere conceptum quidditatiuum de substantia; Hoc tamen remouere nos non debet à sententia communi, quia non est eadem ratio de esse per se, & esse in alio, nam inalietas de suo formali conceptu dicit respectum siue actualem, siue aptitudinalem accidentis ad subiectum, cui ineit, vel inesse potest, & ideo bene inquit Doctor 4. loc.cit. non posse accidens absolutum per tale respectum in suo esse quidditatiuo constitui, quia respectus nunquam per se includitur in ratione absoluti, at perfectas non dicit vllum talem respectum, imò ex vi nominis à quocunque tali præscindit, & ideo non currit, eadem

dem ratio de perfeitate in ordine ad substantiam constituendam, & de inalietate in ordine ad accidens; vnde falsum est in hoc sensu Doctorem eodem modo philosophari de per se respectu substantiæ, & de in alio respectu accidentis; & si eodem modo philosophatur, id erit si perfeitas accipiatur pro quadam ineptitudinem ad inhærendum, quę sit quidam respectus transcendentali in substantia, veluti oppositus aptitudini accidentis ad inhærendum, in quo vtique sensu currit eadem ratio hinc inde, & vtique verum est perfeitatem hoc modo sumptam non posse esse rationem constitutiuam substantiæ eadem ratione, qua accidens absolutum non potest constitui per inalietatem, vt postea dicemus; Quando autem Doct.1.d.3.quæst.3.& d.22.quæst.1. dicit pro statu isto conceptum quidditatiuum substantiæ haberi non posse, verum dixit, quia non nisi mediantibus accidentibus illum venari possumus pro statu isto ex dictis disp.6.An quæst.6.art.2.neque hic nos prętendimus assignare nudum, & purum quidditatiuum substantiæ conceptum, sed solum rationem illam, qua proximius, ac intimius attingitur, & circumscribitur, & hanc cum communi dicimus esse perfeitatem, sed dubium est, quomodo explicari debeat ita perfeitas, vt nobis proximius quidditatiuam rationem substantiæ insinuare possit, & hic est status propositæ quæstionis, circa quam sunt varij modi dicendi, quos sigillatim referre, & examinari hic intendimus, vt probabiliorem inueniamus.

4 Primò Soncin.4.met.qu.1.ad 2.& qu.29. ad 7. & clarius 5.met.q. 14. perfeitatem substantiæ constitutiuam docet esse puram negationem essendi in alio, & ideò ait modum constituentem substantiam, ensque determinantem ad illam, esse tantum negationem, vnde inquit, quod licet ens quidditatiuè includatur in substantia, non tamen in eo, per quod contrahitur ad conceptum substantiæ, quia id solum est quædam negatio, quam circumscribimus hac voce *per se*. Hic dicendi modus passim ab omnibus reijcitur, vt prorsus irrationabilis, quem refutasse recordor.disp.7.log.q.1.art.1.ab initio, & disp.2.de natura entis q.6. art. 2. n.167. Sed prętet ibi dicta denuo reijcitur; quia hoc *ipsum* quoque de inalietate accidentis constitutiua asseri potest, quod scilicet dicat puram negationem existendi in se, & per se, atque ita prætet rationem entis nil aliud erit positiuum in toto ordine entium, quod est patentissimum absurdum; Tum quia si conceditur ad hoc euitandum absurdum inalietatem dicere in accidente rationem positiuam, potiori ratione idipsum de substantia concedi debebit, quæ sub ratione substantiæ perfectior est accidente, quod si non concedatur, concedendum erit accidens esse perfectius substantia, quod est absurdum non minus euidens priori. Tum quia si substantia, & accidens inuicem comparentur, sicut positiuè conueniunt in ente, sic etiam positiuè proprijs rationibus differunt; ergo per aliquod positiuum substantia constitui debet in tali esse substantiæ, per quod positiuè differat ab accidente. Nec refert, quod soleat perfeitas explicari per negationem essendi in alio, velut in subiecto ad modum accidentis, quia etiam è contra solet inalietas explicari per negationem existendi in se, & per se; neque nouum est soleri differentias rerum constitutiuas per quasdam explicari negationes concomitantes ipsas, veluti nobis notiores, sicenim brutalitas quæ est differentia positiua brutorum constitutiua explicatur, per irrationalitatem, quæ est rationalitatis negatio, spiritualitas, quę est differentia positiua substantiarum spiritualium constitutiua, explicatur per immaterialitatem, & incorporeitatem, quę sunt negationes materialitatis, & corporeitatis; infinitas positiua Dei perfectio per negationem finitatis, & sic passim fit de alijs differentijs nobis ignotis. Et licet concedamus positiuum illud, quod ens contrahit ad constituendam substantiam non includere formaliter, & quidditatiuè rationem ipsam entis, quia nunquam determinatiuum alicuius generis, vel superioris formaliter includit illud, non tamen sequitur esse purum non ens, vel puram negationem, quia includit ens saltim realiter, vt explicatum est disput.citat.de natura entis quęst.6.art.2.tenendum ergo est cum communi perfeitatem constitutiuam substantię rationem positiuam importare, in qua contineatur ratio quoque ipsa entis, vel formaliter, vt volunt Thomistę, vel saltim realiter, & identicè, vt aiunt Scotistę.

5 Secundo explicuerunt alij perfeitatem substantię constitutiuam per respectum formalem ineptitudinis positiuè ad inhærendum, qui sit transcendentalis, eo quia per oppositum respectum aptitudinalis inhærentię constituitur accidens. Hunc dicendi modum meritò, reijcit Ponc. loc.citat. quia substantia est essentialiter quid absolutum, nullum autem absolutum essentialiter constituitur per relatiuum, quia tunc essentialiter esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud. Tum quia omnis talis respectus prę supponit aliquid positiuum peculiare substantię, ratione cuius competit substantię, ita quod nequit competere accidenti, ergo hoc positiuum propriè erit essentiale constitutiuum substantię, & ad ipsum talis respectus ineptitudinis, si datur in substantia, per modum proprietatis, & eisdem rationibus probat Doct.4.d.12.q.1. neque accidens posse essentialiter constitui per respectum aptitudinalis inhærentiæ, vt disp. seq. videbitur. Hinc infert Ponc. concl. vlt. perfeitatem substantiæ constitutiuam optimè explicari, vt sit illud positiuum, ad quod sequitur formaliter ineptitudo ad inhærendum, siue illa ineptitudo sit quid positiuum, siue sola negatio; quod probat, quia re vera ad constitutiuum substantiæ sequitur illa ineptitudo, & ad nihil aliud sequitur, & nequit melius explicari illa perfeitas, quam sic. Conf. quia eo ipso, quod concipimus aduenire enti aliquid positiuum, ad quod sequitur, tanquam ad radicem formalem, talis ineptitudo, non intelligendo aliquid aliud, intelligimus quod constitutum ex ente, & tali positiuo sit quid per se subsistens, & eo ipso possumus ipsum distinguere ab omni accidente; ergo sic benè explicatur perfeitas constitutiua substantiæ.

6 Ceterum nec etiam hic posterior modus dicendi satisfacit, licèt enim verum sit perfeitatem substantiæ constitutiuam consistere in radice, seu principio exigitiuo ineptitudinis ad inhærendum, sicut è contra essentia accidentis consistit in radice, seu exigentia oppositæ aptitudinis; attamen non explicatur adhuc, quid dicat hęc actualis, vel aptitudinalis inhærentia in accidente, & quid dicat opposita ineptitudo in substantia, & tamen in hoc puncto consistit tota huius quæstionis difficultas, nam quomodocunque explicetur hæc inhærentia accidentis per dependentiam eius ad subiectum, videtur etiam conuenire formis substantialibus materialibus, quæ sunt in materia, tanquam in subiecto, & ab eis in suo esse, & fieri dependent, non minus quam ipsæ accidentales formæ, vt ex dicendis patebit, prius ergo explicandum venit, quid dicat aptitudo ad inhærendum, in accidente, & opposita ineptitudo in substantia, antequam per radicem talis ineptitudinis essentiam substantiæ explicemus, & præmissa tali explicatione inhęsionis, vel non inhæsionis, tunc vtique concedo, quod per radicem ineptitudinis ad inhærendum optimè explicabitur essentia substantiæ, & per radicem oppositæ aptitudinis essentia accidentis. Conf. quia si dicamus v.g. essentiam quantitatis consistere in radice, vel principio exigitiuo extensionis, vel diuisibilitatis, prius explicare oportet qualis sit hæc diuisibilitas, quæ ponitur propria quantitatis, an scilicet sit diuisibilitas in partes entitatiuas, vel solùm quantitatiuas, vndè absolutè dicendo, quod essentia quantitatis consistit in radice diuisibilitatis, non benè explicatur eius essentia, sic etiam in proposito discurrendum est de radice ineptitudinis ad inhærendum, in qua ponitur consistere essentia substantiæ, vt distinguitur ab accidente.

7 Tertiò, Alij sequentes præfatum dicendi modum, vt adhuc magis rem explicent, declarant rationes inhęsionis, & non inhęsionis per dependentiam ac independentiam à subiecto, adeout per talem dependentiam, vel independentiam, aut saltim per principia earum exigitiua abinuicem quidditatiuè secernantur substantia, & accidens, & vnum per dependentiam, & aliud per independentiam à subiecto essentialiter constituatur. Sed re vera hoc non est sufficiens discrimen inter substantiam, & accidens, quia omnis forma substantialis materialis in omnium ferè sententia caufatur materialiter à subiecto, atque ideò ab eo dependet in suo esse fieri, & conseruari, non minus, quam accidens à subiecto, quantitas v.g. vel qualitas, vt dictum est disp.2. Phys. q.7. art. 2. ergo etiam formæ substantiales saltim materiales erunt in subiecto per inhærentiam, non ergo ex hoc capite possunt differre substantia, & accidens, siquidem vtriusque est communis inhærendi conceptus. Respondent aliqui non eodem modo formas substantiales materiales à materia pendere, sicut accidentales, quia illæ verè pendent ab ea, vt à subiecto eductionis, illæ verò pendent à materia, vt à conditione necessaria ad earum fieri, & conseruari, & ideò accidentales verè dicuntur inhærere subiecto, non autem substantiales. Contrà, quia ita impossibile est naturaliter loquendo formam substantialem materialem esse, vel fieri sine materia, sicut formam accidentalem esse, vel fieri sine subiecto; ergo æqualis hinc indè videtur indigentia, ac proindè dependentia à subiecto, tum quia assignanda est ratio, cur forma substantialis subiectum exigat solùm, tanquam conditionem, & per eandem rationem asseri quoque idipsum poterit de forma accidentali, quod nempe à subiecto non dependeat, nisi tanquam à conditione, quia æqualis hinc indè cernitur exigentia.

8 Quartò, Alij sic rem explicant, quod esse in subiecto per inhęsionem est esse in alio, cum quo non fit vnum per se, sed per accidens, & hinc est, quod forma substantialis, licèt sit in subiecto, & à subiecto materialiter dependeat, non tamen dicitur esse in eo per inhęsionem, sed per simplicem informationem, quia cum materia vnum per se constituit; & certè rem ita explicuisse videtur Scotus ipse quol.9. ab initio §. *de secundo*, vbi dicit, quod substantia dicitur ens per se prout distinguitur contrà ens in alio, & sic per se ens est idem, quod non inhærens actualiter, nec aptitudinaliter, & hoc modo quęcunque substantia non tantum composita, sed etiam materia, & forma est ens per se, quia forma substantialis licèt insit materię informando, non tamen inhærendo, quia inhærere dicit non per se informare, quia inhærens nec est actus simpliciter, sed actus secundum quid, nec cum illo cui inhæret, facit per se vnum, opposita conueniunt ei, quod per se informata ita Doctor loc.cit. At neque hoc satisfacit, quia prius est formam in se esse substantiam, vel accidens, quam constituere vnum per se, vel vnum per accidens, & potius dici debet formam constituere vnum per se, & substantiale, quia est substantia, quam è contrà esse substantiam, quia facit per se vnum, & substantiale; ergo ratio assignata cur hęc forma sit substantia, & illa accidens non est sufficiens. Tum quia hęc videtur petitio principij, hoc enim est, quod quęritur in proposito, cur videlicet existente in materia forma equi, & eius quantitate, forma equina dicatur cum materia vnum per se substantiale constituere, & ideò dicatur substantialis, non autem ipsa quantitas, sed constituat vnum per accidens, ideoque dicatur accidentalis. Neque Doctor loc.cit. quando hoc discrimen posuit inter substantiam, & accidens, assignauit illud, vt differentiam à priori, & vltimatam, imò rationem reddidit cur vna forma dicatur per se informare, & facere per se

vnum,

vnum, alia verò vnum tantum per accidens, quia nempe inhærens non est actus simpliciter, sed actus secundum quid, quę quidem est vera ratio à priori, vt posteà explicabitur.

9 Quintò, Alij explicant formam accidentalem esse in materia per inhęsionem, non verò substantialem, quia hęc est in materia per modum constituentis aliquid cum ea, veluti compars: accidentalis autem non est in materia hoc modo, quia nec est pars ipsius, neque alicuius compositi, quod simul constituat cum ea, & quidem hoc pacto videtur Arist. ipse in antepręd. cap. 2. explicasse inhærentiam accidentis in subiecto, dum ait, *in subiecto esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars impossibile est esse sine eo, in quo est*. Neque hæc explicatio est ad rem, quia vel forma substantialis, & accidentalis comparantur ad subiectum, quod informant, & sic neutra est illius constitutiua; vel comparantur ad concretum ex ipsis, & subiecto, quod informant, & sic vtraque est pars illius, ita enim homo, & albedo sunt partes vnius compositi, nempe hominis albi, sicut anima, & corpus sunt partes hominis; ergo ex hoc capite forma substantialis, & accidentalis in nihilo differunt; sed pari passu currunt; Arist. autem loc. cit. solùm significare voluit formam accidentalem non esse partem compositi per se vnius, sicut est forma substantialis, quod planè verum est, sed rationem huius non assignauit, quam hic vestigamus.

10 Sextò, Alij explicant accidens illud esse, quod potest adesse, vel abesse sine subiecti corruptione, & ideò dicitur esse in subiecto per inhæsionem, at substantia nequit abesse, nisi cum subiecti corruptione, & ideò non est forma substantialis in subiecto per inhęsionem, quam explicationem Scotus etiam innuisse videtur quæst. 15. prædicam. Hæc tamen quoque communiter reijcitur, quia tam forma substantialis, quam accidentalis abesse potest sine subiecti corruptione, & neutra abesse potest sine corruptione compositi ex forma, & subiecto; sic enim manet integer homo in suo essentiali esse deficiente albedine, sicut manet corpus, vel materia prima abscedente anima, & ita deficiente albedine non manet compositum album, sicut deficiente anima non manet homo. Fortè dices, quod materia corrumperetur, nisi abscedente vna substantiali forma alia succederet. Contra, quia hoc in primis nil refert ad inhærentiam, vel inhærentię negationem. Deindè quia in nostra sententia recedit anima è corpore, & nulla forma succedit loco ipsius, & non ob id anima est accidens. Tandem quia etiam in formis quibusdam accidentalibus est necessaria successio vnius formæ ad aliam, nullum enim subiectum sine præsentia esse potest, vel vbicatione, & vna amissa alia necessariò debet in ipso succedere, & tamen non ob id præsentia, vel vbicatio est forma substantialis. Et falsum est Scotum loc. citat. per hoc distinguere formam substantialem ab accidentali, sed ex hoc distinguit, quod illa dat esse simpliciter materiæ, hæc verò esse secundum quid subiecto, quæ est vera differentia, vt postea explicabitur.

11 Septimò, aliter solent explicare Thomistæ, vt nimirum forma substantialis dicatur, quæ aduenit enti in potentia, accidentalis verò, quæ aduenit enti in actu, quæ proinde vnum per se cum suo subiecto constituere nequit, quia ex duobus entibus in actu vnum per se constitui nequit ex 7. Met. 49. hinc forma accidentalis dicitur esse in subiecto per inhæsionem, quia informat ens in actu, substantialis verò per substantialem vnionem, quia informat ens in potentia. Sed neque hic modus dicendi sufficienter rem explicat, cum enim dicunt Thomistæ formam lapideam v.g. substantialem esse, quia aduenit suo subiecto velut enti in potentia, vel sensus est aduenire enti existenti in potentia ad ipsam formam lapidis suscipiendam, & sic etiam forma accidentalis vtique aduenit suo subiecto, vt enti in potentia, vt de se manifestum est; vel sensus est aduenire enti in potentia ad omnem prorsus actum etiam entitatiuum, & existentiæ, & in hoc sensu falsum est formam accidentalem aduenire enti in actu, substantialem verò enti in potentia, quia ita forma substantialis præsupponit suum subiectum existens, & proprium actum entitatiuum habens, sicut forma accidentalis, vt patet ex dictis in Physica. Vel sensus est, vt melius explicat Doctor qu. 15. prædicam. quod forma accidentalis aduenit enti in actu completo, & specifico per formam substantialem iam constituto, non ita forma substantialis; & in hoc etiam sensu falsum est præsertim in sententia Doctoris omnem formam substantialem aduenire enti in potentia, idest denudato ab omni actu substantiali, quia anima non aduenit materiæ primæ nudæ, sed informatæ, & præparatæ per formam mixti, seu corporeitatis, vnde non est de ratione formę substantialis, vt ab accidentali distinguitur, quod constituat semper rem in esse specifico perfecto; & vltimo. Denique hic quæritur conceptus quidditatiuus substantiæ, vt conuenit materiæ, formæ, & composito, hic autem assignatus à Thomistis, quod de ratione substantiæ est, vt adueniat enti in potentia, & de ratione accidentis, vt adueniat enti in actu, non esset communis omnibus prædictis substantijs, sed proprius formæ substantialis; immo nec esse potest conceptus primus, & proprius ipsius formæ substantialis, quia prius est formam esse in se substantiam, quam aduenire enti in potentia, & pariter prius est albedinem v.g. esse in se formam accidentalem, quam aduenire enti in actu; ergo per id non benè explicatur ratio vtriusque formæ, & discrimen vnius ab alia à priori.

12 Octauò aliter adhuc rem explicat Suarez disp. 16. Met. sect. 1. n. 13. inquit enim ideò v.g. albedinem esse in suo subiecto per inhæsionem, quia non est eiusdem ordinis, & prædicamenti cum eo, & ideo non facere cum ea per se vnum, vt forma lapidis v.g. est eiusdem ordinis, & prædicamenti cum materia, quam informat, & idcirco constituit cum ea vnum per se. Verùm hæc est aperta principij petitio, hoc enim est, quod quæritur in proposito, quare hæc forma v.g. anima sit substantialis, & eiusdem ordinis, ac prædicamenti cum materia, cum informat, non autem quantitas, albedo, & aliæ consimiles, quæ dicuntur accidentales. Deindè constructio, & distinctio prædicamentorum est omninò posterior naturis rerum, vndè prius est has naturas esse substantiales, quam esse in prædicamento substantiæ distributas, & sic etiam de accidentalibus, vndè ex distinctione, & diuersitate inter res ipsas reperta, diuersas classes earum distinxerunt Philosophi; non ergo ideò hæc forma est substantialis, & illa accidentalis, quia illa pertineat ad primum prædicamentum, ista verò ad posteriora, sed potius è contrà res se habet.

13 Nono, dixerunt alij proprium substantiæ conceptum esse substare accidentibus, idest in se recipere accidentia, illaque sustentare. Quæ explicatio tribuitur Boetio, & communiter impugnatur, quia etiam quædam accidentia recipiunt in se, & sustentant alia accidentia, & communior sententia tenet de quantitate; verum hæc impugnatio, non vrget, quia cum illi Auctores explicant substantiæ conceptum per substare accidentibus, ita intelligunt, vt accidentia sustentet, tanquam omninò primum, & vltimatum subiectum, quod vtique nec quantitati, nec alijs accidentibus competere potest. Quare ex eo potius hic dicendi modus impugnari debet, quia hic quæritur conceptus substantiæ quidditatiuus, vt etiam Deum comprehendit, qui tamen accidentibus substare non potest. Tum quia vt docet Scot. 1. d. 8. quæst. 3. lit. F. licèt substantia creata talis dicatur tum à ratione subsistendi, tum à ratione substandi, quia ipsa substare potest accidentibus, ita tamen ei competunt istæ rationes, vt sola ratio subsistendi, vel per se existendi sit essentialis, & primaria, ratio verò substandi secundaria, & concomitans, quia subijci accidentibus non est primum, quod inuenitur in substantia, prius enim est rem in se esse, quam alijs subesse, & non id eò substantia per se existit, & consistit, quia accidentibus subest, sed è contrà, quia de causa Arist. in prædicam. substantiæ rationem substandi inter affectiones eius connumerauit, non verò tanquam eius formalem rationem assignauit. Vndè cum dicimus substantiam esse, quæ accidentibus substat, iam nota supponitur quidditatiua ratio tam substantiæ, quàm accidentis, & vtriusque quidditatiua distinctio, non verò assignatur, quia tunc committeretur circulus vitiosus, vt benè notauit Arriag. declarando vnum per alterum, & ignotum per æquè ignotum, dicendo substantia est, quæ accidentibus substat, & accidentia sunt, quæ inhærent substantię.

14 Decimò, plerique alij conceptum substantię explicant per esse radicem subsistentię, conceptum verò accidentis per esse radicem inhærentię, & in hoc sensu intelligunt perfectatem esse constitutiuam substantię, & inalietatem accidentis, quem dicendi modum, vt probabilem tenet Auersa quęst. 17. Log. sect. 1. in fine. Sed hic quoque dicendi modus communiter reijcitur, quia admitti nequit sine vitio circuli, quandoquidem nec substantia explicari valeat, nisi per substantiam, nec inhærentia, nisi per accidens, vndè ignotum per æquè ignotum explicabitur. Tum quia si quæratur, cur quantitas, vel qualitas nequeat esse radix substantiæ, & humanitas inhærentiæ, statim respondebitur, quia illa sunt accidentia, & hæc est substantia; si igitur è contrà quæsito, cur hæc sit substantia, & illa accidentia, respondeatur, quia hęc est radix subsistentiæ, illa verò inhærentię, iam constat committit circulum, vt notant Arriag. & Ouied.

15 Vndecimò, Hurtad. disp. 10. Met. alium adhuc excogitauit modum explicandi conceptum substantiæ quidditatiuum, & ait substantiam, prout ab accidente distinguitur, esse illam, quæ propriè dicitur res, quod probat, quia interrogationi *quod est res* non respondetur *alba, aut nigra*, sed si quæras *quid est hoc?* respondetur *Petrus, aut equus* & interroganti *quale sit, aut quantum*, respondetur album, aut paruum; id ergo per quod respondetur quæstioni *id quid* rem vocat, & rem in hoc sensu ait esse substantiam, de quo explicandi modo conceptum substantiæ, & accidentis satis sibi plaudit hic Auctor, quia per hanc explicationem inquit se reduxisse solutionem huius quæstionis ad prima principia. Sed planè ita dicendo potius reduxisse videtur hoc dubium ad quæstionem de nomine rei, an scilicet accidens verè, & propriè possit dici res, & quidem si verum est rem, & ens reale esse synonima, sicut accidens verè, & propriè dicitur ens, quia includit rationem quidditatiuam entis non minus, quam substantia, ita verè, & propriè poterit dici res. Imò inquit Doctor quol. 5. artic. 1. quod si adhuc magis propriè nomen rei accipere velimus, vt distinguitur contrà modum, vel circumstantiam rei, quo pacto accipitur à Boetio lib. 1. de Trin. ita prima tria genera, scilicet substantia, quantitas, & qualitas rem monstrant, alia verò rei circumstantias. Quod si adhuc pressius accipiatur nomen rei, vt solam significet substantiam, cætera verò sint modi, vel circumstantię ipsius substantiæ, hæc instantia inquit Doctor 2. dist. 1. quæst. 5. §. *quod si adhuc* videtur tantùm contendere de nomine modi, & rei, licèt enim modus non sit ita res, sicut illa, cuius est modus, non tamen nulla res est, sicut nec nullum ens, quia tunc nihil esset, quarè concedit Doctor, quod in hoc sensu, & in comparatione ad substantiam quantitas, vel qualitas potest dici modus, vel circumstantia, id tamen non obstat, quin absolutè loquendo possint dici res verè, & propriè; malè ergo, & satis ineptè explicat Hurtad. conceptum substantiæ quidditatiuum per nomen rei, quia hoc etiam conueniet acciden-

accidenti, vndè melius explicuisset conceptum substantiæ per ipsum nomen *substantia*, quam nomine *rei*, quia nomen rei commune est accidentibus, non tamen nomen substantiæ.

16 At occurrit Hurtad. se non accipere nomen *rei* vtcumq; sed præcisè pro eo, per quod respondetur quæstioni in quid, cum interrogamus quid est hoc; cui quidem non respondetur per accidens dicendo esse album, aut nigrum, sed esse hominem, vel equum, vndè etiam si quis interrogetur quid emerit, non respondet emisse album, vel nigrum, sed equum, vel bouem. Contrà, quia etiam in hoc sensu nomen rei conuenit accidenti, seu compositis per accidens, nam si quis emanat statuam, interrogatus quid emerit, respondet, statuam, & si petas quid est hoc, respondet statua; rursus sicut dicimur emisse hominem, ita etiam dicimus emisse Æthiopem, qui dicit formam accidentalem. Respondet Hurt. hæc artificialia, vt statua, & cathedra, vulgò dici rem secundum quid, & non absolutè, quia rectè noscitur idem manere lignum statua effecta, vel destructa, & figuram esse accidens; sic etiam ait nos dicere emisse Æthiopem ad discriminandum eum hominem ab alijs. Sed hæc solutio argumentum non tangit, cuius robur in hoc consistit, quod ostendit per concreta accidentalia optimè responderi quæstioni, *in quid*, siue modo ita respondeatur ob hanc rationem, siue ob illam, parum refert ad propositum, sufficit enim, vt per talem responsionem satisfiat quæstioni in quid, quacunque de causa id contingat. Deindè si absolutè lignum debet dici res, non autem ipsa statua, quia rectè noscitur idem manere lignum statua effecta, vel destructa, vt inquid Hurtad. ergo non erit substantia absolutè loquendo, quia dicatur res, sed quia permanet idem lignum accedente, vel recedente figura statuæ, & tunc ille modus dicendi coincidit cum sexto iam relato, qui substantiam explicabat per oppositionem cum accidente, cuius natura est posse adesse, & abesse absque subiecti compositione.

17 Duodecimò, Ouied. cit. contr. 6. Met. punc. 1. §. 2. substantiam definit esse id, *quod primariò, & propter se intenditur à natura*, id autem propter se, & primariò ait intendi, quod non intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum, quod enim intenditur propter illud, cum quo saltim inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur, sic materia, & forma, etsi propter totum intendantur, à qua illarum quælibet inadæquatè distinguitur, propter se intenduntur, quia totum à materia, forma, & vnione non distinguitur; vnde concludit substantiam sic definiri posse, vt sit id, quod non intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum. Sed hic dicendi modus valdè recedere videtur à communi modo explicandi substantiam, & accidens per perfectam, & inalietatem, in quo dicebam ab initio quæstionis omnes conuenire, nisi fortè dicatur *ens per se* dici, quod per se intenditur, ens autem in alio, quod intenditur propter aliud; sed tunc etiam redeunt difficultates supratactæ, nam in hoc sensu forma substantialis dicetur esse propter aliud, quia est ens in alio, scilicet in materia. Quod si esse propter se, & propter aliud sumantur in sensu magis proprio, vt ab hoc Authore explicantur, adhuc graues ingruunt difficultates, quia forma substantialis est finis materiæ, & materia verè, & propriè est propter formam ex 2. Phys. 23. ergo materia non erit substantia, sed accidens. Item materia, & forma, & vnio sunt propter compositum, quod quidem in sententia nostra à materia, & forma simul sumptis adæquatè distinguitur, quatenus dicit tertiam entitatem vltra illas, & rursus in nostra sententia admittente plures formas substantiales in animatis vna ordinatur ad aliam, & est propter illam, nempe forma mixti intenditur propter animam, quæ ab ipsa adæquatè distinguitur; ergo saltim in nostris principijs hęc sententia sustineri nequit. Tum quia in compositis accidentalibus quędam propter se intenduntur, vt patet in artificialibus, nam cum artifex ex ligno statuam conficit, vel cathedram, intendit proprie figuram, vel totum concretum ex ligno, & tali figura, & lignum ordinat ad figuram, non è contra. Tum quia elementa sunt ordinata à natura ob compositionem mixtorum, quę sunt corpora ab elementis adæquatè distincta, & tamen sunt corpora substantialia; ergo non bene definitur substantia esse id, quod primario, & propter se intenditur à natura.

18 Decimotertiò; Arriag. disp. 4. Met. sec. 6. sic explicat. Conceptus substantię *quicquid intrinsecè constituit primam rem* nomine autem primę rei intelligit id quod primò, & per se intenditur à natura, vel primò, & per se existit, vel quia est prima radix cęterorum, & per hanc definitionem, inquit, primò includi Deum, & omnes substantias simplices, quia primò, & per se existunt; includitur etiam materia prima per se existens; includuntur prętera omnes formę substantiales, quę sunt primę radices; excluduntur verò à ratione substantię quantitas, primę qualitates, colores, duratio, vbicatio, entia artificiosa quia hęc omnia nec per se primò existunt, nec sunt de conceptu primę radicis, imò potius accidunt rei primę, ergo sunt accidentia.

Hęc quoque explicatio est satis implicata, & multa falsa continet; nam in ipsa definitione per primam rem videtur intelligere rem primò constitutam, & postea in explicatione primę rei intelligit, & comprehendit nedum Deum, & omnes substantias simplices, sed etiam materiam primam, & omnes formas substantiales, at materia & forma non sunt prima res constituta, sed partes constituentes. Deinde explicans quid intelligat nomine *primæ rei* ait se intelligere id, quod primò, & per se intenditur à natura, vel primò, & per se existit, vel quia est prima radix cęterorum, ex quo sequitur hanc primitatem non competere substantijs comparatione accidentium per aliquam rationem eis communem, sed disiunctiuè per rationes peculiares vnicuiq; proprias, quod est falsum, quia substantia à toto genere præcedit accidentia sub ratione substantiæ, vt est communis omnibus substantijs compositis, & simplicibus, completis, & incompletis. Rursus probans in virtute huius explicationis omnes substantias concludi sub hac definitione, & omnia accidentia excludi, ait Deum & substantias simplices & materiam includi, quia primò, & per se existunt, omnes formas substantiales verò, quia sunt primę radices cęterorum, & denique omnia accidentia excludi, quia nec primò existunt, nec sunt de conceptu primæ radicis, sed potius à prima radice originata; ex quo patet ex tribus particulis appositis pro primitate rei, ideò substantię explicandæ, duas posteriores sufficere pro constitutione omnium substantiarum, & exclusione accidentium, nam recensendo omnes substantias illas dicit esse tales, ideò primas res, quia vel per se, & primò existunt, vel sunt primæ radices cęterorum, & nihil neminit primæ particulæ, quod scilicet talis res primò, & per se intendatur à natura, ergo hæc conditio est superflua pro constitutione substantiæ, cum aliæ duæ sufficiant. Tum tandem quia hac etiam explicatione admissa sequitur solam materiam esse substantiam, non autem formam, nec compositum. Probatur consequentia, nam duę illæ conditiones primitatem substantiæ constituentes soli materiæ competunt, nam forma non per se, & primò existit, sed in materia, & post materiam, & sic etiam compositum existit per materiam, & formam; & sola materia est prima radix cæterorum, non autem forma, quia & quantitas, & cęterę dispositiones præcedunt formam in materia, non autem a forma dimanant iuxta principia illius Auctoris, imò materia nedum est radix accidentium, verum etiam ipsius formæ substantialis, quæ radicatur in ea; ergo verè & propriè sola materia erit substantia iuxta hunc dicendi modum.

Resolutio Quæsiti.

19 VT ergo pateat quid sit in hoc dubio de mente Doctoris nostri, & secundum veritatem dicendum notanda est eius elegans doctrina, quam docet 4. d. 11. qu. 3. lit. Y. & sæpius adduxi in Physic. disp. 2. q. 1. art. 3. & disp. 5. q. 11. art. 1. & disp. 5. de gen. & corr. q. 1. art. 1. & alibi frequenter; cum enim tota difficultas in assignanda distinctione substantiæ ab accidente pendeat ex parte formæ substantialis materialis, quæ est in subiecto, & subiecto innititur, sicut accidens, ac proinde è forma accidentali differre non videtur, Doctor loc. cit. ex in hoc, quod forma substantialis dat esse simpliciter, & forma accidentalis esse secundum, quid vnde consequenter per hoc, & à priori distinguit substantiam ab accidente, quod substantia est ens simpliciter, accidens autem ens secundum quid; pro cuius discriminis declaratione distinguit de ente simpliciter ex Arist. 1. de gen. tex. 12. & inde, vbi probat ex non ente simpliciter non posse fieri aliquid, nam vel *simpliciter* accipitur pro vniuersaliter, & tunc non ens simpliciter est purum nihil, & sic ex non ente simpliciter non potest aliquid fieri, & isti non enti oppositum est quodcunque ens quantumcunque minimum habeat de entitate; alio modo accipitur ens simpliciter, prout distinguitur contra ens secundum quid, & tunc ens simpliciter est substantia, ens secundum quid est accidens; cù ergo in proposito dicitur forma substantialis ab accidentali differre, quod illa dat esse simpliciter non debet intelligi de esse simpliciter primo modo, quod scilicet immediatè sequitur non esse simpliciter, sed dat esse simpliciter, vt distinguitur contra esse secundum quid; quod probat, quia si accidens primò aduenire materiæ, & si daret ei primum esse formale; non tamen daret ei esse simpliciter, sed secundum quid, quia non est actus, nisi secundum quid; nulla etiam forma substantialis materialis est quæ det esse simpliciter materiæ, & hoc si tenetur esse simpliciter, ideò esse recedens à non esse; quia materia habet esse simpliciter isto modo etiam sine omni forma, non ergo sola forma substantialis dat esse simpliciter, ideò vniuersaliter, nec etiam simpliciter, ideò primum.

20 Sed accipiendo esse simpliciter secundo modo, prout diuiditur contra secundum quid, dicit, quod sicut ens diuiditur in prius, & posterius, vel primum, & secundum, & prius continet sub se substantiam, & posterius accidens, ita simpliciter in isto intellectu æquiualet ei, quod est primum naturaliter, & secundum quid æquiualet ei, quod est posterius naturaliter, & isto modo omne accidens dat esse secundum quid, vnde tandem concludit Doctor, quod forma substantialis siue aduenias alicui iam habenti esse, siue non, dat esse simpliciter hoc secundo modo, sed non primo, sicut forma accidentalis cuicunque aduenias dat esse non simpliciter, sed secundum quid. Quam doctrinam rursus reperit Doctor, ac adhuc declarat paulo infra in solutione ad 2. pro opin. lit. Dd. nam si accipiatur, inquit dare esse simpliciter pro primò dare esse, nec omni, nec soli formæ substantiali conuenit dare esse simpliciter, quia si primò aduenires quantitas materiæ posset illi dare esse formale primum, licet non primum recedens à non esse, & forma aliqua substantialis potest aduenire secundò, & tertiò, vt in sententia ponente plures formas substantiales in eodem composito. Sed distinguendo esse simpliciter contra secundum quid, sicut primum naturaliter contra

& for-

secundum naturaliter, sic omnis forma substantialis dat esse simpliciter, & primum, & accidentalis non simpliciter, sed secundum quid; non ergo quæras, concludit Doctor, ad vestigandam differentiam inter formam substantialem, & accidentalem, & ad dignoscendum, an hæc forma sit substantialis, vel accidentalis, si primò, vel secundo adueniat ista forma alicui, nam quandocunque adueniat, talem actum nata est tribuere, qualis forma est in seipsa; ita disertè Doctor loc. cit. ex quo colligitur, quod non debet distingui forma substantialis ab accidentali absolutè loquendo per hoc quod illa det primum esse, & hæc secundum, quia circa ly *primum* contingere potest æquiuocatio, nam si per esse primum intelligatur primum esse recedens à non esse, idest quod immediatè sequitur non esse, neutra forma dat sic esse primum subiecto, quia vtraque supponit illud in esse; si per esse primum intelligatur esse extrinsecum & formale quod primò communicatur subiecto à forma ipsum informante, neque in hoc sensu forma substantialis potest ab accidentali secerni per dare primum esse subiecto, quia si quantitas ponatur coæua materiæ, ac in ea immediatè dispositiones præcedere ad introductionem formæ substantialis, tunc forma accidentalis dat primum esse formale, non autem forma substantialis; si tandem esse primum accipiatur pro esse primo naturaliter, quod distinguitur contra esse secundum naturaliter, hoc pacto forma substantialis dat esse primum subiecto, quia dat esse simpliciter, etiamsi adueniat posterius forma accidentali, & è contrà forma accidentalis dat tantum esse secundum, quia dat esse secundum quid, etiamsi adueniat prius forma substantialis.

21 Et si quæras (inquit Doctor) vndè potest probari, quod forma substantialis det esse simpliciter, non verò forma accidentalis, si de ratione neutrius est dare illud esse, quod immediatè recedit à non esse, quod propriè videtur esse simpliciter. Et rursus moueo ego aliud dubium, vndè probari potest, quod forma substantialis det esse primum formale naturaliter, vt distinguitur à secundo naturaliter, si non omninò primò, & immediatè informat materiam. Respondet ad 1. dubium ipse Doctor, & inquit, aut tu quæris de re in se, aut in comparatione ad cognitionem nostram; si in se, nulla est causa, quare ista dat esse simpliciter, & illa secundum quid, nisi quia hæc est forma substantialis, & illa accidentalis, sicut enim nulla est causa, quare calidum calefacit, quia immediata est, & inter causam immediatam, & effectum non est alia causa media; ita in genere causæ formalis hæc est immediata, calor constituit calidum, & anima hominem, & est immediatio formæ ad actum formalem; si autem quæras in comparatione ad cognitionem nostram, ait quod Philosophi distinxerunt formam substantialem ab accidentali per quædam media à posteriori, vt potè per ista habere contrarium, & non habere, recipere magis, & minus per eam, & non recipere, posse esse notum, & non esse, & huiusmodi, sed ad rem breuiter dicit vnum esse medium, per quod manifestius distinguitur quantùm ad cognitionem nostram, quæ forma etiam aduenienti enti in actu sit substantialis, & quæ accidentalis; quamdiù enim proceditur in substantialibus semper posterior est perfectior prioribus; quãdo autem venitur ad accidentales, sequens est imperfectior vltima præexistente; quæ atem sit perfectior, hoc nobis innotescere non potest, nisi à posteriori, & illud est rationabile in se, & in nobis, in se quidem, quia in eodem genere non aduenit forma formæ, nisi vt perfectius constituat in illo genere; in alio autem quicquid aduenit, scilicet vt accidens inperfectius est quacunque præsuppositа forma substantiali. Potest quoque dici formam substantialem dare esse simpliciter, quia cum sit substantia, est ens simpliciter, & sic dat esse eiusdem rationis cum ipsa, forma accidentalis dat esse secundum quid, quia cum sit accidens, est ens tantùm secundum quid, vt docet Arist. 7. Met. tex. 14. vbi videndus est Alensis in quæstiuncula, quam mouet, an accidentia sint entia simpliciter, vbi concludit cum Arist. solam substantiam posse dici ens simpliciter propter suum esse fixum, & ratum, quod de se habet, quale non habet accidens, quod habet esse fixum & ratum in alio, & ideò nequit dici ens simpliciter, sed tantum secundum quid, & cum addito, scilicet in alio. Dices formam quoque substantialem materialem habere esse fixum in alio, & non in se, atque ideo dici non posse ens simpliciter, & propriè substantiam, sed potius accidens. Resp. negando consequentiam, quia etsi aliquam habeat dependentiam à materia, tamen hæc dependentia non est ab alio alterius generis, sicut est in accidente, quod in suo esse à substantia dependet, & ideò cum omni proprietate dicitur ens in alio; & hinc colligitur, quare forma substantialis materialis etiamsi à materia dependeat in suo esse, fieri, & conseruari, adhuc tamen dicitur habere suam perfeitatem, & ratitudinem, quantùm sufficit, vt dicatur substantia, quia non indiget alio alterius generis, vt dicatur esse, & existere, sicut indiget accidens.

22 Et hinc patet ad 2. dubium, quare substantia à toto genere dicatur ens primum naturaliter, & accidens ens secundum naturaliter, & consequenter quare forma substantialis dicatur dare esse primum naturaliter etiam si posterius forma accidentali materiam informaret, vel satim non immediatè informaret materiam primam, vt est de anima; ratio, est quia naturaliter loquendo quod de se habet esse fixum, & ratum, præcedit in esse illud, quod non habet esse, nisi illi innixum, quia hoc indiget illo ad suum esse, & existere, non è contrà. Et sic forma substantialis, quantumcunque mediatè materiam informet, adhuc tamen dat esse simpliciter, & primum naturaliter, quia dat tale esse fixum, & ratum, quale prouenire non potest à forma accidentali; & è contra, forma accidentalis quantumcunque immediatè informaret materiam, semper dabit esse secundum quid, & secundum naturaliter, quia non dat esse firmum, & fixum, & sicut dat forma substantialis.

Et ex hoc tandem patet facilis totius quæsiti resolutio substantiam, & accidens, non per aliud abinuicem quidditatiuè differre, & in se essentialiter constitui, nisi per id, quod semper assignauit Arist. & alij cum ipso, scilicet per perfeitatem, & inalietatem saltim radicaliter sumptas, explicando tamen illas, vt modò diximus, vt scilicet perfeitas dicat fixionem, & ratitudinem entitatis in seipso absque dependentia, & substentatione in alio alterius generis, hoc enim modo quælibet substantia etiam formam materialem includendo dicitur per se esse, & per se existere, quo modo non conuenit accidenti; de modis substantialibus non loquor, quia hi secundum principia nostra non sunt directè, & quidditatiuè substantia, sed dicuntur substantiales, quatenus inter substantias versantur, illasque tangunt sub aliqua ratione substantiali, vt de vnione substantiali dictum est disp. 5. Phys. q. 9. licèt reipsa in se sint accidentia de genere respectus; inalietas è contrà, quæ circumscribit differentiam accidentis, dicet oppositam dependentiam ab alio alterius generis, tanquam à subiecto, & indigentiam eius, vt in eo fulciatur, & sustentetur, quæ satis explicatur per phrasim essendi in alio per inhærentiam, quia inhærentia ex vi nominis importare videtur in forma inherente, indigentiam quandam maiorem substentantis, quam habeat forma substantialis etiam materialis, & minorem firmitatem in suo esse, qua de causa hic modus essendi in alio à Philosophis appropriatus est accidenti; & hæc sunt quæ mihi dicenda videntur pro explicatione perfeitatis substantiæ, & inalietatis accidentis iuxtà principia DD. subtilis, & Irrefragabilis; videatur Scotus 2. dist. 12. quæst. 1. in solutione ad 2. principale, vbi non obscurè totam hanc doctrinam insinuat, cum ait omne esse cuiuscunque alterius generis à substantia, scilicet accidentis esse *imperfectius* quocunque quod est pars substantiæ, quia indiget substentari *ab alio*, quod est alterius generis.

QVÆSTIO II.

An substantia singularis constituatur actu per se existens, & subsistens per aliquid realiter superadditum, & ex natura rei distinctum.

23 QVestio, vt constat ex ipso titulo, de substantia singulari creata intelligitur, nam in natura diuina non admittitur aliquid ab ipsa realiter distinctum, quo fiat actu per se existens, & subsistens. Quicunque non distinxerunt inter subsistentiam, & per se existentiam substantiæ, eodem modo de vtraque discurrunt, & ideò qui à parte rei existentiam ab essentia reali, & actuali non distinguunt, sicut ponunt substantiam singularem per se existere in rerum natura independenter à subiecto seipsa, & non per aliquid realiter superadditum, ita quoque seipsa subsistere dicunt; & ita sensisse videtur Arist. 7. Met. tex. 41. vbi nullam agnoscere videtur differentiam, saltim à parte rei, inter naturam substantialem singularem existentem, & subsistentiam, sed eo ipso quod à parte rei aliqua substantia singularis est existens, vult esse subsistentem absque aliquo nouo addito; à qua sententia parum, vel nihil distat opinio, quæ solet adscribi Durand. 1. d. 34. qu. 1. Henric. quol. 4. q. 4. Aureolo 3. d. 1. q. 1. & alijs, qui solam distinctionem rationis ratiocinantis, vel in modo significandi abstracto, & concreto ponunt inter naturam, & suppositum, vndè dicunt hanc humanitatem, quæ est natura singulari, & hunc hominem, qui dicitur suppositum, non nisi pænes modum significandi differre concretum, & abstractum, quatenus abstractum significat naturam per se, concretum verò significat rem per modum naturam habentis, in re tamen sunt omnino idem natura, & habens naturam, seu suppositum, & subsistens. Capreolus è contrà nec ipse distinguens inter per se existentiam substantiæ, eiusque subsistentiam 3. d. 5. q. 3. art. 3. cum quibusdam alijs Thomistis, quia existentiam ab essentia realiter distinguit, vltrò concedit substantiam singularem non seipsa existere, nec subsistere, sed per aliquid realiter superadditum, qui est modus per se existendi superadditus substantiæ; vt ab accidente distinguitur.

Alij verò distinguentes inter subsistentiam, & per se existentiam substantiæ, diuersimodè de vtraque discurrunt iuxtà sua principia; qui enim existentiam ab essentia reali, & actuali non distinguunt realiter, consequenter dicunt substantiam singularem seipsa quidem, & non per aliquid realiter superadditum per se existere independenter à subiecto, adhuc tamen subsistere per aliquid realiter superadditum, & ab ea reipsa distinctum; ita Scotistæ, & Recentiores communiter. Qui verò existentiam realiter ab essentia secernunt, vt Thomistæ, nedum volunt singularem substantiam subsistere per aliquid realiter superadditum ipsi, verumetiam & per se existere per alium modum superadditum à subsistentia diuersum, & inter istos modos nedum ponunt distinctionem, sed etiam ordinem prioritatis, & præcedentiæ, & volunt subsistentiam in substantia singulari præcedere existentiam, & naturam non esse capacem existentiæ, nisi quousque fuerit subsistens, ita Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. Medina ibid. & alij Thomistæ.

24 Dico Primò substantiam singularem seipsa realiter per se existere inde-

independenter à subiecto, & non per aliquid realiter superadditum. Conclusio est Scoti 4.d.12.q.1.& est communis omnium, qui existentiam ab essentia reali, & actuali non distinguunt à parte rei, seu realiter, & ex hoc principio potest primò probari, quia si verum est in vniuersum existentiam realiter ab essentia non distingui, vt ex professo ostensum est disp. 8. q. 2. per se existentia, quæ est propria substantiæ, non erit realiter à substantia distincta; sicut neque in accidente propria eius existentia ab ipso realiter distinguitur. Tum quia licèt subsistentia sit aliquid realiter substantiæ singulari superadditum, & ab ipsa ex natura rei distinctum, non tamen idem iudicium ferri debet de per se existentia, quod ex diuersis muneribus, ad quæ destinata sunt, satis apertè colligitur, nam subsistentia substantiæ singulari datur, vt constituatur incommunicabile alteri, sicut natura supposito, at per se existentia assignatur eidem, vt per se existat independenter à subiecto modo explicato quæst. præced. sed substantia singularis, licèt non per suammet entitatem sit incommunicabilis alteri supposito, sed per aliquid superadditum, vt patebit conclusione sequenti, adhuc tamen suamet entitate est à subiecto independens, ergo est per se existens independenter ab eo seipsa, & non per aliquid realiter superadditum. Tum quia si per se existentia realiter distinguerentur à substantia singulari, sicut subsistentia; ergo separari posset ab ea, sicut de facto separata est subsistentia in natura assumpta à Verbo; tunc facta tali separatione quæro, num substantia singularis expoliata ex hypothesi propria existentia, adhuc per se existat independenter ab alio, tanquam à subiecto, cui inhæreat, an verò sustentetur in alio, velut in subiecto ad modum accidentis; primum dici nequit, quia tunc per se existeret adhuc ablata propria existentia, quod implicat, vel concedendum est talem per se existentiam esse sibi realiter identificatam, secundum etiam implicat, quia sicut substantiæ entitas nequit in entitatem accidentis transire, ita nec fieri potest, vt substantia sit in alio per inhærentiam, & in eo sustententur, velut accidens in subiecto. Tum, quia etiamsi de facto natura humana sit in Verbo, vt fide discimus ex mysterio Incarnationis, adhuc tamen non est in Verbo, sicut in subiecto, sed sicut natura in alieno supposito, & per vnionem, quæ dicitur hypostatica, non autem inhæsiua, qualis est vnio accidentis cum subiecto; ergo natura humana adhuc in Verbo existens per se existit hoc modo, idest independenter ab alio, velut à subiecto; ergo non amisit hanc rationem, vel modum per se existendi, quod sufficiens indicium esse debet hunc modum per se existendi non esse ab ipsa natura singulari realiter distinctum. Videatur Doctor 3.d.1.qu.1. ad 5. prin. vbi ait, quod non eodem est natura humana per se existens, & persona personalitate creata, & negat quod per se existentia in natura intellectuali sit personalitas accipiendo per se, vt distinguitur contra esse alij, vt subiecto, quia ad personalitatem requiritur independentia ad aliud suppositum.

25 Dico secundò, accipiendo subsistere propriè pro per se incommunicabiliter esse alteri, velut suppositum, singularem substantiam non seipsa realiter subsistere, sed per aliquid realiter superadditum, & ab ipsa à parte rei distinctum. Hæc est communis omnium Theologorum, ac magis in fide tuta contra Philosophos, qui non distinxerunt inter substantiam singularem, & suppositum; & quamuis efficaciter probari non posset ratione naturali, & ex lumine naturæ, vt omnes Theologi fatentur, quia totum motiuum agnoscendi distinctionem inter naturam singularem, & subsistentiam, seu suppositum ex mysterio Incarnationis Dominicæ nobis illuxit, per quod factum est, vt natura humana, non in proprio, sed in alieno supposito nempe diuino supponi aretur, & subsisteret; attamen supposito lumine fidei euidenter ostenditur eiusmodi distinctio realis inter substantiam singularem, & subsistentiam, vel suppositum; Et quidem primò id ostendunt ex mysterio Trinitatis, Centin. de Incarn. disp. 1. cap. 5. Auersa quæst. 18. Phil. sect 2. Aretin. 3. d. 1. q. 1. art. 10. & alij Theologi, quia absolutè loquendo multa tribuuntur suppositis diuinis, quæ non tribuuntur naturæ diuinæ, & è contra, & sic habetur in cap. *damnamus* extra de Summa Trin. & Fide Cathol. Pater enim dicitur generare Filium, & Filius generari à Patre, & Spiritus Sanctus dicitur procedere à Patre, & Filio; at vero diuina natura, non dicitur generans, neque genita, nec spirans, nec spirata; ipsa etiam dicitur communicabilis pluribus personis, & nulla persona dicitur communis tribus. Rursus in Deo est vna essentia, & natura singularis sunt tria suppositi constituta, & distincta per tres subsistentias personales; ergo vltra naturam singularem datur subsistentia terminans naturam, & simul cum illa constituens suppositum; bene ergo inde licebit arguere hoc etiam euenire in rebus creatis, & aliquam distinctionem intercedere inter naturam, & suppositum. Hæc tamen ratio non satis mihi efficax videtur ad conuincendum propositum, nam in proposita conclusione intendimus probare realem distinctionem inter naturam singularem, & subsistentiam, vel saltim talem, vt natura singularis possit propria subsistentia priuari; at quamuis aliqua distinctio detur inter naturam diuinam, & tria suppositia in quibus subsistit, non tamen tanta distinctio admitti potest, quanta hic intenditur; non ergo inde idoneum deducitur argumentum; Tum quia licet in sententia Scoti distinguente relationes originis in diuinis ex natura rei formaliter à diuina essentia possit ex mysterio Trinitatis concludi aliqua quoque distinctio ex natura rei inter naturam, & suppositum in creatis, attamen in principijs Thomistarum, & aliorum Theologorum illa à parte rei nullatenus actualiter distinguentium, non potest inde maior deduci distinctio inter naturam, & suppositum, quam rationis ad summum ratiocinatæ; at similem distinctionem quoque in creatis admittunt Durand. & Aureol. tenentes oppositum huius conclusionis; ergo insufficienter deducitur argumentum ex mysterio Trinitatis ad eos conuincendos. Tum quia ibi natura singularis est adhuc pluribus communicabilis, vt quod, non autem substantia singularis creata, ergo ex hoc capite magis videtur posse confundi in creatis substantia singularis cum supposito, quam in diuinis, & ideò non inde sufficiens argumentum deducitur ad creata ad concludendam distinctionem naturæ singularis à supposito, quia substantia singularis creata est magis incommunicabilis, quam diuina.

26 Melius itaque probatur ex mysterio Incarnationis, quo fide docemur Verbum diuinum assumpsisse naturam humanam in athomo, idest singularem, non tamen personam, seu suppositum creatum, item naturam humanam in Verbo propria carere subsistentia, ac subsistere subsistentia Verbi, ita enim passim loquuntur SS. Patres, & Concilia docent; ergo necesse est, vt in re aliqua intercedat distinctio inter hanc humanitatem, & proprium suppositum, & inter naturam singularem, ac propriam subsistentiam, & quidem tanta, quantum sufficit vt illa possit separari ab ista, & assumi sine ista. Conf. quia si natura, & subsistentia sunt idem prorsus à parte rei, ergo quod à parte rei dicitur de vno, dici quoque debebit de altero, vnde cum subsistentia creata non sit assumpta, neque etiam natura dici potest assumpta, & si hæc est assumpta, etiam & illa, quorum vtrumque est hæreticum. Præterea etiam Theologi illi, qui oppositum huius conclusionis defendunt, si catholicè sentire velint, fateri coguntur Verbum assumpsisse quidem naturam in athomo, idest humanitatem singularem, non tamen personam, vel suppositum humanum; ergo aliquid deest humanitati assumptæ, cuius defectu nequit dici persona, vel suppositum, & hoc nil aliud est, quam modus propriæ subsistentiæ, quo formaliter natura singularis constituitur formaliter in ratione suppositi. Quod si respondeant humanitatem assumptam non dici personam, vel suppositum, non quia desit aliquid, sed potius quia aliquid est sibi additum, nempe vnio ad Verbum, quod propriè dicitur habens humanitatem, ipsa verò humanitas dicitur esse in Verbo, sicut forma, vel natura in supposito, & ideo humanitas illa nequit dici suppositum, neque homo, quia habet alium modum essendi ratione cuius est potius in alio, quam in se. Contra, quia vt bene infert Suarez, ex hac solutione sequitur ad rationem suppositi, & subsistentiæ saltim requiri negationem vnionis ad aliud, seu carentiam modi existendi in alio, & in tali negatione formaliter ratio subsistentiæ consistet, & hoc sufficit vt natura singularis possit dici realiter distincta à subsistentia saltim distinctione reali negatiua, quo pacto dici solet materia realiter à priuatione distingui, quia negatio realis, & separabilis à suo subiecto non sola ratione dicitur ab eo secerni; & hoc sufficit proposito nostro, neque enim hic disputamus adhuc, an subsistentia addat supra naturam singularem aliquid reale superadditum positiuum, & positiuè distinctum, nam de hoc posteà disputabitur.

27 Dices cum Durando humanitatem assumptum à Verbo non dici personam, quia non concipitur per modum concreti; & habentis naturam, sed per modum habitæ, & possessæ à supposito alienæ naturæ. Contrà, quia nec persona, nec suppositum constituitur in tali esse ex nostro modo concipiendi, sed ex ijs prædicari, quæ sibi realiter conueniunt, & à parte rei, siue sint prædicata positiua, siue negatiua, ergo si humanitas Christi habet quicquid à parte rei requiritur ad intrinsecam constitutionem suppositi, & personæ, poterit dici persona cum omni veritate, quæ fuit hæresis Nestorij. Tum quia si ad rationem personæ, & suppositi sufficit, vt ait Durandus, vt illud possit concipi in concreto, & per modum habentis naturam, adhuc humanitas Christi poterit dici persona, quia humanitas à Verbo assumpta fuit indiuidua, & singularis, indiuiduum vero, & singulare respectu naturæ specificæ, & quidditatis, vt sic, habet rationem concreti, & habentis naturam, quia natura verè includitur, & continetur in indiuiduo; ergo in opposita sententia verè poterit dici persona. Confirm. quia in diuinis Deus, vt est concretum Deitatis, & concipitur per modum habentis Deitatem, non est persona, nec suppositum, quia adhuc ita in concreto sumptus est communis tribus personis; ergo falsum est ad rationem suppositi sufficere, vt natura significetur in concreto, sed re vera aliquid à parte rei debet superaddere naturæ.

28 Dico 3. subsistentiam in sensu præcedentis conclusionis non esse confundendam cum per se existentia substantiæ singularis, quia hæc dicitur à subiecto independens. Conclusio hæc sequitur ex duabus præcedentibus, nam subsistentia propriè sumpta reddit substantiam alteri incommunicabilem, veluti formam supposito, at per se existentia reddit illam duntaxat ab alio independentem, vt à subiecto etiamsi sit communicabilis alteri, vt supposito, vt constat de natura singulari assumpta à Verbo, quæ est communicata Verbo, vt alieno supposito, & ideò propria subsistentia caret, non autem ab eo dependet, vt à subiecto, & ideò propria per se existentia non caret; ergo modus subsistentiæ non est confundendus cum modo per se existentiæ, cùm natura possit vnum amittere sine altero. Conf. quia etsi communiter, ac fusiori sermone loquendo soleat interdum subsistentia substantiæ cum eius per se existentia confundi, attamen propriè loquendo abinuicem secerni debent, vt modi prorsus diuersi, & ideò ad omnem confusionem tollendam, ait Doctor quol. 4. M. & quol. 5. V. sed præcipuè

quol.9. ab initio subsistere, vel per se existere multipliciter sumi posse; vno modo communissimè, quo sensu per se existens dicitur, vel subsistens, quod solitariè existit, & hoc modo per se existentia potest accidenti competere, quando est separatum à subiecto, vt in Eucharistia; secundo modo minus communiter pro omni eo, quod alteri non inhæret, nec habet aptitudinem ad inhærendum, & in hoc sensu quælibet substantia non tantùm composita, sed etiam materia, & forma substitere dici possunt, quia forma substantialis licèt insit materiæ informando, non tamen per inhæsionem, vt declaratum est præc. quæst. quia inhærere dicit non per se informare, quia inhærens nec est actus simpliciter, sed secundum quid, nec cum illo cui inhæret facit per se vnum. Tertio tandem modo propriè illud dicitur subsistere, quod est in vltima actualitate, itaquod non est amplius ordinabile ad aliquem actum simpliciter vltrà istum, quem habet, qui quidem actus vlterior possit esse actus eius per se, & quod hoc modo dicitur per se existens dicitur propriè subsistens, & solet appellari suppositum, & in natura intellectuali persona, quia omne tale ens est prima substantia non amplius alteri communicabilis, nec vt quod, scilicet vt superius inferiori, nec vt quo, itaut possit esse pars essentialis eius, vel ratio agendi, seu principium quo; in hoc igitur vltimo sensu dicimus subsistentiam non esse confundendam cum per se existentia, quæ est propria cuiuscunque naturæ substantialis, sed esse peculiarem modum substantiæ singularis diuersum ab existentia eiusdem. Denique contra Capreolum probari potest subsistentiam non coincidere cum existentia naturæ singularis, ex illo vniuersali principio extra Thomisticam Scholam vniuersaliter recepto, quod existentia non realiter distinguitur ab essentia reali, & actuali; vnde cum subsistentia ita distinguatur à substantia singulari ex conclusione præcedenti, quia natura potest esse sine ipsa, vt patet in natura à Verbo assumpta, sequitur non coincidere cum eius existentia, sed esse modum distinctum ab ea, & ad diuersum munus destinata si quidem deseruit non ad per se existendum independenter ab alio, vt à subiecto, sed vt à supposito, itaquod facit naturam singularem omnino incommunicabilem.

28 Dico tandem subsistentiam non præcedere, imo potius supponere existentiam in natura singulari. Hæc est communis contra Caiet. & probatur primò ex communi modo loquendi omnium, dicentium subsistentiam esse vltimum terminum, & complementum naturæ, non esset autem talis, si post ipsam adhuc expectaretur existentia in natura. Tum quia tantùm abest, quod natura non sit proximè capax existentiæ, nisi prius subsistens intelligatur, vt Caiet. aiebat, quod potius res omninò è contrà se habet, quod non est proximè capax subsistentiæ, nisi prius intelligatur existens, quod ita ostendo, nam subsistentia præsertim, si ponatur modus positiuus, vt ponunt Thomistæ non potest fundari in entitate naturæ, nisi actuali, & extrà causas, non enim subsistentia actualis fundari potest in natura omnino possibili, quia fundatum debet proportionari cum fundamento, & è contrà, at eo ipso, quod natura ponitur actualiter esse, & extrà causas, intelligitur existens, ergo in natura singulari prior est existentia, quam subsistentia. Tum quia prius est in re, quod ei conuenit inseparabiliter quam quod ei conuenit separabiliter, quia hoc magis intelligitur ei accidere, quam illud; sed existentia inseparabiliter conuenit naturæ singulari, non autem subsistentia, quia natura assumpta in Verbo secundum communiorem, & veriorem propriam adhuc retinet existentiam, non autem subsistentiam. Tum quia prius est rem esse, quam incommunicabiliter esse, & ideò etiam in diuinis prior est existentia, quæ est essentialis quam subsistentiæ personales, & incommunicabiles; sed substantia singularis per existentiam constituitur in esse actuali, & extrà causas, per subsistentiam verò redditur incommunicabilis alteri, vt supposito, ergo in natura existentia præcedit subsistentiam, non è contrà, sed ne teramus tempus in re de se manifesta, & ab omnibus concessa, de qua etiam dixi disp.8.met.q.3.in fine n.164.

Dissoluuntur Rationes aduersæ.

29 PRimò obijcitur contra 1.concl. quia ita explicatur per se existere in substantia, sicut inhærere in accidente; sed accidens constituitur subiecto inhærens per modum inhærentiæ ab ipso distinctum; ergo sic etiam substantia constituitur per se existens. Deindè, quia ratio quidditatiua substantiæ non est ipse modus per se existendi; sed principium exigitiuum eius, sicut pariter dicitur de inhærentia in accidente; ergo nil obstat, quin ponatur modus reipsa ab ea distinctus. Rursus de facto in Verbo natura humana non per se existit independenter ab alio, vt à subiecto, quia sustentatur in eo, ergo talis per se existentia est modus à substantia distinctus; cum possit sine ipso existere. Demum accidens separatum in Eucharistia dicitur per se existens ad instar substantiæ per quendam modum per se existendi ei de nouo à Deo tributum opposito modo inhærendi; ergo de facto, & naturaliter substantia per similem modum distinctum per se existit.

Resp. negando paritatem, siquidem accidens absolutum potest non inhærere subiecto, vt constat in Eucharistia, at substantia nequit non per se existere, & ideò sicut intrà genus accidentis accidentia modalia, siue respectiua non indigent modo inhærendi distincto, quia non possunt non inhærere subiecto, ita in proposito, quia substantia nequit non per se existere, non indiget modo per se existendi distincto, sicut indiget modo subsistendi. Ad 2. negatur consequentia, quia neque existentia in creatis est de quidditate rei, & tamen non ponitur modus reipsa, seu realiter distinctus ab essentia, sed tantùm eo distinctionis genere, quo modus intrinsecus distinguitur à re, cuius est modus, quæ est distinctio valdè minor distinctione reali; & hoc etiam modo per se existentia erit distincta à substantia, vt modus intrinsecus eius, non autem realiter itaut substantia possit esse sine ipsa. Ad 3. negatur assumptum, quia natura humana adhuc in verbo existit in dependenter ab eo, vt à subiecto, quia non est in eo per vnionem inhæsiuam, qualis est accidentis ab subiectum, sed per vnionem hypostaticam, qualis est naturæ ad suppositum, neque sustentatur in eo, vt accidens in subiecto, sed laxiori modo eo pacto, quo natura dicitur sustentari in supposito, non propriè tanquam in subiecto, sed potius tanquam in termino vltimato suæ dependentiæ, vt ex infrà dicendis magis constabit. Ad vlt. negatur assumptum, vt dixi disp.3. Phys.q.4.art.2. ex Scoto 4.d.12. quæst 1. & 6. §. *ad argumenta* quo etiam concesso adhuc negatur consequentia, quia accidenti separato, vt per se existeret, daretur à Deo modus ille per se essendi, quia accidens de se ineptum est, vt ita existat, & ideò indigeret nouo modo superaddito ad sic essendum, at substantia de se apta est ad sic existere, atque ideò talis modus per se existendi debet poni ei intrinsecè congenitus, & consubstantialis, vt potè illi connaturalis, vnde potius argumentum facit ad oppositum, quia ex eodem capite, vnde arguitur in accidente separato indigentia talis modi per se existendi, arguitur substantiam nullâ talis modi habere indigentiâ à se distincti.

Secundò contra 2.concl. probando subsistentiam nihil reipsa distinctum superaddere singulari substantiæ, suppositum nil aliud est nisi compositum ex hac materia, & ex hac forma, & præter hæc nil aliud esse cogitari potest, hoc autem totum est idem, quod hæc natura singularis, ergo suppositum nihil addit reale supra naturam singularem, sed solum per nostrum modum considerandi. Tum 2. non plus differunt concretum, & abstractum in prædicamento substantiæ quam accidentis, sed in prædicamento accidentis idem prorsus significant album v. g. & albedo, ergo pariter suppositum, & natura, homo, & humanitas in prædicamento substantiæ. Tum 3. quæ eadem generatione generantur, & corruptione desinunt non sunt inter se realiter distincta, hoc enim est præcipuum signum identitatis realis, sic se habent natura singularis, & subsistentia, ergo &c. Tum 4. natura singularis, & per se existens est ens in actu, cum constituatur per formam; ergo si ei superueniret subsistentia, vt modus distinctus, hæc foret accidens. Tandem quod conuenit omnibus suppositis speciei pertinet ad naturam specificam, sed subsistentia conuenit omnibus suppositis speciei, ergo subsistentia non est distincta à natura specifica; hæc vltima tria argumenta ex Acerbo lib.2.qq.peripat.qu.11. desumit Auersa qu.18. suæ Phil. sect.2. sed re vera Auctor ille licet probabilem dicat esse opinionem Henrici, & Durandi, longè tamen probabiliorem ait esse oppositam in fine quæstionis.

30 Resp. negando assumptum, nam humanitas Christi est composita ex hac materia, & ex hac forma, & tamen non est suppositum, vt Fides docet, tum quia in sententia nostra compositum dicit tertiam entitatem vltra hanc materiam, & hanc formam, cuius propria est subsistentia, de qua loquimur, quæ est quidam modus essendi incommunicabiliter, ratione cuius talis natura singularis suppositat, & subsistens, nequit vt sic esse actus alterius, qui licet apud Philosophos non distinguatur à composito singulari, tamen ex mysterio Incarnationis nobis innotuit distingui. Ad 2. primò negari potest paritas, quia accidens non subsistit, sicut substantia; deinde concessa paritate ad minorem dicendum, quod licet quoad principalem significatum idem omnino dicant album, & albedo, tamen quoad connotatum plus dicit album, quam albedo, quia præter formam addit subiectum, in quo habetur forma, & sic à pari concretum substantiale præter naturam connotat suppositum ex Doctore 1.d.4.q.1.in fine, cui natura quasi dicitur inhærere ex eodem quol. 5. litt. V. vnde argumentum potius facit ad oppositum & rursus aduertendum est aliud esse loqui de concreto personato, vt est Petrus, aliud de non personato, sicut est homo correspondens humanitati, vt sic, de quo affert exemplum Durandus, nam licet de tali concreto concederetur quod Durandus inquit, quod idem omnino significent, non tamen de alio concreto potest concedi. Ad 3. ait Auersa loc. citat. posse aliqua simul fieri, & corrumpi, etiamsi distincta sint, ac etiamsi fiant per distinctas actiones, & ita se habent subsistentia, & natura. Hæc tamen responsio non est ad argumentum, non enim assumit argumentum in maiori illa non realiter distingui, quæ simul fiunt, & simul corrumpuntur, sic enim vtique posset negari maior, vt facit Auersa, sed dicit illa non distingui realiter, quæ eadem generatione fiunt, & eadem corruptione desinunt, quod planè est potissimum signum realis indistinctionis, vt dixi disp. 6. Met. q. 8. num. 185. & sumitur ex Aristot. 4. Meta. text. 3. potius ergo est neganda minor licet enim per naturalem resultantiam subsistentia sequatur ad naturam singularem, fiat Deo non impediatur non tamen fit immediatè eadem prorsus actione cum illa, & in hoc sensu explicat Trombet. hanc regulam in formalit. part. 4. art. 4. ac Arist. dictum 4. Meta. 3. quæ vna productione generantur esse idem, debet enim intelligi de his, quæ per se fiunt, ac immediatè vnica reali actione, quæ autem dicuntur vnica actione produci, vel potius comproduci eo præcisè, quia vnum ex alio resultat, minimè opus est vt sint realiter idem, sed solum idem subiecto dicuntur, vel connexione quadam, quia re vera imme-

immediatè, & proximè non fiunt vna, & indiuisibili actione reali; aduerte tamen hanc responsionem præsertim locum habere in sententia docente subsistentiam importare gradum positiuum naturæ superadditum, nam si ponatur consistere in negatiuo, non potest dici propriè generari, vel produci sed consequi ad naturam singularem eoipso, quod non vnitur alteri supposito.

31 Ad 4. respondet idem Auersa citat. naturam antecedenter ad subsistentiam esse per se in actu naturæ, non autem in actu suppositi, vnde potest illi superuenire modus substantialis in ratione suppositi. Neque ista solutio est ad argumentum, quod contendit subsistentiam futuram accidens, si naturæ superuenit constitutæ in actu naturæ, vt aliquid realiter distinctum quod possit adesse, & abesse, nam natura in actu naturæ constituitur per formam, quod autem aduenit enti sic in actu est accidens; sed præterea falsum est, quod subsistentia adueniat naturæ solum constitutæ in actu naturæ vt ait Auersa, quia aduenit naturæ constitutæ etiam in actu seu in esse singularis. Quare potius dicendum est cum Mairon. 3. d. 1. & 2. q. 11. rationem suppositalem in creatis non constituere simpliciter quia aduenit naturæ iam in esse singulari constitutæ, sed tantum dare esse incomunicabile, vnde colligitur probabilius esse, quod in negatione consistat, quam in positiuo, quia cum hoc adueniret enti in actu, & esset ab ipso à parte rei distinctum, difficilè euaditur quin sit accidens, vnde & hoc erit argumentum, ex quo probari poterit subsistentiam consistere in negatiuo. Ad vlt. respondet Auersa quod conuenit omnibus suppositis speciei spectat quidem ad ipsam speciem, non tamen necessario debet spectare ad naturam, prout distinctam à supposito, & ita se habet subsistentia. Neque hæc est legitima solutio, quia male conceditur subsistentiam esse de ratione naturæ specificæ etiam prout identificatæ suppositis, nam & indiuidualis differentia, & existentia proximiores sunt naturæ specificæ, quam sit subsistentia, nec tamen ad esse specificum spectare dicuntur; non ergo est absolutè concedenda illa maior, quod conuenit omnibus suppositis speciei pertinet ad naturam specificam, sed est sic distinguenda; quod conuenit omnibus suppositis speciei ratione ipsius speciei hoc vtique pertinet ad naturam specificam, quia censetur esse prædicatum essentiale primi, vel saltim secundi modi; quod autem competit omnibus indiuiduis ipsius speciei non ratione ipsius speciei, sed aliundè, falsum est id pertinere ad naturam specificam, alioquin etiam indiuidualis differentia ad naturam specificam pertineret, eo quia conuenit omnibus, & singulis indiuiduis; vnde argumentum probat plus quam velit arguens, nam ipse solum probare intendit subsistentiam non distingui reipsa à natura singulari, sed à parte rei esse omnino idem cum ipsa, argumentum verò probat esse etiam omnino idem cum natura specifica. Alia argumenta facit Aureol. loc. citat. valde confusa, & implicata, quorum tandem vis ad hoc reducitur, quod natura, & suppositum non differunt, nisi sicut concretum, & abstractum, vt arguebat Durand. atq; ideò vlteriori non indigent examine & solutione; illa tamen sigillatim soluta videre potes apud Capreol. loc. citat. & Caiet. 3. p. q. 4. ar. 3. Dices Scot. quol. 19. M. & Cc. dicere inter naturam, & proprium suppositum esse realem identitatem. Resp. Scotum ibi comparatiuè loqui, non absolutè, comparat enim naturam ad proprium suppositum, & alienum, & ait talem realem identitatem habere cum proprio, qualem non habet cum alieno, quatenus *de suo* quidditatiuè prædicatur, non de alieno.

32 Tertiò contra 3. concl. probatur per se existentiam, & subsistentiam in substantia omnino coincidere, primò ex communi modo loquendi, iuxta quem indifferenter dicimus substantiam, vt ab accidente distinguitur, per se existere, & subsistere. Deinde per subsistentiam, quæ est affectio substantiæ, excluditur ab ea formaliter inhærentia, quæ est affectio accidentis; ergo subsistentia coincidit formaliter cum per se existentia, quæ substantiam formaliter constituit à subiecto independentem. Tandem subsistentia in omni rigore sumpta dicit modum per se existendi sine dependentia à sustentante, hac enim præcisè de causa humanitas à Verbo assumpta dicitur propria carere subsistentia, quia in eo sustentatur, & ab eo, vt à sustentante dependet, & è contra mea humanitas dicitur in se subsistens, seu propriam possidere subsistentiam, quia in se, & per se sustentatur, & non in alio; sed dependere, vel non dependere ab alio aliquid tanquam à sustentante est ab ipso dependere, vel non dependere, tanquam à subiecto, cui innitatur, ergo subsistentia coincidit omnino cum per se existentia excludente dependentiam à subiecto.

Resp. vltrò concedendo in communi modo loquendi per se existentiam, & subsistentiam solere confundi, & per vtrumque promiscuè ab accidente secerni, cæterum quia ex fide cognouimus subsistentiam à substantia diuelli, nunquam tamen per se existentiam, qua constituitur à subiecto, independens, ideò de singulis propriè loquendo confundi non debent. Ad aliud per subsistentiam nedum à substantia excluditur inhærentia, & dependentia ab alio, vt à subiecto, sed etiam dependentia ab alio, vt à supposito, quo pacto dependet modo humanitas Christi à Verbo, at per se existentia non hanc dependentiam excludit à substantia, sed tantum primam, & hæc est propria differentia inter per se existentiam, & subsistentiam substantiæ, & ideò negatur consequentia. Ad vltim. dico magnam in hac materia contingere æquiuocationem in sustentationis vocabulo, vt magis patebit ex dicendis qq. seq. vnde pro solutione rationis nũc dicere sufficiat certum esse, quod cum modo dicimus humanitatem assumptam sustentari in Verbo, non intelligitur sustentari in ipso, tanquam in subiecto inhæsionis, vt Fides docet, sed alio modo longè diuerso ab eo, quo accidens dicitur sustentari in subiecto, cui inhæret, atq; ideò neganda est minor vniuersaliter sumpta, quod scilicet dependere ab alio, tanquam à sustentante, sit semper dependere ab eo, tanquam à subiecto informationis, vel inhæsionis, quia potest dari sustentatio alterius rationis ab illa, quæ conuenit accidenti, quæ formaliter excludatur per subsistentiam, vt constabit ex dicendis.

33 Quartò, contra 4. concl. arguunt Thomistæ, quia concipitur natura secundum essentiam abstrahendo ab existentia, & adhuc in tali statu concipi potest subsistens, seu cum subsistentia, verè enim dicimus Antichristum esse suppositum, esse personam; quamuis actu non existat. Resp. gratis concedendo etiam ipsam subsistentiam, nedum considerari posse, vt actu positam in rerum natura, sed etiam præcisè secundum suam essentiam abstrahendo ab actualitate essendi, & sub hac consideratione applicari potest ad naturam sub esse possibili dicendo, Antichristus est suppositum, est persona; sed iam disput. 8. q. 2. dictum est existentiam esse ita cum essentia connexam, vt existentia semper essentiam comitetur in quocunque statu, vt modus eius intrinsecus seruata proportione, ita nimirum vt essentiam in esse possibili comitetur immediatè existentia pariter possibilis, & essentiam in esse actuali pariter existentia actualis, & sic etiam de subsistentia dicere possumus, quod comitari potest substantiam singularē tam in esse actuali, quam in esse possibili, vt probat argumentum; attamen cum applicatur naturæ in esse possibili, ita proportione seruata illi conuenire, sicut applicatur naturæ in esse actuali, atque ideò sicut cum applicatur naturæ in esse actuali, supponit existentiam in natura, existentiam, inquam, actualem, alioquin natura non foret in esse actuali, ita proportionaliter cum applicatur naturæ in esse possibili supponit in ea existentiam possibilem, quia non datur essentia possibilis, nisi in ordine ad existentiam possibilem.

34 Quintò tandem obijciunt aliqui falsum esse, quod dictum est concluſ. 2. non posse naturali ratione probari realem distinctionem subsistentiæ, seu suppositalitatis à substantia singulari, nec talem distinctionem Philosophis, & præcipuè Aristot. fuisse notam, nam 1. Met. dixit actiones esse suppositorum, & 1. de anim. 64. ait, quod humanitas nec stet, nec ambulat, sed homo; ergo re vera Arist. cognouit suppositalitatem à singularitate distinctam in substantia. Accedit etiam ratio naturalis, quia nequit Petrus concipi, vt ens completum, & per se existens, quin concipiatur vt habens negationem existentiæ in alio, siue tanquam in subiecto, siue tanquam in supposito distincto; sed ratio suppositi creati præsertim in tali negatione consistit, vt postea patebit, ergo potest hæc cognosci, vt à singularitate distinctam, quæ dicit quid positiuum. Resp. aliud esse, quod Arist. agnouerit rationem subsistentiæ, & suppositalitatis, aliud quod eam quoque agnouerit, vt à singularitate distinctam, & separabilem, hoc secundum negaui in conclusione secunda, non vero primum, nam apud Aristot. prima substantia est idem, quod suppositum, quandoquidem apud ipsum omnis substantia singularis, & indiuidua est incommunicabilis, vt quod, & vt quo, & est independens actualiter, & aptitudinaliter ad suppositum alienum; quod si etiam concedere velimus aliquo pacto distinxisse inter singularitatem, & suppositalitatem, itaut illam statuerit in positiuo, hanc verò in negatiuo, adhuc tamen inter eas separabilitatem non agnouit, adeoquod possit natura singularis propria suppositalitate priuari, & illis negationibus denudari, vt nobis innotuit ex fide. Adhuc tamen aduertendum est Arist. 1. Metaph. non dicere, quod actiones sint suppositorum, sed singularium, per quem loquendi modum potius innititur suppositum à singulari non distinxisse, & 2. de anim. 64. pariter non habet illa verba, nec comparat humanitatem cum homine, sed animam, & actiones quasdam animalticas melius homini ait attribui; quam animæ, quia sunt totius coniuncti, & non solius animæ. Ad rationem respondetur per idem concedendo posse naturaliter agnosci ratio subsistentiæ, & suppositalitatis, vt à singularitate aliquo pacto distincta, præsertim si ponatur consistere in dictis negationibus, non tamen tanta distinctione, quantam fides docet, adeout vna possit separari ab altera in substantia singulari.

35 At instat Lorca in 3. part. disputat. 28. memb. 1. probans Arist. etiam talem separabilitatem agnouisse inter naturam singularem, & suppositum, idque probat ex 5. Metaph. cap. 8. text. 15. in fine, vbi habet hæc verba, *accidit igitur duobus modis substantiam dici, & ipsum vltimum subiectum, quod non dicitur de alio, & id quod cum quod quid sit etiam separabile fuerit, tale verò cuiusque forma, & species.* Respondet Poncius tom. 3. sui Cursus disputat. 18. quæst. 6. num. 80. malè ex his verbis colligere Lorcam separabilitatem substantiæ singularis à propria subsistentia, siquidem secundum omnes Expositores ibi enumerat primam, & secundam substantiam, & per primam intelligit substantiam singularem, & per secundam vniuersalem, quam dicit esse separabilem à substantia prima, quatenus potest formaliter reperiri in pluribus substantijs primis, cum ad nullam determinetur, vt patet; non autem intelligit ipsam substantiam singularem esse à supposito realiter separabilem, vt Lorca intendit; immo ex hoc loco Poncius ait potius colligi, quod Philosophus nullo modo admiserit distinctionem suppositi à substantia singulari, quia dicit substantiam singularem esse illam, quæ de nullo dicitur; sed si daretur suppositum distinctum à substantia singulari id es-

set falsum, quia de tali supposito posset prædicari illa substantia singularis secundum omnes. Fateor non benè Lorcam probare intentum ex loc.citat.quia per quod quid est non intelligit Aristot.substantiam singularem, sed vniuersalem; cum tamen hanc ait esse separabilem non debet exponi, vt ait Poncius, quia potest formaliter reperiri in pluribus substantijs primis, quia hoc non arguit separabilitatem aliquam substantiæ secundæ à primis, sed potius identitatem inadæquatam in omnibus, & singulis; deinde falsum est, quod admittendo distinctionem realem inter substantiam singularem,& suppositum, tunc possit prædicari substantia singularis de supposito proprio, vt superius de inferiori,quia tunc non esset singularis,de cuius ratione est esse incommunicabile, vt quod; debet ergo ille locus exponi cum nostro Alensi ibidem, quod secundo modo dicitur substantia quodcunque fuerit tale, quod per ipsum est aliquid ens, & per quod fuerit aliquid separabile, & distinctum ab alio; tale verò, quod sic dicitur substantia, est forma, & species, vniuscuiusque, nam vnumquodque per formam est ens, quia forma est ratio essendi, & etiam per formam vnumquodque distinguitur ab omni alio, quia illud idem, quod est principium essendi,est principium distinguendi,per eandem enim formam,per quam homo est homo,per eandem non est asinus;vide aliam expositionem apud Scotum,in eodem loco, vbi aliter textum legit, & per separabile intelligit quodcunque indiuiduum, quatenus est à quolibet alio diuersum, & separatum.

Io.de S.Thoma quæst. 7.Physic. articul.1, contendit & ipse probare ratione naturali distinctionem ex natura rei inter singularitatem substantiæ, & subsistentiam, quia accidentia non immediatè recipiuntur in natura, quia sic pertinerent ad rationem naturæ, & cum ea permiscerentur; exigit ergo natura aliquid, quo reddatur subiectum, quod respectu eorum quæ sunt extrinseca naturæ, & hoc est subsistentia. Resp. argumentum retorqueri de ipsa subsistentia, quæ aduenit naturæ, & in ipsa recipitur, vnde diceretur pertinere ad rationem naturæ; quod tamen est falsum; diceret ergo Aristot. naturam per singularitatem constitui sufficiens subiectum ad recipienda omnia accidentia,quæ sunt aduentitia naturæ, nec alium modum subsistentiæ distinctum esse necessarium; & subsistentiam non esse simpliciter ad hoc munus necessariam constat in humanitate Christi, quæ habet omnia accidentia ipsám naturaliter consequentia, & tamen caret propria subsistentia.

QVÆSTIO III.

Quid significet subsistentia, quidue subsistens.

36 QVamuis quæstione præcedenti probatum sit subsistentiam sumptam pro existentia incommunicabili substantiæ singularis esse à parte rei distinctam ab ipsa, vt per Dei potentiam possit ab ea separari, vt factum est in mysterio Incarnationis, adhuc tamen non constat quænam sit ratio formalis, & effectus formalis talis subsistentiæ, quam naturæ communicat, dum eam reddit formaliter subsistentem; præmittenda verò est huius difficultatis resolutio, quia ex ea pendet resolutio quæstionis principalis huius materiæ, an suppositum addat supra naturam aliquid formaliter positiuum, vel præcisè negatiuum, nam si effectus formalis subsistentiæ sit positiuus, siue talis, qui nequeat haberi, nisi per formam positiuam, consequenter asserendum erit subsistentiam, siue suppositalitatem supra naturam addere formalitatem positiuam; si verò effectus formalis subsistentiæ sit præcisè negatiuus, siue talis, qui possit haberi per simplicem negationem, opus non erit subsistentiam addere supra naturam quia positiuum, sed sufficiens erit sola negatio, ne entia sine necessitate multiplicentur. Hæc verò difficultas adeò ardua est, vt aliqui Theologi omninò illi cedant, & in nulla sententia quietem inueniat teste Eminentiss. Card. de Lugo disp.12.de Incarn.sect.3.n.25.quia tamen ex ea pendet, vt dixi, resolutio principalioris quæstionis huius materiæ,ac etiam aliæ omnes minus principales,quæ de subsistentia ventilari solent,non est præsenti difficultati cedendum,sed potius omni conatu enitendum pro veritate indaganda, vel saltim probabiliori eius resolutione.

37 Vt verò certa ab incertis, & controuersa à communiter concessis in hac quæstione separemus, notandum est in præsenti materia pro eodem prorsus vsurpari ab omnibus nomen subsistentiæ, suppositalitatis, & personalitatis, quia hæc nomina eandem formalitatem significant, & solam pœnes connotata differunt, idest penes diuersas naturas, quas afficiunt, ex eo enim quod hæc formalitas afficit naturam substantialem, vt sic, siue sit intellectualis natura, siue non; dicitur absolutè subsistentia, & suppositalitas; si verò natura affecta per ipsam sit intellectualis, nedum dicitur subsistentia, & suppositalitas, sed etiam personalitas, quia persona datur tantum in natura intellectuali, vnde denominatio personalitatis in formalitate superaddita naturæ singulari est denominatio merè extrinseca desumpta à natura, quam afficit, quando scilicet illa natura est intellectualis; aliqui etiam adhuc per connotata diuersa volunt inter se distingui subsistentiam, & suppositalitatem, quia subsistentia afficere potest indifferenter naturam completam, & incompletam, at dum afficit substantiam completam,dicitur suppositalitas, dum afficit incompletam, dicitur subsistentia præcisè, vnde anima separata dici quidem potest subsistens, sed non suppositum, adeout nomina subsistentiæ, suppositalitatis, & personalitatis, & rursus illorum concreta subsistens, suppositum, & persona se habeant sicut magis, & minus commune,quia persona est suppositum,& subsistens,non è contra,item suppositum, est subsistens, non è contra; vnde Petrus, vel Michael est persona,suppositum,& subsistens;at Baiardus,vel hic lapis est quidem suppositum,& subsistens,non tamen persona,quia non sunt suppositæ intellectualis naturæ; sic etiam anima, si ei tribuatur partialis subsistentia,dicitur quidem subsistens,non tamen suppositum,quia non est natura completa, hæc, inquam, est doctrina ab omnibus communiter concessa.

38 Nomen etiam Hypostasis idem modo significat,quod persona, idest suppositum in natura intellectuali, quamuis enim antiquitus aliquam patereturæquiuocationem, quia interdum idem significabat quod *substantia*, & ideò recusabant SS. Patres tres hypostases admittere in diuinis, ne essentiam multiplicare viderentur; modo tamen ex communi vsu loquentium vsurpatur pro persona, & ideò ab Ecclesia conceditur posse sine formidine dici tres hypostases esse in diuinis. Quid autem sit persona Boet. lib. de duabus naturis, & vna persona Christi eam definit, quod sit *rationalis naturæ indiuidua substantia*, quam definitionem recipit D. Th. 1.p. qu.29, art.1. Sed sic simpliciter prolata, vt verba sonant, non placet Doctori 1.d.23.q.vn. §. *Ad quæstionem*,quia ex ea sequeretur animam esse personam,cum sit rationalis naturæ indiuidua substantia,similiter & Deitatem, immo & naturam à Verbo assumptam, cum sit indiuidua, tum quia solus homo propriè dicitur rationalis à Suarez tamen lib.1.de Trin.cap.1.quem Poncius imitatur disp.18.cita.q.6. num.59. nititur hanc definitionem defendere, dicens, per *substantiam* intelligi substantiam completam, & ideò excluditur anima rationalis, item intelligi substantiam singularem,& particularem,quod significatur per ly *indiuidua*, quæ particula significat etiam incommunicabilitatem, ideò excluditur Deitas; item per naturam rationalem accipi naturam intellectualem.

39 Verum si Suarez rectè aduertisset, non dixisset Scotum simpliciter improbasse definitionem Boetij, quia etsi prædictam definitionem sic simpliciter prolatam non approbet,eam tamen recipit, & defendit exponendo illam, vel corrigendo per definitionem traditam à Richardo 4. de Trin. c. 22. quæ est, quod persona *est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia* vbi pro *rationalis* ponitur *intellectualis*,pro *indiuidua incommunicabilis*,pro *substantia existentia*,quo etiam pacto definitionem Boetij exponit Suarez. Hæc itaque definitio optima est, quia ibi ponitur aliquid, vt genus, scilicet existentia, vel subsistentia, quæ accipitur pro ente subsistente. Secundò ponitur aliquid loco differentiæ non tamen specificæ, vel vltimæ, quia hoc conuenit etiam supposito, & tale est *incommunicabilis*, tandem ponitur aliquid loco vltimatæ differentiæ, licet penes connotata, scilicet *naturæ intellectualis*, per quod persona differt à supposito. Declarat verò Doctor incommunicabilitatem, quam dicit persona esse duplicem duplici communicabilitati oppositam, aliquid enim dici potest communicabile, dupliciter, vel *vt quod* quo modo superius dicitur communicari inferioribus,itaut quodlibet sit ipsum;alio modo *vt quo* sicut alicui communicatur forma, qua aliquid est tale secundum ipsam, sed non est ipsa, vt anima communicatur corpori, & vtroque modo Deitas est communicabilis, & neutro modo persona potest esse communicabilis, sed vtraque incommunicabilitas pertinet ad rationem personæ, & ideò anima non est persona, quia habet secundam communicabilitatem,neque Deus,quia habet primam, neque diuinitas, quia habet vtramque. Quamuis autem hæc definitio ex integro non conueniat supposito, quia non conuenit nec Lapidi, nec Baiardo; si tamen demitur ly *intellectualis naturæ*, & loco eius ponatur *naturæ substantialis* definitio conuenit etiam supposito. Ex his tandem definitionibus habemus,quod omnis persona, omne suppositum, vel subsistens, qua tale, est substantia incommunicabilis, & personalitas, suppositalitas, vel subsistentia formaliter dicit incommunicabilitatem aliquam;adeo quod esse incommunicabile est effectus formalis, quem subsistentia, vel suppositalitas tribuit naturæ, quam afficit; tota difficultas est in explicando, qualis sit ista incommunicabilitas, quamuis enim Scotus eam clarè expresserit. Recentiores tamen deusissimas tenebras huic materiæ suis speculationibus offuderunt.

ARTICVLVS I.

Varij modi dicendi referuntur, ac reijciuntur.

40 PRimò dixerunt aliqui rationem formalem subsistentiæ consistere in collectione accidentium, & conditionum indiuidualium,adeoquod effectus formalis eius sit reddere naturam substantem accidentibus, eisque informatam, quæ opinio tribuitur Henric. quol.3.q.2.Ægid.in tract.de comp.Argent.3.d.6.q.1, & videtur apertè consentire D.Th. 1.p. quæst.3.art.3. Hic tamen dicendi modus passim reijcitur, quia subsistentia spectat aliquo modo ad complementum substantiale substantiæ, accidentia verò spectant ad complementum accidentale duntaxat, vndè de facto variatur accidentium collectio,dum vnum amittitur,vel aliud de nouo acquiritur,& tamen non variatur ratio suppositi, & si per potentiam Dei substantia singularis omnibus expoliaretur accidentibus suis, adhuc remaneret in se subsistens, & terminata in ratione substantiæ. Neque etiam consistere potest in collectione conditionum indiuiduantium, quia si per conditiones

tiones indiuiduantes intelligitur intrinseca indiuidualis differentia naturæ, sic constat subsistentiam non in ea consistere, quia aduenit naturæ singulari, & singularitatem in natura supponit; si autem intelligantur conditiones extrinsecè indiuiduantes, cum sic non important, nisi variam accidentium collectionem, redit argumentum factum de accidentibus. Deinde in humanitate Christi sunt omnia sua accidentia naturaliter humanitatem consequentia, sicut item omnes conditiones indiuiduantes, quocunque modo accipiantur, quia vt aiunt PP. assumpsit naturam in athomo, idest certam, & singularem; & tamen adhuc caret in Christo propria subsistentia, vt fides docet; ergo nequit formaliter subsistentia consistere in tali collectione, nec eius formalis effectus esse potest subsistare accidentibus, quia humanitas Christi suis accidentibus subsistat, & adhuc propria subsistentia caret.

Dices humanitatem Christi substare accidentibus ratione diuinæ subsistentiæ supplentis munera subsistentiæ creatæ. Contra, quia repugnat diuinam subsistentiam esse rationem suscipiendi accidentia, nec ipsa supplet vices subsistentiæ creatæ, nisi in ijs, quæ ab imperfectione abstrahunt; tum quia ad sustentanda accidentia sufficit in substantia modus intrinsecus suæ per se existentiæ, quo constituitur independens ab alio, tanquam à subiecto, & ex hoc enim, quod est sic independens, fit vt possit terminare consimilem alterius dependentiam, vt notat Doctor 4. d. 12. q. 1. hanc autem per se existentiam, quâ dixi quæst. præced. esse à subsistentia distinctam, adhuc retinet humanitas in Verbo, ergo ratione ipsius potest substare accidentibus. Tandem reijcitur hic dicendi modus, quia subsistentia explicari debet per aliquam incommunicabilitatem, vt constat ex definitionibus assignatis personæ, & suppositi in omni Schola receptis; at in prædicta explicatione subsistentiæ nullius fit mentio incommunicabilitatis, sed dicitur præcisè formalem eius effectum esse, quod reddat substantiam accidentibus substantem. Quod si aliquam agnoscit incommunicabilitatem per hoc, quod ait eam consistere in collectione conditionum indiuiduantium, nec adhuc satisfacit, quia hæc est incommunicabilitas, vt quod, quæ est effectus formalis singularitatis, non verò subsistentia, nam singularitas est, quæ reddit naturam incommunicabilem, vt quod, & hęc licèt etiam ad subsistentiam requiratur ex Scot. loc. cit. non tamen eam formaliter constituit, quia est sibi communis cum singularitate.

41 Secundò, dixerunt alij effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam potentem operari, quia scilicet subsistentia est ratio operandi, vel saltim conditio omninò requisita ad operandum, quia actiones sunt suppositorum, ita Recentiores nonnulli apud Arriag. loc. cit. Hic quoque dicendi modus communiter reijcitur, & quidem primò ea generali ratione, quia subsistentia, vt sic, necessariò importat aliquam incommunicabilitatem, de qua nullam mentionem facit hæc explicatio. Deinde falsum est subsistentiam, siue in positiuo, siue in negatiuo ponatur consistere, esse rationem agendi, vel conditionem adeò necessariò requisitam, vt natura sine illa operari non posset, si posset siue illa existere, vt infra patebit in proprio quęsito; itaque his, & alijs dicendi modis relictis, qui in explicanda ratione formali subsistentiæ, vel eius formali effectu, non eam ab incommunicabilitate desumunt, velut omnino improbabilibus, examinandi sunt alij, qui eam explicant per aliquam incommunicabilitatem, quam de sua ratione formali suppositum, & personam importare apud omnes est in confesso.

42 Tertiò, alij dicunt incommunicabilitatem, quam dicit suppositum formaliter, vel formaliter tribuit suppositalitas, esse incommunicabilitatem communicabilitati oppositam, quam dicit accidens, idest ineptitudinem ad inhærendum alteri, velut subiecto; ita videtur sentire Suarez loc. cit. dum ait vnum ex præcipuis subsistentiæ formalibus effectibus esse reddere naturam independentem à subiecto inhæsionis. Hic quoque dicendi modus passim displicet, & ab Arriag. disp. 4. Met. sect. 8. nu. 48. ita reijcitur, quia dependentia à subiecto inhæsionis in re conuenit etiam subsistantiæ, siquidem dependentia accidentis à subiecto in re non differt à dependentia formæ materialis substantialis ab eodem subiecto, etiamsi vna vocetur inhærentia, alia non; neque enim minus dependet forma substantialis, quam accidentalis; ergo subsistentia, quæ est propria substantiæ, nequit in tali independentia à subiecto inhæsionis constitui. Hæc ratio falsum assumit in antecedente, quia dependentia ab alio, vt à subiecto inhæsionis, directè repugnat substantiæ, vt distinguitur ab accidente, & quamuis forma substantialis materialis in suo esse, & fieri à materia dependeat, sicut accidens, adhuc tamen verum est non esse in materia per inhæsionem, nec adhuc tantam esse dependentiam formæ substantialis à materia, quanta est accidentis à subiecto, quia hoc in suo esse dependet ab alio alterius generis, non autem forma substantialis, vt declaratum est q. 1. huius disput. nu. 19. & 22. Quied. controu. 4. Met. punct. 3. n. 4. cum Eminentiss. de Lugo cit. n. 31. improbant hunc dicendi modum, quia etiam ablata propria subsistentia, manet res independens à subiecto; ergo hanc independentiam aliundè habet res, quam à subsistentia; antecedens probant, quia ex eo præcisè, quod materia, vel anima rationalis terminet actionem creatiuam, intelligitur independens à subiecto, creatio autem non est subsistentia, sed productio; ergo antecedenter ad subsistentiam intelligitur res à subiecto independens; Licet hęc ratio sit efficacior præcedenti, adhuc tamen non videtur absolutè conuincere, quia etiam accidens absolutum, vt quantitas, vel qualitas actionem creatiuam terminare potest, si in se producatur, & non in subiecto, nec tamen hinc rectè infertur esse à subiecto independens, sicut est substantia, quia adhuc aptitudinaliter saltim dependet ad illud. Dices saltim inferri independentiam actualem, quam habet ratione cuiusdam modi perfeitatis, quam Deus tribuit accidenti eo ipso, quod illud extra subiectum producit, vel conseruat, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, vbi accidentia conseruat extra subiectum per quendam perfeitatis modum substantiali consimilem, sed Contra, quia falsum est accidenti in tali casu prætari à Deo nouum perfeitatis modum substantiali consimilem, quia talis modus sibi repugnat vt ostendi disputat. 3. Phys. quæst. 4. artic. 1. sed illud in tali casu dicitur præcisè creari, & actionem creatiuam terminare, quia non in subiecto producitur, qui est quidam perfeitatis modus merè negatiuus, non autem positiuus, qualem importat independentia substantiæ ad subiectum, non ergo ex eo præcisè, quod aliquid terminet actionem creatiuam statim deducitur eius independentia ad subiectum positiua, qualis est independentia substantiæ, quia tunc accidens absolutum terminus creationis nullo modo esse posset.

Idcircò Poncius disp. 18. quæst. 6. num. 60. aliter impugnat, quia scilicet omnis substantia completa, siue incompleta habet ex se ineptitudinem ad inhærendum; ergo non est superaddendus aliquis modus separabilis ab ipsa, ex qua ista ineptitudo formaliter proueniat; consequentia patet, probatur antecedens, quia si per impossibile poneretur humanitas absque aliquo modo separabili haberet illam ineptitudinem; secundò, quia accidens ex se habet aptitudinem ad inhærendum absque modo superaddito; ergo è contra substantia non indiget modo distincto, vt dicatur inepta ad inhærendum. Neque hæc ratio rectè procedit, quia hic non est sermo de independentia substantiæ aptitudinali à subiecto, hanc enim concedunt omnes non conuenire substantiæ per modum distinctum, sed per propriam entitatem, sicut è contra opposita dependentia aptitudinalis à subiecto conuenit etiam accidenti per propriam entitatem, sed sermo est de independentia actuali, & Auctores huius modi dicendi dicunt hanc haberi in substantia per modum distinctum, qui dicitur subsistentia, sicut è contra in accidente dependentia actualis à subiecto habetur per modum inhærentiæ superadditum, & distinctum. Itaque improbandus est hic dicendi modus ex dictis quæst. præcedent. concl. 2. n. 24. quia nempe substantia actualiter per se existit per quendam existentiæ modum à subsistentia distinctum, eique intrinsecum, ac realiter identificatum, quæ realis identitas ex eo deducitur, quia nec per Dei potentiam potest vnquam substantia inhærere subiecto, vnde etiam eadem Christi humanitas, quamuis sit in Verbo, non tamen est in eo, velut in subiecto, accidens verò absolutum inhæret per modum inhæsionis distinctum, quia de potentia Dei absoluta potest sine tali modo reperiri, vt in Eucharistia constat; quam tandem improbationem etiam Poncius adhibet, vt instantiam modò factam contra eius rationem euadat.

43 Quartò, dicunt alij incommunicabilitatem, quam affert subsistentia naturæ singulari, esse incommunicabilitatem per modum partis in ordine ad totum essentiale, vel integrale; Fauet Scotus quol. 9. ab initio, §. *de secundo*, vbi ait illud dici per se subsistens subsistentia propriè dicta, de qua hic loquimur, quod habet actualitatem vltimatam, ita quod non est per se ordinabile ad aliquem actum simpliciter vltra istum, quem habet, qui quidem actus vlterior possit esse actus eius per se. Hoc refutant alij, quia etiam partes substantiales in composito habent propriam subsistentiam, & tamen adhuc communicantur, & alijs compartibus vniuntur ad constituendum totum; & quando id negaretur de illis, dum sunt actu in composito, attamen non videtur posse negari, dum sunt extra compositum, scilicet de anima, & corpore separatis, tunc enim habent propriam subsistentiam, & tamen vnum est ordinabile ad aliud, & ambo ad totum, quod sunt apta constituere. Hæc tamen ratio non multum vrgere videtur, quia Doctor loc. cit. negat partibus essentialibus siue in toto, siue extra totum propriam subsistentiam, quia sunt ordinabiles ad vlteriorem actum, & aliquod per se vnum constituendum; vnde concludit solum totum completum siue compositum, siue simplex, sicut est Angelus posse dici propriè per se subsistens, & suppositum. Sed fortius adhuc probatur neque respectu totius cõpleti posse subsistentiam sic explicari per incommunicabilitatem, scilicet per modum partis, quia cum totum sit de se incapax talis communicationis per modum partis essentialis, superfluè ponitur subsistentia in eo, vt modus distinctus per quem talis communicationis fiat incapax, qua ratione etiam reiectus est præcedens dicendi modus declarans subsistentiam per independentiam à subiecto inhæsionis; id, inquam, reiectum est, quia cum substantia sit de se incapax talis inhærentiæ, frustra additur modus distinctus, quo fiat illius inhæsionis incapax. Fateor hanc rationem sufficienter conuincere non posse subsistentiam totius completi adæquatè per hanc incommunicabilitatem explicari, quia de se est sic incommunicabile, & non per aliquem modum superadditum, qualis est subsistentia, de qua hic loquimur; vnde dicendum est, quod Doctor loc. citat. non vtique intendit subsistentiam adæquatè explicare per talem præcisè incõmunicabilitatem, sed solum innuit ipsam quoq; concurrere ad eam constituendam præsuppositiuè saltim cum alijs postea

explicandis, quæ ipsam formaliter constituunt.

Quantum verò spectat ad incommunicabilitatem per modum partis integralis fatentur ferè omnes hanc non esse de ratione formali subsistentiæ, neque effectum formalem eius, quia talis communicatio, vel communicabilitas optimè stat cum subsistentia, de facto namque natura mea propria personalitate affecta communicatur partibus integralibus de nouo per generationem acquisitis, cum quibus facit vnum vnitate continuitatis, & integritatis; & quamuis vna pars communicetur alteri, non tamen communicatur vt quo, sicut potest natura communicari suppositо, quia hæc pars aliquam talem denominationem non suscipit ab alia. Neque est eadem ratio de partibus essentialibus, & integralibus, partes namque essentiales, cum sint constitutiuæ totius essentialis physici, quod est quoddam tertium realiter ab ipsis distinctum, sunt in seipsis essentialiter entia incompleta, ideoque suppositalitatis, & subsistentiæ propriè dictæ incapaces, at partes integrales non sunt constitutiuæ alicuius totius ab ipsis vnitis realiter distincti, vt patet ex dictis in physica, atque ideò non sunt ita partes, vt sint entia essentialiter incompleta, immo essentialiter sunt ita entia completa, sicut ipsum totum, & sicut ipsum directè in eodem prædicamento constituuntur, & directè eiusdem generis omnia prædicata superiora quidditatiuè recipiunt, sicut totum integrale, cuius sunt partes, sic enim quidditatiuè, & per se lignum dicitur hoc lignum semipalmare, sicut totum lignum palmare, quod constituit; cum ergo subsistentia dicat vltimum naturæ substantialis complementum, partibus integralibus ex hoc capite subsistentia non repugnabit, quia non sunt entia essentialiter incompleta, sicut repugnat partibus essentialibus, neque incommunicabilitas per modum partis integralis erit de ratione formali subsistentiæ, aut ad effectum formalem eius pertinebit.

44 Quintò, Poncius disputat. 18. citat. à num. 64. multis conatur hanc incommunicabilitatem explicare, quam importat subsistentia, & personalitas, & tandem num. 67. concludit hanc incommunicabilitatem esse oppositam communicatione, quia communicatur natura diuina tribus personis, & natura humana Verbo, & num. 68. hanc conclusionem ponit, vt aliqua substantia singularis completa dicatur personari, non requiritur vlla alia negatio, quam actualis communicationis cum alio siue formaliter, siue realiter distincto, cum quo faceret vnum per se. Nescio qua ratione hic Auctor introducat communicabilitatem diuinæ naturæ tribus personis ad explicandam incommunicabilitatem personalitatis, cum sit planè difficilior ipsa incommunicabilitate personæ; tum quia hic non est sermo de personalitate diuina, neque de personalitate communi ad diuinam, & humanam, sed de creata, & humana præcisè, quæ est omninò alterius rationis à diuina; tum quia communicabilitas conueniens diuinæ naturæ tollitur à natura creata per ipsam singularitatem, non autem per personalitatem, eo enim ipso, quod natura creata est singularis, est etiam pluribus incommunicabilis, vt quod, cum talis communicabilitas sit speciale priuilegium diuinæ naturæ ratione infinitatis eius; quamuis ergo personalitas creata tollat immediatè à natura communicabilitatem, illam, qua modò humanitas Christi est Verbo communicata, non tamen immediatè, & formaliter tollit eam, qua natura diuina communicatur pluribus personis, sed hæc tollitur à singularitate, & ideò non spectat ad formalitatem personæ nisi præsuppositiuè. Deinde ait Doctor 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. non sufficere ad personam constituendam solam negationem actualis communicationis alteri, vt quo, quia tunc anima separata esset suppositum, & persona, cum talem habeat negationem. At ipse dicet se loqui in sua conclusione de substantia singulari completa, & ideò non valere instantiam de anima rationali. Sed satius fuisset loqui absolutè, & Scoto se conformare in modo explicandi personalitatem, per duplicem negationem communicationis actualis, & aptitudinalis, cuius necessitatem aufert per hoc, quod loquitur de substantia completa. Sed neque adhuc sic dicendo assequitur intentum, quia vt ait Doctor loc. cit. litt. H. licet negatio dependentiæ potentialis ad alienum suppositum nulli naturæ creatæ conueniat, quia quælibet est in potentia obedientiali ad Deum, tamen negatio aptitudinis inest cuilibet naturæ personabili in se, etiam quando actu dependet, vt patet in natura assumpta à Verbo; ergo etiam vt natura completa dicatur in se personari, non sufficit sola negatio communicationis actualis, sed etiam requiritur negatio communicationis aptitudinalis. Tandem id quod habet in ea prima conclusione, quod scilicet negatio actualis communicationis naturæ cum alio, cum quo faceret vnum per se, ad constituendam personalitatem requiritur, & quod personalitas consistit in tali negatione, contradicit suæ conclusioni tertiæ sub num. 72. vbi ait, quod incommunicabilitas, quam dicit persona, non benè explicatur, esse illa, à qua habet non posse communicari alicui, cum quo faciat vnum per se; quia Verbum diuinum est persona, & tamen de facto in Christo communicatur per se naturæ humanæ assumptæ, cum qua facit vnum per se hominem, hæc, inquam, videtur mihi manifesta contradictio in prima, & tertia conclusione huius Auctoris, aut ipsum non intelligo, quia re vera ibi adeò obscurè, & perplexè loquitur, vt vix percipi possit, quid dicere velit.

45 Sextò Cardinalis de Lugo non minus doctrina, quam dignitate eminentissimus disput. 12. citat. sect. 3. num. 31. dicit effectum formalem propriæ subsistentiæ esse reddere naturam subsistentem, seu terminatam in se sola, & existentem per se, & non in alio, quod probat ex ipsa vocis significatione, subsistere enim aliquem apud Latinos est ita sistere, vt non progrediatur vlterius, quare subsistere in se idem erit, quod in se sistere, seu in se terminari; ergo hæc terminatio, & negatio communicationis est potissimus, & primarius effectus subsistentiæ, quæ ideò appellatur perfectas, seu personalitas, quia facit naturam existere per se, existere autem per se est idem, quod non existere in alio, vt constat ex terminis. Inferius postea num. 35. declarat hunc effectum primarium subsistentiæ propriæ esse quid positiuum, scilicet perficere, & complere naturam substantialem, quæ secundum se erat incompleta, & exigebat subsistentaculum, cui inniteretur, sicut accidens exigit illud, licet non cum eadem imperfectione, quia accidens ob suam debilitatem exigit sustentari, & fulciri ab alio, seu in alieno suppositо, at natura substantialis propter suam perfectionem non indiget hoc, sed sustentat seipsam, quia à seipsa habet per emanationem subsistentaculum illud, quo absque alterius auxilio sustentetur, & ideò dicitur sustentari in se, & esse per se, & subsistere in se, quia licet sustentaculum, seu subsistentia sit aliquid superadditum, est tamen proprium ipsius naturæ substantialis, & per quod ipsa natura seipsam sustentat; & hunc effectum formalem ait colligi ex mysterio Incarnationis, quia ex ipso habemus subsistentiam in homine esse aliquid superadditum, quo natura indiget ad suam perfectionem, & complementum substantiale, nec apparet quam aliam perfectionem accipere possit ab illa entitate superaddita, nisi id, quod dictum est. Tandem num. 54. ait ex hoc effectu formali positiuo oriri incommunicabilitatem, quam natura habet ex subsistentia, quamuis enim sit aliqua incommunicabilitas adeò essentialis substantiali naturæ, vt non indigeat modo superaddito ad illam habendam, nam natura substantialis completa est sic incommunicabilis alteri, vt subiecto, vel toti per modum partis, vt supra dictum est, prouenire tamen potest à subsistentia addita naturæ negatio illius communicationis, quæ secluſa subsistentia posset saltem diuinitus esse, qua v.g. posset humanitas secluſa subsistentia propriis saltim diuinitus communicari alieno suppositо, subsistentia verò adueniens impedit hanc communicationem, & ideò dicitur terminus vltimus naturæ, quia sigillat illam, & quasi muro circundat, ne ipsi pateat exitus ad aliam substantiam. Hanc eandem opinionem tenent Ouuied. & Arriag. loc. citat. cum hoc discrimine, quod Ouuied. nullam facit mentionem de isto effectu secundario; benè tamen Arriag. dicens ex eo effectu positiuo subsistentiæ, quod sit complementum substantiale naturæ, sequi alium negatiuum, scilicet repugnantiam ex natura rei cum qualibet alia subsistentia propria, vel aliena, quia in eo ipso, quod sit natura completa ex natura rei repugnat cum alio complemento, nam duæ formæ præstantes omninò eundem effectum superfluæ sunt in eodem subiecto.

46 Fateor hunc dicendi modum esse potiorem ex hactenus adductis, atque ideò non immeritò sectatores habuisse Eminentiſs. virum alios præclaros suæ societatis Auctores iam cit. & quantum ad illam incommunicabilitatem, quam inquit esse effectum secundarium, libenter etiam fateor ipsam esse effectum formalem subsistentiæ, de qua hic est sermo, & est superaddita naturæ, & ratione ipsius conuenit naturæ singulari; & quidem immeritò id negat Poncius loc. citat. numer. 63. dicens naturam ex seipsa habere incommunicabilitatem naturalem, seu negationem communicationis respectu cuiuscunque cui non potest communicari, nisi supernaturaliter, si enim id verum esset planè omnis subsistentia, & suppositalitas de medio tolleretur, nec vlla prorsus incommunicabilitas posset esse effectus formalis eius, quia dicit naturam meam v. g. ex seipsa habere negationem communicationis, cui communicari non potest, nisi supernaturaliter, non verò ratione subsistentiæ propriæ, quæ ipsam modo terminat, quod est prorsus falsum, quia si talis incommunicabilitas, vel incommunicatio sic ei conueniret, neque per potentiam Dei tolli posset; concedendum est ergò talem incommunicationem, seu negationem communicationis, quam modo natura mea, cum alieno suppositо, esse effectum formalem subsistentiæ, vel personalitatis meæ, & ipsa mediante conuenire naturæ singulari, & ideò ablata propria personalitate à natura mea, statim communicari posset alieno suppositо, & aliena subsistentia terminari, vt eruditiſsimè discurrit Eminentiſsim. de Lugo, & consentit quoque Arriag.

Cæterum pace tanti viri, quod ait de illo effectu primario, & positiuo approbare non possum, scilicet quod effectus primarius subsistentiæ propriæ sit aliquid positiuum, & consistat in perficere, complere, & sustentare naturam substantialem; nam nisi fiat vis in verbis, & rem ipsam attendere velimus, inueniemus hunc effectum, qui primariò tribuitur, subsistentiæ, esse negatiuum, non positiuum, & per meram negationem haberi posse, idque deducitur ex ipso vocabulo subsistentiæ, subsistere namque vt etiam ipse docet, est in se sistere, seu in se terminari, & non vlterius progredi; sed sic est, quod natura eo ipso, quod non intelligitur vlterius communicari, nec vt quod, nec vt quo, sufficienter intelligitur in se sistere, & in se terminari; ergo subsistere naturæ est effectus præcisè negatiuus. Tum quia si personari naturam in se explicetur per hoc quod natura sustentetur in aliqua re, vel modo positiuo ab ipsa distincto, vt illi Auctores explicant, tunc re vera natura in se non sisteret, sed vlterius pergeret ad suppositum, quod ponitur aliquid ab ipsa distinctum, & tunc maximè

ximè non esset sola in se, sed in supposito, quod est aliquid ab ipsa diuersum. Nec suffragatus, quod ait Eminentiss. Lugo propterea adhuc dici naturam substantialem in se sistere, & seipsam sustentare, quia licet subsistentia, & suppositum sit quid ab ipsa ex natura rei distinctum, est tamen proprium ipsius naturæ substantialis, nec est res alterius generis, sicut est id, in quo sustentatur accidens, quod propterea non dicitur in se sustentari, sed in alio. Fateor hanc esse optimam doctrinam, quam ego quoque adhibui quæst. 1. huius disp. in fine, vt ostenderem differentiam inter perfeitatem substantiæ, & inhærentiam accidentis, & cum maiori adhuc indigentia dependere à subiecto formam accidentalem, quam substantialem materialem, etiamsi ambæ à subiecto dependeant in fieri, & conseruari in genere materialis causæ; hoc tamen non saluat, quod si natura petit aliquid à se distinctum, etiamsi in proprio genere in quo nitatur, quin minus dici debeat in alio sustentari, & non in se propriè, sicut à pari constat de forma substantiali, quæ licet non fulciatur in alio, alterius generis, sicut accidens, sed in aliquo de genere substantiæ sibi proportionato, quia tamen id est aliquid ab ipsa realiter distinctum, non dicitur in se sustentari, sed in alio; ergo pariter dicendum erit idem in proposito, si natura re vera sustentatur in aliquo sibi superaddito positiuo, & ab ipsa ex natura rei diuerso, quantumcunque ponatur esse eiusdem generis.

47 Deinde Card. de Lugo disp. 12. cit. sect. 7. in fine loquens de causa materiali subsistentiæ dici esse ipsam naturam, quia cum subsistentia sit modus substantialis, necesse est quod dependeat à subiecto, non est autem aliud subiectum, nisi ipsa natura, à quo possit sustentari; ita ille, ex quo sic argumentor, subsistentia, vel personalitas verè sustentatur, & positiuo modo in natura singulari, à qua dimanant, vt dicunt Auctores, cum quibus disserimus; ergo nequit natura è contra verè, & propriè dici in subsistentia sustentari, modo quodam positiuo, sed negatiuè tantum, quatenus in se terminatur, nec extra se progreditur, vt sistat in alio, sicut accidens; consequentia probatur, quia etiam in sententia istorum Auctorum, nec in eodem genere causæ, nec in diuerso possunt causæ esse sibi inuicem causæ secundum eandem rationem, sed tantum secundum diuersas, vt dictum est disp. 8. Phys. q. 1. art. 1. num. 6. hoc autem contingeret, si natura sustentaretur in personalitate, & vice versa personalitas in natura. Conf. quia quamplures ex his Auctoribus explicare solent indiuisibilia terminatiua de genere quantitatis per solam negationem vlterioris longitudinis, lineam per negationem vlterioris latitudinis, & superficiem per negationem vlterioris profunditatis; ergo tanto magis terminatiua substantiæ, vt sunt modi subsistentiæ, poterunt explicari per negationem sustentationis in alio, itaquod tunc substantia re vera subsistere in se, & in se sustentari dicatur, quia non sustentatur in alieno supposito, nec ad alienum suppositum dependentiam dicit; probatur consequentia, quia muneribus magis positiuis indiuisibilia quantitatis terminatiua deseruire debent, quam terminatiua substantiæ; ergo si illis non obstantibus terminatiua quantitatis possunt per solas negationes explicari, tanto magis terminatiua substantiæ.

48 Septimò tandem videntes alij per nullam peculiarem incommunicabilitatem sufficienter subsistentiam explicari dixerunt effectum formalem subsistentiæ esse constituere naturam omnino incommunicabilem, quia subsistentia constituit suppositum per se existens & naturam in se subsistentem, cui repugnat ex vi huius subsistentiæ, esse in alio, siue tanquam in subiecto, siue tanquam in toto, siue tanquam in alieno supposito, & alio quocunque modo; ita Vasquez tom. 1. in 3. part. disput. 32. cap. 4. solet varij modis hic dicendi modus refutari, sed breuiter reijcitur ex dictis, quia re vera falsum est subsistentiam omnem prorsus communicabilitatem excludere à natura subsistente, quia secundum communiorem non excludit communicabilitatem per modum partis integralis, imò & aliqui contendunt satis probabiliter vt dictum est n. 43. neque communicabilitatem excludere per modum partis essentialis, vnde & propriam subsistentiam tribuunt partibus physicis in composito, qua ratione dicunt esse immediatè in se assumptibiles à Verbo, vnde in triduo mortis corpus, & anima Christi abinuicem separata manserunt adhuc immediatè in seipsis vnita verbo. Deinde substantia incompleta tam simplex, quàm composita ex seipsa est incommunicabilis alteri, vt subiecto, ac vt toti, & non per aliquem modum superadditum, vt superius probatum est; ergo falsum est subsistentiam omnem incommunicabilitatem adferre naturæ, quia natura nonnullas ex se habet incommunicabilitates, & non per subsistentiam superadditum, Notat tamen Mairon. 3. quæstion. 11. quod licet sola incommunicabilitas suppositalis sit de ratione formali subsistentiæ, vt concludemus articul. sequent. aliæ tamen incommunicabilitates, quas & ipse ibi enumerat, concurrere possunt ad rationem suppositi saltim fundamentaliter, & præsuppositiuè modo mox explicando ad finem sequent. articuli.

ARTICVLVS II.

Ratio formalis subsistentiæ, eiusque formalis effectus declaratur.

49 VT constat ex definitionibus allatis ab initio quæstionis personæ, & suppositi, facilè deducitur rationem formalem personalitatis, & subsistentiæ in incommunicabilitate consistere seu in negatione communicationis, vel communicabilitatis, dicitur enim persona intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, & sic etiam suppositum dicitur incommunicabiliter existens in natura substantiali, vnde constat substantiam singularem per incommunicabilitatem præcisè constitui in esse suppositi, & personæ, si fuerit natura intellectuali, & consequenter patet effectum eius formalem esse merè negatiuum, scilicet reddere naturam incommunicabilem, ideoque frustra laborare, qui quærunt aliquem eius effectum positiuum, nam à forma negatiua, sicut est personalitas, positiuum effectum expectare vanum est; idque satis constat ex disputatione habita supra numer. 46. cum Card. de Lugo quare solum remanet declarandum, qualis sit ista incommunicatio, vel incommunicabilitas, quam secum affert personalitas, seu subsistentia; & quamuis eam sufficienter expresserit Doctor 1. d. 23. q. vn. §. *ad quæstionem* declarando definitionem personæ, vt dixi supra num. 39. attamen adhuc clarius res est enucleanda ex Scot. 3. d. 1. qu. 1. art. 3. & quol. 19. vbi de hac materia agit ex professo; triplex itaquæ præsertim communicatio excogitari, & assignari potest, quæ per subsistentiam tollatur, & impediatur in natura substantiali, vt etiam adnotauit Card. de Lugo cit. num. 33. prima in ordine ad subiectum aliquod, à quo sustentetur in genere causæ materialis per modum inhæsionis; secunda in ordine ad totum, quibus dicuntur communicari partes, dum ipsum constituunt, ac etiam adinuicem; tertia in ordine ad suppositum, vel subsistentiam alienam, à qua natura sustentari dicatur; & quidem prima communicatio, vel incommunicabilitas non remouetur à substantia singulari per subsistentiam, de qua hic est sermo, & est aliquid superadditum naturæ, sed remouetur per quendam alium modum intrinsecum substantiæ identificatum, quo ab accidente distinguitur, & dicitur per se existentia contraditinc ta ab inhærentia accidentis; vt dictum est qu. 2. huius disp. num. 24. Neque etiam secunda communicatio, vel incommunicabilitas per modum scilicet partis remouetur à substantia singulari per subsistentiam, nam communicatio per modum partis integralis cum subsistentia benè compatitur, & communicatio per modum partis essentialis etiam secundum aliquos compatitur cum subsistentia saltim partiali, & incompleta, à substantia verò completa siue simplici, siue composita remouetur, non per subsistentiam superadditam, sed ex propria entitate, & ratione formali, qua ens completum est, sub hac enim ratione prorsus illi repugnat communicari alteri, & in alterius constitutionem venire per modum partis essentialis; sola igitur tertia communicatio, vel incommunicabilitas, scilicet in ordine ad suppositum alienum, in quo natura sustentetur impediri potest per propriam subsistentiam, dum eam reddit incommunicabilem alieno supposito, hac enim præcisè de causa Christi humanitas propria caret subsistentia, quia talem incommunicabilitatem non habet sed alieno est communicata supposito, in quo subsistit, vnde per negationem præcisè talis communicabilitatis optimè explicatur affectus formalis subsistentiæ.

50 Verùm ad maiorem adhuc huius communicabilitatis declarationem, quam formaliter impedit subsistentia, & incommunicabilitatis, quam formaliter ponit, notandum est, quod vt ad propositum spectat dependentia, & incommuuicabilitas idem significant, & sic pariter negatio dependentiæ, & negatio communicabilitatis; hæc autem dependentia naturæ, siue communicabilitas, vt quo, & per modum formæ totius, qua aliquid dicitur tale in ordine ad suppositum potest esse triplex actualis, aptitudinalis, & potentialis, vt docet Scot. 3. d. 1. quæst. 1. art. 3. §. *non asserendo*, prima dicit actum; & est quando natura aliqua verè est supposito alterius naturæ communicata, & consequenter ab ipso dependet quoad hoc, vt est modò de natura humana in Christo, dicimus enim aliquid actu dependere ad aliud, quando, dependentia talis terminatur actu ad illud, vt visio v. g. vel intellectio dicitur actu dependere ab obiecto, quando actu terminantur ad illud, etiamsi sit obiectum merè terminatiuum, & non motiuum; secunda dependentia dicit aptitudinem, & est quando natura inclinationem habet, & propensionem ad dependere, & communicari, alicui supposito, vt in eodem exemplo patet de natura humana in Christo, quę inclinationem habet ad dependere à supposito proprio creato, & humano; tertia tandem ab aptitudine præscindit, & meram capacitatem dicit, seu non repugnantiam ad sic dependere ab aliquo supposito, quo pacto eadem humana natura in Christo dicitur habere meram capacitatem, seu non repugnantiam, vt dependere possit à supposito diuino; sicut autem datur triplex dependentia, vel communicabilitas in natura ad suppositum, ita dari potest triplex negatio dependentiæ, & communicabilitatis, scilicet negatio dependentiæ actualis, aptitudinalis, & potentialis; prima habetur in natura cum actu non dependet à supposito extrinseco, sic natura mea modo negationem habet communicationis ad alienum suppositum; secunda negatio ha-

betur in natura, cum ipsa inclinationem non habet ad oppositum actum, sic eadem natura mea dicitur habere talem negationem, quia non habet naturalem propensionem ad alienum suppositum. Tertia tandem negatio dicit repugnantiam ad actum, nam cui negatur potentia, repugnat & actus; potest etiam ex Doctore hæc triplex negatio alijs exemplis explicari extra propositum, nam si v.g. superficies non sit alba dicitur habere negationem primi generis; lapis sursum existens habet negationem secundi generis, quia habet negationem aptitudinis ad Vbi sursum, quia inclinatur ad Vbi deorsum, non tamen habet negationem, quia non implicat, vt sit sursum. Angelus tandem dicitur habere tertiam hanc negationem respectu albedinis, quia albedo sibi repugnat.

51 Hac prænotata doctrina inquit Doctor loc. cit. quod ad hoc, vt aliqua natura singularis possit dici suppositum, seu subsistere, debet habere duplicem negationem communicabilitatis; vt quo actualis, scilicet, & aptitudinalis, itaquod natura singularis, sit independens ab alieno supposito, & actu, & aptitudine, ideſt nec sit actu illi communicata, neque ad talem communicationem habeat aptitudinem; ratio est, quia sola prima negatio, scilicet communicationis actualis non sufficit ad rationem personæ; nam etiam anima separata habet hanc negationem, quia non est actu communicata corpori, & tamen non dicitur suppositum, vel persona, quia adhuc est illi communicabilis in aptitudine; seu dependentiam aptitudinalem habet ad illud; nec etiam sola secunda negatio, scilicet communicationis, vel dependentiæ aptitudinalis satis est, nam humana natura in Christo talem negationem habet respectu diuini suppositi, quia non habet naturalem propensionem ad diuinam subsistentiam, sed ad propriam, & tamen in Christo non habet propriam subsistentiam, & personalitatem; requiritur ergo genuina illa negatio simul, & semel, vt natura singularis in se subsistere dicatur; tertia verò negatio, non requiritur, nam nulla natura creata repugnantiam habet, vt supposito alterius naturæ communicetur saltim diuinæ, cum sit in perfecta potentia obedientiali ad voluntatem diuinam, ideoque natura creata dici potest in se subsistere etiamsi dependentiam habeat potentialem ad essendum in alieno supposito. Vnde deducitur subsistentiam supra naturam singularem addere solum illam duplicem negationem communicationis, vt quo, seu dependentiæ ad alienum suppositum tam actualis, quam aptitudinalis, & in illa duplici negatione formaliter consistere, atque ideò effectum eius formalem esse reddere naturam & actu, & aptitudine incommunicatam alieno supposito, & sic esse effectum merè negatiuum; ita docet Doctor nedum loc. citat. 3. distinct. prima, quæstion. prima, articul. 3. sed etiam distinct. 6. quæstion. prima, A, & quol. 19. articul. 3. & primo, distinct. 7. Cc. & distinct. 23. §. *Ad quæstionem*, & ita passim solent Scotistæ explicare rationem formalem personalitatis, & subsistentiæ, qua data expoliatione opus non est subsistentiam superaddere naturæ aliquid positiuum ab ipsa distinctum, quia cum effectus formalis eius sit solum negatiuus, poterit per conceptum substantiæ negatiuum haberi. Quæres, an negatio communicationis ad alienum suppositum, quam præfert subsistentia, & superaddit naturæ singulari, sit prodriè negatio, vel potius priuatio. Rubion. 3. d. 2. q. 2. ait esse priuationem, quoniam negatio propriè sumpta, vt à priuatione distinguitur, est eius, quod est impossibile subiecto, de quo dicitur, vt non visus in lapide; priuatio est carentia alicuius subiecto non impossibilis, sed possibilis siue naturaliter, siue supernaturaliter, vt cæcitas in oculo; quia ergo suppositum creatum non addit naturæ singulari negationem communicationis potentialis ad alienum suppositum, sed solùm suppositum diuinum, ideò negatio quam dicit personalitas in humano supposito erit priuatio, & solùm in supposito diuino erit propriè negatio. Hæc tamen est controuersia de nomine, nam si negatio, & priuatio sumantur in sensu assignato à Rubion. quod negatio connotet subiectum incapax omnino formæ negatæ, vt est non visus in lapide, & priuatio è contrà connotet subiectum capax, nulli dubium est negationem, quam dicit subsistentia creata, esse dicendam priuationem; quia natura creata ad alienum suppositum dependere potest; at si priuatio magis propriè sumatur, vt est negatio in subiecto aptonato, ita nequit dici priuatio quia est negatio dependentiæ nedùm actualis sed etiam aptitudinalis, quia natura quælibet habet aptitudiaem tantùm ad subsistendum in se, seu habet connaturalem exigentiam tantùm proprij suppositi, non alieni. Quod si etiam aptitudo sumatur pro quacunque inclinatione, & propensione præscindendo à connaturali coexigentia, quia in hoc sensu etiam natura creata aptitudinem habet ad vnionem hypostatitam cum diuino supposito, vt infrà dicetur num. 60. adhuc in hoc sensu negatio importata per subsistentiam creatam poterit dici priuatio, vnde patet ex vera acceptione negationis, & priuationis vtrumque probabiliter asseri posse.

52 In oppositum Primò arguit Card. de Lugo sect. 3. num. 34. probans hanc explicationem subsistentiæ per duplicem negationem communicationis ad alienum suppositum esse insufficientem, quia per ipsam explicatur solum effectus secundarius subsistentiæ, non autem effectus formalis primarius; nam prouenit quidem à subsistentia propria hæc incommunicatio naturæ cum alieno supposito, videtur tamen omninò intelligenda quidditas subsistentiæ in ordine ad aliquam aliam perfectionem positiuam, quam formaliter tribuat subiecto, & ex qua oriatur illa incommunicabilitas, alioquin frustra videretur esse hæc entitas, quæ appellatur subsistentia, sicut si diceres frigiditatem dari subiecto ad hoc solum, vt impediat calorem in eodem, & calorem vt impediat frigiditatem, sanè non explicaretur effectus primarius illarum qualitatum, sed tantum secundarius, & frustra essent illæ qualitates si alium effectum non haberent. Confirmat id etiam Ouuied. precedenti insistens argumento, quia hoc quod est meam subsistètiam impedire naturam meam, ne alieno communicetur supposito est secundarius effectus subsistentiæ; sed quælibet forma præter effectum secundarium debet habere primarium; ergo cum prædicta duplex negatio explicet tantum effectum subsistentiæ secundarium, non est sufficiens.

Resp. hoc argumentũ cum sua confirmatione, si bene aduertatur, supponere id quod est controuersia, atq. ideò quodammodo principium petere, nam habere effectum primarium à secundario distinctum conuenire solet formis positiuis non autem priuationibus, vel negationibus, & ideò cum in argumento supponatur impedimentum, quod affert subsistentia propria naturæ, ne alteri supposito communicetur, esse effectum secundarium eius, atque ideò vltra istum assignandum esse quoq. primarium, iam de subsistentia loquitur argumentum, perinde, ac si esset forma positiua, atq. ideo non est à fallacia immune; sustinendo igitur rationem formalem subsistentiæ in negatione prædicta communicationis cum alio supposito consistere, dicendum est tale impedimentum non esse effectum secundarium, sed primarium cuiuslibet negationis, quia negatio directè, & seipsa formam negatam excludit, vt v.g. albedo in pariete adiunctam habet negationem vnionis nigredinis cum ipsa, & talis exclusio est vtique effectus secundarius respectu albedinis ipsius, at respectu talis negationis est formalissimus, & omninò primus eius effectus, quia talis negatio directè, & per se primò opponitur nigredini, vel coniunctioni cum nigredine, nec alius effectus primarius quæri debet in ea illum antecedens. Præterea concedendo hanc repugnantiam communicationis naturæ cum alio supposito esse effectum secundarium, si quæratur primarius, à quo procedit, hic planè non est quid positiuum per subsistentiam importatum, sed potius dici debet esse ipsam naturæ substantialis singularitatem, ad quam naturaliter consequitur negatio illa duplex, si non præueniatur à superiori agente, quod talem consecutionem impediat supponendo naturam in alieno supposito; & sic non est dicendum incommunicationem naturæ à propria subsistentia procedere, sed potius esse ipsammet subsistentiam, quæ ad modum secundarij effectus consequitur ad singularitatem naturæ substantialis connaturaliter, nisi præueniatur à supernaturali agente, & benè potest talis effectus secundarius explicari per simplicem negationem, quia exhibetur modo quodam negatiuo non permittendo naturam alteri supposito communicari.

53 Secundò arguit Arriag. quia licet id habeat subsistentia, quod formaliter impedit communicationem naturæ cum alio supposito, adhuc non potest esse proprius effectus illius, quia hic est effectus communis alijs rebus odium v.g. reddit subiectum incapax amoris, & incapax odij, assensus reddit incapax dissensus circa idem obiectum inepte autem quis explicaret effectum formalem odij esse reddere subiectum incapax amoris, & è contra effectum formalem amoris esse reddere subiectum incapax odij, sic etiam arguit Ouuied. reducendo solum argumento magis ad formam.

Resp. hoc quoque argumentum eadem laborare fallacia, arguitur enim de subsistentia, sicut si foret forma positiua, hoc enim supposito vtique non benè eius essentia explicaretur per hoc, quod est reddere subiectum incapax alterius subsistentiæ, vt benè probat exemplum in argumento adductum de alijs formis positiuis; verùm præscindendo à tali suppositione dico proprium effectum subsistentiæ esse reddere naturam alteri supposito incommunicatam, ac proinde in se sistentem, & subsistentem, quatenus alieno non nititur supposito neque talis effectus est communis omnibus alijs formis nam quamuis forma quælibet suum redat subiectum oppositæ formę incapax, & in hoc munere quęlibet forma conueniat in communi considerato, adhuc tamen postea distinguuntur, quod hęc hanc formam excludit, & illa illam, atque ideò non est eadem omnium oppositio, sicut nec eadem extrema; & falsum est, quod vrget Ouuied. non posse nos ex tali mutua formarum oppositione rimari à posteriori earum naturas, & distinctionem, ex quo enim videmus calorem pugnare cum frigore, & non cum siccitate, & siccitatem cum humiditate, non cum calore, colligimus diuersam earum qualitatum esse naturarum, & conditionem. Addo insuper hoc, & precedens argumentum posse ęquè benè vrgeri contra singularitatem, quod non benè definiatur, aut benè assignetur effectus eius formalis, quod sit reddere naturam quam contrahit, incommunicabilem, vt quod alteri indiuiduo, quo tamen modo etiam ipsi Aduersarij explicant effectum formalem singularitatis, quia fatentur naturam de se esse indifferentem, vt huic, vel illi indiuiduo communicetur, determinari autem, & reddi extrinsecè incommunicabilem alteri indiuiduo per singularitatem; quod autem sic militet difficultas contra singularitatem, sicut contra personalitatem patebit applicando illa eadem argumenta ad singularitatem, sic enim arguere licebit, quia dicendo quod singularitas est illa, quæ determinat naturam ad Petrum v. g. constituendum, & per quam redditur incapax alterius singularitatis, non explicatur aliquis eius effectus proprius, quia hic est effectus communis omnibus alijs formis, nam vna forma substantialis red-

dit

dit materiam incapacem alterius formæ substantialis, & vniuersaliter vna forma incompossibilis alteri, dum est in subiecto, redditur in sensu composito incapax illius, non ergo benè per illum conceptum explicatur ratio formalis singularitatis. Tum quia hoc quod est hæceitatem Petri reddere naturam suam incommunicabilem Paulo, vel Francisco, & impedire, ne possit illis singularitatibus affici, est effectus secundarius singularitatis; ergo præter hunc debet afferri primarius, iam ergo vides, quomodo hoc argumentum, quod adeo feruenter Recentiores contra Scotum vnanimiter vrgent, quia personalitatem explicui per hoc, quod est reddere naturam incommunicabilem, vt quo, alteri suppositò, æquè benè militet contra communem explicationem singularitatis, & ab omnibus receptam, quod sit illa, qua natura formaliter redditur incommunicabilis, vt quod, alteri indiuiduo, vnde qua ratione soluitur factum contra singularitatem, dissolui etiam debebit factum contra personalitatem.

54 Tertiò arguit Ouied. quia explicando subsistentiam per hoc, quod reddit naturam incommunicabilem alteri supposito idem per idem definitur, & explicatur, quia in hac explicatione ponitur suppositum, cui natura incommunicabilis dicitur, quod suppositum constituitur per subsistentiam, cuius naturam inquirimus, & quæ esset cognoscenda, vt possemus cognoscere, quid sit naturam esse incommunicabilem alteri supposito, qua etiam ratione conuictus Poncius disput. cit. 18. concluſ. 3. num. 72. damnat hac explicationem subsistentiæ. Deinde probat effectum formalem subsistentiæ non posse in aliquo negatiuo consistere, quia effectus formalis est totum resultans ex forma, & subiecto, sed subsistentia est quid positiuum, natura, quæ subsistentia afficitur, positiua est, ergo totum resultans ex natura, & subsistentia est quid positiuum; ergo &c.

Resp. hoc argumentum militare pariter contra definitionem singularis, cum dicitur id esse, quod est indiuisibile in plura singularia, de quibus prædicetur vt superius de suis inferioribus, ac etiam contra explicationem singularitatis, quando dicitur esse illa, per quam natura redditur incommunicabilis alteri singulari, vel indiuiduo, quia in his & similibus explicationibus ponitur singulare, cuius natura quæritur, & vestigatur; itaque dicendum est posse interdum poni aliquid eiusdem rationis cum definito in eius definitione, non quidem tanquam quid propriè explicans ipsum definitum, quia ignotum per æquè ignotum explicaretur, sed tanquam additum; sic absolutum definitur esse, quod non refertur, vel ordinatur ad aliud absolutum, genus generalissimum, quod alij generi non supponitur &c. vbi vides absolutum non propriè declarari per aliud absolutum in eius definitione positum, sed per negationem ordinis, & referentiæ ad illud, & illud aliud absolutum poni, vt merè additum, non autem vt declaratiuum definiti, sic in proposito suppositum definitur esse, quod est incommunicabile alteri supposito, vbi aliud suppositum ponitur, vt additum, non vt declaratiuum definiti, nam suppositum propriè declaratur per illam incommunicabilitatem, vt quo, & ponitur suppositum, vt explicetur terminus talis incommunicabilitatis, quod & in alijs multis descriptionibus potest obseruari. Accedit, quod suppositum positum in ea definitione est suppositum diuinum, quod in positiuo consistit, non creatum, quia hoc nequit alterius suppositi dependentiam terminare. Neque Poncius satis sibi constat, dum num. 72. hanc explicationem personæ damnat, quia paulò supra n. 67. incommunicabilitatem personæ ipsemet explicauerat per negationem incommunicabilitatis, qua natura diuina communicatur tribus personis, & natura humana de facto communicata est diuino supposito, ergo & ipse quoque tenetur ex parte hanc explicationem admittere, cum & ipse rationem suppositi creati explicet per incommunicabilitatem supposito extrinseco. Ad aliud argum. negatur minor quoad primam partem, quod scilicet subsistentia formaliter sumpta sit quid positiuum, hoc enim gratis assumit Ouied. & sine vlla probatione, sed an re vera quid positiuum importet quæst. sequ. videbitur.

55 Quartò natura dicitur dependere à proprio supposito, ac in ipso sustentificari, hic autem est effectus positiuus, non negatiuus, neque enim aliquid dicitur à negatione dependere, aut in negatione fulciri, & sustentari. Conf. quia de facto natura assumpta dicitur propriè fulciri, & sustentari in Verbo, ac ipsi inniti, & quoad hoc munus dicitur Verbum diuinum supplere vices suppositi creati; ergo suppositum creatum erga naturam exercet positiuum munus ipsam sustentando.

Resp. illa vocabula dependentiæ, & sustentationis naturæ in supposito re vera vsurpari solum ab Auctoribus, qui subsistentiam statuunt in aliquo positiuo, alioquin apud alios non censentur idonea ad explicandum munus subsistentiæ, vel per illa non intelligunt, nisi illam communicabilitatem, quam dicit natura ad suppositum, vnde non est vera dependentia, nec vera sustentatio, qualis est accidentis in subiecto, nec enim explicari valet in quo genere causæ natura dependeat à propria subsistentia; quod si per hoc intendatur solum dependentia quædam à posteriori, non verò tanquam ab alio influente in ipsam naturam, potest adhuc optimè dici natura dependere à propria subsistentia hoc modo, licet ponatur mera negatio, eo modo quo dicimus hominem v.g. dependere à posteriori à negatione brutalitatis, ita notarunt de hoc vocabulorum vsu scilicet dependentiæ, & sustentationis Liche. 3. d. 1. q. 1. & Aret. ibid. art. 12. & prius Ocham 3. sent. qu. 1. Ad Conf. concedit Aret. ibid. cum natura est in alieno supposito verè dependere ab illo, ac sustentari in illo, & sic modò naturam assumptam à Verbo verè sustentari in ipso; & sic etiam sentit Ponc. dist. 18. cit. nu. 74. vbi per hoc talem explicat dependentiam naturæ à Verbo, quia de facto nec produceretur, nec conseruaretur illa humanitas absque vnione cum Verbo; verum & ipse quoque ibi fatetur hanc non esse dependentiam causari ad causam in vllo genere causæ propriè influentis in ipsius esse, vt docet Doct. 3. d. 1. q. 1. art. 1. vnde re vera nequit dici natura dependere ab ipso nisi tanquam à puro termino vnionis, quam fundat ad ipsum, tanquam ad alienum suppositum, cui communicatur, vt quo, denominando ipsum hominem; vnde solum in hoc verius dici potest natura dependere ab alieno supposito, quam à proprio, quia cum propria subsistentia sit mera negatio, non dicitur verè communicari proprio supposito, nec propriè dicitur negatio terminare eius dependentiam, & communicabilitatem, benè tamen in hoc sensu dicitur dependere à supposito alieno quia illi verè vnitur, & verè communicatur, vt quo, præstando extrinseco supposito denominationem eandem, quam præstaret intrinseco, & proprio; cum igitur non verius dicatur Verbum fulcire, & sustentare naturam assumptam, quam sustentaretur in proprio supposito, sicut sustentatio in isto non importat quid positiuum, ita nec Verbum sustentando illam supplet munus positiuum.

56 Quintò arguitur non benè explicari subsistentiam per incommunicabilitatem ad alienum suppositum, quia sic explicatur per negationem communicationis, quæ est naturaliter impossibilis, imò & quæ implicare videatur, quia natura nequit alteri communicari, nisi vt quod vel vt quo, communicatur vt quod, pluribus indiuiduis de quibus prædicatur vt superius de inferioribus communicatur, vt quo, quod communicatur proprio supposito non quidem vt forma partis, sed vt forma totius, denominando ipsum quidditatiuè talem, quia Petrus humanitate est homo, & hac humanitate est hic homo quidditatiuè; at nullo ex his modis potest natura communicari supposito alterius præsertim naturæ, quia nequit illud intrinsecè constituere in esse, quod ipsa præstat, atque ideo nequit illud denominare quidditatiuè tale, nec illi communicari, vt quo, vllo modo.

Resp. vt communiter concedunt Theologi, nos non habere aliud vestigium ad concedendum modum distinctum subsistentiæ præterquam ex mysterio Incarnationis, vbi docemur humanitati propriam deesse subsistentiam, quia ipse est communicata diuino supposito; & hinc arguimus subsistentiam, vt est modus substantiæ singulari superadditus, dicere incommunicationem, vel incommunicabilitatem alteri supposito, quia hac præcisè de causa dicitur humanitas assumpta carere propria subsistentia, quia communicata est diuino supposito, & Card. de Lugo notauit disp. 12. cit. n. 31. ita explicatam fuisse subsistentiam ab Epiphanio Diacono in 7. Synod. generali act. 6. to. 3. post medium, vt dicit naturam per se subsistentem, vel per se existentem esse illam, *quæ non indiget altera, vt subsistat*; quod est non indigere communicatione cum altera natura, vt per se existat, quia nimirum natura substantialis à seipsa habet subsistentiam propriam, per quam subsistat absq. consortio alterius naturę; habemus ergo ex fide posse vnam naturam communicari supposito alterius naturæ, & ex tali communicatione propriam subsistentiam amittere, vnde benè ex hoc deducimus subsistentiam consistere in negatione talis communicationis. Vnde etiam ex hoc deduci debet falsum esse quod natura nequeat communicari, vt quo, nisi proprio supposito, quia per humanitatem assumptam Verbum verè, & propriè dicitur homo, & humanitas est actus, & ratio essendi tale respectu illius suppositi, & licet non sit actus essentialis, & quidditatiuus, est tamen denominatiuus, quia verè & propriè Verbum denominatur homo. Dices Verbum diuinum suppositum de facto communicari in Christo humanæ naturæ, ergo non est de ratione suppositi, quod sit incōmunicabile alteri. Resp. hic esse sermonem de supposito creato, quod constituitur per negationem, non de diuino, quod est positiuum; deinde Verbum vnitur naturæ præcisè per modum terminantis eius dependentiam, quod incommunicabilitati non repugnat.

57 Postremò arguitur, quia quando etiam velimus subsistentiam explicare per negationem communicationis naturæ alteri supposito, id præcisè fieri deberet per negationem actualis communicationis, non verò aptitudinalis, & ratio est, quia natura ex seipsa talem ineptitudinem habet, vt supposito alterius naturæ communicetur, non verò per aliquid à seipsa distinctum, & superadditum. Conf. quia negatio, quam importat personalitas, contingenter conuenit naturæ, & est ab ea separabilis, sicut ipsa personalitas, sed negatio aptitudinis ad alienum suppositum est necessariò coniuncta cum natura, quia illi competit ratione aptitudinis, quam habet ad subsistendum in se; ergo talis negatio ad personalitatem non spectat, nec habetur ab ipsa.

Resp. ad hanc difficultatem Rubion. 3. d. 2. q. 2. art. 1. in fol. ad primum concedendo totum, quod in argumento, eiusque confirmatione assumitur, vnde cōcedit negationem essendi in alio supposito aptitudinaliter conuenire naturæ singulari ex seipsa, & esse ab ipsa inseparabilem, & solam negationem essendi in alio actualiter esse separabilem, neque illi conuenire ex se, sed ratione voluntatis diuinæ ipsam non assumentis, nec in alio supposito ponentis, vnde tandem concludere videtur solam negationem actualis communicationis pertinere ad formalitatem personæ, aliam verò non nisi fundamentaliter,

ter, & præsuppositiuè, quatenus natura, quæ non habet actualem communicationem cum alieno suppósito, supponitur, quod nec habeat aptitudinalem, quam solutionem sequitur etiam Poncius disp. 18. citat. nu. 77. si eum satis intelligo, nam satis obscurè loquitur, ac etiam Aret. facere videtur 3. d. 1. qu. 1. art. 12. nam cum proposuisset primum argumentum Doctoris contra opinionem de negatiuo, quod scilicet nequeat personalitas solam negationem actualis communicationis importare, quia tunc anima separata esset persona, & cum Doctore respondisset argumentum ab insufficienti procedere, quia ad rationem personæ non sufficit negatio actualis dependentiæ, sed requiritur etiam negatio dependentiæ aptitudinalis, quam anima separata non habet, quia dependet aptitudinaliter ad corpus; subdit, quod etiam estò anima vtramque negationem haberet, adhuc tamen persona non esset, quia est substantia incompleta, at illud, quod persona appellari debet, vltra duplicem illam dependentiæ negationem, oportet quod sit substantia completa, & alteri inniti haud apta, quod animæ separatæ non competit; & quidem argumentum propositum cum sua confirmationem hoc mihi conuincere, immo & extorquere videtur.

58 Imò & ipse Doctor quol. 19. art. 3. lit. Y. clarissimis verbis concedit totum id, quod argumentum propositum contendit, dum ait, ad personalitatem igitur propriam creatam oportet concurrere duas negationes primam, & tertiam (prima autem erat, vt ipse præmiserat, negatio dependentiæ actualis ad alienum suppositum, & tertia erat negatio dependentiæ aptitudinalis) ita quod tertia est quasi habitualis necessariò conueniens naturæ, cui conuenit, siue sit personata in se, siue in persona aliena, sed alia negatio, scilicet actualis dependentiæ superueniens isti negationi complet personalitatem propriam, ita Doctor loc. citat. quibus verbis manifestè fatetur talem negationem dependentiæ aptitudinalis ad alienum suppositum de se, & necessariò conuenire naturæ, non autem contingenter, & separabiliter ratione alicuius superadditi naturæ, & ab ea separabilis, qualis est personalitas in natura creata; hæc igitur solutio mihi videtur bona, & necessaria, neque Doctorem voluisse illam negationem aptitudinalis dependentiæ concurrere ad personalitatem, nisi fundamentaliter, & præsuppositiuè, vt innuit vltimis verbis relatis, *sed alia negatio, scilicet actualis dependentiæ superueniens isti negationi complet personalitatem propriam*, vnde patet, quod ipse voluit tantum negationem aptitudinalis dependentiæ ad alienum suppositum, præsuppositiuè, & fundamentaliter spectare ad personalitatem, quatenus negatio in natura creata actualis dependentiæ ad alienum suppositum rationem personalitatis non habet, nisi prius intelligatur subiectum eius ineptum esse ad dependendum ad alieno suppósito, quod etiam Doctor indicauit 3. d. 1. quæst. 1. dicens sub litt. E, negationem aptitudinalis huius dependentiæ concedi debere in natura creata in se personata ad Verbum, ne violenter dicatur esse in proprio suppósito, sicut lapis violenter quiescit sursum; quibus verbis significat hanc negationem non spectare formaliter, & directè ad rationem personalitatis, sed materialiter tantum, & præsuppositiuè modo nunc explicato, ne natura violenter in proprio suppósito quiescere dicatur, sicut lapis sursum, non autem quia formaliter constituat simul cum negatione actualis dependentiæ rationem suppositi, & personæ.

59 Dices, si ex hoc capite necessaria est in natura in se personata negatio dependentiæ aptitudinalis ad alienum suppositum; ergo quando personatur in alieno suppósito erit in eo violenter, quod est falsum, quia tunc natura humana violenter quiesceret in Verbo; ergo hæc negatio dependentiæ aptitudinalis ad alienum suppositum nullo modo requiritur ad rationem personæ creatæ. Respondent quidam ex Scoto ibid. lit. F. hoc non sequi, quia licet non sit aptitudo naturalis naturæ creatæ ad dependendum à diuino suppósito, est tamen aptitudo obedientiæ, quia natura illa est in perfecta obedientia ad dependendum per actionem agentis supernaturalis. Hæc tamen responsio non satisfacit, quia Doctor in 3. d. 27. F. concedit, quod si aqua per potentiam obedientialem sursum ascenderet, adhuc talis ascensus foret sibi violentus; ex quo dixi disputat. 6. Physic. quæst. 1. artic. 1. numer. 14. & disput. 12. numer. 15. potentiam obedientialem in rebus non sufficere ad tollendam simpliciter violentiam, quando à Deo mouentur contra proprias, ac innatas inclinationes; neque Doctor cit. 3. d. 1. q. 1. F. docet oppositum, non enim ibi per aptitudinem, quam vocat obedientiæ, intendit excludere a natura creata violentiam ad existendum in alieno suppósito, sed tantum non repugnantiam, vt ponatur in eo, siue id contingat cum violentia, siue non; hæc enim sunt eius verba, nec tamen hæc inde pendentia aptitudinalis ponit repugnantiam ad dependentiam actualem, quia licet non sit aptitudo talis naturæ ad dependendum, est tamen aptitudo obedientiæ, quia natura illa est in perfecta obedientia &c. ait igitur potentiam obedientiæ excludere à natura creata non repugnantiam, vt ponatur in alieno suppósito, non autem inquit, quod excludat violentiam.

60 Variæ sunt solutiones, & glossæ Scotistarum ad hanc difficultatem, vera tamen solutio, ex ipsa Doctoris littera colligitur, non enim Doctor cum ponit in natura creata aptitudinem ad propriam subsistentiam, & ineptitudinem ad alienam, loquitur de aptitudine, vt dicit simplicem passiuam inclinationem ad aliquam formam recipiendam, & per ineptitudinem simplicem negationem talis aptitudinis, sed loquitur de aptitudine, & inclinatione, vt aiunt, actiua, quæ nempe coniuncta est cum virtute actiua acquirendi illam formam, ad quam passum habet inclinationem, & per ineptitudinem intelligit negationem talis aptitudinis, hoc autem colligitur ex verbis ipsius sita scribentis loc. citat. 3. distinct. 1. quæst. 1. articul. 3. 8. litt. E. *distinguendum est inter dependentiam actualem, potentialem, & aptitudinalem, & hoc vocando aptitudinalem, quæ semper quantum est de se esset in actu, quomodo graue aptum natum est esse in centro, vbi semper esset quantum est de se, nisi esset impeditum*, vbi, vt vides, aptitudinem accipit quodam speciali sensu, quo quidem modo anima separata non habet aptitudinem ad corpus, quia anima nequit seipsam vnire corpori, sed indiget ope externi agentis; graue autem est ita aptum ad essendum deorsum, vt simul cum aptitudine, & inclinatione inditam quoque habeat virtutem actiuam se faciendi deorsum, & sibi statim acquirendi talem perfectionem, nisi impediatur ab agente extrinseco illud sursum detinente; hanc ergo aptitudinem, seu inclinationem actiuam intendit negare Doctor in natura creata ad vnionem hypostaticam, & ad dependendum à Verbo, non autem aptitudinem suptam pro sola propensione, & inclinatione passiua rei, alioquin expresè sibi contradiceret, cum talem aptitudinem, & naturalem inclinationem admittat in entibus ordinis naturalis ad perfectiones super naturales quæst. 1. prolog. & sic etiam intelligendus est, cum quol. 19. articul. 3. sub litt. V. negat in natura creata aptitudinem ad formas supernaturales, vt ibi Gadius exponit; natura igitur creata in verbo suppósitata non dicitur ibi violenter existere, quia ad talem vnionem nedum habet puram potentiam obedientialem passiuam, sed etiam aliquam propensionem; sed quia hanc non habet cum virtute actiua eam sibi acquirendi, sicut habet ad subsistentiam propriam, in hoc sensu dici potest in Verbo pati violentiam quandam secundum quid, non tamen simpliciter, quia violentia simpliciter in passo attenditur contra principium passiuum, de quo principaliter dicitur natura, non contra actiuum, de quo dicitur minus principaliter, vt dixi disputat. 6. Physicor. quæst. 1. articul. 1. immo tenendo cum communiori Scotistarum, quod natura præcisè dicatur de principio passiuo, & quod nulla violentia detur contra principium actiuum, tunc natura in Verbo nullam absolutè pateretur violentiam, attamen quod etiam detur aliqua violentia contra principium actiuum colligitur expresè ex Doctore loc. cita. 3. dist. 1. q. 1. & quol. 19. dum ait lapidem sursum detineri violenter, nedum quia habet inclinationem passiuam ad esse deorsum, sed etiam quia cum tali passiua inclinatione habet virtutem actiuam, qua statim faceret se deorsum, nisi impediretur ab extrinseco agente. Alij dicunt naturam in Verbo nullam prorsus violentiam pati, quia ab eo accipit subsistentiam longè perfectiorem sua propria sibi debita, quod approbat Lichet. 3. distinctione 1. quæst. 1.

QVÆSTIO IV.

An subsistentia naturæ superaddita sit quid positiuum, vel negatiuum.

61 COnueniunt omnes ferè Theologi contra Durand. Aureol. aliosque Nominales subsistentiam, siue suppositalitatem supra naturam singularem, quam reddit subsistentem, aliquid reale superaddere, quod etiam ab ipsa separari possit saltim per potentiam diuinam, vt factum esse in Incarnationis mysterio Fide sanctum est. Conueniunt item omnes suppositalitatem, siue personalitatem addere naturæ singulari negationem dependentiæ ad alienum suppositum, siue sit vna, siue plures, parum refert ad propositum, quia de se satis exploratum est eo ipso, quod natura aliqua in se subsistit, non esse vnitam hypostaticè suppósito extrinseco eo modo, quo nunc natura assumpta vnita dicitur Verbo diuino, atque ideo habere in se negationem talis vnionis, & communicationis ad alienum suppositum; omnes, inquam, Theologi in hoc conueniunt, sed difficultas est, an personalitas addat precise supra naturam hanc realem negationem, vel potius aliquam etiam positiuam entitatem, quæ habeat rationem modi, vel rei, parum refert, per quam natura reddatur formaliter incommunicabilis alteri suppósito, & ad quam sequatur prædicti vna, vel duplex negatio communicationis ad illud; primam partem defendunt Ocham tertio, distinctione prima, quæstione prima, vbi Rubion, Marsilius, & alij Nominales, alteram partem communiter defendunt Thomistæ 3. part. quæst. 4. articul. 2. vbi Caietan. cum aliis ex Dominicana familia; item PP. Societatis communiter Suarez disputat. 34. Metaph. sect. 2. & in 3. part. loc. citat. Vasquez ibid. tom. 1. disputat. 31. Card. de Lugo disputat. 12. de Incarnat. sect. 2. Hurtad. disputat. 11. Metaph. sect. 3. Arriag. disput. 4. Metaph. sect. 11. Ouied. controuers. 6. Metaphysic. punct. 2. Auersa quæst. 18. Phil. sect. 2. Blasius à Concept. disput. 8. Metaph. quæst. 2. Io. de S. Tho. quæst. 7. Phys. art. 1. Ripa de ente, & essentia cap. 5. quæst. 3. vbi rursus Caietan. & alij Thomistæ. Ferrar. 4. contra Gentes capit. 43. Capreol. 3. distinct. 5. quæst. 3. & alij quamplures etiam extra Thomistarum Scholam.

62 Scotus in 3. d. 1. qu. 1. art. 3. vtramque opinionem videtur iudicasse probabilem, inquirens enim ibi, quid sit illud, quod suppositum vel persona addit supra naturam, & quo formaliter, dicitur suppositata in se, & personata, an scilicet sit quid positiuum, vel potius negatiuum, ait, *quid autem sit illud proprium; quo natura dicitur in se personata duæ videntur viæ probabiles*. Hinc Scotistæ inter se sunt diuisi circa mentem Doctoris in hoc puncto, aliqui enim censent de mente Scoti vtramque opinionem esse æquè probabilem, & ideò argumenta soluunt pro vtraque parte; alij concedunt vtique iudicasse probabilem

babilem opinionem de negatiuo, sed probabiliorem oppositam de positiuo, & ideò hanc præcisè defendunt, vt Lich. 3.d.1.q.1. Rada in 3.controuers.1.art.1.Centinus nuper disp.1.de Incarn. c.5. Herrer. in 3.sent. & in manuali Theologico. Alij è contra concedunt apud Doctorem fuisse probabilem opinionem de positiuo, sed longè probabiliorem aliam de negatiuo, & ideò hanc præcisè amplectuntur, vt Aretin.3.d.1.q.1.art.12.Vulp.tom.3.p.1.disputat.63.art.2.& alij quamplures. Alij tandem absolutè negant Scotum in hac re fuisse problematicum, & dicunt firmiter adhæsisse opinioni de negatiuo, vt Faber in 3.d.1.q.1.disput.2. Meurisse lib.3.suæ Metaph.quæst.4. Poncius tom. 3.sui Cursus disp.18.q.6.n.91.vbi ait,quod licet Scotus oppositam sententiam vocet probabilem, ex hoc non sequi, quod ipse eam probabiliter tenere voluerit, nam nos etiam putamus multas sententias Thomistarum probabiles, quas tamen non sustinemus ipsi probabiliter, & in hoc etiam sensu eam sequuntur antiquiores Scotistæ Bassol. 3.d.1.q.1.ar.1.Mair.q.11.& alij.

ARTICVLVS I.

Opinio de positiuo est probabilis.

63 NOn loquor hic de probabilitate huius opinionis in se,nam & numerus,& quod est magis est grauitas Auctorum eam tenentium, & probabilitas rationum, quibus propugnatur satis ostendunt eius probabilitatem; sed loquor de eius probabilitate etiam in schola Subtilium, & in sententia Scoti, & dico re vera hanc opinionem non esse prorsus alienam à mente Doctoris, immo eam iudicasse probabilem, & quamuis oppositam censuerit probabiliorem, non tamen hanc improbabilem tenuisse, sed sub titulo probabilitatis reliquisse. Hæc conclusio ponitur contra Fabrum, alioſque Scotistas negare audentes Doctorem fuisse in hoc controuersia problematicum, & asserentes cum adeo firmiter adhæsisse opinioni de negatiuo, vt oppositam de positiuo penitus censuerit improbabilem; & clarè colligitur ex expressis verbis Doctoris iam allegatis ex 3.distinct.1.quæst.1.artic.3.§. *Ideò propter istum*, vbi has duas vias, seu opiniones de positiuo, & negatiuo vocat probabiles, & inferius in eodem articulo procedendo ad resolutionem quæsiti sub lit.E, vtitur verbo problematico *non asserendo*, quo quidem loquendi modo planè indicare noluit in eodem gradu probabilitatis habuisse Doctorem vtramque opinionem, vt nonnulli Scotistæ deducunt, sed solum non adeò declinare ad opinionem de negatiuo, vt oppositam penitus abhorrere videretur. Idem quoq. indicat modus ille loquendi de subsistentia, quo vtitur quol. 5. litt. V. vbi declarans plures subsistendi modos ait subsistere esse æquiuocum, vno enim modo accipitur pro per se esse, alio modo pro incommunicabiliter per se esse, siquidem communicabile intelligitur non quasi subsistens, sed quasi inhærens subsistenti, & quasi modum inhærentiæ habens; hoc autem nequit intelligi de duplici illa negatione, quia nullum ens positiuum dici potest quasi inhærens negatiuo, sed debet de positiua entitate explicari, quam personalitas, vel suppositalitas naturæ superaddat, eique ipsa natura innitatur. Idem rursus colligitur ex illo loquendi modo, quo vtitur 5. distinct. 1. quæst. prim. & quol. 19. dum inquit naturam sustentari in supposito, & à supposito dependere, vnionemque hypostaticam ait esse relationem sustentificati ad sustentificans, nam iste loquendi modus, vt supra dictum est, ab eis solum vsurpari potest, qui tenent effectum formalem subsistentiæ esse positiuum, & subsistentiam quid positiuum importare; quia phrasis illa indicat subsistentiam aliquod reale munus erga naturam exercere, ac positiuum; cum ergo Doctor admittat talem loquendi modum, vt idoneum, ac eo frequenter etiam ipse vtatur, argumento est illam opinionem, vt probabilem, admisisse.

64 Deinde Scot.3.d.1.qu.4.sustinet probabiliter suppositum creatum posse terminare dependentiam alterius naturæ creatæ, sed hæc opinio nequit consistere, nisi asseratur subsistentiam dicere quid positiuum; ergo sententia de positiuo probabilis est in sua doctrina. Minor probatur, quia ista vnio fieret in persona, non in natura, tunc sic, vel talis vnio ad aliquod terminatur, vel ad nihil; si primum, habetur intentum, si secundum, ergo non ens terminaret realem dependentiam entis positiui, quod implicat. Resp. Faber disp.2.cit.c.5. & sequitur Meuriss.cit.q.4.negando minorem,ad probationem inquit terminum illius vnionis formalem esse duplicem negationem prædictam, & terminum materialem esse naturam singularem, ex quibus integratur terminus adæquatus; nam sicut materia prima (inquit) sine priuatione nequit esse subiectum potens recipere formam; per priuationem autem sit formaliter potens, ita natura singularis sine illa duplici incommunicabilitate non potest formaliter assumere ad sui vnionem in persona aliam naturam,quia tunc non esset formaliter in se persona. Inferius tamen in eodem c.ad 6.declarans quomodo possit Verbum supplere suppositum creatum,inquit,quod suppositum creatum, seu modus ille essendi naturæ incommunicabiliter est aliquid reale,licet non positiuum, sed negatiuum,& hinc falsum est vnionem illam ad nihil terminari.

65 Hæc tamen responsio non satisfacit, hoc enim est, quod argumentum probat negationem, scilicet esse non posse rationem formalem terminandi realem relationem,& parum refert, quod natura singularis concurrat,vt terminus materialis, & mediatus, quia tota difficultas est de termino formali, & immediato, qui est personalitas, ad hoc enim terminus materialis, & mediatus se habet merè per accidens, & remotè. Quod verò subdit in comprobationem suæ solutionis Faber de materia, quod sit subiectum formæ per priuationem, & per eam fiat formaliter potens recipere formam, est omnino falsum; nam materia est subiectum formæ quamdiù illi subsiat, & tamen tunc non adest priuatio, quia recessit in aduentu formæ, cum sint incompossibiles; neq. minus per eam fit formaliter potens recipere formam, esse enim subiectum potens ad recipiendam formam est quid positiuum, cum relationem dicat realem ad formam, ergo nequit per aliquod positiuum constitui, quod autem Fabrum decepit fuit vulgaris loquendi modus, quo dici solet tunc tantum materiam esse in potentia ad formam, quando illa caret, eamq. recipere potest; quod quidem non impedit ne potentia re vera perseueret in materia adhuc in aduentu actus, & post recessum priuationis; vt declaraui disp.9.Met. q.5. nu.104. vbi etiam explicui sensum vulgaris illius dicti. Dices, relationem realem terminari posse ad terminum non realem, nec actu existentem ex dictis disp.8.Log.q.6.art.1. Contra, quia id ad summum ibi concessum est de relationibus transcendentalibus, de prædicamentalibus verò minimè, immo dictum est ibi relationem prædicamentalem petere necessariò terminum realem, & actu existentem, talis autem vnio naturæ assumptæ ad suppositum creatum esset relatio actualis, & prædicamentalis ex dictis disp.5. phys. qu.9. de vnione substantiali. Tum quia quando etiam concederetur relationem realem posse esse ad terminum non realem, & ad puram negationem,hoc tamen de fundamento asseri non potest, quia fundamentum nequit esse minoris entitatis, quam sit fundatum in ipso,sed illa vnio, quæ esset inter naturam assumptam, & suppositum creatum assumens esset relatio mutua, & realis ex parte vtriusque extremi ob eorum limitationem, & ideò in supposito assumente fundari non posset in pura negatione, vt in fundamento proximo, & immediato, seu in ratione fundandi.

66 Neque etiam satisfacit alia solutio, quam innuit, quod nempe duplex illa negatio, in qua consistit personalitas, sit ens reale saltim priuatiuum, & negatiuum ideoq. relationem realem terminare possit; nam in primis falsum est, quod aliqua priuatio, vel negatio ex eo, quod datur à parte rei, citrà quamcumq.intellectus operationem, possit dici ens reale priuatiuum, vel negatiuum, quia ens reale, vt sic dicit conceptum positiuum, atque ideò repugnat, & est veluti implicantia in adiecto diuidere ens reale in positiuum, & negatiuum, esset enim perindè ac si aliquid diuideretur in seipsum, & in oppositum sui ipsius;ex hoc igitur quod aliqua priuatio, vel negatio datur à parte rei in subiecto, vt cæcitas in oculo, tenebra in aere ante omnem intellectus operationem, inferri non debet esse ens reale priuatiuum, vel negatiuum, sed tantum esse priuationem realem, esse realem negationem, vt ex instituto dictum est disp. 4. Phys. q. 1. art. 1. & in hoc sensu hic nos quoq;dicimus subsistentiam, vel personalitatem creatam addere aliquid reale supra naturam, non quod illa duplex negatio sit aliquid reale priuatiuum, vel negatiuum, sed quia est negatio à parte rei formaliter reperta in natura, & non per opus intellectus, quia à parte rei talis natura non est vnita, & communicata extrinseco supposito. Sed quando etiam hoc totum concederetur,adhuc argumentum non soluitur,quia illa vnio naturæ assumptæ ad suppositum creatum assumens vtiq. esset vnio realis, ac ens reale positiuum; ergo adhuc fundari non posset,aut terminare ad ens reale negatiuum duntaxat, quia nequit fundamentum esse minoris entitatis fundato super ipsum.

67 Respondent proinde alij Scotistæ negando, quod possit suppositum creatum terminare dependentiam alterius naturæ, & negant Scotum id asseruisse, vel saltim probabiliter dixisse loc.cit.3. d.1. q.4. quia vt constat ex ipsa littera nihil de hoc puncto ibi asseruisse resoluit, sed dubius mansit. Verum neque id satisfacit, imò potius confirmat, quod dicimus, Doctorem iudicasse probabilem sententiam de positiuo, si enim illam totaliter abiecisset, vt improbabilem, de illo puncto dubius non mansisset, sed resolutè negasset posse suppositum creatum terminare dependentiam alterius naturæ, quandoquidem certum sit vnionem realem ad negationem terminari non posse. Respondet Poncius qu.18.cit.nu.132. Doctorem non mansisse dubium in hoc puncto ex suppositione suæ sententiæ de constitutione personæ per negationem, quia in ea sententia nulla poterat de hoc esse dubitatio, cum certum sit nullam relationem realem ad puram negationem terminari posse vel in ea fundari, sed inquit mansisse dubium ex suppositione sententiæ communioris de constitutione personę creatę per positiuum, in qua adhuc sententia res prorsus est dubia. Sed ex neutro capite mansit dubius Doctor in hoc puncto, non enim potuit ex primo capite manere dubius, scilicet ex suppositione sententię de negatiuo, quia iuxta hanc viam exploratum est suppositum creatum alterius naturę dependentiam terminare non posse, vt satis probat ratio dubitandi proposita; sed neque etiam ex alio capite, quia iuxtà aliam sententiam de positiuo falsum est rem adhuc esse prorsus dubiam imò, potius est certa, & explorata pars affirmatiua, quia nulla sufficiens ratio repugnantiæ assignari potest, cur id fieri nequeat; quare potius dicendum Doctorem in resolutione illius dubij mansisse dubium, & problematicè processisse, quia eius resolutio pendebat ex diuisione istius quæstionis,

an

an personalitas dicat quid positiuum, vel negatiuum, & quia vtraque pars apud eum probabilis erat, ideò circa resolutionem illius quæsiti dubius mansit, relinquens decisionem ad vtrumlibet iuxta vnam, vel alteram viam; vt optimè adnotauit P. Bellutus Collega meus tract. de Incarn. disp. 3. qu. 2. num. 16.

68 Præterea hoc ipsum probare contendit Centinus argumento, vt ipse inquit, non vulgari, nam Doctor in 1. d. 26. loquens de constitutiuis diuinarum personarum ait per relationes, quæ sunt quid positiuum constitui; non ergo potest Doctor assertiuè tenere in 3. sent. quod persona per negationes constituatur, quia tunc sibi inconstans esset; ergo vel solam opinionem de positiuo amplecti tenetur, vel saltim vt probabilem approbare. Hoc tamen argumentum est omninò vulgare, & soluitur ab eodem Doctore loc. cit. in 3. d. 1. qu. 1. § *per hoc ad argumenta*, vbi negat paritatem de diuina, & humana persona, quia humana & creata dicit tantum duplicem negationem communicationis ad alienum suppositum, actualem, scilicet & aptitudinalem, non verò potentialem, quia non dicit repugnantiam ad sic assumi, at diuina persona dicit vltra illas negationes etiam repugnantiam & quia repugnantia ad aliquam affirmationem non conuenit alicui subiecto, nisi ob oppositam affirmationem sibi intrinsecè, & necessariò competentem, & propter aliquam entitatem positiuam, hinc est quod diuina persona debet necessariò constitui per aliquid positiuum, non sic humana.

At Centinus loco citato hanc responsionem affert ex Fabro, & tanquam esset Fabri, & non potius ipsius Scoti, eam impugnat hoc pacto, ratio personæ ex Scoto in 3. nihil dicit in communi positiuum; ergo nec in diuinis quid positiuum dicet per regulam Scoti, quæcunque talia sunt vbicunque ponuntur sunt talia; si ergo ratio personæ postulat non entitatem positiuam, siue diuina sit, siue creata persona entitatem positiuam non admittet. Adde (inquit Centinus) quod personarum disparitatem Scotus in 3. non penes constitutiuum, sed penes maiorum, vel minorum implicantiam desumit, etenim diuinæ personæ quamcunque dependentiam spernunt, siue actualem, siue aptitudinalem, siue potentialem, creatæ verò, & humanæ potentialem non renuunt, siquidem diuinæ voluntatis imperio obedientiali potestate subiectantur. Hæc replica minus valet argumento principali, nam falsum assumit, quod ratio personæ, vt sic, & in communi ad creatam, & increatam nil positiuum dicat seu dicat negationem ex Scoto in tertio sentent. distinct. 1. quæst. 1. cum enim ibi Doctor ait personam negationibus constitui in ratione personæ apertè, & non semel protestatur se loqui de persona creata, non de persona diuina, aut persona in communi ad vtramque. Et falsum insuper est ponere ibi Doctorem discrimen inter personam creatam, & diuinam penes tantum plures, vel pauciores negationes importatas, non penes constitutiuum, id, inquam, falsum est; nam ex hoc quod diuina persona habet simpliciter repugnantiam ad communicari alieno suppposito, non sic humana, deducit illam debere constitui per aliquid positiuum, non verò istam. Contra, rursus instat Centinus, quia ratio personæ, vt sic, est aliquo pacto vniuoca diuinæ, & creatæ, vt concedit Doctor 3. distinct. 1. quæstio. 1. lit. G. si ergo persona, vt sic in communi, dicit quid positiuum, habetur intentum, si negatiuum, ergo diuina persona constituetur per negatiuum, quod Doctor negauit in 1. distinct. 26. Ad hanc quoque replicam occurrit ipse Doctor loco citato ab arguente, immò mouet ibi Scotus difficultatem hanc in terminis, quia constituendo personam creatam formaliter per negationes, & diuinam per aliquid positiuum, tunc non videtur persona esse vniuocè in diuinis, & in creaturis, quia est ibi aliquid formaliter incommunicabile, omninò, hic autem non respondet, inquam, Doctor, quod ratio personæ, vt sic, vt dicit duplicem negationem nempè communicationis actualis, & aptitudinalis, est vniuoca Deo, & creaturæ, siue personæ diuinæ, & creatæ, negatio, enim est vniuoca multis, quando idem affirmatum à pluribus negatur; vt verò dicit negationem etiam dependentiæ potentialis, quo pacto reperitur in diuinis, sic ratio personæ non est vniuoca, vnde infert, quod si incommunicabile, prout pertinet ad rationem personæ perfectæ, dicit non tantum negationem communicationis vtroque modo, sed etiam repugnantiam ad communicari, nulla erit perfectè persona, nisi diuina, illa enim tantum aliquid includit absolutè, quo contradictoriè sibi repugnat communicari quocunque modo, vt quod, & vt quo, persona enim diuina non tantum habet negationem communicationis actualis, & aptitudinalis, sed etiam potentialis, & repugnantia talis nunquam esse potest, nisi per entitatem positiuam, & ideò sequitur personam istam nunquam esse sine tali entitate, sed persona creata non sic est incommunicabilis, & ideò non oportet sibi tribuere talem entitatem personalem; ita Scot. ibid.

69 Dices, si ergo persona, vt dicit duplicem negationem communicationis, scilicet actualis, & aptitudinalis, est vniuocè communis creatæ, & diuinæ; ergo dari poterit conceptus præscindens à positiuo, & negatiuo quod disput. 2. de natura entis quæst. 9. articul. 3. refutatum est, probatur consequentia, quia persona creata est quid negatiuum pro formali, diuina verò est quid positiuum. Resp. negando consequentiam, quia conceptus personæ in communi ad creatam, & increatam secundum illam duplicem negationem est præcisè conceptus negatiuus, & conuenit personæ, vt præcisè dicit illam duplicem negationem, non autem, vt dicit aliquid positiuum, & ideò falsum est conceptum illum personæ in communi, vt sic, præscindere à positiuo, & negatiuo, nam est præcisè negatiuus; Neque disput. 2. de natura entis qu. 2. art. 3. absolutè negaui dari posse conceptum aliquem præscindentem à positiuo, & negatiuo, imò id concessi de conceptu principij in fieri disp. 1. Phys. qu. 1. concl. 2. sed præcisè hoc ibi negatum est de conceptu entis realis, quia ens reale, vt sic, ex suo formali conceptu quid positiuum dicit, & ideò implicat esse de se præcisum à positiuo, & negatiuo; vnde sicut loco citato in Physica ideò concessi conceptum principij in fieri communem vniuocæ materiæ formæ, & priuationi à positiuo, & negatiuo præscindentem; quia ratio principij in fieri, vt sic, non necessario dicit ordinem, vel habitudinem positiuam principij ad principiatum, sed ab vtroque præscindit, & æquè benè saluari potest in materia, forma, & priuatione, quo etiam pacto ibi discurrebam de genere moris, vt moralitas est quid commune vniuocum ad species Bonitatis, & malitiæ, quæ formaliter in priuatione consistit, sic etiam in proposito dici posset dari conceptum personæ vniuocum diuinis, & humanis, qui à positiuo, & negatiuo præscindat, quia persona, vt sic, de suo conceptu formali non dicit necessariò quid positiuum, sicut dicit reale, & ideò potest ab vtroque præscindere, sicut dicitur de conceptu principij in fieri in genere physico, & de conceptu moralitatis in communi in genere moris, non ergo ex hac vniuocatione personæ diuinæ, & humanæ in ratione communi personæ necessariò deducitur Scotum amplecti debuisse opinionem de positiuo circa personæ creatæ constitutionem, vt deducebat Centinus, immo nec benè deducitur debuisse ob id opinionem illam approbare vt probabilem, nam potest adhuc saluari illa vniuocatio etiam præcisè tenendo opinionem de negatiuo circa constitutionem personæ creatæ, & aliam totaliter reprobando, vt modò ostensum est.

70 Postremò probabilitas huius sententiæ de positiuo in schola subtilium deduci debet ex grauitate Auctorum eam defendentium, nam eam tenet, & propugnat præcipuus inter omnes Scotistas, & Scoti expositor fidelissimus Lichet. 3. distinct. 1. quæst. 1. & 1. dist. 23. cui etiam ibidem Bargius adhærere videtur, item Rada part. 3. controuers. 1. artic. 1. de Scotica doctrina valdè benemeritus, & nouissimè Mauritius Centinus Melitensis Episcopus, & inter Scotistas adhuc viuentes non eleganter minus, quam tenaciter defendit eandem A. R. P. M. Modestus Gauatius Ferrarienfis perpetuo amoris, & amicitiæ vinculo mihi coniunctissimus, & in doctrina Scotica versatissimus, vt ostendunt subtilissimæ Disputationes, quas edidit de Peccato Originali, & Habituali, immo nedum vt probabilem eam tutatur, sed etiam vt longè probabiliorem opposita, in quo tamen puncto amicitiæ veritatem præferre volo articulo sequenti; satis sit amicitiæ datum, si in eius gratiam sententiam de positiuo valde probabilem, nec à Scoto alienam fateor, & declaro.

Sed obijt Faber disput. 2. citat. cap. 3. quod Scotus 3. d. 1. q. 1. vtramque hanc opinionem adducit de positiuo, & negatiuo, & rationes adducit pro vtraque parte, sed confutat opinionem de positiuo, & rationes pro ea soluit, non autem aliam de negatiuo confutat, nec rationes pro ea adductas dissoluit sed solum eam declarat quomodo intelligi debeat, ac defendi; ergo Scotus non fuit problematicus in hac re, sed assertiuè adhæsit opinioni de negatiuo. Deinde alium locum adducit Vulpes in 3. d. 5. qu. 2. §. *Ad aliam quæstionem*, vbi determinat personam creatam non potuisse à Verbo assumi, sicut assumpta est natura singularis, & rationem adducit, quia in 1. quæst. dist. 1. dictum erat, quod personalitas creata dicit negationem dependentiæ actualis ad aliud vt ad suppositum illius naturæ, cum igitur contradictio sit naturam actualiter dependere ad personam extrinsecam, & non dependere; naturam autem aliquam assumi est ipsam actualiter dependere hac dependentia speciali, contradictio est ipsam assumi, & simul habere personalitatem propriam, & postea subdit Doctor hæc verba; sed qui ponerent personalitatem creatam dicere aliquam entitatem positiuam vltra naturam singularem, propter quam repugnet sibi assumi, non tamen naturæ singulari, eos oporteret aliam causam quærere, quare persona non possit assumi, sed istud suppositum est improbatum quæst. 1. & contra istud benè vadit ratio illa, quæ tacta est de diuisione substantiæ, & accidentis, & substantiæ triplicis; hæc Doctor, ex quibus patet firmiter adhæsisse opinioni de negatiuo, & oppositam improbasse.

71 Ad argumentum Fabri respondet Centinus consecutionem esse voluntariam, nam si vtramque partem probabilem putaret Doctor, potuit pro libito eam tueri tantum, quæ maioribus irretita videbatur difficultatum laqueis reliquam actionum censuræ remittens. Nescio quid sibi velit in hac solutione Centin. quia Faber non admittit Doctorem vtramque partem putasse probabilem; & quando vtramque admittatur putasse probabilem, vt ego concedo, non sequitur, vt ait Centin. potuisse Doctorem pro libito eam tueri tantum, quæ maioribus erat difficultatibus obnoxia, sed potius è contra eam defendere debebat, quæ minores pati videbatur difficultates, vt re vera fecit, vnde quia opinionem de negato vidit expeditiorem, & minoribus expositam difficultatibus, hac de causa eam amplexus est, declarauit, & rationes contra ipsam dissoluit, vt sic faciendo non quidem oppositam de positiuo omnino improbabilem declararet, sed potius vt eam de negatiuo declararet probabiliorem relinquendo aliam in sua probabilitate. Et sic etiam respondendum est ad alium locum à Vulpio adductum, inde scilicet tantum deduci, quod Doctor longè probabiliorem censuerit opinionem de negatiuo, quam sit opposita

posita de positiuo, non verè quod istam esse voluerit omnino improbabilem.

Fortè quispiam cuperet huius sententiæ de positiuo sectator, quod hic rationes dissoluerem contra eam articulo sequenti obijciendas ad magis ostendendam huius opinionis probabilitatem; hoc tamen facere nec possum, nec debeo, quia quamuis hanc probabilem putem, adhuc tamen oppositam censeo probabiliorem, non censeam autem eam probabiliorem, si rationes contra vtramq. dissoluerem, nam tunc ambas æquè probabiles declararem, nec esse rationes magis conuincentes pro vna parte, quam pro alia; tum quia hanc opinionem de positiuo in maiori gradu probabilitatis constituere non intendo, quam fecerit Doct. sicut ergo Doct. non dissoluit rationes contra eam, vt oppositam ostenderet probabiliorem, ita & ego facere debeo vestigijs mei Præceptoris inhærens. Satis ergo sit fateri rationes pro opposita sententia de negatiuo mox adducendas esse quidem validas, & difficillimæ solutionis non tamen omnino esse demonstrationes insolubiles.

ARTICVLVS II.

Opinio de negatiuo est probabilior.

72 QVod hęc opinio apud Scotum fuerit perpetuo probabilior oppositæ ex eo euidenter constat, quod hanc semper magis declarat ac defendit, vt constat 3.d.1.q.1.art.3.quol.19.art.3.& vbi difficultates emergunt in hac materia semper eas resoluit ex suppositione sententiæ de negatiuo, vt patet 3.d.5.quæst.2.litt.C. in ea difficultate, an persona creata possit assumi, vbi etiam dicit sententiam de positiuo fuisse sufficienter improbatam d.1.qu.1. quantum sufficit ne dicatur probabilior ista, & 1.d.2.q.2.Cc.& d.23.& quol.19.& vbicunque loquitur de suppositio semper definit esse illud, quod est incommunicabile, vt quod, & vt quo, tam actualiter quàm aptitudinaliter, non tamen potentialiter loquendo de suppositio creato, & 3. distinct. 6. quæs. 1. litt. B. ait subsistentiam vltra existentiam nihil addere nisi negationem duplicis dependentiæ actualis, & aptitudinalis; quod ergo hæc fuerit mens Doctoris nostri nullus remanet ambigendi locus. Quod etiam in schola subtilium hæc sit probabilior patet, nam tribus, vel quatuor Scotistis exceptis iam citatis alij passim tuentur sententiam de negatiuo, vel vt absolutè veriorem, vel saltim vt probabiliorem, ita Bass. Tata. Mairon. Faber, Meuriss. Poncius, Bellutus Collega meus tractat. de Incarnat. disput. 1. quæst. 1. & alij frequenter. Neque hęc sententia est probabilis solum in scola subtilium, sed etiam Nominalium, & aliorum, vnde Vvandingus Societatis Iesu Theologus (referente Poncio disput. 4. de Incarna. num. 39.) ait esse communem inter Scolasticos, & teneri à D. Thoma, & Patribus, & nu. 47. ait se legisse triginta octo Doctores eam ex professo tenentes, vnde falsò inquiunt aliqui Recentiores hanc sententiam de negatiuo extra cancellos nostræ scholæ non exire.

73 Et quidem huius sententiæ probabilitas sufficienter deduci posset ex dictis quæstion. præcedent. vbi ostensum est rationem subsistentiæ, & suppositalitatis formaliter consistere in negatione communicationis naturæ singularis ad aliud suppositum, nec vllum effectum positiuum circa naturam singularem exercere, sed merè negatiuum tribuendo eam incommunicabilem, vel incommunicatam alteri supposito, vnde tota definitio personæ, vel suppositi ibidem tradita nu. 39. ex Boetio, & Riccard. & ab omni Schola recepta, quod sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, naturæ singulari conuenire potest ex integro, si cum hac præcisè negatione intelligatur nullo positiuo superaddito; nam eo ipso esset subsistantia singularis in se, & per se existens, & subsistens, & nulli alteri supposito communicata, vt quod, vel vt quo, atque ita nihil sibi deesset, quo minus persona diceretur, vel suppositum. Dices ipsi deesse, quod non sit persona, vel suppositum, quia non est natura in se completa, & terminata quousq. intelligatur illud positiuum superadditum, quod ponitur eius complementum, & terminus, immo neque tunc dici posse incommunicabilem, quia non assignatur entitas positiua, quæ sit causa talis negationis, non enim consequi potest immediatè ad ipsam naturam singularem, quia tunc talis negatio ex se illi conueniret, & ab ea inseparabilis esset. Contra, quia talis responsio assignari non potest, absque manifesta principij petitione, nam quæro cur mea humanitas præciso quocunque positiuo à singularitate distincto dicatur entitas substantialiter incompleta, & in quo sensu, non enim dici potest entitas incompleta, sicut materia, & forma, quia ipsa est entitas totalis, nec in alterius compositi substantialis compositionem venire potest, cuius ipsa sit pars essentialis, & directè ponitur in prædicamento, est ergo entitas completa, quam sufficit vt dicatur persona vel suppositum in prædicamento substantię, & singularitas, dicetur esse vltimum complementum, & vltimus terminus naturæ in prdicamento substantię, non verò aliquid substantiale ipsi singularitati superadditum; quod si aliud genus complementi, vel termini adinuenias, dicam, illud esse superfluum, & merè fictum, nec assignari posse, nisi cum petitione principij.

Dices singularitatem esse vltimum complementum, & terminum communicabilitatis naturę, vt quod non autem; vt quo, quia natura singularis etiam completa, seu totalis est communicabilis alteri supposito, vt quo, atque ideò aliquid adhuc superaddendum esse, quo totaliter eius communicabilitas terminetur, tam vt quod, quam vt quo. Hoc libenter admitto, sed nego hoc superadditum esse debere quid positiuum, sufficit enim quod sit pura, & simplex negatio communicationis ad alienum suppositum. Dices debere esse positiuum, quia sicut natura communicabilitas, vt quod, per aliquod positiuum completur, & terminatur, quod est singularitas, ita etiam pariter eius communicabilitas, vt quo, per aliquod positiuum ipsi singularitati superadditum compleri, ac terminari debet, quod subsistentia dicatur, vel suppositalitas. Contra, quia si hęc paritas valeret, argui posset, quod sicut natura redditur incommunicabilis, vt quod, per aliquid positiuum superadditum sibi realiter identificatum, quod est singularitas, ita etiam dici deberet reddi incommunicabilem, vt quo, per aliquid additum sibi realiter identificatam, & ab ea prorsus inseparabile, quare non est idem iudicium faciendum de negatione communicabilitatis, vt quod, & vt quo, nam prima negatio essentialiter, ac inseparabiliter conuenit naturę singulari, & ideò conuenit ei necessariò per aliquam entitatem sibi intrinsecam, at negatio communicabilitatis, vt quo, non ei necessariò conuenit, & inseparabiliter, ideò necesse non est, quod insit naturę singulari per aliquam entitatem illi intrinsecam, sed sufficit quod consequantur ad eam naturaliter ex eo quod consequatur ad eam naturaliter ex eo quod agens supernaturalem eam non assumat, aut in alio supposito ponat, eo modo quo negatio albedinis sequitur ad superficiem non quidem per aliquam entitatem sibi intrinsecam, sed ex eo precisè, quod agens naturale non ponit albedinem in ea, iuxta regulam, quam tradit Doct. de negationibus 3.d.1.q.1.G.& quol.19.ar.3. quod negatio quę ab intrinseco prouenit, & necessariò, ac indispensabiliter conuenit subiecto, presupponit aliquid positiuum, quod sit eius causa; cum verò negatio ab exttinseco prouenit, & subiecto conuenit accidentaliter, non necessariò debet dari aliquod positiuum, quod sit illius causa.

74 Dices subsistentiam debere esse complementum, ac terminum positiuum substantiæ, sicut est punctus terminus lineæ in quantitate, linea superficiei, & superficies corporis. Contra, quia non desunt etiam ex Auctoribus cum quibus disputamus qui indiuisibilia terminatiua quantitatis explicent cum Nominalibus per solam negationem vlterioris extensionis, vt punctum per negationem vlterioris longitudinis, lineam per negationem vlterioris latitudinis; & superficiem per negationem vlterioris profunditatis, vnde explicatur incertum per ferè æquè incertum. Tum quia indiuisibilia terminatiua quantitatis ponuntur entia realia, & positiuo in continuo, quia ad munera realia, seu effectus reales in continuo deseruire debent vt ostensum est disp. 9. Physic. quæst. 2. articul. 2 sed subsistentia ad nullum tale munus deseruit in substantia, neque effectum formalem positiuum substantiæ præstat, sed merè negatiuum, vt constat ex quæst. præced. art. 2. quia eam præcisè reddit incommunicabilem alteri supposito, nullum autem positiuum præcisè poni debet, vt ad illud sequatur aliqua negatio, præsertim quando illa negatio prouenit ab extrinseco, & contingenter inest subiecto, vt est in proposito de negatione per subsistentiam formaliter importata. Quamuis, inquam, hæc sola ratio sufficeret, pro huius opinionis probatione, adhuc tamen expediet eam probare proponendo quamplures, & grauissimas difficultates, quibus opinio de positiuo vexatur, in quarum solutione non minus illius opinionis Tutores inter se dissentiunt, & digladiantur, quam nobiscum in puncto principali controuersiæ, quæ quidem difficultates è contra opinionem de negatiuo non vexant, aut facillimè per eam diluuntur.

Difficultas Prima.

75 PRima itaque oppositæ opinionis difficultas consistit in explicanda hac entitate positiua, quæ dicitur subsistentia, vel suppositalitas. Nam aliqui dicunt esse ipsam singularitatem intrinsecam naturæ; sed hoc est falsum, quia singularitas est realiter identificata cum natura, quam singularizat, vt constat ex disputat. præced. & ab ea prorsus inseparabilis, non verò subsistentia; tum quia singularitas reddit naturam incommunicabilem tantum, vt quod, non vt quo, subsistentia verò, seu suppositalitas reddit etiam incommunicabilem, vt quo; tum quia singularitas etiam in accidente inuenitur, & in humanitate assumpta à Verbo, in quibus tamen subsistentia non reperitur. Alij dicunt subsistentiam importare collectionem accidentium, seu characteristicas proprietates accidentarias. Sed hoc quoque falsum est, quomodocunque explicetur, vt dixi nu. 40. quia suppositum dicit substantiam vltimatè completam in genere substantiæ, quo pacto à quocunq. accidente præscindit, quia prius non constituitur in suo esse per aliquod posterius; tum quia nemo dat, quod non habet, accidens non est subsistens nec vt quo, nec vt quod, ergo &c. tum quia Verbum humanitatem assumpsit cum omnibus accidentibus homini conuenientibus, & tamen non assumpsit suppositum. Alij dicunt esse ipsam substantiæ existentiam, vt opponitur inhærentiæ, vt Capreolus; & hoc supra refutatum est quæst. 2. num. 27. quia talis per se existentia de se conuenit substantiæ, & non per aliquod ei superadditum; tum quia talis per se existentia inuenitur in humanitate assumpta, quę non inhæret Verbo, vt accidens, & inuenitur etiam in partibus compositi substantialis sine incommunicabilitate, quę est proprius effectus subsistentiæ, de qua hic est sermo.

tum

tum quia vniuersaliter loquendo existentia non distinguitur reipsa ab essentia actualis, ex dictis disput. 8. benè tamen subsistentia, cum sit separabilis ab ea; quare frustra nititur omninò Blasius à Concept. disp. 8. Metaph. per duas integras, & fusissimas quęstiones 3. & 4. vt aliquem veritatis colorem huic opinioni adferat, quamuis enim fortè assequeretur in schola D. Thomæ, extra tamen illam nunquam alicui placere potuit, immo & intra illam quamplures sunt grauissimi Auctores, ab ea prorsus abhorrentes, nam quocunque modo explicetur ingentes semper patitur difficultates, vt est videre apud Suar. disp. 34. Met. sect. 4. ab initio.

76 Alij proinde Thomistę dicunt subsistentiam esse entitatem quandam mediam inter naturam & existentiam, per quam ipsa natura singularis reddatur capax, & susceptiua ipsius existentię, ita Caiet. 3. part. quęst. 4. artic. 2. quem sequuntur Nazar. 1. part. quęst. 58. articul. 2. controuers. 3. Cabrera 3. quęst. 4. articul. 2. disputat. 3. Bannes 1. part. quæst. 3. art. 3. dub. 1. Sed hoc etiam supra reieci quæst. 2. nu. 28. nec alijs placet nobilibus Thomistis, qui asserunt nunquam D. Thomam admisisse illam realitatem mediam inter essentiam, & existentiam, & absque SS. Præceptoris beneplacito dicunt eius scholam de foris à Caiet. fuisse introductam teste Blasio à Concept. loc. cit. vbi eam proinde pluribus insequitur etiam ex principijs S. Thomæ. Hinc Ioannes à S. Thom. quæstion. 7. Physicor. inquit subsistentiam addere supra naturam terminum quendam, seu formalitatem substantialem excludentem modum inhærentiæ, & modum partis communicabilis, sicque reddere naturam terminatam, & incommunicabilem vlteriori termino, sicut etiam punctum terminat lineam positiua additione, & terminatione, licet postea cum Caietan. sentiat & ipse, quod prius terminat subsistentia naturam, & vltimò existentia adueniat, tanquam primò, & per se conueniens supposito, & mediante supposito ipsi naturæ. Sed hic Auctor quoque explicare tenebatur, quid sit hæc formalitas substantialis, an materia, forma, vel compositum, quod quidem non expressit. Deinde malè dicit per hanc formalitatem substantialem excludi modum inhærentiæ, & modum partis communicabilis, quatenus nequit natura totius alteri inhærere, aut in alterius compositione venire per modum partis; nam vt dictum est supra nu. 46. substantia tam simplex, quàm composita ex seipsa est incommunicabilis alteri, vt subiecto, vel toti essentiali, & non per aliquid superadditum ab ea separabile; & si loquitur de communicabilitate etiam per modum partis integralis, falsum est hanc esse de ratione formali subsistentiæ, vel effectum formalem eius, quia hæc aquæ portio, quæ est suppositum, vniri potest cum alia portione aquæ ad constituendum totum aliquod integrale, vt dictum est supra num. 43. Quod denique asserit cum Caiet. existentiam aduenire subsistentiæ supra refutatum est num. 28. & disp. 8. qu. 3. nu. 164. & reijcitur ex ipso exemplo quod affert de indiuisibilibus terminatiuis quantitatis, quæ quidem adueniunt quantitati iam existenti, & existentem supponunt quantitatem, quam afficiunt, & sic pariter dici debet in proposito de subsistentia, si esset eodem modo terminus substantiæ quod eam afficere non posset, nisi præsupponeret existentem; sed quod neque hoc exemplum sit rei nostræ proportionatum paulo supra dictum est num. 74. quia termini quantitatis ad realia munera, & positiua sunt à natura destinata, non autem subsistentia, de qua hic est sermo.

77 Hac de causa Alij Recentiores passim concedunt subsistentiam aduenire naturæ singulari iam actu existenti, quia prius est hanc naturam existere singularem in actu, quam ipsam suppositari, vnde & in Christo manet natura humana singulariter actu existens, & non manet suppositata in proprio supposito; At sic dicendo difficilè saluatur hanc entitatem naturæ singulari aduenientem non esse accidens, vt benè vrget Bassolius 3. d. 1. quæst. 1. art. 1. §. *sed quantum ad istum articulum* quia omne positiuum reale adueniens naturæ, & præsupponens ipsam existere singulariter in actu est sibi accidens, quia accidens est illud, quod aduenit rei præexistenti in effectu secundum vltimum esse, & completum generis, speciei, & indiuidui talis generis secundum omnes loquentes de accidente, ac etiam suadet ratio, quia tale quid nec est genus illius, cui aduenit, nec species, nec differentia substantialis quæcunque sit illa, nec aliquis gradus in prędicamento, si ergo illud, quo formaliter suppositum est suppositum dicat aliquid positiuum reale oportet necessario, quod illud sit accidens at impossibile est substantiam suppositari per accidens, ergo &c.

Idcirco Vuading. disput. 4. de incarn. dub. 2. §. 1. vt refert Ponc. cit. tenet suppositum nihil positiuum superaddere naturæ; sed postea §. quintò volens explicare, quid formaliter dicat suppositalitas ait non consistere in negatione, sed ipsa totalitate positiua naturæ singularis Sed hoc statim reijcitur, quia si res ita se habeat, sequitur Verbum non solum assumpsisse naturam humanam, sed etiam personam, & suppositalitatem ipsam, probatur consequentia, quia Verbum assumpsit nedum partes naturæ humanæ, sed etiam humanitatem ipsam, vt est quoddam totum ex illis constitutum, immò hanc sibi primò, & immediatè copulauit, vt ait Doctor. 3. d. 2. q. 2. Resp. Vuading. quod licèt Verbum totam naturam assumpserit, non tamen assumpsit totalitatem naturæ in qua consistit personalitas, quia cum denominatione totalitatis, & personæ est incompatibilis illa assumptio seu vnio naturæ ad Verbum, ad quod declarandum affert exemplum in temperie corporis humani, sed aptius foret exemplum de vna portione aquæ separata ab alia, quia in eo statu præcisionis ab alia habet rationem totius, & denominationem totalitatis, quam amittit eo ipso, quod cum alia aqua coniungitur, etiamsi nullam ex suis partibus, aut prædicatis intrinsecis amittat; Contra quia non datur denominatum sine forma denominante; si ergo Verbum totam assumpsit naturam humanam, seu totum ex partibus constitutum, ergo etiam totalitatem, quia sine totalitate non posset dici totum, ergo etiã assumpsit personam; Tum quia si denominatio persone non est compatibilis cum vnione naturæ ad Verbum; ergo signum est negationem talis vnionis esse de ratione formali personæ, seu personalitatem in tali negatione consistere, nam posita tali negatione habetur denominatio personæ, & ipsa ablata quocunque alio positiuo remanente non habetur; ergo in hac negatione præcisè, non autem in ipsa totalitate consistit personalitas. Exemplum de aqua non est ad rem, vel si est ad rem facit pro nobis, non est quidem ad rem, quia hic est sermo de totalitate essentiali, quam retinet humanitas in Verbo, in exemplo verò adducto est sermo de totalitate integrali, quam hæc aqua amittit eo ipso, quod cum illa coniungitur, nam si esset sermo de essentiali, falsum est quod eam amittat, quando cum alia aqua coniungitur, Deinde vt aiebam potius exemplum est pro nobis, quia hæc aquæ portio dicitur in se integraliter vnum totum, quam diù est ab alia portione separata, seu quamdiu habet negationem coniunctionis cum ea, & hanc denominationem amittit eo ipso, quod cum alia aqua coniungitur, & continuatur, ergo totalitas, seu denominatio totalitatis in hoc sensu etiam in proposito nostro, non poterit melius exprimi, quã per negationem vnionis naturæ cum alio supposito vide hunc dicendi modum fusius impugnatum apud Poncium disp. 18. cit. num. 87. qui etiam respondet ad illud exemplum de temperie.

Difficultas Secunda.

78 Secunda difficultas contra sententiam de positiuo est, num hęc positiua entitas, quam subsistentia naturæ superaddit, sit res vel modus, de quorum discrimine dixi disp. 2. Met. qu. 6. art. 1. Suarez disp. 34. Met. sect. 4. num. 33. Vasq. tom. 1. in 3. par. disp. 31. cap. 6. Card. de Lugo disp. 12. de Incar. sect. 7. num. 83. Auersa qu. 18. Philos. cit. sect. 7. Aret. Herrer. & Rad. cit. opinionem de positiuo probabiliter defendentes docent subsistentiam non esse rem, sed potius modum existendi ipsius naturæ singularis, non quidem modum intrinsecum, qualem nos dicimus esse finitatem creaturæ, & infinitatem Dei, vt perperam eos intellexit Centinus disp. 1. de Incarn. cap. 5. num. 76. non discernens inter modum intrinsecum Scotistis familiarem, & modum extrinsecum Recentioribus ęque consuetum, de quorum etiam discrimine dixi disp. 1. Met. cit. q. 6. art. 1. sed modum extrinsecum, vt benè notauit Aretin. quo sensu modum appellare solent vnionem præsentiam, actionem &c. Hurtad. autem disp. 11. Met. sect. 5. num. 50. & Arriag. disp. 4. Met. sect. 12. subsect. 2. affirmant esse rem, & non modum; vtrumque esse probabile tenet Ouied. controu. 4. Met. sect. 6. num. 6. Negat tandem vtrumque Centinus loc. cit. & ait hanc entitatem positiuam naturę superadditam nec esse modum, neque rem propriè de re loquendo, sed esse realitatem, & impugnat non esse modum contra priores, quia subsistentia realiter distinguitur à natura singulari, & potest ab ea seiungi, at modus internus non sic à re modificata distinguitur, vt patet de existentia respectu essentiæ; sed hęc impugnatio, vt dixi, procedit ex ignoratione acceptionis modi in sensu Recentiorum, & distinctionis, quam ponunt inter rem, & talem modum, quę ego fusè tradidi disp. 2. cit. Met. num. 141. & disp. 6. n. 158. dicunt enim rem, & modum in hoc sensu distingui modaliter, quod est rem posse separari à modo, & sine ipso existere, non è contra, non autem distingui realiter, quia quę sic distinguuntur possunt esse sine se inuicem, & separata existere, vnde patet impugnationem Centini ad rem non esse.

79 Potius ergo Auctores dicentes subsistentiam esse modum positiuum substantię in prędicto sensu impugnari possunt primo ex generali doctrina tradita de his modis extrinsecis disp. 2. de natura entis q. 6. art. 1. nu. 143. quia huiusmodi entitates, modales generatim loquendo sunt entitates de genere respectus & ex hoc procedit fatalis illa necessitas indispensabilis, quia suaptè natura postulant semper affixas esse subiectis, & rebus modificatis, nam si forent de genere absolutorum possent saltim per Dei potentiam per se existere; cum ergo subsistentia ponatur ab istis entitas absoluta, non erit modus, sed potius res; Dices, posse dari modos absolutos, vt patet de indiuisibilibus quantitatem terminantibus, & de figura, quę est quarta species qualitatis. Contra, quia tunc ex natura sua non peterent esse alijs rebus affixi, & determinati, hoc enim directè repugnat absolutorum naturę, quę per hoc distinguuntur à relatiuis, & illa exempla non sunt ad propositum, quia linea, & superficies non sunt modi quantitatis, sed verè species eius, & per potentiam Dei absolutam possunt à continuo separari; & figura quę ponitur quarta species qualitatis re vera potius est entitas relatiua, & ad prędicamentum respectiuum pertinet potius, quam ad absolutum, vt dictum est disp. 7. Log. quęst. 3. art. 2. Deinde possunt specialiter impugnari in proposito, quia subsistentia debet facere, & constituere rem in se formaliter subsistentem, & per se stantem, & nulli alteri affixam, & coniunctam siue vt subiecto, siue vt supposito, at hic effectus formalis, quem debet subsistentia

pręsta-

præstare, directè repugnat naturæ modi, qui suapte natura petit esse alijs rebus affixus, & alligatus, ergo subsistentia nequit poni modus. Dices hoc tantum probare subsistentiam dici non posse subsistentem, vt quod, quod vtique verum est, attamen adhuc dicitur subsistens, vt quo, quod quidem sufficit, quia vt forma det aliquem effectum, opus non est, quod ipsa eum formaliter suscipiat, & dicatur talis, vnde albedo non dicitur alba, estò det esse album, quod passim cernitur in alijs formis. Contrà, quia licèt non oporteat formam esse formaliter talem, vt quod, quale esse tribuit, opus tamen est talem esse, vt quo, vt indè effectus formalis sit illi proportionatus, & non eius naturæ repugnans; at in proposito esse subsistentem etiam, vt quo, est effectus formalis directè repugnans naturæ modi, qui petit esse affixus alteri. Tum quia alioqui possemus dicere subsistantiam constitui posse formaliter subsistentem etiam per accidens, vel per modum qui inhærentiæ proteruiando, quod ipsa sit formaliter subsistens, vt quo, licèt non vt quod, imò sic etiam proteruiare possemus de alijs formis dicendo, quod aqua formaliter frigida constituitur per calorem, & paries albus formaliter per nigredinem, dicendo quod licèt calor non sit frigidus, vt quod, est tamen frigidus, vt quo, & similiter quod nigredo est alba vt quo, licèt non vt quod, qua ratione disp. 2. Phys. q. 4. art. 2. probaui animam rationalem homini, quia de se spiritualis est, dare non posse esse corporeum, & impugnaui solutionem quorundam dicentium esse talem, vt quo, licèt non vt quod.

80 Alij verò, qui concedunt subsistentiam esse rem propriè dictam impugnari debent per argumentum quod facit Scotus 3. d. 5. q. 2. quia substantia, quæ est res substantialis propriè dicta, vt res distinguitur contra modum, diuiditur ex 2. de anima, & 7. Met. in materiam, formam, & compositum, & ad minus concedi deberet, quod esset forma substantialis, quia cum eius munus sit terminare vltimò, & actuare naturam, potius esset forma, quam materia, & compositum, & sic subsistentia faceret cum natura veram compositionem physicam ex per se actu, & per se potentia, vndè in substantijs immaterialibus præter compositionem metaphysicam, dari etiam deberet physica compositio, & in materialibus omnibus plures darentur substantiales formæ, & plures substantiæ compositæ, quæ omnia sunt absurda. Quando tandem Centinus dixit subsistentiam nec esse rem, nec modum, sed realitatem, nullam prorsus claritatem, huic difficultati attulit; quia non explicuit, quid nomine realitatis intelligat, si enim realitatis nomen accipit, vt solet accipi in nostra Schola pro formalitate, & aliquitate alicuius rei, vt dici solet de Petreitate, rationalitate, animalitate &c. tunc vtique subsistentia non erit propriè res, at neque distinctionem realem fundare valebit in ordine ad naturam, vt ipse contendit concl. 3. num. 70. quia distinctio realis propriè dicta solùm versatur inter rem, & rem, & tantò minus separabilis erit à natura, quia realitas immergitur per identitatem in re, ac entitate, cuius est realitas, nec per Dei potentiam potest vnum ab alio separari; si verò distinctionem realem fundare potest à natura, tunc non erit propriè realitas, sed potius res, quia res est illa, quæ distinctionem realem propriè sumptam fundare potest, vt dictum est disp. 6. Met. q. 8.

Difficultas tertia.

81 TErtia difficultas, an ista entitas naturæ superaddita faciat aliquam compositionem cum ipsa veram, & realem; Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. quem sequitur Nazarius 1. p. q. 50. art. 2. & Fonsec. 5. Metaph. cap. 8. q. 6. in fine negant, quia vt docet Arist. 7. Met. 49. ex duobus extremis nequit quid vnum fieri, nisi vnum se habeat, vt actus, & aliud, vt potentia, in proposito autem non comparantur adinuicem natura, & subsistentia, vt actus, & potentia, quia subsistentia respicit naturam per modum termini præcisè, & ideò sicut punctum compositionem non facit cum linea, quam terminat, ita nec subsistentia cum essentia, quare concludunt facere ad summum compositionem cum his, non autem ex his. Sed Contrà, quia suppositum creatum non est simplex quid, sed vera compositum ad differentiam suppositi diuini, & non est compositum cum his tantùm, sed etiam ex his, quia est aliquod vnum per se etiam secundum hos Auctores, non enim componitur ex rebus diuersorum generum, ergo suppositalitas cum natura veram facit compositionem. Deindè probatur inuicem comparari per modum actus, & potentiæ, vt excludatur illa responsio de compositione cum his, quia subsistètia terminando naturam ipsam perficit, & complet, ergo comparantur, vt actus, & potentia. Exemplum verò de puncto lineam terminante non est ad rem quia compositio lineæ cum puncto est solùm compositio integralis, & ideò est tantum compositio cum his, at compositio ex natura, & subsistentia in proposito est essentialis, quia spectat ad complementum substantiale naturæ, & ideò dici debet compositio ex his. Dices subsistentiam respectu naturæ habere solùm rationem actus terminantis, non autem informantis eam, vt patet de subsistentia Verbi naturam humanam in Christo terminante, & ideò illa compositio erit cum his, non ex his. Contrà, quia subsistentia creata verè afficit, modificat, & actuat naturam, rursus verè recipitur, & manet in natura velut in subiecto, cum ex ea pendeat in genere materialis causæ, ergo re vera habet respectu ipsius rationem actus informantis, non autem purè terminantis, vndè exemplum de subsistentia diuini Verbi non est ad rem, quia ob suam infinitatem est purè terminans, & nequit informare naturam assumptam, vel in ea recipi, hæc autem subsistentiæ creatæ non repugnant.

82 Si autem affirmatiuè respondeatur cum Suarez cit. & Auersa q. 18. sec. 6. maiores suppetunt difficultates, quia si se habent vt actus, & potentia, non apparet num poni debeat forma accidentalis, vel potius substantialis, nam ex vna parte videtur poni debere forma accidentalis, quia aduenit enti in actu completo nempe huic humanitati, quæ est per se ens in actu cum sit constituta per formam substantialem specificam, & indiuidualem, quæ est hæc anima; ex alio capite videtur forma substantialis, quia ponitur substantia, & pertinere ad complementum substantiale naturæ; sed tunc redeunt absurda paulò supra inculcata, quia cum natura, & subsistentia sint extrema realiter distincta, præter compositionem metaphysicam in substantijs immaterialibus, dari deberet alia compositio physica substantialis, & in materialibus plures essent formæ substantiales, & compositiones substantiales. Tum quia tunc tribueret naturæ incommunicabiliter existere in genere causæ formalis, sed ista causalitas nequit à Deo suppleri, ergo non posset Verbum supplere vicem suppositi creati respectu naturæ humanæ, quod est falsum.

Respond. Suarez to. 1. 3. part. disp. 8. sect. 3. concedendo subsistentiam se habere per modum actus, non tamen per modum formæ, quia actus latius patet, quam forma, sicut capacitas generalius quoddam est, quam potentia passiua; & hoc quia forma includit in suo conceptu imperfectionem entis incompleti natura sua ordinati ad complendam vnam essentiam integram cum aliquo, cui vt subiecto vnitur, & hinc est, quod nullo modo in Deo ratio formæ reperitur, at subsistere in suo conceptu istam imperfectionem non dicit, vndè in Deo reperitur, & consequenter poterit à Deo suppleri. Contrà, forma vt forma dicit aliquod ens incompletum ordinatum ad constituendum aliquod vnum, sed subsistentia creata dicit tale ens incompletum ordinatum ad constitutionem suppositi cum natura, ergo verè est forma. Quod verò ait Suarez rationem subsistentiæ reperiri in Deo, non verò rationem formæ, parum refert, quia etiam esse intellectuale in suo conceptu non includit imperfectionem, ideoque in Deo reperitur, & tamen esse intellectuale creatum dicit imperfectionem, & nequit à Deo suppleri, vt patet, non enim potest homo rationalis dici absque anima rationali; sic igitur à pari, quia subsistere creatum includit imperfectionem se habebit per modum formæ, & à Deo suppleri nequibit.

83 Alij autem ad euitanda alia absurda deducta de pluribus compositionibus physicis respondent, quod estò subsistentia, & natura simul componant suppositum, non propterea appellandas esse partes, nec opus esse, vt omnis compositio dicatur fieri ex partibus, sed satis esse, quod dicatur fieri ex extremis componentibus, quia per partes propriè intelliguntur illæ, quæ componunt naturam, scilicet materia, & forma, ita Auer. loc. cit. Contra, quia hæc solutio planè tota verbalis est, quia reddi debet ratio, cur illa extrema componentia nequeant dici partes componentes, quotiescunque enim aliqua duo extrema concurrunt ad constitutionem vnius, quod adæquatè illa duo in se includit, & à singulis illorum solum inadæquatè constituitur, planè illa duo extrema rationem partis habere dicuntur pro qualitate totius constituti, nimirum erunt partes integrales, si totum integrale constituunt, erunt partes essentiales, si constituunt essentiale. Confirmatur quia hac data solutione posset negari omnis compositio tam physica, quàm metaphysica, tam essentialis, quàm integralis, nam dici posset singula componentia habere rationem extremorum, non verò partium. Et cum dicitur per partes propriè intelligi debere materiam, & formam, quæ componunt naturam, hoc vtique absolutè verum est; sed ex hypothesi, quod subsistentia dicat entitatem positiuam naturæ superadditam, & ab ea realiter distinctam, cum qua vnum per se constituit, quod dicitur suppositum deducimus dari debere aliam compositionem physicam substantialem, & quod præter formam substantialem compositi dari debeat alia constitutiua suppositi, & præter materiam primam, quæ est immediatè capax formæ compositi, dari debeat alia materia veluti secunda per se ordinabilis ad recipiendam aliam formam, qua constituatur suppositum, & hæc erit ipsa natura singularis, quæ iuxtà hunc dicendi modum adhuc non est substantialiter completa, sed compleri debet per aliam veluti formam substantialem superuenientem.

Respondebis iterum subsistentiam non posse dici formam substantialem, licèt actuet naturam, & perficiat, quia est modus, non res, forma autem est res, quæ se sola existere potest saltim per potentiam Dei absolutam. Contrà, quia subsistentia per Aduersarios est substantia saltim, vt distinguitur ab accidente, & actuat naturam, ac perficit substantialiter, quæ sunt munera substantialis formæ; tum quia non est de ratione formæ substantialis, vt sic, quod possit esse sine materia, quia etiamsi haberet necessariam cum materia connexionem, non ob id desisteret esse forma, vndè Arist. agnouit formam substantialem, nec tamen nouit posse diuinitus consistere absq; materia; ergo quod nequeat sic existere non tollit ab ea rationem formæ. Deindè non desunt, qui volunt subsistentiam esse rem, & non modum, & quod per diuinam potentiam possit existere separata à natura; ergo nil ei deest, vt forma substantialis dicatur.

Diffi-

Difficultas quarta.

84 QVarta Difficultas mouetur à Scoto in terminis 2.d.1.q.1. §.*Contrà primam viam*, in quarto argumento; nam si personalitas creata in aliqua entitate positiua cõsistit, & realiter ab ea distincta, vel saltim modaliter in sensu Recẽtiorum, tunc posset produci natura, & conseruari sine personalitate, quod est magnum inconueniens. Quæ quidem difficultas facilè euitatur in sententia de negatiuo, nam hoc non potest à natura auferri, nisi adueniente illo cuius est negatio, siquidem negatio immediatè, & formaliter tollitur per formam positiuam, quam negat, & cum hæc fit vnio ad aliud suppositum, sequitur non posse naturam priuari propria subsistentia, nisi per vnionem ad aliud suppositum, ac proindè aliena subsistentia subsistere eo ipso, quod non subsistat subsistentia propria. At in sententia de positiuo ex vtraque parte graues vrgent difficultates; nam si negetur posse naturam etiam de potentia Dei absoluta sine aliqua personalitate existere propria, vel aliena, vt de facto negant Suarez disp. 34. Met. sect. 6. num. 35. Fonsec. lib. 5. Met. cap. 8. q. 6. sect. 5. Auersa q. 17. cit. sect. 3. Contrà probatur efficaciter consequentia argumenti, nam Deus omne prius naturaliter, & realiter à posteriori distinctum potest facere sine posteriori, sed natura, vt singularis est prior, & realiter distincta ab hac realitate personali, ergo potest Deus facere naturam singularem sine personalitate, qua ratione probat Doctor 2.d.12. q.2 materiam per Dei potentiam sine forma omni substantiali existere posse. Respondent Suarez, & Auersa maiorem non esse vniuersaliter veram, nam quantitas est prior figura, & omni præsentia locali, & tamen esse non potest absque omni figura, vel præsentia; addit Aretin. quod sicut Deus non posset facere posito fundamẽto, & termino, quod relatio non oriatur, quia sequitur de necessitate naturæ; ita neque personalitas ex ipsa natura non pullulet, si dimittatur, nam quamuis natura prior sit personalitate, impossibile tamen videtur, quod ipsa manente etiam entitas personalitatis non maneat. Hæc tamen solutio communiter reijcitur ab alijs, quia quantitas potest esse sine figura situali, si ad punctum reducatur, & corpus potest expoliari omni presentia locali, vt Doctor docet quol. 11. Quod si ista concedere non libeat cum alijs, tunc est neganda paritas de subsistentia ex vna parte, & de figura, & præsentia ex alia in ordine ad quantitatem; quia figura, & præsentia sunt entitates respectiuæ, quæ necessariò consequi solent extrema in esse posita, si fuerint intrinsecùs aduenientes, vel saltim approximata, si fuerint aduenientes extrinsecus, at subsistentia ponitur entitas absoluta, & ideò consultò Doctor 2.d.12. quæst.2. §. *respondeo ad quæstionem*, ad illam maiorem, omne prius distinctum realiter a posteriori potest esse sine contradictione absque illo, vt esset vniuersaliter vera; & nullam pateretur instantiam, addidit quod illud prius distinctum realiter à posteriori debet esse absolutum ad excludendas instantias de relatiuis; per quod etiam reijcitur Aretini solutio, quia non est tanta connexio necessaria inter vnum absolutum, & aliud, quod ad ipsum consequitur realiter distinctum, quanta est necessaria connexio duorum extremorum cum relatione indè cõsequente.

Dices eũ quibusdam fieri non posse, quin fluat iste modus positiuus à natura singulari, dato, quod non præueniatur ab alieno supposito, atque ideò necessariò, & indispensabiliter debere naturam habere propriam subsistentiam, si non habet alienam. Sed hoc effugium facilè præcluditur, quia vt benè vrget Meuris. qua ratione Deus impediuit eius fluxum in Incarnatione Verbi, eadem ratione potuisset impedire, etiamsi Verbum incarnatum non fuisset, nam impedimentum talis fluxus non habet necessariam, & intrinsecam inclusionem alterius suppositi. Conf. quia impedimentum talis fluxus est prius naturaliter, quam vnio alterius suppositi cum natura à qua fingitur fluere talis modus, ergo potest à Deo impediri sine vnione naturæ ad alienum suppositum. Dices impediri formaliter per ipsam actualem vnionem. Contrà nam ideò natura vnitur à Deo alieno supposito, quia per impedimentum fluxus propriæ subsistentiæ datur locus alienæ, ergo impedimentum talis fluxus est prius naturaliter vnione naturæ ad alienum suppositum. Tum quia talis fluxus est in genere causæ efficientis, sed omnis talis efficientia causæ secundæ potest à Deo impediri per solam suspensionem sui concursus, absque productione alicuius positiui, quo illa impediatur, vt passim aiunt Theologi, ergo &c.

85 Idcircò alij communiter concedunt posse naturam diuinitùs manere nudam omni subsistentia tam propria, quam aliena, ita Cai. 1.3.p.q.4.art.2. Medina ibid. cum alijs Thomistis Valent. ibi disp. 1. q.4.punc.2. Hurtad. disp.11. Met. sec.9. Arriag. disp.4. Met. sec. 13. subsec.6. Card. de Lugo disp.12. cit. sec.7. Albertin. de prædic. substantiæ d. 2.q.4. Ouied. controu.6. Met. pun.6. Lich.3.d.1.q.1. Centin. disp. cit. quod etiam probabilius putat Aretin. cit. Attamen nec isti sunt a difficultatibus immunes, primò quia subsistantia vel debet existere per se, vel in alio, nec datur medium, ergo vel cum subsistentia propria, vel aliena. Nec respondere valet, quod adhuc esset per se, quia non in alio, tanquam in subiecto inhæsionis. Nam de hoc nullus dubitat; neque hic est sermo de subsistentia, prout talem excludit inexistentiam, quia esse per se, vt talẽ excludit inexistentiã, cõuenit subsistantiæ ex se, & non per modum superadditũ, sed sermo est de esse per se, vt excludit esse in alio, vt suppositio, à quo supposita dicatur natura, & personari, quo pacto natura humana est in Verbo; in hoc, inquã, sẽsu natura necessario vel est in se, vel in alio. Respõdent hũius partis tutores dato casu naturam v.g. humanitatem tunc extituram per se negatiuè, ideò non cum alio non tamen per se positiuè. Hanc solutionem infringit Auersa cit. quia sicut intelligi non potest natura esse in alio solùm negatiuè ita videtur pariter non posse esse per se solum negatiuè, & absq. modo positiuo subsistentiæ. Hæc tamen replica parum valet, cum manifestam assumat disparitatem, quia naturam esse in alieno supposito formalissimè dicit respectum positiuum vnionis, at ipsum esse per se, & non in alieno supposito non præfert necessariò conceptum positiuum, sed saluari potest per negatiuum. Potius ergo deficiunt sic respondentes, quia ita dicendo pedibus iuncti in sententiam labuntur de negatiuo, quia tunc re vera natura dici posset suppositata, & personata ex eo præcisè, quod per se negatiuè existat, ideò non alteri supposito communicata.

86 Deinde principaliter arguitur contra hunc posteriorem dicendi modum, quia vel natura sic nuda omni subsistentia v.g. humanitas singularis Petri posset agere, & pati, & alias habere operationes naturæ connaturales, vel non, & neutrum potest asseri sine magno incommodo; non enim in primis dici potest, quod proprias operationes non haberet, quia adhuc haberet principia tam proxima, quàm remota illarum, vt v.gr. humanitas Petri haberet animam, eiusque potentias, scilicet intellectum, & voluntatem, ergo posset intelligere, & velle, Tum quia tales actiones exercere potest anima à corpore separata, ergo tanto magis potest esse principium earum, dum constituit humanitatem singularem, esto non suppositatam. Probatur consequentia, quia eius potentiæ rationales non essent magis incompletæ, & in sufficientes in tali statu, quàm in statu animæ separatę. Dices in tali casu humanitatem Petri operaturam non fore, non quia desinit principia *quæ* agendi, sed quia deficit conditio agentis, vel agendi, quæ est suppositalitas, & pertinet ad principium *Quod*, cum actionis sint suppositorum ex 1 Met. Contrà, quia ibi habetur actiones esse singularium, non autem suppositorum & in casu posito natura est singularis; ergo non deficit conditio agentis, vel agendi. Deinde *illud ad* summum verificari potest connaturaliter, & iuxtà quod contingit secundum communem naturæ cursum, at in præsenti sumus in casu miraculoso, in quo non oporteret dictum illud verificari. Demum dictum illud absolutè loquendo falsum est, quia & accidentia separata in Eucharistia agunt, & anima in statu separationis intelligit, & vult, quæ tamen suppositata non sunt.

Si verò concedatur naturam singularem in tali statu absque subsistentia proprias habare posse operationes, tunc aliud sequitur absurdum, nimirum superfluam esse omninò personalitatem, & subsistentiam in natura singulari, quia ad nihil prorsus deseruire videtur, cum æquè pati possit, & agere cum illa, ac sine illa. Dices necessariam esse ad vltimatum complementum, & perfectionem consummatam naturæ. Contrà quia ideò aliqua forma dicitur perficere subiectum, quod afficit, quatenus illud aptum reddit, vt benè se habeat in ordine ad aliquam actionem, vel passionem, si ergo subsistentia id substantiæ non præstat, non videtur quomodo dici possit illi afferre vltimum complementum substantiale, & perfectionem consummatam. Dices necessariam esse ad terminandam naturam, quæ absque illa foret terminata, etiamsi propriashaberet operationes. Contrà, quia si in tali statu æquè benè se habet natura quoad omnia sine subsistentia perindè, ac cum ipsa, dicetur natura sufficienter terminari positiuè per ipsam singularitatem, nec indigere vlteriori termino positiuo; hunc que gratis confingi. Dices tandem necessariam esse subsistentiam, vel suppositalitatem, vt reddat naturam singularem alteri supposito incommunicabilem. Contrà, quia ad id sufficit mera negatio, vt inquit Scotus, nec est necessaria aliqua forma positiua, imò est ad id omninò inepta, quia nulla forma positiua ponitur precisè in subiecto ad præstandum effectum merè negatiuum, sed ad summum hic erit effectus eius secundarius, nam eius effectus primarius debet esse positiuus, vt benè probat argumentum Card. de Lugo supra relatum n.52 si ergo non potest assignari aliquod munus positiuum, quod præstet ista subsistentia positiua naturæ singulari superaddita, cum possit æquè benè se habere ad omnem actionem, & passionem cum illa, ac sine illa, vt hactenus probatum est frustrà ponitur hæc subsistentia positiua, & præstabit cum Scoto admittere solam subsistentiam negatiuam; vide Poncium disp.28.cit.n. 93. vbi hoc argumentum fusè prosequitur.

Difficultas Quinta.

87 QVinta Difficultas est de causis subsistentiæ materiali, & efficiente quæ in opinione de negatiuo facilè resoluitur, nam causa materialis est ipsa natura singularis alteri supposito non communicata, causa verò efficiens (eo tamen modo, quo negationes dici possunt habere causam) est agens supernaturale eam non sibi assumens, aut alteri supposito eam non copulans, at in sententia de positiuo grauis est difficultas de vtraque causa, & in primis de materiali. Aliqui asseruntcum Caiet. nullam sibi causam talem assignari debere, & nequaquã naturã posse dici subiectum suæ subsistentiæ, quia eum subsistentia formaliter det esse per se, & dicat esse per se, nihil magis illi repugnat, quam esse in alio, & esse in subiecto, atque ideò dicunt subsistentiam habere rationem puri termini, & esse subsistentem. Alij è contrà firmiter asserunt subsistentiam à natura pendere in genere materialis causæ, & naturam esse subiectum subsistentiæ, quia modus vel

rè ineſt rei, quam afficit, & modificat, ita Card. de Lugo diſp. 12. cit. ſec. in fine, Arriag. diſp. 4. Met. in fine. Ouied. controuer. 6. Met. puno. 6. nu. 17. Auerſa quæſt. 18. cit. ſec. 7. & alij paſſim. Quod autem id non repugnet modo ſubſiſtentiæ, vt dicebant priores, ita declarant, quia de ratione ſubſiſtentiæ eſt eſſe per ſe, non vt quod, ſed, vt quo, ideſt non quod ipſa ſubſiſtentia debeat per ſe ſubſiſtere, & per ſe eſſe, ſed quia eſt id, quod natura habet eſſe per ſe, & ideò ſicut ad hoc, vt albedo faciat album, opus non eſt, quod ſit alba, vt quod ſed ſufficit, quod ſit alba, vt quo, ita ad hoc vt ſubſiſtentia faciat ſubſiſtere, non eſt neceſſe, quod ipſa ſubſiſtat, vt quod, ſed ſufficit, quod ſubſiſtat, vt quo: ita præſertim rem declarat Blaſius à Concep. diſp. 8. Met. q. 3. n. 31. contra Caiet. Cæterum quamuis admiſſa opinione de poſitiuo putem hos poſteriores Auctores melius diſcurrere, attamen per hanc doctrinam non enodari argumentum priorum iam ſupra oſtendi nu. 79. Et ideò Auerſa cit. aliter reſpondet dicens, quod ſubſiſtentia non dat eſſe per ſe ſumendo eſſe per ſe pro nõ dependere à ſubiecto, quia in hoc ſenſu ex ſe ſubſtantia per ſe exiſtit, ſed prout negat communicationem alteri ſuppoſito, & hanc rationem eſſendi per ſe ideſt hanc incõmunicabilitarem maximè habet ſubſiſtentia. Sed neque hæc ſolutio ſufficit, quia talis poſitiua entitas dicta ſubſiſtẽtia de facto communicatur alteri, ſcilicet naturæ ſingulari quam afficit vt forma ſubiecto, ergo nequit talem incommunicabilitatem præſtare ſuppoſito; tum quia effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt rem ita in ſe exiſtentem conſtituere, vt nulli alteri ſit affixa, vel copulata, ſiue illud ſe habeat, vt ſubiectum, ſiue vt ſuppoſitum, at hoc directè repugnat ſubſiſtentiæ, quia cum ſit modus petit indiſpenſabiliter eſſe alteri ſemper affixa, & alligata; ergo nequit dare naturæ effectum ſibi prorſus repugnantem vt deducebam ſuprà num. cit. 79.

Deindè poſſunt hi Auctores, impugnari argumento tacto num. 47. quia ſi ſubſiſtentia verè ſubiectatur in natura ſingulari, ac in ea ſuſtentatur, ſequitur cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas in eodem genere cauſæ, & ſecundum eandem rationem, quod omnes inficiantur contra Thomiſtas. Probatur conſequentia, quia in opinione de poſitiuo natura verè ſuſtentatur in proprio ſuppoſito, & ad illud verè dependet, ac illi innititur, quibus locutionibus Auctores illius opinionis vtuntur, vt demonſtrent veram cauſalitatem ſuppoſiti erga naturam, & quia explicatur per relationem ſuſtentantis ad ſuſtentificatum, non videtur importari, niſi cauſalitas materialis, quæ per talem relationem explicari ſolet; ergo ſi è contrà ſubſiſtentia dependet à natura in genere materialis cauſæ, dabitur circulus in his cauſalitatibus; & natura, ac ſubſiſtentia erunt ſibi inuicem cauſæ in eodem genere cauſæ, & ſecundum eandem rationem, quod falſum eſſe iam dixi diſp. 8. Phyſ. q. 1. art. 1. nam natura dicetur ſuſtentari per ſubſiſtentiam, eique inniti, & è contrà ſubſiſtentiam ſuſtentari in natura. Quod ſi dicat naturam ſuſtentari per ſubſiſtentiam, vt in ſuppoſito, & ſubſiſtentiam ſuſtentari in natura, vt in ſubiecto, quæ ſunt diuerſa cauſalitatum, & ſuſtentationum genera, tenentur quoque ad hanc diuerſitatem declarandam, quã minimè explicant; vndè cum vtrinq; ſint graues difficultates, præſtat negare cum Scoto ſubſiſtentiam eſſe modum poſitiuum in natura receptum, & naturam per ſubſiſtentiam poſitiuè ſuſtentari.

88 De cauſa efficiente eſt maior difficultas, an ſcilicet immediatè ab ipſa natura dimanet, quam afficit, an potius producatur ab ipſo generante naturam, ita vt cum ea comproducatur ab eodem agente. Caiet. & Capreol. quos ſequuti ſunt Valq. p. 3. diſp. 34. cap. 4. Albertin. ſupra cit. q. 10. Auerſa q. 18. ſec. 8. dicunt ſubſiſtentiam produci à generante & non ab ipſa natura, quorum præcipua ratio eſt, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, hoc eſt, procedunt a natura in priori inſtanti naturæ iam terminata per ſubſiſtentiam, ergo ſubſiſtentia non poteſt procedere a natura, cuius eſt ſubſiſtentia, quia ſupponeret ſeipſam, antequam eſſet. Confirm. quia cauſa efficiens externa non ſolum producit naturam ſubſtantialem, ſed producit ſuppoſitum, quando v. g. ignis generat ignem, & Deus creat Angelum; & hoc non ſolum debet intelligi concomitanter (inquit Auerſa) quia producit naturam cui conuenit ſubſiſtentia ſuppoſiti conſtitutiua, ſed propriè, & formaliter, quod producat rationem ipſam formalem, per quam conſtituitur ſuppoſitum. Alij è contra contendunt ſubſiſtentiam proximè, & immediatè natura produci, remotè ſolùm, & mediatè à generante, ita Lichet. 3. d. 1. q. 1. Medin. p. 3. q. 4. art. 2. Suarez diſp. 34. Met. ſec. 6. tom. 1. p. 3. diſp. 7. ſec. 3. dub. 3. Hurtad. diſp. 11. Met. ſec. 9. Card. de Lugo ſec. 7. cit. nu. 144. quorum præcipuum fundamentum eſt, quia paſſiones connaturales dicuntur communiter proximè dimanare, & reſultare ab eſſentia, quarum ſunt paſſiones ob neceſſariam connexionem, quam habent cum ipſa, ſed maiorem vtiq; connexionem habet cum natura modus ſubſtantialis propriæ ſubſiſtentiæ, quam aliæ naturales proprietates, ergo &c.

Cæterum, vt benè adnotarunt Ariag. diſp. 5. cit. ſec. 3. ſubſec. 3. & Ouied. punc. 6. cit. nu. 19. nulla eſt ratio conuincens pro vna, vel altera parte, non quidem ratio priorum, quia principium illud abſolutè falſum eſt, nam calor ſeparatus agit, & anima ſeparata intelligit, vndè melius diceretur actiones eſſe ſingularium, vt loquitur Ariſt. 1. Met. non verò ſuppoſitorum, & quo modo hoc debeat intelligi dicetur infrà q. vlt. tum quia vt ait Ouied. conceſſo, quod natura debeat ſupponi ſubſiſtens ad alios effectus à ſubſiſtentia diſtinctos producendos, non ſequitur ita quoque debere ſupponi ſubſiſtentem ipſam ſubſiſtentiam producendam; ſicut à pari ad producendam, vel recipiendam præſentiam non debet ſupponi ſubiectum præſens, & ſi ad alios effectus ſic debeat ſupponi, ſic etiam tenendo quantitatem dare extenſionem ſubſtantiæ, non ſequitur, quod ſi ſubiectum ſupponitur extenſum ad recipienda accidentia corporea, ſic etiam ſupponi debeat ad recipiendam quantitatem cum per ipſum fiat formaliter extenſum, & ſic in alijs ſimilibus formis. Nec minus vrget illa confirmatio, nam ſicut actiones non propriè dicuntur ſuppoſitorum principiatiuè, ſed ſingularium, ita etiam terminatiuè; ſufficit enim quod actio attingat quid certum, ac deſignatum in rerum natura per ipſam productum, ad quod ſufficit ſingularitas ſine ſubſiſtentia; & ſufficit vt actiones dicantur ſuppoſitorum terminatiuè, concomitanter tantùm, & conſecutiuè, vt dicebatur in argumento, vt nempe actio ad talem naturam terminetur, ad quam conſequitur ſubſiſtentia, licèt non per illam primam actionem formaliter, cuius oppoſitum non probat Auerſa. At neque etiam eſt ratio conuincens pro altera parte, nam ſi teneatur ſubſiſtentiam eſſe aliquo pacto neceſſariam ad agendum ſaltim vt conditionem, tunc cernitur manifeſta diſparitas inter ſubſiſtentiam naturæ, aliaſque eius proprietates, nam antè ſubſiſtentiam non haberetur in natura quicquid ad agendum, & operandum deſideratur, benè tamen antè alias proprietates & ideò iſtæ benè poſſunt à natura dimanare, & tribui naturæ, vt proximo principio, non ſic ſubſiſtentia, ſed hæc debebit ab eodem agente produci, à quo natura producitur; & adhuc conceſſo ſubſiſtentiam nullo pacto eſſe neceſſariam ad agendum ſed ad actiones ſe habere merè materialiter, & concomitanter, adhuc eſt diſparitas inter ſubſiſtentiam, & alias proprietates connaturales, quia adhuc intimior eſt, ac immediatior naturæ, quam aliæ paſſiones, ſeu accidentia connaturalia (hæc enim intelligimus pro paſſionibus in præſenti, vt communi modo loquendi conformemur) adeout ob talem intimitatem, & immediationem non ab ea produci debeat, ſed potius ſimul cum ipſa ab eadem cauſa, quia eſt adeò naturæ intima, vt cenſeatur omninò illi coæua. Cum igitur determinari non poſſit, quæ re vera ſit cauſa efficiens huius poſitiuæ entitatis, quam aiunt ſubſiſtentiam importare, præſtabit negare talem entitatem poſitiuam importare per ſubſiſtentiam, quam effectum poſitiuum admittere, cuius efficientem cauſam aſſignare non poſſumus.

Difficultas Sexta.

89 SExta difficultas, & quidem magni momenti eſt theologica, nam diſputatur ab ipſis an perſona creata, vt ſic, potuerit à Verbo hypoſtaticè aſſumi, ideſt an non ſolum natura potuerit aſſumi, ſed etiam perſonalitas ab ipſa formaliter, vel ſaltim natura creata retenta adhuc propria perſonalitate. Et quia Hectorius duas eſſe perſonas aſſerebat in Chriſto diuinam, & humanam, ne videantur Theologi huic hæreſi fauere, omnes ferè reſpondent negatiuè exceptis paucis quibuſdam Recentioribus, vt teſtatur Card. de Lugo diſp. 12. cit. ſec. 6. nu. 68. Et quidem in ſententia de negatiuo facillimè oſtenditur hæc impoſſibilitas, vt notat Doctor 3. d. 5. q. 2. §. *ad aliam quæſtionem*, nam ſi ſermo ſit de perſonalitate ſola, ſi hæc ponatur in ſola negatione conſiſtere dependentiæ actualis, & aptitudinalis ad alienum ſuppoſitum, ſequitur euidenter ipſam non eſſe aſſumptibilem, quia quod non eſt quid poſitiuum, non aſſumitur, nec aſſumi poteſt, quia fundare nequit realem, & poſitiuam vnionem ad aliud ſuppoſitum, ſi vero ſermo ſit de natura perſonata, ideſt pro toto aggregato ex natura ſingulari, & perſonalitate ſequitur etiam euidenter in hac opinione non poſſe naturam creatam retenta propria perſonalitate vniri in ſenſu compoſito alteri ſuppoſito, quia vt arguit Doctor loc. cit. contradictoria verificarentur de eadem natura, nam ex eo, quod aſſumeretur actualiter dependeret ad aliud, & ex eo, quod ſupponitur in ſe perſonata, ſeu retinere propriam perſonalitatem, actualiter non dependeret ad aliud, & ſic ſimul & ſemel dependeret ad aliud, & non dependeret ad aliud.

Cæterum in opinione de poſitiuo difficile ſaluatur, quin potuerit perſona, vt ſic, aſſumi à diuino ſuppoſito in vtroq; ſenſu: nam ſi loquamur de perſona pro formali, ideſt de ipſa perſonalitate, licèt fateantur omnes ipſam eſſe entitatem inaſſumptibilem, difficulter tamen reddũt huius rei ratione, quia omnes poſitiuum creatum videtur aſſumptibile cum omne ens tale ſit in perfecta potentia obedientiali ad Deum, vt arguit Doctor 3. d. 1. q. 1. art. 3. §. *Contra primam viam*. Neque valet communis Aduerſariorum ſolutio illud ſolum eſſe aſſumptibile, quod pertinet ad veritatem naturæ humanæ, ſeu ad formalem hominis conſtitutionem, ad quam non pertinet perſonalitas. Non valet, quia in primis ſi perſonalitas dicit quid poſitiuum, non poteſt aſſignari ratio, cur magis ſingularitas, quam perſonalitas ad veritatem naturæ humanæ pertineat. Tum quia neque etiam ſingularitas pertinet ad rationem naturæ humanæ, & eſſentialem hominis conſtitutionem, vt ſic, & tamen ponitur aſſumptibilis, & de facto aſſumpta à Verbo. Tum quia ſemper vrget ratio Scoti, quod omnis poſitiua entitas creata, vel creabilis eſt æquè in potentia obedientiali ad Deum, & ideo tenentur aſſignare rationem, cur omnis entitas poſitiua pertinens ad rationem naturæ ſit aſſumptibilis, non autem omnis ratio pertinens ad rationem perſonæ, alioquin manifeſta petitio principij committitur, quia id eſt, quod argumentum probat etiam perſonam, vt ſic, eſſe aſſumptibilem, ſi perſonalitas dicit quid poſitiuum, cum ſit æquè in potentia obedientiali ad Deum; ex hoc enim, quod ſit inaſſumptibilis, nos ſtatim deducemus non eſſe entitatem poſitiuam.

90 Propterea Suarez p. 3. tom. 1. diſp. 14. ſec. 1. ne videatur principiũ petere,

petere, conatur assignare rationem, cur personalitas non sit in potentia obedientiali, vt possit assumi, & rationem reddit, quia licèt personalitas dicat quid positiuum, non tamen est assumptibilis, quia est modus existendi per se incommunicabiliter, & ideò contradictionem implicat, quod ille modus communicetur alteri, assumi autem personaliter est communicari alteri; ergo personalitas formaliter est incommunicabilis, & inassumptibilis, affert exemplum, nam inhærentia formaliter includit repugnantiam essendi per se, licèt enim accidens possit esse sine subiecto, tamen modus essendi accidentis, scilicet illa inhærentia formaliter includit repugnantiam essendi per se formaliter, & ideò illi repugnat per se esse, & existere; ita illi modo, qui dicitur personalitas, repugnat assumi, & terminari ab alia persona, & alteri communicari ex sua ratione formali. Contrà, quia si hæc ratio deducta ex conditione modi, qui non potest suum effectum formalem communicare, nisi solum illi rei, cuius est modus, quia illi soli est alligatus, & affixus, sufficiens est ad ostendendam inassumptibilitatem, & incommunicabilitatem meæ v.g. subsistentiæ alteri suppositò, tunc idem quoque poterit concludi de omnibus alijs entitatibus modalibus, quod sint inassumptibiles, & alteri incommunicabiles, quia hoc est de ratione cuiuscunque modi, vt suum, effectum communicare nequeat, nisi illi rei, cuius est modus. Dices hanc rationem non deduci ex ratione generali modi, sed speciali talis nempe modi, qualis est subsistentia, qui est modus existendi per se incommunicabiliter. Contrà, quia ipsa est incommunicabilis naturæ singulari, quam afficit, & quam tu dicis reddere incommunicabilem, & illa pars subsistentiæ, quæ est in manu, vnitur cum alia parte subsistentiæ, quæ est in brachio; ergo non est per se primò incommunicabilis. Deinde suprà n. 79. ostendi, quod si subsistentia ponitur esse quid positiuum, potius dici debet res, quam modus cum ponatur entitas absoluta, & cum ponatur esse substantia, poterit per Dei potentiam à natura separari, & per se existere, si enim potest id Deus facere de accidente absoluto, vt fides docet in Sacramento Eucharistiæ, quantò magis poterit hoc facere de substantia? eo autem quod per se existeret, tunc posset assumi; vndè etiam illud exemplum de inhærentia non est ad rem, quia inhærentiæ repugnat omnimoda perseitas, seu per se existentia, non autem subsistentiæ, quæ ponitur positiua, repugnat omnimoda incommunicabilitas, vt ostensum est; imò exemplum illud potius est ad oppositum, quia ideò modus inhæsionis non potest per quamcunque potentiam per se existere, quia est entitas relatiua, quæ necessariò versatur inter hæc extrema, quibus sublatis ipsam quoque interire necesse est, at hæc subsistentia positiua ponitur entitas absoluta, & substantialis, vndè nihil prohibet quin possit per se existere, & per se existens assumi.

91 Sed adhuc cum maiori difficultate saluatur, quin possit assumi persona pro substrato, ideò natura personata retenta adhuc propria personalitate, vndè & ipse Card. de Lugo, qui cum alijs antiquioribus Theologis tenet hoc esse impossibile, fatetur difficilè posse rationem efficacem adduci, qua ostendatur talis impossibilitas, quo factum est vt Recentiores quidam Theologi contrà omnem antiquitatem ausi sint asserere posse de potentia Dei absoluta naturam creatam simul terminari personalitate propria, & aliena, quia nullam videtur rationem efficacem allatam ab antiquis Theologis pro opposita parte, vt experimentum fieri potest aliquas percurrendo alijs multis prætermissis, quas Suarez loc. cit. reijcit, vt inefficaces. Caiet. 3. par. quæst. 4. art. 2. probat quia natura per propriam personalitatem terminatur intensiuè, & extensiuè, & ideò propria personalitas non admittit consortium alterius personalitatis. Sed hæc est manifesta petitio principij, dicere enim quod natura propria personalitate terminatur intensiuè, & extensiuè perindè est, ac si diceret naturam ita terminari per eam, vt non possit simul alia personalitate terminari, vt benè notauit Aret. 3. dist. 5. quæst. 2. art. 2. Rursus probat Caiet. quia ex illo modo, quo humanitas terminatur propria personalitate, sequitur, quod dum sic terminata est, non possit assumi, quin assumatur talis personalitas propter naturalem connexionem, quam inter se habent. Sed neque hæc ratio valet, vt notauit idem Aretin. quia cum personalitas sit res, vel modus rei à natura realiter distinctus, nihil repugnare videtur humanitatem assumi, quæ est capax assumptionis, manente personalitate inassumpta, quia est incapax talis assumptionis secundum eos; alias item rationes ibi adducit Aretin. quas reijcit, vt inualidas. Et quia ipse probabiliter opinionem de positiuo defendit, subdit quod in ea opinione talis impossibilitas sic posset ostendi dicendo, quod natura constituitur quidem in esse personæ per aliquod positiuum, illam tamen entitatem positiuam necessario consequitur duplex illa negatio actualis, & aptitudinalis dependentia, atque ideò si persona assumeretur, adhuc sequeretur contradictio, quam in ea quæstione infert Doctor, scilicet quod eadem persona penderet, & non penderet.

92 At neque hæc ratio est valida, nam Doctor loc. cit. 3. d. 5. q. 2. §. *ad aliam quæstionem*, inquit illam rationem ex via contradictionis deductam optimè concludere in opinione de negatiuo, quod scilicet eadem natura penderet, & non penderet ab alieno suppositò, at opinantes personalitatem esse quid positiuum oportere aliam rationem assignare quare persona non possit assumi, seu natura personata retenta propria personalitate, quamuis autem Doctor non declaret, quomodo illa ratio teneat in opinione de negatiuo, non verò de positiuo, facilè tamen declarari potest ex principijs eorum, qui personalitatem statuunt in positiuo, siquidem vt constat ex dictis quæst. 3. art. 2. personalitati tribuunt non tantùm effectum negatiuum excludendi à natura per ipsam terminata aliam personalitatem, sed alium quoque effectum positiuum, & primarium, qui nimirum sit naturam terminare, eique vltimum complementum substantiale adferre, vt benè explicat Card. de Lugo sect. 3. num. 34. ad quem effectum primarium terminandi, & complendi naturam dicunt postea connaturaliter consequi alium secundarium negatiuum, scilicet excludendi à natura per ipsam terminata aliam subsistentiam, sicut vniuersaliter de quacunque positiua forma contingit, quæ præter effectum suum formalem primarium, quem subiecto præstat suæ naturæ proportionatum, secum naturaliter affert aliud secundarium, qui est expulsio, & exclusio alterius formæ incompossibilis ab eodem subiecto; certum est autem apud omnes Theologos, quod licet nequeat Deus per suam potentiam effectum primarium formæ in subiecto existentis impedire, quia id manifestam includit repugnantiam, potest tamen impedire secundarium, scilicet exclusionem alterius, formæ in eodem subiecto, hac enim ratione dicitur Deus posse ponere duo corpora in eodem loco, & duo contraria in summo in eodem subiecto, vt dictum est suo loco. Quamuis ergo verum sit in opinione de positiuo ad entitatem illam positiuam, qua natura in se personatur, sequi connaturaliter, & ex exigentia naturæ personatæ exclusionem, vel negationem coniunctionis cum alia personalitate, supernaturaliter tamen potest impedri hic effectus secundarius negatiuus, quo semel impedito natura propria personalitate retenta poterit adhuc vniri alieno suppositò; in sententia autem de negatiuo id fieri nequit, quia subsistentia alium effectum non habet, nisi præcisè negatiuum, & est facere naturam formaliter non vnitam alteri suppositò, quæ negatio tolli non potest, nisi ponendo dictam vnionem; vnde patet, quomodo re vera illa contradictio sequitur in opinione de negatiuo, quod natura actu penderet, & non penderet, non tamen in sententia de positiuo, quia Deus impediret in natura personata in se, ac etiam assumpta sequelam talis negationis.

93 Verùm adhuc Card. de Lugo sect. 6. cit. num. 73. *nititur* ostendere ex hoc sequi aliquam contradictionem, nam ex vi propriæ *subsistentiæ* natura sistit in seipsa, nec tendit vlterius ad aliud oppositum, ex vi alterius ponitur in alio suppositò; at esse in se, & esse in alio sunt termini virtualiter contradicentes, ergo nequit natura terminari propria subsistentia simul, & aliena; Attamen ex eadem doctrina, quam hic ipse Auctor alibi approbat in eadem disp. facilè soluitur hoc argumentum ab Ouuied. controu. 6. cit. punct. 5. num. 10. naturam enim in se sistere, duo dicit, vnum positiuum, aliud negatiuum, dicit positiuum naturam habere proprium terminum, ex vi cuius alio non indiget, & constituitur actu vndequaque completa, dicit tanquam quid negatiuum naturam non terminari alia subsistentia; primum illud positiuum est effectus primarius subsistentiæ inseparabilis ab illa; secundum istud negatiuum est effectus secundarius subsistentiæ; sicut est negatio frigiditatis in subiecto effectus secundarius caloris informantis subiectum, qui secundarius effectus à primo distinguitur, & est separabilis ab illo; benè ergo dicitur in argumento, quod illi termini esse in se, & esse in alio sunt termini virtualiter contradicentes, & non formaliter quatenus nimirum natura sub propria personalitate petit ne terminetur aliena, attamen cum ista exigentia stare potest oppositum exigentiæ, vt dicitur de alijs formis incompossibilibus in ordine ad potentiam Dei absolutam, conseruando simul in eadem natura cum propria subsistentia etiam personalitatem alienam; & tunc sequitur tantum eandem naturam esse in proprio suppositò, & in alieno, non autem esse in proprio suppositò, & non esse in proprio suppositò, esse in alieno, & non esse in alieno, sicut si Deus corpus meum modò in schola existens constitueret simul, & semel in Ecclesia, vel Choro, tunc vtique valeret dicere, quod essem in schola, & essem extrà scholam, scilicet in Choro, non tamen inferre, quod essem in schola, & non essem in schola; atque ideò tandem fatetur Lugo, neque hanc rationem esse conuincentem.

94 Hac itaque de causa Hurtad. disp. 11. Met. sec. 8. num. 24. Arriaga disp. 4. Met. sec. 13. subsec. 4. & Ouuied. loc. cit. nu. 8. tenent nullam esse implicantiam personam posse assumi, ideò naturam retenta propria personalitate simul quoque alia terminari, quod hac ratione probant ineluctabili quidem in opinione de positiuo, subsistentia propria non constituit naturam formaliter non vnitam alteri suppositò, sed tantum habet vt possit per seipsam exigere, ne natura quam afficit, vniatur vel terminetur per aliam subsistentiam, ergo non implicat naturam personatam assumi in sensu composito, consequentia patet, quia indè non sequuntur contradictoria formaliter, scilicet naturam esse vnitam, & non esse vnitam alteri suppositò, sed tantum sequuntur contradictoria virtualiter, scilicet naturam esse in proprio suppositò subsistentem, & simul in alieno; probatur antecedens naturam non esse vnitam alienæ subsistentiæ dicit formaliter negationem vnionis cum subsistentia aliena, esse verò terminatam per propriam subsistentiam dicit formaliter propriam subsistentiam efficientem naturam, ergo naturam esse terminatam hac subsistentia, & carere aliena sunt effectus distincti, sicut distinguitur positiuum, & negatiuum. Hæc, inquam, ratio ineluctabilis est in opinione de positiuo, verum in sententia de negatiuo statim soluitur negando antecedens cum eius probatione, quia cum iuxta illam personalitas propria dicat formaliter negationem vnionis naturæ cum alio suppositò idem prorsus est formaliter naturam esse propria subsistentia terminatam, quod non esse alteri vnitam, neque in personalitate ipsa distingui

stingui potest effectus positivus, & negativus, quia re vera nullum prorsus effectum positivum exhibet subsistentia erga naturam, vt dixi quæst. 3. art. 2. Vt igitur teneamus cum communi Theologorum personam esse inassumptibilem, ne vllum prorsus fomentum detur hæresi Nestorianæ, melius est defendere opinionem de negativo, quia iuxta aliam opinionem non potest euidenter ostendi contra Nestorium, quod sola natura fuerit assumptam, & non persona.

Dices sufficienter Nestorium ex hoc conuinci, quia non potest naturaliter eadem natura duplici subsistentia terminari, vnde ex eo quod fide doceamur humanitatem esse à Verbo assumptam, & subsistere subsistentia Verbi, optimè Patres, & Consilia intulerunt solam naturam fuisse assumptam, non vero personam, cum non sint multiplicanda miracula sine necessitate. Sed Contra hoc perbellè instat Card. de Lugo sect. 6. cit. num. 69. quia tantum, & fortasse maius miraculum est auferre à natura substantiali completa propriam subsistentiam, quam conseruare propiam subsistentiam cum aliena, nam sicut datur per te repugnantia solum naturalis, & non essentialis inter duas illas subsistentias; sic repugnat etiam naturaliter, & multo magis manere naturam completam sine propria subsistentia, quæ est passio ei connaturaliter debita; Cur ergo magis dicendum est auferri propriam subsistentiam, ne subsistat miraculosè eadem natura per duplicem subsistentiam, & non potius manere propriam subsistentiam, ne maneat natura sine passione connaturaliter debita; quod argumentum simile est illi, quo vtitur Doctor 4. d. 10. quæst. 2. E. ad probandum quod si Deus potest ponere idem corpus in pluribus locis definitiuè, & sacramentaliter, tanto magis circumscriptiuè, ac dimensiuè, quia prius est miraculum maius, quam posterius.

95 Respondet Ouuied. cit. num. 13. supposita subsistentia Verbi terminante naturam humanam nullum esse miraculum hanc carere propria subsistentia, quia etsi subsistentia debita sit naturæ completæ, quando caret aliena, & idem debitum sit carere aliena, vt habeat propriam, non tamen debita est eidem naturæ propria subsistentia ex suppositione, quod habeat alienam, sicut non est debita frigiditas aquæ ex suppositione, quod calore informetur, nam talis informatio supernaturalis esset supra id, quod debebatur aquæ, & contra id, quod debebatur calori, quo supponitur aqua informari. Contra, quia omnes ferè concedunt humanitatem in Verbo existentem habere inclinationem ad proprium suppositum, & appetitum ad propriam subsistentiam, vnde nituntur omnes declarare, quomodo adhuc stante tali inclinatione non existat natura assumpta violenter in Verbo; falsum ergo est naturam sub aliena subsistentia existentem non habere debitum propriæ, quia si habet inclinationem ad propriam subsistentiam, habet etiam debitum, quod in tali inclinatione fundatur. Confir. ex illo ipso exemplo adducto de frigiditate aquæ, quæ planè debita est aquæ sub calore existenti, nam si non esset ei debita in tali statu, certè talis status non foret ei violentus, seu neuter. Dices frigus nequit connaturaliter recipi in aqua perseuerante in ipsa calore. Contrà, quia cum dicimus calorem deberi aquæ existenti sub calore hoc vtique non debet intelligi reduplicatiuè, quatenus calidæ, quia sic non est capax frigoris, sed potius ei repugnat, sed specificatiuè, idest quæ est sub calore, nam in hoc sensu est capax eius, & ad tam naturalem habet appetitum; non ergo calor existens in aqua tollit ea debitum habendi frigus, sed tantùm in sensu composito. Demum ostendo maius miraculum esse absolutè loquendo humanitatem in Verbo carere propria subsistentia, quam si propriam haberet simul cum aliena, quia dum natura caret propria subsistentia, priuatur effectu primario eius, & aliqua perfectione, quam per ipsam acquireret, dum autem retinens propriam subsistentiam etiam terminatur aliena, tunc priuatur tantum effectu secundario subsistentiæ, qui est effectus quidam negatiuus, scilicet exclusio alterius subsistentiæ; ergo constituitur in primo casu in statu magis præternaturali, vel violento, quam in secundo, quia in eo priuatur effectu connaturali magis sibi debito, quam sit secundus; nam effectus primarius formæ per se, & primò competit, secundarius autem veluti per accidens, & secundariò, & ideò ille est magis sibi debitus, quam ille, ergo prius est maius miraculum quà posterius, & cum non sint præsumenda maiora miracula in mysterijs fidei, quando fieri possunt per minora, potius dicendum esset naturam in Verbo habere propriam subsistentiam simul cum diuina, si hoc est possibile fieri, quam carere propria subsistentia, & subsistere per solam Verbi subsistentiam, alias etiam rationes theologicas pro opinione de negatiuo adductũ Scotus, & Scotistæ in hac materia, sed quia sumus in Metaphysica, & non in Theologia, hæc sola ratio theologica sufficit.

96 Sed Contra objicit Suarez d. p. 34. Met. sect. 2. num. 17. quod potius in nostra sententia de negatiuo sequitur illud inconueniens, quod suppositum, & persona sit assumptibilis absolutè loquendo; probat consequentiam, quia sicut absolutè concedimus tenebrosum aerem posse illuminari, & animam separatam posse vniri corpori, quia esse tenebrosum, esse separatum solam negationem dicunt, ita concedendũ esset simpliciter suppositum posse assumi, vel vniri alteri, quod est cõtra doctrinam P.P. & Conciliorum, Vasq. loc. cit. fatetur hoc argumentum non vrgere, vnde illud soluit, quia non est par ratio de supposito respectu negationis dependentiæ, & aere respectu tenebrarum, quia tenebræ non sunt de essentia aeris, ideoque depulsis tenebris potest aer illuminari, at independentia, seu duplex negatio dependentiæ est de essentia suppositi ex Scoto, & ideò nulla ratione fieri potest, vt illud dicatur posse assumi. Hæc tamen solutio non placet, posset Suarez siquidem replicare, quod sicut tenebræ non sunt de essentia aeris, quem tenebrosum denominant, ita neque illæ negationes sunt de essentia naturæ, quam denominant independentem, & sicut illæ negationes sunt de essentia naturæ independentis, vt sic, seu personatæ, & suppositatæ, sic pariter tenebræ sunt de essentia aeris tenebrosi vt sic, sumendo illud pro aggregato ex subiecto, & negatione, vel priuatione, quo pacto albedo quoque dicitur esse de essentia hominis albi, vt sic. Ex alio ergo capite debet assignari disparitas, & est hæc, quod suppositum alium modum habet significandi suam negationem, quam importat, quam habeat aer tenebrosus in ordine ad significandam suam priuationem, nam *suppositum*, cum sit vnicum nomen & incomplexum significat naturam, & negationem adiunctam per modum vnius, & naturam suppositatam in sensu composito, itaquod ex modo significandi nequeat facere sensum diuisum, & specificatiuum, sed tantùm compositum, & reduplicatiuum, at *aer tenebrosus* cum sit terminus complexus significat subiectum, & priuationem in sensu diuiso, non composito, & ideò admittit sensum specificatiuum, idest significat aerem, qui est tenebrosus, nec facit sensum reduplicatiuum, nisi adiungatur particula reduplicatiua dicendo *aer tenebrosus, vt sic*, & hæc est ratio cur dici possit absolutè aerem tenebrosum posse illuminari, non verò suppositum posse assumi, & communicari, quia in se includit, & reduplicat negationem communicationis, vel communicabilitatis, vt benè notauit Poncius cit. num. 128. non autem quia aer tenebrobus dicat solam luminis negationem, vt aiebat Suarez, nam non minus verè, & propriè dicitur aerem tenebrosum posse illuminari, quam aquam si frigidam posse calefieri frigiditate depulsa, & parietem nigrum posse de albari, etiamsi albedo, & frigus dicant formas positiuas, & non simplicem negationem.

97 At rursus instat Suarez contra hanc responsionem num. 18. quia hic sensus compositus, quem facit suppositum significando naturam suppositatam, manifestum indicium est *suppositum* non significare de formali negationem, sicut *separatum, & tenebrosum*, sed significare positiuam formam constituentem suppositum, & fundantem illam negationem, ob quam suppositum dicitur inassumptibile, & incommunicabile. Et nisi ita dicamus, hæc propositio, suppositum non potest assumi, faciet sensum ridiculum, quia significabit naturam aliquam manentem independentem, & incommunicatam in sensu composito non posse dependere, & communicari, quod nihil est dictu; perindè enim est ac si diceretur animam separatam non posse vniri corpori intelligens non posse vniri manentem separatam. Resp. hoc argumentum quod totum in verbis consistit, & in modo loquendi, si benè ponderetur, etiam Aduersarios vrgere, quamuis enim personalitatem formaliter in positivo ponant, fatentur tamen ad illud positiuum sequi negationem communicationis, & sic etiam ob inuolutam negationem in nomine suppositi, illa propositio etiam in eorum opinione faciet sensum aliquo modo ridiculum, & nugatorium, quod scilicet non possit assumi cum positivo, ad quod necessariò sequitur negatio assumptionis, vel communicationis, quia tunc esset assumptum, & non esset assumptum, assumptum quidem ex hypotesi, non assumptum verò ob negationem necessariò connexam. Conf. quia etiam secundum ipsos suppositum dicit naturam singularem non alteri vnitam, vel communicatam, siue formaliter, & primò siue concomitanter, & secundariò, parum refert ad sensum negatorium euitandum, nam semper faciet sensum, quod natura independens, & incommunicata in sensu composito non potest dependere, & communicari. Negandum ergo est illam propositionem facere sensum falsum, & nugatorium, sicut istam, anima separata non potest vniri corpori, hæc enim propositio absolutè prolata est falsa, quia cum ex modo significandi faciat sensum diuisum, & specificatiuum, falsum est animam, quæ est separata, non posse vniri corpori, qui sensus vtique verus est, sed ridiculus, & nugatorius, quia sensus est animam non posse esse corpori vnitam, quamdiu separata manet; at non est talis sensus illius propositionis, suppositum non potest assumi, nam ille sensus est verus, & serius, ob rationem allatam, quia scilicet significat naturam, & negationem per modum vnius, & ex modo significandi facit sensum reduplicatiuum, & compositum, non autem diuisum, & specificatiuum.

ARTICVLVS III.

Argumenta metaphysica contra opinionem de negatiuo soluta.

98 CONtra nostram opinionem de negatiuo quamplura confarcinant argumenta Aduersarij tum metaphysica, tum theologica, quæ quidem seiunctim referenda sunt, & soluenda, primò quidem metaphysica, & posteà theologica; arguitur itaque ex Caiet. 3. part. quæst. 4. art. 2. alijsque Thomistis ibidem, substantia secunda constituitur per aliquid reale, & positiuum, ergo tantò magis substantia prima, quæ est suppositum, cum hæc sit maximè substantia, & perfectior illa ex cap. de substantia. Tum 2. quia omnes fatentur hæc nomina, hypostasis, persona, hic homo, & rursus hæc pronomina ego, tu,

tu, ille, significare formaliter substantiam, non verò negationem. Tum 3. suppositum, quatenus suppositum, dicit perfectionem, & hoc est perfectissimum in genere substantiæ, sed negatio nullam importat perfectionem cum sit non ens, ergo &c. probatur maior, nam quod addit suppositum creatum indiuiduæ substantiæ est de perfectione, & complemento substantiæ, vndè & subsistentia dici solet maxima perfectio in genere substantiæ, & hanc rationem vocat Suarez ostensiuam, & Ouuied. probat eandem maiorem punct. 2. nu. 12. quia si subsistentia non perficeret naturam, illamque compleret penitus otiosa esset, & nullum esset munus, seu formalis ratio, per quam posset constitui, vt dicit se probaturum puncto sequenti. Tum 4. quia tunc suppositum formaliter non significaret per se vnum substantiale, sed aggregatum quoddam ex natura reali, & negatione, quod tamen est contra communem loquendi, & concipiendi modum, cui rationi fidunt Scotistæ opinionem de positiuo tenentes, vt est videre apud Radam, & Centinum. Tum 5. quia negatio formaliter est nihil, vel ens rationis, ergo si suppositorum formaliter negatione constituitur, sequitur quod sit formaliter nihil, vel ens rationis. Tum 6. omnis negatio secundum ipsum Scotum fundatur in aliquo positiuo, & consequitur ad aliquam affirmationem priorem, & nulla negatio apud ipsum potest de se esse incommunicabilis, nisi per affirmationem, quam consequitur, & hac ratione ipsemet 2.d.3. q.2. contra Henricum probat indiuiduum addere aliquam positiuam differentiam speciei, ergo negatio communicationis, vel communicabilitatis, quam dicit suppositum in aliqua affirmatione priori fundari debet, ad quam consequatur. Tum tandem, quia hæc opinio de negatiuo non nisi verbis videtur differre ab opinione Durandi, qui dicebat naturam, & suppositum non differre, nisi penes modum significandi concretum, & abstractum, nam etiam Durand. fatetur in natura substantiali completa necessariam esse carentiam vnionis hypostaticæ ad alienam personam, vt possit suppositum appellari.

99 Resp. quod Arist. per primam substantiam intellexit substantiam singularem, & hanc appellauit maximè substantiam, & perfectiorem, & ideò in esse tali, scilicet singulari per negationem constitui non potest, quo argumento vtitur ipse Scotus 2.d.3.q.2.B. contra Henricum ad probandum singulare per negationem constitui nō posse; an verò prima substantia idem sit omninò, quod suppositum, ac inuicem conuertantur est quæstio inter Doctores, quorum aliqui affirmant, quia hæc est substantia omninò completa, & perfecta in genere substantiæ, & omnis talis est suppositum; alij negant, quia humanitas Christi est hæc numero humanitas, & singularis, & tamen non est suppositum. Sed vel hæc quæstio agitatur secundum mentem Arist. vel secundum veritatem, in primo sensu iam dixi supra num. 34. quod de mente Aristot. prima substantia, seu substantia singularis completa, & suppositum conuertuntur, nam etiamsi concedere velimus, quod aliquam agnouerit distinctionem inter singularitatem, & suppositalitatem (quod non omninò certum est) nō tamen tantam agnouit, quantam nouerunt Theologi per fidem, vt scilicet singularitas possit à suppositalitate separari, nam apud ipsum omnis substantia singularis completa est necessariò incommunicabilis, nedum, vt quod, sed etiam vt quo, & repugnantiam habet vt communicetur alteri suppositō, & ideò prima substantia, & suppositum in eius sententia sunt idem saltim materialiter, & conuertuntur; Si verò hæc quæstio agitatur secundum rei veritatem, tunc distinguendum est de significatione nominis primæ substantiæ, nam si per primam substantiam intelligatur solum substantia singularis, & indiuidua, tunc vtique non sunt idem substantia prima, & suppositum, quia humanitas Christi est hæc numero, & singularis, & tamen non est suppositum; si verò per primam substantiam intelligatur substantia omninò in se perfecta, & completa, & actualiter, ac aptitudinaliter independens ad alienum suppositum, tunc prima substantia, & suppositum in hoc sensu conuertuntur, vnde patet hanc esse quæstionem de nomine; in sensu itaque primo, quo substantia prima non est idem, quod suppositum, sed solum quod substantia singularis completa, argumenta nil prorsus concludit; in alio verò sensu, quo sunt idem, tunc dicendum cum Bassolio cit. primam substantiam, quæ dicitur suppositum, esse maximè substantiam, quatenus includit ipsam substantiam singularem, non verò quantum ad id, quod illi superaddit, quod est negatio; sicut etiam ipsa singularis substantia dicitur perfectissima, & maxima substantia, quantum ad singularitatem, quam superaddit naturæ communi contractæ, non autem quantum ad negationem diuisionis in plura inferiora, & communicabilitatis ad illa, quæ consequitur ad ipsam singularitatem.

100 Ad 2. concedo illa nomina, & pronomina in communi modo loquendi substantiam significare, & quidem rationabiliter, quia nomina illa nedum significant suppositalitatem, & personalitatem, sed etiam naturam, sicut etiam indiuiduum, vel singulare non significat indiuiduationem præcisè, sed compositum ex natura, & singularitate, & sic quia natura, quam significant, est substantia, ideò substantiam significare dicuntur, quia significant totum compositum ex natura, & suppositalitate. Adhuc tamen etiam in hoc puncto contingit controuersia ferè de nomine, cum enim in integro significato suppositi, vel personæ duo contineantur natura nempe, & negatio, quam personalitas importat, siue suppositalitas, disputatur, an personæ, vel suppositi nomen de primariò significato naturam dicat, & negationem connotet, num è contra, vel potius vtrumque dicat ex æquo hoc vltimum quidem asseri non potest, quia tunc conceptus personæ, & suppositi non esset per se vnus, quia ex positiuo, & negatiuo talis conceptus per se vnus coalescere nequit, per quem vtrumque ex æquo exprimatur, vt ergo saluetur eius per se vnitas, opus est, vt vnum formaliter importetur, aliud verò connotetur ex modo significandi principalis significati iuxta regulam, quam sæpè docet Doctor ad saluandā per se vnitatem conceptus concretorum, nam licet coalescat ex rebus diuersi generis, quando tamen vtrumq; non importatur ex æquo, vt pars talis conceptus, sed vnum, vt principale significatum, aliud verò, vt additum, tunc non impeditur per se vnitas conceptus, ita docui frequentius in Logica cum Scoto q.8. vniuers. in fine, & q.15. ad 2. & q.8. prædicatam ex 4.d.1.q.2.lit.A. & quol. 13. §. *De tertio principali*, vide d.2. Log.q.6.art.2. & disp.6.q.3.art.2. ergo in proposito, vt saluetur per se vnitas conceptus suppositi, & personæ opus est, vt vel natura importetur in recto, & negatio communicabilitatis connotetur, vel è contra, & siue hoc dicatur, siue illud pro rum refert, quia vtrumq. probabile iudicauit Doctor 1.d.23.q.vn.D. & E. cæterum, quia in toto, & integro personæ significato reperiuntur natura, & personalitas, & ex his personalitas habet rationem determinat ad esse personæ, hinc consequenter dicendum est per nomen personæ, atq. suppositi magis formaliter significari personalitatem, quam naturam, iuxtà regulam à Doctore assignatam 4.d.13. qu.1. I. quando sunt aliqua duo diuersa importata per vnum nomen, rationabile, est quod principaliter significet formalius, & connotet illud quod est materiale, illud autem censetur formalius quod magis habet rationem determinantis, & qualificantis, vt idem docet 4.d.11. q.1. E quale in proposito est personalitas respectu naturæ. Hinc qui personalitatem formaliter statuunt in positiuo, consequenter etiam dicunt personam de formali significare positiuum, & connotare duplicem illam negationem, vt Rada 1. part. controu. artic. 2. ita quod persona sit formaliter existentia incommunicabilis habens naturam intellectualem; qui verò eam statuunt in negatiuo, consequenter aiunt principalius importari nomine personæ negationem illam duplicem, & connotari naturam existentem, vt Bassol. 1.d.23. cit. ita quod persona formaliter sit incommunicabilitas habentis existentiam in natura intellectuali; quidquid de hoc dicatur quia vt dixi est lis ferè de nomine, parum refert ad præsentem difficultatem, quia quocunque modo dicatur semper verum est illa nomina, & pronomina significare substantiam siue de principali, siue de connotato.

101 Ad 3. quidam Scotistæ negant minorem, quia negatio etiam potest dicere perfectionem, si sit negatio imperfectionis, sicut est in proposito, quia personalitas est negatio dependentiæ ad alienum suppositum, quæ dependentia dicit imperfectionem in natura, quæ doctrina fuit Mairon. 1.d.24. q.2. & Poncio probatur hic num. 127. & disp.12.Log.q.1. num.8. oppositum tamen docui disp.5.Met.num.47. quod etiam hic docet Bassol. in fol. ad 2. vbi ait, quod nulla prorsus negatio potest esse perfectio etiamsi sit negatio imperfectionis, quia negatio cuiuscunque siue perfectionis, siue imperfectionis non est aliquid positiuum, & ideò nequit participare passionem, vel modum intrinsecum entis, qualis est perfectio; imò quando hæc doctrina esset vera, adhuc est malè applicata, quia falsum est, quod dependentia ad diuinum suppositum, in cuius negatione consistit creata personalitas sit imperfectio, cum potius sit maxima perfectio; itaque cum Bassol. dicendum, quod suppositum creatum secundum rationem suam formalem, & secundum illud, quod addit suprà naturam non dicit perfectionem, licet benè neget imperfectionem dependendi, vel innitendi naturam extrinseco suppositō, quod intelligendum est ex hypotesi, quod possit suppositum creatum terminare dependentiam alterius naturæ, tunc enim vtique talis dependentia imperfectionem poneret in natura dependente; & hæc est ipsissima Scoti doctrina quol. 19. vbi agit de hac materia, & infra lit. D. ait, quod entitas hypostatica non est simpliciter perfecta, vel simpliciter perfectio, & lit. K. inquit quod entitas hypostatica non est secundum quam aliquid formaliter perficitur, sed secundum quam recipit perfectionem vel, saltim determinatur ad perfectionem receptam; nec mirum hoc esse debet, quia nec suppositum diuinum, vt sic, vel potius diuina personalitas dicit perfectionem simpliciter (licèt nec dicat imperfectionem) vt probat Doctor quol. 5. vndè cum dicitur subsistere esse maxima perfectio, respondet Doctor ibi lit. V. quod subsistere sumi potest dupliciter vel pro per se esse, vel pro incommunicabiliter per se esse, primo modo dicit perfectionem, & perfectissimum esse, non autem secundo modo; & quando item dicitur suppositum esse perfectissimum in genere substantiæ, hoc non debet intelligi formaliter, quatenus dicit negationem, sed fundamentaliter, & præsuppositiuè, inquantùm personalitas præsupponit naturam completam in genere substantiæ, in qua fundetur; ad aliam denique probationem Ouuied. negatur personalitatem propriè, & positiuè naturam perficere, & complere, id enim nequit intelligi nisi negatiuè, quatenus scilicet excludit dependentiam à quocunque supposito extrinseco; & falsum est, quod si aliud munus positiuum non exerceret erga naturam, prorsus otiosa maneret, nam tantum præstat, quantum potest præstare negatio, falsum est insuper quod possit præstare munus positiuum, & ad eius probationes Puncto illo sequenti ab ipso cit. abundè dixi qu. 1. artic. 2.

Ad 4.

102 Ad 4. retorquet illud argumentum hic Poncius, sicut & alia nonnulla, quia hoc idem fieri posset contra singulare, quod in sententia communi Recentiorum per negationem constituitur; ergo tamen Recentiores non vidi tuentes singulare constitui per puram negationem, imò potius vnanimiter arguentes contra Henric. cui ea opinio tribuitur. Vndè melius retorqueretur ex dictis n. 77. vbi ostendi, quod si suppositum constituitur per aliquid positiuum naturæ singulari superueniens, cum id adueniat naturæ singulari actu existenti, & completæ in genere substantiæ, erit accidens, & sic cum natura singulari faciet vnum per accidens; ad argumentum igitur concedit Bassol. suppositum, vt sic, non esse aliquid per se vnum, benè tamen singulare, & indiuiduum, quod includitur ipso, & ratione illius suppositum dicitur per se vnum, & vniuersale in concreto prædicatur de ipso supposito, non autem ratione negationis, ita etiam respondet Rubion. 3. dist. 2. q. 2. Vel dicas, vt in solutione ad 1. adhuc saluari vnitatem conceptus personæ, quia non ex æquo importat positiuum, & negatiuum, vt partes eius constitutiuas, sed vnum significat, & aliud connotat, quod vnitatem conceptus non impedit ex Scoto loc. cit. hanc eandem difficultatem mouet Lichet. 3. dist. 1. quæst. 1. in § *non asserendo*, cui etiam ipse respondet, quamuis enim steterit pro opinione de positiuo, non tamen admodum efficacem credidit. Dices, hoc argumentum fieri in terminis à Doctore 2. d. 3. q. 2. B. contra Henricum, qui dicebat singulare per negationem constitui, ac item in terminis refelli solutionem à nobis ex Bassol. adductam, argumentum enim quod facit, est huiusmodi; de singulari per se primò prædicatur illud, cuius est singulare, sed de aliquo ente accepto sub negatione non prædicatur per se aliqua entitas ratione totius subiecti, quia totum non est per se vnum; si ratione partis, scilicet ratione naturæ inclusæ, tunc non est prædicatio superioris de inferiori, sed eiusdem de seipso, ita Doctor, sed hæc est nostra responsio modò data, quod scilicet vniuersale prædicatur de supposito ratione indiuidui, vel singularis inclusi; ergo non est idonea, nec ad mentem Doctoris. Negatur hæc consequentia, nam argumentum optimè procedit contra singulare, quod per negationem non constituatur, non autem contra suppositum, vel personam, ratio est, quia si natura communis v. g. humanitas prædicatur de Petro non ratione totius subiecti, sed ratione naturæ inclusæ, tunc humanitas de seipsa præcisè prædicaretur, vt infert Doctor, & sic non esset prædicatio superioris de inferiori, sed eiusdem de seipso; at non est ita in proposito, quia cum dicitur *Petrus est homo*, intelligendo de supposito, humanitas non prædicatur de seipsa, sicut in primo casu, si singulare per negationem constitueretur, sed prædicatur de hoc homine singulari, qui dicitur Petrus, & ratione huius humanitatis singularis in supposito inclusæ dicitur etiam de supposito; vndè iuxtà allatam solutionem potest benè humanitas quidditatiuè, & se prædicari de hac humanitate singulari, quæ in hoc supposito reperitur, & de ipso quoque supposito dicetur prædicari, quia dicitur de natura singulari, vt connotat illas negationes, quas dicit suppositalitas, vndè non sequitur idem de seipso prædicari, sicut sequeretur, si singulare per negationem constitueretur, & ratio est, quia natura, quæ est pars singularis, & indiuidui est ipsa natura communis contracta per talem differentiam, vndè non distingueretur id quod prædicatur, & de quo prædicatur: sed natura quæ est pars constitutiua suppositi, est natura singularis ipsa, quæ recipit per se prædicationem naturæ communis, vndè non est idem quod prædicatur, & id de quo prædicatur.

103 Ad 5. negatur consequentia, nam aliud est loqui de suppositalitate, & aliud de supposito ipso, suppositum namque duo dicit & naturam singularem, & illam duplicem negationem, vt dictum est ad 2. suppositalitas verò est præcisè duplex illa negatio; conceditur ergo negationem illam esse nihil positiuum, licèt concedendum non sit esse ens rationis, cum sit vera, & realis negatio consequens naturam singularem ex natura rei ante quodcunque opus intellectus, vt notat Doctor 1. dist. 23. quæst. vn. sed negatur quod indè deducitur, suppositum esse formaliter nihil, quia suppositum præter negationes naturam singularem includit, siue naturam singularem præferat negationes connotando, siue negationes importet connotando naturam, parum refert, & ideò non debet dici nihil. Ad 6. respondet ipse Doctor 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. §. *per hoc ad argumenta*, dicens maiorem non esse vniuersaliter veram, sed verificari tantùm de negatione, quæ ab intrinseco prouenit, & repugnantiam inducit in subiecto ad oppositam affirmationem, talis est negatio irrationalitatis in homine, & ideò fundatur necessariò in aliquo positiuo, ratione cuius necessariò ei competit, & hæc est rationalitas; talis etiam est negatio communicabilitatis, vt quod, in indiuiduo, quia omninò repugnat ei in plura diuidi, de quibus prædicetur per modum superioris, & ideò talis negatio conuenire illi debet per aliquam entitatem positiuam, in qua fundetur, & ad quam indispensabiliter consequatur, talis autem non est negatio communicationis, vt quo, naturæ singularis ad aliud suppositum, nam talis negatio conuenit illi contingenter, & extrinsecè, idest per defectum causæ extrinsecæ assumentis, à qua non assumitur, & quia non assumitur, ideò in se personatur per illam negationem, vndè quia talis negatio accidentaliter conuenit naturæ, & merè ab extrinseco, non debet dari positiuum, quod sit illius causa, vt patet de negatione lucis in aere, quæ quia contingenter ei conuenit, & ab extrinseco ex absentia nempe coloris luminosi, ideò non conuenit aeri per aliquam entitatem positiuam ipsi intrinsecam. Dices, quod licèt id dici possit de negatione actualis communicationis ad alienum suppositum, non tamen de negatione aptitudinalis, hæc siquidem conuenit naturæ substantiali ab intrinseco, quia quantum est ex se petit in se, & per se existere, propterea natutæ debet conuenire per aliquid positiuum, & tale erit entitas ipsius naturæ, quia ista negatio se habet, vt passio, fluens ab ipsa natura; & ideò non benè explicatur ratio personalitatis per duplicem illam negationem communicationis, & communicabilitatis. Respondetur hoc totum gratis esse concessum etiam de mente Doctoris quol. 19. art. 3. Y. supra in hac disput. num. 57. vbi dictum est negationem communicationis aptitudinalis non pertinere ad formale constitutiuum personæ, sed tantùm fundamentaliter, & præsuppositiuè.

104 Ad vlt. negatur assumptum, etenim Durand. ponebat rationem formalem suppositi in entitate naturæ in concreto significatæ, & hinc solùm ratione differre à natura, nos autem ponimus distinctionem realem inter suppositum, & naturam, non quidem positiuam, quia suppositalitatem dicimus esse negationem, sed negatiuam, qualis est inter ens, & non ens, fateorque libenter posse Durandum benignè interpretari, quod dum ait suppositum nihil superaddere singulari naturæ, non fuerit eius mens, quod nihil omninò superaddat nec positiuum, nec negatiuum, sed solùm asserere voluit, quod non addat quid positiuum, licèt in modo loquendi aliqualiter excesserit. Dices cum Rada adhuc contra opinionem de negatiuo vrgere argumentum, quod fiebat contra opinionem Durandi, nam adhuc suppositum, & natura possent per identitatem de se inuicem efferri, dicendo, quod Petrus est sua humanitas, probatur consequentia, nam adhuc secundum hunc dicendi modum natura, & suppositum non differunt, nisi secundum modum significandi, & non per aliqua realia positiua. Negat consequentiam Bassol. citat. in sol. ad 5. nam ratio, quare natura non prædicatur per identitatem de supposito, licèt nihil reale positiuum naturæ superaddat, est, quia ad prædicationem per identitatem opus est, quod vtrumque extremum, vel alterum ipsorum sit infinitum formaliter, vel saltim permissiuè, & per consequens, quod sit positiuum, quod in proposito non contingit. Addo in opinione de negatiuo non posse illam prædicationem verificari per identitatem eadem ferè ratione, qua non verificatur in opinione de positiuo, in ea namque ideò non verificatur hæc propositio, Petrus est sua humanitas, quia Petrus non est sua humanitas præcisè, sed aliquid plus, at sic etiam est in opinione de negatiuo seruata proportione, quia Petrus est aliquid plus, quam sua humanitas, non quidem positiuum, sed negatiuum, quod sufficit ad falsificandam illam prædicationem per identitatem, quia complexum ex humanitate, & negatione distinguitur ab humanitate præcisè sumpta.

105 Secundò principaliter arguitur ad idem, nulla imperfectio repugnat alicui enti, nisi propter aliquam perfectionem illi conuenientem, quæ est entitas positiua, sed dependere ad aliud suppositum est imperfectio, quæ repugnat supposito, & non per naturam, quia Verbum assumpsit naturam hanc, non tamen subsistentem, ergo per aliquam entitatem illi superadditam, maior probatur, imò totum argumentum ex Scot. 2. d. 3. q. 2. lit. B. vbi ob id asserit naturam per aliquid positiuum indiuiduari, quia per indiuiduationem excluditur imperfectio à natura, scilicet diuisibilitas, & diuidi. Tum 2. quia non magis ex se determinatur natura ad suppositalitatem, quam ad singularitatem, imò minus, quia natura creata potest stare sine propria suppositalitate, non autem singularitate; sed ad singularitatem determinaretur per aliquid reale positiuum naturæ superadditum, vt constat ex dictis disp. præced. ergo tantò magis ad suppositalitatem. Tum 3. modus essendi accidentis non est perfectior modo essendi substantiæ, sed modus essendi accidentis, qui est inhærere, dicit aliquid positiuum, ergo & modus essendi substantiæ, qui est subsistere. Tum 4. accidens dependet vltimatè ad suppositum substantiæ, ergo suppositum constituitur in esse suppositi per aliquam entitatem realem, probatur consequentia, quia terminus realis dependentiæ debet esse realis, probatur assumptum, quia dependentia accidentis est rei communicabilis, quæ nequit terminari, nisi ad omninò incommunicabile, quale solùm est suppositum substantiæ. Tum 5. Scotus 3. d. 1. qu. 4. vult suppositum creatum posse saltim formaliter, si non effectiuè, alienam sustentare naturam, quod dici non potest, nisi constituatur per aliquam positiuam entitatem in esse tali. Tandem arguitur ex muneribus, quæ personalitas exercet circa naturam, nam natura dicitur sustentari in proprio supposito, dependere ab illo, illi inniti, item inclinari in propriam personalitatem, ab eaque perfici, & completi, quæ quidem omnia sunt munera positiua.

106 Resp. ad 1. Doctor ipse 3. d. 1. q. 1. art. 3. & quol. 19. art. 3. vbi argumentum adducit in terminis, quod si dependere ad alienum suppositum repugnaret simpliciter naturæ creatæ singulari, sicut ei repugnat diuidi in plura, de quibus prædicetur, repugnaret ei necessariò per aliquod positiuum, sed nulli naturæ creatæ potest sic repugnare, quia omnis entitas creata non solùm dependet ad increatum, vt ad causam, sed etiam potest dependere hac speciali dependentia, ita Doctor; pro perfectiori tamen argumenti solutione addendum est maiorem, & minorem in argumento assumptas absolutè prolatas non esse vniuersaliter veras, non quidem maiorem, quia vt notat Lichet. 2. dist. 3. quæst. 2. §. *in istis tamen* relationibus diuinis personas constituentibus simpliciter, & absolutè repugnat

omnis imperfectio, & tamen ipsæ formaliter nullam dicunt perfectionem, cum sint entia non quanta ex Scoto quol. 5. vndè non semper opus est, quod positiuum excludens simpliciter imperfectionem ab aliquo importet formaliter perfectionem, sed sufficit, quod non dicat imperfectionem; imò inquit Bassolius cit. in sol. ad 2. quod excludere aliquid imperfectionem formaliter eo modo quo negatio excludit affirmationem, potest conuenire alicui, quod non dicit perfectionem, quia nulla negatio dicit perfectionem; verum est tamen, quod illa negatio ad aliquod positiuum reducitur, à quo excludit illam imperfectionem, sicut est in proposito, & illud positiuum frequenter non est ratio excludendi talem imperfectionem necessariò, quia illud positiuum aliquando est indifferens ad illam imperfectionem, & ad negationem illius, quod autem sit sub altero illorum, hoc euenit ex actione extrinseci agentis, vel suspensione illius, vt est in præsenti de negatione per suppositum importata. Neque etiam minor est absolutè vera, vt notat Lichet. loc. citat. primò quia communicari alicui in ratione suppositi nullam dicit imperfectionem; quia diuina essentia tribus diuinis suppositis communicatur absque omni imperfectione; deindè quia natura creata licèt dependere ad alienum suppositum creatum diceret imperfectionem, tamen dependentia ad diuinum suppositum tantùm abest, vt dicat imperfectionem, quod potius maximam ponit perfectionem in natura tali supposito vnita. Ad 2. ex Bassol. negatur paritas, quia sic determinatur ad singularitatem, quod sibi repugnat simpliciter ipsa manente diuidi, & multiplicari in plura; & ideò oportet, quod per aliquod positiuum id sibi repugnet, scilicet per differentiam indiuidualem; non sic autem ad suppositum creatum determinatur, sed contingenter ad ipsum, sic quod ipsa manens eadem potest illo non suppositari, sed alio, & ideò licèt ex seipsa ad suppositum non determinetur, non tamen per aliquod positiuum superadditum, sed per aliquid negatiuum.

107 Ad 3. constat ex dictis quæst. 2. per modum subsistentiæ, de quo hic est sermo, non constitui substantiam independentem à subiecto inhæsionis, sed tantùm constituitur incommunicabilis ad alienum suppositum, est autem independens à subiecto inhæsionis per aliquem modum intrinsecum sibi realiter identificatum inhærentiæ oppositum, qui est propria substantiæ existentia, & vtique est perfectior, & nobilior modo essendi accidentis. Ad 4. respondet ipse Doctor quol. 19. P. & Q. quod vltimatè terminare duo dicit, primum est terminare, secundum est terminare sic, quod nihil vlterius terminet; quantum ad primum terminus dependentiæ realis est aliqua entitas positiua, scilicet substantia singularis; quantùm ad secundum benè potest esse terminus aliquod negatiuum, vndè ad argumentum negatur consequentia, cuius probatio procedit de eo quod terminat, non de eo, quod vltimatè terminat. Ad 5. non resolutè illud asserit Doctor, sed probabiliter iuxta aliam sententiam de positiuo, quam ipse probabilem censuit, vt constat ex dictis art. 1. huius quæst. num. 64. & indè, vbi de hoc fusè disputatum est. Ad vlt. iam dictum est suprà num. 55. illum loquendi modum de dependentia, & sustentatione naturæ in proprio supposito pertinere ad opinionem de positiuo, alioquin in opinione de negatiuo non nisi impropriè vsurpari potest, vt ibi explicatum est ex Ocham 3. quæst. 1. & Lichet. 3. d. 1. quæst. 1. in §. *non asserendo*; sic etiam cum dicitur natura inclinari in propriam personalitatem, debet intelligi, ac si diceretur esse propensam ad per se standum non alteri innitendo; & denique sic etiam intelligi debet, cum dicitur perfici, & compleri propria personalitate, quatenus nempe negatio per ipsam importata formaliter excludit à natura dependentiam à quolibet supposito extrinseco, quæ dependentia poneret imperfectionem in ipsa, si esset ad aliud suppositum creatum, vndè per ipsam dicitur perfici negatiuè; dicitur etiam compleri, quia sub tali negatione existens nequit alteri communicari, cum quo faciat compositum aliquo pacto per se vnum. Et hæc munera sic explicata benè possunt exerceri per simplicem negationem.

108 Tertiò arguit Io. de S. Thoma q. 7. Phys. art. 1. independens est perfectius dependente, sed dependens est aliquid positiuum; ergo independentia in illo genere non potest esse sola negatio, licèt per negationem explicetur; vndè fit argumentum, omne non subsistens, inquantum tale, est imperfectius subsistente, vel perfectibile per subsistentiam, vt patet in anima separata, & quacunque alia parte, quæ imperfectior est, quam res subsistens, vt potè incompleta, & perfectibilis, subsistens autem est integrum perfectum, & completum; ergo potius non subsistens dicet negationem illius perfectionis, quam res subsistens solùm addat negationem sine aliqua positiua perfectione supra naturam. Respond. satis constare ex dictis subsistentiam, seu subsistentiæ nomen plures habere significationes, quæ sunt distinguendæ, ne in argumento fallacia contingat, & ab vna fiat transitus ad aliam, solet namque subsistentia interdum sumi, prout à re subsistente excludit communicationem, & inexistentiam in alio, sicut in subiecto inhæsionis, vel in toto quod constituit per modum partis, & sic vtique verum est subsistens esse perfectius non subsistente, & independens perfectius esse dependente in tali genere, & in hoc sensu conceditur subsistentiam dicere quid positiuum; verùm hæc non est subsistentia, de qua hic est sermo, & quæ est modus naturæ superadditus, quia omnis substantia completa tam simplex, quam composita ex se ipsa est sic independens, & incommunicabilis alteri, vt subiecto, ac vt toti, & non per aliquem modum superadditum; vt dictum est quæst. 2. & 3. Sed hic est sermo de subsistentia, prout dicit incommunicabilitatem suppositalem, seu alteri, vt supposito, & independentiam ab alio, vt à supposito naturam terminante, in quo sensu non est vniuersaliter verum, quod natura in se subsistens, & ab alieno supposito independens sit perfectior natura subsistente in alio & ab alio dependente, nam si talis dependentia esset ad diuinum suppositum, tunc perfectior est natura dependens, quam independens, quia in eo perfectiori modo subsistit, quam in se; & quia naturæ creatæ subsistentiam nos in opinione de negatiuo explicamus præcisè per independentiam ad diuinum suppositum, & negamus suppositum creatum talem dependentiam posse terminare, & supplere, hinc absolutè dicimus negationem dependentiæ quam importat suppositum, dicere negationem alicuius maioris perfectionis, scilicet vnionis hypostaticæ ad diuinum suppositum, quia solum per istam vnionem excludi potest propria subsistentia a natura creata, cum nullum aliud suppositum possit illam assumere, quam diuinum.

Sed Contra hanc solutionem, quam benè præuidit, hic Auctor instat tripliciter, primò quia subsistentia naturalis, & propria non solum opponitur vnioni hypostaticæ, sed etiam opponitur modo existendi accidentis, qui est inhærentia, & modo existendi, tanquam pars incompleta, vtrumque enim repugnat supposito, & consequenter ab illo excluditur, frustra ergo restringitur ad negationem vnionis hypostaticæ. Deindè quia subsistentia propria est aliquid naturale primò, & per se, quia constituit aliquid ordinis naturalis; ergo non potest primò, & per se consistere in negatione vnionis hypostaticæ; quæ supernaturalis est, licet illam etiam excludat, sicut in quacunque re naturali inuenitur negatio rationis supernaturalis, non tamen ista negatione res naturales constituuntur primò, & per se. Demum, quia vel ista negatio vnionis hypostaticæ sumitur priuatiuè, vel purè negatiuè; si purè negatiuè non potest constituere personam, nam etiam accidentibus, imò & entibus rationis conuenit negatio vnionis hypostaticæ; si priuatiuè, solam conuenit naturæ, vt capaci vnionis hypostaticæ, solùm autem est capax per potentiam obedientialem; ergo priuatio etiam illi conuenit secundum hanc capacitatem; ergo si per illam constituitur subsistentia naturalis, conueniet subsistentia naturalis secundum capacitatem obedientialem, quo nihil absurdius dici potest.

109 Resp. negando assumptum, quamuis enim natura suppositabilis, vel suppositata sit nedum alteri incommunicabilis, vt supposito, sed etiam vt subiecto inhæsionis, ac vt toti, cuius sit pars constitutiua, adhuc tamen falsum est has communicabilitates excludi ab ea formaliter per suppositalitatem, quia ex seipsa est sic incommunicabilis alteri, & non per aliquem modum sibi superadditum, & ab ea separabilem, nam talis incommunicabilitas perpetuo & indispensabiliter illi conuenit, vnde remanet, vt sola incommunicabilitas suppositalis sit de ratione suppositi, vt sic, & per suppositalitatem sola communicabilitas excludatur illi opposita, atque ideò recta ratione restringitur ad solam negationem vnionis hypostaticæ; vt constat ex dictis qu. 3. art. 1. & 2. Ad 2. negatur consequentia, quia negatio formæ supernaturalis, est negatio naturalis, & rem constituit in esse naturali, sic enim negatio gratiæ in anima nostra dicitur naturalis, quia ex principijs eius naturalibus gratia non est illi debita, & sic in proposito dicendum de subsistentia, quod naturam creatam constituit in esse naturali, quia ex naturalibus non coexigit natura existere in supposito diuino, sed in seipsa, nec aliud mysterium in hoc argumento video. Ad vlt. patet ex dictis numer. 51. negationem vnionis hypostaticæ in natura creata sumi posse per modum negationis, & priuationis, quatenus enim est capax illius per potentiam obedientialem dicitur priuatio, quatenus non habet aptitudinem ad illam, seu naturalem coexigentiam eius, sic potest dici negatio; sed ex hoc quod talis negatio dici possit priuatio attenta in natura capacitate obedientiali, quam ad vnionem hypostaticam habet, planè non video, quomodo sequatur quod subsistentia quoque naturalis conueniet naturæ secundum capacitatem obedientialem, nam ad propriam subsistentiam dicimus naturam habere aptitudinem, & naturalem inclinationem, quatenus est illi connaturaliter debita, & solum in ordine ad diuinam subsistentiam dicimus habere capacitatem obedientialem, gratis ergo deducitur illa consequentia, & sine ratione.

110 Quartò arguit Arriag. disp. 4. sect. 11. subsect. 1. specialiter contra modum dicendi Scoti, qui subsistentiam explicat per duas negationes vnam aptitudinalis dependentiæ, aliam actualis, & in eis constituit rationem suppositi, nam sic dicendo ponit negationem suppositi in negatione rei aliàs omninò repugnanti naturæ, non aliter ac si diceret in lapide rationem suppositi consistere in negatione aptitudinalis, & actualis intellectionis, repugnat namque omninò naturæ dependere ad alienum suppositum in creatis, cum id sit negatiuum, ideoque realem dependentiam naturæ terminare non possit. Deindè si vna negatio dicit nec diuinitus posse naturam terminari alieno supposito, certè iam ibi includitur, quod actu non terminetur, quid ergo duæ ponuntur negationes? Tandem cum alienum suppositum sit negatio, inde fiet, vt in me negatio alterius suppositi sit negatio negationis, quod planè est chimericum, nam negatio semper est respectu termini positiui, ponere autem duas negationes, quæ nullum terminum positiuum negent, sed vna neget aliam; & nihil habeant amplius est imperceptibile.

Re-

Respondeo Arriag. sic arguendo ostendere non satis mentem Scoti se percepisse in hac materia, nam Scotus estò explicet per sonalitatem creatam per duplicem negationem dependentiæ, seu communicationis actualis, & aptitudinalis ad alienum suppositum, addit tamen non debere adiungi tertiam negationem, scilicet communicationis potentialis, quia omnis creatura est in potentia obedientiali ad Deum vt alieno communicetur suppositò, & sola diuina natura talem habet repugnantiam, ideoque solum diuinum suppositum illa triplici gaudet negatione; non ergo Scotus ponit personalitatem in negatione rei omninò repugnantis naturæ, quia omnis natura creata potest alieno terminari supposito, si non creato, quia negatiuum est (esto id adhuc multi affirment ex nostris Scotistis eo non obstante) saltim diuino, quod sufficit ad solutionem argumenti; deinde etiam falsum est explicari non posse personalitatem per negationem rei, seu dependentiæ repugnantis naturæ, nam sic de facto explicatur diuina personalitas, cum ipsa dicat etiam negationem potentialis dependentiæ ad alienum suppositum, esto verum sit huiusmodi negationem petere aliquam positiuam entitatem diuinæ naturæ intrinsecam, ob quam ei necessariò, & indispensabiliter conuenit, & quæ sit causa talis repugnantiæ, vndè quamuis ita explicari nequeat creata personalitas, benè tamen potest explicari diuina. Ad 2. non dixit Scotus naturam creatam nec diuinitus alieno posse terminari supposito, sed solum dicit non habere aptitudinem ad alienum suppositum, quia exigit in se subsistere, & non in alio, neque confundi debent negatio dependentiæ aptitudinalis, & potentialis, primam habet suppositum creatum non secundam; quamuis autem negatio potentiæ inferat vtique negationem actus, nam non fit, nisi quod fieri potest, negatio tamen aptituditudinis non infert semper negationem actus; quia lapis non habet aptitudinem ad esse sursum, & tamen interdum est actu sursum; sic in proposito natura humana non est apta aptitudine exigentiæ esse in diuino supposito, & tamen de facto subsistit in illo; Ad vltimum negatur consequentia primò, quia creata personalitas non explicatur, nisi per incommunicabilitatem ad diuinum suppositum, quia nobis non constat fidei lumine alio supposito communicari posse, deindè quando explicaretur etiam per incommunicabilitatem, vel negationem dependentiæ ad suppositum creatum, quod est negatiuum, non adhuc sequitur illa consequentia, quia personalitas mea non dicit negationem alterius suppositi immediatè, sed negationem communicationis, seu vnionis hypostaticæ cum alio supposito, quæ quidem vnio non est negatio.

111 At contra instat Arriag. probans non benè explicari personalitatem creatam per negationem præcisè communicationis ad diuinum suppositum; primò quia subsistentia humana eadem esset, etiamsi subsistentia diuina quid positiuum non esset, in quo casu secundùm Scotum subsistentia humana explicari non posset. Deinde, quia ratio subsistentiæ prout abstrahit à creata, & increata, non erit eis magis communis, quam ens sit commune enti, & negationi, vnde creaturæ nullam habebunt veram, & realem subsistentiam. Tandem quia vanus est hic modus discurrendi ponere in creaturis vnam entitatem, aut suppositalitatem solùm ad negandam vnionem cum supposito Dei, nam hoc pacto etiam possemus in lapide ponere aliud suppositum ad negandam vnionem eius cum homine, & aliud ad negandam vnionem cum sanctificatione diuina &c. quod est manifestè falsum.

Resp. imò personalitatem creatam melius explicari non posse, quã per negationem communicationis ad diuinum suppositum, & ratio est, quam affert doctissimus Card. de Lugo disp. 12. cit. à. nu. 54. quia non omnis incommunicabilitas putanda est per personalitatem importari, aut a personalitate tribui, sed negatio tantùm communicationis respectu illius, cui posset per diuinam potentiam supernaturaliter communicari, quia non nisi per fidem notitiam habuimus subsistentiæ, de qua hic est sermo; Vndè cum ex fide nobis innotuerit solum, quod natura creata possit communicari diuino supposito, non possumus recta ratione personalitatem naturæ creatæ, nisi per negationem communicationis cum diuino supposito explicare, & cum ait Arriag. quod subsistentia humana eadem esset, si diuina quid positiuum non esset, negatur, quia tunc natura creata inassumptibilis esset, & sic subsistantia singularis aliam subsistentiam non haberet præter illam, qua secernitur ab accidente, quam vtique concedimus esse quid positiuum, non tamen à subsistantia realiter distinctum; neq; id mirum non esse debet, quia talem subsistentiam naturæ superadditam non nouimus, nisi quia fides docet in Christo esse humanitatem sine propria, & connaturali subsistentia. Ad 2. satis dictum est supra num. 68. & 69. & mox iterum dicemus. Ad vlt. non est vanus Scoti discursus, sed potius quem facit Arriag. nam suppositalitas explicari debet vtique per aliquam incommunicabilitatem, vt omnes concedunt, nec melius explicari potest, quam per incommunicabilitatem suppositalem, & hoc in ordine ad suppositum, à quo creata natura potest assumi, cumque ex fide non constet assumi posse præterquam à diuino supposito, rationabiliter explicatur per negationem ad illud, non autem ad alia, quæ talem dependentiam terminare non possunt.

ARTICVLVS IV.

Argumenta Theologica contrà eandem opinionem enodata.

112 SEd præterea opinionem de negatiuo adoriuntur Aduersarij argumentis theologicis, & primò argumentum producunt ex Trinitatis mysterio, nam diuina personalitas dicit quid positiuum vt omnes fatentur Theologi; ergo etiam creata personalitas, nam creata personalitas est quædam participatio personalitatis diuinæ iuxtà illud Pauli *à quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra &c.* Tum quia diuina natura est per se, & essentialiter subsistens, & nihilominus ei additur aliquod positiuum incommunicabile saltim ratione distinctum, ergo tantò magis natura creata indiget tali addito, cum non sit per se essentialiter subsistens, sicut diuina. Tum quia diuinæ naturæ additio talis positiui minus conuenire videtur ob summam eius simplicitatem, & tamen ibi admittitur, ergo tanto magis admitti debet in natura creata. Tum quia alioquin non saluatur vniuocatio conceptus personę, vt sic, ad creatam, & increatam, si vna ponatur positiua, & alia negatiua, quia positiuo, & negatiuo nihil est commune vniuocum, ita arguunt Suarez, Caiet. Fonsec. Hurtad. loc. cit. qui propterea putat Scotum satis inconsequenter esse locutum, cum ipse admittat prædicata transcendentia, inter quæ est personalitas, esse vniuoca Deo, & creaturis, & ideò cum diuinam personalitatem concedat in primo sent. importare quid positiuum, hoc ipsum quoq; de creata concedere debebat in 3. sent. vt consequenter loqueretur ad sua principia.

Resp. concesso antecedente ob rationem sæpè dictam, quia nempe diuina persona repugnantiam habet, vt alteri supposito communicetur, quæ repugnantia supponit entitatem positiuam in persona, quæ sit intrinseca radix talis repugnantiæ, negando consequentiam ad personam creatam, quæ talem repugnantiam non habet, ad primam probationem dico potius probare oppositum, nam si personalitas creata est participatio personalitatis diuinæ, iam debet ab ipsa in perfectione deficere, atque ideò per negatiuum constitui, hac enim de causa, vt noctat Doctor 3. d. 1. q. 1. G. persona creata deficit in perfectione personalitatis à diuina persona, quia hæc est simpliciter, & omninò incommunicabilis, creata verò secundum quid tantum, nimirum quandiu retinet negationem vnionis cum alio supposito, quæ tamen absolutè est ab ea separabilis, nec ista consequentia absolutè tenet, personalitas creata est participatio diuinæ, ergo debet esse positiua, sicut illa, nam sic etiam argui posset de alijs perfectionibus communibus Deo, & creaturis, dicendo sapientia creata est participatio diuinæ sapientiæ, ergo est substantia, sicut illa; tum quia personalitas in diuinis aliquod munus positiuum exercet præsertim in ordine ad actus notionales, non autem in creatis, nam licèt sit aliquo pacto conditio ad operandum requisita modo sequenti quæst. explicando, non tamen est propriè principium operandi. Ad 3. probationem illius consequentiæ dico personalitates diuinæ addi naturæ non ex indigentia, vt nimirum per eas simpliciter, & absolutè subsistat quemadmodum innuit argumentum, sed vt per eas reddatur incommunicabilis, & vbi ante earum aduentum intelligebatur communicabiliter subsistere, per eas posteà intelligatur subsistere incommunicabiliter, vnde & hæc probatio potius est ad oppositum, quia cum subsistentia addatur naturæ ad reddendam eam incommunicabilem, ex hoc capite potius indiget aliquo positiuo superaddito natura diuina, quam singularis creata, quia hæc præciso quocunque alio est vlterius incommunicabilis, saltim vt quod, at illa etiam in sua singularitate est pluribus communicabilis, atq. ideò ex hoc capite magis indiget positiuo superaddito natura diuina, quam creata. Ad 3. probationem negatur additionem positiui, quo natura diuina incommunicabilis redditur, repugnare eius summæ simplicitati, vt fusè probat Doctor 1. d. 2. qu. 7. Ad 4. Fab. disp. 2. cit. c. 5. negat absolutè personam vniuocè dici de diuina, & creata, aitque hanc esse responsionē Doctoris 3. d. 1. q. 1. art. 3. hoc tamen falsum est quia Doctor ibi sub lit. G. concedit personam diuinam cum creata vniuocari in illa duplici negatione depedentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis ad alienum suppositum, non autem in tertia negatione nimirum dependentiæ potentialis, quia hæc necessariò quid positiuum supponit, in quo radicetur, & tantùm in diuina persona reperitur, quæ est perfecta persona, non in creata sed de vniuocatione personæ diuinæ, & creatæ fusè dictum est supra art. 1. nu. 78. & 69. neq; est cur Aduersarij hoc argumentum ex vniuocatione personalitatis desumptum adeò feruenter contra Doct. vrgeant & de eius consequentia admirentur, quasi Doctor hoc argumentum non præuiderit, ac inconsequentiam quæ sibi poterat obijci in hoc eius asserto, nam ipsemet loc. cit. 3. d. 1. quæst. 1. art. 3. §. *per hoc ad argumenta*, totam hanc difficultatem præuidit, & in terminis optimè soluit; vndè tandem hanc rationem ex mysterio Trinitatis deductam contra opinionem de negatiuo fatentur Arriag. & Lugo cit. non esse efficacem.

113 Secundo arguit Hurtad. disput. 11. Metaph. sect. 3. natura diuina præcisa per intellectum à relationibus nullam habet dependentiam ab alio, sed potius illius negationem, tam aptitudinalem, quàm actualem, ibi enim nulla est imperfectio, nec magis dependet natura à relatione, quam hæc ab illa, sed natura sic præcisa non est suppositum, ergo suppositum non constituitur negatione

dependentiæ, alioquin natura diuina sic independens esset suppositum.

Resp. quod Scotus per dependentiam naturæ à supposito intelligit communicationem ipsius illi, communicatur autem natura proprio supposito quasi per identitatem cum illo, non quod suppositalitas ab ipsa natura realiter non distinguatur, & sit separabilis ab ipsa, sed quia quidditatiuè includitur in constituto ex ipsa, & natura singulari, cui superadditur, communicatur vero supposito alieno per vnionem hypostaticam ad illud, vndè magis propriè dicitur dependere à supposito, cum alieno supposito communicatur, quam quando communicatur proprio, quia huic non communicatur tanquam alicui extrinseco ab ipsa distincto, ita hanc dependentiam disertis verbis Doctor explicuit quol. 19. §. *secundò poteſt*, lit. M. vbi ait naturam dependere ad suppositum est ipsam communicari supposito proprio, vel alieno; iuxtà quam explicationem negandum est essentiam diuinam à relationibus præcisam habere negationem vtriusque dependentiæ, quamuis enim vt sic, non intelligatur actu communicata diuinis suppositis, est tamen illis communicabilis, & ideò in hoc sensu non habet negationem dependentiæ aptitudinalis, scilicet communicabilitatis, atque ideò persona dici nequit. Dices, saltim, vt sic à relationibus præcisa est incommunicabilis supposito alieno, seu alterius naturæ, quod sufficit vt persona diceretur, si personalitas in tali consisteret incommunicabilitate. Respond. neque adhuc dici posse personam, quia est communicabilis proprio supposito, qua communicabilitate etiam debet persona carere.

114 Tertiò vlterius ex mysterio Incarnationis argumenta deducunt, nam multa dicuntur à Concilijs, & Patribus, quæ in sententia de negatiuo saluari nequaquam possunt, primò enim dicitur, quod persona diuina in Christo Domino supplet personalitatem creatam, sed nihil suppleret, si personalitas est nihil; dicitur etiam Verbum assumendo humanitatem consumpsisse personam creatam, non naturam, nihil verò consumpsisset, si personalitas creata nihil esset. Secundò dicitur Verbum assumpsisse naturam humanam, non suppositum, quæ Conciliorum definitio vana esset, & ridicula in Scoti sententia de negatiuo, quia vel sensus esset, vt ait Hurtad. Verbum sibi vniuit humanitatem non relinquens eam inuitam aut sine vnione ad se, vel vt ait Lugo sensus esset naturam assumptam à Verbo non mansisse per se existentem sine vnione ad Verbum quod adeo clarum est, vt nemo sanæ mentis putare possit, Nestorium, aut aliuni hæreticum de hoc dubitasse, quis enim diceret data ea vnione mansisse in Christo suppositum creatum? id enim esset formalissimè dicere fuisse humanitatem vnitam, & non vnitam Verbo; nec ad reijciendum hunc errorem fuisset cum hæreticis necessaria longa adeo, ac seria disputatio, quia statim potuissent conuinci patentissimæ contradictionis, quando ergo definiuit Ecclesia in Concilio Ephesino contra Nestorium Verbum assumpsisse naturam, & non personam humanam, non solum intellexit docere per vnionem humanitatis cum Verbo ablatam fuisse à natura negationem vnionis, quia id de se clarum erat, & ab hæreticis gratissimè, sed docere voluit ablatam esse entitatem aliquam positiuam constituentem suppositum creatum, quam simul cum natura assumptam esse volebat Nestorius; ita concludit Arriag. Tertiò dicitur, hac vnione naturam humanam fuisse exaltatam, at in opinione Scoti potius depressa fuisset, quia sine tali vnione fuisset ab alio independens, & per hanc vnionem fit dependens, nobilius autem est independens, quàm dependens. Quartò dicunt naturam assumptam pro nullo instanti fuisse sub propria personalitate, sed semper subtitisse subsistentia Verbi, hoc autem esset falsum in opinione Scoti, quia humanitas Christi fuit prius producta saltim prioritate naturæ, antequam fuerit producta vnio hypostatica in ipsa, sed in illo priori habuit negationem actualis, & aptitudinalis communicationis; ergo in illo priori fuit in se persona, si in talibus negationibus personalitas consistit.

115 Respondetur negando assumptum nam per opinionem de negatiuo omnia benè saluantur dicta à Patribus, & Concilijs de mysterio Incarnationis, si rectè intelligatur; ad 1. probationem respondet Faber disput. 2. citat. capitul. 5. ad 6. quod persona Verbi supplet modum essendi naturæ singularis, qui est cum illa negatione duplicis dependentiæ; si enim natura creata singularis sibi relicta esset, existeret per se, ideſt non dependeret actu, nec aptitudine ad extrinsecum suppositum, & hoc ex se ipsa haberet, & non aliundè; per assumptionem autem factum est, vt natura creata habeat hoc idem esse cum illa duplici negatione, scilicet quod non dependeat actu, nec aptitudine ad alienum suppositum, natura enim creata modò assumpta à Verbo est ita perfectè personata aliena persona, ac si esset personata propria personalitate; & in hoc sensu inquit, quod persona Verbi supplet personalitatem creatam, nec ob id dicitur supplere nihil, sed aliquid, licèt non sit positiuum, scilicet illum modum essendi. Hæc tamen solutio falsa est, nam falsum est personam diuinam eo modo supplere in Christo personalitatem creatam, vt faciat eam actu independentem ad alienum suppositum, sicut faceret creata personalitas, si enim humanitas assumpta actu dependet ad extrinsecum suppositum, ergo non habet negationem talis dependentiæ actualis. Fortè dicet Faber personam Verbi facere humanitatem assumptam actu independentem ad quodcunque aliud suppositum extrinsecum præter suppositum Verbi. Sed licèt hoc sit verum, non ob id tamen rectè dicitur humanitas esse in Verbo cum negatione dependentiæ actualis ad extrinsecum suppositum, quia actu dependet ad ipsum Verbum, quod est suppositum extrinsecum naturæ assumptæ, vndè est implicantia in adiecto, quod natura sit assumpta à Verbo, & sit actu independens ab extrinseco supposito, quia tunc esset vnita, & non vnita Verbo. Neque etiam benè diceretur adhuc in eo sensu diuinam personam supplere modum essendi independentem, quem naturæ assumptæ sibi dimissæ præstaret creata personalitas, hæc enim ita reddit independentem propriam naturam, quam afficit, à supposito alieno, vt eam faciat prorsus actu independentem à quocunque supposito extrinseco; hoc autem præstare nequit diuina personalitas, nam eo ipso, quod naturam creatam terminat, reddit eam actu dependentem ab aliquo extrinseco supposito, scilicet diuino; ergo hæc Fabri solutio implicantiam ponit in adiecto, quod verò ait personalitatem diuinam non supplere nihil, sed aliquid, quia personalitas creata, cuius vices gerit, est aliquid negatiuum, licèt non sit aliquid positiuum, iam supra reieci num. 66. quia negatio estò sit realis, malè appellatur ens, vel aliquid negatiuum.

116 Pro exacta itaque huius difficultatis solutione aduertendum est id, quod docet doctissimus Card. de Lugo, quod communiter dicitur personalitatem diuinam in Christo supplere vices personalitatis creatæ, quod natura humana Christi accipit à subsistentia Verbi omne id, quod haberet à propria subsistentia, non esse in omni rigore intelligendum, quia licet verum sit humanitatem Christi subsistere per subsistentiam Verbi, adhuc tamen certum est non subsistere per eam eodem prorsus modo, quo subsisteret per propriam subsistentiam creatam, siquidem creata personalitas, siue ponatur in positiuo, siue in negatiuo, tribuit naturæ secundum omnes, vt à nullo supposito extrinseco actu dependeat, quod planè præstare nequit diuina personalitas, vt dictum est contra Fabrum, tum quia natura per propriam subsistentiam subsistit in se, & per se, nec est alteri communicata, & per subsistentiam alienam subsistit in alio, & cum alio, per quam doctrinam eneruatur penitus argumentum vltimum Hurtad. quod affert loc. citat. §. 32. vbi contendi Verbum ita debere supplere vices hypostasis, & personalitatis creatæ, vt humanitati assumptæ tribuat omnem prorsus effectum formalem, omnemque denominationem, quam tribuit hypostasis creata, quod probat euenire non posse, si creata personalitas in negatione consistit; eneruatur (inquam) quia falsum est hoc assumptum. Dicitur ergo Verbum supplere, vel gerere vices personalitatis creatæ & quoad esse, & quoad operari in hoc sensu, quoad esse quidem, quia in eo instanti, in quo natura humana, si sibi dimissa fuisset, habuisset duplicem illam negationem, ratione cuius diceretur per se esse, & ab alio non dependere, Verbum naturam illam præuenit, ne per se staret, fecitque quod ab alio dependeret, & quæ sibi dimissa in se personata fuisset, modò assumpta dicatur personata in alio; sicut è contrà circa accidentia eucharistica dicitur Deus supplere vices subiecti, non quia se se accidentibus subijciat, & illa in se recipiat, sed quia per specialem concursum secundum modum ita modo illa conseruat sine subiecto, sicut prius conseruabat cum subiecto; quoad operari etiam in hoc sensu dicitur supplere vices suppositi creati, vt benè declarat P. Bellutus Collega meus tractat. de Incarn. disput. 1. quæst. 1. num. 18. quia sicut suppositum creatum est, quod vltimò denominatur agere, & pati, ita Verbum vltimò denominabatur agere, & pati quoad actiones humanas, ad hoc autem non exigitur positiua entitas in supposito creato, quia vt patebit quæst. sequent. suppositum non concurrit physicè influendo per subsistentiam in actiones, & hoc est ly *aliquid* quod dicitur supplere Verbum; vndè patet hoc argumentum; quod adeò magnificant Aduersarij posse contra ipsos retorqueri, quandoquidem etiam secundum ipsos multos effectus præstat naturæ propria personalitas, quos personalitas extrinseca supplere non potest.

117 Ad aliud de consumptione personalitatis creatæ per increatam Faber cit. num. 43. ait in hoc sensu debere intelligi, quia personalitas Verbi assumendo naturam consumpsit incommunicabilitatem creatam, siue illum modum essendi cum illa duplici negatione, quia ille modus in natura humana Christi non est, & sic per vnionem incarnationis à natura humana non aufertur aliquid positiuum, sed solum fit acquisitio duplicis dependentiæ actualis, scilicet & aptitudinalis, & deperditio duplicis independentiæ. Verùm hæc solutio contradicit ei, quod dixerat immediatè antea sub num. 42. ad illud de supplemento personalitatis creatæ per increatam, dixit enim hoc supplementum fieri, inquantum per assumptionem factum est, vt natura creata haberet hoc idem esse cum illa duplici negatione dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis in Verbo ad alienum suppositum; at in hac posteriori responsione inquit hanc duplicem negationem consummari in aduentu personalitatis increatæ, & quod fit acquisitio duplicis dependentiæ actualis, & aptitudinalis, & deperditio duplicis dependentiæ, ecce manifestam contradictionem in paucis verbis. Deindè falsum est amitti per vnionem hypostaticam negationem dependentiæ aptitudinalis in humanitate assumpta, amittitur quidem, vel potius impeditur negatio dependentiæ actualis, at negationem dependentiæ aptitudinalis semper retinet

in

in Verbo, vt palam & non semel docet Doctor. Tandem neque placet modus loquendi Fabri, quod in hoc sensu personalitas increata consumpsisse dicatur creatam, quia per vnionem hypostaticam destructa fuerit negatio dependentiæ actualis eo modo, quo dicitur priuatio consumi in aduentu formæ, quia per talem modum loquendi significatur naturam in aliquo priori instanti habuisse negationem actualis dependentiæ ad Verbum, atq; ideò fuisse in se personatam, & posteà per vnionem hypostaticam illius humanitatis ad Verbum eam negationem fuisse expulsam, & consummatam, & ita plane videtur sentire Faber ex eius loquendi modo, hoc autem minime dici potest, vt mox declarabitur, quia natura à Verbo assumpta, nunquam fuit in se personata, sed semper in Verbo. Cum ergo dicunt Patres, vel Concilia Verbum consumpsisse personalitatem creatam in humanitate assumpta, sensus est, quod assumendo naturam in eo ipso instanti, quo in se personari debebat, impediuit in ea resultantiam personalitatis creatæ, quod ita benè verificatur, si personalitas creata in negatione consistat, perindè ac si consisteret in positiuo; quod si in eo sensu rigoroso accipiatur illa locutio, vt prætendit argumentum, & non potius in sensu nunc dato, planè nedùm probaret personalitatem creatam quid positiuum esse, sed etiam infuisse naturæ priusquam assumeretur, & in ipsa actuali assumptione fuisse destructam, & consumptam, quod dici nequit, quia tunc natura pro aliquo instanti prius in se personata fuisset, quam Verbo vnita.

118 Ad 2. probationem illius assumpti ex PP. & Concilijs dicentibus naturam fuisse assumptam, non autem personam contra Nestorium, Poncius disp. 18. cit. à n. 123. optimè ostendit contra Recentiores in argumento allegatos, quomodo determinatio Conciliorum contra Nestorium de assumptione naturæ, & non personæ, adhuc in sententia de negatiuo non est inepta, & ridicula, imò verior, & magis seria, quam in sententia de positiuo, siquidem opinio de negatiuo magis euidenter conuincit errorem Nestorij, quam opinio de positiuo, vt ostendi art. 2. difficultate 6. à n. 89. & indè. Sed ad exactam huius puncti intelligentiam sciendum est Nestorium non agnouisse veram, realem, & physicam vnionem inter naturam humanam, & Verbum, sed tantum vnionem assistentiæ, vel vnionem moralem secundum dignitatem, affectum, & gratiam, vndè Christum tantùm hominem dicebat, non autem Deum, sed in quo Deus speciali quadam prærogatiua habitaret, vt refert Alfonsus de Castro l. 4. tit. *Christus* hæresi 3. & sic stante tali vnione duntaxat inter naturam, & Verbum, benè poterat Nestorius asseuerare etiam vnionem personæ humanæ cum Verbo, absq; vlla contradictione, quia persona non dicit negationem vnionis accidentalis naturæ cum alio supposito, sed vnionis per se, & substantialis, & ideò Concilium Ephesinum ad hunc errorem damnandum determinauit inter naturam assumptam, & Verbum non esse solam vnionem accidentalem, & moralem nempe per assistentiam, vel affectum, aut dignitatem, sed veram, physicam, realem, & substantialem; ex qua determinatione contra Nestorium facta determinat consequenter Verbum solam naturam assumpsisse, non personam, eo quia personæ conceptus licèt stare posset cum vnione accidentali naturæ humanæ ad diuinum suppositum, non tamen stare potest cum vnione, seu communicatione per se, & substantiali, quia persona in suo conceptu talem incommunicationem includit, siue formaliter, siue concomitanter, vndè tam in opinione de negatiuo, quam de positiuo cum vnione naturæ ad diuinum suppositum saluari nequit in natura sic vnita ratio propriæ personalitatis, quia hæc vel consistit in negatione formaliter talis vnionis, & communicationis, vel saltim ad eam necessariò consequitur. Et sic patet quomodo Concilium per hanc determinationem non magis fauet vni opinioni, quam alteri, & si fauet, potius fauet opinioni de negatiuo, vt potè, quæ immediatius, ac euidentius conuincit errorem Nestorij per euidentem contradictionem.

119 Hinc patet etiam quomodo in argumento fallacia cõmittatur, vt ostendatur ridicula Concilij determinatio in opinione de negatiuo, quia Recentiores supponunt, vt concessam à Nestorio realem, & physicam vnionem inter naturam, & Verbum, qua data vtique necessaria non erat determinatio Concilij, quod Verbum assumpserit naturam, & non personam, in sententia de negatiuo, quia persona dicit formaliter naturam non vnitam alteri supposito; at falsum est assumptum, quod Nestorius talem vnionem physicam inter naturam, & Verbum concederet, concedebat enim solam vnionem accidentalem, & moralem. Et si vnionem physicam concedebat, posset argumentum pariter in Aduersarios retorqueri, quod fuisset ridicula determinatio Concilij contra Nestorium, vel saltim minimè necessaria, quia in sententia quoque de positiuo, si personalitas non dicit formaliter negationem vnionis ad aliud suppositum, dicit tamen eam concomitanter, adeout natura cum sua personalitate sit incommunicabilis alteri supposito, vndè etiam iuxtà hanc sententiam Nestorius concessa vnione physica naturæ cum Verbo, ac etiam personæ, sibi contradixisset, quia natura in se personata in quacunque sententia significat naturam non alteri communicatam, siue hanc negationem dicat formaliter, siue tantùm concomitanter. Posset etiam secundò responderi fortè Nestorium tenuisse opinionem de positiuo, & quod cum natura cogitauerit quoque fuisse assumptam illam entitatem, quam addit naturæ personalitas iuxtà hanc opinionem; & quod ideo ad hunc errorem conuellendum determinauerit Concilium fuisse quidem à Verbo naturam assumptam, non tamen illam entitatem, quam cogitauit Nestorius personalitatem superaddere naturæ; ex hoc autem, quod talis fuerit opinio Nestorij, non sequitur Concilium per suam determinationem voluisse quoad hoc fauere opinioni de positiuo, quam tenebat Nestorius, sed vtramque opinionem in sua probabilitate reliquit, & punctum quod erat de fide definiuit, scilicet naturam duntaxat fuisse à Verbo assumptam, non verò personalitatem, si hæc dicat entitatem positiuam naturæ superadditam, vt putauit Nestorius.

120 Ad 3. probationem dico argumentum æquè militare contra vtramque opinionem, nam etiam in opinione de positiuo, natura in se subsistens dicitur ab alieno supposito independens, & eo ipso quod ab alio assumitur, dicitur aliquo pacto dependere ad illud, quare in vtraque opinione fatendum est naturam humanam in Christo per vnionem hypostaticam ad Verbum fuisse mirabiliter exaltatam, quatenus fuit assumpta ad subsistentiam longè nobiliorem, quam sit propria, vndè dependentia ad alienum suppositum creatum esset quidem imperfectior, quam independentia, sed dependentia ad suppositum diuinum est perfectior independentia naturæ in seipsa, vt dixi nu. 108. Ad 4. probationem respondetur ex Lichet. 3. d. 1. q. 1. in §. *non asserendo*, negando minorem cum probatione, quia in eodem instanti, quo nata erat humanitas Christi per se stare, & per se existere fuit assumpta à Verbo, vndè non est intelligendum, quod ipsa in aliquo priori instanti naturæ positiuo fuerit per se actu existens, & in alio posteriori instanti naturæ fuerit assumpta, & personata in Verbo, quia tunc fuisset prius in se personata, sed intelligendum est, quod simpliciter in eodem instanti naturæ, quo fuit nata per se stare, & existere fundando illam duplicem negationem, fuit à Verbo assumpta, & consequenter à subsistentia Verbi impedita resultatio in natura illius duplicis negationis, quæ connaturaliter in eodem instanti ad eam sequi debebat. Dices, humanitas Christi non fuit producta per actionem hypostaticè vnitiuam, sed in aliquo priori naturæ instanti supponebatur producta ante ipsam vnionem, vt omnes concedunt, & in illo priori erat per se existens, & sine vnione ad diuinum suppositum, ergo erat verè persona, si personalitas consistit in negatione talis vnionis. Respond. ex Scoto 2. dist. 1. quæst. 3. §. *Respondeo*, & 3. dist. 3. quæst. 1. G. respectu tertij vnum dici posse prius natura conuenire alio vel ordine naturæ positiuo, quando nimirum vnum re vera prius inest illi, quam insit posterius, sicut est de animali, & rationali in homine, de materia, & forma in composito per se, de substantia, & accidente in composito per accidens, vel ordine naturæ priuatiuo, quando nimirum vnum dicitur prius illi tertio conuenire, quam aliud, non quod re vera prius insit, de facto, sed quia prius ineesset, nisi ab agente extrinseco impediretur, quo sensu priuatio dicitur prius natura conuenire materiæ, quam forma, etiam si materia simul concrearetur cum forma, non quidem quia priuatio verè prius insit de facto, quam forma in tali casu, sed quia prius ineesset, nisi agens eius resultantiam impediret introducendo formam in materia in illo ipso instanti, in quo debebat resultare priuatio; hoc ergo secundo modo dicitur humanitati assumptæ prius conuenisse negatio vnionis ad Verbum, quam ipsa vnio, non quia de facto prius infuerit illi talis negatio in aliquo instanti naturæ, sed quia prius infuisset, nisi eius resultantia impedita fuisset à supernaturali agente producente in ipsa vnionem ad Verbum in illo eodem omninò instanti, in quo negatio talis vnionis resultare debebat.

121 Quæres, an saltim natura humana prius potuerit in se personari, quam assumi. Quidam Theologi hoc negarunt, vt refert Bassolius 3. dist. 5. quæst. vn. art. 3. quia tunc assumpta fuisset natura simul cum personalitate, quod est impossibile, vel opus fuisset personalitatem destrui, & consummari, vt sola natura diceretur assumpta, sed corrupto supposito corrumpitur natura necessariò, quia destructis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere ex cap. de substantia. Oppositum tamen est omninò tenendum, vt docet Bassol. ibidem, quod natura prius suppositata, & personata in proprio supposito potest, vel potuit assumi à diuino supposito non manente sua suppositalitate propria, sicut nec modò manet, quia nullam implicat contradictionem, quod in tali natura fundaretur respectus vnionis cedente propria suppositalitate, quia contingenter stat sub illa; tum quia sicut naturæ non repugnat priuari propria suppositalitate, & inniti alteri pro primo instanti, ita nec pro quocunque alio sequenti; quia non est ad hoc magis determinata, & alligata in alio instanti, quam in primo, & è conuerso, & si repugnaret sibi pro alio instanti, etiam repugnaret sibi pro primo, & sic nunquam posset assumi. Hinc etiam benè respondet Bassol. cit. ad motiuũ opinionis oppositæ, quod si argumentum concluderet, probaret etiam, quod nunquam posset assumi natura, quia ita benè oportet priuari naturam propria suppositalitate in primo instanti, quando assumitur, sicut si postea in alio instanti assumeretur; & quod si Verbum modo dimitteret naturam assumptam propria suppositalitate restituita, oporteret illam naturam corrumpi, & de nouo reparari, vel reproduci cum propria personalitate, quod apud omnes falsum iudicatur; assumeretur ergo natura iam personata relinquendo propriam personalitatem, quæ ab ipsa separabilis supponitur, cum ei conueniat contingenter, & per vnionem hypostaticam acquireret

per-

personalitatem alienam, vnde nulla naturæ corruptio interueniret; & cum dicitur, corruptis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere, occurritur ex dictis num. 99. vel Arist. per primam substantiam intelligere substantiam singularem, qua vtique destructa impossibile est alia remanere, vel si etiam suppositum intelligit, hoc ideò dixit, quia non agnouit posse naturam singularem propria suppositalitate exui, & denudari.

122 Quartò, vlterius arguunt Suarez, Arriag. Lug. Hurt. & alij ex absurdis, quæ ex nostra sequerentur opinione, nam sequitur primò humanitatem Christi esse tam completam substantiam ex omni parte, sicut est persona Petri, & Pauli, quia nulla entitas positiua sibi deest, quam non habeat Petrus, & Paulus; ex quo vlterius sequitur secundò non posse cum Verbo facere vnum per se, nec inter ea vnionem substantialem intercedere posse, nam ex duobus entibus in actu, qualia essent in casu humanitas, & Verbum, omninò completis, & perfectis vnum per se fieri nequit, opus est ergo, vt humanitati assumptæ aliquid positiuum ad ipsam pertinens deficiat, atque ita sit incompleta substantialiter, vt cum Verbo vnum per se constituere possit; Sequitur tertiò Verbum ipsum post vnionem non esse personam, nam ex eo præcisè in opinione de negatiuo humanitas assumpta amittit propriam personalitatem, quia vnitur Verbo, & sic non amplius est per se, & in se sine alio; ergo pari ratione Verbum, quia vnitur alteri, & non amplius sine alio existit, propriam amittit personalitatem. Sequitur 4. naturam assumptam adhuc in Verbo propriam retinere personalitatem, quia habet illas duas negationes dependentiæ actualis, & aptitudinalis, in quibus Scotus constituit formalitatem suppositi, quod habeat secundam, concedit Scotus ipse, quod habeat quoque primam, probatur; quia natura humana habet in Christo omnes reales conceptus, per quos si dimitteretur subsisteret per Scotum absque nouo positiuo, ergo per eosdem est modò omnino independens à Verbo in ratione suppositi, tum quia humanitas, dum in se existit, non dependet à proprio supposito, cum sit quid negatiuum, quod realem dependentiam terminare non potest; ergo cum assumitur à Verbo nulla dependentia remanet ei supplenda, consequentia patet à pari de accidentibus eucharisticis, quorum dependentiam à subiecto ideò dicitur Deus supplere, quia re vera *antea* à subiecto dependendebant. Sequitur quintò Christum non esse vniuocè hominem nobiscum, quia personalitas humanitatis eius est positiua, & nostra esset negatiua. Demum vrget Caiet. quia si natura assumpta à Verbo modò dimitteretur, tunc esset alia persona distincta à persona Verbi & consequenter alia substantia; ergo persona addit quid positiuum naturæ, quia ponit in numerum, & alietas personalis est diuersitas positiua substantialis.

123 Respondetur negando vllum sequi absurdum ex opinione de negatiuo; & quidem primum, quod inde deducitur, non solum non est absurdum, sed potius maximè necessarium, imò hæc est secunda ratio, quam facit Doctor 3.d.1. qu.1. §. *contra primam viam*, contra opinionem de positiuo, quia inde sequitur naturam à Verbo assumptam carere illa entitate positiua, quæ ponitur vltima, & actualissima, ac determinatissima in tali natura; & quidem si Christus est ita perfectus homo sicut Petrus, & Paulus, cur eius humanitas, non debet dici ita perfecta, & integra substantia, sicut humanitas Petri, & Pauli? Ad secundum absurdum, quod hinc deducitur, si argumentum est bonum, æquè sequitur ad vtramque opinionem, nam apud Philosophos ita repugnat ex duobus entibus completis, & substantialiter perfectis fieri vnum per se, sicut ex vno completo, & alio incompleto, hac enim de causa forma accidentalis adueniens composito substantiali non facit cum eo aliquid per se vnum, quia licet ipsa sit entitas incompleta, tamen compositum substantiale est ens completum; & sic in proposito cum Verbum diuinum sit substantialiter completum, non poterit facere per se vnum cum natura humana, quantumcunque ponatur incompleta, & imperfecta; negandum est igitur ex Verbo, & natura assumpta fieri aliquod per se vnum vnitate compositionis, vt ex per se actu, & per se potentia, quemadmodum assumitur in argumento, quia nec humanitas, nec Verbum possunt habere rationem partis essentialis, tum quia talis vnio naturæ cum Verbo dicitur mirabilis, & ineffabilis, non esset autem talis, si constitutum per illam esset vnum vnitate compositionis ex per se actu, & per se potentia, quia hæc vnio est satis nota, & familiaris Philosophis; sed ex Verbo, & natura dicitur fieri ens per se vnum suppositaliter, vel personaliter per actualem dependentiam naturæ ad Verbum, qui est modus vnionis supernaturalis, ac ineffabilis, & cum dicitur ex duobus entibus in actu vnum per se fieri non posse, hoc vtique verum est in vnitate naturæ, & essentiæ, benè tamen fieri potest vnum in subsistentia; multa alia Poncius habet pro solutione huius argumenti disput. 18. citat. à num. 139. sed data solutio mihi videtur sufficiens, pro cuius tamen perfectiori intelligentia potest videri Doctor 3. distinct. 6. quæst. 3. & P. Bellutus Collegameus disputat. 2. de Incarn. quæst. 2. an persona Christi fuerit simplex, vel compositа, & an Christus sit quid vnum per se, vel per accidens.

124 Ad 3. dicitur hoc quoq; absurdum facere contra opinionem de positiuo, quia secundum eam ad personalitatem sequitur saltim negatio communicationis, nec aufertur talis negatio à natura, nisi etiam auferatur entitas positiua, ad quam necessario consequitur talis negatio, vnde cum in Incarnatione Verbum naturæ humanæ communicetur, amittendo talem negationem sequitur etiam debere amittere entitatem positiuam, ad quam consequitur; quare sicut à nobis quærunt Aduersarij, cur vnio abstulit rationem suppositi à natura, & non à Verbo, cum id quoque sit vnitum naturæ; sic nos quærimus ab eis, cur ex vnione humanitatis ad Verbum tollatur à natura personalitas positiua cum negatione consequente, & non etiam ex eadem vnione tollatur personalitas Verbi cum negatione consequente; omnes ergo tenemur ad huius difficultatis solutionem, pro qua primò debet negari paritas, quia personalitas Verbi dicit quid positiuum, & non simplicem negationem vnionis hypostaticæ, vt dicit personalitas creata, deinde quia vnio non est mutua in illis extremis, nam sola humanitas fundat vnionem, Verbum verò simpliciter eam terminat; item sub tali vnione humanitas à Verbo dependet, non autem Verbum ab humanitate, & ideò humanitas sola amittit negationem actualis dependentiæ, non autem Verbum. Præterea, quia re vera non tantum humanitas dicatur vnita Verbo, sed etiam Verbum humanitas per solam terminationem vnionis, quæ in humanitate fundatur, addendum est non quamlibet vnionem demere rationem suppositi, sed vnionem per modum actus, & rationis essendi, & constituendi aliquid in tali esse, hæc enim solum incommunicabilitatem excludit, vt quo; vnio autem, quæ verbo tribuitur, est per modum constituti, & terminantis, quæ incommunicabilitati minimè repugnat; denique personalitas dicit negationem communicationis cum alieno supposito, non cum aliena natura, & ideò quamuis Verbum vniatur humanitati in Christo non dicitur amittere rationem suppositi, benè tamen humanitas, quia communicatur supposito diuino.

125 Ad 4. negatur absurdum illud sequi, quia licèt humanitas in Christo habeat negationem dependentiæ, siue communicationis aptitudinalis cum Verbo, non tamen habet negationem actualis, cum sit actu illi communicata; ad primam huius impugnationem dico; quod licet natura assumpta eosdem habeat conceptus positiuos in Christo, ac in seipsa, non tamen habet eandem negationem actualis communicationis, vel dependentiæ, quia talis negatio non ei conuenit ab intrinseco, & ratione talium conceptuum, sed ex suspensione actionis extrinseci agentis potentis eam assumere, & non assumentis; ad aliam impugnationem concedo antecedens, & consequens, si sumatur dependentia pro vera, & reali causalitate arguente imperfectionem in dependente; negatur tamen vtrumque si sumatur pro communicatione, vt etiam Doctor explicat quol. 19. §. *secundò potest*, nam verè natura in se suppositata communicatur proprio supposito, quia Petrus verè dicitur homo humanitate, & per consequens hoc modo dependet etiam actu à Verbo, quia Verbum est homo humanitate, cum hac tamen differentia, quod Petro est communicabilis quidditatiuè, Verbo autem denominatiuè. Ad 5. potius illud absurdum sequitur in opinione de positiuo, quia vt ex Scoto dicebam ad 1.nu.123. humanitati Christi deesset entitas positiua, quæ est precipuum eius complementum substantiale eius in nobis, vnde saltim non esset perfectus homo, substantialiter, sicut nos, negatur ergo illa consequentia, quia humanitas in Verbo propriam non habet personalitatem, & illa quam habet in Verbo est quidem positiua, sed est ei extrinseca, & aduentitia, tum quia vniuocatio à gradibus attenditur penes prædicata essentialia naturæ, non verò extranea, & aduentitia, vt sunt singularitas, & suppositalitas. Ad vlt. humanitas modò in Verbo subsistens est alia substantia à Verbo realiter, non tamen personaliter, quia non est diuersa persona ab eo, quod si dimitteretur à Verbo, euaderet etiam alia substantia personaliter, non quidem ex additione nouæ substantiæ, sed ex additione duntaxat noui modi essendi, quatenus prius erat Verbo coniuncta, & nunc est separata, quæ separatio sufficit, vt dicatur aliud suppositum, quia talis denominatio sumitur præcisè ex diuerso modo essendi suppositа diuersitate naturarum, vt constat de vna portione aquæ, quæ dum est alteri vnita, non dicitur alia aqua ab illa, aut diuersum suppositum ab ea, benè tamen eo ipso, quod separatur ab ea absque additione alicuius positiui, & notandum id, quod etiam Poncius aduertit, quoq; Caiet. hoc argumento vrgeri, cum ipse admittat posse humanitatem à Verbo dimitti absq; restitutione propriæ personalitatis, quo casu explicare tenetur, an talis natura dimissa esset alia substantia à Verbo, & quomodo.

126 Demum Blasius à Concep. disp.8.8.Metaph. quæst.12. quatuor præsertim rationibus vrget sententiam de negatiuo, quarum prima, secunda, & quarta coincidunt cum hactenus adductis, & solutis, vnde quartam solùm restat adducere, & soluere; si suppositum, inquit, constituatur per aliquod negatiuum, sequitur quod Deus non redemerit nos. Quod actiones Christi non sint infiniti valoris; quod non sit communicatio Idiomatum in Christo, quæ sunt omnia falsa, & absurda. Probatur consequentia, quia si suppositum constituitur per quid negatiuum formaliter, non possunt actiones refundi in suppositum formaliter, tanquam in principium illarum, quia negatiuum nequit influere in positiuum; cum ergo Verbum in Christo suppleat munus personalitatis humanæ, Verbum non producet, vt quod, actiones humanitatis Christi, & sic Filius Dei non dicetur Redemptor noster, sed sola humanitas Christi; nec Deus dicetur mortuus per communicationem idiomatum, nec actiones Christi humanæ erunt infiniti valoris, quia non refundetur amplius in Verbum, tanquam in principium *Quod*, quæ est ratio, quare tantus valor eis à

Theo-

Theologis concedatur. Confir. quia illa substantia, quæ habet omnia, quæ habet suppositum creatum, habet illa omnia, in quæ potest reduci actio; sed humanitas Christi sine Verbo habet omnia positiua, quæ dicit suppositum creatum v.gr. Petri; ergo habet omnia, in quo potest reduci actio humanitatis sine Verbo, nec in Verbum reduci poterit, nec à Verbo actiones Christi valorem habebunt infinitū.

127 Resp. actiones naturæ non refundi in suppositum, tanquam in principium quo, vel quod influens physicè in ipsas, sed tantùm tanquam in principium, quo formaliter constituitur suppositum, & vltimatè denominatur agere, & pati, seu habere actiones & passiones naturæ, quia habet naturam, à qua procedunt, quod quidem potest suppositò conuenire etiam si per solam negationem in tali esse constituatur; & in hoc sensu actiones & passiones humanitatis Christi verè tribuuntur diuino supposito vices supplenti suppositi creati, quatenus sibi vnitam habet naturam, à qua illæ actiones, vel passiones physicè procedunt, & ideò negantur consequentiæ in argumento deductæ, quia adhuc in hoc sensu benè verificatur Filium Dei esse Redemptorem nostrum, & actiones humanas Christi esse infiniti valoris, quantum valet suppositum significare actiones, quatenus nimirum omnes actiones, & passiones naturæ, ipsi tribuuntur, vt vltimate denominato, & in se verè habenti naturam, à qua tales actiones, vel passiones physicè procedunt. Ad Confirmat. respondetur ex eodem fundamento, quod licèt omnes actiones, & passiones possint in naturam reduci, tanquam in principium quo, vel quod physicè influens, non tamen tanquam in id, quod vltimatè denominatur agere, vel pati, sic enim attribuuntur soli supposito, & ideò actiones humanæ Christi non possunt in hoc sensu tribui humanitati, sed debent tribui Verbo: sed pro maiori intelligentia huius solutionis resoluenda est quæstio sequens.

QVÆSTIO V.

An, & quomodo subsistentia concurrat ad operationes suppositi.

128 BReuiter, ac dilucidè dubium hoc resoluit P. Bellutus Collega meus tract. de Incarn. disput. 1. quæst. 1. in quarta dubitatione adeout ferè nihil mihi supersit in præsenti dicendum vlterius de mente Doctoris, & resolutione huius quæsiti. Cæterum quia P. Blasius à Concept. disp. 8. Metaph. quæst. 6. altè de quibusdam Theologis, quibus etiam Scotum admiscet, conqueritur, & causatur, quod omnem actiuitatem suppositalitati sustulerint cum ingenti rerum fidei detrimento; nec non sine iniuria Christi Domini necessarium duxirem hanc amplius declarare, & pro dignitate discutere, vt pateat quam immerito ne dicam temere, hic Auctor tam acrem inusserit censuram opinioni neganti influxum positiuum suppositalitatis in ordine ad actiones, & operationes naturæ. Vt autem pateat sensus quæstionis, & in quo conueniant Auctores, ac discrepent, notandum est omnes gratis concedere non in eo sensu intelligendum esse commune illud axioma, *actiones sunt suppositorum*, quod ansam præbuit huic controuersiæ, vt nullæ prorsus possint dari actiones, quæ à supposito non procedant, & in quas subsistentia non influat; certum est enim, quod anima separata non est suppositum, & tamen intelligit, & amat, & vt dicitur à Theologis in tract. de Trin. diuina natura concipitur elicere operationes, quas vocant essentiales, antequam concipiatur personata, & terminata per suas relationes & etiam accidentia separata in eucharistia suas dicuntur exercere operationes; vndè solum dubium est de actionibus, quæ fiunt in natura suppositata, nam in istas contendunt Thomistæ nedum naturam sed etiam suppositalitatem partialiter influere, adeout ex natura, & subsistentia integretur principium totale, & completum omnium operationum, quod dicitur suppositum.

129 Prætereà gratis concedunt omnes suppositum ex natura & subsistentia constitutum esse illud cui maximè attribuantur operationes, aliaque munera, siue esse illud quod denominatur operari, aliaque munera exercere, naturam autem esse principium quo suppositum operatur, & propter hoc subsistentia, & suppositum dicuntur saltim denominatiuè concurrere; & ratio huius est quam Doctor assignat 4. d. 12. quæst. 3. Aa. & 1. d. 12. quæst. 1. ad 2. quia scilicet natura consideratur per modum partis, suppositum verò se habet, vt totum ex natura, & subsistentia coalescens, pars autem licèt etiam esset principium totale, & adæquatum actionis alicuius, quia se habet per modum partis, non potest dici operati, vt quod, sed vt quo, quia ex ipso, quod sit pars, & illud quo aliud operatur: id patet in operationibus inorganicis animæ, ac penitus immaterialibus vt sunt intelligere, & velle, quæ licèt ab anima ipsa procedant, vt à principio totali, & adæquato, adhuc tamen denominatiuè dicuntur esse totius, & tribuuntur toti, dicendo, quod homo intelligit, & amat, vt quod nō autē anima, quandiu est corpori coniucta, nisi vt quo, vt tradidit Arist. 1. de anim. tex. 64. imò quod minus videtur, hoc ipsum dicitur de aqua calida, quod calefacit, vt quod nō autē calor in ipsa exiltēs, etiāsi solus calor, vt de se patet sit integrū principiū, & adequatū calefactionis, cū aqua cōcurrat merè per accidens, vt subiectū, & vehiculū caloris; hac igitur de causa omnes concedunt actiones quascunque à natura suppositata prodeuntes esse suppositorum denominatiuè, neque de hoc est controuersia; sed quæstio est, an actiones sint suppositorum etiam elicitiuè, adeò vt physicè concurrat partialiter subsistentia simul cum natura ad operandum, ita quòd natura quidem sit principium quo earum, partiale, & incompletum, suppositum verò sit principium quod integrum, & completum est natura, & subsistentia coalescens.

130 Hac præmissa declaratione pro tituli quæstionis intelligentia, tres in hac controuersia sunt sententiæ, duę extremę, & vna media; Prima extrema docet subsistentiam esse principium per se, ac formale actionum suppositi, si non integrum, & adæquatum, saltim partiale, & inadęquatum, itaut simul influat cum ipsa natura, & actio non minus immediatè, ac per se pendeat à subsistentia, quam à natura, atque ita volunt actiones esse suppositorum nedum denominatiuè, vt omnes fatentur, sed etiam elicitiuè, & hanc ait Blasius Concept. loc. cit. esse communem omnium Thomistarum p. 3. q. 15. art. 1. & q. 1. art. 2. & inter alios citat Nazarium controu. 3. Asturicens. in relectione de gratia Christi quæst. 5. dub. 3. Aluarez disp. 5. & Fland. in Met. lib. 1. q. 5. art. 2. attamen Io. de S. Thom. non ita rigorosè tribuit actiones subsistentiæ, nam respondendo ad fundamentum partis oppositę concedit, quò subsistentia non influit, vt principium operandi, sed vt terminans, seu vt modificans ipsum principium, reddensque illud operatiuum, vt quod, ita habet q. 7. Phys. art. 2. Vnicum motiuum Thomistarum ad tribuendas actiones supposito in tanto rigore fuit (vt benè notauit Suar. disp. 34. met. sect. 7.) vt defenderent actiones Christi ab humanitate proficiscentes esse aliquo modo diuinas, seu Dei operationes, ad has enim propositiones verificandas putant esse necessarium, vt ab ipsa subsistentia Verbi per se, ac proximè profluant, quæ supplet in Christo vices subsistentię creatæ; & hac de causa dixit Blasius à Concep. oppositam sententiam defendi non posse absque maxima Christi iniuria, & piarum aurium offensione.

Opposita ex diametro sententia docet subsistentiam nullo modo esse principium agendi, nec per se requiri, & concurrere ad actiones, sed merè concomitanter, & per accidens, ita Vasq. 3. p. disp. 8. cap. 2. & disp. 21. cap. 3. vbi ait subsistentiam propriam, aut alienam nec esse quidem conditionem requisitam ex parte principij ad agendum, sed ipsi naturæ, v.g. humanitati posse tribui actionem, nedum tanquam principio agendi, vt quo, sed etiam, vt quod, sequitur Albert. de prędicam. substātię disp. 3. q. 1. n. 17. Arriag. disp. 4. Met. sect. 13. subsec. 5. & amplecti videtur Ouied. controu. 6. Met. punct. 3. num. 14. Media tandem sententia fatetur quidem subsistentiam nullo pacto esse principium operandi nec adæquatum, nec inadęquatum, concedit tamen concurrere, vt conditionem ad agendum necessario requisitam, & in hunc modum constituere naturam in potentia proxima ad agendum; Verùm quia inter conditiones ad exercitium causę necessarias, quędam sunt simpliciter, ac indispensabiliter necessarię in ordine ad quamcunque potentiam, quędam verò tantum secundum quid, & secundum communem naturę cursum; adhuc fuat inter se diuisi Auctores huius, medię sententię: quidam enim dicunt esse conditionem simpliciter, & absolutè necessariam ad agendum, adeout neque à Deo fit supplebilis, quia est conditio complens in esse substantiali naturam, sine qua conditione esset proximè impotens ad agendum; sic loquitur Auersa quæst. 18. cit. sect. 9. & Fab. noster theor. 87. cap. 2. in fine vbi ait, quod subsistentia concurrit, non quidem tanquam ratio agendi, sed tanquam conditio agentis per se necessaria, nisi enim natura subsistat, agere non potest, vnde potest esse ratio, propterquam natura sit in potentia proxima ad agendum, & ideò per se concurrit, non autem merè per accidens, & concomitanter, ita ille; & sic etiam defendit Card. de Lugo disp. cit. sect. 7. nu. 109. Alij verò dicunt esse conditionem necessariam tantùm secundum quid, & secundum communem naturę cursum, quia iuxta naturalem ordinem subsistentia in natura per se prę supponitur, & prę requiritur ad operationes exercendas, tamen de potentia Dei absoluta fieri posse, vt operationes prodeant à natura non supponendo subsistentiam, ita significauit Caiet. 3. p. quæst. 2. art. 11. & hęc etiam est opinio Suarez sect. 8. cit. esto citari soleat pro priori modo dicendi, quamuis enim num. 10. dicat subsistentiam non merè concomitanter se habere ad actionem, sed esse conditionem per se necessario requisitam ex parte agentis, addit tamen nu. 15. quod si per possibile, vel impossibile conseruaretur natura absq; vlla subsistentia propria, vel aliena, posse adhuc naturam illam operari, deberique illi concursum generalem ad suas operationes, quia ipsa natura in se habet totam virtutem requisitam ex parte principij ad operandum; & sic etiam docet P. Bellutus Collega meus loc. cit. ex Doctore pluribus in locis: nec repugnat Lugo, vt patet ex his quæ habet loc. cit. n. 103.

131 Dicendum primò subsistentiam creatam non habere proprium & immediatum influxum nec totalem, nec partialem in actiones suppositi; Hæc conclusio ponitur ad excludendam primam extremam sententiam, & est Scoti vbicunque docet subsistentiam creatam consistere in negatiuo, hoc enim ipso fatetur non posse subsistentiam nec totaliter, nec partialiter in actiones positiuas naturæ influere; & extra schola D. Thomæ est concomiter recepta, & probatur primò ratione physica etiam admissa opinione depositiuo nam apud philosophos in actione reali principium formale agendi est natura; illudenim est principium formale agendi, quod est ratio, cur agens assimilet sibi passum, quam assimilationem intendit in actione agens formaliter quidem si est agens vniuocum, aut saltim virtualiter, si est agens æquiuocum sed agens non intendit sibi assimilare passum in singularitate,

aut

aut suppositalitate, sed tantùm in natura, in hac enim conueniunt, & in illa differunt; ergo principium formale, & ratio adæquata agendi in quacunque actione est natura dumtaxat, qua ratione Philosophi nedum à principio formali agendi suppositalitatem excludunt, sed etiam singularitatem; quam dicunt esse conditionem tantum sine qua non agentis, vel agendi; ergo singularitas hac de causa excludi debet à principio formali actionis, tanto magis excludi debebit suppositalitas, tum quia hæc est magis extrinseca naturæ, quam illa, siquidem singularitas est realiter identificata naturæ, & ab ea prorsus inseparabilis, non verò suppositalitas; tum quia singularitas est magis necessaria ad agendum, quam subsistentia, siquidem animæ separatæ, & accidentibus separatis in Eucharistia conuenit actio, quibus non conuenit suppositalitas; & tandem omninò implicat aliquid agere, nisi fuerit singulare, quia actiones sunt singularium, & circa singularia ex 1. Met. cap. 1. potest tamen aliquid agere, esto non sit suppositum, vt constat in exemplis allatis.

Confirmatur, quia agens per actionem dum intendit assimilare sibi passum, intendit etiam se illi communicare, quantum potest; ergo illud tantum ponit potest principium talis actionis, quod potest esse principium talis communicationis; ergo natura solùm potest esse tale principium, non verò singularitas, aut suppositalitas; probatur hæc vltima consequentia, siquidem cætera patent; nam sola natura dat esse communicabile, alia verò dant esse incommunicabile, singularitas quidem dat incommunicabilitatem, vt quod, suppositalitas verò vt quod, & vt quo. Conf. vlterius, quia actiones proportionantur suis principijs, & in effectu semper aliqua formalitas reperitur, in qua assimilatur suæ causæ; præsertim quando fuerit vniuocus; sed actiones proportionantur formæ, seu naturæ, non verò suppositalitati, vel singularitati; ergo hæc non sunt principia illarum productiua, nec sunt rationes agendi; probatur maior, quia si inter agens, & actionem, & eius effectus talis proportio necessaria non esset, tunc quodlibet dici posset produci à quolibet, nec determinati effectus haberent determinatas causas, probatur minor inductione, nam calor, & calefactio manant à calore, frigus, & frigefactio à frigore, viuere ab anima, neque in effectu producto potest alia formalitas assignari, in qua suæ causæ assimiletur, nisi natura, & essentia, nam per alias formalitates nempe singularitatem, & suppositalitatem diuersificatur potius, & discernitur ab ea. Conf. tandem, quia natura propriè est, quæ habet facultates, & virtutes agendi, ideoque ipsa sola suis prædita facultatibus est sufficiens principium, & quo, quod, vnde dimanet actio; ergo frustra additur subsistentia, vt principium partiale actionis.

132 Secundò probatur ex natura ipsius subsistentiæ, nam hæc in creatis non est quid intrinsecè constituens naturam, sed est modus quidam naturæ, ideoq; naturam supponit in suo integro esse constitutam, non solum inquantum est principium formale essendi, sed etiam inquantum est principium effectiuum operandi vel per seipsam immediatè, vel per facultates, quæ ad ipsam consequuntur; qua de causa lo. de S. Th. cit. fatetur ingenuè non influere, vt principium in operationes suppositi, sed tantùm vt terminans, seu modificans ipsum principium, reddensq; illud operatiuum, vt quod; quod quidem præstare potest, etiamsi ponatur concurrere, vt sola conditio necessaria ad agendum, non autem vt principium partiale. Confir. quia existentia est modus intimior essentiæ, quam sit subsistentia, & tamen communiter non ponitur ratio, seu principium agendi, sed tantum conditio agentis; ergo tanto minus id erit de subsistentia asserendum, quæ est modus magis extrinsecus aliorum, ac vltimò adueniens. Rursus vnio quoq; est modus substantiæ compositæ intimior, quam subsistentia, & tamen non ponitur principium agendi, sed tantum conditio necessario præsupposita; ergo tanto minus subsistentia; Demum nullus vniuersaliter modus aduenies naturæ siue intrinsecus, siue extrinsecus confert illi nouam vim actiuam in ordine ad operationes sibi connaturales, quia dicunt tantùm modificare naturam, ac eius actiuitatem quæcunque sibi adueniunt post eius integram constitutionem; ergo id pariter asserendum de subsistentia, imo tantò magis de ipsa, quia est vltimus omninò modus spectans ad complementum naturæ, vt terminus eius.

133 Tertiò probatur ex natura ipsius actionis realis, hæc enim vt exerceatur à natura, non exigit in ipsa rationem subsistentiæ; ergo signum est naturam de se esse sufficiens principium cuiuscunque operationis citrà subsistentiam, consequentia patet, quia si subsistentia esset necessarium absolutè comprincipium operationis cum natura, nunquam natura posset se sola vllam attingere operationem; probatur assumptum exemplo de anima separata, quæ agit absq; suppositalitate, ac etiam in accidentibus, nam vt docet Doctor 1. d. 4. qu. 2. color hic singularis existens, vt possit agere, non determinat sibi ratione suppositi, quia ratio suppositi propriè non reperitur in accidentibus, & licèt sit in supposito substantiæ, tamen inquantum intelligitur absq; vlla subsistentia in supposito, vt hic color existens, potest esse principium operationis realis, sicut si eadem albedo esset in tribus suppositis, vel superficiebus haberet actum realem, scilicet vnam rationem disgregandi; & hoc idem magis patet in accidentibus Eucharistiæ.

Respondet Blasius à Concep. loc. cit. nu. 93. non requiri à Thomistis absolutè, & de necessitate omnimoda suppositum ad quancunq; actionem, taliter quod non possit dari actio sine supposito, sed solùm volunt actiones, quæ fiunt à natura suppositata, nedum à natura procedere, sed etiam à suppositalitate, tanquam à comprincipio effectiuo cum natura illarum actionum; ad illud de anima separata concedit eam habere actiones à supposito non dependentes, ac proindè ait ab ea procedere, vt à principio incompleto, & inadæquato, ac propterea non esse operationes ità perfectas, sicut sunt illæ, quas elicit in corpore, ad illud tandem de accidentibus eucharisticis ait ea agere in virtute suppositi panis, in quo anteà præextiterunt, & cuius sunt virtutes, & sic licet suppositum panis non sit amplius in se, agit tamen in virtute sua existens. Hæc solutio multa falsa continet, nec satis sibi constat, nam in primis concedit posse dari aliqua actionem sine supposito, & posteà hoc negat contendens etiam accidentia separata agere in virtute suppositi panis, quod non existit, nec reperitur in rerum natura, quod planè repugnat, vt ostendi disp. 7. Phys. q. 4. art. 1. existentia siquidem est omninò necessaria in causa efficiente ex ibi dicti. Item vult in homine ad omnes actiones animasticas concurrere cum anima etiam suppositalitatem, & posteà concedit has à sola anima procedere in statu separationis, tanquam à principio inadæquato; sic argumentor, vel suppositalitas in homine est comprincipium essentialiter necessarium cum anima concurrens ad operationes animasticas, vel tantum secundum quid; si primum, ergo anima se sola nunquam illas poterit elicere operationes, non enim vna causa partialis potest se sola attingere effectum, ad cuius productionem necessariò exigit concursum alterius partialis concausæ, vt patet de Patre, & Matre in generatione prolis; si verò suppositalitas est tantum necessaria secundum quid, ergo illæ operationes præsertim in statu separationis ab anima procedunt, vt à principio totali, & adæquato. Demum si concedit posse absolutè dari actionem realem sine ratione suppositi, iam eo ipso fatetur illud axioma, *actiones sunt suppositorum*, non esse vniuersaliter verum, nisi per suppositum intelligatur singulare, vt communiter exponi solet, quandoquidem dari possunt actiones reales, quæ non sunt suppositorum.

134 Quartò quia gratis concedit hic Auctor num. 84. sensum ipsius axiomatis non esse, quod nullæ possint omninò dari actiones, quæ à supposito non procedant, vt à principio, *quod*, sed in hoc sensu intelligendum esse, quod actiones, quæ fiunt in natura suppositata, nedum à natura procedunt, sed etiam à subsistentia, vt à comprincipio partiali; ad hanc, inquam, responsionem refutandam ostendo ex eo, quod ipse docet cum cæteris Theologis etiam actiones, quæ fiunt in natura suppositata, à sola natura procedere, tanquam à principio totali, & adæquato; nam in Deo tota ratio agendi ad extrà est natura, seu diuina voluntas, & personalitates diuinæ nullum habent influxum in actiones ad extrà, qua de causa est commune axioma apud Theologos, quod actiones ad extrà in Trinitate sunt indiuisæ, sicut est indiuisa natura; ergo etiam in natura suppositata, vel suppositabili natura est principium totale, & adæquatum operationum eius præcisa suppositalitate. Dices, subsistentias personales saltim esse principium productionum ad intra, nam paternitas constituit Patrem in ratione principij potentis generare filium; ergo etiam subsistentia creata potest complere principium formale operandi. Contrà, quia diuina natura etiam ad intrà est principium integrum, & completum operationum, quas vocant essentiales, præcisis relationibus, vndè vt dicitur in materia de Trin. & concedit hic Auctor loc. citat. antequam concipiatur diuina natura per suas relationes terminata, concipitur elicere operationes essentiales. Deindè etiam in actionibus notionalibus seu productionibus ad intrà, vt sunt generatio, & spiratio, vult Doctor 1. d. 7. q. vn. cui subscribunt quamplures Theologi, intellectum, & voluntatem diuina essentia illas fæcundante potentias esse principia integra, & adæquata generandi, & spirandi, relationem verò personæ producentis esse necessariam duntaxat conditionem, & hoc satis esse, vt persona dicatur generare, vel spirare, non autem diuina natura, tanquam principium quod. Et tandem, si cum alijs Theologis concederetur diuinas subsistentias spectare ad principia adæquata generandi, & spirandi, adhuc neganda est paritas, si deducatur ad subsistentias creatas, quia in diuinis subsistentiæ solæ personas distinguunt, & consequenter constituunt principium producens, & productum, quæ vt talia debent distingui; in creatis autem, vbi naturæ seipsis, vel proprijs singularitatibus secernuntur, opus non est naturam constitui in ratione producentis per subsistentiam.

135 Quinto simile argumentum ad hoc idem probandum sumi solet ex mysterio Incarnationis, nam Verbum in natura humana assumpta suppleuit vices subsistentiæ creatæ, & tamen non habebat specialem influxum in operationes illius effectiuum, quia nulla persona diuina aliquid operatur ad extrà, quod etiam aliæ personæ non operentur, siquidem operationes ad extrà sunt communes omnibus; signum ergo est subsistentiam creatam non habere peculiarem influxum effectiuum in operationes naturæ, qui debeat à Verbo suppleri. Respondent Thomistæ imò esse necessarium hunc peculiarem influxum personalitatis Verbi in actiones humanitatis assumptæ, vt actiones illæ possint dici diuinæ, seu Dei operationes, ac etiam vt subsistentia Verbi dicatur in omnibus supplere vices subsistentiæ creatæ, nam si id non suppleret, in re principaliori deficeret. Contrà, nam hæc euasio præcluditur ex ipso argumento, quia actiones Trinitatis ad extrà sunt indiuisæ, nec potest aliquid efficere vna persona, quod non efficiatur ab alia; ergo subsistentia Verbi non supplet creatam sub-

subsistentiam quoad aliquam actiuitatem, sed solùm quoad terminationem naturæ assumptæ, alioquin aliqua actiuitas conueniret Verbo ad extrà per propriam relationem, quæ communis non esset alijs personis; & ad veritatem illarum propositionum, quod actiones humanæ Christi sunt diuinæ, & Dei operationes sufficit illa terminatio, nam ob talem terminationem illæ operationes tribuebantur supposito diuino, & suppositum diuinum verè dicebatur illas operationes habere, quia naturam habebat, à qua procedebant. Dices, actiuitatem propriæ subsistentiæ humanitatis Christi non quidem immediatè suppleri à Verbo per propriam relationem, sed per diuinam voluntatem, sic enim loqui videtur Blasius à Concep. dum inquit Deum per personam Verbi supplere in Christo munus personalitatis creatæ. Contrà, quia tunc conceditur, quod intendimus, personalitatem Verbi non habere influxum actiuum in actiones humanitatis Christi; tum quia tunc humanitas Christi non fuisset proprium & integrum principium humanarum actionum, sed fuisset diuinitas cum humanitate, quod est voluntariè dictum, & absque fundamento.

136 Dicendum 2. neq; subsistentiam se habere merè per accidens, & concomitanter ad operationes suppositi, sed aliquo modo antecedenter, non quidem prioritate causalitatis, sed simplicis præsuppositionis naturalis. Hæc conclusio statuitur contra aliam sententiam extremam, & probatur, quia si subsistentia merè per accidens, & concomitanter se haberet ad operationes suppositi, vt asserit illa sententia, tunc ista prædicatio, *Petrus operatur*, esset eiusdem rationis cum illa, *musicus ædificat*, quod euidenter constat esse falsum, quia hæc secunda propositio est de subiecto merè per accidens, non autem prima. Consequentia patet, nam hæc prædicatio, *musicus ædificat*, ideò est de subiecto merè per accidens, quia musica per accidens omninò, & concomitanter se habet ad ædificationem; si ergo eodem modo se habet ratio suppositi ad operationem, vt sic, hæc prædicatio, *Petrus operatur*, erit eiusdem rationis cum illa. Conf. quia si suppositalitas non magis requiritur ad operandum, quam musica ad ædificandum, sine maiorem non habet cum operatione connexionem, quam musica cum ædificatione, nulla potest afferri ratio, cur tribuantur potius operationes supposito, quam ædificium musicæ.

Respondet Arriag. discrimen inter illas propositiones in hoc consistere, quod musica neque requiritur ad ædificandum neque necessariò est connexa cum ædificante, quia est accidens illius quinto modo, vnde licet sit vera ea propositio, *musicus ædificat*, dicitur tamen per accidens; at subsistentia, quia per se connexa est cum natura operante, licet ad operationem non requiratur, sicut nec requiritur musica, dicitur tamen per se concurrere non perfectate connexionis cum natura operante. Contra, quia aliqua sunt accidentia, quæ necessariò sunt connexa cum natura operante, vt potè à quibus saltim à posteriori pendet in sua conseruatione, vt sunt vbicatio, duratio apud illos, qui eam realiter distinguunt à re durante, & alia quædam huiusmodi, quibus tamen non tribuitur operatio cum tanta proprietate, quanta tribuitur subsistentiæ, non enim ita propriè dicitur vbicatum operari, aut durans, sicut suppositum, quod esto affirmet Arriaga, hoc tamen est voluntariè dictum, quia actiones esse suppositorum est commune axioma, & famigeratum dictum, non verò quod actiones sint vbicatorum, aut durantium, ergo quandam peculiarem habent operationes à supposito dependentiam quam non habent ab vbi vel duratione; & ratio est quia subsistentia in natura operante aliquo modo se habet antecedenter ad operationes, vbicatio autem & duratio merè concomitanter.

137 Hoc autem ostenditur probando secundam conclusionis partem, quod scilicet subsistentia se habet, vt aliquid naturaliter prævium ad omnem operationem, omniaque accidentia naturæ etiam connaturaliter conuenientia, quia vt habet Doctor in 3.d.2.q.2.art.2. & quol. 19. P. illud negatiuum, vel positiuum, quod subsistentia importat, statim sequitur naturam singularem, etiamsi tunc nullam exerceret operationem, esseteque ablq; omnibus accidentibus sibi naturaliter conuenientibus; prius enim conuenit naturæ omne id, quod pertinet ad rationem essendi substantialem, quam aliud omne extrinsecum; cum ergo subsistentia pertineat ad modum essendi substantialem naturæ, quia est modus existendi per se, & pertinens ad actum primum, operatio autem sit quid aduentitium pertinens ad actum secundum, plane sequitur subsistentiam præcedere operationem in supposito, & non merè concomitanter ad eam se habere. Et quidem, vt notat Doctor loc. citat. hoc verum est nedum de natura in proprio supposito, sed etiam in alieno, adeout subsistentia etiam aliena prius, & immediatius se habeat ad naturam, quam operationes, & alia accidentia, quia, vt inquit Doctor, in eodem instanti naturæ, in quo personaretur in se, si sibi dimitteretur, in eodem personatur à persona assumente, vnde si subsistentia propria est prior natura quacunque operatione, id etiam verum erit de subsistentia aliena, quæ in eadem natura succedit loco illius in eodem prorsus instanti, quo illa pullularet. Et hinc verificatur, quod communiter inquiunt Theologi animam Christi nullum actum meritorium exercere potuisse priusquam vniretur Verbo, quo talem vnionem meruerit, quia in humanitate Christi prius ordine naturæ præsupponitur vnio hypostatica ad Verbum, quam intelligitur quæcunque operatio.

Tandem, quod hæc prioritas, & antecessio subsistentiæ ad operationes in supposito non sit prioritas actualitatis, sed simplicis præsuppositionis naturalis, quæ erat vltima pars conclusionis, sequitur ex dictis conclusione præcedenti, cum enim ibi statutum sit non pertinere ad principium actiuum, nec vllam actiuitatem habere in ordine ad operationes, hic consequenter dicendum est talem prioritatem non esse causalitatis, quæ explicatur per hoc, quod vnum sit ab alio, sed simplicis naturalis præsuppositionis, quæ explicatur per hoc, quod vnum in vno priori signo intelligitur, in quo non intelligitur aliud, quo pacto in anima intellectus dicitur prior voluntate, non, quia hæc potentia dimanet, ab illa, sed quia in anima vna præintelligitur alteri; potest etiam dici prioritas inconsequentiæ, seu à qua non conuertitur subsistendi consequentia, valet siquidem dicere humanitas operatur, ergo est suppositata, non tamen è contra est suppositata, ergo operatur.

138 Dico tandem subsistentiam in natura suppositata, vel suppositabili se habere, vt conditionem, sine qua natura non ageret; dico in natura suppositata, vel suppositabili, quia in alijs naturis, quæ non sunt aptæ suppositari, talis conditio necessaria non est, vt patet in accidentibus separatis. Hæc conclusio sequitur ex duabus præcedentibus, si enim subsistentia non se habet ex vna parte merè per accidens, & concomitanter ad operationes suppositi, vt dictum est conclusione secunda; & ex alia parte non pertinet ad rationem agendi nec adæquatè, nec inadequate, vt dictum est in primo asserto, remanet vt sit necessaria ad operandum per modum conditionis sine qua non, atque ideò indiget potius declaratione, quam probatione, ne contradicere videatur Patri Belluto Collegæ meo, qui disputat. citat. q.1. n.26. negat esse conditionem, sine qua natura non ageret; nam si per conditionem sine qua non intelligatur illa, quæ vniuersaliter interuenit in omni prorsus actione, & operatione, ac etiam cuiuscunque agentis, qualis est existentia, sic vtique non est conditio sine qua non ad agendum per se necessario requisita, quia non in omni natura reperitur talis necessitas, sed tantum in natura suppositata, vel suppositabili, & in hoc sensu necessitatem huius conditionis ad agendum negat P. Collega meus loc. citat. cum id probet exemplo accidentis separati; alioquin in natura suppositabili immediatè infra n.27. fatetur necessariò concurrere subsistentiam ad operationem, vt aliquid naturaliter prævium. An verò in tali natura sit conditio simpliciter necessaria ad operandum, ac indispensabilirer, sicut est existentia, etiam de potentia Dei absoluta; an verò regulariter tantum, & secundum communem naturæ cursum, vt dici solet de approximatione agentis ad passum, pendet ex alio puncto, num scilicet natura substantialis possit per potentiam Dei absolutam sine subsistentia omni tam propria, quam aliena conseruari; si enim affirmatiuè respondeatur, tunc dicendum est subsistentiam non esse conditionem per se, & simpliciter ad agendum necessariam, quia si natura substantialis esset sine omni subsistentia, adhuc illa natura haberet integram virtutem suam actiuam, secundum quam supposito illo primo miraculo posset deinceps connaturaliter exire in actum secundum operando, si enim hoc non negatur accidenti separato à propria inhærentia, tanto magis id poterit, ac debebit concedi substantiæ singulari separatæ à propria subsistentia, quæ est perfectioris entitatis, & actiuitatis.

139 Neq; hinc sequitur, vt vrget Ouied. loc. cit. §.17. quod si effectus absolutè sine tali conditione haberi potest, non erit propriè conditio, alioquin etiam dici posset esse conditionem ad intelligendum habere pileum, & ad ædificandum esse musicum; non, inquam, sequitur, quia habere pileum respectu intellectionis, aut esse musicum respectu ædificationis, & alia huiusmodi accidentia, satis constat nullam per se connexionem habere cum illis effectibus, nec etiam secundum communem naturæ cursum, & ideò nequeunt vllo pacto appellari conditiones requisitæ ad illos effectus ponendos, quia etiam naturaliter tam benè ponuntur sine illis conditionibus, ac cum illis; subsistentia verò ex natura rei connectitur substantiæ, & precedit quamcunque operationem eius, & ideò benè meretur nomen conditionis necessario requisitæ ad operandum saltim secundum communem naturæ cursum. Si verò teneatur nec etiam per potentiam Dei absolutam posse substantiam singularem conseruari, & existere sine omni subsistentia propria, vel saltim aliena, tunc consequenter est asserendum illam esse conditionem simpliciter, & absolutè necessariam, & per quamcunque potentiam dispensabilem, & quia hoc posterius probabilius est; imò necessario asserendum in opinione de negatiuo, vt dixi supra n.84. ideò probabilius quoq; erit asserere subsistentiam in natura substantiali, & suppositabili esse conditionem per se simpliciter necessariam ad operandum.

Et quod dictum est de subsistentia in ordine ad agendum, proportionaliter etiam dici debet de ipsa in ordine ad patiendum accidentia recipiendo, quod nimirum prius subiectum supponitur in se subsistens, quam accidentia recipiat, non tamen est ratio, vel principium passiuum adequatum, vel inadequatum ad ea recipienda, aliter Verbum in Christo omnia reciperet accidentia, licet suppositum denominetur pati, ficut & agere, ob eandem rationem superius assignatam numero 129. & hinc est, quod Petrus denominatur albus, calidus &c. non autem hæc humanitas; & hac eadem ratione suppositum quoque dicitur generari, & corrumpi per vltimatam denominationem, licet id quod verè generationem terminat, & corruptionem sit hęc natura singularis; non verò duplex

ne-

negatio, quæ ad ipsam consequitur, & in qua consistit personalitas, vt notat Doctor 3.distin.22.quæst.vn. G.

Satisfit Obiectionibus.

140 IN oppositum contra 1.concl. Primò solent obijcere Thomistæ tritum axioma, quod aiunt ex Arist. desumi 1.Met.cap. 1. *Actione sunt suppositorum*, ex quo deducunt suppositum ex natura, & subsistentia constitutum esse integrum, & adæquatum principium actiuum operationum. Verum, quia Doctor citat. 4.dist. 12. quæst. 3. ad 2. principale optimè aduertit illam propositionem ex Philosopho non haberi sub illis terminis, nam tantum habet quod *actiones, & generationes sunt circa singularia*, vnde neque loquitur de principio elicitiuo actionis, sed tantum de termino ad quem illius. Ideò illud corroborant auctoritate Damasceni libr. 3. de Fide capit. 15. in principio, vbi apertè dixit, agens quod operatur esse personam; ac tandem ex Concil. Florent. sess. 18. & 19. vbi Ioan. Theologus ad declarandum, quod Pater generat, & non essentia, subdit rationem, quia essentia non significat suppositum. *Actiones autem sunt suppositorum, sicut in humanis vniuersa clamat Philosophia*, inquit ille session. 19. paulò ante medium.

Resp. si in eo axiomate suppositum sumeretur pro singulari, vt loquitur Aristot. planè argumentum nihil probat ad propositum de subsistentia, nam etiamsi concedatur actiones esse singularium elicitiuè, non tamen hinc sequitur, quod etiam eodem modo sint suppositorum, sed sufficiet, quod sint eorum denominatiuè, vt postea explicabimus cum Doctore. Sed accipiendo etiam suppositum in proprio significato, adhuc ex eo vulgari loquendi modo non probant Thomistæ sufficienter intentum, quod scilicet subsistentia debeat se tenere formaliter ex principij actiui; nam etiam passiones sunt suppositorum, & suppositis tribuuntur, sicut actiones, sicut enim non dicitur humanitas generare, sed hic homo, ita nec humanitas dicitur generari, sed hic homo, scilicet Petrus, & tamen non ita dicitur subsistentia se tenere ex parte principij passiui formaliter, sicut se tenet ex parte principij actiui, & præsertim sententia plurium Thomistarum asserentium subsistentiam immediatè à suamet natura resultare, non autem à generante produci immediatè, sed quod immediatè producitur esse naturam dumtaxat singularem; sic etiam actiones inorganicæ ipsius animæ, vt intelligere, & velle certum est à sola anima dumtaxat proficisci, vt à principio actiuo adæquato, & tamen toti composito tribuuntur, & totius hominis esse dicuntur, non ergo ex tali modo loquendi rectè deducitur actiones esse totius suppositi elicitiuè, sicut neque in exemplo allato rectè deduceretur intelligere, & velle esse totius compositi elicitiuè; inquit itaque Doctor tam loc.cit. 4. d.12. quæst. 3. quam in 1.d.12. quæst. 1. ad 2. quod actio est suppositi, vt vltimatè denominati ab actione non vero formæ, cuius rei in 1. dist. 12. quæst. 1. reddit rationem physicam superius allegatam nu. 129. quia omnis forma existens in alio, vt forma, sicut dat esse illi, ita dat illi aliquo modo denominari à sua actione, & licet forma in supposito denominetur ab actione sua, non tamen vltima denominatione, sed vlterius denominatur suppositum ab eadem actione; quia ergo natura consideratur in supposito ad modum partis, esto sit principium adæquatum operationum, non tamen dicitur operari, vt quod, sed vt quo, quia eo ipso quod est pars, est alterius ordinabilis, & est illud quo aliud operatur, quod si forma actiua sit separata à supposito, vel composito; vt est de anima separata, vel de accidentibus separatis per miraculum vtiq. in tali statu vltima denominatione denominari potest, quia tunc per se existit, nec est alteri ratio agendi, vnde concludit quod actio non denominat vltima denominationatione, nisi suppositum, vel habens modum suppositi, quod addit propter animam, & accidentia separata.

141 Hanc eandem notabilem doctrinam adhuc magis logicè explicat Doctor 4.d.12. q.3. citat. dicens, quod ab eodem abstracto, & maximè dicente respectum possunt accipi plura denominatiua denominantia plura, ad quæ cadit illa forma, & secundum ordinem, sicut ab hoc abstracto potentialitas accipitur hoc concretum proximum, quod est potentia, & dicitur de calore, & vlterius hoc concretum, quod est potens, & dicitur de igne habente calorem; eodem modo potest accipi ab actione vnum concretum, quod denominaret principium formale agendi, & illud de calore diceretur, vt pura calor calificat, idest est quo habens agit, & sic calor est potentia calefactiua; nec tamen est potentialitas, nec potens; sed non accipitur ab actione communiter, nisi denominatiuum denominans vltimum denominabile, ad quod terminatur tota dependentia illius formæ; & concedo (inquit Doctor) quod quantumcunque formæ denominentur ab actione, cum ista forma nata sit esse in supposito, posset vlteriori denominatione suppositum denominari ab actione. Sed dices, saltim hac denominatione vsitata, qua aliquid dicitur agere forma non denominatur ab actione, signum euidens non ipsam se sola esse principium agendi adæquatum, sed hoc ex ipsa constitui simul cum subsistentia. Respondet Doctor, forma habens rationem formæ, idest forma informans non sic denominatur, quia tunc est alteri ratio, qua ipsum denominatur hac denominatione, at quando non informat, sed per se existit, tunc potest sic denominari, & si ipsa non dependet vlterius ad aliquid denominatum, denominatio eius erit vltima; vbi rursus concludit, quod actiones sunt suppositorum, vel habentium modum suppositi, & per habere modum suppositi nihil, inquit, positiuum intelligo vltra essentiam formæ, sed tantum negationem informandi aliquod, quod per istam formam agat.

Et hæc illius axiomatis expositio sufficit ad probandum, quod volebat Ioan. Theologus in Concil. Florent, nam loc. citat. probare intendebat hanc propositionem esse veram *Pater generat*, hanc verò falsum, *essentia generat*, & rationem adducebat, quia essentia non est suppositum; actiones autem sunt suppositorum, quæ ratio optimè concludit intentum, quia diuina essentia in diuinis non est suppositum, quia est communicabilis; nec habet modum suppositi, quia non per se existit solitariè, sed existit in tribus suppositis, & ideò iuxtà explicationem allatam esto essentia paternum intellectum fœcundans esset principium quo totale, & adæquatum generationis filij, nunquam tamen essentia dici potest principium, *quod* quia est ratio agendi, & producendi alteri, & sic semper verum est dicere, quod Pater dumtaxat generat in diuinis, non autem diuina essentia. Immo hanc rationem Doctor ipse adducit in terminis, & declarat 1.d.3.q.5.§. *quantum autem ad 1. art.* adducitur, inquit, alia ratio, quia in creaturis forma non generat, nec generatur, sed compositum, Deitas autem se habet quasi forma in persona, ergo ipsa non generat, nec generatur; subdit Doctor, quod ista ratio minorem habet euidentiam in diuinis, quam in creaturis, quia in creatis forma non est aliquid per se existens, vt possit esse operans; in diuinis autem essentia non cointelligendo proprietates personales est de se ens in actu. Postea tamen confirmat eam rationem sic, & declarat, quia operatio, quæ est necessario distincti operantis, non potest esse eius, quod in diuinis se habet, vt forma, quia ipsa est per se indistincta, vt tribus, talis autem operatio est personalis, quæ est generare, ideoque debet esse alicuius realiter distincti à genito, cumque hoc nequeat esse natura, erit aliquod diuinum suppositum; sic declaratur à Scoto ratio, quam adhibuit Episcopus ille in Concil. Florent. ad probandum, quod Pater generat, non verò essentia, ex qua ratione sic declarata minimè deducitur actiones esse suppositorum elicitiuè, sed tantum denominatiuè, quia in ea ratione non attenditur principium *quo*, sed *quod*, quia hoc tantum est illud, quod debet à producto realiter distingui, vt potè illud, quod non tantum includit rationem agendi, vel producendi, sed etiam conditionem producentis, qualis est in Patre paternitas, & relatio originis, quæ realiter distinguit diuina supposita, vt ait Doctor 1.d.7. quæst. vn.

142 Secundò arguit Io. de S. Thom. loc. citat. nam operari sequitur esse; ergo illud quod significatur solum, vt forma, & habens esse, *vt quo*, non potest operari, vt quod, sed hoc pertinebit ad suppositum, quod est habens esse, & naturam. Resp. ex doctrina Scoti allegata gratis concedendo non posse formam, vt est in alio dici agens, vt quod, quia nequit denominari ab actione vltimata denominatione, & solum quod est ita denominabile dici potest agens, vt quod, & hoc est dumtaxat ipsum suppositum, ad quod vltimatè terminatur tota dependentia illius formæ; verum ex hoc concludi nequit subsistentiam influere simul cum natura in operationes suppositi, aut esse aliquo pacto principium operandi, sed tantum se habere, vt terminans, seu modificans ipsum principium, reddensque illud operatiuum, *vt quod*, vt fatetur hic ipse Auctor in solutione ad argumentum in oppositum, vbi re vera non abhorret à nostra opinione media, sed tantum ab opinione Vasquez dicentis subsistentiam se habere ad operandum merè concomitanter; & per accidens, sicut habere caput nudum, vel coopertum ad ambulare.

143 Tertiò arguit Blasius à Concept. Vnumquodque agit secundum quod est in actu, sed nihil est per quod res sit magis in actu, quam per actum constitutiuum suppositi; ergo nihil est, per quod res sit magis actiua, quam per actum suppositi constitutiuum, ergo suppositum, vt suppositum actiuè concurrit ad actionem, duæ consequentiæ patent, maior est commune axioma, probat minorem, quia actus per quem constituitur suppositum in esse suppositi est existentia per se vnita cum natura totali, & completa, hæc autem est actus perfectissimus actuans, & perficiens quæcunque alia; alias addit quatuor, vel quinque confirmationes ad hoc argumentum, quas non refero, quia eodem falso fundamento nituntur.

Resp. negando minorem cum sua probatione, nam per suppositalitatem non constituitur natura in actu, sed constituitur incommunicabilis, vel incommunicata alteri supposito, neque personalitas, aut suppositalitas est existentia, sed incommunicabilitas prædicta, quia existentiam per se substantiæ optimè nouerunt Philosophi, non tamen subsistentiam, de qua hic loquimur tum quia vt satis constat ex dictis, malè confunditur subsistentia, siue suppositalitas cum per se existentia, quę distinguit substantiam ab accidente, quia hanc de se habet substantia quælibet, non verò per modum realiter superadditum, qualis est subsistentia, de qua est sermo; & humanitas Christi talem habet per se existentiam, non tamen subsistentiam, adeoue tota hæc ratio nititur principio passim negato extra scholam D. Thomæ, ac etiam ab alijs Thomistis. Imò concedendo etiam, quod per se existentia sit ratio constitutiua suppositi, non adhuc probat intentum, quandoquidem nec ipsa existentia, vt communiter dicitur, est ratio ipsa agendi, vel pertinet ad rationem, & principium formale agendi, hæc enim est ipsa natura, & essentia præcisè, natura enim propriè est quæ habet facultates, & virtutes agendi, existentia verò est con-

conditio simpliciter ad agendum necessaria, quæ naturam modificat, non verò confert virtutem ipsam agendi; vnde cum dicitur vnumquodq; agere secundum quod est in actu, per hoc tantum significatur essentiam operari non posse, nisi de potentia traducatur ad actum, & in actu ponatur, adeò quod existentia non est virtus actiua, per quam operatur essentia, vel per quam est operatiua, sed est modus ponens essentiam in tali statu, vt actu possit operari.

144 Quartò, arguit idem theologicè ex mysterio Incarnationis, si suppositum nullo modo influit actiuè in operationem, aut per modum principij; ergo suppositum Christi nullo modo nos redemit, aut pro nobis satisfecit, quod est in fide erroneum, probat consequentiam, eo modo suppositum Christi nos redemit, & pro nobis satisfecit, quo influxit in opera, quibus redempti sumus, ergo si suppositum Christi, vt sic, nullum influxum actiuum probauit in opera illa satisfactionis, & redemptionis nostræ, re vera nos non redemit, aut satisfecit pro nobis. Conf. eo modo influxit in ea opera, quo suppositum connaturale influxisset, si eam naturam assumptam terminasset, quia suppositum diuinum suppleuit vices eius; ergo si suppositum in ratione suppositi nullo modo influit in ratione principij elicitiui, nullo modo influxit in opera redemptionis nostræ. Rursus, quia non potest aliquod opus tribui ei, ad quod nihil prorsus contribuit; sed si suppositum Christi nullum prorsus influxum præbuit in opera redemptionis nostræ, nihil prorsus ei contribuit ergo &c. Demum respondere non valet opus redemptionis nostræ ei tribui per communicationem Idiomatum, & ratione humanitatis, quia non solum sic, sed etiam per se, & tanquam principio *quod* per se influendi tribuitur Christo redemptio nostra, & propterea non humanitas, sed Christus homo dicitur mediator Dei, & hominum traditus, crucifixus, mortuus pro nobis; ergo cum Christus Dominus sit nomen suppositi diuini terminantis naturam humanam debet intelligi secundum proprietatem sermonis quod fuerit Redemptor noster.

Resp. hoc argumentum, cui adeò fidunt Thomistæ, nihil prorsus valere, quia Christus, & suppositum eius nedum redemit nos agendo, sed etiam patiendo, passus enim est pro nobis, mortuus, & sepultus, & tamen etiam ipsi Thomistæ concedere debent non ita diuinum suppositum nos redemisse patiendo; vt in se reciperet dolorem, & mortem, quia est incapax receptionis subiectiuæ, & materialis, sed solum ratione humanitatis, quæ erat ei hypostaticè vnita, ob hanc enim terminationem solam omnes humanæ naturæ passiones tribuebantur Verbo cum eadem prorsus veritate, & proprietate, qua tributæ fuissent proprio supposito; sicut ergo hoc sufficit, vt pro nobis verè dicatur satisfeciſſe per passiones, ita etiam per actiones. Neque præter terminationem vnitatis hypostaticæ in Verbo ad saluandas illas veritates, quod Dei Filius nos redemerit, & pro nobis satisfecerit opus est recurrere ad peculiarem arduitatem diuini suppositi, quam habuerit in opera redemptionis, immo id apud omnes extra scholam D. Thomæ non solum censetur necessarium; Sed potius manifestum absurdum, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & ideò in nullum opus nostræ Redemptionis habuit influxum positiuũ, qui non fuerit communis Patri, & Filio; vt ergo solus Filius dicitur noster Redemptor sufficit, quod ipse solus terminauerit vnionem hypostaticam humanitatis assumptæ, ex tali enim terminatione cum omni proprietate ei tribuuntur actiones omnes, & passiones humanitatis assumptæ eo modo quo actiones, & passiones suppositis conuenire possunt, quatenus verè in se naturam illam habebat, quæ opera illa eliciebat vel sibi erat ratio illa efficiendi; potest igitur totum præfatum argumentum retorqueri in Thomistas de passionibus, quas vtique diuinum Verbum in se physicè non recepit, sed sola humanitas, & quicquid ipsi respondebunt ad argumentum factum de passionibus, respondebimus & nos ad hoc ipsum factum de actionibus; quod nimirum ad ea omnia verificanda, quod Dei Filius non redemerit, quod pro nobis satisfecerit, quod fuerit noster mediator &c. sufficit, quod terminaret hypostaticè humanitatem, quæ erat ipsi principium quo omnia agendi, & patiendi pro nobis, atq; ideò falsum est, quod nihil contulerit ad opera nostræ redemptionis, nam diuinum suppositum in Christo esto non esset principium adæquatum, vel inadæquatum agendi, vel patiendi pro nobis, erat tamen conditio omnino necessariò requisita ad naturam assumptam, vt posset pro nobis pati, & operari, & ex hac doctrina facile est respondere ad singulas confirmationes argumenti in forma, quod gratia breuitatis omitto.

145 Quintò, arguit ex mysterio Trinitatis, quod totum ait ruere, nisi supposito, vt sic, concedatur actiuitas, sequitur enim tunc, quod personæ diuinæ non essent inter se realiter distinctæ, nam realis distinctio, quæ est inter eas, fundatur in hoc, quod vna ex illis, ab altera procedat, sicut Filius à Patre, vel ex duabus, sicut Spiritus sanctus a Patre, & Filio, sublato ergo quod Pater actiuè influat in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum sanctum ruit totum Trinitatis mysterium; quæ fuit hæresis Sabelij. Deinde si non suppositum in diuinis verè elicit actiones notionales, sed natura, tunc multiplicabitur essentia in tribus diuinis suppositis, quæ fuit hæresis Trinitariorum, probatur consequentia, quia inter producens, & productum versatur distinctio realis. Demum Concil. Later. cap. *Damnamus* de Summ. Trinitat. sub Innoc. III. decernit veram esse sententiam Magist. sentent. quæ asserebat essentiam diuinam non generare, & contrariam Abbatis Ioachim damnat; ergo suppositum verè influit actiuè, vt quod, in actiones, non essentia.

Resp. fateor hanc rationem longè efficaciorem esse præcedenti, si enim eius efficacia benè perpendatur, probat principium, vt quod, vt sic, debere esse elicitiuum actionis, & non tantum denominatiuè sic dictum, vt supra explicabamus, nam realis distinctio in diuinis attenditur penes principium *quod* producendi, non penes principium *quo*, & fundatur in hoc, quod verè vnum suppositum producat aliud, & physicè actionem attingat, non verò denominatiuè tantum, itaque sciendum est de principijs productionum ad intra inter Theologos duplicem esse sententiam, quidam, enim volunt subsistentias, re vera ad tale principium pertinere, itaut paternitas simul cum essentia, vel memoria fœcunda sit principium generandi, & constituat cum ea principium, quod generat; alij volunt solam memoriam fœcundam v. g. esse totale & adæquatum principium generationis, verum tamen paternitatem esse conditionem necessariam ad exercendum actum generandi, qui quidem exerceri debet à supposito distincto realiter à producto, quod tale principium formale producendi habeat à seipso, & non ab alio, quale in diuinis est suppositum Patris, in quam opinionem valde inclinat Doctor 1. dist. 7. quæst. vn. §. *quia autem*, si prima teneatur opinio, quæ magis expedita est ad hanc difficultatem euitandam, tunc est neganda paritas de subsistentijs diuinis, & creatis, quia in diuinis solæ subsistentiæ personas distinguunt, & consequenter constituunt principium producens, & productum, quæ vt talia distingui debent; in creatis autem non est ista necessitas, quia hic suppositа non distinguuntur per personalitates præcisè, sed per naturas ipsas singulares, & ideò opus non est, vt in creatis natura per subsistentiam constituatur in ratione producentis, vt euenit in diuinis. Neque est, cur conetur Blasius citat. ex analogia suppositi creati ad increatum deducere, quod si hoc est actiuum, etiam & illud; quandoquidem quantum ad actiuitatem iam est assignata disparitas. Si verò alia teneatur opinio, tunc dicendum integrum principium *quod*, vt est v. g. Pater, vtique actiuè influere in generationem, non tamen ratione subsistentiæ, quasi hæc pertineat ad principium formale producendi, quia hoc est memoria fœcunda duntaxat, & ratione illius præcisè Pater generat, & paternitas concurrit tantum, vt conditio ponens memoriam fœcundam in supposito, in quo potest in actum secundum erumpere, & sic adhuc benè saluari distinctionem realem inter producens, vt quod, & productum ex vi processionis vnius ab alio, nam producens *quod* semper realiter distinguitur à producto, nam includit relationem originis, vt conditionem agendi, vel agentis, quæ sola distinguit realiter diuina suppositа, quæ distinctio nequit haberi per principium *quo* præcisè sumptum.

146 Ad Conf. negatur consequentia, quia distinctio realis in diuinis versatur solum inter producens, & productum, vt quod, diuina autem natura præcisè sumpta nec generat, nec generatur, & ideò ad nullum suppositum in diuinis productum potest fundare realem distinctionem; quod si Vasquez, quem præcipuè Blasius ibi impugnat, concedit generationem Filij posse procedere à diuina essentia, nedum vt à principio quo, sed etiam quod, vt ei tribuit Auctor ille, viderit ipse Vasquez, non enim in hoc sensu facimus nos actiuam naturam. Ad vltim. ex illa determinatione Concil. Later. absolutè intellecta negaretur omnis actiuitas diuinæ naturæ in productionibus ad intra, & tota tribueretur subsistentijs, vel suppositis, quod tamen est falsum, quia fatentur omnes Theologi etiam diuinam naturam pertinere ad principium *quo* illarum productionum, vnde quando Concil. determinat essentiam non generare, neque spirare, loquitur de principio *quod*, quandoquidem illud realem distinctionem necessariò fundare debeat à producto, non verò principium quo, & hanc fundare potest etiam si actiuè, & immediatè non influat ratione subsistentiæ, quia includit relationem originis, vt conditionem, quæ diuina suppositа realiter distinguit; quare autem de proprietate sermonis dici non debeat essentia generare in diuinis, sed Pater, iam supra declaraui numer. 141. quam rationem adhuc magis explicat Mairon. 1. d. 7. quæst. 1. §. *postquam visum est* vbi quærit, quare cum diuina essentia verè pertineat ad principium formale productionum ad intra, tamen nequit dici generare, neque spirare, & recitat multos dicendi modos, quos refutat, & tandem solum approbat modum dicendi Doctoris dicentis principium quod, & quo ex opposito distingui, præsertim cum principium quo est vltimum, sicut est in proposito diuina essentia, cum enim sic se habet, tunc principium quo nunquam esse potest principium quod; cuius punctis si maiorem cupis intelligentiam vide Mairon. ipsum loc. cit.

147 Sextò, si suppositum non influit actiuè in actiones suas, sed natura sola, sequitur quod suppositа non erunt beata, sed natura eorum, & sic non S. Petrus, sed natura eius, & non B. Virgo, sed eius natura, non Christus, sed natura Christi erit beata; probatur consequentia, quia actio, vt actio formaliter, vt sic, non denominat, nisi agens, atqui visio beatifica est formaliter actio, ergo non denominat beatum, nisi principium eius.

Resp. neque hoc argumentum esse alicuius momenti, quia non est omnino certum apud omnes, an intellectus creatus respectu obiecti beatifici se habeat actiuè, vel merè passiuè illam recipiendo totaliter ab obiecto beatifico producta, immo hanc partem satis probabilem iudicauit Doctor plurib. in locis 1. dist. 3. q. 3. C. & 3. dist. 14. q. 1. &

d.31.qu.1.& 4.d.49.quæst. 11. neque verum est intellectionem esse veram,& propriam actionem,vt supponunt Thomistæ,nisi tantum equiuocè, & grammaticaliter, sed est qualitas vitalis, qua intellectus intentionaliter assimilatur obiecto, eique vitaliter coniungitur, vt dictum est disp.6.de anim. q.3. art.1. vnde si intellectus haberet in se visionem beatam totaliter ab obiecto beatifico productam, ipso merè passiuè se habente, adhuc beatus esset, non ergo ob beatitudinem necessaria est actiuitas in potentia beata, vt argumentum supponit. Sed quando etiam cum communiori supponatur potentiam beatam actiuè concurrere, opus non est suppositum sub ratione suppositi actiuè se habere ad illam, sed sufficit quod beatam visionem, aut fruitionem attingat mediante natura, seu facultatibus eius, quæ sunt intellectus, & voluntas; id enim sufficit, vt verè dicatur beatus etiam secundum rationem suppositi.

148 Postremò arguitur contra 3. conclus. probando subsistentiam nec etiam se habere ad operationes suppositi, vt conditionem simpliciter requisitam, sed merè concomitanter, & per accidens, aliàs ex mutatione subsistentiæ variaretur operatio secundum substantiam, quod est falsum, constat enim eandem manere operationem mutato supposito, sicut in anima separata eadem intellectio, & volitio, & in accidente separato eadem calefactio, & infrigidatio, quæ erat in coniuncto, ita arguit Vasquez loc. citat. Deinde arguit Ouuied. quia non apparet in quo genere, neque qua ratione subsistentia possit esse conditio, vt natura operetur, non est enim applicatio agentis ad passum, neque dispositio ad effectum, neque huc vsque conditionis genus cognitum fuit, ad quod possit subsistentia reduci. Demum arguit Arriag. intantum dici posse conditionem ad operandum, inquantum est quid requisitum à posteriori, vt existat natura, vt dicitur de vnione accidentis ad subiectum, & ideo sicut supposito primo miraculo conseruatio caloris sine subiecto naturaliter calefacit, ita similiter si natura sine substantia conseruaretur, connaturaliter operaretur, quia non est vnde operationem substantiæ faciamus magis dependentem, vt à conditione, à subsistentia, quam operationem accidentis ab vnione ad subiectum.

Resp.illud probare ad summum,quod subsistentia non sit per se, & directè principium actionis, non tamen quod non sit conditio, nam benè potest variari conditio non variata actione, præsertim quando non est ex numero earum, quæ vniuersaliter, & indispensabiliter in quacunque interueniunt actione, qualis in proposito est subsistentia, vt dictum est; sic ignis calorem eundem, vel in eodem gradu in manu mea producit facta æquali approximatione, siue hæc contingat ex vno latere, siue ex alio, & sic pariter in proposito requiritur quidem naturam esse subsistentem, priusquam exeat in operationem, parum tamen refert, quod hac vel illa subsistentia subsistat, dummodo subsistat. Ad 2. sicut quantitas dici solet conditio substantiæ ad recipiendum alia accidentia, quia prius quantitatem recipere debet, quam alia, vnde non intelligitur disposita ad alia accidentia recipienda, nisi prius quantitatem receperit, sic in proposito potest dici substantia per subsistentiam disponi ad agendum, quia prius intelligi debet subsistens, antequam aliquam operationem exerceat, quia subsistentia est quid prævium ad omnes operationes, & accidentia substantiæ, adeout intelligi nequeat, substantia proximè ad agendum disposita, vel patiendum alia accidentia recipiendo, nisi prius fuerit subsistens, quamuis hæc non sit prioritas causalitatis, sed simplicis præsuppositionis naturalis. Ad vltim.si teneatur posse substantiam conseruari sine quacunque subsistentia per potentiam Dei absolutam, sicut accidens de facto conseruatur sine omni inhærentia, concedo totum argumentum, at neque adhuc dici debet tunc subsistentiam ad actiones suppositorum se habere merè per accidens, & concomitanter, sed potius velut conditionem ad illas requisitam secundum communem naturæ cursum; si verò teneatur oppositum, quod nequeat substantia sine subsistentia conseruari, vt dici debet in opinione de negatiuo, tunc consequenter dicendum est operationem substantiæ magis à subsistentia pendere, quam operationem accidentis ab inhærentia, quia per miraculum docemur in eucharistia accidentia existere, & operari sine subiecto, non tamen docemur substantiam fuisse sine aliqua subsistentia, vnde in mysterio Incarnationis humanitas Christi assumpta quidem fuit à Verbo sine propria subsistentia, at ibi subsistit per subsistentiam diuinam; vnde quantum ex lumine fidei potuit nobis innotescere, magis pendere videtur substantia à subsistentia, quam accidens ab inhærentia.

QVÆSTIO VI.

Quibus rebus subsistentia conueniat.

149 ACcidenti suptè natura subsistentiam non conuenire, & præsertim quando subiecto inhæret, apud omnes compertum est, nam vt docuit Doctor 1.d.4.qu.2. in corpore quæstionis color hic singularis existens non determinat sibi rationem suppositi, quia ratio suppositi propriè non reperitur in accidentibus, & ratio est, quia subsistentia importat incommunicabilitatem suppositi alterius naturæ, accidens verò est incommunicabile suaptenatura supposito substantiæ, & ideò nequit dici subsistens. Dubium tamen est inter Doctores, an subsistentia saltim ei conueniat, dum extra subiectum à Deo de facto conseruatur in Eucharistiæ Sacramento; partem affirmantem amplecti videntur Caiet.3.part. q.78.artic.1. Suarez tom.1.in 3.part. disp.59. sect.2. Vasquez ibid. disp.194. cap.2. Coninch. de Sacramentis q.77. articul.1. dub.2. Becan.ibid. cap.20. qu.1. Card.de Lugo disputat.13.de incarna. sect.7. numer.94. & alij Recentiores volentes accidenti separato deberi modum quendam positiuum superadditum, quo constituatur per se existens, actuali inhærentiæ directè repugnantem. Oppositum tamen reputo omninò verum,vt docet Doctor 4.d.12.qu.1.& 6. §.*ad argumenta*, quod cumulatè probaui disp.3. Phys. qu. 4. art.2. & rationem breuiter indicat Doctor 3.d.1.qu.9. §.*tertius articulus*, quia modus ille, quod verè est proprius vnius generis, non conuenit alicui alterius generis, sicut enim est isti proprius, ita est cuicunque alij incompossibilis; nec quod adducitur de accidente separato, inquit, concludit propositum, quia non habet illum modum, qui est proprius substantiæ, modus enim substantiæ est per se esse naturaliter, hoc est in essendo non inclinari naturali aptitudine ad aliud, non sic autem accidens separatum. Deindè ille modus secundum illos Auctores collatus accidenti separato diceretur modus subsistentiæ, quatenus hæc opponitur inhærentiæ, vt ipsi declarant, at hic non accipitur subsistentia, prout opponitur inhærentiæ, vt sæpius dictum est in hac disp. ex Doctore 3. d.1.qu.1.ad 3.prin.quia talis subsistentia conuenit de se substantiæ, & non per aliquid realiter superadditum, ergo etiam si modum illius subsistentiæ haberet accidens,non tamen hunc, de quo hic est sermo, quia etiamsi sit separatum,natum est communicari, vt quo, supposito alterius naturæ,scilicet substantiæ,& ideò etiam separatum caret subsistentia, nec potest dici suppositum. Confir. quia hac ratione negat Doctor subsistentiam in hoc sensu animæ separatæ, quia adhuc retinet communicabilitatem ad corpus; ergo tanto magis negari debet accidenti separato.

150 Est longè maior difficultas de partibus substantiæ compositæ, tam essentialibus, quam integralibus, num scilicet singulæ habeant proprias subsistentias partiales, ex quibus coalescat subsistentia totalis compositis,tum essentialis,tum integralis, an potius detur in composito vna sola subsistentia simplex, & indiuisibilis, quæ omnes partes afficiat; qua de re tres sunt sententiæ inter Recentiores, apud quos solùm acriter hæc controuersia ventilatur, duæ extremæ, & vna media, Prima est Suar.disp.34. Met. sect.1. quem sequitur Auersa quæst. 19.Philosoph.sect.3.& qu.20.sec.9.& Hurtad. disp.2. Phys. sect.7. dicentis quamcunque subsistentiam substantiæ materialis compositæ constare ex partibus tam essentialibus correspondentibus, scilicet partibus essentialibus eiusdem substantiæ, quam integralibus correspondentibus nimirum partibus eius integralibus, atque ideò sustinet quamlibet esse diuisibilem adeò vt diuisis partibus à se inuicem destruatur quidem subsistentia totalis totius compositi ex illis, sed sicut remanent partes,sic quoque manent subsistentiæ earum partiales,siue illæ partes fuerint essentiales, siue integrales; addit tamen Suarez modum peculiarem correspondentem formis materialibus non posse proprie appellari subsistentiam etiam partialem, eo quia nequeunt per se separatæ existere,vt anima rationalis,nec sunt incommunicabiles subiecto, vti materia prima, vnde solum modum materiæ primæ, & animæ rationalis vocat subsistentiam, illum quidem quia materia prima per se existere potest, & nulli est incommunicabilis, vt subiecto, istum verò quia anima rationalis esto sit communicabilis alteri, vt subiecto, adhuc tamen per se separata existere potest.

Fundamentum huius opinionis est, quia si esset vnicus modus, vel vnica subsistentia in composito essentiali,quæritur quid primo,& immediatè afficiat, vel materiam, vel formam, vel vtramque simul, vel totum immediatè, & partes mediatè; non primum, nec secundum, quia subsistentia vnius partis tantùm est inadæquata, & incompleta, ergo est inepta ad afficiendum totum, quod debet complerè, & adæquatè subsistere; non tertium, quia non potest idem indiuisus modus afficere duas res distinctas, seu duo distincta subiecta, tum quia in homine esset specialis difficultas, nam vel hic modus esset spiritualis, & sic non posset afficere corpus, vel materialis, & sic non posset afficere animam, quia essent inter se improportionata. Nec tandem quartum, quia compositum secundùm communiorem non habet aliam tertiam entitatem resultantem ex vnione partium, cui entitati possit per se, & proximè attribui subsistentia, sed non est alia entitas totius, nisi entitas suarum partium vnitarum, ergo sic etiam subsistentia totius aliud non erit, quam subsistentiæ partiales inter se coniunctæ; Nec sufficit dicere cum Lugo, & alijs aduersæ opinionis incommodum non esse, quod eadem simplex & incomposita subsistentia faciat materiam, & formam in composito subsistere, sicut non est inconueniens, quod vniantur vnica simplici vnione. Nam admisso, quod de vnione dicitur (quod tamen falsum est, vt constat ex dictis in Physica) est adhuc manifesta disparitas de vnione, & subsistentia, quia cum vnio ponatur modus aliquo pacto relatiuus, potest etiam aliquo pacto vtramque partem afficere vnam subiectiuè, alteram verò terminatiuè, & sic posset sufficere vnica vnio inter vtramque,at subsistentia ponitur modus absolutus,& ideò si recipitur in materia tantùm,nequit afficere formam vllo modo, neque è contra.

Et hoc argumentum magis adhuc viget in toto integrali v.g. in tota aqua, nam si eius subsistentia est indiuisibilis, vel esset indiuisibiliter tota in toto, & tota in qualibet parte totius maris v. g. ad instar

instar rei spiritualis, sicut est anima rationalis in corpore, & hoc dici non potest, quia talis subsistētia est res materialis, & corporea, & ideò non potest ita indiuisibiliter per totum diffundi ad modum rei spiritualis, tum quia tunc idem numero afficiens aquam Adriaticis maris, afficeret simul aquam Baltici, Indici, vel Atlantici, quod naturaliter est impossibile; Vel talis subsistentia indiuisibilis esset in vno certo puncto totius aquæ Oceani; & neque hoc rationabiliter dici potest, quia præterquam quod tale punctum certum designari non potest, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, adhuc designatum non sufficit, quia tunc tale punctum duntaxat subsistere diceretur, non verò cæteræ partes, quia sicut eas non afficeret, ita nec etiam posset reddere subsistentes; tum quia Verbum, vt suppleret vices subsistentiæ creatæ, non vniuit se alicui determinato puncto corporis humani, sed toti corpori, & singulis partibus eius; ergo hæc totalis subsistentia totius integralis poni debet diuisibilis, & integrata ex pluribus partialibus simul coniunctis.

151 Alia sententia extrema negat subsistentias partiales tam in composito essentiali, quam in integrali, & inquit sufficere vnicam, & simplicem pro toto composito, quod solum subsistere dicitur, ita Io. de S. Thoma qu. 7. Phys. art. 3. pro qua citat Cabreram, Aluarez, Nazarium, aliusq; D. Thomæ Interpretes ad 3. part. qu. 2. Et fundamentum est, quia subsistentia videtur propria solius naturæ completæ, & totalis, nec per se competere partibus præsertim essentialiter incompletis, ponitur enim ad constituendum suppositum; quod non est nisi subsistantia completa, ac totalis, vnde debet præintelligi subsistantia completa; cui superueniat modus subsistentiæ constituens suppositum; quia ergo pars, quæ totum constituit, siue fuerit essentiale, siue integrale, nequit dici suppositum, ita neque dici debet habere subsistentiam, quæ suppositum constituit, sed tantùm in laxiori significato, vt v. gr. opponitur inhærentiæ, in quo sensu nemo dubitat partes substantiales habere propriam subsistentiam. Conf. quia subsistentia, vt hic de ea loquimur, nedum habet reddere naturam alteri incommunicabilem, vt subiecto, sed etiam vt toti, & supposito; sed materia, & forma, ac etiam partes integrales, vt manus, & caput, sunt maximè communicabiles, & actu communicantur, dum sunt in toto; ergo non potest illis per se competere propria subsistentia; Nec suffragatur responsio Auctorum aduersæ partis dicentium non esse de ratione huius subsistentiæ, de qua hic est sermo, incommunicabilitatem per modum partis essentialis, vel integralis, nec eius officium esse dare incommunicabilitatem alteri, velut toti, sed vt supposito alienæ naturæ, siue facere, vt natura, quæ terminatur propria subsistentia, non possit alia terminari; & ideò pars in composito habet propriam subsistentiam, siue essentialis fuerit, siue integralis, quia non est communicata alieno supposito. Non, inquam, valet, quia licèt sola incommunicabilitas suppositalis sit de ratione formali subsistentiæ, aliæ tamen incommunicabilitates concurrere possunt, & debent ad rationem suppositi saltim fundamentaliter, & præsuppositiuè; & sic etiam videtur supponere Doctor quol. 9. ab initio §. *de secundo*, vbi ait illud dici per se subsistens subsistentia propriè dicta, quod habet actualitatem vltimatam, ita quod non est per se ordinabile ad aliquem actum simpliciter vltra istum, quem habet, qui actus vlterior possit esse actus eius per se, qua ratione ibidem excludit à ratione subsistentis propriè dicti nedum materiam, & formam, sed etiam animam rationalem.

152 Tertia sententia media negat omninò subsistentias, aut modos partiales essentiales materiæ & formæ correspondentes, admittit autem modos partiales correspondentes partibus integrantibus, quos tamen adhuc negat vocari posse subsistentias, persistendo in eodem fundamento præcedentis sententiæ, quia de ratione subsistentiæ est facere rem, quam afficit, omni modo incommunicabilem, ergo cum pars tam physica, quam integralis actu existens in toto, sit communicata toti, & vna pars alteri, nulla potest dici verè, & propriè subsistens; ita Vasq. in 3. p. disp. 32. c. 4. Lugo de Incarnat. disp. 12. sect. 3. Lorca disp. 29. Arriaga verò disp. 4. Met. sect. 9. licet neget cum Vasquez partialem subsistentiam partibus essentialibus, adhuc tamen partibus integralibus eam concedit etiam propriè dictam, quia quælibet pars integralis absolutè est natura constans materia, & forma, vnde eget integrali propria subsistentia, quælibet autem pars essentialis non est natura propriè completa, sed pars naturæ, vnde non terminatur propria subsistentia. Poncius verò disputat. 18. citato. esto numer. 155. eodem modo loquatur de partibus integralibus, concedendo illis proprias partiales subsistentias, de essentialibus tamen distinguit, quod si considerentur, vt actu sunt in supposito materiali, non habent partiales subsistentias, separatim tamen existentes eas habere, id enim constat de anima rationali separata, tum quia ideo colligimus humanitatem habere personalitatem propriam, quia completur de facto per suppositalitatem Verbi, sed tam anima separata in triduo, quam Corpus Christi separatum complebantur per suppositalitatem Verbi, ergo separatim existentia, si non vnirentur cum Verbo, haberent complementum proprium siue negatiuum, siue positiuum ab ipsis realiter distinctum, & illud complementum esset subsistentia partialis. Ouied. tandem controuers. 6. Metaphysicor. punct. 4. omnes has opiniones vt probabiles admittit, vel dubias, quia fatetur ingenuè nu. 13. non nisi per coniecturas in hac re posse procedi.

153 Quid in tali, ac tanta confusione dicendum sit fateor me ingnorare, vel vix discernere posse; & quidem satis constat huiusmodi difficultates ex sententia præsertim de positiuo originem ducere, vt constabit eas ponderanti, vnde ad has euitandas præstabit rursus amplecti sententiam de negatiuo superius traditam, & declaratam, iuxta quam satis minus vrgent difficultates illæ. Verùm quia etiam aliquo pacto procedere possunt in sententia de negatiuo, in primis iuxta hanc viam partibus integralibus singulis videtur concedenda propria subsistentia, & ratio est quam superius insinuaui numer. 43. quia communicatio, vel communicabilitas partis integralis ad constituendum totum integrale non est illa, quam negat subsistentia formaliter, aut saltim negatam præsupponit, hæc enim pars aquæ, aut fructum ligni ita ens completum est, ac directè in genere, sicut tota aqua, vel integrum lignum, quod constituit cum alia comparte, & ideò ex hoc capite quælibet pars aquæ dici potest subsistere, & esse suppositum, quia non ordinatur ad vnum per se constituendum cum alia comparte ab ipsis realiter distinctum, non enim ita distinguitur totum integrale à suis partibus simul sumptis, sed aliud non est quam ipsæ partes simul vnitæ, & inuicem per sua indiuisibilia continuatæ, vt dixi disputat. 5. Phys. q. 13. art. 2. Et quamuis etiam vna pars communicet cum alia, hæc communicatio subsistentiam non excludit, quia non vnitur hypostaticè cum illa; sicut humanitas fuit vnita Verbo, nec illi communicatur, vt quo, sicut communicatur natura supposito, vnde nulla pars talem denominationem recipit ab alia, qualem recipit Verbum à natura secum vnita, nam per humanitatem sibi vnitam Verbum dicitur homo, non sic vinum dicitur aqua, aut aqua vinum ex hoc quod vna portio aquæ iungatur cum portione vini, nisi vnum corrumpatur, & substantialiter in aliud conuertatur; ergo concedendum est partes integrales cuiuscunque totius siue homogenei, siue etherogenei proprias habere subsistentias, & vnaquamque dici posse suppositum, quia non sunt ita partes, vt habeant rationem entis incompleti, quod nequit suppositum dici ex communi acceptione huius nominis. Vnde neque opus est dicere, quod ait Poncius disputat. 18. citato num. 156. in hoc genere compositionis integralis posse duo supposita, vt duas aquæ portiones, conuenire in compositionem alicuius tertij suppositi proprijs retentis suppositalitatibus; non inquam, opus est id asserere, quia sicut tota illa aqua ex duabus illis portionibus constituta non est vnum per se totum ab illis portionibus aquæ distinctum, sed sunt illæ simul coadunatæ, & continuatæ, sic neque est vnum per se suppositum, sed duo supposita simul coniuncta per indiuisibilia de genere quantitatis, licet iuxta communem loquendi modum dici soleat vnum suppositum, sicut dicitur vnum totum; & de toto integrali eiusque partibus hoc ipsum debet asseri, etiamsi teneatur subsistentiam dicere quid positiuum.

154 De partibus essentialibus verò quia sunt verè & propriè partes ex quibus constituitur per se vnum tertium ab eis realiter distinctum, vt monstrat Doctor 3. d. 2. quæst. 2. artic. 2. non videtur eius concedenda propria subsistentia rigorosè sumpta, sed tantum in eo sensu, quo dixi disp. 2. Phys. quæst. 2. articul. 2. quia enim sunt entia incompleta, & alteri communicabilia per modum partis essentialis non videtur eis conuenire posse subsistentia propriè dicta, vt ait Doctor quol. 9. §. *de secundo*, & sic etiam loquitur Lichet. 3. distinct. 1. quæst. 1. in solutione quinti principalis, quamuis enim subsistentia de qua est sermo in hac disputatione, formaliter excludat solam communicationem alteri, vt suppositò, non autem, vt subiectò, vel vt toti, aut alteri comparati, tamen incommunicabilitates istæ ad illam præsuppositiuè, vel fundamentaliter saltim spectare videntur, cum enim subsistentia sit vltimus omnino naturæ terminus, seu totius communicabilitatis eius videtur necessariò præsupponere in natura sic terminabili omnes alias incommunicabilitates supradictas iuxta dicta quæst. 3. art. 1. numer. 43. & 48. nam si esset alio modo communicabilis, & quidem modo substantiali, non posset dici natura per subsistentiam vltimò terminata in sua communicabilitate. Tum quia si partes in toto propriam haberent subsistentiam præsertim positiuam, cum humanitas immediatè fuerit vnita Verbo, & ea mediante partes, vt docet Scot. 3. d. 2. quæst. 2. sequeretur etiam humanitatem in Verbo propriam habere subsistentiam completam, quia causalitates causarum intrinsecarum nequnt à Deo impediri, cum ergo subsistentiæ partiales materiæ, & formæ sint causæ intrinsecæ subsistentiæ compositi sicut materia, & forma vnitæ impediri nequeunt, quin constituant totum, ita nec earum subsistentiæ partiales, quia constituant totalem, & adæquatam, & sic humanitas assumpta à Verbo propriam haberet subsistentiam causatam à subsistentiam partium; aut ergo negandum est partes in toto propriam habere subsistentiam, aut dicendum ipsas quoque esse immediatè Verbo vnitas per distinctum vnionis modum ab humanitate, vt tenet Ouied. loc. citat. Et tandem ponendo totum dicere tertiam entitatem realiter à partibus distinctam, illa tertia entitas est sufficiens subiectum vnius totalis subsistentiæ simplicis, & hæc sola sufficeret, vt tota illa substantia diceretur subsistere eo modo, quo suppositum substantiale per se subsistere debet, hac enim de causa Auctores primæ opinionis subsistentias partiales multiplicabant, quia negabant totum dicere tertiam entitatem à partibus vnitis realiter distinctam; nulla igitur videtur necessitas multiplicandi subsistentias partiales in composito, nisi in sensu quem docui disputatio. 2. Physicor. citat. quæst. 2. articul. 2. ex Doctore quol. 9. ab initio.

155 Sed adhuc dubium remanet de partibus essentialibus separatim

tim existentibus; num in tali statu proprijs gaudeant partialibus subsistentijs: nam ex vna parte videtur affirmandum, quia in triduo fuerunt assumpta immediatè à Verbo corpus, & anima abinuicem separata, & complebantur per subsistentiam Verbi, quæ loco propriè fuit subrogata, ergo propriam videntur habere subsistentiam in tali statu; ex alia parte videtur id negandum, quia partes essentiales etiam separatim existentes sunt per se ordinabiles ad vlteriorem actum, & ad totum essentiale constituendum; si ergo verum est, quod subsistentiam importans incommunicabilitatem alteri, vt supposito, supponit in natura sic incommunicabili alias quoque incommunicabilitates nempe alteri, vt subiecto, vt toti, & alteri comparti, adhuc etiam partibus essentialibus separatim existentibus videtur neganda propria subsistentia. Ob id forte posset vtrumque probabiliter defendi, adhuc tamen probabilius videtur nec partes separatim existentes propriam habere subsistentiam proprie dictam ob rationem proximè allatam, quia subsistentia non videtur stare posse cum vlteriori communicabilitate essentiali, nam natura sic communicabilis verè nequit dici terminata in sua communicabilitate, nec in se sistere, cum possit adhuc vlterius progredi, & se se defendere. Neque ratio adducta pro altera parte, quod corpus, & anima in triduo fuerint immediatè Verbo vnita, mihi multum vrgere videtur, etiamsi ab alijs valde efficax censeatur, quia Theologi quamplures docent Verbum potuisse assumere nedum partes essentiales separatim existentes, sed etiam formam accidentalem separatam à subiecto, & videtur ex Doctore deduci 3.d.22.quæst.vn.10 hinc, & tamen hinc deduci nequit accidens separatum propriam habere subsistentiam; non ergo ex eo, quod aliquid possit vtrumque à Verbo assumi, statim deducere licet quod propriam habeat subsistentiam, vel suppositalitatem, & ratio est, quia vnio alicuius creatæ entitatis ad personam Verbi potest fieri multipliciter, vt notat P. Bellutus Collega meus disputat. 3. de Incarnat. quæst.4. numer. 56. vel enim fieri potest per modum personationis, vt cum assumitur natura intellectualis, vel per modum suppositationis, & hypostaseitatis, vt cum assumitur natura irrationalis, vel per modum substantialis cuiusdam sustentificationis sine ratione actus & potentiæ, vt cum assumitur aliquid, quod ex se non est natum immediatè suppositari, vel subsistere, nisi prout subsistere excludit, non posset per se existere independenter ab alio, vt à subiecto quo sensu assumeretur ad subsistentiam anima rationalis, aut materia separata, & talis vnio non esset ad Verbum, vt importat subsistentiam prout exercet officium termini incommunicabilis, sed vt exercet officium habendi esse independenter ab alio, vt à subiecto, hoc enim largo modo dicitur etiam subsistere, vnde tale etiam esse independens supleri potest per immediatam vnionem ad Verbum, quod etiam est hoc pacto independens; vel tandem vnio potest fieri ad Verbum per modum simplicis sustentificationis sine ratione actus, & potentiæ, & sic possunt vniri Verbo omnes formæ materiales tam substantiales, quam accidentales; patet ergo non omne quod potest assumi à Verbo, statim assumi personalitatem, vel subsistentiam, sed ad talem independentiam, qualis naturę rei assumptibilis conuenire nata est.

156 Postremò quæri solet, an subsistentiam, quæ à parte rei distinguitur à natura conueniat etiam substantijs spiritualibus creatis, seu angelis (de subsistentia namque sumpta pro per se existentia, vt distinguitur, contra inhærentiam res difficultate vacat) & quidem D. Thomas part. 1. quæst. 3. articul. 3. aperte docuit in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma non differre suppositum à natura, idem dixit 3. distinct. 5. qu. 1. art. 3. ideoque Hurtad. disp. 11. Met. sect. 4. defendit vt probabile in Angelis suppositum à natura non distingui, & Ouiied. controuers. 6. Meta. punct. 2. §. 17. inquit facile non esse ex distinctione suppositi à natura in homine inferre eandem distinctionem in Angelo, nam ex eo quod in homine natura constet ex materia, & forma non infertur eadem compositio in natura angelica, ergo ex eo quod suppositum humanum dicat compositionem ex natura, & subsistentia; non infertur eadem compositio in suppositio angelico. Tum quia totum motiuum distinguendi subsistentiam à natura vt sæpè dictum est, habemus ex mysterio incarnationis, sed hinc tantum immediatè inferri potest talis distinctio in suppositio humano, non autem in angelico; vnde tandem concludit saltim esse possibilem naturam spiritualem, quæ secum realiter subsistentiam habeat identificatam.

157 Sed quicquid sit de substantia spirituali possibili, certum esse debet illam, quæ de facto creata est, habere suam subsistentiam realiter naturæ superadditam, & non minus in illa distingui suppositum à natura, quam distinguatur in homine alijsque materialibus substantijs, & sic omnes Theologi passim supponunt, & præsertim Doctor 3.d.1. quæst.1. & d. 2. q. 1. art. 2. & probant communiter, quia natura angelica non minus est assumptibilis à Deo, quam humana; ergo sicut ob talem assumptibilitatem concluſa est in specie humana distinctio suppositi à natura, quia assumpsit naturam, & non suppositum, ita quoque concludi debet in angelica; probatur assumptum primò auctoritate D. Pauli ad Hæb. 2. vbi commendans beneficium Incarnationis in nos inquit, *quia vsquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, planè per hoc supponens potuisse Verbum naturam angelicam assumere, sicut assumpsit humanam, si voluisset; tum etiam ratione, quia de facto anima rationalis, quæ est naturæ spiritualis, in triduo mortis Christi mansit immediatè vnita Verbo; ergo si anima rationalis, quæ est substantia spiritualis incompleta, subsistentiam habet suo modo superadditam, vt communiter aiunt, ratione cuius potuit assumi à Verbo, tanto magis eam habebit Angelus, qui est substantia spiritualis completa. Conf. quia subsistentia ita non conuenit naturæ humanæ ex speciali sua ratione, quia materialis sit, & corporea, sed potius ex generali quadam ratione sibi communi cum Angelis; ergo ex distinctione suppositi in natura humana, optimè potest inferri distinctio etiam in angelica; antecedens est Doctoris quol. 9. ab initio, vbi eodem modo discurrit de suppositio angelico, & materiali, & ait ex eodem medio communi concludi subsistentiam propriè dictam de igne, sicut de angelo, immo de quocunque quod est completè in aliqua specie substantiæ, nam angelus est perfectus in specie perfecta, immo perfectiori, quam sit aliqua species substantiæ materialis; si ergo aliqua substantia materialis est ita in actu vltimo quod non est per se ordinabilis ad aliquem actum vlteriorem, alioquin posset esse processus in infinitum in substantijs materialibus, vt quælibet posset esse pars alterius, multo magis angelus est per se subsistens secundum intellectum prædictum: ita Doctor ibi.

158 Ad rationem dubitandi in oppositum in primis dicendum non deesse Auctores graues, qui in angelis quoque admittant compositionem ex materia, & forma spiritualibus iuxta probabilem doctrinam Seraphici Doctoris 2.d.3.p.1.ar.1.qu.2. quam defendit Cauell. in lib. de anim. qu. 11. Deinde in communi sententia talem physicam compositionem in angelis non admittente negari debet paritas de compositione ex materia, & forma, & ex natura, & subsistentia, nam in substantijs materialibus compositionem ex materia, & forma arguimus præsertim ex earum corruptibilitate, quæ cum in angelis non reperiatur, consequenter deducimus huiusmodi spirituales substantias physica compositione ex materia, & forma carere; at non sic est de compositione ex natura, & subsistentia, nam ex medio communi arguimus tam in natura materiam, quam spirituali subsistentiam eiusdem rationis, vt dictum est ex Scoto quol. 9. & consequenter eandem compositionem naturæ, & subsistentiæ in vtraque natura affirmare debemus. Ad aliud negamus ex mysterio Incarnationis deduci tantum distinctionem suppositi à natura in natura humana, quamuis enim directè, & immediatè ex tali mysterio deducatur tantum in ea, consequenter tamen rectè deducitur etiam in qualibet alia substantiali natura, cum quælibet sit æquè assumptibilis à Deo, sicut illa; alioquin si argumentum valeret, nec etiam in alijs substantijs materialibus præter humanam distinctio suppositi à natura admitti deberet. Neq; D. Thomas oppositum sentit, siquidem 3. part. quæst. 4. art. 1. ad 3. expresè docet angelicam naturam ita esse à Deo assumptibilem, sicut humanam, & per vnionem hypostaticam posse priuari propria substantia; locum verò in oppositum citatum benignè interpretantur Expositores eius; vt scilicet per suppositum intellexerit individuum, quod vtique à natura ipsa non distinguitur Caiet. tamen 3. part. qu. 4. art. 2. fatetur S. Thom. eo loco re vera de suppositio in proprio sensu esse locutum, & in naturis spiritualibus negasse distinctionem suppositi à natura, re tamen maturius considerata in 3. p. vbi erat proprius huius materiæ locus se correxisse, & illud dictum retractasse.

DI-

DISPVTATIO XII.

De Accidente, & inhærentia.

1 *POst disputationem de substantia, eiusque subsistantia, sequitur immediatè disputatio de Accidente, eiusque inhærentia; & sicut præcedens disputatio non de substantia fusè sumpta pro cuiuscunque rei essentia instituta est, sed specialiter pro ente, quod per se existit, & subsistit, quo pacto est pars quædam subiectiua entis realis; ita pariter præsens disputatio instituitur non de accidente fusè sumpto pro quocunque prædicato extraneo ab essentia rei, & dici solet accidens prædicabile, nam de ipso cumulatè tractatum est in Logica, sed specialiter sumpto pro ente, quod non per se existit, & subsistit, sed alteri velut subiecto innititur, & inhæret, quo pacto dici solet accidens prædicamentale, & est pars quædam subiectiua entis contradistincta à substantia, quæ primum constituit prædicamentum; integram quidem feci disputationem de forma accidentali in Physica nempe disput. 3. in qua tractaui quæcunque spectant ad illum vt est principium mutationis accidentalis, attamen non eius essentia est ibi declarata, sed hìc in Metaphysica reseruata, vt in proprio loco, hoc enim spectat ad Metaphysicum vestigare, sicut illud ad Physicum, licet multa ibi tractauerim, quæ hìc ab alijs tractari solent; hic ergo ea, quæ magis ad essentiam accidentis spectare videntur, tractabimus, cætera verò erunt in dicta Disp. 3. Physicæ videnda, vt plena, & exacta accidentis cognitio habeatur.*

QVÆSTIO PRIMA.

An accidens sit ens simpliciter propriam habens existentiam, ac proinde à substantia realiter distinctum.

1 ACcidens, vt à substantia condistinguitur, definiri solet, quod sit *ens subiecto inhærens* quæ quidem definitio est in omni schola recepta; & quidem per inhærentiam ad subiectum non significatur qualiscunque modus existendi in subiecto, nam etiam forma substantialis est in subiecto, & à subiecto dependet in suo esse, si fuerit materialis, sed denotatur modus ille accidentalis existendi in subiecto, qui est ita proprius accidenti, vt nec substantiæ completa, nec partibus eius conuenire possit; qualis autem sit iste modus inessendi accidentalis, & quomodo differat à modo inessendi substantiali, declaratum est satis quæ 1. præced. Disputat. num. 19. Rursus cum dicitur accidens ens subiecto inhærens, non debet intelligi de actuali inhæsione, & vnione ad subiectum, quia accidentia absoluta sine tali inhæsione possunt existere per potentiam Dei absolutam, vt patebit q. 2. nec etiam de inhæsione aptitudinali, vt passim solet explicari, nam talis aptitudo potius est passio accidentis, quam differentia essentialis illius constabit loc. citat. sed debet intelligi de inhærentia radicali, adeout radix, seu principium exigitiuum talis aptitudinis sit essentia, & ratio formalis accidentis; quæ definitio amplius patebit ex dicendis.

2 Ex hoc autem, quod accidens dicitur ens alteri, vt subiecto, inhærens, oritur quæstio proposita, hinc enim dixerunt aliqui accidens non esse intrinsecè, & essentialiter ens, sed tantum per denominationem extrinsecam à substantia, vt Ægidius 4. Metaphysicor. quæstion. 3. Iulius Sirenus disputatio, de subiecto primæ Philosop. sect. 2. capitul. 20. alij verò Thomistæ, esto concedant accidens esse intrinsecè, & essentialiter ens, adhuc tamen negant posse dici ens simpliciter, & absolutè, sed dicunt esse ens secundum quid, seu ens cum addito, vt ens in alio, vel ens entis, quod etiam docet Alensis 7. Metaphysic. quæstiunc. in text. 14. ita Scoto in prædicament. capit. 4. quæstion. 1. conclus. 3. Iauell. 7. Metaphysic. quæst. 2. in fine. Hac eadem de causa nonnulli Thomistæ negant accidenti propriam existentiam, aiuntque existere existentia substantiæ, ita idem Scot. 1. Physic. quæst. 9. vnde & quidam ausi sunt dicere pro accidentibus Eucharistiæ remanere eandem existentiam substantialem panis, & vini, quod & probabile censet Bannes part. 1. quæst. 4 articul. 2. dub. 2. ad 3. Demum circa distinctionem accidentis à substantia dicunt Recentiores opus non esse, quod ab ea distinguatur realiter, vt res a re, nam licet ita distinguantur accidentia absoluta, vt quantitas, & qualitas substantia, quia mutuò possunt separari, ac separata existere, alia tamen accidentia, quæ dicuntur modalia de cæteris prædicamentis, non sic distinguuntur ab ea, sed tantum modaliter, quia licet substantia possit ab eis seperari, & separatim existere, non tamen hæc accidentia possunt existere sine illa, vt patet de omnibus accidentibus relatiuis, quod quidem genus distinctionis apud Recentiores dicitur distinctio modalis, non quidem illa modalis intrinseca Scotistis consueta, hanc enim illi non agnoscunt, sed modalis extrinseca, de quarum discrimine dixi disput. 6. Met. qu. 0. ita discurrit Auersa cum communi Recentiorum qu. 21. Phil. sect. 9. vbi etiam ab initio sectionis refert Ferrar. 2. contra Gentes c. 18. sensisse non oportere accidens à parte rei esse distinctum à substantia, sed posse inueniri accidens sola ratione distinctum; cui adhuc conueniat inhærentia, quæ dicitur essentialis accidenti.

4 Pro resolutione quæsiti Dico Primò accidens esse intrinsecè, & essentialiter ens, ac proinde posse in hoc sensu, ac debere dici ens simpliciter, & absolutè, licet in alio sensu dici possit ens secundum quid, & cum addito. Conclusio est communis apud omnes probatos Auctores, quam docet Doctor 4. d. 12. quæst. 1. & indiget potius declaratione, quam probatione, & quidem quoad primam partem, quod accidens sit intrinsecè, & essentialiter ens, probatur euidentissimè, nam ens reale, vt sic, dicitur illud, quod verè, & realiter est, aut saltim esse potest in rerum natura citrà quamcumque intellectus operationem, per hoc enim secernitur à nihilo, & ab ente rationis, quod autem sit in se, vel in alio pertinet ad peculiares modos essendi realiter; ergo per hoc, quod accidens sit in alio velut in subiecto, non ob id desinit esse ens, vel excluditur à formali ratione entis, immo non posset esse verè, & realiter in alio, nisi verè, & propriè esset. Conf. quia ab Aristot. ens reale verè diuiditur in substantiam, & accidens, itaquod aliud ens est substantia, aliud accidens, & est diuisio vniuoci in vniuocata, vt constat ex dictis disputat. 8. quæst. 1. num. 22. quia ens vniuocè dicitur de substantia, & accidente vt latè probatum disputat. 2. de natura entis q. 5. & licet aliqua interueniat analogia, non tamen talis est, quæ vniuocationem excludat, vt ibi ostenditur; ergo re vera accidens est ens intrinsecè, & essentialiter; & in hoc sensu etiam accidens dici debet simpliciter, & absolutè ens, quia cum omni proprietate illud dicitur simpliciter, & absolutè tale, quod intrinsecè, & essentialiter rationem illius includit.

5 Quia tamen accidens participat intrinsecè rationem entis per dependentiam à substantia, & per attributionem ad illam, vt pluribus in locis docet Philosophus, hoc pacto dici potest ens secundum quid, & entis ens, vt sit quidem verè, & propriè ens, sed essentialiter pendens ad aliud, vnde cum dicitur ens secundum quid in hoc sensu, illa particula non est distractiua entitatis ab accidente, quasi accidens non participet verè, & essentialiter rationem entis; sed diminutiua perfectionis gradibus entitatis, quatenus deficit à perfectione entitatis substantiæ, vnde dicitur ens secundum quid, non in se, & absolutè consideratum, sic enim potius dici debet ens simpliciter, sed in comparatione ad substantiam, vt dixi disputat. 2. de natura entis quæst. 5. num. 111. & 124. & seqq. & hoc modo rem explicat Aristot. ipse 7. Met. tex. 14. quod nempe ob talem analogiam, & dependentiam accidentis a substantia in participanda entis ratione substantia dicitur ens simpliciter accidens vero secundum quid, & cum addito *Quemadmodum enim & ipsum est, ineſt quidem omnibus, non tamen similiter, ſed huic quidem primò, illis verò conſequenter*, quasi dicere velit, quod ratio essendi essentialiter quidem conuenit omnibus per denominationem intrinsecam, sed prius substantiæ, & consequenter accidentibus vnde cum Arist. appellat accidens non absolutè ens, sed cum addito, quia entis, & cum ait accidentia non esse per se entia, sed passiones, & affectiones entis, scilicet substatiæ 7. Met. 2. & 3. lib. 12. tex. 3. per has, & consimiles loquendi formulas nil aliud significare intendit, nisi ordinem essentialem accidentis ad substantiam, vt explicat Doctor cit. 4. d. 12. q. 1. id tamen non impedit, quin possit in alio sensu accidens dici ens simpliciter, & absolutè per suam intrinsecam entitatem, nam creatura quoque dicitur simpliciter, & absolutè ens, etiamsi intrinsecè non participet esse, nisi dependenter à Deo, & per subordinationem essentialem ad primum ens.

6 Et hoc etiam eodem modo explicuit Alensis citat. intentionem Philosophi in præfato tex. 14. lib. 7. Met. quia quando (inquit Alensis) commune dicitur analogicè de aliquibus, simpliciter, & sine additione prolatum, intelligitur semper de eo, quod est præcipuum in

tota analogia; cum ergo ens dicatur de decem prædicamentis secundum prius, & posterius, si sine additione proferatur, semper intelligitur de substantia, cum additamento autem de alijs prædicamentis; & hoc est, quod dixit Philosophus, quod qualitas est ens, sed non ens simpliciter, & sine additione, sed ens, quod est qualitas; cui etiam adiungi potest doctrina Scot. 2.d.1.q.5 §. *quod si adhuc*, vbi notatat ens reale vere, & propriè diuidi in decem prædicamenta, non tamen omnia, in quæ diuiditur ens, esse æquè perfecta entia, quia qualitas respectu substantiæ potest dici modus, & tamen in se est vera res; hac igitur quoque de causa substantia dicitur ens simpliciter, & absolutè, accidentia verò cum addito, quia licet in se sint vera entia, tamen comparatione substantiæ induunt rationem modi; & per hanc doctrinam explicantur omnes Arist. auctoritates quæ solent à Thomistis adduci contra hanc conclusionem, quas figillatim solutas, & explicatas videre potes loc. cit. disp. 2. de natura entis qu. 5. art. 2. cum adducerentur contra vniuocationem entis ad substantiam, & accidens.

7 At instat Iuell. loc. cit. accidens in abstracto non est ens per se subsistens, nec potest concipi per se subsistens, qui enim sit conciperet accidens in abstracto, esset, ac si conciperes Ideam Platonis abstractam per se esse, quæ foret conceptio falsa; solum ergo habet esse in alio, & concipi potest solum in alio; ergo non est simpliciter ens, sed solum ens secundum quid, seu in alio. Respondet Doctor 4.d.12. q.1. Quod nulla forma potest habere conceptum perfectum quietatiuum, nisi cointelligatur illud, cuius est forma, definitio autem exprimit conceptum perfectum definiti; & ideò quantumcumq; essentialia formæ exprimerentur sine illo, cuius est forma quamuis quidditas eius indicaretur, tamen non esse conceptus perfectus quietans intellectum, & ideò nec definitiuus; potest ergo accidens concipi à subiecto precisum secundum prædicata sua essentialia, & per conceptum purè quidditatiuum, & tunc conciperetur non quidem, vt subsistens per se ad modum Ideæ Platonis, quia nō conciperetur cum repugnantia ad esse in alio, qualem habet, id quod concipitur esse per se subsistens sed cōciperetur præscindendo ab inherentia cum alio præsertim actuali, verum tamen est, quod iste conceptus esset imperfectus, quia non esset quietatiuus. Et quando etiam concederetur nullo pacto concipi posse nec quietatiuè, nec quidditatiuè sine alio, sed opus esse quod concipiatur in alio actualiter, vel saltim aptitudinaliter, adhuc hinc non benè deduceretur, quod propriam entitatem non haberet, sed solum quod eam habeat cum dependentia iam explicata ad substantiam, & cum propensione ad existendum in ea.

8 Dico 2. omne accidens habere propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ. Hæc conclusio est Doctoris citat. 4. distinct. 12. quæst. 1. § *hic dicitur*, & debet esse indubitata præsertim apud eos qui existentiam ab essentia realiter non distinguunt, vt dictum est disputat. 8. quæst. 4. si enim existentia aliud non est realiter, quam ipsa realis, & actualis rei entitas; planè dum accidentia actu sunt extra causas, & in rerum natura, etiamsi non per se subsistant, sed in alio, actualem suam entitatem habere debent ab actuali entitate subiecti distinctam; & consequenter eandem quoque retinere casu, quo per miraculum à Deo separarentur à proprio subiecto. Immo hoc ipsum fatentur meliores Thomistæ, etiamsi existentiam distinguant realiter ab essentia cum Caietan. de ente, & essentia capit. 7. vt est videre apud Flandriam 7. Metaph. quæst. 1. artic. 5. vbi hoc multiplici probat ratione, sed præsertim illa, quæ mihi videtur euidentissima, implicat aliquid corrumpi suo proprio esse remanente, quia illud, quod corrumpitur, postquam corruptum est, non amplius est, cum corruptio terminetur ad non esse, vnde asserere aliquid corrumpi, & post eius interitum adhuc eius existentiam remanere, est dicere aliquid simul corrumpi, & non corrumpi, quod implicat in terminis; sed manifestum est ad sensum aliquod accidens corrumpi subiecto eius, in quo erat, remanente; ergo esse illius accidentis non remanet, esse illius subiecti remanente; cum ergo non sit eadem res, quæ remanet in esse, & quæ desinit esse, sequitur quod non est idem esse existentiæ substantiæ, & accidentis. Et quamuis Suarez disputat. 31. Metaphysicor. sect. 11. dicat distinguentes realiter existentiam ab essentia difficulter probare posse, quod accidentia gaudeant propria existentia, vnde ad argumentum modo factum dici posset nullam sequi contradictionem, quia licet accidente corrupto eius existentia remaneat non sequitur non esse corruptum, quia non existebat existentia propria, sed aliena, scilicet per existentiam subiecti; quamuis, inquam, res ita habeat, parum nostra id refert, viderint ipsi Thomistæ, si consequenter loquantur ad sua principia, sufficit nobis prædictam rationem concludere in sententia communi non distinguente existentiam realiter ab essentia, aliam rationem ad hoc adduxi ex Scot. citat. disputat. 8. quæst. 4.

Sed obijcitur, quia accidens non est ens, nisi quia entis, idest substantiæ, quod non esset verum, nisi idem esset esse entis, quod est substantia, & ipsius accidentis. Deinde accidentis esse est inesse, idest esse in alio, seu esse per aliud, ergo non existit per propriam existentiam, sed per alienam. Rursus quæ simul producuntur habent vnum esse, quia productio terminatur ad existentiam rei, sed accidentia simul cum substantia producuntur. Demum relatio est accidens reale, & tamen propriam existentiam non habet, quia si eam haberet, posset saltim per Dei potentiam sine extremis esse, & conseruari, sicut ob id conseruari potest accidens absolutum.

9 Resp. accidens dici ens, quia entis, non quia substantiæ, & accidentis sit idem esse realiter, seu eadem existentia, sed quia esse existentiæ accidentis præsupponit esse existentiæ substantiæ; & ideò aiebat Doctor 4. distinct. 12. quæst. 1. litter. G. quem sequitur Soncin. 7. Metaphysic. quæst. 1. cum dicitur accidens esse ens, quia entis, hoc non intelligitur in ratione principij formalis, seu efficientis, & subiectiui quatenus nimirum accidens pendet à substantia in genere causæ efficientis, & materialis. Ad 2. accidentis esse dicitur inesse, non actualiter, sed aptitudinaliter, quatenus accidens aptum est inhærere alteri, seu habere suam existentiam alteri innixam, non autem quia debeat existere per existentiam alterius. Ad 3. maiorem distinguo, si producantur simul eadem indiuisibili actione, concedo, si verò dicuntur simul produci, sed diuersis actionibus inter se connexionem habentibus, nego, ita autem est in proposito de substantia, & accidentibus, quæ substantiam naturaliter concomitantur, in alijs autem accidentibus prorsus aduentitijs est etiam falsa minor, quia substantiæ etiam duratione præexistenti ab extrinseco aduenient. Ad 4. etiam relatio, si ponitur accidens ab extremis reipsa condistinctam, propriam existentiam habere censenda est ab existentia subiecti condistinctum, licet ob peculiarem suam conditionem sine subiecto, ac etiam termino existere repugnet, neque hinc sufficiens argumentum deducitur ad negandum relationi propriam existentiam, nam etiam in sententia nostra totum à partibus distinguente, vtique totum propriam habet existentiam aliam ab existentia partium, sicut & aliam entitatem, ellò non possit existere sine partibus; vel vt exemplo vtar ab omnibus concesso, creatura propriam habet existentiam realiter ab existentia Dei distinctam, & tamen nequit existere, vel conseruari sine Deo; potest igitur esse, vt aliqua duo diuersas vtique habeant existentias, & adhuc existentia vnius separari nequeat ab existentia alterius ob peculiarem connexionem, quam inter se habeant ex innata eorum conditione, mutuam, vel non mutuam; Sed quia de hoc etiam tractaui disp. 8. cit. q. 4. ad alia pergo.

10 Dico 3. accidens prout hìc de eo est sermo, à substantia realiter distingui; Hęc quoque assertio communis est, & quidem quod non sufficiat sola rationis distinctio satis exploratum est, quia substantia, & accidens ita inter se distinguuntur, vt possit substantia separari ab hoc, & illo accidente naturaliter, vel saltim supernaturaliter; ergo maior distinctio inter ea versatur, quam rationis, etenim sola rationis distinctio ad talem separationem, vel separabilitatem sufficiens non est. Tum quia estò talis distinctio sufficere possit inter substantiam, & accidens sumptum pro extraneo ab essentia rei, quo sensu differentia dicitur accidere generi, quod solet dici accidens metaphysicum, & prædicabile, non tamen sufficit, si accidens sumatur physicè pro eo, quod alteri inhęret, velut subiecto, & dicitur accidens prædicamentale, nam talis inherentia est quidam respectus realis, qui versari petit inter extrema realiter distincta. Vnde quod sola ratione ab alio distinguitur, non propriè illi inhærere dicitur. Deinde, quod realis distinctio intercedat inter substantiam, & accidentia absoluta, vt sunt quantitas, & qualitas, cum omni proprietate; qualis est illa, quę versatur inter rem, & rem, concedunt omnes, quia mutuò possunt separari, & separata existere saltim per potentiam Dei absolutam, vt patet in eucharisticis accidentibus; & quamuis Nominales id negent de quantitate, id est quia nolunt esse aliquid substantiæ corporeæ superadditum, si enim concederent ipsam esse accidens superadditum substantiæ illicò concederent etiam esse realiter ab ea distinctam, vt dicunt de qualitate; ergo nequit negari accidens absolutum esse à substantia realiter, ac entitatiuè distinctum.

11 Sola remanet difficultas de accidentibus relatiuis, quæ à Recentioribus accidentia modalia vocantur, quia enim substantia licèt possit ab eis separari, & separata existere, non tamen è contra, ideò dicunt talem distinctionem ex natura rei inter ea repertam non esse dicendam realem, sed modalem duntaxat, qualis vocari solet, quæ versatur inter rem, & modum. Cæterum, inquit Doctor quol. 3. art. 1. & 1. d. 1. qu. 5. §. *quod si adhuc*, hanc esse puram quæstionem de nomine, vt potè quæ pendet ex varia acceptione terminorum *rei*, *& modi*, *distinctionis realis*, *& modalis*, inquit enim accidens relatiuum posse dici rem, & modum, rem quidem, quatenus essentialiter cadit sub diuisione entis realis, & omne tale est res, seu ens reale; potest verò dici modus, quatenus est imperfecta entitas ad quamcunque absolutam comparata per se existere non potens, sed necessariò illi inhærens, & affixa, vt modus rei modificatæ per ipsam; sic etiam, si realis distinctio sumatur in proprio significato pro ea diuersitate, quæ inter aliqua duo reperitur, quorum vnum potest sine alio existere, siue id mutuò contingere possit, siue non, in hoc sensu debent dici realiter distingui; si verò magis rigorosè sumatur pro ea diuersitate, quæ inter duo reperitur, quorum alterum sine altero reciprocè potest existere, non dicitur realis, sed modalis; verùm quia hæc secunda acceptio realis distinctionis est voluntaria, quia vt aliqua duo realiter distincta cum omni proprietate dicantur, sufficit vt vnum possit ab alio separari, & sine eo existere, siue id mutuo contingat, siue non, præstat dicere substantiam, & accidens relatiuum esse realiter distincta absolutè loquendo; & ratio est, quia ex hoc quod accidens relatiuum sine substantia existere nequeat, non è contra, non benè infertur, quod non sint mutuò realiter distincta, sed tantùm quod non sint mutuò realiter separabilia cum retentione propriæ existentiæ, quod distinctioni reali merè accidit, quæ sufficienter per hoc constituitur, quod vnum possit esse sine alio, quomodocunque id contingat, siue mutuò, siue non mutuò. Denique

superius

superius disp. 6. quæst. 10. ostendi distinctionem hanc modalem Recentiorum secerni quidem à distinctione rationis, ac etiam à distinctione nostra formali, non tamen constituere speciem disparatam, & condistinctam à distinctione reali, sed ad ipsam pertinere, & reduci ergo simpliciter, & absolutè loquendo etiam accidentia relativa, siue modalia poni debent à substantia realiter distincta; & hac ratione disputat. 5. Phys. quæstion. 9. dixi vnionem substantialem realiter à partibus distingui, & vniuersaliter omnem relationem prædicamentalem à fundamento disp. 8. Log. q. 3. art. 1.

12 Quæri hic etiam solet, an accidens sit forma simplex, vel potius compositum ex materia, & forma; Respondet Doctor 8. Metaphys. quæst. 1. & cum eo Ant. And. quæst. 5. & Faber disp. 2. quod est omninò simplex physicè loquendo, métaphysicè tamen componitur ex genere, & differentia, quod etiam docet 1. dist. 8. quæst. 3. §. *Teneo opinionem meam mediam*, & quidem quod metaphysicam admittat compositionem omni prorsus dubitatione vacat, nam in prædicamentis accidentium assignantur generici, specifici, ac differentiales, sicut in prædicamento substantiæ, quod verò non sit physicè compositum nimirum ex materia, & forma, probat, quia tunc albedo, verbi gratia non posset se tota informare subiectum, ergo talis compositio accidenti repugnat, consequentia patet, quia accidens à natura destinatum est, vt se toto sit forma alterius, scilicet substantiæ; probatur assumptum, quia licèt albedo esset informatiua ratione illius partis essentialis, quæ est actus, id tamen repugnaret ei ratione alterius, quæ est potentia, siquidem materia est potentia omninò passiua, & informabilis, & nullo pacto rationem informatiui potest habere; Tum quia si pars materialis in accidente posset informare, tantò magis in substantia, cuius pars materialis est substantia, ac proindè perfectior materia accidentis: Imò neque albedo posset informare subiectum ratione partis actualis, & formalis, quia illa pars formalis est adæquatus actus, & forma materiæ suæ accidentalis, ergo non potest simul, & semel informare subiectum substantiale, aliter non esset actus suæ materiæ adæquatus, qua etiam ratione probat Doctor 2. d. 16. qu. vn. §. *Alia opinio*, animam rationalem non esse ex materia, & forma compositam; sic etiam expressè docuit Arist. 8. Met. 12. vbi habet quod accidentia non habent materiam *ex qua*, sed tantum *in qua*, & idem habet Auctor. lib. 6. princ. vbi ait accidens esse formam simplicem.

Objcies, accidens est definibile; ergo constat ex materia, & forma, ex quibus definitio constat 8. Met. tex. 9. Tum 2. est generabile, & corruptibile, vt patet, omne autem tale constat materia, & forma, quia materia est causa corruptionis 7. Metaphysic. 22. Tum 3. omnis motus est ad aliquem per se terminum totalem; ergo alteratio v.g. calefactio aliquem talem terminum habere debet, hic autem nequit esse v. gr. aqua calida, quia hoc est ens per accidens, ergo erit ipse calor ex materia, & forma compositus. Tum 4. si accidens esset forma simplex, tunc esset perfectius substantia, quia simplicitas est perfectio simpliciter, quæ tribuitur Deo. Tum 5. quia compositum substantiale esset magis causatum, & dependens, quia à causis intrinsecis, quam accidens, dependens autem à toto genere est imperfectius independente; ergo substantia etiam ex hoc capite esset imperfectior accidente. Tum tandem, quod cum alio realiter conuenit, & ab eo realiter differt, est compositum ex duobus, in quorum altero conuenit, & per reliquum differt, albedo, & nigredo realiter conueniunt in ratione coloris, & realiter differunt rationibus proprijs specificis, ergo &c.

13 Resp. ex Scot. cit. negando consequentiam, neque Arist. cit. ait definitionem constare ex partibus, quarum vna sit materia, & alia forma, sed quod vna se habet, vt materia, scilicet genus, & alia, vt forma, scilicet differentia, quod infert in accidente compositionem tantum metaphysicam, quo autem sensu genus dicatur sumi à materia, & differentia à forma, dictum est disp. 5. Log. qu. 3. art. 2. Ad 2. ait Doctor accidens esse generabile, & corruptibile, non quidem tanquam compositum, sed sicut generabilis, & corruptibilis dicitur omnis forma substantialis materialis, & quidem materia nedum est causa corruptionis compositi, quod intrinsecè constituit, sed etiam formæ, quam sustentatiue quia respectu eius est in potentia contradictionis ex 9. Met. ideoque cum ea contingentem, ac dissolubilem habet connexionem, alioquin argumentum probaret formam quoque substantialem esse ex materia intrinsecè compositam; hac igitur eadem ratione accidentalis forma dicitur corruptibilis, quia cum subiecto suo necessariam non habet connexionem, & vlterius quia ipsa habet contrarium extrinsecum, à quo expellitur, & insidet subiecto, quod est corruptibile, cum eius immediatum subiectum sit compositum, & non materia prima ex dictis disp. 3. Phys. q. 1. quod non competit formæ substantiali. Ad 3. iam dictum est disp. 5. Phys. qu. 13. ar. 2. in fin. quod mutatio accidentalis non dicitur per se vna à termino primo, & adæquato, quemadmodum mutatio substantialis, quia nullus talis acquiritur per mutationem substantialem, sed dicitur per se vna à termino formali, & si talis dicitur à termino adæquato, hic erit forma ipsa accidentalis in concreto, vt calefactionis calidum, quod sic acceptum est per se vnum, quia non ex æquo significat aquam, & calorem, sed de principali significato dicit calorem, & de connotato subiectum.

14 Ad 4. si argumentum valeret, probaret pariter tum materiam, tum formam esse compositum substantiali perfectiora, quod est falsum, inquit itaque Doctor argumentum petere magnum tractatum quomodo illud, quod est simpliciter perfectionis non semper concludit istud esse simpliciter perfectius, in quo est excellentius illud, sed tantum secundum quid, hanc autem doctrinam directè tradit 1. d. 8. q. 1. ad p. vbi etiam hoc argumentum soluit in terminis applicatum ad materiam primo negando simplicitatem materiæ dicere perfectionem simpliciter, quia simplicitas, vt dicit perfectionem simpliciter, excludit à simplici nedum compositionem, sed etiam componibilitatem, quam non excludit simplicitas materiæ; deinde admisso etiam quod simplicitas materiæ dicat perfectionem simpliciter, adhuc negat esse nobiliorem composito, quia quando sunt duæ naturæ habentes peculiares, & diuersas perfectiones, illa nobilior censeri debet, cui conuenit perfectio aliam excedens à toto genere, ad rem actualitas est perfectio simpliciter, & simplicitas est perfectio simpliciter, composito autem conuenit maior actualitas, licet non maior simplicitas, materiæ autem licet conueniat simplicitas, non tamen tanta actualitas, quanta competit composito, simpliciter autem, & absolutè loquendo actualitas est perfectior simplicitate, & ita simpliciter perfectius potest esse illud, cui conuenit actualitas sine simplicitate; quam illud, cui conuenit simplicitas sine actualitate; ita Doctor loc. citat. quæ tota responsio quadrat proposito nostro, nam vel negandum est simplicitatem accidentis dicere perfectionem simpliciter, quia non excludit compossibilitatem cum alio, immo neque actualem compositionem metaphysicam; vel si concedatur dicere perfectionem, adhuc neganda est consequentia, quia substantia composita est actualior accidente, cum sit vltimus actus vlterius omnino incommunicabilis alteri per modum actus, & actualitas à toto genere simplicitatem antecellit; & per hanc doctrinam patet etiam ad 5. quia actualitas, quæ conuenit substantiali composito, præstat à toto genere independentiæ, quam habet accidens à causis intrinsecis, quia talis independentia accidentis non stat cum tanta actualitate, quantam habet compositum, quod nequit esse actus alterius, vel aliud informare nec per se, nec per accidens, vt Scot. ostendit quol. 9. cui accedit hoc quoque argumentum probatum, si quid concluderet, tam materiam, quàm formam, esse composito substantiali perfectiora, quia minus dependentia. Ad vltimum ait Doctor ad saluandam conuenientiam, & disconuenientiam realem specierum accidentis sufficere compositionem metaphysicam ex realitatibus generis, ac differentiæ.

QVÆSTIO II.

Quid sit, & quotuplex inhærentia accidentis.

15 INhærentia est vnio, qua accidens copulatur, vel aptum est copulari subiecto, à quo dependet in suo esse, fieri, & conseruari; & solet duplex assignari, vna actualis, altera aptitudinalis, prima est, qua accidens de facto, & actualiter inhæret subiecto; altera est, qua dicitur aptum inhærere, seu exigitiuum inhæsionis, etiam si actualiter non inhæreat, sed per se existat, vt dicitur de accidentibus in Eucharistia; ita passim omnes, & consentit Doctor 4. d. 12. q. 1. sed circa vtramq; inhæsionem est difficultas, quid dicant, num scilicet superaddant aliquid entitati accidentis aliquo pacto ex natura rei condistinctum ab ea, vel nihil prorsus. Circa inhærentiam actualem, sicut negant Nominales vnionem substantialem esse modum aliquem positiuum materiæ, & formæ intimè præsentibus superadditum, sic pariter loquuntur in proposito de inhærentia actuali accidentis ab subiectum, quod nihil omninò addat accidenti, & subiecto indiuisis, ac intimè præsentibus, volentes formam, & subiectum, immediatè seipsis vniri, & non per aliquid superadditum & sic inter alios Nominales enixe tuetur Rub. 4. d. 12. q. 1. art. 2. Alij verò extra scholam Nominalium, esto gratis concedant inhæsionem actualem esse aliqui superadditum formæ accidentali, & subiecto, mediante quo dicuntur vniri, & copulari, negant tamen inhærentiam aptitudinalem quidpiam prorsus addere etiam formaliter aut ratione distinctum ab ipsa accidentis entitate, & essentia, ita passim loquuntur Thomistæ, dum accidens definiunt per inhærentiam aptitudinalem, eamque ponunt de essentia illius, sic etiam sentit Alensis 7. Met. quæstiunc. 3. in tex. 5. sequitur Auersa q. 21. Phil. sect. 2. concl. 3. vbi inquit re vera addi non debere supra essentiam accidentis, aut excogitari alia aptitudinem, & potentiam proximam ad inhærendum ab essentia accidentis distinctam, quia nulla est necessitas, vel vtilitas eam constituendi, quia optimè intelligitur ipsum accidens proximè per suam essentiam esse aptum ad inhærendum, & hanc aptitudinem esse essentialem eius rationem, & sic etiam valde probabile iudicat Ponc. disp. 13. q. 1. nu. 12. vbi ait nunquam sibi placuisse, quod dentur vlli respectus aptitudinales à suis fundamentis distincti, quia nulla ratio efficax ad hoc afferri potest.

16 Dico Primò inhærentiam actualem esse modum positiuum reipsa superadditum accidenti præsertim absoluto (nam de relatiuo dicemus postea) & ab eo realiter, vel saltim modaliter distinctum, vt solet distingui modus extrinsecus à re, cuius est modus, ita Doct. 4. d. 12. q. 1. cum suis, quæ conclusio est quoque communis extra scholam Nominalium, & probatur eisdem omnino rationibus, quibus probatum est disp. 5. Phys. q. 8. art. 2. vnionem substantialem aliquid superaddere partibus indistantibus contra Nominales, quarum præcipuam applicando ad propositum sic potest argui, quia potest accidens absolutum à subiecto separari per Dei potentiam, & sine inhæren-

tia ad illud conseruari, vt fides docet in sacramento Eucharistiæ; ergo inhærentia actualis non est præcisè ipsa entitas accidentis, sed quid ab ea distinctum, quia permanet entitas accidentis inhærentia sublata, Respondet Rubion concedendo inhærentiam actualem aliquid aliud importare præter entitatem accidentis, quia importat etiam subiectũ illius, seu ambo extrema importat accidens, & subiectum, & hæc quidem non vt absolutè sumpta, sed vt vnita, ac indiuisa, sed vltra ea sic sumpta nil prorsus superaddit, quia possunt vniri immediatè quocunque ab eis distincto medio circumscripto, cum non magis distinguantur nec minus immediatè sint vnibilia, quam accidens, & sua inhærentia, quæ tamen extra scholam quoq. Nominalium ponuntur immediatè vniri ne detur processus in infinitum, licet autem immediatè accidens, & substantia seipsis vniantur, non tamen necessariò, & per consequens possunt diuidi, & vnum ab alio separari.

Hæc tamen responsio communis Nominalium satis loc.cit. explosa est, nam posset modo Deus in sacramento altaris non destruere substantiam panis, sed illam conseruare indistantem ab accidentibus destruendo solum inhęsionem istorum ad illam; ergo inhærentia actualis aliquid superaddit vnioni locali, vel per indistantiam accidentis, & subiecti, nam supra talem vnionem dicit informationem, & sustentationem accidentis in substantia; ergo dicit aliquid aliud præter extrema simul sumpta, vel solum vnita per indistantiam. Tum quia cum aiunt inhærentiam actualem importare ambo extrema, non absolutè sumpta, sed vt vnita, & indiuita, eo ipso fatentur vnionem extremis superadditam, quia ambo disiunctim sumpta possunt esse sine vnione, ergo quando concipiuntur vnita, tunc concipiuntur sub aliquo modo quem prius non habebant. Substantia verò, quæ de ipsa inhærentia afferebatur, non valet, quia cum ipsa sit accidens relatiuum, ac proinde non potens per vllam prorsus potentiam se ipsa immediatè existere, est necessariò ac indispensabiliter alteri affixa non media alia vnione, non solum quia in ratione vniendi est ita *quo*, vt nequeat esse *quod*, ne detur processus in infinitum, sed præsertim quia ipsa non est indifferens, vt existat in alio, aut per se solitariè, solum verò quod est sic indifferens modo eget superaddito, quo eius indifferentia determinetur, vt sit vnitum cum alio, nam sine tali addito nunquam diceretur vnitum, ita Doct. 4.d. 12.q.1. lit. I. discurrit reddens rationem, cur albedo inhęreat subiecto per inhærentiam ab ipso reipsa distinctam, inhærentia verò seipsa albedini inhæreat, & non mediante alia inhærentia; alias rationes pro hac conclusione, ac Nominalium euasiones præclusas vide loc.cit. in Physica.

17 Contra hanc conclusionem Rubion. loc.cit. multipliciter instat, inter nulla immediatè vnita, vel vnibilia poni debet forma aliqua media, quia tunc non forent immediatè vnita, sed omne accidens à subiecto separatum est ipsi immediatè vnibile, ergo &c. probatur minor, quia inhærentia ponitur sic immediatè vnita albedini, a qua non minus distinguitur inhærentia actualis, quam albedo ipsa à subiecto. Tum 2. quia si talis inherentia daretur, esset posterior accidente, subiecto, quia cum ponatur respectus præsupponit extrema iam in esse posita, immo cum sit extrinsecus aduenientes, nedum præsupponit accidens, & subiectum, sed etiam accidens in subiecto, quia supponit extrema approximata; ergo superflnit hæc inhærentia, cum accidens sit in subiecto antecedenter ad ipsam. Tum 3. ita se habet inhærentia ad accidens, sicut subsistentia ad substantiam, sed hæc non ponit aliquid substantiæ superadditum, ergo nec illa accidenti. Tum tandem quia nequit assignari causa efficiens talis inhærentiæ, vel enim procederetur ab ipso accidente, & hoc non, quia non omnia accidentia sunt actiua, vt communiter dicitur de quantitate, quæ non est de genere actiuorum, vel à subiecto accidentis, & neque, quia subiectum ad summum concurrere potest etiam in genere efficientis causæ ad producendum ipsum accidens, quod recipit, non autem aliquam aliam formam in ipso accidente, quod recipit, & producit.

Resp. inhæsionem actualem non mediare inter accidens, & subiectum, vt quod, seu vt aliquid vnitum, sed solum vt quo, seu vt ratione formalem vniendi, quod non tollit immediatam eorum coniunctionem, sicut cum oculus parietem videt, non quia mediet visio, dicitur parietem mediatè videre, sed immediatè, quia visio non mediat, vt visibile quod, sed vt ratio formalis videndi; cur autem inter inhærentiam, & albedinem, in qua fundatur, non mediet aliquid vniens, & copulans, nec vt quod, nec vt quo, paulo antea dixi, quia inhærentia non est de se indifferens, vt inhæreat, vel non inhæreat, sed necessariò, ac indispensabiliter est semper alteri affixa, atque ideò indiget alia inhærentia. Ad 2. sufficienter dixi disputat. 5. Phys. q.8. art. 2. numer. 104. loquendo de vnione substantiali; an autem inhærentia re vera sit prior, vel posterior accidente per ipsam inhærente mox dicam. Ad 3. ait Doct. 4.d. 12. quæst. 1. §. *ad argumenta principalia*, paritatem de per se esse substantiæ, & esse in alio accidentis, non bene currere nisi vtrumque accipiatur aptitudinaliter, nam si accipiantur actualiter, est aperta disparitas inter subsistentiam substantiæ, & inhæsionem accidentis accipiendo subsistentiam pro per se existentia, vt excludit inhærentiam, etenim inhærentia distinguitur ab accidente absoluto, quia potest accidens sine ipsa conseruari, vnde accidentia relatiua, quæ nequeunt esse sine subiecto, non indigent modo inhærendi distincto, & si pariter cum natura substantialis non possit non existere per se, non indiget alio modo distincto, quo constituatur ita per se existens, sicut indiget accidens absolutum, vt alteri inhærere dicatur; potest tamen paritas admitti sumendo subsistentiam pro per se existentia incommunicabili, quia hæc superaddit aliquid negatiuum naturæ, sine quo existere potest per potentiam Dei absolutam, vt constat ex præced. disputat.

18 Ad vltimam quidam dixere modum inhærentiæ effectiuè manare ab ipso accidente, quibus Suarez subscribere videtur 3. p. tom. 1. disp. 8. sect. 3. dub. 3. alij volunt potius causari à subiecto in ipso accidente, & in hoc consistere causalitatem subiecti; cæterum cum hic sit respectus extrinsecus aduenies, quia non est nisi actualis vnio accidentis ad subiectum, & cum talis respectus possit causalitatem efficientis immediatè terminare ex Doct. 3.d. 1.quæst. 1. & quol. 11. dicendum est non manare effectiuè nec à subiecto, nec ab accidente, sed ab eodem efficiente, a quo fit accidens, vel à quo accidens vnitur subiecto, & quidem quod non ab ipso accidente dimanet, exprimit Doctor 4.d. 12.quæst. 1. lit. O. vbi ait, quod albedo non facit se inhærere subiecto, sed agens albedinem producens, & quod si subiectum hoc gerit munus, hoc ei competit in ratione agentis, quatenus non tantum potentialiter, sed etiam virtualiter continet formam, & inferius litt. Q. ait, quod accidens non potest se effectiuè vnire subiecto, vnde si Deus reduceret substantiam panis, & nihil aliud faceret, remaneret accidens sine subiecto, sicut modo, nec vnitur substantiæ panis reproductæ; quod etiam nequeat à subiecto effectiuè manare, quatenus subiectum est, probatur, quia causalitas eius in ratione subiecti est omnino passiua, & tota consummatur in recipiendo, & sustentando accidens, restat ergo vt inhærentia accidentis effectiuè manet ab eodem agente à quo ipsum accidens producitur, idem enim agens, quod accidens producit in subiecto, efficit etiam, vt sit in subiecto.

Secundo arguit, quod est in subiecto alio mediante, nullo modo potest illi esse ratio essendi in subiecto, quia tunc esset circulus, sed si inhærentia esset forma ab accidente distincta, ipsa nunquam esset subiectiuè in substantia, nisi mediante accidente eius immediato fundamento, nec enim inhærentia albedinis potest esse in substantia, nisi albedo ipsa sit in substantia, ergo &c. Conf. quia cum substantia sit susceptiua immediatè omnium accidentium, nullum accidens videtur esse ponendum, cui repugnet omninò recipi in substantia immediatè, & primò, sed tali inhærentiæ, si ponatur repugnat in substantia recipi primo, quia subiectum immediatum inhærentiæ debet esse inhærens. Demum, si inhærentia est aliqua realis forma accidentalis, quæritur in quo genere sit ponenda, non potest poni in genere actionis, & passionis, quia nulla res talium generum potest esse terminus actionis non est actio, huiusmodi verò inhærentia est terminus actionis, cum sit respectus extrinsecus aduenies; omnis etiam actio, & passio respicit aliquem terminum productum, quod non facit huiusmodi inhærentia actualis.

19 Resp. inhærentiam non recipi, nec subiectari in substantia, sed in accidente immediatè, nec propriè ipsa dicitur inhærere, sed est ratio cur accidens, cui ponitur modus, inhærere dicatur, sicut neque subsistentia, quæ est modus substantiæ, dicitur subsistere, sed est ratio formalis, cur substantia subsistat, & est ita *quo*, vt nequeat esse *quod*. Ad Conf. negatur assumptum, non enim opus est omnia accidentia immediatè in substantia recipi, & subiectari, sed sufficit si immediatè, vel saltim mediatè ad illam dependeant, vt ad omninò primum, & vltimatum suæ dependentiæ terminum; immo in probabiliori sententia sola quantitas immediatè inhæret substantiæ corporeæ, cætera verò accidentia mediante quantitate, vt dictum est in Physicis. Ad vltimum abunde explicata est natura vnionis formæ ad subiectum, siue sit substantialis, siue accidentalis, disputat. 5. Physic. quæst. 9. quod prædicamentum pertineat, & in primis dictum est non esse entitatem absolutam, sed merè respectiuam ex Scot. 3. dist. 1. quæst. 1. quia vnio non est ad se, sed ad aliud, nec potest intelligi vnio, nisi vnius ad aliud à se distinctum, qui est intellectus relatiuus, deinde ex eodem Scot. 4. distinct. 12. quæst. 1. C. dictum est esse respectum extrinsecus aduenientem, quia non sequitur necessariò extrema posita in esse, potest enim Deus formam, & subiectum separata conseruare sine vnione, & potest vnio per se terminare actionem vnitiuam agentis, quod est proprium respectus extrinsecus aduenientis. Cuius autem generis sit ilorum sex ait Doctor loc. citat. quod fortè pertinet ad genus passionis, si passio dicat non tantum respectum passi ad agens, sed ad formam, vel ad genus actionis, si actio dicat non tantum respectum agentis ad patiens, sed informantis ad illud quod informatur, per quam ampliationem illorum generum, euitatur argumentum à Rubion. allatum; breuius tamen ibidem dixi ex Bassolio 4. distinct. 12. quæst. 1. articul. 1. inhærentiam spectare ad prædicamentum habitus, quia talis habitudo est aliquo modo derelicta ex adiacentia formę ad subiectum, vel est ipsamet adiacentia formę, vnde Auctor 6. princ. ponit in eo prædicamento album esse, & quantum esse quod non est, nisi habere quantitatem, & qualitatem inhærentem, ideoque in logica prędicamentum habitus pręcipuè constitui in illa mutua habitudine, quia subiectum dicitur habere formam, & forma haberi à subiecto; per quam explicationem excluditur instantia, quam contra hoc facit Auersa quęst. 21. sect. 3. quod nempe illud prędicamentum consistit tantum in denominatione extrinseca, vel respectu consurgente ex adiacentia vestium circa corpus, ac proinde docet inhærentiam non esse determinati generis, sed vagari per plura, & esse nouem generibus communem,

quod

quod etiam tenet Meuriſſe libr. 3. quæſtion. 5. ſuæ Metaphyſicæ.

Sed dices, illud quod eſt determinati generis non poteſt competere pluribus generibus, accidens autem, vel inhærens quantum ad perſe rationem nominis conuenit omnibus nouem generibus, ergo &c. Reſpondet Doctor non eſſe inconueniens, quod eſt determinati generis denominare plura genera, vt nonnulli dicunt de reſpectu creationis, quod per ſe pertinet ad genus relationis, & tamen denominat quodlibet aliud à Deo, ſic igitur in propoſito poteſt iſte reſpectus pertinere per ſe ad vnum genus, & tamen denominatiuè dici de relationib s, vel reſpectibus nouem generum. Dices ex Simplicio ſuper prædic. *eſſe in* non conſtituere aliquod ſpeciale genus, quia vnum *eſſe in* eſt omnium nouem generum. Occurrit rurſus Doctor, vel *eſſe in* accipitur denominatiuè, & ſic circuit omnia genera accidentium, ſicut hoc quod eſt inhærere, vel accidere, vel accipitur pro ipſa habitudine per ſe ſignificata per *eſſe in*, & hoc modo accipitur aliquod genus ab *eſſe in*, quia eſt ſpecies determinata in vno genere; ſi autem intelligat, quod *eſſe in* quantum ad per ſe rationem, quam importat, non pertineat ad aliquod genus determinatum, ſed per ſe ad plura genera negandus eſt; non enim eſt tantæ auctoritatis, quod propter dictum eius debeat concedi oppoſitum eius, quod ratio concludit, ratio autem conuincit, quod ille conceptus quem importat *eſſe in* poteſt quidditatiuè contineri in aliquo genere, licet denominatiuè dicatur de formis, quæ ſunt in multis generibus, non enim dicitur quidditatiuè de albedine, & linea, quia illud, quod eſſentialiter includit reſpectum non eſt ad ſe ſecundum Auguſt. 7. de Trinit. cap. 2. ita Doctor.

20 Tertiò vrgetur, quia diſcerni nequit, num hæc inhærentia ſit prior, vel poſterior accidente, nam ex vna parte videtur eſſe prior, nam ſi eſſet poſterior, cum omne prius ſit in aliquo ſigno, in quo non eſt poſterius, ſequitur quod accidens aliquando exiſteret, & non inhæreret. Tum quia hæc inhærentia eſt cauſalitas, per quam accidens in ſua entitate à ſubiecto dependet; ergo eſt accidente prior, ſicut cauſalitas omnis eſt prior effectu ſuo. Tum etiam, quia hæc inhærentia non eſt niſi vnio accidentis ad ſubiectum, atq; ideò mediat, & intercedit inter hoc, & illud, vt nexus vnius cum altero; ergo inhærentia prius, & immediatius attingit ſubiectum, quam accidens per illam inhærens, ergo eſt prior accidente; quod confirmà ſimili, quia ex hoc, quod quantitas mediat inter ſubſtantiam, & qualitatem, & qualitas ſubſtantiæ inhæret media quantitate, optimè illatum eſt quantitatem eſſe qualitate priorem; ergo ex hoc quod inhærentia mediat inter accidens, & ſubiectum, & accidens ſubiecto inhæret media inhærentia, optimè inferri poterit prioritas huius ad illud, & his rationibus fulti Recentiores paſſim tenent inhærentiam eſſe accidente priorem. Attamen ex alia parte poſterior eſſe videtur, quia hæc inhærentia non eſt, niſi actualis vnio accidentis cum ſubiecto, vnio autem, vt ſic, non producit extrema vnibilia, ſed potius illa ſupponentia eſſe ſuo copulat adinuicem; ergo inhærentia non cauſat, aut nõ eſt cauſalitas ſubiecti erga ipſum accidens, ſed ſupponit in ſuo eſſe, vt copulet ſubiecto. Tum quia modus eſſendi debet ſupponere rem ſimpliciter eſſe, ſed inhærentia eſt modus eſſendi accidentis, ergo ſupponit accidens ſimpliciter eſſe, ſicut è contra ſubſiſtentia, quia eſt modus quidam eſſendi ſubſtantiæ, non conſtituit eam ſimpliciter in eſſe, ſed in eſſe incommunicabili. Tum tandem quia reſpectus fundatus in aliquo eſt poſterior eo, & vniuerſaliter reſpectus ſupponit extrema, ad quæ conſequitur, ſed hæc inhærentia eſt reſpectus vnionis formæ ad ſubiectum, ergo vtrumq; ſupponit in eſſe; & hac ratione Doctor 4. diſtinctione 12 q. 1. M. reſolutè tenet inhærentiam eſſe accidente poſteriorem illis verbis, *ad tertium dubium dico, quod ille reſpectus inhærentiæ eſt poſterior albedine, ſicut vniuerſaliter reſpectus fundatus in aliquo eſt poſterior fundamento*.

21 Reſp. itaque inhærentiam eſſe accidente poſteriorem, ad primam rationem in oppoſitum negatur conſequentia, quia prioritas accidentis ad inhæſionem non eſt prioritas temporis, quæ ſola explicatur per verbum *eſt* & *in quo*, & propriè menſurat exiſtentiam rei, ſed eſt prioritas naturæ, & ſimplicis naturalis præſuppoſitionis, nec proprie menſurat exiſtentiam rei. Ad 2. negatur aſſumptum, vt enim vniuerſaliter dictum eſt de vnione cuiuſcunque formæ diſp. 5. Phyſ. q. 4. art. 1. cauſalitas ſubiecti erga formam non conſiſtit in vnionem cum ipſa, quia cauſalitas eſt reſpectus intrinſecus adueniens de genere relationis, vnio autem eſt reſpectus extrinſecus adueniens de genere habitus; tum quia ex vi cauſalitatis effectus dicitur recipere eſſe, at ex vi vnionis nullum extremorum dicitur produci, & recipere eſſe, ſed potius ſupponuntur ante vnionem exiſtentia, & per vnionem intelliguntur recipere præcisè eſſe vnitum; tum tandem quia quando etiam concederetur antecedens adhuc neganda eſſet conſequentia, quia adhuc fallum eſt cauſalitatem eſſe quid medium inter cauſam, & effectum, illumq; natura præcedere, vt optimè notauit Doctor 2. d. 1. q. 2. lit. E. dicens, quod fallit nos imaginatio, dum putamus relationem cauſalitatis mediare veluti viam, inter cauſam, & effectũ, quia re vera ſequitur, ſicut vniuerſaliter nulla relatio ponitur, niſi poſitis extremis. cauſalitas autem formaliter ſumpta in relatione conſiſtit cauſæ ad effectum, quæ omnia fusè declarata ſunt diſput. 5. Phyſ. q. 2. Ad 3. reſpondetur ex eadem Scoti doctrina nunc allegata, quod ſi ſenſum ſequamur, ac imaginationem noſtram vtiq; vnio mediare videtur inter extrema vnita, quaſi nexus amborum, quia nos concipimus vnionem inter ſubiectum, & formam ad modum puncti inter partes lineæ, & ad modum glutinis inter partes tabulæ; falſa tamen eſt imaginatio, & per rationem corrigenda, quia diuerſa ratio prorſus eſt de vnione inter formam, & ſubiectum ex vna parte, & de punctо inter partes lineæ, & glutinis inter partes tabulæ ex alia; quæ enim phyſicè vniuntur, vt ſubiectum, & forma, immediatè vniũtur inter ſe; at partes tabulæ, & lineæ re vera non vniuntur immediatè adinuicem, ſed vniuntur in aliquo tertio, cui tanquam termino communi copulari dicuntur, vnde factum eſt, vt quantitas continua deſcribatur illa, cuius partes copulantur alicui tertio tanquam communi termino, vnio igitur phyſica formæ, & ſubiecti non eſt quid abſolutum, & materiale inter ea interiectum, in quo quaſi in tertio illa vniri dicantur, ſic enim immediatè vnita non fuerit, ſed potius eſt relatio ſubſequens extrema prius natura inuicem materialiter, & fundamentaliter coniuncta, vt illa deinceps denominet formaliter vnita, ſicut ſimilitudo ſequitur albedines fundamentaliter ſimiles, vt illas denominet formaliter tales; prius ergo natura forma ponitur in ſubiecto, & ſtatim immediatè ſequitur reſpectus inhærentiæ; & cum dicimus per inhærentiam, vel media inhærentia accidens fundari in ſubiecto, & vniri ſubiecto, non eſt ſenſus, quod hæc vnio, & inhærentia ſit quoddam medium materiale, & abſolutum inter extrema ad modum glutinis inter partes tabulæ, immediatè enim forma eſt in ſubiecto excluſo quocunq; tali medio, ſed iſtæ, & ſimiles locutiones ſenſum faciunt formalem, quod ſcilicet albedo denominatur formaliter inhærens ſubiecto per inhærentiã in ipſa fundatam, atq; dicũtur adinuicem vnita formaliter per relationẽ vnionis hinc inde reſultantẽ eo modo quo declarat Doct. 4. d. 13. q. 1. P. cauſalitatẽ eſſe viam in effectum, & eſſe rationem denominandi formaliter cauſam in ratione cauſæ, etiamſi re vera talis relatio ſequatur poſito effectu in eſſe.

22 Itaque dum forma exiſtit in ſubiecto, poſſunt in tali ſtatu dupliciter conſiderari, vel materialiter, & fundamentaliter, & ita præcedunt relationem vnionis, vel formaliter, & denominatiuè, quatenus vnita, & ſic relatio potius præcedit ipſa extrema ſub tali denominatione, ſicut vniuerſaliter forma ſuum effectum formalem in ſubiecto natura precedit; hinc patet reſponſio ad argumentum diſtinguendo antecedens de medio formali, & relatiuo, & de materiali, & abſoluto, vnio vtiq; mediat inter ſubiectum, & formam, non vt medium materiale, & abſolutum, ſed formale, & relatiuum, & ideò prius, & immediatius accidens attingit ſubiectum materialiter, & fundamentaliter, quam relatio inſurgat inhæſionis, neq; ob id relatio iſta eſt ſuperflua, immo adhuc eſt neceſſaria, vt denominetur formaliter inhærens, quia cuiuſcunque *quod* neceſſarium eſt ſuum *quo*, ideſt cuiuſcunque concreto forma denominans, vt quo; neq. hoc eſt peculiare in relatione vnionis, ſed eſt cõmune omnibus extremis relationum conceptis præciſa relatione, nec difficilius eſt concipere tunc extrema ſolũ fundamentaliter, talia, & non formaliter, vt duo alba fundamentaliter ſimilia, antequam relatio ſimilitudinis formaliter conſurgere intelligatur, quam concipere ſubſtantiam ſolum fundamentaliter ſubſiſtentem, antequam intelligatur modus ſubſiſtentiæ ab ipſa dimanare, vt dictum eſt in Log. diſp. de relatione, quæ ſolutio applicari poteſt argumento ſecundo ex Rubion. adducto ſupra numer. 17. Demum ad illam vltimam conf. negatur paritas de quantitate intercedente inter qualitatem, & ſubſtantiam, & vnione intercedente inter accidens, & ſubiectum, mediat enim quantitas inter ſubſtantiam, & qualitatem in ratione ſubiecti, in quo immediatè recipitur qualitas, & mediante ipſa recipitur in ſubſtantia; vnio verò mediat inter accidens, & ſubiectum, non in ratione ſubiecti recipientis, ſed in ratione medij relatiui, quo formaliter accidens denominatur ſubiecto inhærens, & in ſubiecto receptum, vnde hac de cauſa etiam intercedere debet inter quantitatem & qualitatem ſibi immediatè inhærentem.

Quartò arguitur, quia eſt difficultas, an hæc inhærentia ſit vnica relatio, vel vnicus modus inter ſubiectum, & formam intercedens, vel potius duplex, quorum vna ſe teneat ex parte formæ, & alia ex parte ſubiecti, nam ex vna parte vnica vnio ſufficere videtur, quia vnio eſt eſſentialiter duorum vnio, vnde eſt intelligibile vnionem vnire, & non vnire duo extrema, & vnum alteri coniungere, qua ratione Recentiores paſſim dicunt vnicam vnionem ſufficere inter ſubiectum, & accidens, quorum aliqui volunt hanc proximè, & immediatè ineſſe ſubiecto non autem ipſi accidenti, alij è contra. At ex alia parte duplex modus vnionis videtur germinandus, vnus inhæſionis ex parte accidentis, quod dicitur inhærere, & in ipſo reſideat, alter ſuſtentationis ex parte ſubiecti, qui ſit in ipſo ſubiecto, cum munera diuerſa exercere debeant quæ commodè nequeunt per vnum, ac eumdem modum ſuppleri.

23 Reſp. ex Scot. 4. d. 12. quæſt. 1. duplicem inhæſionis modum poni debere inter formam, & ſubiectum, quorum vnus ſe teneat ex parte formæ, alter ex parte ſubiecti ſicut dictum eſt pariter de vnione ſubſtantiali inter materiam, & formam diſputat. 5. Phyſic. quæſt. 10. vbi pluribus probatum eſt hoc aſſertum contra Recentiores, quæ rationes ſunt communes tam pro vnione ſubſtantiali, quam accidentali, de qua hic eſt ſermo, atque ideò ſunt ibi relegandæ; ratio autem in oppoſitum adducta probat tantum, quod per vnicum vnionis modum vtique vna pars eſt alteri vnita, at non eodem modo, ſed altera eſt vnita intrinſecè, illa nimirum, quæ vnionem fundat,

altera verò extrinsecè, tantum, quatenus vnionem terminat, cum tamen vtraque vnita intrinsecè poni debent ob rationes loc. cit. adductas.

Auersa tamen q.21. cit. sect.3. concl.3. putat vnicam esse inhærentiam inter accidens, & subiectum, & hanc proximè, & immediatè subiecto inesse, non autem ipsi accidenti, quod inhærere dicitur; probat autem quia inhærentia est causalitas sub ecti erga ipsum accidens, sed causalitas debet esse quid medium inter causam, & effectum in illo genere causæ, in quo exercetur, & quodammodo prius ipsa causalitas debet prodire, & dependere à causa, vt ea mediante prodeat, & dependeat effectus; at si inhærentia inesset immediatè accidenti, plane non mediaret in genere causæ subiectiuæ inter subiectum, & accidens, nec prius prodiret, & dependeret à causa, nec ea mediante accidens à subiecto penderet, nec ipsum accidens penderet à tali causalitate; sed potius ex oppositio accidens mediaret inter subiectum, & inhærentiam, & prius accidens quam inhærentia, dependeret a subiecto, & mediante accidente dependeret inhærentia, atq; ab ipso accidente, tanquam subiecto suo dependeret ipsa inhærentia, nec aliter ea omnia saluari possunt, nisi inhærentia dicatur immediatè inesse subiecto. Conf. quia ita se habet hæc inhærentia in genere causæ materialis, sicut actio in genere causæ effectiuæ; sed prorsus fieri non posset, vt actio immediatè prodiret ab ipso effectu sed omnino debet immediate prodire ab agente, vt sic ea mediante producatur effectus; ergo sic pariter causalitas subiecti erga accidens non potest immediatè inesse ipsi accidenti, sed debet immediatè inesse subiecto. Demum apud Scot. subiectum est id, quod recipit, & subtentat accidens, & tamen non per modum, qui ei immediatè insit, ergo è contra vt accidens verè inhæreat, non est necesse inhærentiam illi inesse sed sufficit, quod insit subiecto.

24 Resp. argumentum procedere ex falsa suppositione maioris, quod causalitas, per quam accidens à subiecto dependet consistat simpliciter, & absolutè ni inhærentia, & vnione, cum potius consistat in respectu, qui dicitur eductio, vt vniuersaliter de omni forma materiali siue substantiali, siue accidentali dictum est disp. 5. Phys. q.4. art.1. sed hoc etiam admisso, adhuc neganda est minor ex proximè dictis, non enim causalitas re vera mediat inter causam, & effectum nec causalitas prius, & immediatius effectu prodit à causa, quia potius ad absolutum in causa sequitur immediatè absolutum in effectu, & immediatè postea relatio effectus est causam, quæ est causalitas passiua, & causæ ad effectum (si causa sit relationis capax) quæ est causalitas actiua, effectus autem à causalitate dependet, vt à quo denominatur formaliter causatus, & dependens, ex quo non sequitur causalitatem esse simpliciter effectu priorem, sed esse dumtaxat priorem effectu, vt stat sub tali denominatione causati, concedo etiam inhærentiam non mediare inter substantiam, & accidens in sensu, quo contendit Auersa, nec prius prodire à causa, quam accidens ipsum, mediat quidem in ratione medij formalis, & relatiui, & ea in hoc sensu mediante accidens à subiecto formaliter dependet, vt à subtentante, & ipsum accidens à tali inhærentia dependet, vt à quo denominatur formaliter inhærens, cum infertur ex hoc, quod tunc potius accidens mediaret inter subiectum, & inhærentiam, concedo accidens mediare inter subiectum, & inhærentiam, quatenus fundamentaliter prius subiecto adiacet, quam inhærentia inter ea consurgere dicatur, licet in alio sensu scilicet in ratione medij relatiui inhærentia re vera mediare dici debeat inter accidens, & subiectum, sic enim inhærentia immediatè attingit subiectum in ratione termini, cui copulat, & coniungit formaliter ipsum accidens, prius etiam accidens à subiecto fundamentaliter, quam inhærentia eius ab eodem dependeat, vt à termino, licet non formaliter; non tamen mediante accidente dependet inhærentia à subiecto, quia non dependet ab eo, nisi vt à termino, cui coniungit accidens in ratione medij relatiui, & ideò seipsa immediatè dependet ad illud.

Ad Conf. rursus in maiori falsò supponitur, quod causalitas subiecti erga accidens in inhærentia consistat, sed ea admissa dico ad minorem vtiq; impossibile esse, quod actio ipsa procedat ab effectu immediatè, velut à fundamento, sic enim omnino debet ab agente prodire, non quidem vt effectus habeat esse ea mediante in sensu ab Auersa intento, nam cum prodit ab agente, velut à fundamento, iam supponitur effectus in esse, velut terminus talis relationis, sed vt ea mediante in ratione termini relatiui agens dicatur formaliter causans, & efficiens, sicut etiam eadem ratione debet etiam ab effectu in eodem instanti immediatè prodire, velut à fundamento, causalitas passiua, vt denominetur formaliter causatus, & dependens, & sic pariter dicendum de causalitate subiecti erga accidens. Ad vlt. negatur assumptum, vt enim dictum est requiritur etiam ex parte subiecti propria inhærentia, vt per eam denominetur formaliter recipere, & sustentare accidens, & eadem ratione propria inhærentia necessaria erit ex parte accidentis, vt dicatur recipi, & inhærere, cum enim sint denominationes intrinsecæ, ac insuper contrariæ, & oppositæ non possunt ab vno, & eodem inhæsionis modo desumi, sed vnaquæque à suo existente in proprio subiecto.

25 Dico Secundò inhærentiam aptitudinalem quoq; esse quidpiam essentiæ accidentis absoluti (nam de relatiuo dicemus q. seq.) non quidem realiter, sed formaliter ex natura rei superadditum, & eodem modo ab ipsa distinctum. Conclusio est Scot. cit. 4. d. 12. q. 1. contra Thomistas, & alios nullo pacto distinguentes inhærentiam aptitudinalem ab essentia accidentis, & quidem quod non sit aliquid realiter essentiæ accidentis superadditum, & ab ea sic distinctum concedunt ipsi Aduersarij; & satis constat ex principio satis apud Scotum trito, quod aptitudines non addunt rem distinctam supra naturam aptam, vt docet Doct. 4. d. 49. q. 10. ab initio, & latè probatum est disp. 5. Log. q. 4. art. 1. duo ostenditur passionem propriam cuiuscunq; rei, quæ præsertim in aptitudine consistit, non distingui realiter à suo subiecto, si enim risibilitas, quæ in homine est aptitudo ad ridendum, & mobilitas, quæ in corpore naturali est aptitudo ad motum, ab illis subiectis realiter distinguantur, tunc sicut in eis assignatur aptitudo distincta ad illos actus ridendi, & motus; sic pariter & alia aptitudo assignanda esset ad illas aptitudines distinctas, de qua rursus quæstio rediret, an esset ab eis subiectis realiter distincta, nec ne, si non, pariter id erit de illa prima aptitudine asserendum, si sic, dabitur processus in infinitum.

Quod verò sit aliquid formaliter ex natura rei superadditum essentiæ accidentis, & sic ab ipsa distinctum, probatur ex duobus principijs in schola præsertim nostra satis notis, primum est quod aptitudo vniuersaliter loquendo in rebus absolutis supponit rem, cuius est aptitudo, in suo esse quidditatiuo constitutam, & ab ea fluere, & manare dicitur, hac ratione probat Doctor 2. d. 3. q. 7. A. & quol. 2. Animas non inter se distingui indiuidualiter primò, & a priori per aptitudinem, & inclinationem ad diuersa corpora, quia natura ipsa absoluta est prior natura aptitudine, quæ est formalitas quædam respectiua, seu respectus quidam aptitudinalis, absolutum autem à toto genere præcedit respectum, siue hic sit actualis, siue aptitudinalis, tum quia prius res est ad se, quàm ad aliud, tum quia respectus fundatur in absoluto, & fundatum ex natura rei semper præsupponit fundamentum, quod verò ratio aptitudinis, & inclinationis sit respectiua non absoluta, satis de se constat, quia nihil dicitur inclinari ad se, sed ad aliud, & aptitudo semper est ad aliquem actum aptitudo. Alterum principium fusè à nobis probatum disput. 8. Log. q. 2. est quod absolutum non includit in suo conceptu formali, & quidditatiuo respectum, siue sit predicamentalis, siue transcendentalis, quia tunc esset formaliter ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, cum ergo aptitudo dicat relationem transcendentalem, nequit includi in conceptu quidditatiuo naturæ absolutæ, sed consequitur ad eam per modum propriæ passionis; & ex his duobus principijs necessario infertur inhærentiam aptitudinalem non esse ipsam accidentis essentiã, & quidditatem, sed aliquid immediatè consequens ad illam per modum propriæ passionis. Conf. id etiam ex principijs Aduersariorum, nam & ipsi rerum quidditates constituere solent non in earum aptitudinibus, sed in radice, vel principio exigitiuo illarum, sic dicere solent hominis essentiam non esse risibilitatem, sed principium exigitiuum eius, quod est rationalitas, vel humanitas, mobilitatem non esse essentiam corporis naturalis, sed radicem illius, quæ est naturalitas, sic etiam dicere solent essentiam quantitatis non per impenetrabilitatem constitui, sed per principium eius exigitiuum, ergo vniuersaliter ita se habet in rebus absolutis; quod aptitudo non constituit essentiam rei, sed eam supponit natura priorem, vt principium, a quo fluit, & dimanat; & sic pariter dicendum est in proposito ad aptitudinem accidentis ad inhærendum; cum sit eadem ratio de omnibus.

26 Quod si ab hac generali doctrina de aptitudine naturarum volunt excludere aptitudinem accidentis ad inhærendum, non debent hoc dicere solum, vt facit Auersa, sed etiam probare, & ostendere disparitatem inter hanc aptitudinem, & alias; quod enim ait Auersa nullam esse necessitatem, vel vtilitatem constituendi hanc aptitudinem in accidente ab eius essentia distinctam, quia optimè intelligitur ipsum accidens proximè per suam essentiam esse aptum ad inhærendum; id minimè probat, nam sic quoque dicam ego de quacunque alia aptitudine, v.g. risibilitate, mobilitate, penetrabilitate, quod frustra distinguantur ab essentijs, quia optimè intelligi potest hominem per suam essentiam esse proximè aptum formaliter ad ridendum, corpus naturale ad moueri, & quantitatem aptam ad impenetrationem; debet ergo assignari ratio disparitatis, cur id specialiter possit asseri de aptitudine accidentis ad inhærendum, non verò de alijs. Poncius verò loc. cit. quia vidit ingenuè argumentum, vel æquè vrgere pro omnibus, vel pro nullis, probabile iudicat, quod non dentur vlli respectus aptitudinales à suis fundamentis formaliter distincti, Attamen ne à communi recedere videatur, subdit, quod si aliqui sunt concedendi, non nisi illi, quorum conceptus non inuoluitur in conceptu essentiali fundamenti, vt v.g. risibilitas, seu aptitudo ad ridendum, quæ potest dici non esse differentia essentialiter constitutiua hominis, quia potest homo intelligi secundum prædicata essentialia sine eo, quod intelligatur nec radicaliter, nec formaliter esse risibilis. Neque hoc satisfacit, quia dicam & ego pariter inhærentiam aptitudinalem non inuolui in conceptu essentiali accidentis, nec esse eius essentialem differentiam, quia potest accidens intelligi secundum prædicata essentialia, si non quietatiuè, saltim quidditatiuè, vt dictum est n. 7. sine eo, quod intelligatur nec radicaliter, nec formaliter inhærens; nec videtur cur magis possit intelligi homo secundum prædicata essentialia absq; eo quod intelligatur radicaliter, vel formaliter risibilis, quam ipsum accidens nec formaliter, nec radicaliter inhærens in suo conceptu quidditatiuo; aut ergo id asserendum est de quocunq; respectu aptitudinali, aut de nullo, nisi forte assignetur disparitas, & non voluntariè dicta.

Con-

Contra hanc secundam conclusionem arguit Poncius loc.cit. quia talis aptitudo ad inhærendum naturæ accidentis superaddita videtur omninò superfluere, nam accidens per suam essentiam, & constitutiua sua, essentialia præstare potest quicquid potest ipsi per talem aptitudinem conuenire. Respondeo hoc argumentum æquè probare de omni aptitudine respectu cuiuscunque essentiæ absolutæ, vel de nulla, & ideò pro omnibus negatur assumptum, quia aptitudines referunt essentias absolutas ad aliud transcendentaliter, & cum nullus respectus includatur in essentia absoluti dicendum est essentiam absolutam non seipsa formaliter ita referri, sed per relationem formaliter superadditam. Contra instat Poncius, quia ipsamet differentia essentialis accidentis, quam vocant radicem illius aptitudinis formalis, nequit intelligi nisi per modum respectus hoc est per modum alicuius, quod aptũ natum sit principiare illam aptitudinem formalem, & tamen hoc non obstante non est respectus secundum eos, qui asserunt aptitudinẽ illam formalitas distinctam; ergo aliquid, quod non est verè respectus potest tamen esse talis naturæ, vt non possit intelligi nisi per modum respectus, & hoc ipse vocat respectum secundum dici, quia nimirum re vera est entitas absoluta; tamen dicitur respectus, quia nequit explicari, nisi per modum relatiui, sic enim posteà explicat respectum secundum dici inferius disp. 15. de Relatione num. 6. vbi exemplificat de potentia, parte, habitu, & similibus, & per relationes secundum esse intelligit illas, quæ verè sunt relationes, & non tantùm vocem, aut nostrum loquendi modum.

27 Resp. non benè explicari per hoc discrimen inter relatiua secundum esse, & secundum dici, vt ostendi disp. 8. Log. q. 2. in fine quia Arist. cap. de relatione inter relatiua secundùm dici quædam enumerat, quæ verè dicunt relationem ad aliud, vt sensum, & scientiam, & non secundum vocem tantùm; & talia etiam sunt, quæ ipse Poncius enumerat inter relatiua secundum dici, nam potentia, pars, & habitus verè dicunt relationem ad aliud, & non secundum vocem tantum; aut nostrum loquendi modum, neque hac ratione relatiua secundum dici appellantur, sed potius quia accidentaliter ac denominatiuè sunt relatiua, ad differentiam relatiuorum secundum esse, quæ sunt relatiua essentialiter, vt ibi ex professo explicatum est; tum quia sic explicando relatiua secundum dici, non posset discerni inter absolutum, & respectiuum, sed omnia ad libitum dici possent entia absoluta, vt paternitas, & filiatio, quia si explicentur per relationem, dicetur id fieri secundum vocem, & per nostrum loquendi modum, in se tamen verè esse entia absoluta, etiamsi nequeant à nobis, nisi per respectum explicari; & poterit negari dari relationes, quæ sint verè relationes proteruiendo, quod sint omnia absoluta, estò per relationem explicata. Quod verò dicebat ipsammet differentiam essentialem accidentis, quam vocant radicem illius aptitudinis formalis, non posse intelligi nisi per modum respectus, hoc est per modum alicuius, quod aptum natum sit principiare illam aptitudinem formalem, fateor hoc satis vrgere, at non tantùm in proposito, sed vniuersaliter de quacunq; essentia, quæ est principium radicale, & exigitiuum alicuius aptitudinis, quam tamen non dicimus esse respectum, vel respectum essentialiter includere; vnde per hoc probaretur non benè explicari essentiam quantitatis per esse principium exigitiuum impenetrabilitatis, nec rationalitatem, aut humanitatem per esse radicem risibilitatis &c. aut concedendum esse tales essentias absolutas esse formaliter, ac essentialiter relatiuas, aut dari processum in infinitum.

28 Verum huic quoque difficultati potest satisfieri ad saluandos respectus aptitudinales in rebus ab ipsis formaliter distinctos, si notetur doctrina egregia Scoti 2. d. 1. qu. 6. in corpore quæsiti §. *dico tunc ad quæstionem*, vbi ait, quod quicquid est potens agere est aliquod ens habens actum primum, & prior est ibi secundum naturam ratio actus primi secundum se, quam in comparatione ad actum secundum, cuius potest esse principium, ita quod licet illud, quo tale ens est principium actus secundi, non sit aliud à natura sua, non tamen prima entitas sua est natura sua, vt est principium talis actus secundi, sed natura sua, vt in se est hæc; sic igitur in proposito, quando dicimus aptitudinem ad inhærendum manare ab essentia accidentis, aut ad impenetrationem ab essentia quantitatis, & sic de alijs, non est cogitandum, quod essentia sit principium talis aptitudinis per aliam aptitudinem, quia cum talis aptitudo sit semper coniuncta cum actu vel effectu sibi proportionato & prorsus ab ea inseparabilis per quamcunq. potentiam, nam quantitas est semper cum impenetrabilitate, humanitas cum risibilitate &c. talis aptitudo ad huiusmodi passiones principiandas non est distincta ab ipsa essentia absoluta rei, nec est ab ea etiam formaliter distincta tanquam vera formalitas relatiua, quia non refert ad terminum realiter distinctum, at illæ passiones sunt veri respectus transcendentales, & ab ea formaliter distincti, quia eã verè referunt ad terminum realiter distinctum, & rursus possunt separari ab actibus, vt risibilitas a risu, impenetrabilitas ab actuali impenetratione, & sic de alijs; & rursus cum explicamus essentiam rerum, per hoc quod sunt radices, ac principia exigitiua suarum passionum, hoc non est intelligendum reduplicatiuè, sed specificatiuè, vt nimirum humanitas sit illa entitas absoluta, quæ est principium risibilitatis, quantitas, quæ principium impenetrabilitatis, qui conceptus, vt patet est omninò absolutus, nec vllum in se reduplicat, vel inuoluit respectum, quia vt aiebat Doctor, licet illud quo tale ens est principium actus secundi, vel alicuius aptitudinis (vt magis ad rem loquamur) non sit aliud à natura sua, non tamen prima entitas sua est natura sua, vt est principium talis actus secundi, vel aptitudinis, sed natura sua, vt in se est hæc, quæ doctrina valdè notanda est pro solutione præsentis difficultatis.

29 Secundò principaliter arguitur ex Alensi loc. cit. sicut natura substantiæ est apta nata esse in seipsa, ita natura accidentis est apta nata esse in alio; sed aptitudo essendi in se nihil addit substantiam, ergo nec aptitudo essendi in alio aliquid addit supra essentiam accidentis. Conf. quia vel essentia accidentis seipsa est in alio, aut per aliquid superadditum; si primum habetur intentum, si per aliud quæritur de illo alio, aut seipso est in subiecto, aut per aliud, si seipso, æquè poterat dici de primo, si per aliud, dabitur processus in infinitum.

Respondet Doctor 4. d. 12. qu. 2. ad 1. prin. paritatem consistere in hoc, quod sicut per se esse in substantia negat aptitudinem ad inhærendum, ita esse in alio, vel posse esse in alio affirmat illam aptitudinem in accidente, per quem loquendi modum significat non esse in substantia talem aptitudinem positiuam essendi in se illi superadditam, sicut est in accidente ad essendum in alio, sed solam negationem aptitudinis, aut potentiæ ad inhærendum; & quidem satis rationabiliter, quia aptitudo in accidente ad essendum in alio admitti potest per modum cuiusdam aptitudinalis respectus essentiæ superaddici, quia illud re vera refert ad aliud, tanquam ad terminum realiter distinctum, & potest talis aptitudo separari ab actu, vt patet in accidentibus eucharisticis, quod quidem asseri nequit de aptitudine substantiæ ad per se, & in se essendum, quia nihil verè refertur ad seipsum, sed ad terminum realiter distinctum, nec vnquam substantia separari potest ab actu per se, & in se existendi (nisi per se esse sumas pro per se existere incommunicabiliter) sicut aptitudo accidentis ad inhærendum ab actuali inhæsione separatur, & ideò propriè loquendo aptitudo substantiæ ad per se, & in se essendum non est aliquid substantiæ ex natura rei superadditum, & ab essentia eius formaliter distinctum, sed ipsa prorsus essentia substantiæ, vel ad summum negatio superaddita inhæsionis aptitudinalis ad aliud; & ideò illa paritas absolutè sumpta est absolutè neganda. Ad Conf. æquè probat argumentum de inhærentia actuali, sicut aptitudinali, quod non sit aliquid superaditum accidenti; si ergo, argumentum fiat de inhæsione actuali, dicendum est, vt suprà in prima conclusione, accidens absolutum inhærere media inhærenti modo iam explicato, inhærentiam verò seipsa realiter, & formaliter accidenti inhærere, quia non est de se indifferens, vt possit inesse, vel non inesse alteri, sed necessariò est alligata rei, vt modus rei modificatæ per ipsum, & est essentialis determinatio alterius, vt actu dicatur vnitum, & sic non datur processus in infinitum, sed datur status in modo inhærentiæ; qui alia inhærentia non inhæret, sed seipsa; si verò argumentum fiat de inhærentia aptitudinali, dico essentiam accidentis inhærere alteri per inhærentiam superadditam non quidem realiter, sed formaliter, & ideò dici potest seipsa inhærere aptitudinaliter, quia non per aliquid realiter superadditum, & sic nunquam sequitur processus in infinitum nec in rebus, nec in formalitatibus.

Tandem arguit Auersa cit. quia si in accidente distinguitur aptitudo ad inhærendum, sic pariter in forma substantiali distinguenda erit alia aptitudo informatiua præter eius essentialem rationem, quod videtur inconueniens. Respon. concedendo gratis etiam in forma substantiali eadem ratione distinguendam esse aptitudinem informatiuam ab eius essentiali ratione.

QVÆSTIO III.

An inhærentia sit de essentia accidentis.

30 HAnc quæstionem tractat Doctor ex instituto 7. Met. q. 1. & 4. d. 12. q. 1. vbi in corpore quæsiti §. *ad quæstionem*, notat hanc difficultatem non moueri de accidente sumpto pro per se significato nempe pro ipsa accidentalitate, seu accidentia, quæ est formale, & per se significatum accidentis, vt sic, quia hæc formalissimè est ipsamet inhærentia, sed de accidente sumpto pro denominato ab inhærentia, & accidentalitate, nempe pro illa forma, quæ denominatur accidens, siue inhærens, siue hæc sit forma absoluta, vt quantitas, vel color, siue respectiua, vt similitudo, vel paternitas. Triplex sententia solet hic referri, duæ extremæ, & vna media; prima sententia extrema tribuitur Arist. & alijs gentilibus Philosophis, qui non agnoscentes separabilitatem accidentis à subiecto videntur affirmasse inhærentiam nedùm aptitudinalem, sed etiam actualem esse de essentia accidentis cuiuscunque tam absoluti, quam respectiui, idque tenẽt in sententia Arist. Iandun. 7. Met. q. 1. Baccon. 1. d. 28. q. 1. art. 3. Suessan. disp. 1. Met. c. 4. & alij Peripatetici. Alia sententia extrema neutram affirmat esse de essentia accidẽtis, vt sic, licèt vltrò concedat inhærentiam aptitudinalem esse accidenti realiter identificatam, vt eius propriam passionem, ac proindè illi essentialem in secundo modo dicendi per se, non autem in primo, quia tunc propriè diceretur de essentia accidentis, vt prædicatum eius quidditatiuum, & hæc adscribitur Scoto 7. Met. qu. 1. vbi ita discurrunt Scotistæ Metaphysici Ant. And. Tromb. Orbellus, Faber, Zerbius, Meurisse lib. 3. suæ Met. q. 5. Canon. 1. Phys. q. 4. & rursus 4. d. 12. q. 1. vbi Scotistæ Theol. Bassolius, Tatar. Arctin. Faber, Iribarn. Rada 4. part, controuer. 12. art. 1. & alij. Media

senten-

sententia tandem docet inhærentiam actualem vtique non esse de essentia accidentis, benè tamen inhærentiam aptitudinalem, imò hanc esse rationem ipsam essentialem accidentis, & differentiam quidditatiuam constitutiuam eius; & hæ tribuitur D. Thom. 7. Met. Lec. 1. & 4. d. 12. q. 1. art. 1. ac ita cum eo discurrunt cæteri Thomistæ Metaph. 7. Met. qu. 1. Iauellus, Zanard. & alij, Caiet. de ente, & essentia qu. 15. Capreol. 4. d. 42. quæst. 1. ad 1. Herueus quol. 4. & Recentiores passim.

31 Dico Primò, inhærentiam actualem nec esse de essentia, imò nec realiter identificatam cum accidente absoluto. Conclusio est Scoti loc. cit. & est ferè communis paucis quibusdam exceptis Recentioribus, qui asserunt quibusdam accidentibus etiam absolutis repugnare separabilitatem à subiecto. Quod non sit de essentia probat Doctor, & ostendit esse de mente Philosophi sub lit. F. quia nihil est de essentia alicuius, nisi quod pertinet ad quidditatem eius, at nullus respectus potest esse de per se conceptus absoluti, alioquin in tali conceptu contradictoria includerentur, scilicet esse ad se, & non esse ad se, esse ad aliud, & non esse ad aliud; ergo cum inhærentia actualis dicat respectum vnionis formæ ad subiectum cui inhæret, non erit de essentia entis absoluti, quod à sua formali ratione omnem excludit respectum. Conf. quia si respectus clauderetur in conceptu quidditatiuo entis absoluti, non esset maior ratio cur talis entitas dici deberet respectiua potius, quam absoluta, vndè vel esset simul essentialiter absoluta, & respectiua, vel neutrum, quorum vtrumque repugnat. Respondet Iulius Sirenus disp. de subiecto primæ Philos. sect. 2. c. 22. vbi tenet oppositum huius conclusionis de mente Philosophi, accidens, vt accidens, non esse absolutum, sed relatiuum, secundum verò alias considerationes, esse vtique absolutum, nempe vt ens, & vt tale accidens est secundum singulas species quantitas, qualitas, albedo &c. Hæc solutio non est ad propositum, quo hic tractatur præsens quæstio, nam hic disputatur de accidente pro materiali, & pro denominato ab accidentalitate, & inhærentia, non verò pro formali, & per se significato, vt dictum est ab initio quæstionis, quamuis autem in hoc secundo sensu verum sit accidens absolutum esse relatiuum, vt stat reduplicatiuè sub tali denominatione, falsum tamen est de accidente sumpto pro materiali, ac denominato. Tum quia si accidens, vt sic, est formaliter relatiuum; ergo quantitas, qualitas, color &c. erunt relatiua, etiam quatenus talia accidentia secundum singulas species, quia species includit essentialiter genus, & genus relatiuum non potest contrahi per differentias absolutas.

32 Ideò aliter respondet Gandau. loc. cit. absolutè minorem esse veram de ente totaliter absoluto, quale non est accidens, quod quidem licèt sit absolutum à termino, quia non est secundum suam entitatem ad aliud, sicut pater ad filium non tamen est absolutum à subiecto, quia ab ipso essentialiter dependet, vndè nihil est absolutum à subiecto, nisi substantia. Neque hæc solutio satisfacit, quia omnis ordo, & relatio est ad terminum; ergo si accidens absolutum dependet essentialiter à subiecto, dependeret ad illud, tanquam ad terminum suæ dependentiæ, & ipsum subiectum accidentis esset terminus talis relationis dependentiæ. Tum quia omne, quod includit habitudinem ad terminum, tanquam aliquid de essentia sua, est ad terminum, ergo si accidens absolutum includit essentialiter talem habitudinem, erit essentialiter ad aliud, tanquam ad terminum. Demum hanc solutionem directè impugnat Doctor cit. §. *Tertia conclusio*, probando accidens absolutum non dependere essentialiter à subiecto, nulla est dependentia essentialis, & simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid, quod non est de essentia eius, sed tantum est ei, causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet ad Deum; subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset ens per accidens, quod est contra Philosoph. 5. Met. cap. de ente, & cap. de vno, & 7. Met. cap. 3. quia addendo alicui id, quod est de essentia eius non habetur ens per accidens, præcipuè si illud in se sit ens per se; accidens autem secundum se est ens per se secundum Philosoph. 5. Met. cap. de ente, vndè & per se est in genere. Nec subiectum est causa extrinseca simpliciter prima, sed Deus præcise est huiusmodi causa, qui non est subiectum accidentis, ergo dependentia accidentis absoluti ab subiectum non est simpliciter necessaria, voco simpliciter necessariam (ait Doctor) cuius oppositum includit contradictionem. Maior probatur, quia causalitatem cuiuscunque causæ extrinsecæ respectu cuiuscunque causati perfectè supplere potest prima causa, quia habet in se omnem talem causalitatem eminentius, quam secunda causa. Si dicas subiectum esse causam materialem respectu accidentis, & Deus supplere non potest vicem causæ materialis, sicut nec formalis. Contra instat Doctor, quia secundum Arist. 8. Met. 12. accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua, vel si habent ex qua, illud non est subiectum, quia subiectum cum accidente facit ens per accidens, vt dictum est, per se autem intrinsecum essentiæ accidentis siue materia, siue forma non constituit ens per accidens, quia accidens, vt totum quoddam est, est ex omnibus pertinentibus ad essentiam eius.

34 Ex ista ratione patet (subdit Doctor) quare Philosophi dicerent, quod accidens non potest esse sine subiecto, non quidem quia ponerent subiectum esse de essentia accidentis, imò ex eis constituitur ens per accidens; nec quia de essentia entis absoluti ponerent inhærentiam, vel respectum quemcunque ad subiectum, quia contradictio est, quod in per se ratione absoluti includatur aliquis respectus, quia tunc esset absolutum; sed tantummodò, quia ponerent ordinem causarum simpliciter necessarium, ita quod prima causa non potest causare causatum causæ secundæ sine secunda causa; subiectum autem habet aliquam causalitatem respectu accidentis loquendo de ordine naturali causarum, & ideò sine ista causa in ordine suæ causalitatis posita negarent accidens esse; & pro tanto dicitur 1. Phys. quod intellectus quærens segregationem passionum à subiectis erit quærens impossibilia, non quidem impossibile quasi includat aliquid repugnans primæ rationi, seu quidditati accidentis absoluti, sed propter hunc necessarium ordinem causarum positum à Philosophis.

Auersa tandem q. cit. 21. sect. 2. ad 1. quia tenet inhærentiam actualem esse de essentia quorundam accidentium absolutorum, quibus in eius sententia à subiecto omninò separari repugnat, respondet minorem argumenti principalis valere tantum de respectu prædicamentali, non transcendentali, nam benè inueniri potest relatio transcendentalis, quæ sit de essentia entis absoluti, & tunc talis res dicetur quidem absoluta à respectu prædicamentali, non tamen transcendenti, vndè dici poterit, ac debebit, essentialiter relatiua; & subdit hac ratione Scotum quoque fateri de ratione essentiali entis creati esse ordinem dependentiæ ad Deum, vt mirandum hinc sit cur eo fundamento putauerit inhærentiam non posse esse de essentia accidentis. Sed talia accidentia absoluta inseparabilia à subiecto non dari statim patebit; deindè hæc responsio familiarissima Aduersarijs sæpius refutasset, præsertim verò disp. 8. Log. q. 2. quia si argumentum benè perpendatur æquè concludit de respectu transcendentali, & prædicamentali, vis enim eius in eo consistit, quod sequeretur contradictio de absoluto, si includeret essentialiter respectum, quod esset ad se, & non ad se, ad aliud, & prædicamentaliter, vel transcendenter, quodcumque enim ponatur, semper sequitur contradictio. Quod verò subdit Auersa de Doctore nostro, vt ipsum ostendat hic immemorem, vel non consequenter locutum, quantùm habeat veritatis iudicet prudens Lector ex verbis, quæ habet ipse Doctor loc. cit. F. probando hanc conclusionem, hæc enim sunt eius verba, *nihil est de essentia alicuius, nisi quod pertinet intrinsecè ad quidditatem eius, respectus autem aliquis licet sit idem fundamento, sicut dictum est de respectu creaturæ ad Deum vbi suprà, non tamen est de quidditate eius, quia tunc nulla essentia creaturæ esset absoluta*, ex quibus patet Scotum totum oppositum habere eius, quod ipse refert, nec vnquam docuisse de ratione essentiali entis creati esse ordinem dependentiæ ad Deum; tenet quidem hanc esse dependentiam essentialem, ac etiam creaturæ realiter identificatam, non tamen essentialiter, & quidditatiuè.

35 Altera verò conclusionis pars, quod scilicet actualis inhærentia nec etiam realiter sit identificata cum accidente absoluto probatur à Scoto 7. Met. q. 1. cit. impossibile est, quod idem maneat, & corrumpatur, quia aliter esset, & non esset simul; sed manente, & existente accidente absoluto, non manet actualis inhærentia, vt patet in venerabili Sacramento, vbi accidentia sunt separata sine actuali inhærentia, alias si illa inhærentia maneret, cum propter illam subiectum denominabatur prius ab accidente, & dicebatur panis quantus ita diceretur post transubstantiationem panis, quod est falsum. Et quidem falsum est, quod aiebat Auersa cit. dari quædam accidentia absoluta, quibus omninò repugnat separari à subiecto, & in his actualem inhærentiam esse ipsis realiter identificatam, vbi exemplificat de figura in genere qualitatis, quæ est à quantitate inseparabilis; de tempore in genere quantitatis, quod est à motu inseparabile, de numero qui nequit esse sine rebus numeratis; & generaliter de modis, qui per nullam potentiam per se esse possunt separati à rebus, quas modificant. Hoc, inquam, est falsum, quia omne accidens absolutum, qua ratione absolutum est, potest per Dei potentiam à subiecto separari, & separatum conseruari, & hoc esse verisimile de omnibus ex Sacramento Eucharistiæ non sine fundamento potest deduci, vt ex professo probatum est disp. 3. Phys. qu. 3. art. 4. Neque exempla allata ab Auersa sunt ad rem, figura namque propriè loquendo non importat quid absolutum, sed potius respectiuum, vt dixi disp. 7. Log. q. 3. art. 2. ex Scoto 4. d. 12. q. 4. F. dicitur tamen qualitas, quia habet modum denominandi qualitatis, vt ibi dictum est ex Scoto quol. 18. lit. I. rursus nec tempus, nec numerus sunt propriæ, & veræ species quantitatis; nec si essent, tempus poni deberet realiter distinctum à motu, & numerus à rebus numeratis, vt dictum est disp. 7. Log. qu. 2. art. 1. & denique modi, vt vnio, præsentia, sessio &c. sunt accidentia relatiua, vt sæpius dictum est, non absoluta, quod si quis modus ponatur absolutus, potius habebit rationem rei, quam modi, & per Dei potentiam absolutam poterit se solo existere.

Contra hanc conclusionem plura fieri solent à Philosophis argumenta, quæ iam soluta sunt disp. 3. Phys. q. 3. art. 1. vbi probatum est omne accidens absolutum posse per Dei potentiam esse sine subiecto; alia quoque ad idem pertinentia soluta sunt paulò suprà in hac disp. q. 1. 2. gumenta verò Gaudauensis coincidunt cum ea rationibus, quæ afferuntur à Doctore loc. cit. 4. d. 12. quæst. 1. infrà lit. E. vers. *Contrà istam conclusionem*, & sunt omninò videndæ, nam continent optimas difficultates, & solutiones ad ipsas sunt mirabili doctrina refertæ, quas hic non refero, non quia præteriri debeant, sed quia apud Doctorem videri possunt, nam sunt faciles, & claræ, nec maiori indigent declaratione.

36 Dico secundò, inhærentia actualis non tantùm est eadem realiter accidente respectiuo, verùm etiam est de eius essentia. Et Scoti loc. cit.

cit. quoad vtramque partem infrà lit. D. §. *Secunda conclusio*; & quoad primam partem est contrà Canon. cit. 1. Phys. qu. 4. vbi tenet de potentia Dei absoluta etiam accidens respectiuum posse sine subiecto existere; & probatur ex illa maxima Scoti 2. d. 1. q. 5. illa relatio est eadem fundamento, sine qua fundamentum esse implicat ab intrinseco, sed inhærentia actualis accidentis respectiui est huiusmodi, ergo realiter identificatur cum ipso; maior probata est fusè disput. 8. Log. q. 2. ex Doctore loc. cit. minorem ipse probat hic, respectus est habitudo essentialiter inter duo extrema, ergo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud, cuius est respectu, nempe subiectum, vel fundamentum, est tollere respectum, & destruere rationem respectus; non ergo quia accidens respectiuum est accidens (inquit Doctor) ideò requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideò requirit cuius sit, & ad quod sit.

Respondebit quispiam pro Canonico, quod aliud est subiectum respectus, & aliud fundamentum, subiectum enim est illud, cui inheret fundamentum proximum relationis, sicut subiectum similitudinis est, cui inheret albedo, & quod dicitur simile alteri, sed fundamentum est albedo, modò licet relatio non possit esse sine fundamento, tamen videtur, quod possit esse sine subiecto, sicut etiam fundamentum eius, putà albedo. Hæc tamen euasio nulla est, quia albedo etiam debet dici subiectum, & non tantum fundamentum relationis, & ipsa etiam propriè loquendo suscipere potest denominationem relationis, quam fundat, nempe dici similis, vt dixi disput. 8. Log. q. 5. & ratio est, quia cum relatio creata sit accidens respicit fundamentum proximum, in quo fundatur, nedum in ratione fundamenti, quod est sibi commune cum relatione diuina, sed etiam in ratione subiecti, quatenus accidens est; vndè idem est relationem creatam sine subiecto esse non posse, ac sine proximo fundamento, & ideò ratio adducta optimè concludit; in consueto tamen loquendi modo soli fundamento remoto tribuitur nomen subiecti, & denominati, quia denominatio tendit ad ipsum, tanquam ad vltimò denominatum, cæterum adhuc propriè loquendo fundamentum immediatum, & proximum relationis creatæ potest, ac dici debet subiectum proximum relationis, ac denominari per ipsam, vt albedo similis. Accedit ex Bassol. 4. d. 13. q. 1. §. *Dico ad hoc*, quod sunt etiam quidam respectus, qui habent idem pro subiecto immediato, & immediatè, & propriè denominato per ipsos, & etiam pro fundamento, sicut sunt Vbi, vel etiam motus, seu mutatio, fundamentum etiam ipsorum immediatè denominatur per ipsos, vt subiectum eorum, vt corpus mutatum, vel locatum. Deindè, vt relatio similitudinis maneredicatur, sufficit vt remaneat albedo, neq. opus est, vt maneat subiectum albedinis nempe quantitas, vel substantia, quia hæc non sunt propriè fundamenta similitudinis, sed ipsius albedinis; atque ideò defendere, quod possit similitudo separari à substantia, vel quantitate, non est defendere oppositum huius conclusionis, quia non ob id relatio similitudinis manet in tali casu sine suo proprio fundamento, & proximo subiecto, sed albedo est quæ remanet sine subiecto, & hoc esse possibile iam concessum est in præcedenti assertione.

37 Verùm de istis accidentibus, quibus omninò repugnat esse sine subiecto, dubitari solet, num ita sint affixa singula suis subiectis, vt non nisi in illo determinatè esse possint; vel potius talem habeant indifferentiam, vt à Deo collocari possint in hoc, vel alio consimili subiecto, ita quod non nisi vagè aliquod sibi determinet subiectum, Et quamuis aliqui dicant in hoc tantùm secundo sensu esse alligata subiecto; primum tamen longè probabilius est, ac de mente Doctoris 4. d. 43. quæst. 1. in fine, vbi notat etiam de potentia Dei absoluta eundem numero respectum redire non posse, nisi idem numero fundamentum redeat, atque terminus; & ratio est, quia si dicatur respectum eundem numero habere talem indifferentiam, vt possit à Deo collocari in hoc, vel alio consimili subiecto, redit eadem difficultas perindè ac si diceremus posse à Deo per se conseruari ab omni subiecto separatum, nam siue hoc, siue illud dicatur, ob talem indifferentiam indigeret relatio inhærentia distincta, per quam determinaretur, vt in hoc potius subiecto collocaretur, quam in illo, quæ variari deberet in variatione subiecti, de qua inhærentia quoque eadem rursus rediret difficultas; quare potius dicendum est quemcunque respectum esse alicui certo subiecto affixum per inhærentiam sibi realiter identificatam. Dices ita quidem esse, postquam semel tale accidens in certo subiecto collocatum est, quod deinceps ad aliud transferri non potest, at ab initio potuisse in vno, vel alio consimili subiecto collocari; Sed Contra, quia si hæc actualis inhæsio in tali subiecto identificatur tali accidenti actu existenti, sic etiam sibi proportionato modo identificabatur in esse possibili, quia indiuiduum possibile quantum ad omnia prædicata essentialia, & realiter identificata, est omninò idem cum indiuiduo actu existenti. Confir. quia vel tale accidens iam productum in tali subiecto residet per inhærentiam sibi identificatam, vel non; si primum, signum est, quod etiam ab initio ex natura sua adhuc in esse possibili ad certum subiectum determinatum erat; si secundum, ergo post primam inhæsionem poterit adhuc à Deo ab eo subiecto diuelli, in quo iam est productum, & in alio reponi.

38 Altera verò pars asserti, quod scilicet inherentia actualis sit de essentia accidentis respectiui est cõtra Tromb. Aretin. Ant. And. alioſque Scotistas affirmantes quidem actualem inhærentiam esse veluti passionem realiter identificatam cum accidente respectiuo, negantes tamen esse de essentia ea præsertim ratione ductos, quod relatio essentialiter constituatur per *esse ad*, non autem per *esse in*, quæ tamen suppositio est falsa, nam vt ostendi disp. 8. Log. quæst. 4. relatio non minus essentialiter constituitur per *esse in*, quam per *esse ad*, & expresè indicat Doctor loc. cit. lit. D. dum inquit respectum esse habitudinem essentialiter inter extrema, & ideò sicut tollere terminum ad quem respectus est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectum; Et cum in relatione creata, quæ accidens est, coincidant saltim materialiter ratio fundamenti, atque subiecti proximi, vt modo dictum est, sequitur euidenter, quod si esse in velut in fundamento, est de essentia relationis, etiam esse in, velut in subiecto, Et sic, quamuis relatio creata in ratione accidentis, vt sic, non habeat essentialiter esse actu in subiecto, neque non esse in eo positiuè loquendo, sed tantùm exigitiuè, & radicaliter, tamen in ratione talis accidentis, nimirum relatiui, habet essentialiter esse actu in subiecto, quia de ratione relationis essentiali non minus est *esse in*, quam *esse ad*, vt latè probatum est loc. cit. disp. 8. Log. qu. 4. vbi argumenta aliorum Scotistarum in oppositum soluta sunt, & hic repetere superuacaneum est. Dices, si *esse in*, est de essentia accidentis respectiui, vt sic, ergo dabitur conceptus in quid communis illi septem generibus inferior conceptu entis superior eis, qui proindè erit genericus, & sic non erunt generalissima. Resp. eandem fieri posse difficultatem de *esse ad*, quæ est habitudo communis in quid ad illa septem genera, quare vltro fatendum est illa non esse genera generalissima, & suprema simpliciter, & absolutè, sed in serie determinata entium, vt vniuersaliter de omnibus illis decem generibus dictum est disp. 6. Log. q. 1. de quibus eadem currit difficultas quoad alias rationes communes.

39 Dico 3. inhærentia aptitudinalis est quidem realiter eadem cum accidente absoluto, non tamen de eius essentia; cæterum cum accidente respectiuo, nedum est realiter idem, sed etiam de illius essentia; Colligitur ex Scot. cit. & quidem, quod sit eadem realiter cum vtroque accidente concedunt omnes Scotistæ, & probant, quia huiusmodi inhærentia non est nisi aptitudo cuiuscunque accidentis ad inhærendum, nulla autem aptitudo realiter distinguitur à natura, cuius est aptitudo, vt dictum est quæst. præced. concl. 2. tum quia quantumcunque accidens absolutum separetur à subiecto, tamen semper retinet naturalem illam propensionem, vt ei inhæreat, ergo talis inhærentia aptitudinalis est accidenti, vt sic, realiter identificata. Præterea, quod non sit de essentia accidentis absoluti concedunt pariter Scotistæ omnes contra Thomistas, & satis manet probatum ex dictis, quia nullus respectus est de essentia absoluti, sed inhærentia huiusmodi est respectus aptitudinalis propensionis, & inclinationis accidentis ad subiectum, cui natum est inhærere, ergo non est de eius essentia, & hoc idem probant quæcunque adducta sunt quæst. præced. ad probationem secundæ conclusionis. Cæterum, quod talis inhærentia nedum sit realiter identificata, sed etiam de essentia accidentis respectiui non concedunt Scotistæ; verum quia nullam habent rationem efficacem pro hac parte, oppositum teneo, vt magis in ratione fundatum; & probatur, quia si inhærentia actualis est de essentia accidentis respectiui, vt iam probatum est; ergo tantò magis inhærentia aptitudinalis, quia aptitudo est intimior essentiæ rei, quam actus talis aptitudinis, vndè minus consequenter loquitur Poncius disp. 13. q. 1. vbi conclusione quarta tenet inhærentiam actualem esse de essentia accidentis respectiui, & conclusione secunda id negat de aptitudinali, cum tamen à fortiori idipsum de ea quoque concedere debuisset; Imò iuxta regulam superius traditam qu. præced. in fine non debet inhærētia aptitudinalis in accidente respectiuo ab eius essentia distingui, vnde sicut in relatione non distinguitur ab eius essentia aptitudo essendi ad aliud, quia essentia relationis est ipsemet formalis, & actualis, ordo, siue habitudo ad aliud, ita neque ab eius essentia distingui debet aptitudo essendi in alio, cum ita sit de eius essentia *esse in* sicut *esse ad*; non ergo hęc aptitudo *ad esse in*, sicut neque ad *esse ad* ponenda est formalitas superaddita eius essentię sicut ponitur in accidente absoluto, sed quod sit ipsamet eius quidditas, & essentia. Conf. quia ideo in accidente absoluto inhærentia aptitudinalis distinguitur formaliter ab eius essentia, & ponitur formalitas ei superaddita, quia saltim per Dei potentiam potest talis aptitudo ad inhærendum ab actuali inhæsione separari, vt in Eucharisticis accidentibus contingit; ergo è contra, quia in accidente respectiuo nunquam fieri potest talis separatio, hinc deducendum est nec actum, nec aptitudinem ad essendum in alio ab eius essentia, & quidditate distingui.

40 Ex dictis itaque constat non benè à Scotistis 7. Met. qu. 1. huic quæsito responderi, dum dicunt passim neutram inhærentiam esse de essentia accidentis, siue sit absolutum, siue respectiuum; quia licet sit verum de accidente absoluto, non tamen respectiuo, & quamuis Doctor ibi 7. Met. quæst. 1. in corpore quæsiti dicat in prima conclusione neutram inhærentiam esse de essentia accidentis, satis tamen constat ex eius verbis, non loqui de vtroque accidente tam absoluto, quam respectiuo, vt Ant. And. intellexit, & cum eo alij Scotistæ, sed de accidente tantùm absoluto. Constat insuper non posse de accidente in communi vt sic, quæsitum resolui, quod vtraque inhærentia, vel neutra, aut altera tantum sit de eius essentia, quia neutra est de essentia acciden-

cidentis absoluti, & vtraque est de essentia accidentis relatiui, sed ad huius quæsiti resolutionem procedi debet, vt fecimus, statuendo peculiares conclusiones de accidente absoluto, & respectiuo; Vnde tandem restat, quod inhærentia, seu inalietas, quæ est differentia constitutiua accidentis, vt à substantia secernitur, sit disiunctiuè vel inhærentia actualis, vt in accidente respectiuo, vel principium exigitiuum eius, vt in absoluto, & in hoc sensu intelligi, & explicari debet communis definitio, quæ traditur de accidente, vt sit, quod sit ens alteri inhærens allata ab initio huius disp. n. 2.

41 Contra hanc conclusionem vrgente Thomistæ probando inhærentiam saltim aptitudinalem esse de essentia accidentis, vt sic, primò ex definitione ipsius accidentis, quod dicitur ens alteri inhærens, & accidentis esse in Boetio dicitur inesse; cum enim hoc intelligi non possit de inhærentia actuali, saltim debet intelligi de aptitudinali, nec iuuat recurrere ad inhærentiam radicalem, quia in accidente hæc non distinguitur ab aptitudinali, nec debent multiplicari entia sine necessitate. Conf. quia inhærere subiecto non conuenit accidenti merè ab extrinseco, & præter eius naturam, sed maximè ab intrinseco ex propria eius natura; igitur inhærentia saltim aptitudinalis erit de eius essentia. Tandem ens essentialiter diuiditur in substantiam, & accidens, & substantia habet esse per se, accidens in alio, sed perfectas est ratio essentialis constitutiua substantiæ, ergo inalietas erit constitutiua accidentis, non actualis, ergo aptitudinalis, ita discurrit Auersa q. 21. cit. sect. 2.

42 Resp. accidentis esse est inesse aptitudinaliter, non quia in accidente absoluto hæc aptitudo ad inhærendum sit eius essentia, sed quia est passio propria eam concomitans, & per passiones essentiæ rerum solent circumscribi, vnde inhærentia radicalis potiori iure erit essentia accidentis, quam aptitudinalis, quia hæc eam consequitur, & falsum est in accidente absoluto talem inhærentiam aptitudinalem à radicali non distingui, vt dictum est quæst. præced. concl. 2. licèt sit verum de accidente respectiuo. Ad Conf. negatur consequentia antecedente concesso, sufficit enim, vt sit illius passio, eique competat in secundo modo dicendi per se, ne dicatur conuenire ab extrinseco, & præter eius naturam. Ad vlt. si valet, concludit nedum aptitudinalem inhærentiam esse de essentia accidentis, sed etiam actualem, quia perfectas actualis, vt excludit actualem, & aptitudinalem inhærentiam, conuenit substantiæ, itaque si velimus etiam in substantia distinguere perfectatem aptitudinalem ab eius essentia cuius oppositum probabilius dixi quæst. præced. in fine, tunc dicendum, vt innuit Doctor cit. 4. d. 12. q. 1. ad 1. principale illam diuisionem entis in se, & in alio non esse per differentias, vel modos intrinsecos, sed per innatas proprietates; vndè vera, & per se diuisio sic assignari debet, vt notat Aretin. art. 1. illius quæst. not. 3. entium quoddam est, cuius naturæ competit esse per se, aliud cuius naturæ debetur esse in alio, & tunc sequitur tantum, quod esse in alio radicaliter erit differentia essentialiter distinguens accidens à substantia.

43 Secundò arguit Alens. cit. analogia, quam habet accidens ad substantiam, non est accidentalis, & contingens, sed de eius essentia, sed hæc oritur a dependentia aptitudinali, quam habet accidens ad substantiam, ergo hæc erit de eius essentia, sicut ipsa analogia. Deindè quia si de eius essentia non est talis aptitudo, poterit concipi accidens sine ista inhærentia, tunc autem vel concipitur, vt ens in se, vel vt in alio; si primum, ergo concipitur, vt substantia; si secundum, ergo concipitur cum aptitudine ad inhærendum, quod est contrà suppositum, vel concedendum esse de eius essentiali conceptu.

Resp. concedendo analogiam non conuenire per accidens accidenti, & ab extrinseco, sed esse illi essentialem in secundo modo dicendi per se, sicut est ipsa dependentia aptitudinalis ad substantiam, in qua fundatur; & hoc sufficit ne dicatur illi aduenire contingenter, neque ad hoc est opus, quod dependentia aptitudinalis competat ei in primo modo. Ad aliud concedit Tromb. cit. 7. Met. q. 1. ad 3. prin. posse accidens concipi sine tali aptitudine, qui tamen conceptus licet esset quidditatiuus, quia omnia prædicata essentialia inuolueret, non tamen esset quietatiuus, cuius rationem mox subijciam, melius tamen dixisset Tromb. posse accidens non concepta aptitudine ad inhærendum, quam sine ipsa, quia primus concipiendi modus est præcisiuus, qui fieri potest sine mendacio, at secundus est diuisiuus, & mendax, & cum quæritur, an in hac conceptione, vel præcisione concipiatur accidens, vt in se, vel in alio, dico concipi vt ens in se, & per se perfectate tertij modi, quatenus non concipitur, vt ens in alio, ex quo non sequitur concipi, vt substantiam, quia ens per se, quod est substantia, est ens, cui omninò repugnat inhærere, modò naturæ accidentis in tali præcisione non repugnat inhærere. Dices hanc solutionem destruere seipsam, quia illud est aptum inhærere, cui non repugnat inhærere, sed accidens in tali præcisione est huiusmodi, ergo &c. Resp. Trombet. quod aptitudo ad inhærendum est duplex, vna fundamentalis, & remota, altera formalis, & propinqua, prima aptitudo est ipsum fundamentum, & natura, cui nata est competere ipsa aptitudo est ipsum fundamentum, & natura, cui nata est competere ipsa aptitudo formalis, sicut dicimus hominem secluso risibilitate esse risibilem fundamentaliter, idest esse fundamentum, cui non repugnat risibilitas, quæ est aptitudo formalis ad ridendum; aptitudo verò formalis, & propinqua est respectus quidam aduenies fundamento constituens ipsum in esse formali, & propinquo ad eliciendum actum, ad quem est aptitudo; capiendo aptitudinem primo modo conceditur accidens in tali præcisione esse aptum inhærere aptitudine nempè fundamentali, & remota, quam supra dicebamus radicalem; si verò capiatur aptitudo secundò modo negatur accidens in tali precisione esse sic aptum inhærere, ex quo tamen non sequitur aptitudinem formalem esse de intellectu accidentis, sed solam aptitudinem fundamentalem, siue radicalem, quæ nihil positiuum ponit absolutum, vel respectiuum supra fundamentum.

44 Tertiò ad idem inter alias Doctor mouet hanc difficultatem valdè subtilem respectus accidentis ad subiectum est accidenti intimior, quam respectus creaturæ ad Deum, quia accidens definitur per subiectum, & creatura non definitur per Deum; sed respectus dependentiæ creaturæ ad Deum est minus realiter idem cum creatura, ergo & respectus dependentiæ accidentis ad substantiam est de eius essentia in primo modo. Resp. Doctor negando assumptum, ad probationem inquit, quod identitas respectus ad fundamentum, vel non identitas non est ratio, quare terminus respectus cadat in definitione fundamenti, vt additum; nec etiam dependentia essentialis, & necessaria est causa, quod terminus dependentiæ addatur in definitione fundamenti dependentis, tunc enim Deus magis poneretur in definitione cuiuscunque creati, quam substantia in definitione accidentis; sed ratio est, quia fundamentum respectus quandoque est forma informans aliud, & perfectio eiusdem dans ei esse simpliciter, vel secundum quid, & cum perfectio non possit perfectè, & distinctè concipi conceptu quietatiuo intellectus, nisi cointelligatur illud, cuius est forma, propterea terminus respectus cadit in definitione fundamenti, vt additum, cum sit perfectibilis per talem formam, quæ est ipsum fundamentum respectus, & ideo quantuncunque essentialia formæ exprimerentur sine illo, cuius est forma, quamuis quidditas eius indicarentur, tamen non esset conceptus perfectus quietans intellectum, & ideò nec definitiuus, sed causatum, quod est in se quoddam compositum substans, si concipiatur in se, intellectus ibi quiescit non requirens aliud cointelligere, vndè si hominem concipio esse animal rationale, statim ibi quiescit animus, nec vlterius vestigat, an Deus sit hominis creator.

45 Quartò accidens natura sua est ordinatum ad efficiendam substantiam; ergo suapte natura debet respicere substantiam, ergo talis ordinatio erit de eius essentia, atque ideò dici solet entis ens. Resp. hoc totum saluari absque eo, quod asseratur talem ordinationem esse de eius essentia, si dicatur natam esse consequi ad eius naturam, & essentiam, & hac da causa dicitur entis ens quia dependentia ad substantiam eius naturam, & essentiam necessariò consequitur.

Denique arguunt Scotistæ ex Ant. And. 1. Metaph. quæst. 1. concl. 1. ad probandum nec inhærentiam actualem, nec aptitudinalem esse de essentia accidentis respectiui, quia fundamentum respectus est aliquid præter respectum, quia nihil fundat seipsum, vndè secundum Augustinum omne quod relatiuè dicitur est aliquid præter relationem; ergo inhærentia non est de essentia accidentis respectiui. Resp. hanc rationem, sicut & aliam supra adductam, afferri à Scoto 7. Met. qu. 1. concluſ. 1. ad probandum inhærentiam non esse de essentia accidentis absoluti, quia aliquid superaddit eius naturæ realiter, si est actualis inhærentia, vel saltim formaliter, si est aptitudinalis; & ideò minus aptè transfertur ab Ant. And. ad id probandum de accidente respectiuo, cuius naturæ, & essentiæ neutra inhærentia aliquid addit, vt iam probatum est.

QVÆSTIO IV.

De factione, & origine formarum accidentalium, num scilicet fiant ex nihilo, vel potius ex materia, seu præiacente subiecto.

46 HÆc quæstio iam resoluta fuit in Physicis tam de formis substantialibus disp. 2. q. 7. art. 2. tam de accidentalibus disp. 3. qu. 5. & resolutio fuit, omnes formas tam accidentales, quam substantiales materiales, & corporeas, sola anima rationali excepta, quæ est immaterialis, & incorporea, non fieri ex nihilo, sed fieri ex materia, & dependenter à subiecto, quantùm sufficit, ne dicantur fieri de nihilo, & creari, hoc enim inter formas omnes est proprium solius animæ rationalis, quæ proindè immediatè à solo Deo producitur; licèt posteà sit difficultas, quomodo formæ fieri dicantur ex præiacente subiecto, num scilicet per aliquas inchoationes ipsarum in materia, an potius per simplicem continentiam earum in eius passiua potentia; & hæc est communis opinio, & plausibiliter recepta in omni schola Thomistarum, Scotistarum, Auerroistarum, Nominalium, ac deniq; in ipsa schola libera P. P. Societatis, vt est videre apud omnes Auctores de hac materia tractantes, quos singillatim referre hic longum esset, de quo potest videri Suarez disp. 5. Met. sect. 2. & omnes vnanimiter in hoc dictum consensere, vt notauit Auersa quæst. 20. suæ Philosoph. sect. 7. ad saluandum, & verificandum formas non fieri ex nihilo, quod esset creari, & virtute causarum naturalium fieri non potest.

47 Quoniam verò post primam Physicæ nostræ editionem Ferchius decem edidit quæstiones, vel Vestigationes Peripateticas, in quarum prima tenet formas omnes fieri ex nihilo, atque ideò inquit commune illud axioma, *ex nihilo nihil fit*, non esse adeò verum apud

Arist.

Arist. præsertim, vt communiter censetur; ideò disputat. 5. de gen. & cor. q. 1. art 1. eius dicti veritatem ostendimus, & formas materiales ex nihilo non fieri, sed verè educi de potentia materiæ rursus confirmauimus ex principijs passim ab omnibus concessis. Post verò aliquot annos huius opinionis suæ de factione formarum ex nihilo contra nostram impugnationem suscepit defensionem cum tanta acerbitate, vt non apologetico, sed ferali stylo sit vsus. Et quia loc. cit. eam communem sententiam, quod formæ materiales non fiant ex nihilo, sed ex potentia materiæ educantur, & veritatem illius principij *ex nihilo nihil fit* potius supposuimus, vt ab omnibus concessam, quam probauerimus, & solùm eius motiuis, ac fundamentis satisfacere curauimus ex communi doctrina passim in scholis concessa, tanquam nedum in se vera, sed etiam de mente Arist. & sui Commentatoris; hic Auctor in præfata sua defensione nobis per singulas ferè paginas exprobrat, quod hæc communis opinio neq; à nobis sit vnquam probata præsertim ex Arist. neque ab omnibus nostræ classis Philosophis, aut Theologis, & quod omnes in hac materia principium petamus proponendo nostram opinionem, non probando. Hac igitur de causa quæstionem hanc rursus hic tractare decreui, nec absre, quia vt rectè Suarez adnotauit disp. 15. Met. sect. 2. quantum ad factionem, & eductionem formarum de potentia materiæ est eadem difficultas de formis accidentalibus, & substantialibus materialibus, nam qua ratione dicentur formæ substantiales ex nihilo fieri, aut ex materia educi, eadem ratione idipsum de accidentalibus asseri poterit, ac debebit, atq; ideò de omnibus in communi hic erit sermo, cum quantùm ad hoc non differant; scopusque meus erit ostendere opinionem illam communem, quod formæ non fiunt ex nihilo, nequaquam principium petere, sed solidissimis rationibus tum ex Aristot. tum ex vera philosophia depromptis iamdudum à primarijs Philosophiæ, ac Theologiæ proceribus fuisse firmatam, ac stabilitam, quibus Auctor ille respondere vel noluit, vel non valuit, quarum aliquæ loc. cit. fuerunt etiam à nobis adductæ, licèt non omnes, quia vt dixi, opinio illa est passim ab omnibus recepta, vndè opus non erat nouas rationes pro ipsa adducere, sed satis erat aduersa ab illo Auctore allata dissoluere.

48 Et quia non puram, ac ethnicam Aristot. Philosophiam, quæ à vera philosophia, seu à Philosophia in se distinguitur teste eodem Auctore lib. 1. Defens. n. 3. scribimus, vt ab initio nostri operis, & in progressu pluries protestati sumus, magis curabimus rationibus, quam frequentibus Arist. auctoritatibus (licèt nec istas prætermittã) asserta nostra comprobare, quandoquidem nec ipsa Arist. testimonia aliquid valeant, nisi fuerint ratione suffulta; & satis erit si ostendero quicquid in hac materia dixero de formarum factione, contra Arist. non esse, imò satis consentaneum; hoc prænotare volui ad precludendum illius Auctoris effugium, qui rationes irridet, nec vllum recipit dictum quantumuis rationabile, nisi sit expresso Aristot. testimonio comprobatum, vndè cum dicimus ex communi sententia formas materiales ideò dici tales, quia suaptè natura in suo esse fieri, & conseruari pendent à materia, ait lib. 3. Defens. pag. 298. num. 42. nihil hic haberi ex Arist. & nostram rationem in Arist. auctoritate non fundari, atq; adeò in schola Arist. non receptam iri; cum dicimus easdem formas interire statim ac à materia diuelluntur, etiam sub eodem numero reijcit hoc dictum, quia nihil ex Aristotele; cum dicimus per hoc eiusmodi formas ab anima rationali secerni, quæ ob sui immaterialitatem independenter à materia fit, & conseruatur, rursus sub eodem numero hoc dictum irridet, quia nihil ex Aristot. si assumimus animam rationalem esse formam immaterialem, ipse negat sub nu. 43. dicens animam rationalem esse materialem; si etiam quandoque dicimus formas materiales per hoc ab anima rationali secerni, quod omnes educuntur de potẽtia materiæ, ipsa verò de foris venit ex lib. 2. de gener. animal. cap. 3. ait nos vocabulorum significata cum nostræ classis Philosophis sumere ad placitum nostrum, non verò Aristot. iuxtà cuius phrasim dici debet oppositum, quòd scilicet nulla alia forma educitur de potentia materiæ, nisi intellectiua lib. 1. Defens. pag. 55. n. 53. si dicimus compositum dependere à materia, & forma, velut à causis internis; formam fieri in materia, & dependenter ab ea, ait hanc dependentiam esse ex nostro capite inuentam; non ex Arist. probatam, lib. 1. pag. 49. num. 46. legit quippe in 1. de Cælo 100. & 12. Met. 38. effectus dependere à causa efficiente, vel finali, hoc est à causa externa, dependere à causa interna, non legit; quasi id Arist. expresè non dixerit 2. Phys. tex. 28. vbi de causis intrinsecis loquitur, vel si Ferchius non legit, Arist. non dixerit, vel si denique Aristot. non dixit; non sit verum, non sit recipiendum, non asserendum, quasi valeat arguere ab auctoritate negatiuè; hæ sunt solutiones, quas passim affert Auctor ille ad nostras rationes eludendas.

49 Hunc nouum philosophandi modum didicit Ferchius à Cremonino, qui vt refert doctissimus Raguseus disp. 15. de formis elementorum part. 1. c. 2. rationes omnes irridebat sine Arist. testimonio, quasi ratio indigeat Arist. testimonio, & non potius è contrà; dicebat multa in latinis Interpretibus inueniri, quæ Arist. ne per somniũ quidem suspicatus est; Leuissima obiectio (inquit Raguseus) est ne igitur hac de causa eorum doctrina contemnenda? nihil contra Arist. Latini dixerunt, sed multa disputando docuerunt, quæ pariter ipsemet Arist. docuisset, si eisdem propositis dubitationibus respondere coactus esset, cæpit Auerroes peripateticam philosophiam propositis hinc indè dubitationibus atque earum solutionibus subtiliorem reddere; non est hoc nouam inducere philosophiam, sed iam traditam, communiterque receptam Arist. philosophiam diligentius expendere, subtiliusque examinare; neque spernendum est, ac tanquam à veritate alienum reijciendum quicquid apud Arist. non inuenitur, neque enim necesse est (inquit Raguseus) vt Arist. omnia dixerit; & inferius par. 5. eiusdem disp. cap. 5. cum aiebat Cremoninus dictitare latinos rerum differentias nobis incognitas esse, vix tamen locum vllum in Arist. ab eisdem afferri, vbi id scriptum sit; occurrit Raguseus, fac nihil hac de re Aristot. scripsisse, falsa ne igitur ideò erit eiusmodi propositio? non ergo quælibet propositio indiget Aristot. testimonio in sui comprobationem, & si nusquam Arist. dixisset animam rationalem esse formam immaterialem, compositum à suis causis intrinsecis ipsum essentialiter constituentibus dependere, adhuc sunt veræ, cum eas suadeat manifesta ratio, propositiones istæ, & consimiles; quot sunt Auctores qui de re philosophica doctissimè scripserunt tam veteres, quam Recentiores absque vllo Aristot. testimonio solis rationibus asserta sua probantes? legatur Rubion in quatuor sent. lib. quem Ferchius ipse pag. 270. lib. Defens. appellat famigeratum Doctorem, & nulli dubium est de rebus philosophicis, ac Metaphysicis acutissimè scripsisse, cum tamen nunquam, aut rarissimè saltim Aristotelem producat; legantur Scriptores huius ætatis Societatis Iesu, & numero, & eruditione grauissimi rarissimè quoque Arist. citantes, & de eius auctoritate parum curantes, nunquid ob id erunt isti ex albo Philosophorum expungendi? causam verò, cur velint quidam Peripatetici nonnisi ex Arist. textu argumentari, & responderi debere, perbellè edisserit Raguseus loc. iam cit. disp. 15. peripat. par. 1. cap. 1. quia si semel ex Aristotelici textus historia extrahantur, & rationibus perstringantur, statim animo concidunt, & languent, vt pisces extra elementum aquæ, nescientes quid probare, vel reijcere, nisi ex Arist. placito sine vlla ratione; hoc tamen non dico, vt Arist. auctoritas in Philosophia debeat omninò contemni, nam vt dixi epist. ad lectorem in prima editione Romana tomi Physici, extrema vitia sunt nil velle recipere, & approbare, nisi ex Arist. auctoritate, aut hanc omninò despicere, tanquam si esset vulgaris quidam Philosophus, sed vt teneatur quidem Arist. auctoritas, non ita tamen, vt ratio sit illi præferenda; teneantur itaque Arist. dicta, præsertim quæ ratione probat, nam ferè nihil sine ratione dixit, non tamen adeò tenaciter in eius verba iuretur, vt quicquid ipse non dixit, falsum censeri debeat, si sufficienti ratione fuerit stabilitum; & hic erit ingenuus philosophandi modus.

50 Prætereà Ferchius loc. cit. nedum singularis voluit apparere in factione formarum ex nihilo tuenda, sed etiam in vocabulorum significato voluit à communi discedere, nam creatio communiter à Theologis, & Philosophis non secernitur à factione ex nihilo, vt est videre 2. sent. d. 1. cum Magistro, & 1. p. q. 45. art. 1. cum D. Thoma, vndè passim definitur ab ipsis, quod sit productio totius entis ex nihilo; at ipse contra communem Theologorum & Philosophorum contendit creationem propriè, ac theologicè sumptam, nedum distingui à factione ex nihilo, imo potius omnino ei opponi, quia est productio entis ex aliquo principio præsuppositio, & interno ipsi producto, quod pluribus sacræ Scripturæ, & Patrum auctoritatibus stabilire conatur, vt statim referam; nedum ergo de formarum factione ex nihilo est hic cum præfato Auctore disputandum, sed etiam de ipso nomine factionis ex nihilo, & creationis, quæ idem importare pugnacissimè renuit, & quia quæstio de nomine semper quæstionem de re præcedit ex 2. Post. prius de nominibus creationis, & factionis ex nihilo disputationem instituemus, & posteà de re ipsa inquiremus, num formæ materiales omnes fiant ex nihilo, vel potius ex materia, & quomodo; & quoniam tota hæc disceptatio plura continet puncta, quæ simul resolui nequeunt, in plures articulos secabitur, singula per ordinem discutiendo; in hac autem disceptatione cum ipso non par pari rependam; quæ ad contumelias, & conuitia pertinent, quibus vbique scatet libellus ille suus totus quantus est, libentissimè pro Christi amore missa faciam, & iuxtà præceptum Apostoli vincere in malo non enitar, sed vincere in bono malum, respondere doctrinæ, conuitijs obmutescere.

ARTICVLVS I.

An factio ex nihilo sit creatio, & è contrà.

51 NEgat Ferchius lib. 1. Defens. pag. 17. nu. 9. quia S. Augustinus tom. 7. in lib. 1. contra Aduersarium Legis, & Prophetarum ex sacra Scriptura veteris, & noui testamenti ex professo quæsiuit significata istarum vocum *facere*, & *creare*, quoniam Aduersarius ex istis duabus vocibus impugnabat Deum Legis, & Prophetarum, asserens Deum esse malum eo quod esset creans malum; hac necessitate respondendi compulsus Augustinus in dicto lib. cap. 23. duo significata ponit istorum verborum, primum est, vt facere, & creare promiscuè accipiantur, atque idem significent; secunda significatio est determinata, vt facere sit ex eo, quod omninò non erat, creare verò ex eo, quod erat, & in aliam faciem mutetur; optimè S. Augustinus, vt accuratissimus sacrorum Scrutator, & supremus sacrorum Theologorum Doctor post canonicos authores loquitur, nam 2. Machab. 7. scriptum est, *peto nate, vt aspicias Cœlum, & terram, & omnia,*

mia, quæ in eis sunt, vt scias, quod ex nihilo fecit illa Deus, ergo facere propriè accipitur, quando aliquid dicitur fieri ex nihilo, sed creare ex aliquo, vt lib. Sap. 11. legimus, quæ creauit orbem terrarum de materia inuisa, siue informi ex D. Aug. & ad Heb. 9. opera manufacta ab artificibus dicuntur opera creationis, quo circà iuxtà sacros Theologos est de aliquo principio præsuppositò, & ipsi, quod producitur, interno, aliquid producere. Franciscus Vicomercatus nobilis Peripateticus lib. 1. de principijs rerum naturalium cap. 22. de naturalibus Philosophis ita scribit. Vndè Physici omnes in id consensere, ex nihilo nihil gigni, nec eam quæ inter creationem, & generationem, quæ à Theologis traditur, distinctionem agnouerunt, vt creatio sit ex nihilo, generatio ex subiecto, atque materia, quam distinctionem vocabulorum, vndè acceperint ignoramus, siquidem non ex Mundi creatione à Mose descripta, nec enim illud creauit, quo vsus est Interpres, productionem ex nihilo significat, nam vbi nos habemus, *creauit*, hebraicè est *bara*, quo omnis ferè actio, & formatio significatur; rursus in eodem loco subijcitur Deum cete grandia creasse, item hominem, quæ tamen certum est non ex nihilo facta; ad hoc Pererius in Genesim lib. 1. cap. 1. explicans illud, *in principio creauit Deus*, obseruat quod vocabula *bara* hebraicum, atque *creauit* latinum in Scriptura non accipitur pro factione ex nihilo; vt Scholastici Philosophi, & Theologi volunt, sed facere, & creare confunduntur, nimirum in significato primo S. Augustini. Quocircà (tandem concludit Ferchius) vos Offensores excluditis à numero Theologorum S. Augustinum, sacræ Scripturæ authores canonicos, tum Prophetas, tum historicos, ac item tam Euangelistas, quam Apostolos, insuper & Deum ipsum Theologum esse negatis, quia quando locutus est in sacris Scriptoribus, & in Filio suo incarnato, non accepit vocabulum creationis, sicut vos vultis, & vestræ classis Theologi; hæc Ferchius ibi, per quos nostræ classis Theologos vtique intelligit Scholasticæ Theologiæ Proceres D. Thomam, Scotum, Alensem, Albertum magnum, D. Bonauenturam, Ægid. Romanum, Io. Baccon. Henricum, & denique Scholasticos omnes Theologos, cum Magistro Sent. iuxtà quorum consuetudinem accepimus nos creationis vocabulum pro factione ex nihilo, nos, inquam, cum omnibus istis ait pro sua modestia negare Prophetas, Apostolos, Euangelistas, & Deum ipsum esse Theologum, & nos huc impulisse contentionem de vocabulo.

52 Postea inferius eodem lib. pag. 34. num. 27. rem adhuc magis declarans, distinguo, inquit, quod creatio vel theologicè accipitur, vel scholasticè, Scholastici enim Theologi, ac Philosophi non acceperunt significatum creationis ex diuina Scriptura, hoc est, ex sacra Theologia; creatio theologicè est productio entis ex aliquo præsuppositò principio, & interno ipsi producto, & genus creationis est productio, extenditurq. creatio, & ad intrà in Deo, & ad extrà in creaturis, ad intrà Sapientia primogenita antè omnem creaturam in Ecclesiast. 24. de se loquitur *ab initio & antè sæcula creata sum*, & cum 70. Interp. Prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viarum suarum*, vt est apud S. Cyrillum 5. Thesauri cap. 1. & 4. quoniam Filius Dei non ex nihilo, sed ex substantia Patris præsuppositæ, & inexistente ipsi Filio productus est, ideirco & dicitur creatus. Ad extrà Sap. 13. *non enim erat impotens manus tua, quæ creauit Orbem Terrarum de materia informi*. Genes. 5. *masculum, & feminam creauit eos*, de luto nimirum, & costa. Creatio scholasticè est factio alicuius entis ex nihilo sui, genus verò creationis in hoc sensu est factio, quæ distinguitur in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Vndecunque sit hoc significatum acceptum, ex sacra Scriptura non est, in qua nunquam reperitur hæc loquendi forma *creatio ex nihilo*.

53 Denique lib. 2. Defens. vt penitus suam declaret opinionem, integram instituit disputationem de vocabulis factione ex nihilo, & creatione à pag. 242. & indè, ac ipso capite primo reddens rationem, cur in sua prima vestigatione adhibita sit locutio *factionis ex nihilo* nō *creationis*, duplicem affert, & secundam, quæ magis facit ad rem, habet in eodem c. nu. 94. his verbis; angebar etiam, ac pudore suffusus videbam oportere me ostendere, quod Scholastici Theologi in isto sacro vocabulo creationis cōmuniter discedunt à sacra Scriptura; præterea conuersus ad philosophos scholasticos, videbam eos nunquam accipere significatum istius vocabuli *creatio*, ex Arist. sed ex proprio capite, vt propter hoc exterritus de vocabulo creationis nihil dicere voluerim; promisi autem ostendere vocabulum creationis ab Offensoribus, nec in doctrina Christi Domini, nec in Doctrina Arist. rectè acepi, ac proindè perperam obijci mihi tot vicibus, tot clamoribus creationem, quasi non fit mihi liberum abstinere à disputatione de vocabulo disordinante, tum à Christo, tum ab Arist. Mox cap. 2. ex varijs sacræ Scripturæ locis hinc indè consarcinatis nititur ostendere creationem non esse factionem ex nihilo, sed productionem ex aliquo præsuppositò principio; vbi tanquam notabiliora testimonia replicat, quæ prius adduxerat ex 2. Machab. cap. 7. *peto nate, vt aspicias* &c. pro factione ex nihilo; pro creatione autem ex aliquo illud Genes. cap. 1. *masculum, & feminam creauit eos*, ac hominem creauit ex præsuppositò limo terræ, mulierem ex præsuppositā costa viri; non autem creauit ex nihilo, igitur in Doctrina Dei, & Domini nostri Iesu Christi creatio est ex aliquo, sed creatio ex nihilo non est tradita; repetit rursus quod supra notauerat in illud Genes. 1. *in principio creauit Deus Cœlum, & terram*, ex Vicomercato, & Pererio vocabulum Hebræum *bara*, & Græcum *Epyse* non significare factionem ex nihilo, sed quamcunque formationem, siue productionem; repetit rursus locum Sapien. cap. 11. (quem tamen locum suprà retulit ex cap. 13. & sub alijs verbis) *non enim impossibilis erat, omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terræ ex materia inuisa*, siue vt S. Augustī. ex græco legit de materia informi, quare creauit Deus Cœlum, & terram iuxtà sacram Scripturam, & S. Augustī. non de nihilo, sed de informi materia. Iterum replicat locum ex Gen. 1. 22. *creauit Deus cete grandia* &c. hic pisces, & aues creari dicuntur, sed de aqua.

54 Deindè n. 97. repetit denuò locum Ecclesiastici 24. vbi applicat inquit hoc verbum creare (voluit tamen dicere *creari*) secundæ personæ diuinissimæ Trinitatis, idest Sapientiæ dicenti de se *ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, nam hæc eadem Sapientia de se dicit *ab initio, & ante sæcula creata sum*, & *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, repetit tandem, quod dixerat ex Prouerb. cap. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*, vbi legunt 70. *Dominus creauit me initium viarū suarum*, quibus locis certum est Verbum Dei esse genitum de substantia Patris, tanquam de principio præsuppositō, sed interno ipsi Filio producto, non autem esse genitum ex nihilo; quare in istis locis creari non significat produci ex nihilo; ea propter in Symbolo Nicæno primo ex 1. tom. Concil. car. 532. dicitur filius Dei *natus, non factus*, cautè sanctissimi Patres dixerunt natum, sed negauerunt factum; non negauerunt, nec affirmauerunt creatum: negauerunt Verbum Dei esse factum probantes ex Euangelio Io. quoniam per ipsum facta sunt omnia, ergo Verbum non est factum; non dixerunt esse creatum, ne loquerentur cum Ario, qui dicebat Filium Dei esse creatum, intelligens quod creare sit species quædam ipsius facere, volebat enim Arius, quod creare sit facere ex nihilo, noluerunt negare esse creatum, quia sacra scriptura attribuit vocem creari ipsi sapientiæ genitæ. Ex qua animaduersione duo mihi videntur colligi (subdit Ferchius, sed alterum adhæsit calamo) primum, quod creare abstrahit ab ipso facere, & includit ipsum producere, sic enim creare significat producere ex principio præsuppositō ordine naturæ, vel temporis, & interno ipsi producto, in quo sensu, & Salomon, & Ecclesiasticus dixerunt diuinam sapientiam esse creatam; similia videntur esse illa Eccl. 1. *prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentia ab æuo, fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*; & paulò post, vnus est altissimus creator omnium, omnipotens &c. *ipsam creauit illam in spiritu sancto*, Magister in 2. d. 1. hæc explicat de Angelis, vt commodior explicatio sit, ea intelligere de Verbo; pergit Ferchius alia consarcinare loca de vocabulo creationis ex sacra Scriptura, à quibus abstinere poterat, sicut & ego ab illis referendis abstineo, quia in ipsis fit vtique mentio creationis, sed non additur, an sit ex aliquo, vel ex nihilo, atque ideò non magis ipsi fauent, quam nobis, & nostræ classis Theologis; ad idem probandum repetit rursus ex integro sub n. 103. auctoritatem D. Augustī. tom. 5. contra Aduersarium Legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 23.

55 Tandem n. 104. quia ex communi placito creationi opponitur annihilatio, rursus ex quibusdam sacræ Scripturæ locis nititur ostendere in sacris literis, quod ad nihilum redigitur, post annihilationem aliquid sui relinquere, & posteà cap. 3. nu. 105. probat hanc eandem phrasim de creatione, & annihilatione fuisse Arist. nempe quod creatio sit productio rei ex aliquo sui, & annihilatio sit resolutio eiusdem in aliquid sui; vndè demum totam illam disputationem his verbis concludit; ex quo apparet Christianos Peripateticos non cum Arist. creationem, vel annihilationem ponere, aut negare, sed ex proprio genio, & ingenio Aristoteli suas opiniones affingere; & quia nos iuxtà consuetudinem Christianorum Peripateticorum, ac etiam omnium Theologorum Scholasticorum Magistri sent. D. Th. D. Bon. Albert. Alens. Ægid. Henric. Baccon. &c. nomen creationis, & annihilationis accepimus, nos cum istis nostræ classis Theologis ita peritringit, hæc mihi de creatione, atque annihilatione sint explicata ex doctrina Christi Domini, & Aristot. vt ostenderem Offensores meos, nec in Theologia Christi, nec in philosophia Arist. intellexisse creationis nomen; vndè enim Scholastici suum significatum acceperint, quia nec Vicomercatus, nec Pererius dixere, neque ego dicere audeo; locutus sum cum Arist. & regente Deo, locutio mea fuit conformis dictis Dei, qui factionem ex nihilo nos docuit, creationem ex nihilo non expressit. Hæc sunt, quæ Ferchium dimouerunt à communi sententia, & mouerunt ad traducendos omnes Theologos, tanquam omninò recedentes in hac materia à Doctrina Christi, & Arist.

56 Oppositā sententia, quod factio ex nihilo sit creatio, & è contrà, communis est, ac famigerata apud omnes Scholasticos Doctores cuiuscunque sint Scholæ, siue Theologos, siue Philosophos Christianos, vt Ferchius ipse fatetur; ita notionem huius nominis *Creationis*, declarauit Magister Sententiarum 2. d. 1. part. 1. his verbis Creator est, qui de nihilo aliquid facit, & creare propriè est de nihilo aliquid facere; facere verò non modò de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia, vndè & homo, & angelus dicitur aliqua facere, sed non creare, vocaturque factor, siue artifex, sed non creator, hoc enim nomen soli Deo propriè congruit, qui est de nihilo quoddam, & de aliquo aliqua facit, ipse ergo est creator & opifex, & factor, sed creatoris nomen sibi propriè retinuit, alia verò etiam creaturis communicauit; in Scriptura tamen sæpe creator accipitur tanquam factor, & creare, tanquam facere, sine distinctione significationis; hæc Magister, quibus vltimis verbis tacitè respondet illis sacræ Scri-

pturæ

pturæ locis, in quibus innuitur creatio esse productio de aliquo. D. Thomas 1.par. quæst. 45. art. 1. mouet hoc idem quæsitum à nobis propositum, an creare sit aliquid ex nihilo facere, proponit pro parte negatiua auctoritatem Augustini allatam contrà Aduersarium legis, & Prophetarum, facere est quod omninò non erat, creare verò, est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere; posteà in corpore quæsiti resoluit, quod creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil; & tandem ad præfatam auctoritatem dicit in sol. ad 1. quod Augustinus æquiuocè vtitur nomine creationis, secundum quod creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur, vt cum dicitur aliquis creari in episcopum, sic autem non loquimur dici de creatione, sed sicut dictum est; ita S. Doctor ibid. Sic pariter Scotus 2. d. 1. qu. 2. in resolutione quæstionis creationem definiens ait, Respondeo *creare est aliquid de nihilo in effectu producere*, quam definitionem explicat ex doctrina Anselm. monolog. cap. 8. sic etiam loquitur D. Bon. 2. d. 1. artic. 3. qu. 1. & alij Theologi passim.

57 Secundò, probatur auctoritatibus SS. Patrum. quos passim afferunt Doctores Theologi, Athanasius serm. 3. contra Arrianos col. 16. Dei verbum non esse creatum ita explicat, non esse quidpiam, quod ex nihilo prodierit; Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 25. ferè ab initio creationem explicuit per factionem ex nihilo his verbis, supradicta illa species artificibus quibusque tribuatur, hæc autem altera, non nisi vni artifici creatori, & conditori Deo, qui mundum ipsum, & Angelos sine vllo mundo, & sine vllis Angelis fecit; & lib. de Genes. ad literam imperfecto c. 1. paulò post principium inquit Deum creasse omnia, quæ sunt, inquantum sunt, catholica disciplina dici iubet, itaut creatura omnis siue visibilis, siue inuisibilis, non de Dei natura, sed à Deo facta de nihilo, nihilque in ea esse, quod ad Trinitatem pertineat, nisi quod Trinitas condidit. ita condita est; sic etiam loquitur lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 2. post medium, & tom. 1. lib. de Fide, & Symbolo cap. 4. quibus in locis etiam Ferchius ipse concedit lib. 2. Defens. pag. 256. Augustinum accepisse creare, vt idem est, quod facere ex nihilo. Nec suffragatur illius Auctoris occursus iltis in locis Augustinum de proprie loqui proprie tantum loco ipso citato contra Aduersarium legis, & Prophetarum, prout creare est aliquid ex aliquo producere. Nam non est verisimile vno tantum in loco creationem accepisse in proprio sensu, in alijs verò semper impropriè, sed potius è contrà in eo loco æquiuocè, & abusiuè sumpsisse creationis nomen, vt explicat. S. Thomas loc. cit. in alijs autem propriè, & vniuocè, vt posteà dicam. Anselm. monolog. 8. & sine omni repugnantia à creatrice substantia dici potest omnia esse facta ex nihilo eo modo, quo dici consueuit diuitem fieri ex paupere, qui prius erat pauper, nunc est diues, quod anteà non erat; hoc modo potest intelligi creatrix essentia de nihilo cuncta creasse, idest quæ prius nihil erant, nunc per illam facta sunt aliquid. Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 3. paulò post principium creandi virtus ipsam rerum substantiam nihilo ad esse producit, & cap. 4. (quo loci eum pro se citat Ferchius) aliquantò post initium, ea creari dicuntur quæ ex nihilo ad esse procedere intelliguntur. Ambrosius lib. 1. Exameron. cap. 4. in fine, exponens primam rerum creationem de Deo ait, qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinem Mundi ex nihilo fecit esse, quæ non erat. Damasc. lib. 1. Fidei cap. 8. paulò ante medium probat Filium Dei non esse per creationem productum, non enim ex non ente ad esse deductus Filius Dei; & post medium, creatura facta est, non ex Dei substantia, quippè quæ ex nihilo ad esse voluntate eius, atque virtute producta est. Gregorius hom. 26. in Euang. propè finem, longè minus est Deo reparare, quod fuit, quam creasse, quod non fuit, aut quod mirum, si hominem ex puluere reficit, qui simul omnia ex nihilo creauit, mirabilius namque est Cœlum, & Terram ex nulli existentibus condidisse, quam ipsum hominem ex terra reparare. Imò Iustinus Martir in admonitorio contra gentes testatur hanc creationis notiorem non fuisse priscis Philosophis ignotam, quia Plato distinxit inter Creatorem, & Opificem, quod creator ex nihilo producit rem, opifex verò ex materia subiecta.

58 Tertiò, probatur auctoritatibus Conciliorum, Lateranense, siquidem sub Innoc. 3. cap. 1. circa principium, fide tenendum esse definit, quod Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, vbi verbum concedere idem significat, quod creare; Toletanum 11. in Fidei professione Filium Dei, ait, nec factum, nec de nihilo, hoc est nec creatum. Sed præsertim id euidentissimè conuincitur, ac ineluctabiliter, ex Concilio Nicæno tom. 1. Concilior. à cart. 521. vsque ad 525. vbi damnatus fuit Arius, eo quia asserebat Filium Dei esse creatum, idest ex nihilo productum, vndè in confessione Fidei lib. 2. circà finem anathemizant Patres eos qui dicunt, quia ex nullis substantibus factus est, & licèt id mirabiliter euincatur ex omnibus actis illius Concilij, adhuc magis euincitur ex disputatione, quam Patres habuerunt cum illo Philosopho partes Arianas agente probabat enim ille Filium Dei, seu diuinum Verbum esse creatum illa eadem auctoritate, quam adducit Ferchius ex Prouerb. c. 8. iuxta lectionem 70. Interpretum *Dominus creauit me ab initio viarum suarum*, contendebat enim Philosophus, sicut & Ferchius, diuinam sapientiam genitam, quæ est Verbum Dei, ita de se loqui; negabant hoc constantissimè Patres, quod & varijs rationibus ibi demonstrant, & explicabant dictum illud de sapientia rationali creata, idest natura tam angelica, quàm humana, quasi summus Opifex ab æterno mente præconceperat creandum prius quàcunque aliâ creatura prioritate intentionis, & dignitatis, vnde in hoc sensu dicit, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidpiam faceret à principio, in hoc sensu dicit ab initio, & ante sæcula esse creatam, non realiter, sed idhæaliter in diuina mente, in hoc denique sensu appellat se primogenitam ante omnem creaturam, vt ibi fusè explicatur; Ex quo discursu præcluditur effugium Ferchij iam relatum pag. 249. nu. 97. quod Patres in eo Concilio non negauerunt Filium Dei esse creatum, quia sacra Scriptura attribuit vocem *creari* ipsi sapientiæ genitæ; nec tamen id affirmauerunt, ne loquerentur cum Ario, qui dicebat Filium Dei esse creatum, intelligens, quod creare sit species quædam ipsius facere, volebat enim Arius, quod creare sit facere ex nihilo. Hæc, inquam, solutio tollitur ex præfata disputatione habita à patribus cum Philosopho illo, cui nunquam concedere voluerunt vocem *creari* in sacra Scriptura attribui ipsi Sapientiæ genitæ, falsum est ergo, quod non negauerint Filium Dei esse creatum; imo id expressè negarunt eamq. auctoritatem de sapientia intellectuali creata explicauerunt; Et quando Patres in Concilio Nicæno id expressè non negassent, satis apertè negauerunt alij, & præsertim Athanasius in Symbolo, dum ait, *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*.

59 Et cum ait Ferchius non dixisse Patres in Concilio Nicæno Filium Dei esse creatum, ne loquerentur cum Ario, qui per esse creatum intelligebat esse factum ex nihilo; Hoc nedum non soluit argumentum, sed mirabiliter confirmat communem opinionem, quod scilicet & ipsi quoque Patres sentirent creationem esse factionem ex nihilo, & ideò negabant esse creatum, ne concederent esse ex nihilo factum, cuius rei manifestum inditium est, quod nunquam Patres Concilij contra Arium hoc argumentum adhibuerunt, creari est produci ex aliquo principio præsuppositio interno producto, ergo Filius Dei, quamuis sit creatus, non tamen est ortus ex nihilo; nunquam, inquam, vsi sunt hoc argumentum, quod tamen obuium erat ad conuincendum Arium, nec vnquam contra ipsum vrserunt, quod impropriè acciperet vocabulum creationis; signum ergo est, quod quantum ad significatum vocabuli creationis cum Ario conueniebant, & ideirco negabant Filium Dei esse creatum nam si cum ipso in eo significato non conueniissent, & sensissent creationem esse productionem ex aliquo principio, & non ex nihilo, nulla erat occasio negandi Filium Dei esse creatum; Eadem de causa illa quoque auctoritas Eccles. 1. *prior omnium creata est Sapientia*, non debet intelligi de Sapientia diuina, vt vult Ferch. quia vt ait Magister 2. d. 2. part. 1. Sapientia illa, quæ Deus est, creata non est, sapientia Patris est genita, non facta, nec creata; sed debet intelligi vel de sapientia intellectuali creata in genere, vt comprehendit corpoream, & spiritualem, vt explicabant P.P. Concilij Niceni, alia auctoritas Prouerbior. 8. vel debet intelligi de natura intellectuali angelica præcisè, vt magister exponit, quę ępè in scriptura Lux, & Sapientia dicitur; Et nimis audacter vult Ferchius suam expositionem, vt intelligatur de Verbo diuino, esse commodiorem expositione Magistri; imò suæ expositionis irrationabilitas deducitur ex verbis ipsis sequentibus ab ipso relatis, *ipse creauit illam* (nempè sapientiam) *in Spiritu Sancto*, hæc inquam, verba omninò suadent illud dictum de Verbo diuino non posse intelligi, quia Verbum non dicitur produci per Spiritum sanctum, sed è contra, cum hic ab vtroq. procedat; vnde concludo Filium Dei ad intra non posse dici creatum absq. manifesto Arianismi periculo.

60 Quarto probatur ex Sacra Scriptura, & primo ex illo Genes. cap. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & terram, vbi ait Glosa, quod creare est aliquid ex nihilo facere, & quod per creationem hic debeamus intelligere factionem ex nihilo, suadet manifesta reatio, vt notat Aretinus commentarij in Genes. cap. 1. quia ibi fit sermo de prima omninò productione rerum, quæ nullam materiam supponit, quam etiam expositionem deducit Suar. de operibus sex dierum cap. 1. num. 11. ex S.S. Patribus, quorum regula est, quoties res, quæ omninò non erant creari dicuntur, verbum creandi significare productionem ex nihilo, quia res carens omni esse reali. & actuali tam totali, quam partiali non est capax alterius modi productionis, sed hoc modo sumitur, cum dicitur Deus in principio creasse Cœlum; & terram; quam doctrinam ait esse Cyrilli Alexand. lib. 5. thes. c. 4. vbi inter alia dicit, quando nondum producta creari dicuntur, necessariò de nihilo ad esse procedere intelliguntur, idem optime lib. 1. in Genes. in principio, & Chrysost. om. hom. 2. Rupert. & alij; ac denique Athanas. de Incarnatione Verbi in principio, ex nihilo, ac prorsus nunquam extantibus Deum Patrem per Verbum suum rerum vniuersitatem fecisse agnoscit, cum ad illum modum loquitur per verbum suum, in principio creauit Deus &c. & in epist. quod Nic. Synodus decreta sua congruis, & pijs verbis contra hæresim Arianorum exposuerit, non longè à principio, ita ne Deus condit, vt homo; absit, Deus enim ereat, cum vocat ea, quæ non sunt siue vllius rei aut opere, aut opera, homines autem &c.

61 Nec dicas cum Ferch. quod vocabulum hebræum *bara*, ex Vicomercato, & Pererio non significat fictionem ex nihilo, sed quamcunque formationem, siue factionem, nam auctoritates glosæ, & Sanctorũ adductæ, explicantes illud verbum, *creauit*, per factione ex nihilo præferri debent Pererio, & Vicomercato, qui fuit purus Philosophus; & Pererius ipse lib. 5. de materia cap. 5. de creatione docet cũ cæteris Theologis primam illam omniũ rerũ productionẽ, de qua fit

mentio

mentio capit. Geneſ. fuiſſe factionem ex nihilo; & denique ſi Peretius ſic exponit, contrariam expoſitionem dat Aretin. loc. cit. non inferioris illi auctoritatis dicens, hoc verbum hebræum *bara*, quod latinè verſum eſt *creauit*, propriè ſignificare tantùm productionem rei ex nihilo; Nec rurſus valet, quod ait Perchius pag. 246. cœlum, & terram non fuiſſe facta ex nihilo, ſed de materia inuiſa, vel informi; ideoque per creationem intelligi non poſſe factionem ex nihilo; nam ita apertè repugnat auctoritati adductæ ex 2. Machab. cap. 7. & per Cœlum, & Terram ait Aretin. ex Aug. lib. 12. confeſs. cap. 17. in fine, & cap. 19. & 20. & lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 7. intelligi debere materiam primam, ex quâ conſtant omnia corpora, ſed primò, & principaliter Cœlum, & Terram, & ob hanc cauſam eorum nominibus eam appellauit; ait etiam ex eodem D. Auguſtin. 12. confeſſ. cap. 7. & Origen. hom. 1. in Geneſ. nomine Cœli intellexiſſe Moſen naturam angelicam, per terram verò materiam informem omnium corporum; & quidem cum ibi ſit ſermo de rerum omnium productione, planè opus erat etiam de ipſius materiæ primæ productione, verba facere, ne quis putaret hanc eſſe increatam, & Deo coæternam; cumque hæc per factionem ex nihilo fieri ſit neceſſe, planè creatio eius non niſi factionem ex nihilo ſignificare poteſt; ita contendit demonſtrare Aug. lib. de Fide, & Symbol. cap. 2. contra nonnullos hæreticos, qui dicebant materiam, ex qua Deus fabricauit mundum, eſſe improductam, & Deo coæternam; ſi omnipotentem Deum, inquit, fabricatorem mundi eſſe concedunt, fateantur neceſſe eſt ex nihilo eum feciſſe, quæ fecit, non enim aliquid eſſe poteſt, cuius creator non eſſet, cum ſit omnipotens; quia etſi aliquid fecit ex aliquo, ſicut hominem de limo, non vtique fecit ex eo, quod ipſe non fecerat, quia terram, vnde limus eſt, ex nihilo fecerat, & ſi ipſum Cœlum, & terram, ideſt ipſum mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, ex aliqua materia fecerat, ſicut ſcriptum eſt, qui fecilti mundum ex materia inuiſa, vel informi, nullo modo credendum eſt illam ipſam materiam, de qua factus eſt mundus, quamuis orinfmem, quamuis inuiſam, quocunque modo eſſet per ſeipſam eſſe potuiſſe, tanquam coæternam, & coæuam Deo, ſed quemlibet modum ſuum, quem habebat, non habebat niſi ab omnipotenti Deo: cum ergo materia quoque fuerit terminus creationis, imò prima res creata ab initio mundi, vt Scotus notat 2. d. 12. q. 2. §. *reſpondeo ad quæſt.* ex eodem Auguſt. lib. 13. confeſſ. nec potuerit ad extra produci, niſi per factionem ex nihilo, oportet, quod contineatur, & cadit ſub verbo creationis, quod ponitur in Geneſis cap. 1.

64 Quintò deducitur adhuc ex alijs ſcripturæ locis, nam pſ. 32. *ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*, quem locum lepidè pro communi ſententia exponit Ricc. 2. d. 1. art. 1. q. 1. ad 1. vbi inquit, quod cum Pſaltes ad factum addidit creatum, non vtiq. intendebant creationem ex oppoſito diſtinguere à factione, ſed notare, quod factio eſt pluſquam creatio, vnde ſecunda pars illius verſus redditur ſpecificatio primæ partis, vt oſtendatur creaturas non quomodocunq. à Deo factas fuiſſe, ſed per creationem, quæ eſt factio ex nihilo; At inquit Ferchius pag. 248. n. 97. res mundi, de quibus fit mentio Geneſ. c. 1. facta proculdubio fuiſſe ex præexiſtenti materia, atque ideò per creationem hic intelligi factionem ex præexiſtenti materia. Hæc reſponſio repugnat expoſitioni D. Amb. lib. 4. de Sacram. cap. 4. vbi ex modo, quo virtute diuini ſermonis producta ſunt omnia ex nihilo, declarat modum mirabilem, quo panis in Euchariſtia virtute diuini ſermonis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, quæ planè verſio non fit ex præexiſtente materia panis, qua manet in corpore Chriſti per tranſubſtantiationem producto; cælum non erat, mare non erat, terra non erat, ſed audi dicentem, ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt; ergo tibi vt reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod iam eſt corpus Chriſti, ipſe dixit & factum eſt, ipſe mandauit, & creatum eſt; ita Amb. Item Eccleſ. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul; inter quæ comprehenditur quoque materia prima, quæ nequit fieri, niſi ex nihilo; & Coloſſ. 1. in principio condita ſunt vniuerſa in Cælis, & in Terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Troni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. ex quibus Scripturæ locis, & conſimilibus conficit hunc diſcurſum Faſol. p. 1. tom. 3. qu. 45. art. 1. ad oſtendendam communem ſententiam eſſe in Scriptura fundatam; ſi res omnes, quæ non ſunt Deus, ab ipſo Deo factæ ſunt, ergo fieri non potuerunt ex aliquo, quod non eſt Deus, quoniam hoc aliud, quod non eſt Deus, inter omnia à Deo facta contineatur neceſſe eſt, nihil autem factum eſſe poteſt ex ſeipſo, quia id, ex quo fit res, debet præſupponi rei, eiuſque factioni; ergo res omnes, quæ non ſunt Deus, factæ ſunt ex nulla prorſus re præſuppoſita, quod eſt fieri ex nihilo, ſed factæ ſunt per creationem, ergo creatio eſt factio rei ex nihilo; ergò ſcriptura explicitè docens res omnes, quæ non ſunt ipſe met Deus, factas à Deo per creationem neceſſario cenſendas, eſt docere ſaltim implicitè, quod creare non ſit propriè aliud, quam ex nihilo facere; quod argumentum tangit Aug. lib. de natura boni contra Manich. cap. 26. cum Deum omnia feciſſe de nihilo ita probat, non enim creat, vnde aliquid faceret, de quo Apoſt. apertiſſimè dicit, quoniam ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, & initio cap. idem confirmat verbis Rom. 4. ita diſcurrens, quia Deus omnia, quæ de ſe non genuit, ſed per Verbum ſuum fecit, non de his rebus, quæ iam erant, ſed de his, quæ omninò non erant, hoc eſt de nihilo fecit, ita dicit Apoſt. qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

65 Sextò ex ipſa matura, & accurata conſideratione, quam ait Ferchius feciſſe in ſcripturis circa vocabula factionis, & creationis reuoluendo Concordantias Bibliorum, oſtendo creationem ex intentione ſacræ ſcripturæ eſſe factionem ex nihilo, nam in ea ſua Diſputatione plurima affert loca, in quibus exprimit ſcriptura Cœlum, & terram & omnia extrà Deum fuiſſe facta ex nihilo, alia quoque plura affert, in quibus ſcriptura dicit ea omnia fuiſſe à Deo facta per creationem ſimpliciter, & abſolutè prolatam non addendo, vel exprimendo particulam ex aliquo; licet enim interdum hæc particula *ex aliquo* addatur verbo creationis, regulariter tamen non additur, ſed abſolutè profertur, vt experimentum fieri poteſt in ijs ipſis locis à Ferchio pro ſe adductis; ex quo ſic argumentum erigo. Cœlum, & Terram, & omnia extrà Deum facta ſunt ex nihilo, vt pluribus in locis ſcriptura docet, ſed pluribus in locis docet quoque hæc omnia fuiſſe à Deo facta per creationem; ergo creatio eſt factio ex nihilo, & in ſcriptura creatio propriè dicta à factione ex nihilo non ſecernitur; Et hinc deducitur, quare ſcriptura cum vocabulo creationis particulam *ex nihilo* non coniungat, ſed ſolum cum vocabulo factionis, ratio eſt, quia factio eſt proximum genus ad creationem, & ad alias mutationis ſpecies, quibus res de non eſſe ad eſſe traducuntur, creatio autem eſt vna ſpecies determinata factionis, qua res de nihilo ad eſſe traducitur, cum ergo ſcriptura loquitur de factione rerum creatarum à Deo, opus erat addere particulam *ex nihilo*, vt exprimeretur ſpecies factionis, qua ſunt à Deo productæ, non autem cum loquebatur de creatione, quia iam creatio in ſe, & adæquatè ſumpta dicit factionem ex nihilo, ſicut cum dicitur *homo* opus non eſt addere particulam *rationalis* quia illam in ſe includit, benè tamen cum dicitur animal, vt hominem ſignificet. Vndè tantum abeſt, vt ex hoc loquendi modo ſacræ ſcripturæ, quod vocabulo creationis non addit particulam *ex nihilo*, deduci debeat iuxtà eius phraſim creationem importare factionem ex aliquo, vt putauit Ferchius, quod potius oppoſitum omninò deduci debet, ſcilicet ideò non addi illam particulam, quia in ſe formaliſſimè aliud non eſt, quam factio de nihilo.

64 Poſtremò, quia vt notauit Magiſter 2. ſent. diſt. 1. ab initio in ſacra ſcriptura ſæpè creator accipitur tanquam factor, & creare tanquã facere ſine diſtinctione ſignificationis, eo quia non ſemper loquitur ſcriptura in rigore ſcholaſtico, hinc Theologi paſſim ſententiarij quidem ad eum locum, Summiſtæ verò p. 1. q. 45. art. 1. plures, & varias vocabuli creationis ſignificationes aſſignant, vt loca ſcripturæ poſſint benè intelligi, & vt propria ſignificatio huius vocabuli poſſit ab alijs diſcerni, quas omnes ſigillatim recenſet Aretin. Com. cit. in Geneſim; primo ergo modo ſumitur latiſſimè pro cuiuſcunque rei productione, etiamſi non ſit de nihilo, ſed de aliquo, tanquam de ſubſtantia generantis, in quo ſenſu D. Aug. lib. de Fide, & Symbolo cap. 4. dicit, quod creare apud latinos idem eſt, quod generare, in quo ſenſu explicant multi Patres illud prou. 8. *Dominus creauit me, antequã quidquam faceret à principio*, ſi de diuina ſapientia ſeu de diuino Verbo intelligatur, & non potius de ſapientia intellectuali creata, vt poſtea explicuerunt P. P. Concilij Niceni, ne anſam Ario præberent fundandi ſuum errorem in ſcriptura, vel de ipſo diuino Verbo, qua homo eſt, non qua filius Dei, vt alij Patres expoſuerunt, quia re vera Chriſti humanitas fuit in mente diuina primogenita ante omnem creaturam. Secundò ſumitur interdum moraliter pro regeneratione per gratiam, quo ſenſu dixit Pſaltes pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*; & ad Galat. 5. neq; circuncifio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua creatura; & ad Epheſ. cap. 2. ipſius enim factum ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, & c. 4. renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Tertiò adhuc ſumitur in ſenſu morali, vt creari ſit idem, quod euchere rem præexiſtentem ad altiorem ſtatum, quo ſenſu dicitur aliquis creari in Epiſcopum, vel Cardinalem, & hunc ſenſum ait S. Th. p. 1. q. 45. art. 1. ad 1. intendi ab Aug. loc. cit. contrà Aduerſarium legis, & prophetarum lib. 1. cap. 23. vt colligitur ex expreſſis eius Verbis, diſtinguens enim inter creare, & facere, inquit, id dicitur fieri, quod ſi non fieret omninò non eſſet, creari autem ex eo, quod erat condi aliquid vel conſtitui, ſicut dicimus creari Magiſtratus, & Vrbes, ex quo clarè conſpicitur hanc acceptionem creationis ibi ab Aug. poſitam, vt à factione diſtinguitur, non eſſe propriam, & phyſicam, ſed potius moralem; Et quidem, quod in hoc ſenſu morali accipiat Aug. verbum *creare*, non autem pro phyſica productione ex aliquo principio interno ipſi producto, vt contendit Ferchius, ex eo deducitur, quia ſi ſic acciperet non benè ſolueret argumentum Aduerſarij legis, & Prophetarum, qui vrgebat Deum legis eſſe malum, eo quod eſſet creans malum ex Iſaia 45. ad hoc argumentum ſoluendum aſſignauit Aug. acceptionem allegatam creationis, vt diſtinguitur à factione, & accipiendo creationem in præfato ſenſu morali argumentum optimè ſolutur, & explicatur ſenſus quo Deus dicitur creans malum, quatenus morali prouidentia ſua efficit, vt malum faciem mutet, & conuertatur in bonum, vel vt ait ipſe Auguſtinus, quoniam peccantibus ea conuertit in malum diſpoſitione ſeueritatis ſuæ, quæ bonitatis eius largitate bona facta ſunt; quod ſi acciperet in ſenſu phyſico prætenſo à Ferchio pro aliquid producere de aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi rei productæ, non benè ſatisfit argumento Aduerſarij, quia Deus malum non creat, in

hoc

hoc sensu, cum non sit quid positiuum; Verum tamen est Suarez disput. 20. Met. sec. 1. nu. 22. concedere etiam in hoc sensu accipi ibi ab Aug. creationis numero pro noua, scilicet productione ex præiacente materia creata, sed negat hanc esse propriam creationis acceptionem.

65 Rursus quarto modo sumi solet creatio pro conuersione, seu ordinatione, in qua significatione illud creari dicitur, quod in se deficit, si in bonum conuertatur vel ordinetur, quo sensu solent explicare Patres locum allegatum Isaiæ 45. *ergo Dominus facient pacem, et Creans malum*, qui sensus reducitur, vel potius ominò coincidit cum modo relato ex Augustino, & est sensus moralis non physicus. Quinto modo, qui est physicus, sumitur pro factione ex præexistente materia, vt sit idem quod generatio, ita passim, & eleganter dicitur liberorum procreatio, & à Lucretio lib. 2. Creatrix rerum natura dicitur, sic dicitur Genes. 1. Creauit Deus cete grandia, quæ tamen ibidem dicuntur producta ex aquis, non ex nihilo, & paulò post, Creauit Deus hominem quem tamen non fecit ex nihilo, sed de limo terræ formauit, vt legitur capit. sequ. Sexto sumitur pro productione eius, quod tandem proximè, vel remotè originem traxit ex nihilo, atque huiusmodi productio dicitur factio, reliquæ producta facta, creaturaque nuncupatur, & hoc modo sumitur passim in communi loquentium vsu, & præsertim sic accepta sæpissimè legitur in Scripturis sacris, hoc modo de Filio Dei dicitur in Symbolo Athanasij, non factus, nec creatus, sed genitus, & in Symbolo Missæ, genitum, non factum, negaturque aduersus Arium Filium Dei esse creatum, vel creaturam, & sumpta creatione hoc modo tota latitudo entis realis diuiditur in increatum, & creatum, in creatorem, & creaturam, & omne ens reale aliquid à Deo creatum, & creatura dicitur. Denique sumitur creatio pro factione rei ex nihilo, idest non de aliquo subiecto, quod vel intrinsecum illi sit, vel à quo pendeat in suo esse, & hæc ab omnibus Theologis recognoscitur, vt legitima, & propria acceptio nominis creationis, & iuxtà has varias acceptiones nominis creationis facilè possunt explicari Scripturæ, in quibus vario modo de creatione fit sermo; has autem duas vltimas creationis acceptiones assignauit Doctor 3. d. 11. q. 1. A.

66 Ex dictis autem facilè quoque occurritur quibuscunque à Ferchio obiectis in oppositum, neq; enim aliquid noui producit aut ex Scripturis, aut ex Patribus, quod à Theologis Scholasticis, antequam ipse nasceretur, non fuerit oculatè præuisum, ac sufficienter dilutum, imò sufficientissimè, adeout superuacaneus omninò fuerit meus labor in hoc articulo ad declarandam rem notissimam, ac à nemine controuersam in scholis, illa namque Augustini auctoritas contra Aduersarij legis, & Prophetarum, quam adeo exaggerat, ac veluti ex proprio penu adducere videtur (ait enim pag. 255. n. 103. animaduerti autem hoc idem ante me à S. Augustino fuisse obseruatum &c. quasi locus ille non fuerit ab alijs obseruatus) à Theologis passim adducitur, & explicatur vt visum est, quorum solutiones, & explicationes Ferchius dissimulauit; videantur expositores D. Thomæ p. 1. q. 45. art. 1. vbi cum D. Thoma optimè illum locum explicant. Videatur quoque Bassolius 2. d. 1. qu. 2. art. 1. vbi benè explicat eundem Aug. locum dicens, quod ibi accipit creare pro recreare; & pro communi acceptione creationis in vsu apud Scholasticos adducit Ansel. monol. 8. & Damascen. in sua Log. c. 36. Obiectio de vocabulo hæbræo *bara* latinè verso in *creauit* n. 60. satis est diluta. Item illas duas auctoritates Ecclesiast. 24. de sapientia dicente *ab initio, & ante secula creata sum*, & rursus Prouerb. 8. *Dominus creauit me initium viarum suarum*, quibus valde nititur, vt probet *Filium Dei ad intra esse creatum*, ac Ariani quoque vtebantur ad eiusdem propositionis probationem, satis explicuerunt P.P. Concilij Nicæni relati suprà nu. 58. & 59. ac etiam alij citati num. 64. Quare scriptura addat particulam *ex nihilo*, vocabulo factionis, non verò creationis dictum est n. 63. & in quo sensu quandoq; addat creationi particulam ex aliquo, vt cum ait hominem creatum de limo terræ, & Deum de materia inuisa cuncta creasse, explicatum est n. 65. quod addit pag. 256. n. 14. de significato vocabuli annihilationis, quod post se aliquid relinquit rei annihilatæ, & probat ex pluribus psalmorum auctoritatibus, *ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus* 14. *ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrent*, psal. 57. & similibus, satis constat intelligendas esse in sensu morali de homine peccatore à statu gratiæ collapso, vnde annihilatio in hoc sensu opponitur creationi in tertio, vel quarto sensu. De notione verò creationis, & annihilationis iuxtà mentem Arist. parum solliciti debemus esse, tum quia hoc nomen potius theologicum est, quam philosophicum, & ideò à Theologis petenda eius notio, non à Philosophis, tum quia etiamsi quidam velint Platonem agnouisse notionem creationis, vt est factio ex nihilo vt supra dixi ex Iustino Martyre, tamen de Arist. res non est omninò certa, quam plures enim putant, quos sequitur Pererius lib. de materia cap. 7. talem notionem fuisse illi omnino ignotam; vnde si interdum hoc vtitur vocabulo, in quinto tantum sensu illud vsurpare visus est, verum tamen est, Scotum 1. dist. 8. quæst. 5. & distin. 1. quæst. 2. sentire fuisse ab Arist. olfactam creationem æternam Intelligentiarum, Cœli, & materiæ primæ, licèt non eam expresserit sub hac formalitate productionis de nihilo, de quo dixi disputat. 6. Metaph. quæst. 6. art. 1. n. 125.

67 Quod verò addit se cum Vicomercato ignorare, vnde Scholastici Theologi suum significatum creationis acceperint friuolum est de Vicomercato mirum non est qui fuit purus Peripateticus, & plus in lectione Arist. quam Patrum versatus; at quod ignorat ipse cum Vicomercato, aperit Bannes p. 1. q. 45. art. 1. vbi ait, quod hæc acceptio est familiaris omnibus Theologis quam hauserunt ex Mag. Sent. in 2. d. 1. & ex Aug. lib. 12. Confess. cap. 25. & ex alijs Patribus (addo ego) iam supracitatis; hanc ergo acceptionem docuerunt nos S.S. Patres Lombardus, quem ipse Ferchius pag. 22. appellat Theologorum Magistrum (quia ibidem ei fauet in inchoationibus formarum, licèt inferius pag. 250. nec etiam pro discipulo recipere dignetur, dum eius explicationem reijcit auctoritatis illius Ecclesiast. 1. *Sapientiam Dei* &c. & suam propriam inquit esse commodiorem) & hanc denique confirmauit, vniuersalis consensus omnium Theologorum Scholasticorum cuiuscunque scholæ, quibus in eruenda vera, & propria creationis significatione tum ex Scripturis, tum ex S. S. Patribus magis credendum est, quam soli Ferchio, vndè liberè nimis, ne dicam impudenter, ac imprudenter, blaterat omnes scholasticos Theologos in isto Sacro vocabulo creationis à Sacra Scriptura discedere; ipse potius ominò redarguendus est, quod solus voluerit in hoc Sacro vocabulo à communi, & vnanimi Theologorum consensu recedere, ex hoc siquidem ausu notam, vt minimum temeritatis incurrit iuxtà canones, ab Aretin. relatos in Prologomen. ad 3. Sent. circà opiniones qualificandas, vbi ita scribit; *secundo dico, quod vnanimis Doctorum Scholasticorum consensus efficit tam vehementem probabilitatem, vt qui oppositum sentiret; temeritate sit arguendus, vt qui se rapidissimo fluuio opponeret.*

ARTICVLVS II.

An formæ fiant ex nihilo ab agente naturali immediato.

68 Affirmat Ferchius vestig. 1. per totam, vbi proindè consequenter asserit propositionem illam, adeò in Peripato famigeratam *ex nihilo nihil fit*, non esse ita veram, vt Peripatetici iactant, imò nec esse ab Aristot. prolatam, vt eius propriam, sed de mente Antiquorum, apud quos hoc axioma vigebat, & ne lector statim perculsus hæreat ignota peregrinitate asserti, quod dicere, & audire non consueuit, adducit auctoritatem quandam Aristot. in lib. cui titulus est de Xenophane ab initio vestig. cap. 1. posteà in progressu falsitatem illius propositionis pluribus modis nititur ostendere. Nos disputat. 5. de gen. quæst. 1. artic. 1. eius opinionem impugnauimus veritate propugnandi illius axiomatis in Peripato *ex nihilo nihil fit* præsertim per causas naturales; de hoc indignatus Ferchius nostris impugnationibus acerrimè respondit lib. 2. Defens. quem totum insumit ad defendendam hanc factionem formarum ex nihilo ab agente naturali, & demonstrandam falsitatem illius dicti apud Arist. *ex nihilo nihil fit*, cuius veritatem inquit nec nos, nec nostræ classis Philosophos vnquam sufficienter probasse.

69 Itaque meæ partes erunt in hac quæstione ostendere punctum, de quo est controuersia, licèt non fuerit à nobis multiplici ratione probatum, vt potè quod iudicauimus satis ex communi omnium consensu remanere firmatum, fuisse tamen duobus argumentis, & quidem in Arist. fundatis, sufficienter stabilitum, dixi autem punctum, de quo est controuersia, quia neque nos loco citato contendimus eam propositionem esse vniuersaliter veram, imò gratis concessimus esse falsam respectu agentis supernaturalis Dei etiam in Arist. sententia, ad cuius aures sustinet Scotus Cœlos, intelligentias, & materiam primam fuisse à primo efficiente ex nihilo producta 1. distin. 8. qu. 5. concessimus etiam ex nihilo fieri aliquid ab agente naturali, tanquam ex termino à quo, & per modum obiecti concurrente tamen communi subiecto, à quo recedit priuatio, & succedit forma; & in his duobus sensibus diximus loc. citat. peregrinum non esse, neque nouum apud Peripateticos, quod aliquid ex nihilo fiat, & non ente, nam in primo sensu concedunt Peripatetici quamplures de mente Arist. Cœlos, intelligentias, & materiam primam esse ex nihilo producta, vt ly nihil excludit omnem partem præsuppositam rei faciendæ, ac præiacens subiectum, à Deo ab æterno; & in secundo sensu omnes concedunt compositum fieri per accidens ex nihilo, seu non ente, idest ex priuatione, quæ erat in materia, in quacunque generatione naturali, vt Arist. docet 1. Phys. 74. & 75. & recedit adueniente forma. Neque hic volo cum Ferchio altercari de nomine, qui lib. 2. defens. cap. 15. & 16. grauiter nos obiurgat, quod dixerimus priuationem esse nihil, & non ens absolutè loquendo, nam inquit cap. 16. pag. 239. quod priuatio sit nihil nemo ex Peripateticis antiquis, quod sciam, concessit; quod non ens in communi sit nihil est ominò falsum in Aristot. & Peripateticis; non enim, inquam, hic contendere volo de quæstione, quæ nequit esse, nisi de nomine; certum est Aristot. prædicto tex. 75. appellare priuationem *non ens*, dum ait, *ex priuationem enim, quæ est per se non ens, non ex eo quod inest, fit*; certum est quoque Ferchium ipsum illo cap. 4. vestig. 1. vbi ait se docere oppositum, quod scilicet priuatio non est nihil, priuationem appellare nihil sub nu. 10. in fine, cum enim ibi fecisset hanc instantiam, quod vtique Arist. inuexit ipsum fieri per accidens ex eo, quod non inest, scilicet ex priuatione, quæ non permanet in re facta, at priuatio negat entitatem vnius partis tantùm, & relinquit entitatem alterius partis, igitur res fit partim ex ente, partim ex non ente, non autem vniuersim ex nulla parte præexistente; Respondet ibidem, & tandem

dem responsionem recapitulando inquit, aliquid per accidens fit ex non ente, vel secundum partem, vel secundum totum, concedo, quia ipsum nihil non ineſt facto; aliquid per se fit ex non ente, nego, quia ipsum nihil non ineſt facto, vbi sub nomine *nihil* etiam priuationem comprehendit, quæ negat entitatem vnius partis tantùm, & concedit aliquid fieri ex non ente secundum partem (quod præcisè non ens apud ipsum est priuatio) quia ipsum nihil non ineſt facto, & nihil quod est terminus à quo talis factionis est priuatio.

70 Deindè falsum est, quod inquit apud Peripateticos non inuenire, quod non ens in communi, seu non ens, vt sic, sit nihil, nam D. Thom. est optimus Peripateticus, & tamen 1.par.qu.44.art.1. in corpore ait, *idem est nihil, quod nullum ens* & ipse etiam vestig.1.nu.61. hoc significatum huius nominis nihil concedit ex Scot.quol.3. ab initio; & quando nec Arist. nec vllus Peripateticus id diceret, adhuc concedendum esset non ens, vt sic, & nihil omninò idem esse ac inter se conuerti, & adhuc concedendum esset priuationem esse nihil pro formali, licèt connotet aliquid, in quo est, tanquam in subiecto apto, quia est negatio in genere; verum tamen est quod cum dicimus compositum fieri, ex non ente, vel nihilo, quod est priuatio, non intelligimus priuationem esse ita nihil, vt neget omnem partem compositi, sed vnam tantùm nempè formam, vnde si in hoc sensu Ferchius accipit nihil concedendum est priuationem non esse nihil, quia non est negatio vtriusque partis, sed vnius tantùm; sed vt dixi, hæc est lis de nomine & acceptio nihil in hoc sensu est omninò voluntatis. Id igitur, in quo cum ipso est controuersia de re, est factio formarum ex nihilo ab agente naturali, & immediato, quam nos negamus incunctanter cum omnibus Peripateticis solo Philopono excepto, vt ipse dicit, & sufficienter pretendimus fuisse probatum loc.cit.ex duplici via nempè ex parte facientis & ex parte rei factæ; vtar autem synonimè in hac quæst. vocabulo creationis, & factionis ex nihilo, tùm quia iam illam probaui coincidere in præced.quæst.tùm quia omnes ita loquuntur excepto Ferchio.

71 Prima itaq. & præcipua ratio, quam ibi adduximus ad excludendam factionem formarum ex nihilo per agentia naturalia disp.5. de gen.q.1.art.1.nu.11.& quæ impulit Philosophos hunc communem consensum, fuit quotidianum experimentum; videbant enim nunquam aliquid de nouo fieri, nisi præcedente aliquo alio, ex quo illud fieret, vt aquam ex aere, animal ex semine, & nunquam agentia naturalia quicquam operari, nisi in aliquo subiecto, & dum aliquid corrumpitur, remanere quidpiam in genito, quod erat in corrupto, vnde merito concluserunt causas naturales non posse quicquam ex nihilo producere, & absq. præuio subiecto operari, nec destituendo posse res naturales in prorsus nihil resoluere; quæ ratio est Arist. 1. Phys.62.& 63. licèt non sit ibi citatus, vbi hac inductione probat sèper in omni actione, & transmutatione naturali aliquid subijci, ex quo fit; cum ergo nequeat agens naturale operari, nisi circa aliquod subiectum; signum euidens est, non posse rem producere ex nihilo, siue hæc sit forma, siue compositum, agit enim semper in præsupposita, ac determinata materia; hæc inquam est ratio Arist. à nobis adducta loc.cit.nu.11. vbi etiam pro hac veritate Peripatetica citamus Auer. 2.Met.com.15. quare immerito Ferchius lib.2.defens.c.1.dicit nos pro isto axiomate *ex nihilo nihil fit* citare solùm Auerroem, & nullam ex Arist. adducere rationem; si vidit citatum Auerroem, vidit quoque adductam rationem, quæ etsi communis sit, & valdè frequens, non tamen ob frequentiam suum amisit robur, atq. ideò respondere tenebatur, vel saltim non dicere, quod sola Auerrois auctoritate fuerit à nobis illud axioma stabilitum; tum quia ipsemet vestig.1.c.14.nu. 43. in fine independentiam efficientis præsertim secundi à materia ait esse probatu difficillimã, non ergo erat hæc ratio à nobis loc.cit.adducta spernenda, & dissimulanda, sed soluenda, est etiam S. Bon.2.d.1. art.1.q.1.in fine.

72 At loco nunc citato innuit solutionem, & inquit subiectum esse quid impertinens ad rationem factionis de nihilo, negationem verò termini ad quem, & cuiuscunque partis, quæ sit aliquid termini, per se requiri in termino à quo factionis ex nihilo Contra, quia vt docet Scotus 1.d.5.qu.2.6.ex 1.Phys.64.generatio in creaturis mutationem annexam habet, quæ non nisi in subiecto exerceri potest, vndè dupliciter considerari potest, vel in ratione productionis, & factionis, quo sensu conuenit composito; & in ratione mutationis, quo sensu conuenit subiecto, & mobili, quod de priuatione transit ad formam ex Arist.cit.quamuis ergo subiectum vtiq.sit impertinens ad generationem, seu factionem formæ in ratione productionis consideratam, falsum tamen est esse impertinens, vt habet annexam mutationem, & quatenus sit cum mutatione subiecti transeuntis de priuatione ad formam; cum ergo factio formæ ab agente naturali non contingat sine mutatione, in hoc sensu subiectum est per se, & necessariò requisitum, in quod agat, & in quo formam producat. Deindè in factione formæ, quæcunque illa sit siue naturalis, siue artificialis, semper experimur interuenire subiectum; ergo non se habet ad talem factionem impertinenter omninò, & per accidens, sed necessario, & per se concurrit ad illam, antecedens est Arist.1.Phys.tex cit.62.& 63. imò in toto progressu primi illius libri, vbi in omni mutatione, & generatione ostendit præter contraria interuenire subiectum; consequentia patet, quia causa per accidens non necessariò, & per se ad effectum concurrit, neque cum ea habet effectus essentialem connexionem.

73 Respondet loc.cit.vestig.1.n.44. plerumque subiectũ in factione formæ interuenire ex ratione facti, non ex ratione effectionis, quando etenim res facta est nata esse in subiecto, à quocunq; vel quomodocũq; tandè producatur, in subiecto erit, veluti calor siue à Sole æquiuocè productus, siue à calore vniuocè, siue naturaliter in aerem, siue violenter in aquam, semper in subiecto producitur, quia ratio eius talis est, vt in subiecto inhærere aptum sit, sed per 2.Phys. tex. 78. vnumquodque vt aptum natura est, sic agitur; quando autem res facta est nata per se existere, & non in subiecto, tunc producens, quamuis producat factione, faciet rem non in subiecto; idem repetit lib.1.defens. n.19. vbi ait ex parte facientis materiam non requiri in actione sua, sed ex parte facti, etenim efficiens secundum facit totum non in subiecto, formam facit in subiecto, vnde requirere subiectum *in quo* est ex indigentia facti.

74 Contra multipliciter insto, primò malè dicit subiectum *plerumque* interuenire in factione formæ ab agente naturali, quia Arist. in decursu totius primi Phys. non dixit plerumque in factione formæ subiectum interuenire, sed vniuersaliter, & semper, ac in quacumque transmutatione tam substantiali, quàm accidentali. Item contra hanc solutionem procedit argumentum Scoti 4.dist.12. qu.4. Hnam agens, quod habet in virtute sua actiua complete terminum, potest ponere illum in esse, si non impediatur; ergo agens creatum, si de se habet virtutem factiuam ex nihilo, posset ponere terminum in esse sine quocunque passo, & sic posset facere accidens sine subiecto, & formam substantialem sine materia, quod patet manifestè contra sensum; vnde agens creatum (ait Doctor) propter duo requirit passum, scilicet propter se, quia passum est concausa cum agente creato, quod habet virtutẽ limitatam in agendo, & ideò requirit causam aliam scilicet materialem concurrentem in fieri; & propter effectum etiam, quod est compositum ex materia, tanquam parte præexistente, & forma, tanquam parte aduenientæ. Deindè secundum ipsum nulla substantialis forma dependet in *suo* esse à materia, quod probat primo libr. defens. à numer. 47. vsque ad 50. & libr. 3. cap. 7. vbi in fine concludit, independentiam à materia esse communem omnibus substantialibus formis, si ergo formæ substantiales omnes sunt à materia independentes, iam subiecto, vel materia non indigebunt, quia dependentia prouenit ex indigentia, & sic factio cuiuscunque formæ substantialis poterit ab agente naturali exerceri absque interuentu materiæ, probatur consequentia, quia hic nulla erit eius indigentia nec ex parte facientis, neque ex parte facti, non quidem facientis, quia quamuis sit efficiens secundum, adhuc tamen per Ferchium virtutem habet ex nihilo productiuam, non ex parte facti, quia nulla forma substantialis indiget subiecto secundùm ipsum. Demum quando id modo negare vellet de alijs formis substantialibus, hoc tamen negari non potest de anima rationali, hæc enim est forma nata per se existere, & non tantum in subiecto, si etiam & materia prima nullo prorsus indiget subiecto, cum sit subiectum omninò primum aliorum, si ergo subiectum in factione rei non interuenit, nisi ex indigentia facti, cuius sit pars, vt in factione compositi, vel cuius sit subiectum, vt in factione formæ, planè in sententia Ferchij ratio assignari nequibit, cur agens naturale nequeat producere animam absque vllo prorsus subiecto, ac etiam materiam primam, cum in horum factione nulla adsit indigentia subiecti nec ex parte facientis, neque rei factæ; tum quia in ipsa responsione ipse inquit, quod quando res facta nata est per se existere, & non in subiecto, tunc producens faciem rem non in subiecto, tunc producens faciet rem non subiecto. Et quidem de materia prima id vltrò videtur Ferchius concedere, quod possit fieri ex nihilo ab agente naturali, nam lib.2.defens.c.8.num.48.epilogans, quæ singulariter dixit vestig.1.ab alijs non dicta, nona propositio est ista, *faciens ex nihilo non solum esse causam primam, sed secundam, etiam respectu materiæ primæ ostendi*; aut ergo hanc propositionem nonam non intelligo, aut per ipsam concedit non solum causam primam, sed etiam secundam posse materiam primam ex nihilo facere, quod an sit absurdum, & contra Arist. Lectori diuisandum relinquo; & si in hoc sensu intelligat causam secundam esse faciens ex nihilo respectu etiã materiæ primæ manifestè sibi contradicit, nam ipse ait lib. 2. defens. cap.7.num.45. fundamenti suæ factionis ex nihilo esse Arist. dictum in lib. de Xenofonte, quod hæc propositio, *ex nihilo nihil fit*, sit falsa, non est autem falsa in compositis, ergo in simplici forma, & materia simplici; at si agens naturale in factione compositi faceret simul materiam, & formam, iam compositum non diceretur fieri ex aliqua sui præsupposita parte, sed diceretur fieri ex nihilo, vt nihil negat quancunque partem præexistentem; Attamen vestig.1.cap.13. in fine expressè negat materiam primam posse effici, & fieri ab agente naturali, & materiali, vnde non intelligo in quo sensu dicat loc. cit. se probasse vestig.1. *faciens ex nihilo nõ solum esse causam primã, sed secundã, etiã respectu materiæ primæ*, clarius loquatur, si vult intelligi.

75 Secunda ratio ex eadem via, scilicet ex parte facientis desumpta quod scilicet nequeat agens materiale corporeum formas ex nihilo producere, adducitur à Scot. 4.d.1.q.1. §. *ideò dici potest* concl. 3. vbi sic probat nullam formam materialem esse posse principium creandi, vel faciendi aliquid ex nihilo, quia sicut in essendo præsupponit materiam, in qua sit, ità in agendo præsupponit materiam, in quam agat, alioquin terminus actionis esse absolutior à materia, quam

quam forma actiua, quod est falsum, quia terminus actionis non potest esse perfectior suo principio productiuo, esset autem perfectior, si esset absolutior à materia, quia absolui à materia perfectionem arguit; sed formalis terminus actionis non potest esse perfectior formaliter principio agendi, quia nihil est formaliter principium formale producendi aliquid perfectius seipso, nihil enim agere potest vltrà suam speciem, ergo &c. Ferchius hanc Scoti rationem adducit vestig. 1. cap. 13. num. 39. suppresso Doctoris nomine, quem adhuc aperto Marte impugnare, & aspernari non audebat, non tamen eam adducit, vt à Scoto conficitur; nam Doctor sic arguit, forma materialis sicut in essendo præsupponit materiam, in qua sit, ità in agendo, præsupponit materiam, in quam agat, alioquin terminus actionis eius esset absolutior à materia, quam ipsa forma. Ferchius verò sic rationem Scoticam affirmat, vt facilius soluat, quod pendet à materia in essendo, non potest in agendo esse à materia independens, sed compositum, & forma materialis dependet in essendo à materia, ergo & in agendo, quare materiam non producent, sed præsupponent productam; vbi, vt vides, non adducit probationem consequentiæ, quam facit Doctor, quod scilicet tunc terminus actionis eius esset absolutior à materia, quam ipsa forma, cum tamen in hac probatione tota vis argumenti consistat. Equidem non tenetur Auctor referre Aduersarij argumentum sub eisdem omninò terminis, tamen illud adducendo nullam particulam prætermittere debet, quæ ad argumenti vim pertinet; incidit ergo Ferchius in errorem, quem passim alijs exprobare solet, quod fideliter non referantur argumenta sua, quod essentialiores particulæ prætermittantur &c. at videamus quid ad rationem Scoti respondeat, vt ab ipso conficitur.

Respondet nimis probari ex dependentia, quoniam omne compositum, & omnis forma materialis dependet à forma, & composito producentibus, à composito vt faciente, à forma vt ratione faciendi, sed per eos quod pendet in essendo non potest producere aliquid eiusdem rationis cum eo, à quo pendet, ergo compositum non poterit producere sibi simile, neque forma erit ratio producendi similem formam, sicut compositum non potest producere materiam si milem illi quam habet, at Aristot. 2. de anim. 34. ait esse naturalissimum viuentibus perfectis generare sibi simile, quod multis etiam non viuentibus conuenit, præsertim vniuocis agentibus; subindè nu. 40. affert rationem ex Aristot. 2. de Gener. animal. cap. 6. cur forma non sit ratio producendi materiam similem illi, à qua dependet, quam tandem inquit esse, quia materia est prior forma natura, & generatione ex 1. Phys. 82. & 1. de partibus animalium cap. 2. & ideò nequit effici à forma, quia nullum per se posterius tempore, vel naturali origine potest esse causa effectiua sui prioris, nam generans præcedit genitum, forma autem, cum ex nihilo sui fiat, reuincit ab agente corporeo aliquid fieri ex nihilo.

76 Hæc solutio vim argumenti non euacuat, quandoquidem non solum probat agens naturale semper in sua actione materiam supponere, in quam agat, sed nec posse formam producere, nisi dependenter ab ea, vndè licet fiat ex nihilo sui, tanquam ex parte, fit tamen ex aliquo, tanquam ex proprio, & necessario subiecto, in quo fiat, quæ dependentia tollit eius creationem, & absolutam ex nihilo factionem, vt etiam Ferchius ipse fatetur, qui idcircò ad hoc euitandum, & saluandam factionem ex nihilo, mordicus negat formas substantiales dependere à materia in vllo causalitatis genere, vt postea patebit, in suo fieri, esse, & conseruari; vndè cum talem dependentiam formæ à materia hic concedit, manifestè sibi contradicit, nec argumentum soluit. Quod autem ait Scoticum argumentum nimis probare, verum est contrà ipsum nimis probare, quia probat, quod ipse probari nollet, scilicet formam materialem non posse ab agente naturali ex nihilo produci, non tamen probat, quod non possit sibi simile producere, dummodò id faciat dependenter à materia; Cum verò id nititur ostendere ex alio argumento (quod habet Doctor 4. loc. citat. infrà litt. Ii. ad probandum formam non posse producere, vel esse rationem producendi materiam) quia quod pendet in essendo, non potest producere aliquid eiusdem rationis cum eo, à quo dependet; ergo compositum non poterit producere sibi simile, neque forma erit ratio producendi similem formam, quia omne compositum, & omnis forma materialis dependent à forma, & composito producentibus; dico neque argumentum retorqueri, vt à Scoto conficitur, nec consequentiam benè probari; Scotus enim non dicit omne, quod pendet in essendo, non posse producere aliquid eiusdem rationis cum ipso, à quo pendet, vt Ferchius assumit, sed ita arguit, forma materialis dependet in essendo à materia, ergo in agendo non potest esse principium producendi aliquid eiusdem rationis cum materia; quod vtique verum est, quia dependet à materia, vt à subiecto omninò primo ingenerabili, & incorruptibili, vndè concludit argumentum in subiecta materia, de qua fit sermo, non vniuersaliter in omnibus, vt prætendit contra Scotum retorquere Ferchius; sed nec etiam benè probatur illa consequentia, quia falsa est propositio assumpta in eius probationem, quod compositum, & omnis forma materialis dependeant à forma, & composito producentibus; dependent quidem ab illis producentibus in eo instanti temporis, quo producuntur, sed deinceps non pendent ab illis, sic filius à patre dependet in esse in eo, quo producitur instanti, at non deinceps, imo conseruatur in esse defuncto patre, at forma materialis est coniuncta cum materia, & ab ea pendet in suo esse, fieri, & conseruari, quandiu durat, vndè patet magnam disparitatem inter argumentum vt à Scoto factum, & vt à Ferchio retortum.

77 Cùm verò reddit rationem ex Aristot. 2. de gener. animal. capit. 6. cur forma non sit ratio producendi materiam similem illi, à qua pendet, quia materia est prior natura, ac origine forma; in primis palam sibi contradicit, quandoquidem lib. 3. Defens. pag. 340. nu. 81. vult formam esse priorem natura materia, quia est perfectior illa, & perfectum est prius natura imperfecto, & Scotum, Aragonium, & Zerbium à schola peripatetica excludit, vt ignaros Arist. discipulos, quia dicunt contrà Aristot. materiam esse prius natura forma, ac generatione; falsum tamen est, quod sic dicendo à doctrina communis Præceptoris exorbitent, quia & ipse in hoc loco fatetur eam propositionem esse Aristot. 1. de partibus animal. cap. 2. vndè rationabilius ipse à schola Aristotel. est excludendus, quam Scotus cum suis discipulis. Ratio autem, quo id probat, planè optima est, at non ex Aristotel. desumpta loco ab ipso citato 2. de generat. animal. cap. 6. quia de hac re ibi nec tractat, nec loquitur de ordine prioritatis, & posterioritatis inter materiam, & formam seruato, vt constat ex verbis eius ab ipso relatis, sed solum dicit materiam esse subiectum primum, & vltimum omnium formarum; sed probatio ex integro sublata est ex Scoto cit. 4. distinct. 1. quæst. 1. litt. Ii. vbi id ex instituto sic probat, quando aliquam secundum totum genus suum habent ordinem ad inuicem, quodlibet vnius habet similem ordinem ad quodlibet alterius, exemplum, si albedo secundum totam speciem sit prior nigredine, sic quælibet est prior qualibet; sed quælibet forma materialis secundum totum genus suum est posterior origine tota materia sua receptiua; ergo quælibet talis forma est posterior ad quamlibet materiam, sed posterius origine, vel generatione non est principium producendi prius; ergo forma substantialis non potest creare materiam, hæc Doctor. loc. cit. vnde patet illam rationem non esse ab Arist. desumptam, sed à Scoto, quem non memorat, ne videatur à Scoto didicisse, vel eius Lectura profecisse, sed Aristot. vt constat ex eius verbis lib. 3. Defens. pag. 332. ab initio, non negabo me aliquando legisse Scotum, & voluisse discere, non dicam me profecisse ex eius doctrina &c.

78 Tertia Ratio, quam adduximus ad idem loc. citat. disputat. 5. de generat. quæst. 1. artic. 1. num. 14. & 15. procedit, ex ratione facti, & directè destruit fundamentum Ferchij, super quod ædificauit factionem suam ex nihilo; præcipuum enim, imò vnicum eius fundamentum ad saluandum formas fieri ex nihilo est, quia non fiunt ex materia, nec à materia dependent in suo esse in vllo genere causæ, sed potius è contra forma dependet à materia, quod pluribus probare contendit tum ex Arist. & Scoto, tum etiam ratione, admissa namq. tali dependentia formæ à materia in genere materialis causæ, quam vocant extrinsecam, & subiectiuam, videbant opus esse fateri formas ex nihilo non fieri, sed ex præiacente subiecto, qui quidem concursus materialis, & subiectiuus tollit creationem, & factionem formarum ex nihilo; hinc ait nunquam nos probaturos neq. ex Arist. neque ex Scoto formam fieri ex materia, & à materia dependere in suo esse, & quod hoc quærere in Arist. sit nodum in scirpo quærere, sic loquitur lib. 2. Defens. cap. 10. n. 62. hinc in eodem lib. pag. 207. nu. 54. putans id sufficienter ex Arist. demonstrasse (vt mox referam) ex tex. 8. 1. Physic. ad nos conuersus ait? Aduertitis Offensores mei acutissimi quid Arist. docuerit me? docuit ille, & ego didici, quod musicum non fit ex homine, quod forma simplex non fit ex materia, & vos audetis contra Arist. asserere musicum fieri ex homine præsupposito, formam ex materia præsupposita? vnde putans per hoc de sua factione ex nihilo victoriam reportasse, hanc exigit demonstrationem dicens, Nunc argumentor pro me; hoc vnum effugium est Aduersarijs negantibus formam fieri ex nihilo, dicunt quippè formam fieri ex materia, sed Arist. expresè hoc negat, ergo restat vt Philoponus docuit, formam fieri ex nihilo; Cum itaq. id sit Ferchij præcipuum fundamentum, placato animo enitar ac voce demissa demissis declamationibus ostendere ex Aristot. formas materiales fieri ex materia, & ex Scoto dependere ab ea in suo esse, fieri, & conseruari, qua dependentia probata, factio ex nihilo Ferchiana in nihilum resoluetur; & si hoc non probauero, pignus desero.

Id autem probauimus iam loc. cit. de generatione nu. 15. quia non inuenitur locus apud Aristot. vbi expresserit formas fieri ex nihilo in sensu Ferchij, benè tamen reperitur locus, vbi expressit fieri ex materia, vtque id conuinceremus etiam ex auctoritatibus pro sua factione ex nihilo ab ipso adductis vestig. 1. ad hoc produximus tex. 58. 1. Physic. vbi ait Aristot. *musicum fieri ex immusico*, quod nos explicabamus cum nonnullis Expositoribus idem esse, quod formam musicæ fieri ex subiecto forma priuato; contra quam expositionem vehementer inuehit Ferchius lib. 2. Defens. cap. 9. & 10. vt omninò textui repugnantem, quandoquidem per immusicum intelligit Aristot. simplicem priuationem, non verò subiectum forma priuatum, vt colligitur ex eius discursu, ibi enim ponit discrimen inter oppositum, & subiectum, idest priuationem, & materiam quo id ipsum fieri formæ ex ipsis, & inquit de priuatione nedum fieri locutionem in recto dicendo *non musicum fit musicum*, verumetiam in obliquo *ex non musico fit musicum*, at de subiecto non loquimur in obliquo, sed in recto, *non enim ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus*, in quo exemplo Aristot. musicum ait forma simplex, & ho-

& homo est materia simplex, & ait nos dicere non posse, quod musicum fiat ex homine, scilicet quod forma fiat ex materia, cui textui concinit alter in 7. Met. 25. vbi ait Arist. quod ex ægrotante fit sanus, sed non ex homine fit sanus, vbi per sanum intelligit formam sanitatis, & per hominem materiam; vndè tandem concludit ex eo contextu oppositum colligi illius, quod nos per ipsum probare intendebamus, scilicet formam non fieri ex materia, vt ex subiecto, sed ex priuatione, vt ex termino.

79 Sed Contra, probo explicationem nostram esse textui accommodatam, immò magis, quam oppositam, eamque deduco ex tex. 43. vbi ait Arist. quod musicum fit ex non musico, non quidem ex omni, sed ex immusico, ita ergo hic tex. 58. intendit Arist. musicum fieri ex immusico, sicut ibi, sed tex. 43. per immusicum non intelligit simplicem musicæ negationem, sed negationem musicæ in subiecto apto, ergo pariter tex. 58. per immusicum intelligit priuationem, prout in subiecto, seu subiectum prout forma priuatum; Maior patet, quia est eadem propositio hic, & ibi, *musicum fit ex immusico*; minor probatur ex communi Expositorum, qui notant Arist. textu illo 43. ideò dixisse album fieri ex non albo, & musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex determinato, scilicet ex nigro, & immusico, quia album, & non album, vt sic, musicum, & non musicum sunt contradictoriè opposita, at musicum, & immusicum sunt opposita secundum priuationem, & habitum, inter quæ est maxima differentia, cum priuatiuè oppositum neget formam in subiecto, supponatque subiectum illud esse aptum natum illam recipere, quod non conuenit contradictoriè oppositis; non ergo per immusicam intelligit ibi solam musicæ negationem, aut priuationem præscindendo à subiecto, sed priuationem prout in subiecto capaci formæ oppositæ, seu subiectum, prout tali forma priuatum, ita notauit Cartar. controu. 1. in eum textum, vt Toletus ibid. qui etiam id confirmat ex S. Thoma, mouens enim ibi dubium, quare ex contrario vno, vt ex termino fiat alterum, Respondet ex D. Tho. quia subiectum, quod debet recipere alterum contrarium debet esse in potentia proxima ad illud; ergo per immusicum intelligit ibi subiectum musica priuatum, & in potentia proxima ad illam, vnde idem Toletus posteà consequenter, cum Arist. inferius tex. 58. & deinceps ait *musicum fieri ex immusico*, inquit tex. 60. quoad immusicum dicit subiectum cum priuatione, vel forma oppositæ musicæ iuxta explicationem superius traditam tex. 43.

80 Præuidit Ferchius hunc textum 43. futurum illi infestum, & nostræ explicationi valdè proficuum, & ideò lib. 2. eodem cap. 9. nu. 60. contendit probare etiam in eo textu per immusicum simplicem intelligi priuationem, seu suppositum, non verò subiectum sub opposito, quia in eo loco de solis principijs contrarijs agit, nempè à tex. 41. ad 51. & à 51. incipit probare dari tertium subiectum duobus contrarijs, quare in tex. 43. nequiuit Arist. per immusicum denotare subiectum nondum notum; Sed planè hoc non impedit, quin adhuc tex. 43. per immusicum non intelligatur subiectum forma priuatum, vel priuatio prout in subiecto, quamuis enim ex professo probare incipiat dari tertium subiectum duobus contrarijs solùm à tex. 51. illud tamen implicitè etiam ibi insinuauit, quod explicitè inferius erat demonstrandum. Deindè principaliter, quod per *immusicum* tex. 58. intelligatur non simplex priuatio, & oppositum, sed subiectum sub priuatione, seu sub opposito, probo euidenti ratione, ibi enim ait, quod de opposito non solùm dicitur in obliquo, quod ex non musico fit musicum, sed etiam in recto, quod non musicum fit musicum, at hæc propositio in recto esset prorsus falsa, si non musicum simplicem importat priuationem præscindendo à subiecto, ergo debet importare subiectum prout forma priuatum, seu subiectum sub opposito; Probatur minor, quia in nullo genere oppositorum verificari potest, quod oppositum fiat suum oppositum, sicut nigredo non fit albedo, neque tenebra lux, nec vniuersaliter priuatio fit forma, & nihil aliquid; Conf. quia illa propositio in recto pronunciata *non musicum fit musicum*, duos tantùm sensus habere potest, primus est quod simplex priuatio vertatur in formam per se, & primò, & non musica in musicam, & hic est omninò falsus; secundus est quod per accidens non musicum nempè priuatio fiat musicum nempè ratione subtrati, cui insidet, quod de priuatione transit ad formam, & hic sensus est verus, qui ab Arist. intenditur, & posteà explicatur tex. 75. cum inquit *nos autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundum accidens, ex priuatione enim, quæ est per se non ens, non ex eo, quod inest, fit*; Sitio igitur in explicatione iam data, quod ibi per immusicum intelligitur subiectum forma priuatum, non verò simplex, & pura priuatio præscindendo à subiecto; ait autem Arist. ibi *musicum non fieri ex homine*, non vt indicet formam nullo modo fieri ex materia, vt Ferchius exponit, sed vt indicet non fieri ex materia absolutè sumpta, quia tunc quodlibet fieret ex quolibet, sed ex subiecto existente sub opposito, quia contrarium fit ex suo contrario, vt supra dixerat tex. 43. Quod si Ferchius adhuc tenaciter instet ibi per immusicum intelligi simplicem priuationem, nolo vlterius altercari, quia vt verum fatear, ex illo contex. nequit re vera colligi, num Arist. concesserit, vel negauerit formam secundum rem fieri ex materia, aut ex sola priuatione, quia secundum omnes Expositores ibi Philosophus quantum ad hoc ponit discrimen inter oppositum, & subiectum, non quantum ad rem, sed quoad vocem tantum, & modum loquendi; & ideò non est cur Ferchius vim tantam faciat in eo contextu, quem nos adduximus, non ad id absolutè conuincendum, sed vt dixi potius ad retuncendum ipsum ex proprijs dictis, & retorquendum telum, quod iecerat, in ipsum.

81 Textus etiam 25. quem producit ex 7. Met. vbi ait Arist. negare ex homine fieri sanum, vbi per sanitatem intelligit formam, & per hominem materiam, vt significet formam non fieri ex materia, minus fideliter adducitur, non enim absolutè negat ibi Arist. ex homine fieri sanum, immo disertè docet sanum fieri ex vtroque, scilicet ex priuatione, & ex materia, magis tamen propriè ex priuatione, quam ex materia, ecce verba textus, quæ mirabiliter nobis faciunt, & demonstrant falsum esse consequens indè à Ferchio deductum, quod forma dicatur fieri tantum ex priuatione, vel opposito, non verò ex materia, *causa verò est, quia fieri contingit ex priuatione, & subiecto, quod dicimus materiam, vt putà & homo, & ægrotus fit sanus, magis tamen dicitur ex priuatione fieri, veluti ex ægroto sanus, quam ex homine*, nota quod ait formam, scilicet sanitate fieri ex priuatione, & ex subiecto, quamuis in vsu loquendi magis dicatur fieri ex priuatione, quam ex materia; & quod est magis notatu dignum, Alensis in hunc locum textum hunc exponit per tex. 58. 1. Phys. & ait prima propositio patet ex 1. Phys. tex. 58. (qui in margine citatur) nam aliquando dicimus, quod ex non albo fit album, & aliquando dicimus quod ex potentia albo, quod est materia, fit album, per quod innuit Alens. noluisse Arist. 1. Phys. 58. negare, quod musicum fiat ex immusico, accipiendo immusicum pro subiecto; deindè declarat etiam, cur in communi modo loquendi album potius dicatur fieri ex non albo, scilicet ex priuatione, quam ex subiecto potentia albo, quia scilicet hęc præposito *ex* videtur notare quendam ordinem, & quendam transitum, quando enim dicimus, quod ex hoc fit hoc, sensus videtur esse, quod hoc corrupto fiat hoc, quia in generatione materia manet sub forma generata; & priuatio formæ generatæ corrumpitur, ergo propriùs dicitur quod ex hoc fit hoc de priuatione, quam de materia violentissimè, ergo, ne dicam infidè deduxit ex hoc textu Ferchius formam fieri tantum ex priuatione, non ex materia.

82 Demum ad firmius id probandum de mente Arist. & omnia loca à Ferchio adducta contra seipsum militare, produco ex 5. Met. cap. 24. vbi ex professo Arist. recenset, & examinat sex habitudines, vel significata per particulam *ex aliquo* importata, inter quæ tandem enumerat hæc duo, tanquam præcipua, fieri ex materia, tanquam ex parte, quod est proprium compositi, & fieri ex materia, tanquam ex subiecto; quod est proprium formæ; produco verba textus ex communi versione, quæ circumfertur *ex sensibili, namque materia composita substantia est, forma quoque ex materia*; & quidem longè clarior est hæc auctoritas pro nostra eductione formarum ex materia, quod *forma quoque fit ex materia*, quam illa adducta à Ferchio pro factione formarum ex nihilo, quod *musicum non fit ex homine*, ex 1. Phys. 58. nam hæc auctoritas vltrò admittit glosam iam datam, quod musicum non fit ex homine, sed ex immusico, quia forma non fit ex materia quomodocunque considerata, sed ex subiecto priuato, quod & priuationem abijcere debet, cum formam suscipit; ac auctoritas pro me adducta est adeò clara, & obuia, vt nullam admittat sine violentia glosam, quomodo enim glosare vis hoc dictum Aristotelicum, *forma fit ex materia*, itaut ostendas formam non fieri ex materia, ecce nunc Ferchi dilectissime modum in seipso quæsitum, & inuentum, ecce clarius in Arist. expressum, quod forma fiat ex materia, quam ex nihilo. Sed quamuis locus sit clarior pro nostra assertione, quam desiderari queat, & ne in peregrinos sensus textum hunc deducas, & dicas alium esse ab eo, quem verba præseferunt, accipe in eius confirmationem expositionem Doctoris irrefragabilis (quia tibi non placet auctoritas expositionis Scoti, qui tibi est Aragonius, licèt non Mauritio, Fabro, Cauello, & alijs Scotistis vniuersaliter) qui in locum cit. 5. Met. tex. 29. habet hæc verba. Notandum est diligenter, quod sicut vult Commentator in principio istius capituli; licèt *ex*, dicatur multis modis, tamen famosior modus eius est, quando *ex*, notat habitudinem causæ materialis, ita quod hoc fit hoc, sicut ex potentia materiæ; non est sensus, quod hoc fiat post hoc, sed est sensus, quod hoc perficitur per hoc, scilicet potentia per formam, & hoc trahitur ad hoc, scilicet materia ad perfectionem.

Neque suspiceris hunc locum latuisse Ferchium, qui pro hac re totum euoluit Aristotelem vbicunque de significato huius præpositionis *ex* est locutus, vidit & ex hoc ipso loco nos falsitatis conuincere voluit apud Lectores tamen suæ Defensionis, non Aristotelis, vndè lib. 2. c. 10. sic nos charitatiuè alloquitur, Obsecro vos, respirate ad veritatem, Arist. 1. Phys. posuit ipsum fieri *ex*, vt ex termino, vel vt ex parte, in 1. de gen. anim. adiecit duo significata fieri ex efficiente, & fieri post aliquid, in 5. Met. 29. sex posuit significata subdiuidens aliqua ex istis quatuor, & quod notabile est, nullo ex his locis per particulam *ex*, declarauit habitudinem formæ ad materiam, vt vos id quærentes in Arist. scirpi nodum quærere videamini, ita Ferchius solito supercilio. Quantum verò veritatis habeat hæc Ferchij relatio locorum Arist. vbi significata particulæ *ex*, recenset, ex verbis tex. 29. lib. 5. Met. quisque dijudicare potest, nam in eo ipso loco disertissimè dicit Arist. quod *forma fit ex materia*, & tamen adhuc ipse audet dicere notabile esse nullo ex locis ab ipso citatis per particulam *ex*, declarasse habitudinem formæ ad materiam; non

est

est notabile, quod ait Ferchius, cum totum oppositum habeatur in prælegato textu, at planè notabilis est actus ab illo bono viro adhibitus in relatione illius loci, nam ex loco 1. Phys. duo significata refert ibi ab Aris. posita, fieri ex, vt ex parte, vel vt ex termino; ex loco 1. de gen. anim. refert alia duo significata ibi ab Aris. expressa, fieri ex efficiente, & fieri post aliquid; at ex loco 5. Met. 29. valdè sibi infesto, vbi ex instituto adamussim explicat Aris. habitudines particulæ *ex*, tantum in generali refert sex significata, non recensendo ipsa singillatim, ne cogeretur dictum illud referre, quod Tauro caput obtruncat *forma quoqi fit ex materia*, ita candidè, & fideliter loquitur, qui nos vbiq; in illo libro, vel potius libello falsitatis, mendacij, & infidelitatis redarguit, & falsatores textuum Aris. sæpius appellat. At neque etiam locum ex 1. de gen. anim. fideliter retulit, nam ibi c. 18. non tantùm illa duo significata recenset Aristl. fieri ex efficiente, & fieri post aliquid, sed etiam alia plura, & præsertim vnum contrarium fieri ex alio contrario, vt ex termino recedente, formam nimirum ex priuatione, & ex alio, tanquam ex subiecto manente, scilicet ex materia; ecce Aristl. verba *ignitur enim contrarium ex contrario, quod corrumpitur* hoc spectat ad fieri forma ex priuatione, quæ *abijcitur & aliud quidpiam subijci oportet ex quo primo immanente sit*, hoc spectat ad fieri formæ ex materia, tanquam ex subiecto; Neque dici potest, quod hic particula *ex quo*, dicat habitudinem partis; quia hic de factione contrarij simplicis nempe formæ sequitur, non verò de factione compositi; tum quia de hac habitudine *ex quo*, tanquam ex parte, locutus erat supra, cum dixerat, *alio modo, cum ex ære statuam, aut ex ligno lectum & quæcunque ex materia fieri dicimus, vt ex aliquo, quod insit, & formetur, totum sit*, conflat ergo omnia loca à Ferchio pro se adducta contra ipsum militare, & ab ipso truncata, at fallata referri.

83 Quarta ratio deduci debet ex Scoti auctoritate, contra quem ait nos pugnare, dum formas materiales dicimus ex materia fieri, & educi, ac ab ea dependere in suo esse fieri, & conseruari, & hic rursus ostendam etiam in illis eisdem locis, quos contra nos adducit, Scotum docere oppositum, itaq. lib. de primo principio c. 2. concl. 9. ait materiam esse priorem forma secundum independentiam, quia concernens, & informans videtur dependere à permanente, & informato quia formatum præintelligitur informabile; & si quæras, quo ordine est prior, respondeo, inquit, secundum istum ordinem, secundum quē forma causatur de materia prius causata ab ipso ente necessariò, ita Scotus ibi, & concl. 14. non omne dependens est excessum ab eo, à quo dependet, patet, compositum dependet à materia, cum ipsum sit multum perfectius, similiter forma dependet à materia, vt tactum est concl. 9. in theor. 19. conclusione 9. causæ possunt esse sibi inuicem causæ in diuerso genere causalitatis, non in eodem, prima pars probatur, quia per efficiens est finis, & è conuerso; per materiam est forma, & è contrariò, ergo apud Scotum materia est causa formæ in genere materialis causæ, quam dicunt extrinsecam, & subiectiuam. In 1. d. 9. q. 1. ad 2. prin. expressè concedit dependentiam formæ à materia. In 2. d. 12. q. 2. in fine contra se hoc facit argumentum, materia videtur plus dependere à forma, quam forma quæcunq; à materia, sed formæ naturales aliquæ non possunt separari à materia, ergo nec materia à forma; respondet posse dici, quod licet entitas materiæ sit minus perfecta, quam formæ, non tamen plus est dependens, imò minus, & ideò potest fieri sine forma, non è conuerso, quibus verbis facit materiam minus dependentem à forma, & formam magis dependentem ab ea; In 4. d. 1. q. 1. lit. I. sic arguit, forma materialis dependet in essendo à materia; ergo & in agendo, & lit. KK. Philosophi posuerunt ordinem causarum secundarum simpliciter necessarium, ita quod forma materialis non potest ab alio agente produci, nisi concurrente materia, tanquam causa necessaria præsuppositia termino productionis; quibus verbis apertè admittit concursum materialem materiæ in formam per modum passiuæ eductionis. In quol. 2. non longè à principio ex articulo quodam Parisiensi agnoscit formas materiales esse eductas de potentia materiæ, quæ eductio est causalitas materiæ in formam, vt ex professò declaratum est disp. 5. Phys. q. 4. art. 1. & quol. 9. lit. B. ait, hinc etiam patet, quare anima separata non est persona, licèt enim non sit nata inhærere, & ideò sit ens per se secundo modo prædicto, licèt etiam possit esse ens per se primo modo, scilicet solitariè, non tantùm per virtutem causæ extrinsecæ, sicut potest accidens, vel forma materialis, sed virtute naturæ suæ sibi relictæ, & hoc quia non necessariò dependet à materia in proprio suo esse; quibus verbis distinguit animam rationalem ab omnibus alijs materialibus formis, quia ipsa non dependet à materia in suo esse, fieri, & conseruari, vt cæteræ dependent. Et planè est hoc adeò certum, & exploratum in Scoti doctrina, vt de hoc dubitare sit nefas; idque negare nequeat, nisi parum in ea dubitare sit nefas; idque negare nequeat, nisi parum in ea versatus. Vide 4. d. 12. quæst. 4. H. vbi clarissimè ait subiectum concurrere simul cum agente in genere materialis causæ ad fieri formæ tam accidentalis, quàm substantialis, sic etiam 2. d. 18. q. vn. A.

84 Præterea id probo ex ipsius Ferchij placito, cui frequenter placet sibimet repugnare, vt nos possit impugnare, nam vestig. c. 13. nu. 40. mouet hoc dubium, cur autem forma non sit ratio producendi materiam similem illi, à qua dependet, laboriosius est dicere, in qua dubij propositione iam apertè fatetur formam à materia dependere in suo esse, Deinde c. sequenti num. 44. quærens cur subiectum requiratur in factione formæ materialis, respondet id prouenire ex ratione facti, non ex ratione effectionis, quando etenim res facta nata est esse in subiecto, à quocunque vel quomodocunque tandem producatur, in subiecto erit, veluti calor siue à Sole æquiuocè productus, siue à calore, vniuocè, siue naturaliter in aerem, siue violenter in aquam, semper in subiecto producitur, quia ratio eius talis est, vt in subiecto inhærere aptum sit, sed per secundum Phys. 78. vnumquodque vt aptum natura est, sic agitur; & idem confirmat lib. 1. Defens. nu. 19. vbi ait ex parte facientis materiam non requiri in actione sua, sed ex parte facto, etenim efficiens secundum facit totum non in subiecto, formam facit in subiecto, vnde requirere subiectum *in quo*, est ex indigentia facti, nempe formæ materialis. Quibus etiam verbis palam fatetur formas materiales pendere suaptè natura in suo esse, fieri, & conseruari à materia, nam dependentia oritur ex indigentia, ideò namque effectus à causa pendere dicitur, quia illa indiget, vt ponatur in esse, & si ea non indigeret, iam ab ea non dependeret dicere ergo formas materiales indigere suaptè natura subiecto, cui innitantur, & à quo sustententur, est apertè fateri illas in suo esse, fieri, & conseruari dependere à materia, vt à causa earum materiali, & subiectiua; vndè disp. præced. q. 1. nu. 7. dicebam hac ratione, scilicet per dependentiam & independentiam à subiecto non benè formam substantialem ab accidentali distingui.

85 Quinta ratio ad idem, quod scilicet forma materialis creari nequeat, aut ex nihilo fieri ab agente naturali adducitur à Scoto 4. d. 1. q. 1. §. *ideò dici potest*, vbi hoc ita probat, forma quæ creatur, prius naturaliter est a causa efficiente, quam materiam informet, at forma materialis non potest esse ab aliqua creatura prius naturaliter, quam informet materiam suam, vel potentiale suum, ergo &c. probatio maioris, quia si non prius naturaliter, ergo non accipit esse a causa, nisi illa actione, qua subiectum informatur, sed illa informatio est mutatio propriè dicta, & ita non creatio, aut simplex factio ex nihilo, sed ex præsuppositio subiecto; probatio minoris, nulla creatura potest formæ materiali dare esse absolutum in se, hoc est, absq; hoc quod informet suum potentiale, quia si posset sic dare esse, posset, & illud conseruare, vt realiter virtute creaturæ maneret in aliqua duratione talis forma sine materia, formam autem materialem dico (inquit Doctor) omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, vt sit actus materiæ, siue sit substantialis, siue accidentalis. Ferchius rationem hanc non adducit, sed ex suis principijs respondebit forte negando maiorem, potest enim agens producere formam in subiecto etiam in eo primo instanti, quo eam producit, & adhuc eam dicetur producere ex nihilo, quia licet præsupponatur materia, non tamen præsupponitur, vt pars facti, sed vt extrinsecum subiectum formæ; ad tollendam autem creationem non sufficit præsuppositio subiecti, in quo forma necessariò fiat, sed requiritur præsuppositio partis, quo fit vt compositum non dicatur fieri ex nihilo, quia fit ex materia tanquā ex præsuppositā parte sui, forma verò fit ex nihilo, quia non fit ex aliqua sua præsuppositā parte, quantūcūq; fiat in præiacente subiecto.

Sed Contra, sola subiecti præsuppositio concurrentis in genere materialis causæ ad productionem formæ sufficit ad excludendam eius ex nihilo factionem; ergo allata responsio, quæ etiam est communis inchoatoribus formarum vim argumenti non tollit, probatur assumptum ex eodem argumento, quia talis præsuppositio subiecti facit, vt illa actio sit essentialiter transmutatiua, & cum mutatione connexa, nam eo ipso, quod subiectum præsupponitur, iam erit actio in subiecto, & consequenter non erit creatio, quia creatio est actio independens à subiecto. Cum quia ideò aliquid dicitur creari, ex nihilo fieri, quia totaliter emergit à virtute actiua agentis absq; concursu alterius causæ; si ergo ad factionem formæ concurrit necessario subiectum, in quo fiat, & à quo dependeat in esse, & conseruari, plane illa non erit factio ex nihilo, sed dependens ab aliquo præterquam à virtute actiua agentis, quod est contrà rationem creationis, & factionis ex nihilo. Tum quia ideo anima rationalis inter omnes formas substantiales dicitur per creationem produci, quia licet producatur in subiecto, scilicet in corpore, non tamen dependenter ab eo in genere materialis causæ, nempè subiectiuæ, ac sustentatiuæ, quia suæ virtuti relicta potest etiam extra corpus conseruari, quod de cæteris formis non contigit; ergo talis dependentia formæ à materia in suo fieri, itaut nequeat fieri, nisi in materia, nec extrà eam connaturaliter conseruari possit, tollit rationem creationis, & factionis ex nihilo. Tum quia si talis factio formæ cum indigentia subiecti, à quo dependeat, est adhuc creatio, & factio ex nihilo, non magis erit anima terminus creationis, quàm cæteræ formæ, nec vllum erit discrimen inter animæ rationalis creationem, & aliarum formarum factionem, nam æqualiter omnes ex nihilo fient, & creabuntur; nam si dicatur discrimen esse, quia anima rationalis non fit cum indigentia subiecti, cui inniti debeat, vt aliæ formæ, refutabitur hoc discrimen statim, quia indigentia subiecti non tollit rationem creationis, & factionis ex nihilo. Tum quia cum creatio dicatur à Theologis esse propria rerum subsistentium, & à subiecto independentium si quælibet forma substantialis indifferenter creatur, & fit ex nihilo, vt anima rationalis, tunc omnes formæ substantiales vt infert Suar. disp. 15. Met. sec. 2. nu. 9. essent subsistentes, & independentes à materia in fieri, & consequenter in esse, quod est absurdissimum, alias omnes animæ brutorum essent immortales. Tum tandem quia si formæ substantialis creari dicatur, seu ex nihilo fieri ob dictam causam, quia nimirum non fiunt

ex aliqua sui præsupposita parte, etiam accidentales fieri debebunt ex nihilo, quia etiam forma accidentales fit ex nihilo sui, & non præexistit actum in subiecto neque secundum se totam, neque secundum partem, vt infert idem Suarez. Et quidem formas accidentales concedit Ferchius esse à subiecto dependentes lib. 3. defens. cap. 8. num. 46. hoc enim videtur esse discrimen, quod statuit inter formas substantiales, & accidentales, quod illæ sunt independentes in suo esse, & fieri, non verò istæ; si ergo istæ dependent in suo fieri à materia, non dicentur creari, vel ex nihilo fieri, vt substantiales, ob talem dependentiam è materia, & tamen fit adhuc pariter quælibet ex nulla sui præsuppositæ parte; ergo non sola negatio præsuppositæ partis tollit rationem creationis, aut factionis ex nihilo, sed etiam subiecti præiacentis; Quod si affirmet Ferchius vtramque formam ex nihilo fieri, quia neutra fit ex aliqua sui præsuppositæ parte, tunc non videtur cur magis vna fiat independenter à subiecto, quam alia.

86 Demum, quia hoc quoque est vnum ex præcipuis Ferchij fundamentis, quod ad factionem ex nihilo, vel ex aliquo per se spectet ratio partis, non subiecti, vt probat lib. 2. defens. cap. 12. vndè concesso antecedente, quod forma materialis fiat ex materia, seu dependenter ab ea, negat adhuc consequentiam, quod non fiat ex nihilo, quia materia præcedit tantum, vt eius subiectum, non autem vt pars intrinseca, hoc quoque fundamentum quantum fieri potest, est conuellendum; pro itaque ad creationem, vel factionem ex nihilo, vel ex aliquo nedum per se spectare rationem partis, verum etiam subiecti, vtique id probem, suppono, quod sæpius dixi, philosophiam quam profitemur, & conscribimus, non esse puram Arist. philosophiam multis erroribus scatentem, sed veram philosophiam, quæ est ancilla Theologiæ; quare in philosophia talis assignari debet notio creationis, vel factionis ex nihilo, quæ nullum indicat in Theologia absurdum, at si definiamus creationem esse præcisè factionem ex nihilo, tanquam ex parte præsuppositæ, & non etiam tanquam ex præsuppositio subiecto, magnum sequitur in Theologia absurdum, nisi admittantur inchoationes formarum, quas tamen neque Ferchius admittit, ergo &c. probatur minor, quia tali definitione creationis data, & negato seminario formarum, vt facit Ferchius, sequitur de facto dari creaturam, imo omnem creaturam de facto creare nedùm aliquod accidens, sed etiam aliquam substantiam simplicem, nempe substantialem formam, at nullus est Catholicorum, qui affirmet creatam esse à Deo aliquam naturam, cui tanquam causæ principali conueniat propria, & natiua virtute creare, & solum disputatur inter ipsos, an saltim aliqua talis creatura sit possibilis, cui Deus communicet virtutem creatiuam, & etiam in hac quæst. de potentia Dei absoluta maior & sanior Theologorum pars stat pro negatiua; ita Magister 4. d. 5. D. Thom. p. 1. q. 45. art. 5, Scotus 4. d. 1. quæst. 1 Ocham 2. qu. 7. Henr. quol. 4. qu. 37. Ægid. quol. 5. q. 1, quos Sacræ Theologiæ Proceres, & Duces sequuntur passim Recentiores Suarez disp. 20. Met. sec. 2. Vasq. par. 1. disp. 175. cap. 1. & alij.

Imo, quod de facto nulla creatura possit creare, tanquam causa principalis, idest per formam intrinsecam actiuam attingendo terminum creationis præsertim alicuius substantiæ volunt esse de fide; vt notat Aret. 4. d. 1. qu. 1. art. 9. & probant tum ex Concilijs, tum ex S.S. Patribus, nam Concilium Lateranense cap. firmiter de Summa Trinitate solùm Deum omnium Creatorem agnoscit, & in Symbolo Concilij Nicæni dicitur, factorem Cœli, & Terræ &c. D. Aug. 12. de Ciu. Dei cap. 21. & 3. de Trinit. cap. 8. *nec boni nec Angeli mali possunt esse creatores alicuius rei*, & lib. 9. de Genes. ad lit. *creare naturam nullus Angelus potest neque seipsum*, Sanctus Athanas. serm. 3. contra Arianos. Neque Angeli, inquit, creare possunt, cum & ipsi sint creaturæ, quinimo nec Sol quidem, cum sit res creata, vnquam efficeret, vt quod nihil est, aliquid fiat; vbi ex ratione creaturæ infert, Sanctus Pater impossibilitatem creandi; Cyrillus Alexand. lib. 6. thesauri cap. 2. nulla inquit creatura vnquam substantiam ex nihilo producere poterit, finitæ namque id virtutis esse non potest; & infrà, num, inquit, excogitare potest quispiam mentis compos creare, quod creatur, & à nihilo producere, quod à nihilo productum est? (vbi S. Pater mentis impotes appellat oppositum asserentes) præcipua Dei veri proprietas est vt è nihilo possit substantias producere, & lib. 14. cap. 6. potestas, inquit, creandi diuinæ solummodò inest naturæ; & lib. 2. contra Iulian. & hoc maximè, inquit, contra diuinam gloriam militat etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere, non enim fas est dicere, quod ea quæ diuinæ, & ineffabilis naturæ propria, & eximia sunt naturaliter possint esse quibusdam ab ipsa factis; & denique Damascen. lib. 2. de fide cap. 3. sub finem, quicunque dicunt Angelos conditores esse cuiuscunque substantiæ, ipsius Diaboli, inquit, sunt eorum quidem Patris. Ex quibus S. S. Patrum testimonijs duo contra Ferchium colliguntur, vnum est pertinens ad quæstionem præcedentem, quod apud eos idem est creare, quod ex nihilo aliquid facere, quæ duo ipse distinguit, alterum est pertinens ad præsentem quæstionem, quod nulla creatura potest create, & aliquid ex nihilo facere, quod ipse asserit in præsenti quæstione, ad quod quidem euitandum absurdum omnes tam Theologi, quam Philosophi, aut concesserunt seminarium formarum, aut dixerunt ad factionem ex nihilo, vel ex aliquo, nedum per se spectari rationem partis, sed etiam subiecti præiacentis, quorum neutrum Ferchius admittit. Video tamen quid ad hoc sit ille respondurus, nempe ad solitum effugium properare dicens se loqui in sententia Arist. se vestigare mentem vnius pagani, non veritatem, non debere misceri sacra prophanis, quia nempe vult suam philosophiam, non vt ancillam Dominæ deseruire Theologiæ, sed aduersari, vt rebellem, non eam construere, ac ei fundamenta prebere, sed destruere; Ferchius lib. 2. cap. 11. pro sua factione formarum ex nihilo citat Mair. sed quantum ei faueat colligitur ex his, quę habet 2. d. 22. q. vn. vbi cum fecisset hoc argumentum, si non dantur rationes seminales in materia, videtur forma ex nihilo fieri. Respondet, quod non, quia concurrit causa materialis, quę suo modo causat eam, sicut agens causat, non quod aliquid transeat de materia in formam, anima autem fit de nihilo, quia à materia non dependet.

Ferchij Obiectiones retorquentur, ac diluuntur.

87 COnfusè admodum, & indistinctè hinc indè lib. 1. p. 2. & 3. Defens. probat hic Auctor prout occasio postulat, vel non, suam factionem formarum ex nihilo, ac independentiam cuiuscunque substantialis formę à materia in esse, fieri, & conseruari, tum auctoritatibus Arist. & Scoti, tum etiam rationibus, quas hic in vnum colligere satagam; & quidem ex Aris. duas precipuè auctoritates adducit, ac sępissimè repetit lib. 2. cap. 9. 10. & seq. quibus ostendere intendit formam non fieri ex materia, aut dependenter ab ea, prima est ex 1. Phys. 58. vbi ait musicum non fieri ex homine, vbi per musicum intelligitur forma, & per hominem materia; altera affinis habetur 7. Met. 25. vbi inquit sanum non fieri ex homine, ex quibus tale erigit argumentum cap. 9. cit. num. 54. hoc vnum effugium est aduersarijs negantibus formam fieri ex nihilo, dicunt quippè formam fieri ex materia, sed Arist. expresè hoc negat loc. cit. ergo restat formam fieri ex nihilo.

Resp. hęc testimonia non minus nobis, quam Ferchio fauere ex dictis num. 79. & seq. nam licè in primo loco neget musicum fieri ex homine, idest ex materia nudè, & absolutè sumpta, quia quodlibet non fit ex quolibet, sed contrarium ex suo contrario 1. Phys. 43. attamen ibi concedit musicum fieri ex immusico, idest ex subiecto existente sub oppositio, seu sub priuatione, vt ibi explicatum est, in 2. quoque loco, scilicet 7. Met. 2. non absolutè negat formam fieri ex materia, imò expresè docet sanitatem fieri ex vtroque tam scilicet ex priuatione, quam ex materia, licèt in communi modo loquendi magis dicatur fieri ex priuatione, quam ex materia, vt explicui numer. 81. Sed hic rursus aduertendum est vtique Arist. loc. cit. per musicum, & sanum intelligere formam, sed musica, & sanitas sunt formæ accidentales, quas Ferchius ponit à materia dependentes in suo esse, fieri, & conseruari lib. 3. Defens. cap. 4. & cap. 8. num. 46. vndè huiusmodi textus etiam contra ipsum militabunt, cum Arist. ibi neget expresè secundum ipsum formas accidentales ex materia fieri, seu dependenter à materia. Tandem ad argumentum ex illis textibus erectum nego minorem, quod ibi Arist. expresè asseruerit tantum formam non fieri ex materia, nam indiscriminatim docet fieri ex materia, & priuatione, vt constat ex dictis; imò cum 5. Met. cap. 24. tex. 49. expresè affirmauerit formam fieri ex materia ex dictis nu. 82. argumentum retorqueo, præcipuum Ferchij effugium ad affirmandum formam fieri ex nihilo est formam non fieri ex materia, sed Arist. expresè oppositum affirmat nempe formam ex materia fieri, restat ergo, vt non fiat ex nihilo.

88 Secundò ad excludendam hanc dependentiam formæ materialis à materia in suo esse, fieri, & conseruari arguit rursus lib. 1. pag. 49. num. 46. & ait hanc dependentiam formæ materialis à materia esse ex nobis natam, non ex Arist. & proindè se non concessum dependentiam formæ à materia, nisi ex Arist. probauerimus, legit quippè in 1. de Cœlo tex. 100. & 12. Met. 38. effectus dependere à causa efficiente, vel finali hoc est à causa externa, dependere à causa interna non legit.

Resp. argumentum etiam retorqueri in ipsum, quia ipse concedit, quod omninò negare non potest, compositum essentialiter dependere à suis partibus, vt à causis internis ipsum constituentibus ibid. num. 47. & pag. 214. nu. 64. ex Arist. 1. Phys. 82. & 2. Phys. 28. cum causam materialem definit esse, ex qua fit aliquid, cum insit, fieri autem dependentiam importat, ex quo principio probat contra nos formam non dependere à materia, quia non fit ex materia; ergo quia compositum fit ex materia, vt ex parte, opus est vt fateatur ab ea dependere, vt à causa interna, imò essentialior est dependentia compositi à causis internis, quam ab efficiente saltim creato, vt docet Scot. 4. d. 12. q. 1. siquidem multi effectus dependet ab efficiente in fieri, non tamen in conseruari, at compositum à suis partibus dependet in esse, fieri, & conseruari adeo essentialiter, vt nec Deus ipse talem dependentiam supplere queat; non ergo negari potest effectus à causa quæque interna dependere, vndè quamuis Arist. loc. cit. dicat effectus dependere à causa efficiente, & finali, hoc est à causa externa, non tamen negat dependere ab interna; vndè hoc est argumentum ab auctoritate negatiuè, dependere à causa externa legit in Arist. dependere à causa interna non legit, ergo talis dependentia non est admittenda, quem arguendi modum valdè exprobat ipse Pererius vesl. 1. cap. 1. num. 30. vbi hanc tradit regulam, quod Arist. affirmat, & negat, idem Peripatetico

tetico affirmandum, & negandum at si Arist. non affirmat, nec negat, non esse affirmandum, vel negandum Peripatetico sine vitio consequentis non dicitur, multas veritates Arist. nec attingit quidem, multas quoque omnium consensu scripsit, quæ ad nos non peruenerunt, nil igitur nisi dicta dicere, est nos veritate, ac iudicio priuare; hæc Ferchius ibi, & verissimè, ergo ex ipso potest aliquid veri proferri præter Aristotelem, & ex eo quod Aristot. aliquid non dixerit, non benè deducitur asserendum non esse sine vitio consequentis etiam à Peripatetico; peccat ergo sic arguendo contra monitum à se datum, tandem auctoritas illa est extra propositum nostrum, quia hic non disputatur de dependentia compositi à causis internis, neque nos dicimus formam à materia pendere, vt à causa materiali interna, sed in genere causæ materialis extrinsecæ, & subiectiuæ, vt potè ex qua educitur, non ex qua componitur.

Tertiò arguit ratione ibidem, omne causatum per se dependet à qualibet per se causa eius, & à nullo alio per se dependet, sed materia est per se causata à forma in genere finis per 2. Phys. 23. & 1. de partibus cap. 1. ergo materia per se dependet à forma, cum autem forma nullo modo sit causata à materia restat vt forma nullo modo dependeat à materia. Et quia hoc argumentum videtur sibi satis validum illud repetit libr. 3. pag. 327. sub his terminis, nullum per se principium dependet essentialiter à principiato, sed è contra, forma est per se principium ipsius materiæ, atque ipsius esse reperti in materia, ergo forma non pote essentialiter dependere à materia, minor in 2. Phys. cap. vlt. probatur ab Arist. scilicet formam esse principium finale materiei.

89 Resp. citò nimis oblitum esse eius, quod immediatè antea dixerat in præcedenti argumento, nam ibi dixit se apud Arist. legisse 1. de Cœlo 100. & 12. Metaph. 38. effectus dependere à causa efficiente, vel finali, hoc est a causa externa, dependere à causa interna, non legit; non ergo consequenter assumit in hoc argumento, quod facit immediatè post, vt vniuersaliter veram illam maiorem, omne causatum per se, per se dependet à qualibet per se causa eius, nam compositum est per se causatum à materia, & forma etiam per ipsum pag. 214. num. 64. vt à causis internis, & tamen in Arist. dependentiam à causa interna non legit. Ego tamen, vt rem gratam faciam, nedum illam maiorem concedo, sed totum etiam primum discursum ex integro, sed nego assumptum subillati entimematis, quod forma nullo modo causata sit à materia, hæc enim est propositio controuersa, quam in argumento assumit, & non probat, ideoque principium petit; probat quidem materiam à forma dependere in genere finalis causæ, at non probat formam nullo modo esse à materia causatam, de quo est quæstio, itaque materia dependet à forma in genere finalis causæ, & forma vicissim à materia in genere causæ materialis non quidem intrinsecæ, sed intrinsecæ, & subiectiuæ, eo modo quo concedit Ferchius ipse formam accidentalem à suo subiecto dependere, cui innititur, ac inhæret; neque hoc est inconueniens, quia causæ sunt sibi inuicem causæ 2. Phys. 30. licet in diuerso genere causæ, & secundum diuersas rationes, quod ibi declarat exemplo in causa efficiente, & finali, vt laborare causa est bonæ valetudinis, & hæc laborandi, sed non eodem modo, sed hoc quidem, vt finis, illud autem, vt principium motus; specialiter autem exemplum affert in causa efficiente, & finali, quia id euidentius experimur in illis, non verò quia non possit, ac debeat tale dictum extendi ad alia quoque genera causarum, vt dictum est disputat. 8. Phys. quæst. 1. art. 1. nam intellectus est causa efficiens, & materialis intellectionis, & intellectio est causa formalis eius, quatenus intelligens, & Scotus ipse thor. 19. conclus. 9. dictum hoc extendit etiam ad causas intrinsecas, nam per materiam est forma, & è contra in diuerso genere causæ. Ad idem argumentum prout formatur ab ipso lib. 3. pag. 327. respondetur per idem, alioquin eodem argumento probaretur laborem esse non posse causam sanitatis hoc modo, nullum per se principium essentialiter dependet à principiato, sed è contra, sanitas est per se principium, & causa laboris, quia labor ab ipsa pendet in genere causæ finalis; ergo sanitas non potest dependere essentialiter à labore, seu à labore causari, quod tamen negat Aristot. loc. citat. sicut ergo ad hoc argumentum dicitur in eo genere causæ, in quo sanitas est principium, & causa laboris, vtique non posse laborem esse causam sanitatis, benè tamen in diuerso genere causę, in quo nulla est contradictio, quia non in eodem genere causę est principium, & principiatum, dependens, ac independens, sed in diuerso, sic etiam dicendum in proposito de materia, & forma, quod hęc causa illius in genere causę finalis, materia verò est causa formę in genere causę materialis, & subiectiuę; concludit itaque argumentum, quod forma quatenus est principium materię in genere causę finalis, planè in hoc genere à materia non dependet, sed materia ab ipsa, at in genere causę materialis res è contra se habet, quod forma est principiata, & causata à materia, & hęc est eius principium; cui addendum est, quod diximus disputat. 7. Phys. quęstion. 8. articul. quinto, causalitatem finis non esse physicam, & realem, sed potius moralem, quia quando finis causat non est existens, & tamen existentia vel est ratio, vel saltim conditio essentialiter necessaria ad physicè causandum, vnde absolutè loquendo, & in genere physico magis dependet forma à materia, quam è contra, vt innuit Doctor 2. d. 12. qu. 2. in fine.

90 Quartò nihil habens perfectius esse in aliquo genere ad illud, quod habet minus perfectum esse in tali genere dependet ex Scot. 1. d. 35. L. 1. ctus, & forma in genere substantiæ habet perfectius esse, quam potentia, & materia; igitur forma substantialis à materia non dependet, ita arguit ibidem. Et quia hoc etiam argumentum æstimat ineluctabile, rursus illud repetit libr. tertio, pagin. 300. præcisa auctoritate Scoti sub hac forma, omnis dependentia est imperfectio formaliter, vel necessariò habet annexam imperfectionem, sed forma substantialis non est imperfectior materia, immo est bonum diuinum, & appetibile, materia est fæx substantiarum; igitur forma nulla in fieri, esse, & conseruari dependet à materia.

Respondeo prius ad argumentum in se, vt formatur libr. 3. cap. 7. pag. 300. deinde vt firmatur auctoritate Scoti, & hic iterum dico citò nimis oblitum esse, quod in eo capite num. præcedenti nobis exprobauerat, cum enim diceremus formas materiales ideò dici tales quia suaptè natura in suo esse fieri, & conseruari materiæ sunt immersæ, & alligatæ ait *immersa & alligata* esse metaphoras à disputat. reijciendas, immemor se quoque has metaphoras alibi non semel adhibuisse, nam vestig. 1. cap. 19. numer. 62. ab initio appellatur ab ipso scientia naturalis *alligata materiæ*, & vestig. 6. libr. 1. pag. 254. col. 1. supra numer. 16. appellatur *Physicus alligatus materiæ*; nunc igitur ipsum rogo, cum ait cap. citat. numer. 43. quod *materia est fæx substantiarum* an sit locutio propria, & genuina, vel potius metaphorica, & figurata, primum asserere non potest, quia fæx propriè significat crassiorem partem aliquorum in fundo vasis subsidentem, si ergo est figurata locutio, & metaphorica, cur in eodem cap. num. immediatè præcedenti prohibet nobis in disputatione locutiones metaphoricas? num forte, quia omnia sibi licent, vt viro magnæ auctoritatis, nihil nobis? sed an in scientijs liceat vti metaphoris infra ex Arist. discutiemus; nunc ad argumentum redeamus, & antequam soluatur, consideremus, num sit in forma; omnis dependentia est imperfectio formaliter; vel necessariò habet annexam imperfectionem, hæc est maior, sed forma substantialis non est imperfectior, quam materia, immo est bonum diuinum, & appetibile, materia est fæx substantiarum, hæc est minor; igitur forma nulla in fieri esse, & conseruari dependet à materia, hæc est conclusio, in qua palam est colligi, quod non fuit in præmissis seminatum, quia hæc conclusio dependet ab hac propositione, nullum perfectius dependet ab imperfectiori, quæ tamen in syllogismo præmissa non fuit; quia ergo argumentum non est in forma, respondeo ad materiam, & dico argumentum, si valet, concludere plusquam velit, adeout, in ipsum retorqueri possit, nam nedum probabit formam à materia non dependere, sed nec etiam compositum, quod quidem est perfectius omni substantia etiam forma ipsa.

91 Atque ideò dicendum ex Scoto 2. d. 12. q. 2. in fine, quod licet entitas materiæ sit minus perfecta, quàm formæ, non tamen est plus dependens, immo minus, & ideò potest esse sine forma, non è conuerso; per quod Doctor concedit plus formam dependere à materia, quam materiam à forma; neque esse inconueniens perfectius interdum dependere ab imperfectiori, quia licet quoad hoc dependens, vt sic, sit imperfectius independenti, potest esse ex alio capite, quod id, à quo dependet, sit simpliciter imperfectius, & dependens simpliciter perfectius, quia esse potest, quod in re dependente reperiatur aliqua perfectio, quæ à toto genere excellenter sit ipsa independentia, qualis in proposito est actualitas formæ, & compositi, quæ à toto genere superat independentiam materiæ, quæ commixta est cum alijs pluribus imperfectionibus, quam doctrinam disertè declarat Doct. 1. d. 8. q. 1. ad 1. & 4. d. 12. q. 2. E. & F. vbi ad hanc rem memorabilia docet; sed quid moror? responsio ad argumentum habetur in terminis à Doctore libr. de primo principio cap. 2. conclus. 14. quæ est hæc, non omne dependens est excessum ab eo, à quo dependet, & probat, quia compositum dependet à materia, cum ipsum sit multum perfectius, similiter forma dependet à materia, vt ait probatum esse concl. 9. & tamen forma est perfectior. Neque hoc argumentum est nouum, immo passim adduci solet lib. 7. Metaph. quæst. illa, an forma sit prior materia, & composito, ad probandum esse perfectiorem composito, quia hoc dependet ab illa, & dependentia arguit semper imperfectionem independentem, cui argumento iam dudum satisfeci disputat. 8. Phys. q. 2. art. 2. nu. 37. quod licet compositum sit dependens à partibus, tamen cum hoc est actualius illis, & actualitas est maior perfectio quàm sit independentia. Ad hoc etiam pertinet solutio, quam affert Doctor ad simile argumentum 8. Metaph. quæst. 1. ad conf. 2. princ. vbi ait, quod licet ens causatum sit simpliciter imperfectum, quia dependens, tamen illud ens limitatum, cuius entitas propria requirit necessariò, quod sit causatum, potest esse perfectius tale ens, si est à pluribus causatum, quàm aliud ens, quod est à paucioribus causatum, quod non recipit tantam perfectionem; nam in dependentibus benè potest illud dependens esse perfectius, quod dependet à pluribus, à quorum quolibet recipit aliquam perfectionem sui, quæ omnia requiruntur propter suam perfectionem, ita quod nullum per se sufficeret, vnde communiter causata perfectiora, quæ non immediatè sunt à Deo, à pluribus causis dependent, quia propter eorum maiorem perfectionem non sufficiunt ita paucę ad causandum illa, sicut alia imperfecta, cui conuenit S. Bon. 2. d. 15. art. 1. qu. 2. ad 3.

92 Ad idem argumentum prout firmatur auctoritate Scoti 1. dist. 35.

I. dico illam maiorem eandem pati instantiam de composito, quod est perfectius materia, & forma in genere substantiæ & tamen adhuc dependet ab illis, sic pariter in genere quantitatis corpus est perfectius superficie, & superficies linea, & tamen corpus dependet à superficiebus, & superficies à lineis; attendendum igitur est, quid intendat ibi probare Doctor per eam propositionem nihil habens perfectius esse in aliquo genere ad illud, quod habet minus perfectum esse in genere tali dependet, vult enim probare per eam, relationem actualem non dependere ad aliquid, tanquam ad terminum, quod tantum est ens potentiale, & non actuale, vt ibi ipsemet explicat, & tamen certum est terminum relationis non esse necessariò de genere relationis, quia terminatur ad absolutum; vult ergo dicere Doctor, quod in quocunque genere absolutè loquendo quod habet esse actuale dependere non potest ab eo, quod actu esse non habet, sed tantum potentia, quia dependentia realis, & actualis ad aliquid reale, & actuale terminari debet, & in hoc sensu verum est perfectius ab imperfectiori in quocunque genere dependere non posse, & sic etiam in proposito vtique nec forma actualis, nec actuale compositum à materia tantum in esse possibili dependere potest, sed hæc quoque esse debet actualis, sicut dependentia est actualis; & hoc tamen non obstat, quin forma, vel compositum actuale ab actuali pariter materia dependeant.

Quinto Scot. 1. d. 35 F. ponit, quod si relatio realis fuerit inter aliqua, vel inter extrema est mutua coexigentia, si relatio est mutua, vel in vno extremo est dependentia, si relatio non est mutua; nunc autem per 2. Phys. 26. materia dicit relationem ad formam, nec est mutua coexigentia, inter eas; quia ad aliam formam est alia materia, non è conuerso, ergo dependentia est in materia ad formam, & non è conuerso. Conf. quia ex 5. Met. 20. in mensura non est relatio, sed in mensurato, mensura quippè dicitur ad aliquid, quia aliud refertur ad ipsam, sed actus est mensura potentiæ, forma materiæ, in genere substantiæ, ergo materia, vt mensurata dependet à forma, & non è contra.

93 Resp. negando minorem quoad secundam partem, in qua dicitur formam non mutuò ad materiam referri, tam enim actualiter, quam aptitudinaliter se mutuò respiciunt, & omnes respectus, qui inter ipsas versantur in ratione actus, & potentiæ perfectiui, & perfectibilis sunt mutui, vt notat Doctor 2. dist. 1. quæst. 5. ad 5. pro opin. & S. Bon. 1. d. 16. art. 1. q. 1. ad vlt. neque textus 2. Phys. 26. in eius probationem fideliter adducitur, ait quidem Arist. ibi materiam referri ad formam, & quod ad aliam formam est alia materia, non tamen negat formam vice versa referri, immo ex modo loquendi Philosophi optimè colligitur, quod si ad aliam formam est alia materia, etiam alia, & alia forma est ad aliam materiam, nam ex communi Interpretum per aliam materiam non intelligit ibi Aristot. materiam primam, vt sic, nam sic est vna omnium formarum materia, sed intelligit materiam secundam, nempe cum dispositionibus, & accidentibus necessarijs ad formas quaslibet in particulari, itaut sensus sit, quod hæc materia sit ad hanc formam, ideſt materia sub certis dispositionibus potius hanc formam respicit, quam aliam, vt materia ligni per caliditatem, & siccitatem disposita potius respicit formam ignis, quam aquæ, vel lapidis, eo autem ipso quod materia sic disposita determinatur ad formam ignis, sic etiam forma ignis ita ordinatur ad materiam ita dispositam, vt non sic ordinetur ad materiam sub alijs dispositionibus; hic igitur ordo ratione proximarum dispositionum hinc inde mutuus erit tam ex parte materiæ, quam formæ, dicitur tamen magis in communi modo loquendi materiam ordinari ad formam quam è contra, quia imperfectum dicitur ordinari ad perfectum, non è conuerso. Ad Conf. etiam obiectum est mensura scientiæ, & cognitionis, & hæc mensurata per ipsum, & nihilominus obiectum in ratione motiui dicit relationem producentis ad productum ad cognitionem, quia ex obiecto, & potentia paritur notitia; sic pariter in proposito estò forma, quatenus est mensura materiæ non realiter referatur ad ipsam, potest tamen ad ipsam referri sub alia ratione, quatenus nimirum effectus eius in genere materialis causæ, & quatenus recipitur, & sustentatur in ipsa, licet non quatenus ipsam mensurat; alioquin si argumentum cum sua confirmatione valeret, æquè benè probaretur per ipsum, quod forma non dicit informationem actiuam, aut fundat vnionem respectu materiæ nec anima verè diceretur formaliter actus corporis physici, quia materia dicit relationem ad formam ex 2. Physic. non è contra, & forma est mensura materiæ, mensura autem non refertur ad mensuratum; sicut ergo hoc non excludit alias relationes formæ ad materiam, ita nec relationem dependentiæ, de qua loquimur, & solum concludit, quod forma sub hac ratione, scilicet quatenus mensura materiæ, non refertur ad illam, sed quo pacto etiam mensura possit ad mensuratum referri, & mutuitas quoque in relationibus tertij modi reperiatur si extrema vniformiter assignentur iam dixi diputat. 8. Logic. articul. 2. explanando tertium modum relatiuorum.

Sextò arguit in eodem capite, quod non est in aliquo, ex eo educi non potest, vt sanguis ex lapide, si aliæ formæ sunt in seminario materiæ ex ipso possunt educi, mens, quæ non est in seminario, non potest educi; at secundum vos formæ non sunt in seminario, nihilque spectans ad propriam, & veram entitatem formæ est in materia, neq. materia secundum suam entitatem est vel tota forma, vel pars formæ, solum habet rationem potentiæ receptiuæ ad formam, quæ etiam relatio nec est forma substantialis, nec pars formæ, ergo entitas formæ propria secundum vos non poterit educi ex materia Vlterius omne absolutum est prius natura, quam relatiuum in ipso fundatum vel terminatum ad ipsum, forma substantialis est quid absolutum, relatio dependentiæ ad materiam est relatio, sicut & relatio potentiæ fundata in materia terminata ad formam est relatio loquendo de potentia reali; ergo forma prius natura habet suam essentiam, & existentiam realem, quam vel fundet respectum dependentiæ realis, vel terminet respectum potentiæ realis; ergo prius est educta in esse essentiæ, & existentiæ propriæ, & per consequens non dicetur educta propter istos respectus reales, sed propter seminarium in quo est.

94 Respon. hoc esse commune argumentum Seminarijstarum, quo contendunt demonstrare dari in materia seminarium formarum, vt verè dici possint ab ea, vel ex ea educi, & non creari, re tamen vera non concludit quia falsa est maior, quod scilicet opus sit effectum contineri in aliquo actualiter vel secundum totum, vel secundum partem, vt ex eo educi possit, ad hoc enim verificandum sufficit, vt in eo contineatur vel potentialiter, quemadmodum forma dicitur contineri in materia, vel virtualiter, quo modo dicitur contineri in potentia actiua agentis; sicut ergo, vt effectus egredi dicatur ab agente, vel poni extra suam causam, & extra potentiam actiuam causæ efficientis, opus non est, vt præesset in causa secundum suum esse aut totale, aut partiale, quod in ea lateret, sed sufficit solum quod in ea contineretur virtualiter; sic pariter in proposito, vt forma dicatur educi de potentia materiæ, ac extra illam ab agente trahi, opus non est, quod in ea præcontineatur secundum suum esse actuale aut totaliter, aut partialiter, sed sufficit quod in ea contineatur potentialiter non solum quoad recipi, nam sic etiam anima rationalis diceretur contineri in potentia materiæ, sed etiam quoad sustentari, quo pacto sola materialis forma dicitur contineri in potentia materiæ, quatenus illa necessariò indiget in suo esse, fieri, & conseruari, itaut nequeat fieri, & existere connaturaliter nisi in ea, ac dependenter ab ea, quod est esse eductam, vel educibilem de potentia materiæ; hinc ad minorem concedo formas non esse, vel præesse in seminario materiæ, quasi præsit in ipsa secundum aliquod suum esse actuale, præsunt tamen potentialiter modo prædeclarato, quatenus materia habet potentiam eas nedum recipiendi, sed etiam sustentandi, vt cum deinde fiunt, fieri dicantur dependenter ab ea, quod est educi; vnde patet falsam esse secundam partem minoris, quod scilicet materia solum habet rationem potentiæ receptiuæ ad formam, nam respectum formarum materialium, & corruptibilium, nedum habet materia rationem potentiæ receptiuæ, sed etiam sustentatiuæ, quatenus natæ sunt fieri in ea, ac dependenter ab ea, & in ordine ad animam rationalem dumtaxat habet rationem potentiæ puræ receptiuæ non sustentatiuæ, quod est in causa, ne ab ea dicatur educi, nec propriè contineri in potentia materiæ, sed de foris venire, vt dixit Arist. lib. 2. de gener. animal. cap. 3. & per hoc saluatur omnes formas, excepta rationali, non creari, nec de nihilo fieri, nam illud dicitur creari, vel ex nihilo fieri, quod nedum non sit ex aliqua sui præsuppositi parte, verum nec etiam ex præsuppositi subiecto, nec dependenter ab eo, quare cum istæ formæ fiant dependenter ab eo, licet nulla pars earum præexistat, adhuc non dicuntur creari, vel ex nihilo fieri, quæ omnia fusè explicata sunt disp. 2. Phys. q. 7. art. 2.

95 Ad aliud dico argumentum probare plusquam velit, probat enim vniuersaliter de quocunq. effectu, quod nullam dicat dependentiam à causa efficiente, quod tamen nec ipse concedit, nam omne absolutum est prius natura relatione fundata, forma substantialis est quid absolutum, & dependentia ad agens est formaliter relatio, ergo forma prius natura habet suam essentiam, & existentiam realem, quam fundet respectum dependentiæ realis ad agens, vel terminet; potius autem retorquendo volui hoc modo replicare argumentum ad euitandas propositiones improprias, & nugatorias, quas facit Perchius nam maior est impropria, ne dicam falsam, *omne absolutum est prius natura, quam relatiuum in ipso fundatum* non enim absolutum dicitur propriè fundare relatiuum sed relationem, & absolutum postea fundans relationem, vt sic dicitur relatiuum, minor est nugatoria, *relatio dependentiæ ad materiam est relatio*, vnde ad euitandam negationem dicere debebat, dependentia ad materiam est relatio, vt ego dixi retorquendo argumentum; rursus argumentum probat formam prius esse in materia, eamque informare, quam fundet vnionem ad ipsam, vel terminet, siquidem est relatio, forma substantialis quid absolutum est, ergo cum absolutum sit prius natura relatione fundata, forma prius natura habet suam essentiam, & existentiam realem in materiam, quam fundet, vel terminet relationem vnionis ad ipsam, Cum ergo argumentum non faciat specialem difficultatem de causalitate materiæ respectu formæ per eductionem, sed causalitate quacunque & in quocunque genere, quia causalitas est relatio, quæ extrema supponit in esse, ideoque supponere videtur effectum, atque adeo superflua in relatione relationis respondendum est ex doctrina Scoti 1. d. 35. qu. vn. 1. & 2. d. 1. quæst. 2. E. quod ad absolutum in causa sequitur immediatè absolutum in effectu, & immediatè postea in eodem prorsus tempori instanti sequuntur relationes causalitatis passi-

passiuæ, & actiuæ in effectu, & in causa, si est relationis capax, quod additur ob primam causam relationis incapacem, vnde non est necessaria relatio causalitatis propriè, vt ponatur effectus in rerum natura absolutè loquendo, quia ad virtutem absolutam causæ sequitur immediatè absolutum effectus, nec relatio est virtus actiua, vel ratio agendi, sed est necessaria in ratione formæ denominantis, actiua nimirum in causa, vt denominetur formaliter causans, & passiua in effectu, vt denominetur formaliter dependens, & causatus, vt docet idem Scotus 4.d.13.q.1. lit.P. quam doctrinam fusè explicui, ac defendi contra Nominales, ac Recentiores, quorum est argumentum præsens, disp.5. Phys.qu.2. concl.2. ex qua ad argumentum in proposito concedendus est totus primus discursus, & distinguendum est consequens vltimum indè deductum, ergo forma prius est educta in esse essentiæ, & existentiæ propriæ & per consequens non dicetur educta propter istos respectus reales, concedendo id fundamentaliter, negando formaliter, ac in ratione formæ denominantis, vt vniuersaliter dicitur in alijs causis, quia vt dixi hæc difficultas communis est omnibus causalitatibus.

Septimò arguit ad idem lib.1. cap.7. nu.54. probans formas non contineri in potentia materiæ, de qua educantur, forma antequam actu recipiatur in materia, nec est in materia, nec est in potentia materiæ, si namque forma dicatur esse possibilis, vel possibilis recipi, aut ex materia, aut ex potentia receptiua materiæ, forma vtique denominabitur possibilis, & in potentia, vel denominatione formali à potentia materiæ, vel denominatione causali; non primò denominatione formali, quoniam potentia materiæ est relatio, quæ formaliter fundatur in materia, & materiam denominat formaliter potentem recipere formas, ergo illa eadem numero potentia neque est formaliter in forma, neque formam formaliter denominat possibilem recipi, aut esse in potentia receptiua, quandoquidem eadem relatio numero non potest esse formaliter fundata, & in fundamẽto, & in termino essentialiter diuersis, quo circa forma formaliter denominatur possibilis recipi à relatione potentiæ, quæ vel fundatur in forma habẽte esse simpliciter, sicut anima rationalis præexistens ante actualem receptionem denominatur possibilis recipi in corpus; vel fundatur in forma habente esse secundum quid, nempè esse possibile à causis, atque hoc pacto à potentia fundata in forma, terminata ad materiam, forma denominatur formaliter receptibilis. Neque secundò forma est in potentia receptibilis causaliter à materia, quoniam forma non causatur à materia in genere causæ extrinsecæ efficientis, aut finalis, vt constat, neque in genere causæ intrinsecæ, vt materialis, aut formalis, alioquin forma non esset simplex. Quin potius materia est in potentia ratione formæ, non forma ratione materiæ, quia enim forma est receptibilis, ideò quæritur materia, quæ sit receptiua, quod si forma non esset potentia receptibilis, Deus, & natura materiam non fecissent, sed quia anima hominis, vel leonis recipi potest, ideò membra hominis, vel leonis talia fiunt, qualia requiruntur, vt animæ dictæ possint recipi, causaliter itaque potentia materiæ, & materia est in forma, & in potentia formæ, sicut ens ad finem est in fine, vel efficiente; forma non est in potentia materiæ, vel in materia causaliter; sed forma formaliter potest recipi per potentiam fundatam in essentia formæ, sicut & essentia formæ recipitur actu in materia, cuius autem est potentia eius est actus, & è conuersò.

96 Respondeo totum hoc longum argumentum posse pariter retorqueri in causa efficiente, in cuius potentia actiua continetur forma, sicut in passiua materiæ seruata proportione, dum enim forma dicitur possibilis fieri ab agente, vel eius potentia, vt v.g. sanitas à medicina, vel ab ea sic denominatur denominatione formali, vel causali; non primum, quia potentia actiua causæ est relatio, quæ fundatur in ipsa entitate causæ, non in ipsa entitate effectus, & ideò solam entitatem causæ potest denominare potentem, non verò effectum possibilem; neque secundum, quoniam sanitas non est propter medicinam, sed medicina potius propter sanitatem, neque sanitas nequit dici possibilis causaliter à virtute actiua medicinæ, sed potius hęc dici debet possibilis propter sanitatem, patet autem tot hoc argumentum in causa efficiente retortum non concludere, quia res antequam producatur à sua causa efficiente dicitur possibilis obiectiuè per denominationem extrinsecam ab ipsamet potentia actiua causæ, non autem per aliquam positiuam relationem in seipsa fundatam, quia antequam producatur nihil est, & nullum habet esse proprium formale, in quo aliqua talis relatio fundari possit, quæ ipsam denominet realiter possibilem, vt Doctor insinuat 1.d.36. q.vn. M. & adhuc magis declarat Canonicus 2.Phys. qu.1. art.2. in primo dicto, vbi ait, quod possibilitas, siue potentia, qua creatura dicitur ab æterno possibilis, non est aliqua potentia in creatura formaliter existens, cum in tali statu sit actualiter nihil, sed eadem potentia, qua Deus potest producere creaturas, creaturæ sunt possibiles produci ab eo, quod fusè declaraui disp.6. Met. quæst.2. à nu.65. explanando potentiam obiectiuam, vt à subiectiua secernitur; potest etiam effectus denominari possibilis à virtute actiua causæ causaliter, vt v.g. sanitas à medicina, quatenus per ipsam potest causari in genere efficientis causæ, quia licèt medicina fit, & fiat propter sanitatem in genere causæ finalis, sanitas tamen fit à medicina, vel per medicinam in genere efficientis; hæc itaque tota solutio ad argumentum applicari debet, cum sit de causa materiali, in cuius potentia passiua continetur forma, potest enim ab ea dici possibilis, & denominatione formali, & denominatione causali, formali quidem, quia licet potentia materiæ sit relatio quædam aptitudinalis fundata in entitate materiæ, & intrinsecè non nisi materiam, in qua fundatur, possit denominare potentem; tamen denominatione extrinseca potest quoque formam denominare possibilem recipi in ipsa eo modo, quo Deus denominatur creator per relationem creationis, non quidem in ipso existentem, sed in ipsa creatura, vt monet Doctor 1.dist.30. qu.est.2. lit.I. non potest autem forma denominari realiter possibilis recipi per aliquam relationem potentiæ in seipsa fundatam, vt ait arguens, quia quamdiù existit in potentia actiua efficientis, & in passiua causæ materialis, nihil est reale, & nullum esse reale, vel formale proprium habet, in quo fundari possit aliqua talis relatio, quæ ipsam intrinsecè denominet verè, & realiter possibilem, nam illud esse secundum quid, in quo ait Ferchius talem relationem fundari, nullum esse reale actuale est præter ipsum esse causæ potentis ponere effectum in esse, vnde remanet, quod dici solum possit possibilis obiectiuè per denominationem extrinsecam desumptam a potentia suarum causarum, tam efficientis, quàm materialis; dixi obiectiuè, quia de potentia logica aliter discurri debet iuxta dicta disput.cit.Met.quæst.2.

97 Potest etiam dici possibilis causaliter per materiam, quatenus per ipsam potest causari in genere causæ materialis, licet materia dicatur cum sua potentia dependere à forma in genere causæ finalis, quia materia est propter formam, non è contra. Et cum id impugnatur, quia si forma causaretur à materia in genere causæ materialis, cum hoc sit genus causalitatis intrinsecæ, tunc forma non esset simplex, sed composita, dico materiam exercere causalitatem intrinsecam solum respectu compositi, in quo manet velut eius pars essentialis, sed aliam quoque exercet extrinsecam respectu formæ, quæ dicitur causalitas subiectiua, quatenus forma in suo esse, fieri, & conseruari ab ea necessariò, & indispensabiliter pendet, & dicitur extrinseca, quatenus non constituit formam per modum partis, quo pacto constituit compositum, licet ex alio capite adhuc dici possit intrinseca, quatenus per eam necessariò vnitur formæ, & necessario est cum ipsa forma coniuncta, quamdiu forma existit, in quo adhuc secernitur ab alijs causis extrinsecis fine, & efficiente, quæ regulariter, sunt ab effectu disiunctæ, & distinctæ. Quod quidem materialis causalitatis genus licet Ferchius neget respectu formarum substantialium, adhuc tamen etiam inuitus admittere cogitur respectu formarum accidentalium, quas ponit à subiecto omnino dependentes, cum ab eo sint prorsus inseparabiles, & quidem cum hæc sit quædam dependentia posterioris ad prius, à quo pendet, & conseruatur in suo esse, nequit esse nisi dependentia causalitatis; & cum hæc non possit poni semper in genere causæ efficientis, quia non omnia subiecta immanenter in se causant accidentia, vt patet de calore in aqua, opus est quod sit in genere causæ materialis, non quidem illius speciei, qua materia dicitur causare compositum per modum partis potentialis, sed alterius rationis, quæ dicitur subiectiua, quatenus accidens suapte natura nedum petit in suo subiecto recipi, sed etiam inniti, & sustentari, quæ quidem sustentatio, & innitentia est materialis causalitas, qua subiectum dicitur causare accidentia in genere materialis causæ, & materia formas substantiales omnes sola excepta intellectiua.

98 Et quod materia hanc causalitatem materialem, exerceat erga formam, quodque talis causalitas materialis admitti debeat præter eam, quam habet in ordine ad compositum, perspicuè declarat Zerbius lib.7.Metaph. quæst.3. §. *Propter tertium*, in fine, vbi mouet hoc dubium, Vtrum materia respectu formæ habeat aliquam causalitatem, & pro parte negatiua affert rationem tactam in argumento, quia tota causalitas materiæ est intrinseca, sed materia respectu formæ non habet aliquam causalitatem intrinsecam; ergo non est causa eius; maior probatur, quia materia, & forma ponuntur causæ intrinsecæ secunda Physicorum, & 5. Metaphysicorum efficiens autem & finis extrinsecæ, sed impossibile est aliquam causam extrinsecam causare intrinsecè, aut è conuersò, ergo &c. minor verò principalis deducitur, quia si materia formam intrinsecè causaret, tunc esset pars formæ, quod non est possibile. Respondet deinde Zerbius decidendo quæsitum affirmatiuè, quod nempe materia habet rationem causæ respectu formæ, cum ab ea dependeat, & ad rationem in oppositum dicit, quod causalitas dupliciter dici potest intrinseca, vno modo ex hoc, quod causa est pars intrinsecè constitutiua causati, & hoc modo maior illa assumpta non est vera, alio modo generalius ex hoc, quod causa vnitur alicui, cum quo constituit aliquod vnum intrinsecè, & tali modo maior rationis est vera, quomodo minor assumpta sub ea est falsa, vt patet; aliud quoque argumentum contra hoc ibi facit, quod apud eundem Auctorem solutum videre potes; vtrum autem materia sit magis causatiua formæ substantialis, quam accidentalis ait tractasse lib.5. Met. qu.15. satis ergo liquet causalitatem materialem non solùm se ad compositum extendere, sed etiam ad quamlibet formam materialem tam substantialem, quàm accidentalem, vt dixi disp.5. Phys. quæst.4. art.1. & 2. Hic tandem nota manifestam Ferchij contradictionem in suis dictis; hic enim scilicet lib.1. Defens. c.7. nu.54. negat formas contineri in potentia passiua materiæ, quod concedit vestig.1. c.4. in fine, vbi ait possibile esse duplex, possibile transmutabile, quo modo res dicuntur esse in potentia passiua subiecti, & possibile factibile,

le, quo pacto effectus dicitur esse in potentia factiua efficientis; ita ille.

Alia Ferchij ad idem argumenta soluta, ac retorta.

FErchius lib.2.Defens.ca.10.denuò resumit idem probandum, quod scilicet forma non fiat ex materia, nec à materia dependeat in esse, quoniam eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est habitudo, nisi vna vnius rationis; sed forma simplex est vna, & vnius rationis materia simplex, ad quam forma refertur, est vna vnius rationis, igitur forma simplex ad materiam simplicem non habet, nisi habitudinem vnam vnius rationis; atquì habitudo significata per *esse in*, diuersa est à relatione significata per *esse ex*, siquidem anima rationalis, vt vos vultis, fit in materia subiecta, non fit ex ea; sic ex 1. de Anima 65. si visus de oculo senis migraret in oculum iuuenis, fieret in oculo iuuenis, non ex oculo iuuenis, similiter & intellectus migrans de corpore corrupto in corpus de nouo genitum, fit in corpus nouum, non ex corpore; & in hypothesi data 4. Phys. 58. color, vel sonus existentes extra subiectum; si de nouo ab efficiente subiecto varientur fierent in subiecto, non ex subiecto igitur forma, quæ habet ad materiam relationem significatam per *esse in* in 7.Met.26.27. & 4.Phys. 23. non potest habere habitudinem aliam indicatam per *esse ex*, vel *fieri ex*; vt meritò Aristot. dicat formam non fieri ex materia, vt sanus non fit ex homine 7. Metaph. 25. musicum non fit ex homine 1.Phys.58. Conf. quia Aristot. 2.Phys. 28. & 3. Metaph. 2. descripsit causalitatem materiæ in ordine ad compositum, non ad formam, scribens; materia est *ex qua, fit aliquid, cum insit*, & 1. Physic.82. similiter descripsit materiam primam esse *subiectum primum, ex quo inexistente aliquid fit, non secundum accidens, & cum corrumpitur in hoc abibit vltimum*, materia ergo est causa compositi, non formæ; sic in 1. de gener.animal.cap.18.

99 Resp.concedendo totum primum discursum, vt potè fundatum in illa maiori, quæ est maxima quædam Scoti, esto ipsum non citet, quol.12.lit.A. ad minorem subillatam dico, quod habitudo significata per *esse in*, potest sumi dupliciter, vel vt dicit puram, & simplicem receptionem formæ in subiecto, quo pacto etiam anima rationalis dicitur esse in corpore, & fieri in corpore, vel vt dicit etiam sustentationem, idest dependentiam omnimodam formæ à materia in suo esse, fieri, & conseruari, quæ enim ita indigent subiecto, non solum dicuntur recipi in subiecto, sed etiam in ipso inniti, & sustentari; sic etiam habitudo significata per *esse ex*, potest dupliciter spectari; vel vt ly *ex* dicit habitudinem partis, vel vt dicit habitudinem subiecti; nam habere quoque hoc significatum supra ex Aristot. ostensum est num.82.5.Meta.tex.29.& 1.de Gener.animal. cap. 3. si itaque *esse ex* sumatur, vt dicit habitudinem partis vtique est omninò habitudo alia ab *esse in*, quocunque modo sumpto, at si *esse ex* sumatur; vt dicit habitudinem subiecti, quo pacto forma dicitur fieri ex materia, 5.Meta.29. sic illa habitudo coincidit cum *esse in*, secundo modo sumpto, licet adhuc distinguatur ab *esse in* sumpto primo modo, nam anima intellectiua dicitur esse in materia, sed non ex materia, quia est in ea per simplicem receptionem, & informationem, non verò per sustentationem, ac innitentiam, quæ dicit essentialem dependentiam, vnde capiendo *esse in*, & *esse ex* secundo modo ex iam declaratis idem est explicare causalitatem materiæ in formam per *esse in subiecto*, ac per *esse ex subiecto*, quia sic non sunt diuersæ habitudines, sed vna eadem; & in hoc sensu diximus disp.5.Phys.q.4.art.1 & disp. 5. de Gener.quæst.1.art.1.Arist. explicare quidem sæpius causalitatem materiæ in formam siue substantialem, siue accidentalem per habitudinem *in quo*, eam tamen ita explicat, vt omninò coincidat cum habitudine *ex quo*, tanquam ex subiecto, quia nimirum explicat *esse in* per necessariam, ac indispensabilem innitentiam formæ in subiecto, ita quod ab eo pendeat necessariò in suo esse, fieri, & conseruari; verum tamen est frequentius Aristot. explicuisse causalitatem subiecti in ordine ad formam præsertim accidentalem per habitudinem *in*, & non *ex*, vt insinuaret accidens non habere materiam *ex qua* per modum partis, vt compositum, sed tantum materiam *in qua*, vt etiam ait Scot.4.d.12. quæst.1. E. a qua tamen necessariò, ac indispensabiliter pendeat in suo esse, & fieri, quod quidem habetur loc.cit.7.Met.26.27. & 4.Phys.23. non tamen text.58. ad illos verò textus ex 1.Phys.58. & 7.Met.25. toties ab arguente repetitos iam dictum est supra non magis illi fauere, quam nobis, & præsertim secundum. Ad Conf. licet eis in locis 1. Phys.82. & 2.Phys.28. intendat describere causalitatem materiæ præsertim in ordine ad compositum, & non in ordine ad formam, albi tamen descripsit causalitatem eius etiam in ordine ad formam, quandoque quidem per habitudinem *in quo* secundo modo sumptam, & interdum etiam per habitudinem *ex quo*, vel *ex qua*, pariter secundo modo sumptam, vt 5i Met.29.& 1.de Gener.animal.capitul 3. ex dictis supra num.82.

Secundò, arguit auctoritatibus Scoti, nam theor.21.principali concl. 7. *forma*, inquit, *est in omni composito ex partibus materialibus possibilibus manere diuisis, aliud ab illis, nec ex illis*; ibidem vlt.cap.cit.it Scotus 7.Metap. cap.vlt.ergo cum Scoto forma non est ex materia, idque acceptum refert Arist.o.7.Metaph.cap.vlt. Rursus 9.Metaph.quæst.13. tres respectus in materia considerat ad agens, ad compositum, ad formam primum respectum explicat per *in quam* secundum per *ex qua*, tertium per *in qua*, & ad rem scribit, *sed tantum est materia proprium receptiuum formæ, & ideò in qua, non ex qua*. Item quol.2. D. materia inquit, non est per se causa formæ, licet sit materia formæ secundum Auic. & nullo modo videtur aliquid esse hoc per illud, quod non est per se eius causa. Demum quol.9.dit.H. secundum Arist. concedit, quod forma substantialis est independens respectu materiæ, quia esse principij principalis est independens respectu principiati, & respectu principij minus principalis, & ideò dicitur magis ens, tum materia, tum compositi.

100 Resp. ad 1. locum me ingenuè fateri non benè percipere nec verba ablata Doctoris, nec quomodo ex illis deducatur formam ex materia non fieri, nam ea verba sunt adeò confusa, vt neque constructionem grammaticalem colligere possim, nam ly *aliud ab illis*, debet ad cõpositũ referri, quod tamen in ea propositione non ponitur in recto; forma quidè ponitur in recto, sed cũ ea ly *aliud*, cõstrui, nõ potest, si cõstruatur cũ cõposito, verũ est, quod est *aliud ab illis*, sed non debere addi *nec ex illis*, quia verè compositũ est ex illis, nec benè refertur ad formam, seu cum forma constituitur, vt Ferchius velle videtur, vt inde deducat formam ex materia non fieri, quia ly *nec ex illis*, proximè constituitur cum ly *aliud* quod vtique ad formam sine solecismo referri nequit; dum verò Scotus ibid.citat.cap.vltim. Metaph. non eum locum citat, quasi ab Aristot. acceperit ibi formam ex materia non fieri, quia id non docet Aristot. in eo loco, sed voluit innuere eo loci haberi alietatẽ compositi à partibus, quę possunt manere diuisæ, ac dissolutæ destructo composito, quod ibi Arist. probat ex syllaba B A, quæ amplius non manet etiamsi A, & B, maneant dissoluta, vnde B A, aliquid amplius importare videtur præter A & B, qua etiã auctoritate vtitur Doctor 3. dist.2.quæst.2.ad idem probandum nempe alietatem totius à partibus; vnde quantum capio, suspicor Scotum per eam propositionem voluisse ex 7.Metaph. cap. vlt. indicare alietatem totius à partibus, non verò, quod forma non fiat ex materia; quod eo vel maximè dicendum est, ne Doctorem fere in eodem loco faciamus sibi contradictorium, nam daulo supra theor.19.concl. 9. manifestè asserit materiam esse causam formæ, & formam materiæ in diuerso genere causæ ad 2.explicat Doctor ibi causalitatem materiæ in ordine ad formam per habitudinem *in qua*, & non *ex qua*, ne eam confunderet cum causalitate, quam exercet erga compontum, & explicari solet per habitudine *ex qua*, vt ex parte, attamen vt dixi disput.Metaph.quæst.1.art.3.num.34. explicando diuisionem *ex qua*, subdiuidi debet in potentiam purè receptiuam, qualis est potentia materiæ respectu animæ, ac in sustentatiuam, & receptiuam simul, qualem habet respectu aliarum formarum, & hæc potentia *in qua*, coincidit cum potentia *ex qua*, tanquam ex subiecto; immò Doctor in ea quæstione oppositum apertè sentire videtur, nam in argumento allato ab initio quæst. pro parte negatiua probat materiam esse aliquo modo principium respectu formæ, & respectu quarundam, scilicet materialium habere aliam habitudinem, quam receptiuam, quam nos vocamus sustentatiuam, quæ includit receptiuam, vel necessariò supponit, & rationem illam insolutam relinquit, cum tamen in aliis argumenta principalia semper resoluere soleat, tanquam aliquid veri continentem; & rursus in argumento ad oppositum concedit, & approbat communem distinctionem formarum, quod quædam educuntur de potentia materiæ, quædam non, quod nequit intelligere, nisi de eductione superius explicata numer. 94. nam eductionem per inchoationes formarum, & rationes seminales inquit ibi lib. septimo, Metaphysicor. quæst. de rationibus seminalibus fuisse repulsam.

101 Ad 3. locum ex quol.12.lit.D. dico inde potius oppositum deduci, scilicet materiam esse causam formæ, & ad eius esse concurrere, nam habet ib. Doctor hæc verba; *nunc autem quæcunque entitas præcipuè absoluta seipsa primò est in suo esse, quia seipsa primò recedit à non esse ad esse, quia licet multa concurrant ad hunc esse, sicut materia ad esse formæ, & forma ad esse materiæ, & tamen nullum concurrens est sibi prima ratio essendi in suo esse, ergo seipsa primò est hoc &c.* vbi vt vide expresse dicit materiam concurrere ad esse formæ. Quando verò in consequenti dicit, quod materia non est per se causa formæ, intendit, quod non est per se causa, idest causa intrinseca, sicut est causa compositi, alioquin paucis verbis sibi contradiceret, quod autem hic sit intellectus verborum Doctoris ibidem palam constat ex eius discursu, nam ibi ostendere intendit, quod anima, & vniuersaliter nulla forma indiuiduatur per materiam, ve per se principium indiuiduationis eius, vt dicebant Thomistæ, hoc autem sic ostendit, quia principium formale indiuiduationis rei semper esse debet aliquid intrinsecum ipsi, sed materia non est per se causa formæ, idest causa eius intrinseca, sicut est causa compositi, ergo non est principium indiuiduationis est causa intrinseca respectu illius, sed materia non est pars intrinseca respectu illius, sed materia non est pars intrinseca formæ, ergo materia non est principium indiuiduationis eius, & quod talis sit sensus Doctoris ibidem clarè colligitur ex conclusione illiusmet discursus, cum tandem concludit; ergo frustra quæritur ratio singularitatis determinatæ per aliquod extrinsecum, tanquam per principium formale, quomodocunque extrinsecum sit causa aliqua is concomitans, quia semper oportet, quod prima ratio formalis singularitatis signatæ sit per aliquid per se intrinsecum singulari; quibus verbis concedit rursus materiam esse aliquo modo causam formæ, cum ait, *quomodocunque extrinsecum sit causa aliqualis &c.* tamen quia non est causa intrinseca, aut quid intrinsecum formæ, negat posse

posse poni principium indiuiduationis eius; vnde Gadius ibidem ita erigit rationem Doctoris; quidquid est principium indiuiduationis eius, quia omne tale est principium intrinsecum singulari; vnde arguens locum citatum non intellexit, & Doctorem paucis verbis fecit sibi contradictorium, dummodo eius asserto satisfaceret. Ad locum ex quol. 9. iam dixi in eo quolibeto haberi totum oppositum, nedum litt. B. vt dictum est n 83. sed etiam litt. C. vbi ostendit tertiam rationem inibi adductam, ad probandum, quod Angelus nequeat informare materiam, quia non dependet à materia, vt aliæ formæ inferiores, ostendit (inquam) non concludere, quia dici posset, quod Angelus potest quidem esse sine materia etiam perfectiori modo, quã anima intellectiua, sed tamen potest esse in materia, quia licet dependere à materia sit imperfectionis, non tamen est euidens, quod posse communicare actualitatem suam materiæ sit imperfectionis, & præcipuè quando talis communicatio potest esse sine dependentia; quibus verbis significat Doctor omnes formas inferiores, excepta anima intellectiua, communicari materiæ cum dependentia ab ea, vt ibi notat Gadius, vnde deducit, quod formæ communicantes esse materiæ sunt in duplici differentia, quædam cum dependentia ad materiam, vt forma sensitiua, & corporeitatis, quædam sine dependentia à materia, vt anima intellectiua; Vnde cum inferius litt. H. §. *de tertio principali*, soluendo primum illud argumentum, quod forma est magis ens, quam compositum, ait hoc non debere intelligi, quod sit prius, & maius secundum perfectionem, sed secundum principalitatem, & independentiam, quia esse principij principalioris, scilicet formæ est independens respectu principiati, & respectu principij minus principalis, scilicet materiæ, Gadius ait hoc non debere intelligi de independentia absolutè sumpta, & in quocunque genere causæ, alioquin Doctor sibi manifestè contradiceret, sed de independentia in genere causæ finalis, quia in hoc genere causæ, quod est nobilius cæteris, forma non dependet à materia, sed è contra, quia 2. Phys. 23. materia est propter formam, non autem è contra; ex hoc autem velle deducere omnem independentiam absolutè est fallacia consequentis à secundum quid ad simpliciter.

Tertiò arguit eodem cap. dato etiam formam ex materia fieri (quod tamen nunquam probatum est) adhuc non benè infertur, non fieri ex nihilo, quia non quæcunque habitudo significata per *fieri ex*, excludit factionem ex nihilo, sed habitudo significata per modum partis; vnde postea cap. sequenti nempe 11. in fine denuò sic repetit idem argumentum, quod ex nulla parte præsuppositi sui fit, ex nihilo fit, & secundum inchoatores creatur, sed forma fit ex nulla sui præsuppositi parte, ergo fit ex nihilo, & secundum dictos creatur; & addit argumentum esse insolubile, nisi ad placitum nostrum mutemus significatum terminorum, & per solutionem vocalem euitare velimus difficultatem realem, sed ineuitabilem; & quia vidit statim nos maiorem negatiuos cum Scoto 2. d. 18. q. vn. & 4. d. 1. quæst. 1. Pp. & 7. Metaph. quæst. 12. tanquam insufficientem, quia ad factionem ex nihilo requiritur etiam negatio subiecti præsuppositi, illicò subdit, quam ob rem qua facilitate placitum vestrum affirmatis ad factionem ex nihilo requiri negationem subiecti præsuppositi, eadem facilitate à nobis negatur id requiri, probate, non petite; & deinde cap. sequenti, scilicet nu. 74. & 75. idem Scoto improperat, quod vtique locis citatis id asseruerit, at nunquam probauerit, sed principium petierit; & quod licet id asserat, non esse tantæ auctoritatis, vt negari non possit, quia Scotus non est oraculum Dei, vt ei contradicere non liceat, & quod afferre auctoritatem Scoti contra Scoti aduersarios (inter quos se quoque esse profitetur sic instando) est petere principium; vos non recipitis Aquinatem, nos non recipimus Scotum; ita ille animo lubenti.

102 Resp. an sufficienter probatum si formam fieri ex materia tum ex Aristot. tum ex ratione satis constat ex dictis; quantum verò spectat ad illud argumentum insolubile, doleo in primis, quod in eo conficiendo assertores inchoationum vocet *inchoatores*, cum toties in toto suo lib. Defens. nos acriter redarguat, quod hoc nomine eos appellauerimus, quod est nomen iniuriosum, & conuitiosum; repetam, quod sæpè dixi, omnia sibi licent, nihil nobis; doleo insuper, quod nec D. Thomas cum tota sua florentissima schola, nec Scotus cum tota sua subtilissima negantes factionem formarum ex nihilo, & earundem inchoationes, totis conatibus suis argumentum illud soluere valuerint, nisi vocaliter, & terminos peruertendo, doleo Scoto impingi, quod dixerit, at nunquam probauerit, ad factionem ex nihilo, seu creationem non sufficere negationem partis præsuppositæ, sed etiam requiri negationem subiecti præsuppositi, cum loc. cit. id strenuè probauerit, & præsertim in 4. d. 1. quæst. 1. cum ostendit agens naturale, seu creatum ideò creare non posse; nec aliquid ex nihilo producere, quia in quacunque actione sua subiectum præsupponit, ex qua experientia, & necessitate, vnanimi consensu deduxere sapientiores tum Philosophorum, tum Theologorum agens naturale non posse creare, nec aliquid ex nihilo producere, imò & SS. Patres superius citati; doleo tandem, quod Ferchius Franciscani instituti dicat, quod contra ipsum adducere Scoti auctoritatem sit petere principium, & quod Franciscano dicere liceat, vos non recipitis Aquinatem, nos non recipimus Scotum, quamuis enim Dominicano id liceat, Franciscano nequaquam, nisi rebelli, & transfugæ; ac præsertim in materia, de qua loquimur, in qua nec Franciscanus negaret Aquinatem, nec Scotum Dominicanus. Sed dum Scoto, & nobis petitionem principij improperat, incidit in foueam, quam fecit, nam ipse arguit insolubiliter, & assumit maiorem *quod ex nulla parte præsuppositi sui fit ex nihilo sit*; adducit nostram responsionem per interemptionem maioris, tanquam insufficientis, quia ad factionem ex nihilo vlterius requiritur negatio subiecti præsuppositi; & quando maior negata erat illi probanda, dicit nobis *probate, non petite*; recordare Ferchi; quod modo tu es arguens, nos sumus respondentes, & negamus maiorem, tibi ergo incumbit probare, ne petas, non autem nobis; probes ergo, nec petas, ne in errorem incidas nobis exprobratum.

Probauit tamen aliquando maiorem illam assumptam nempe vestig. 1. cap. 14. nu. 43. quia si subiectum præsupponi est causa tollens factionem ex nihilo; ergo subiectum non præsupponi est causa factionis ex nihilo; quare si anima præexisteret ante corpus, homo de nouo factus ex parte præexistente esset factus de nihilo; quod argumentum pluries repetit postea in sua Defensione inchoando statim lib. 1. cap. 1. nu. 8. Cui tamen paucis verbis responsum est iamdudum disputat. 5. de gener. quæst. 1. art. 1. nu. 16. negando consequentiam, quia modus ille arguendi valet tantum in causis præcisis, modo licet subiectum præsupponi sit causa sufficienter tollens factionem ex nihilo, non tamen est causa præcisa, & adæquata. Ferchius videns hoc ferè vnico verbo argumentum solutum, lib. 2. Defens. cap. 12. illud nititur roborare, ac solutionem infringere, quia duæ sunt propositiones, inquit, in quibus argumentum fundatur, prima *quod per se inest semper inest*, nam quod per se est, est de omni, atque adeò inest omni subiecto, & omni tempore; secunda *quod affirmat affirmatio, hoc negat negatio*, nam in contradictorijs idem prædicatum respectu eiusdem subiecti affirmatur, & negatur; tunc si consideremus factionem ex aliquo, & ex nihilo aliquid, & nihil sunt contradictoria, ergo eadem habitudo affirmatur in factione ex aliquo, quæ negatur in factione ex nihilo per secundam propositionem; si igitur in factione ex nihilo intelligeretur negari subiectum præsuppositum, & per præsentiam subiecti præsuppositi inferri negationem factionis ex nihilo; ergo in factione ex aliquo oportebit affirmare subiectum præsuppositum per se, sicut in factione ex nihilo per se negatur; at falsum est istud, quoniam si anima præexisteret ante corpus, homo de nouo factus ex parte præexistente, esset factus de nihilo, quod est absurdum; quia verò quod per se inest, semper inest, sed in ista factione de aliquo non inest affirmatio subiecti præsuppositi, ergo hæc affirmatio subiecti præsuppositi per accidens se habet ad factionem ex aliquo, & vt sic non requiritur; quare & negatio subiecti præsuppositi per accidens se habet ad factionem ex nihilo, atque illam non aufert.

Deinde arguit vlterius ex doctrina tradita ab Arist. 1. Poster. 99. de causa præcisa, seu proxima, nam talis causa affirmata affirmat, & negata negat; seu causa remota aliter se habet, nam facit demonstrationem negatiuam, itaut de effectu prædicetur causa remota, de subiecto negetur, pro suppositio facto sic arguit; omne tollens factionem ex nihilo est subiectum præsuppositum, in factione hominis ex forma sola præexistente non est subiectum præsuppositum, igitur in factione ex hominis ex forma sola præexistente non est quid tollens factionem ex nihilo, quare homo sic factus, erit factus ex nihilo, quod est absurdum; falsa est itaque conclusio, ergo aliqua præmissarum, non minor, ergo maior, quod subiectum præsuppositum sit causa tollens factionem ex nihilo. Tandem concludit, quod sicut in factione ex aliquo ratio partis per se requiritur, & semper adest, ratio subiecti præsuppositi non per se requiritur, quia non semper adest, sed per accidens prorsus est, vt vna pars tanquam subiectum aliam recipiat; ita in factione ex nihilo per se negetur ratio partis, omnino per accidens est, si negatur ratio subiecti, cum ratio subiecti præsuppositi nec sit causa per se remota, nec propinqua; quia ergo demonstratur agit de his, quæ sunt per se, sophista de his, quæ sunt per accidens, ista habitudo subiecti præsuppositi in factione ex aliquo, vel ex nihilo dimittenda est.

103 Resp. in multis similibus fallaciam horum argumentorum deprehendi posse, ac retorqueri, loquentes Formalistæ de identitate, & distinctione reali dicunt illa esse eadem realiter, quæ nec sunt separata, nec separabilia, nec se habent vt producens, & productum, & dicunt istas omnes particulas esse copulatiuè accipiendas, vnde non valet consequentia, hoc non est separatum ab illo, ergo est idem realiter cum illo, quia materia, & forma in composito non sunt separata, & tamen non sunt realiter idem, illa verò dicunt esse realiter distincta, quod vel sunt actu separata, vel possunt separari, vel saltim se habent, vt causa, & causatum, producens, & productum, voluntque has particulas sumi disiunctiuè, quia ad inferendam distinctionem realem sufficit habere aliquam istarum conditionum, quia quælibet istarum est sufficiens causa realis distinctionis, non tamen præcisa, & adæquata; sic etiam ad constituendam v.g. personam duplex requiritur negatio dependentiæ ad alienum suppositum, vna actualis, & alia aptitudinalis, vt docet Scot. 3. d. 1. q. 1. & vna sine alia non sufficit; non sufficit negatio sola dependentiæ actualis, quia tunc anima separata esset persona, cum actu non dependeat; non sufficit negatio sola dependentiæ aptitudinalis, quia hanc habet humanitas à Verbo assumpta, quæ tamen non est persona, ad auferendam verò personalitatem sufficit defectus alterius negationis tantum, vt patet in exemplis allatis, nec vtraque necessario deficere debet, nec hæc,

nec

nec illa determinatè, sed sufficit, quod altera illarum deficiat indeterminatè, vnde si natura dependeat actualiter, & non aptitudinaliter, non est persona, si dependeat aptitudinaliter, & non actualiter, adhuc non est persona; sic igitur in proposito ad rationem creationis, vel factionis ex nihilo requiritur negatio duplex simul; & semel negatio, scilicet partis præexistentis, ac etiam subiecti præiacentis, & vna sine altera non sufficit, ad factionem ex nihilo constituendam, nam si pars præexistat, & non subiectum, vt v.g. forma, & non materia, vt si anima præexisteret ante corpus, homo ex ea productus non dicitur de nihilo factus; si præexistit subiectum formæ faciendæ, & non aliqua eius pars, adhuc non dicitur fieri ex nihilo; sed ex aliquo, & sic ad ponendam creationem duplex illa negatio requiritur simul, ad eam verò tollendam sufficit defectus alterius negationis, nempe vel præexistentia partis, vel subiecti disiunctiuè, & vna vel altera est sufficiens causa ad tollendam creationem; licet non precisa, & adequata. Sicut ergo in exemplo allato de identitate, & distinctione non valet primum argumentum factum sic arguendo, si ad identitatem realem requiritur negatio separationis, & per positionem separationis infertur negatio identitatis realis, seu realis distinctio; ergo ad distinctionem realem oportet affirmare actualem separationem per se, sicut in identitate per se negatur, quod tamen falsum est, quia si duo non sunt actu separata, possunt adhuc esse realiter distincta, quia sufficit, quod sint separabilia: sic pariter idem argumentum non valebit in proposito de factione ex nihilo, & factione ex aliquo; & sicut in argumento facto de identitate, & distinctione fallacia in hoc consistit, quod positio separationis, & separabilitatis ponitur esse necessaria simul, & coniunctiuè ad distinctionem, sicut negatio separationis, & separabilitatis est simul necessaria, & coniunctiuè ad identitatem; ita quoque fallacia in argumento facto in proposito de factione ex nihilo, & ex aliquo in hoc consistit, quod positio subiecti ita ponitur esse necessaria ad factionem ex aliquo, sicut negatio eius est necessaria ad factionem ex nihilo, quod falsum est, quia ad factionem ex nihilo vtraque negatio est necessaria tam partis præexistentis, quàm subiecti, at ad factionem ex aliquo sufficit defectus tantum alterius negationis, nempe vel positio partis præexistentis, vel subiecti.

104 Quando verò subditur in eodem argumento; quod per se inest semper inest, sed in ista factione de aliquo nempe hominis ex anima præexistente, non inest affirmatio subiecti præsuppositi: ergo &c. dico hanc rursus instantiam retundi in exemplo allato de identitate, & distinctione sic arguendo, quod per se inest semper inest, sed in distinctione non est necessaria actualis separatio distinctorum, ergo hęc affirmatio separationis per accidens se habet ad distinctionem, quare & negatio eius per accidens se habet ad identitatem, atq. illam non aufert; patet autem quod hæc instantia non benè procedit arguendo à distinctione ad identitatem, quia licet affirmatio separationis non sit necessaria ad realem distinctionem, quia sufficit sola separabilitas, tamen ad identitatem necessaria est negatio separationis, quoniam in identitate omnes illæ particulæ copulatiuè sumuntur; sic pariter in proposito, non valet arguere à factione de aliquo ad factionem de nihilo, itaut sicut ad factionem de aliquo non est necessaria affirmatio subiecti præsuppositi, sic pariter ad factionem de nihilo necessaria non sit opposita negatio, quia duæ illæ negationes sunt necessariæ simul ad factionem ex nihilo, at ad factionem ex aliquo sufficit positio, seu præexistentia partis, vel subiecti. Neque quia sub disiunctione tantum est necessaria præexistentia partis, vel subiecti, ritè deducitur positionem subiecti se habere omnino per accidens ad factionem ex aliquo, & consequenter esse impertinens ad illam, nam hic calor v.g. ita in manu per se producitur ab igne, vt idem numero disiunctim potuerit quoque à Sole produci, tanquam à per se causa, quia ad rationem per se causæ sufficit, vt secundum propriam naturam directè influat in effectum, & non per aliquod sibi accidens, & indirectè, sicut musicus dicitur ædificare ex Scot. 1. distinct. 2. qu. 2. I. nec est de essentia effectus causæ per se, vt secundum suam entitatem non possit procedere ab alia causa per se, vt dictum est disput. 8. qu. 3. artic. 1. nam idem numero effectus potest à pluribus causis per se produci disiunctim. Et tandem, cum dicitur; quod per se inest, semper inest, nam quod per se est, est de omni, atque ideò inest omni subiecto, & omni tempore, hoc tantum infert negationem subiecti præsuppositi debere inesse cuicumque factioni ex nihilo, quia ad eam per se pertinet in primo modo, non autem oppositam affirmationem inesse debere omni factioni ex aliquo, quia non eodem modo concurrit negatio subiecti præsuppositi ad factionem ex nihilo constituendam; & opposita affirmatio ad factionem ex aliquo, vt explicatum est.

Ad aliud argumentum deductum ex Aristot. 1. Post. 99. de causa præcisa, dico posse pariter retorqueri in exemplis allatis sic arguendo, omne tollens identitatem est actualis separatio, sed inter formam informantem, & materiam informatam non est actualis separatio ergo inter materiam, & formam sic sumptas non est quid tollens identitatem, hæc conclusio est falsa, non minor, ergo maior, & meritò quidem, quia licet actualis separatio sit sufficiens causa, vel signum realis distinctionis, non tamen precisa, & adequata, quia ista secluſa ab alijs adhuc causis haberi potest inter aliqua duo realis distinctio; sic igitur in proposito de factione ex aliquo, & nihilo est falsa maior, non quidem in eo sensu, quo deducitur ab arguente, quod subiectum præsuppositum sit causa tollens factionem ex nihilo, sic enim absolutè, ac indefinitè sumpta vtique vera est, sed est falsa eo modo quo assumitur in ipso argumento cum signo scilicet vniuersali, *omne tollens factionem ex nihilo est subiectum præsuppositum*, quia factio ex nihilo præcisè, & adæquatè non tollitur per subiectum præsuppositũ, vt significat illa maior, sed aut per subiectum præsuppositum, aut partem præsuppositam, ratione primi forma materialis non dicitur creari, aut ex nihilo fieri, ratione secundi compositum; vnde nota aliam fallaciam ab arguente inductam ad decipiendum, nam arguendo maiorem profert vniuersalem hoc modo *omne tollens factionem ex nihilo est subiectum præsuppositum*; dum verò post totum discursum primum subinfert; falsa est itaque conclusio, minor est vera, ergo falsa maior, quod *subiectum præsuppositum sit causa tollens factionem ex nihilo*, iam vides quod hæc non fuit maior assumpta, quia maior assumpta erat vniuersalis, in primo discursu & in secundo ponitur indefinita, vel absolutè sumpta, quo sensu est vera; quia ergo tot fallaciæ in his duobus argumentis sunt inuolutæ, fuit necessaria aliqualis prolixitas ad eas detegendas. Hoc idem argumentum ibi vrget, vt magis conuincens contra quosdam dicentes creationem esse productionem ex nihilo, vt ly *nihil*, præcisè excludit materiam, & subiectum, inter quos enumerat Bassol. 2. dist. 1. quæst. 2. Concedo contra istos argumentum vrgere, quia si negatio subiecti præcisè ponit creationẽ, positio quoque subiecti præcisè ponet factionem ex aliquo. Sed falsò citatur Bassol. inter istos, nam 2. d. 18. q. vn. ar. 2. §. *nota hic*, & §. *& ita dico*, dicit expresse creationẽ tolli, vel quia aliquid fit ex aliquo, tãquam ex parte, vt compositum, vel tanquam ex subiecto, vt forma materialis, & concludit quod vterque modus creationem excludit. Et loc. cit. ab ipso Ferchio 2. d. 1. q. 2. ar. 1. nihil tale habet, solum dicit, quod creatio est *productio alicuius non de aliquo*, non specificando, num ly *de*, dicat habitudinem partis, vel subiecti, sed immediatè post videtur innuere, quod dicat vtramque dum inquit, & sic puto, quod eam concesserunt omnes Philosophi, nam Plato, Arist. & Auicen. posuerunt entia simplicia, & incorruptibilia esse à Deo effectiuè, non de aliquo, sicut de materia, vel subiecto, vel aliqua natura præiacente, per quam vltimam particulam innuit habitudinem partis.

105 Quartò tandem eodem c. 10. lib. 2. vrget quod suum solet appellare fundamentum, secundum Aristot. in lib. de Xenophane, & de Zenone, *aliquid fit ex nihilo*, hoc dictum verificandum est vel in simplicibus, vel in compositis, non in compositis, quoniam composita fiunt ex aliqua parte sui præsuppositа per 7. Metaphys. 23. & 24. si ergo compositum fit ex aliqua parte sui, non fit ex nihilo sui, & licet fiat ex priuatione, tamen priuatio non est nihil, quia est negatio tantum partis formalis, nihil verò dicit negationem cuiuscunque partis; restat ergo, vt simplicia fiant ex nihilo, materia non est talis, cum in toto decursu vniuersi nec fiat, nec corrumpatur 1. Phys. 82. ergo dictum Aristot. saltim verificandum est in forma, vt ipsa forma fiat ex nihilo, quod quidem argumentum in decursu primi, & secundi lib. Defens. frequentissimè repetat, ac refricat.

Resp. si liber ille genuinus est Arist. adhuc ex eius ibi dictis non ritè deduci formas fieri ex nihilo etiam ipso Ferchio teste, nam ipso relatore vestig. 1. cap. 5. postquam negauit dictum illud, *ex nihilo nihil fit*, esse vniuersaliter verum, volens aliqua esse ex nihilo facta, explicans quænam sint ista ex nihilo facta; habet hæc verba, *nam de his ipsis admodum dicitur, & fieri ea, quæ non sunt & non multa facta fuisse ex ijs, quæ non sunt*; quæ verba ita exponit Ferchius ibidem, quid est non multa? quia composita omnia, quæ in dies fiunt, fiunt ex ijs, quæ sunt, & insunt, at quæ facta sunt ex ijs, quæ non sunt, multa non sunt, scilicet entia prima, vt materia, & immateriales substantiæ. Quod si formas multas obieceris, memento illas propriè non fieri, multas quoque intensibiles ex aliquo sui fieri, multas non terminare actiones, vt quæ in ad aliquid sunt, sic actionem, & passionem; hæc ibi Ferchius, quibus in primis fatetur ea quæ dixit Aristot. libr. allegato esse facta ex nihilo non esse multa, sed pauca, scilicet entia prima, vt materiam, & immateriales substantias, & quia poterat quis obijcere etiam omnes formas eam substantiales, quam accidentales ex nihilo fieri, & ideò quæ ex nihilo fiunt non esse parua, sed multa; obiectionem excludit dicendo formas propriè non fieri, & multas fieri ex aliquo sui; itaque in eo capite Ferchius apertissimè fatetur ex eo Aristotel. dicto, quod *aliquid fit ex nihilo*, in libr. prælegato colligi tantùm materiam primam, & intelligentias immateriales, non autem formas fieri ex nihilo; quæ cum ita se habeant, vt est videre vestig. 1. cap. 5. non video, quomodo posteà dicere potuerit formarum factionem ex nihilo fundari in illo Aristot. dicto, cum ipse exponat cap. præcit. dictum illud ad formas non extendi, quia tunc facta ex nihilo multa essent, non pauca, contra expressa Arist. verba dicentis *non multa facta fuisse ex his, quæ non sunt*; sanè si Ferchius aliud fundamentum non iecit pro sua factione formarum ex nihilo præter illam Arist. auctoritatem, sua factio ex nihilo est fundata in nihilo, quia Arist. ibi hoc non intendit, imo oppositum ex ipsa Ferchij expositione relata.

106 Aliam quoque solutionem dedi ad hanc auctoritatem disp. 5. de gener. qu. 1. art. 1. num. 16. quod nempe rectè dixerit Arist. eam propositionem *ex nihilo nihil fit*, non esse adeò vniuersaliter veram, vt ab Antiquis proferebatur, quia ex nihilo fit aliquid tanquam ex termino à quo, & re vera priuatio est vnum ex tribus principijs rerum naturalium, vt latè ostendi 1. Phys. contra antiquos, & ideò meritò

tò dixit non esse vniuersaliter veram, quia in hoc sensu est falsa; Sed contra hanc solutionem, & doctrinam vehementer inuehitur Ferchius lib. 2. cap. 15. & 16. nosque redarguit, quod confuderimus nihil cum priuatione, quia nec Arist. nec aliquis ex peripateticis antiquis, quod sciam dixit vnquam priuationem esse nihil; conqueritur etiam quod confunderimus factionem ex priuatione, & ex nihilo, quod dixerimus composita fieri ex nihilo, quia fiunt ex priuatione in quo non solùm contra Arist. loquimur, sed nobismetipsis contradicimus, hæc nobis in præfatis capitibus 15. & 16. improperat, quæ etiam suprà obiecerat eodem lib. cap. 3. eadem ferè vtrobique repetendo; Iam supra dixi ab initio huius articuli num. 71. me nolle cum Ferchio disputare de nihilo, sed de aliquo meque molestissimè induci ad quæstiones de nomine, & præsertim eorum nominum, quæ varias possunt habere significationes, vt in proposito est hoc nomen *nihil* cum enim ens, & nihil contradictoriè opponantur, & quot modis dicitur vnum oppositorum, totidem dicatur, & reliquum, quot modis aliquid dici potest ens, totidem poterit dici nihil, vt refert ipsemet Ferchius ex Scoto quol. 3. vestig. 1. cap. 18. num. 61. sicut autem proprium, & præcipuum entis significatum est, quod habet, vel habere potest esse extra animam, ac in rerum natura, ita propriè nihil appellatur id, quod non habet, nec habere potest esse extra animam, idest non potest habere veram essentiam, & existentiam, & ita se habent omnes negationes entis realis, quæ si fuerint in aliquo subiecto dicuntur negationes in genere, si extra subiectum, dicuntur negationes extra genus ex eodem Scoto 1. d. 23. qu. vn. H. vnde communiter dici solet negationem extrà genus esse terminum à quo creationis, & ad quem annihilationis, quia negat tam partem, quàm subiectum rei faciendæ; & negationem in genere esse terminum à quo generationis, & ad quem corruptionis, quia negat tantum partem formalem rei faciendæ; non verò negat subiectum, imò illud supponit, tanquam id in quo fundatur, & si fuerit aptum ad formam negatam recipiendam, negatio illa in genere dicitur priuatio ex dictis in Physica.

107 Quamuis, inquam, ab initio articuli ab hac quæstione de puro nomine decreuerim abstinere, de nihilo disputarem, sed de re aliqua quia tamen de hoc tot Ferchius loc. cit. excitat rumores, vt mihi penitus aures obtundat, quasi sit hæresis in Philosophia appellare priuationem nihil, & dicere in eo sensu res fieri de nihilo, quatenus fiunt ex sui priuatione; hic breuiter probare intendo vtrumque bene dici & secundum Arist. & secundum veritatem, & quod ita loquantur probati Auctores passim, primò quidem secundum veritatem, quia ens & nihil contradicunt, vt apud omnes est in confesso, cum ergo priuatio non sit ens reale, erit nihil; tùm quia nihil, & non aliquid apud Logicum æquipollent, priuatio non est aliquod, seu est non aliquid, ergo nihil; tum quia non ens, & nihil æquipollent, sicut nihil, & non aliquid, sed priuatio est per se non ens 1. Phys. 75. ergo per se nihil, tum tandem quia nihil in proprio significato, vt concedit Ferch. cit. dicitur illud, quod non habet, nec habere potest esse extra animam, idest nec veram essentiam, nec veram existentiam; sed priuatio est huiusmodi, cum sit per se non ens, ideoque excludat à se omninò rationem entis realis; ergo verè, & propriè est nihil; Ex hoc deduco, quod si priuatio potest dici nihil, possunt quoque res naturales dici fieri ex nihilo in hoc sensu, quatenus fiunt priuatione, tanquam ex termino à quo non re vera res quælibet naturalis dicitur, fieri ex sui priuatione, & priuatio dicitur tertium principium rerum naturalium; si ergo priuatio nihil est aliquid in hoc sensu dicitur fieri de nihilo, verum tamen est id non absolutè proferri, quia si id absolutè diceretur significaretur compositum fieri ex nulla sui præsupposita parte, tamen cum specificatione prædicta potest dici; & sic de facto loquuntur probatissimi Auctores 1. Phys. q. illa, an priuatio sit aliqua entitas positiua, & an sit principium rerum naturalium in fieri, nam in decisione primi quæsiti dicunt priuationem esse formaliter non ens esse nihil, & solum materialiter, & connotatiuè esse aliquid, & in resolutione secundi dicunt, quod licèt non ens, & nihil nequeat esse principium rerum naturalium in facto esse benè tamen in fieri, videantur Canon. 1. Phys. qu. 10. Ant. And. de tribus principijs qu. penult. & alij tractantes has quæst. libr. 1. Phys. qui ita loquuntur; vide etiam Ant. And. 7. Met. qu. 11. ad primum princip. vbi priuationem appellat nihil formaliter, & ait generationem esse productionem ex nihilo, si ex dicat habitudinem termini, quia est ex priuatione, quæ nihil est.

108 Quod verò neq. hic modus sit ab Arist. alienus colligitur ex ipso Ferchio vestig. 1. cap. 4. vbi ex duplici limitatione ab Arist. facta illius dicti *ex nihilo nihil fit*, ostendi quomodo de eius mente sit vera, & quomodo falsa prima limitatio habetur (ait Ferchius) 1. Phys. à 73. ad 77. vndè tex. 75. scribit *nos autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundum accidens, ex priuatione enim, quæ est per se non ens, non ex eo quod ineste, fit* quibus verbis docet aliquid fieri ex non ente, scilicet priuatione per accidens, quia non remanet in re facta, non per se; si ergo per hoc dictum Arist. limitat illam propositionem *ex nihilo nihil fit*, & declarat in quo sensu sit vera, & in quo falsa, ergo per non ens, quod est priuatio idem intelligit, quod nihil, alioquin hæc nonesset limitatio, aut declaratio illius propositionis *ex nihilo nihil fit*. Et rursus notandum est hic modus loquendi Arist. siquidè cum ait tex. 75. ex non ente, quod priuatio fieri aliquid per accidens, vtitur eadem formula loquendi, quam adhibuerat supra tex. 33. & 34. referendo eam propositionem de mente Antiquorum, ibi autem ita loquitur *videtur autem Anaxagoras sic infinita opinari, quoniam putabat communem opinionem Physicorum esse veram quod nihil fit ex eo, quod non est* & statim tex. 34. *si enim omne quod fit necesse est fieri aut ex ijs quæ sunt; aut ex his, quæ non sunt, horum autem id, quod est, ex ijs, quæ non sunt, fieri impossibile est, de hac enim conueniunt opinione omnes, qui de natura* sicut ergo tex. 33. & 34. per *nihil fieri ex eo, quod non est*, intelligit de mente antiquorum *ex nihilo fieri*, absolutè loquendo, sic pariter infertius tex. 75. volendo limitare, & declarare illam propositionem quo sensu sit vera, & quo falsa, illis verbis *nos autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, vt secundum accidens* opus est vt per ea verba aliquid *fieri ex eo, quod non est secundum accidens* per ly *quod non est* intelligat *nihil*, sicut intelligebatur supra tex. 33. & 34. atque ita verificetur ex nihilo fieri aliquid, non quidem per se, sed per accidens; ergo in Arist. idiomate priuatio dici potest nihil, & ex nihilo aliquid fieri, tanquam ex termino à quo intelligendo per nihil priuationem ipsam. Conf. quia *id quod non est* apud Arist. tam sonat *nihil* absolutè dictum, vt tex. 33. & 34. quam ipsam priuationem vt text. 75. ergo in lingua Arist. priuatio potest dici nihil, & cum tex. 75. dicat ex eo quod non est fieri posse aliquid per accidens perindè est, ac si dixisset ex nihilo quod est priuatio, aliquid per accidens fieri posse.

109 Accedit, vt supra notatum est ab initio articuli num. 69. Ferchium eodem cap. 4. sub num. 10. expresè id totum concedere, cum colligens dicta responsionis ad quoddam dubium incidens inquit, *aliquid per accidens fit ex non ente vel secundum partem vel secundum totum concedo, quia ipsum nihil non inest facto; aliquid per se fit ex non ente. nego quia ipsum nihil non inest facto*, supra autem immediatè declarauerat ipse, quod fit ex non ente secundum partem esse compositum, quia materia præexistit, vnde non ens quod est terminus à quo factionis eius, non negat omnes partes entis facti, sed aliquam tantùm, quod autem fit ex non ente secundum totum esse formam, quia quando fit forma, fit tota de nouo, & non ens, quod est eius terminus à quo, negat omnes partes entis facti; cum ergo concedit aliquid fieri ex non ente vel secundum partem, vel secundum totum per accidens, quia ipsum nihil non inest facto, sanè per nihil intelligit terminum à quo factionis ex non ente tam secundum partem, quam secundum totum, factio autem ex non ente secundum partem est factio compositi, & sic à primo ad vltimum terminum, à quo factionis compositi appellat nihil, & declarat compositum fieri ex nihilo per accidens quia ipsum nihil non inest facto secundum partem, qua etiam ratione forma dicitur fieri ex nihilo per accidens, quia ipsum nihil non inest facto secundum rem. Sed quia Ferchius vidit his suis verbis manifestè appellasse priuationem *nihil*, & sic concessisse aliquid fieri ex nihilo per accidens, quatenus fit ex priuatione, nosque fundatè, & candidè hoc totum ex suis relatis verbis deduxisse, lib. 2. cap. 3. in fine num 20. hæc eadem verba rescribit ex vestig. 1. num. 10. quæ hic rescribo (inquit) vt cognoscat Lector meos Offensores hæc vidisse, sed fraudulenter omisisse, sic autem rescribit, *Colligo dicta, aliquid per accidens fit ex non ente vel secundum partem, vel secundum totum, concedo, quia ipsum non ens non inest facto*, confer hæc verba cum his quæ habet vestig. 1. numer. 10. & videbis verbum *nihil*, ibi positum, hic fraudulenter transmutatum in *non ens*, ne conuincatur appellasse priuationem *nihil*, & concessisse aliquid fieri ex nihilo per accidens, quatenus fit ex priuatione, hinc poterit iudicare Lector quis nostrum verba fraudulenter omiserit, vel transmutauerit; falso itaque & calumniosè causatur fuisse illi fraudulenter impositum, quod vestig. 1. illo cap. 4. priuationem appellauerit nihil, concesseritque totum fieri per accidens ex nihilo, quatenus fit ex priuatione, quæ est non ens, & nihil, tanquam ex termino à quo, & per modum abiectionis, nam apertè ibi ita loquitur, vt constat ex allato discursu & potius fraudulentia in ipsum recidit sua verba negantem, & transmutantem. Demum etiam ratione cogi potest, vt hoc fateri debeat, cum enim album fit ex non albo per album intelligendo formam, & per non album negationem albedinis, vtique hæc negatio albedinis apud ipsum potest dici nihil, quia negat omnes partes entis facti, vel factibilis, & de facto ipsam appellat nihil, ideò dicit formam fieri ex nihilo, tunc quæro, an talis negatio albedinis, vnde fit album, sicut ex termino à quo, sit in subiecto albedinis capaci, vel non, hoc secundum dici non potest, quia illi negationi succedit albedo in eodem subiecto, si verò est in subiecto capaci, ergo erit negatio priuatio, nam priuatio est negatio in subiecto apto; & sic priuatio est nihil, cum talis negatio sit nihil secundum Ferchium, & cum ex hac eadem priuatione fiat compositum, quia non ex diuersa priuatione fit forma, atque compositum, ipsum quoque in hoc sensu dici poterit fieri ex nihilo.

110 At instat Ferch. cap. 15. nos aperte loqui contra Arist. dum priuationē nihil appellamus, & quod fieri ex nihilo sit fieri ex priuatione, nam volēs Arist. lib. cit. de Xenophane ostendere falsitatē illius dicti *ex nihilo nihil fit*, probat auctoritate Hesiodi concedentis aliqua ex nihilo facta fuisse carminibus. *Primum ante omne aliud (inquit) Chaos existit, inde patenti. Pectore cunctorū sedes firmissima tellus. Atque Auctor his cunctis specie immortalibus auxit. Ex quibus alia ait genita*

fuisse

fuisse, ipsa autem ex nihilo: hinc Arist. facit duo membra, vel ordines factorum, in vno ponit prima ex nihilo genita, nempè Chaos seu materiam primam, & primum Deorum immortalium genitorum Amorem, in secundo membro, vel ordine ponit omnia alia corpora genita ex primis; in hoc secundo membro ponit factionem ex aliquo præexistente; & per consequens ex priuatione præexistente in subiecto, ergo secundum Aristotel. fieri ex nihilo non est fieri ex priuatione.

Resp. hoc argumentum facilè retorqueri in arguentem, volentem formas fieri ex nihilo, nam dum album fit ex non albo, vel fit ex priuatione præexistente in subiecto, vel non; hoc secundum asseri nequit, vt iam probatum est, quia illa negatio est in subiecto; non autem extra subiectum, vel ergo dando primum est concedendum priuationem esse nihil, vt forma, scilicet albedo dicatur fieri ex nihilo, vel formæ non fiunt ex nihilo, quod ipse negat; ad argumentum dicendum, nos asserere priuationem dici posse *nihil*, non tamen *nihil* priuationem, quia *nihil*, latius se habet, quam priuatio, quia sub se comprehendit tam negationem in genere, quam extra genus, vnde omnis priuatio est nihil, sed non è contra, & sic consequenter dicimus fieri ex priuatione esse fieri ex nihilo, quia ab inferiori ad superius affirmatiuè tenet, non tamen fieri ex nihilo, esse fieri ex priuatione, quia à superiori ad inferius non tenet affirmatiuè, neque dicimus quod apud Arist. fieri ex nihilo sit semper fieri ex priuatione, sed quod aliquando per *nihil*, priuationem intelligit, & quod in hoc sensu concedit aliquid fieri posse ex nihilo, quia res omnes naturales fiunt ex priuatione, vt ex termino à quo; Verum tamen est lib. de Xenophane non tantum in hoc sensu dicere aliquid fieri ex nihilo contra Antiquos, qui non agnoscebant, vel agnoscentes priuationem spernebant, sed etiam capiendo nihil, vt dicit negationem extra genus, & cuiuscunque partis, vel subiecti præexistentis, hoc enim modo fatetur cum Hesiodo facta esse de nihilo materiam primam, & Intelligentias immediatè à Deo; & quamuis in solutione data ad hanc auctoritatem disp. 5. de Generat. q. 1. art. 1. num. 16. solus primus sensus sit expressus, tamen ille secundus non est negatus, vt contendit argumentum, quasi nos dixerimus Arist. ibi, quando dixit ex nihilo aliquid fieri, intellexerit præcise tanquam ex priuatione, & negatione in genere.

111 Deinde instat Ferch. eodem c. num. 83. sic dicendo nobismet contradicere, quia disp. 5. de gen. cit. quæst. 1. art. 1. nu. 15. explicando definitionem creationis, cum dicitur factio entis ex nihilo, dicimus ly *nihil*, duas negationes significare, idest negationem omnium partium rei factæ, & negationem subiecti præsuppositi; ergo cum postea num. 16. explicando auctoritatem ex lib. de Xenophane dicimus priuationem esse nihil, sequitur primò, quod cum forma fit ex priuatione, fiat ex nullo subiecto, & nulla parte, quod nos negamus; sequitur secundò quod cum compositum fit ex priuatione fiat ex nihilo, idest ex nulla præsupposita parte, & subiecto, sequitur 3. quod idem compositum fit ex aliquo sui, quia fit ex præsupposita parte, & non ex aliquo sui, quia fit ex priuatione, quæ cum sit nihil, negat & partem, & subiectum iuxta explicationem à nobis datam huius particulæ in definitione creationis; hinc tandem concludit nos contradictionem fugere non posse, quia num. 16. ipsum nihil nobis significat priuationem, hoc est negationem solius formæ; antea numer. 15. ipsum nihil significabat nobis negationem omnis subiecti præsuppositi, & omnis partis, at negato subiecto præsuppositio impossibile est intelligere priuationem, igitur impossibile est, quod ipsum nihil significet priuationem, si negationem subiecti significat.

Resp. *nihil*, posse dupliciter sumi, vel genericè, vt sub se continet tam negationem in genere, quàm extra genus, vel specificè, vt dicit propriè negationem extra genus negantem tam partem, quàm subiectum, quando nu. 15. diximus nihil in definitione creationis positum negare tam partem, quàm subiectum præsuppositum, sermo erat de nihilo specificè sumpto pro negatione, scilicet extra genus, quæ ponitur terminus à quo creationis; quando n. 16 priuationem appellamus nihil sumitur nihil genericè, vt est quid commune ad negationem in genere, & negationem extra genus, qua distinctione data omnes illæ tres consequentiæ præcluduntur, vt patet, quia omnes fundantur in hoc, quod priuatio à nobis appelletur nihil specificè, sicut sumitur in definitione creationis, quod est falsum, quia sumitur genericè tantum; & per eandem distinctionem tollitur illa contradictio facillimè sine fuga; & ex hac distinctione rursus confirmatur priuationem dici posse, ac debere nihil, vt sumitur genericè, quia pars subiectiua benè suscipit nomen sui generis, nam homo dicitur animal, albedo color &c. & ideò cum *nihil* sit quid commune ad negationem in genere, & extra genus, optimè priuatio, nihil dici potest, ac debet in hoc sensu.

112 Præterea vrget numer. 85. vel priuatio, & nihil conuertuntur, vt idem sit fieri ex priuatione, & ex nihilo, aut priuatio est magis communis, vt genus ad nihil, tanquam ad vnam speciem, & ad aliud quodvis tanquam ad aliam speciem, aut priuatio est minus communis, tanquam species, vel quasi species contenta sub nihilo; non primum, neque secundum, vt nos quoque concedimus; at neque tertium, quia tunc sic arguit, quicquid fit ex priuatione fit ex nihilo, & non è contra iuxta hoc tertium membrum, forma verò fit ex priuatione, vt musicum ex immusico, ergo forma fit ex nihilo, quod nos negamus; item compositum fiet ex nihilo, quod Aristot. negat 7. Metaph. 23. & 24. Resp. hoc argumentum in arguentem retorqueri, vt supra, forma fit ex priuatione, vt musicum ex immusico, vel ergo priuatio est ab ipso dicenda nihil, vt saluet formas fieri ex nihilo, vel formæ non fient ex nihilo, sed ex præiacente subiecto, in quo est priuatio, quod ipse negat; facillimè verò soluitur ex distinctione data, quicquid fit ex priuatione fit ex nihilo, genericè sumpto, concedo, specificè nego, deinde concedo minorem, & distinguo consequens, ergo forma fit ex nihilo genericè sumpto, non specificè, vt ipse sustinet; sic etiam compositum, fiet ex nihilo genericè sumpto, non specificè; alia demum tria argumenta addit eodem c. nu. 86. & 87. quæ sunt eiusdem farinæ, & ex data distinctione labuntur.

114 Ex his denique satisfit omnibus obiectionibus, & imposturis, quas contra nos congerit lib. 2. c. 4. vbi ait, neque nos intellexisse secundam limitationem illius propositionis *ex nihilo nihil fit*, quam ipse affert vestig. 1. cap. 4. numer. 11. & 1. Phys. 78. & 12. Met. 8. per distinctionem entis per actum, & potentiam; quia non rectè percepimus, quid sit fieri ex non ente actu, vel secundum totum, vel secundum partem, ideoque falsò illi imposuisse, quod dixerit compositum in hoc sensu dici posse fieri ex nihilo, quatenus fit ex non ente actu, quia falsitatem adeò palpabilem neque somniauit in illo c. 4. vestig. 1. vnde lib. 2. Defens. c. 4. cit. n. 24. pag. 180. concludit in hæc verba. *Quod si legeritis Vos Offensores in 4. capite meæ vestigationis primæ, quod compositum asseruerim fieri ex nihilo erraui sic loquens; verum tamen est me non inuenire, nec videre in cap. cit. 4. tale quid dictum esse; aut ergo erraui ergo, aut vos videntes in illo capite, quod in eo scriptum non est*; ita audacter loquitur, vt sua audacitate Lectori persuadeat nostram cæcitatem, & barditatem in legendo illo capite quarto vestig. primæ; producantur in medium eius verba, & iudicet æquus Lector, an dixerit ib. n. 11. compositum dici posse fieri ex nihilo, quatenus fit ex non ente actu, verba eius sunt ista. *Secunda limitatio ponitur in 1. Phys. 78. & 12. Met. 8. distincto quippè ente per actum, & potentiam, ex non ente actu, sed potentia ente fit ens, quibus locis sermonem facit Arist. de generatione compositi, non de factione simplicium ergo limitata est propositio* (tota hanc consequentiam) *quia aliquid fit ex nihilo actu*; hæc sunt eius verba, fidelissimè relata, quibus verbis declarat cum hac limitatione sumpta ex Arist. locis citatis aliquid fieri ex nihilo actu, cumque locis citatis non loquatur Aristot. de factione simplicium, sed de generatione compositi, vt ipse Ferchius fatetur, consequenter dum ait *aliquid fieri ex nihilo actu*, non intelligit de simplicibus, sed de composito; non ergo cæci nos fuimus, vel bardi in sua vestigatione legenda, sed cæcus ipse, & bardus in conscribenda; poterat tamen Ferchius hic quoque se tueri ab hac, quam ipse dicit, impostura, vt fecerat capite 3. præcedenti in fine, vbi sua verba immediatè præcedentia, quæ modo allegata sunt, rescribendo, verbum *nihil* mutauit in *non ens*, dolo vt ens ne in dolo caperetur; sic, inquam, hic facere poterat, & rescribere, *ergo limitata est propositio, quia aliquid fit ex non ente actu*, sic enim effugium habebat, quo se reciperet, at ponendo *ex nihilo actu*, vt iacet, profectò est omnis fuga præclusa; Ex hac itaque impostura simul cum alia supra notata num. 109. quæ non sunt leuis momenti, prudens Lector conijcere potest querelas omnes, quas Ferchius in nos congeri toto illo lib. 2. imò toto opere suo Defensiuo, falsas esse, calumniosas, ac impositorias.

ARTICVLVS III.

An formæ fiant per inchoationes eorum in materia præcedentes.

114 FErchius, vt maiorem nanciscatur occasionem explendi libidinem obloquendi contra Scotum, & Scotistas, non contentus sua defendere placita, voluit etiam defendere aliena, quæ etsi ipse non teneat, libenter tamen tuetur, quia sunt contra Scotum, & Scotistas; totumque itaque primum librum insumit ad defendendum seminarium formarum positum à Contaren. in sua quæstione de formarum origine, in quo plura aspera, & conuitiosa in nos effutit, atque Scotistas omnes. Cum enim contigerit nobis disp. 5. de Gener. q. 6. ponentes formarum inchoationes, & seminarium ab hoc denominatione sumpta appellare inchoatores, & Seminaristas, eodem lib. 1. cap. 4. num. 30. & 31. acerbissimè nos redarguit, quod nomine adeò contumelioso, ac ignominioso grauissimos illius opinionis Auctores dehonestauerimus; & cum in eadem quæst. 5. cit. nu. 143. dixerimus opinionem de inchoationibus formarum iam dudum fuisse à nostris funditus dirutam Scot. 2. d. 18. qu. vn. Bassol. ibid. Canon. 2. Phys. qu. 1. Ant. And. lib. de tribus principijs qu. 7. & 7. Met. qu. 11. Zerb. ibid. quæst. 9. Rubion. 2. dist. 12. qu. 3. Faber. theor. 26. & 7. Met. disp. 15. Angest. libr. 2. de formarum proprietatibus pag. 17. & alijs; cum inquam dixerimus hanc opinionem satis à Scoto, & Scotistis conuulsam, & impugnatam, ipse cap. 3. eiusdem libri ab initio ita respondet conuitiando totam Subtilium Scholam; satis ad iudicium vestrum, non satis ad iudicium Aduersariorum; suum vnicuique pulchrum, sed Scotus, & Scotistæ pro vno habentur, tum quia qui eisdem Scoti rationes transcribunt, de nouo aut nihil, aut parum faciunt, tùm quia qui se alligauerunt vni Authori, nolunt ex proprio iudicio loqui, sed ex voluntate loquuntur illius; ita liuidè Ferchius in Scotistas omnes, & sequitur, inter hos tamen, quos citatis, falsò citatis Zerbium, qui 7. Met. q. 9. art. 2. post relatam Scoti opinionem scribit, Fuit autem motus Scotus ad sic determinandum rationes seminales in rebus animatis solum propter appa-

apparentiam, & ipsas non coagere in generatione, sed ad alterationem præuiam propter rationes inductas, quæ in rei veritate nihil concludunt, quicquid sit opinione sua, &c. statimque Zerbius Scoti rationes dissoluit, en quàm præclarè cum Scoto (ait Ferch.) concinit, & quam iudiçat a Scoto, & suis dirutam opinionem de inchoatione formarum. Demum, quia inter omnes modo ponendi seminarium formarum dicimus positionem Contareni esse alijs irrationabiliorem, vt potè quia ponit hoc seminarium esse quandam essentiam spiritualem materiæ concreatam, & alijs de causis ibi insinuatis, cap. 4. numer. 30. rursus acriter coercet, quod ausi simus opinionem tanti viri falsam dicere, & absurdam, & a Peripato penitus eliminandam.

115 Licet hæc omnia ad impostura pertineant, conuitia, & maledicta, tamen quia hic quoque Scotistæ & vniuersa Subtilium Schola vituperatur, non sunt hæc penitus sub silentio dimittenda, non est nouum in scholis opinantes interdum à suis opinionibus appellare, ac denominare; sic Nominales dicti sunt, quia negarunt vniuersalia in essendo, seu naturas reales communes admittentes solum vniuersalia in significando, & tribuentes communitatem vocibus & nominibus, vt notant omnes ferè Auctores in ea quæstione, & ex opposito qui naturas reales, & vniuersalia in essendo concesserunt, ex sua opinione appellati sunt Reales; Formalistæ dicti sunt illi, qui formalitates intruserunt vltra res ipsas; & Anaxagoras, alijque Philosophi, antiqui, qui dixerunt formas omnes in materia latere, & per varias dispositiones pro occasione ab agente extrinseco inductas successiuè manifestari, Latitatores dicti sunt, vt testatur Zerbius 7. Metaph. quæst. 9. § *propter secundum*, vbi ait, quod non solus Anaxagoras ex antiquis fuit formarum latitator, immo cum eo fuit Empedocles Siculus ætate prior Anaxagora; eodem igitur titulo, non autem irridendi, vel subsanandi, assertores inchoationum, & seminarij Inchoatores, & Seminarijstæ à nobis sunt appellati, quo etiam nomine absque hæsitatione appellati sunt ab ipso Ferchio lib. 2. c. 11. propè finem illis verbis; quod ex nulla parte præsuppositæ sui fit ex nihilo fit; & secundum Inchoatores creatur. Quid verò dicam de ingenti illa impostura, & liuida huius viri amarulentia in confratres suos, & condiscipulos Scotistas, nisi verba de Ismaele ab Angelo pronunciata in Genes. c. 16. 12. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula*, quantum valeant Scotistæ, & quantæ æstimationis vniuersa subtilium schola hic idem Auctor aliquando sui compos in vita Scoti cumulatè demonstrauit, appello de hac calumnia ad ipsum non iratum in eo loco; si nos æstimat offensores suos, quo nomine ad castra potius pertinente, quam ad scholas, toto eo libro nos vocat, gratis in Scotistas, & ingratè in communem Magistrum, ensem sui furoris ad modum furiosi contorquet, sine personarum discretione, nobis tantum bellum indicere debebat, sed hæc missa faciamus, vt quæ pertinent ad scommata, & conuitia.

116 Quantum verò spectat ad citationem Zerbij pro nostra opinione, iam & ipse quoque fatetur Zerbium in hac quæstione fuisse problematicum cum rationes soluat pro vtraque parte, & vtramque asserat esse defensibilem; si ergo stat pro vtraque parte, sicut hac ratione Ferchius eum bis citat capite immediatè sequenti nu. 26. & 30. pro affirmatiua parte inchoationum, eadem quoque licentia nobis erit datum citare pro negatiua; verba vera Zerbij, quæ Ferchius refert ex art. 2. circa medium post relatam Scoti opinionem, quibus persuasit sibi Zerbium firmiter stare pro formarum inchoationibus, profectò sunt extra propositum, quia opinio, quam refert Zerbius ex Scoto, & statim dimittere videtur soluendo eius rationes, non est de rationibus seminalibus in materia respectu omnium formarum in vniuersum, sed tantum in animatis, atque viuentibus, vt patet ex ipsis verbis ex Zerbio relatis ab ipso, *fuit autem motus Scotus ad sic determinandum rationes seminales in rebus animatis &c.* & ideò cum eius rationes nihil concludere dicit in rei veritate, non loquitur de opinione formarum inchoationes in materia negante, sed illas tantum admittente ex speciali quadam ratione in viuentibus, vnde hallucinatus est Ferchius ea verba intelligendo de opinione negante seminarium in materia, & de rationibus eam probantibus, cum de tali opinione Zerbius ibi non loquatur. Denique nec immerito Contareni opinionem in hac re falsam esse diximus, & à Peripato eliminandam, nam & ipse quoque Contaren. fatetur eam in Peripato esse nouam, vel saltim obsoletam cap. 9. in fine; & cap. 11, ab initio inquit, *propositum nostræ sententiæ fundamentum omnes ferè expositores euertere nituntur*, & cap. 12. ab initio rursus inquit; *quoniam autem præhabitam nostram assertionem seu opinionem formam corporeitatis asserentem (quæ cum nostra maximam habet affinitatem) aut aliam consimilem ferè omnes expositores impugnant*; si ergo Contarenus ipse, vt ingenuè natus, ingenuo quoque fatetur hanc suam opinionem esse duram, & asperam, & obsoletàm, paucissimos habere sectatores ab omnibus ferè expositoribus & Peripateticis refelli, frustra laborat Ferchius huic opinioni plurium Auctorum longo catalogo, & verborum grauitate relatorum ca. 4 calculum procurare, vt ei aliquem tribueret veritatis colorem, & si nos similia diximus de tali opinione, sumus excusatione digni, nec ipso inuito, & renitente omnino locuti sumus. Fatemur nos quoq; plures, & graues Auctores docuisse formarum inchoationes; at vt mox patebit, non omnes eodè modo eas defendunt, sed valde diuersis, inter quos duriorè esse dixi mus Contareni positionem, & minus rationabilè; vnde rursus frustra catalogum illorum Auctorum adducit ad ostendendam positionis Contareni probabilitatem, quia illorum pars maior inchoationes quidem formarum docuerunt, non tamen iuxta Contareni positionem, quam ipse defendam suscepit in eo primo libro.

117 Vt autem eam magis explicet, ac teneatur c. 8. num. 48. recitat rex modos à Scoto relatos 7. Metaph. quæst. 12. dependentium inchoationes formarum, quintum quo ponitur potentia passiua materiæ esse ratio seminalis; sextum quo agens principale dicitur ratio seminalis, quos modos reijcit Scotus, tanquam impropriios; quatuor alios & singillatim, & simul refutat. Primus distinguit vniuersale genus, & species subalternas, ac specialissimas, primo modo forma generis est concreta materiæ ab æterno, atque hæc est ratio seminalis, quæ non fit de nouo, secundo modo fit de nouo in tempore. Secundus distinguit in forma vnam partem concreatam materiæ, quæ est ratio seminalis, & non fit, & aliam partem formæ, quæ de nouo sit cum forma tota constituta ex parte priore, & ex parte noua, Tertius ponit formam præesse, & non vnitam materiæ, sed in generatione fieri vnitam materiæ, & iste est modus Contareni, qui seminarium omnium formarum ponit ab æterno in materia quodammodo vnitum secundum aliquem gradum specialem determinatum, alios verò gradus in seminario latentes affirmat non immediatè vnitos per informationem, sed vniri, quando materia receperit dispositiones sufficientes ab agente naturali. Quartus ponit formam præesse, & vnitam materiæ, sed in esse incompleto, fieri autem ab agente naturali in esse completo. Ex ista commemoratione modorum pro rationibus seminalibus apertum est (inquit Ferchius) quod ratio seminalis materiæ concreata secundum nullum ex istis modis fit de nouo; secundum tertium modum quantum ad essentiam suam forma non fit de nouo (sicut neque secundum quartum) sed fit vnita, hoc est informans materiam; hanc autem esse Contareni sententiam verba illius ex quæst. origine formarum. c. 10. cart. 140. ostendunt, dixit autem. Cum itaque formæ naturales habeant esse reale, nec ipsæ potuerint de nouo produci, sequitur necessariò (iuxta philosophiam Aristot. loquendo) quod habeant esse æternum, quoniam verò non possunt semper habere suum esse determinatum; perfectum, ac penitus actuale, quandoquidem non semper existunt eorum corpora sine quibus quoad esse absolutùm, & perfectum existere non valent ex 12. Met. 17. propterea rationabiliter colligitur, quod habeant tale esse ex se confusum, indeterminatum, ac protractiuum, quale nos eas habere fatemur, donec latent intra illam essentiam spiritualem materiæ semper inhærentem, quæ est ipsarum formarum inchoatio, ac seminarium; in qua forma illa, quæ de nouo in generatione apparet, non tanquam ex aliqua diuersa essentia producta, sed tanquam illius essentiæ seminariæ gradus exurgens, cæteri sque gradibus redundans genitum illud secundum rationem suæ naturæ informat, ac determinata, sicuti dum antea alius gradus diuersus redundaret, & dominaretur, ipse intra illam essentiam seminariam latens, ac consopitus permanserat.

Et pag. 143. linea 33. rursus ait, ante generationem equi vtique adest in materia forma, idest gradus adesse canis quoad integritatem suæ essentiæ, non autem quoad totalitatem existentiæ, seu actualem determinationem naturæ compositi, scilicet, equi quam quidem actualitatem existentiæ non acquirit per aliquam eius additionem essentialem, sed solum per additionem habitudinis, ac copulationis eius cum illa materia. Patet ex his, ait Ferchius, ad Contareni opinionem, quod gradus specificus formæ equi aderat confusè in seminario in hærente ipsi materiei, sed ille gradus specificus astans materiei non erat copulatus per informationem cum materia, copulatur autem, quando dispositiones sufficientes ad formam equi ab agente naturali sunt inductæ; tunc verò ex materia, & gradu specifico formæ vnitis, materia acquirit esse specificum formæ equi, atque specificam denominationem; deinde ex istis vnitis sic fit compositum substantiale tanquam substantia facta de nouo; nam compositum, vt equus fit, materia, & forma non fit 7. Met. 26. & 27. sic enarrata, & declarata opinione Contareni, quia hæc patitur & communes difficultates, quæ fieri solent in generali contra formarum inchoationes, at etiam speciales, quas contra ipsum vrsimus disp. 5. de gen. q. 6. nititur Ferchius respondere, & primo occurrit specialibus c. 8. & 9. & deinde generalibus ca. 11. ego singulas eius solutiones referam, ac reijciam ex ipsa doctrina Scoti, & Scotistarum, vt patet non esse cuilibet datum Scotica resoluere argumenta; referam prius argumenta militantia in generali cõtra formarum inchoationes cum Ferchij solutionibus, & postea militantia in speciali contra positionem Contareni.

118 Primò itaque contra formarum inchoationes in generali arguebamus disp. 2. Phys. q. 7. art. 1. num. 138. quia materia in generatione transit de non esse formæ ad formæ, seu de priuatione ad formam; ergo forma ante generationem nec secundum se totam, nec secundum aliquid sui, siue essentiæ, siue existentiæ præcedit in materia, quia priuatio, & forma se totis opponuntur, tam secundum essentiam, quàm existentiam, & sunt incompossibiles in materia secundum quemcunque gradum. Respondet Ferchius lib. 1. c. 11. num. 73. negando consequentiam, materia quippè vel dicitur transire non esse formæ simpliciter, & nego, vel secundum quid quoad inesse in materia, vel non inesse, & concedo; sed ex hoc non sequitur quod forma non esset antea simpliciter, siue in seminario, vt aliæ formæ, siue extra, vt anima rationalis, igitur est fallacia à secundum quid ad simpliciter, idest ab

esse

esse in adesse simpliciter; si priuatio non opponitur formæ in esse simpliciter, sed formæ in subiecto; sint quatuor materia subesse, forma inesse; priuatio negat à materia ipsum subesse, & informari primò, consequenter negat inesse à forma, siue informare, & nihil aliud spectans ad formam negat, siquidem priuatio non est negatio formæ simpliciter, sed in subiecto 4. Metaph. 4. quam solutionem ait esse Zerbij; ad probationem consequentiæ distinguit primam partem assumpti, priuatio & forma se totis opponuntur, quoad inclusionem, quia nihil inclusum in vna quidditatiuè inclusum est in altera, & concedo, quoad conditiones, vel dispositiones formæ, nego; negat pariter secundam partem assumpti; nempe priuationem, & formam esse incompossibiles in materia secundum quemcunque gradum, quoniam affirmatio est mensura negationis, ideò quod ponitur per affirmationem in materia, hoc tollitur per priuationem, non quidem simpliciter, sed à materia; quandoque autem forma tota secundum essentiam, & esse, secundum rem, & modum abest à subiecto, quo casu dato priuatio à materia totam formam negat; quandoque etiam priuatio partim potest expelli, partim remanere, sicut & forma potest partim induci in materia, iam, partim non induci, vt patet in formis suscipientibus magis & minus, de quarum numero ait quoque esse substantiales formas iuxta S. Bonauent. 2. dist. 3. nu. 3. & d. 13. nu. 30. & alia plura addit loc. cit. sed in relatis verbis stat summa solutionis.

At Ferchius in primis pace sui vim argumenti percepisse non videtur, dum ait in deductione illius consequentiæ committi fallaciam à secundum quid ad simpliciter, idest ab *esse in* ad *esse simpliciter*, non enim argumentum probare intendit materiam, dum de non esse formæ transit ad esse formæ, quod transeat ad esse formæ simpliciter, sed tantum secundum quid scilicet quoad subesse ex parte sua, & quoad inesse ex parte formæ, & ex hoc deducit formam non præexistere in materia nec secundum se totam, nec secundum aliquid sui, quicquid modò sit an extrà materiam habuerit suum esse simpliciter, vt dicitur de anima rationali, siue non; vt ergo vim argumenti percipiat, vtor eius argumento, quod in eodem primo libro cap. 7. num. 54. contra nos vrgebat ad probandum formam non præcedere in potentia materiæ, antequam fieret, nam Arist. 4. Phys. 23. modos *essendi in* enumerat, quorum vnus est, quo forma est in materia, quando ei vnitur per informationem; si ergo in generatione materia transit de non esse formæ ad esse formæ, idest ad esse sub forma; ergo prius non erat in materia, non erat in seminario formarum, sed tunc inducitur, vt sit in ea, propterea quod forma, quæ actu est in materia, nõ potest recipi, siquidem oportet recipiens esse denudatum à natura recepti, ita ille contra nos arguebat loco citato, & ita nos modo eius armis vtimur contra ipsum defendentem cum Contareno formas secundùm totum suum esse simpliciter præcedere in materia; itaque vis argumenti consistit in hoc, quod si forma secundum totum suum esse simpliciter continetur in seminario formarum ante generationem, materia non transibit per generationem de non esse sub forma ad esse sub forma, quia generationem sicut forma erat in ipsa secundum suum esse simpliciter, ita quoque materia suberat illi. Negabit fortè Ferchius ex iam adducta doctrina Contareni formam equi, vel canis esse vnitam cum materia ante generationem equi, vel canis, nam illi actu vnitur per actualem generationem, & tunc solum actu materiam informat, resultatq. ex tali vnione determinatum compositum equi, vel canis, antea verò forma talis non erat in materia actu, & secundum esse distinctum, sed tãtũ secundũ esse potentiale, & cõfusũ in cõmuni seminario formarũ.

119 Sed hæc euasio Ferchij pro Contareno ex eodem Ferchij relato argumento præcluditur, quia Aristot. 4. Phys. 43. forma non dicitur esse in materia nisi per vnionem informatiuã; ergo ante generationem vel non præexistebat forma in materia secundum suum esse simpliciter, vel erat ei vnita per informationem, nam alium inexistentiæ modum formæ in materia secundum suum esse simpliciter Arist. nõ agnouit, & omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti, ergo forma non præerat in materia nec secundum totum, nec secundum partem, nec secundum esse essentiæ nec existentiæ. Tum quia si forma præfuit in materia secundum suum esse simpliciter, & totale; ergo præfuit secundum suum esse actuale, non autem possibile tantum, quia esse, rei simpliciter est esse actuale, & non potentiale tantum. Deinde si gradus ille specificus ante generationem equi v.g. adhæbat materiei, nec erat copulatus cum materia, & ideò equum non constituebat; ergo omnes formæ materiales essent per se subsistentes, etiam ipsemet accidentales, quia quantum ad hoc eadem est ratio de forma substantiali, & accidentali, & hoc est argumentum, quod fecit Scotus 7. Met. q. 12. contra illum tertium dicendi modum, quem ex hoc solo absurdo sufficienter refutatum arbitratur dicens, *contra tertium dicendi modum non oportet multum niti, quia ponit accidens sine subiecto hoc est, sine hoc quod informet subiectum, & formam materialem sine hoc, quod perficiat materiam, & multa alia quæ possent inferi*. Ferch. hoc Scoticum argumentum quod vnicè destruit positionem Contareni, olfacere noluit, quamuis eius Defensor, sed defensionem Clienti relinquit qui proinde videns se tutela destitutum nititur respondere per se ipsum cap. 11. circa medium dicens, subsistere quidem per se substantias illas spirituales materiam non informantes, quæ existentiam, & naturam actualiter determinatam ex seipsis habere natæ sunt, at gradus isti formales, quoniam sine materia nequeunt determinatam existentiã obtinere, propterea materiæ necessariò connexui addicti sunt, adeout, siue secundi actualem existentiã determinationis, scilicet informationis, siue secundũ confusã, & indistinctã suæ essentiæ inexistentiã sint inseparabiliter ei coniuncti. Cõtra, si ita est, quod gradus huiusmodi sũt sẽper materię inseparabiliter coniuncti; ergo etiã ante generationẽ erant vniti, & copulati cum materia, quod antea negabatur, implicat autẽ dicere idẽ secundum idem inexistere, & non inexistere.

120 Respondet Contarenus ibid. (Ferchio interim ad hęc tacente) duplicem esse inexistentiam formæ, aliam, scilicet latè, communiter, & absolutè sumptam, quo quidem modo illa etiam inexistere dicuntur, quę coniuncta sint alicui in esse potentiali, secundum quam significationem licet dicere gradus non actu informantes inexistere materiæ, quamuis solum secundum eorum essentiam potentialem, idest non actu secundum suas naturas determinantes sint materiæ coniuncti; alio verò modo pressius, ac perfectius sumitur inexistentia graduũ formalium, scilicet pro actuali determinatione subiecti secundum proprias ipsorum graduum naturas, in quo sensu rectè dictum fuit gradus formales materiæ non semper inexistere. Contra, ad præcludendum hoc effugium opus est Contareno declarare quid intelligat per hoc esse confusum, & potentiale, quod dicit formas habere in materia ante generationem; vel enim intelligit esse potentiale, quod dici solet obiectiuum, & excludit actualitatem essendi, & hoc asserere nõ potest, quia vult formas præhabere suum esse simpliciter ante generationem in materia, esse autem simpliciter, & extra intellectum, non est esse possibile tantum quod est esse in causis, & esse secundum quid, vel intelligit esse potentiale prout excludit esse determinatum, quod magis videtur intendere Contare. etiam ex ipsa Ferchij explicatione, quia hoc esse determinatum ait haberi solum per actualem vnionem formæ cum materia, quia tunc ex tali vnione resultat determinata natura v.g. equi, vel canis. Et neque hoc satisfacit, quia vnio nihil intrinsecum superaddit formæ, sed gradus ille specificus totam suam determinationem habet antecedenter ad vnionem, aut ergo ante generationem gradus ille inerat materiæ, vel non; si primum, ergo inerat secundum suum esse actuale, & secundum determinatam naturam, quia gradus ille de se determinatus est per talem differentiam specificam, non verò per vnionem ad materiam, si secundum, ergo erit per se subsistens, & extra materiam, non autem intra materiam, & sic redit argumentum principale Scoti; quod implicat ponere formas materiales perpetuò materiæ inhærentes in seminario formarum, & postea asserere, quod non sunt illi vnitæ, sed vniuntur in ipsa generatione; quia non videtur quo alio modo esse possint in materia, nisi vel per informationem, vel per simplicem assistentiam, si materiæ insunt primo modo, tollitur prorsus substantialis generatio, & nihil prorsus fit de nouo nec materia, nec forma, nec compositum; si non insunt materiæ eo modo, sed per simplicem assistentiam, ergo erunt per se subsistentes, quod pariter negat Contaren. Benè igitur diximus disputat. 5. de gener. qu. 6. præuidisse quidem Contaren. potiores difficultates, nec illas dissimulasse, vt fecit Ferchius in 1. libr. de sens. sed adhuc euidentiores esse difficultates, quam eius solutiones, quæ non omnino argumenta euacuant, & ideo Ferchij tutela indigebant, at vt video ipsum deserit in feruentiori Marte.

121 Deinde neque valet responsio Ferchij ad probationem consequentiæ, cum negat priuationem, & formam esse incompossibiles secundum quemcumque gradum, quia priuatio partim potest expelli, partim non expelli, si forma introducenda suscipit magis; & minus, vnde cum duobus gradibus albedinis receptis stat priuatio graduum recipiendorum; sed in primis accipit in hac solutione substantiam suscipere magis, & minus, quod negat Contar. & benè ca. illo 11. pag. 114. respondendo ad argumentum, quod ex sua opinione sequeretur formas substantiales intendi, & remitti, vbi negat hanc consequentiam; non ergo hoc est defendere, sed impugnare Contaren. dum autem ad hoc affert auctoritatem. S. Bon. possem dicere, vt ipse nobis assolet, in Philosophia afferendas esse auctoritates Arist. non aliorum, Arist. autem oppositum manifestè docuit nempe substantiam non intendi, nec remitti, nec magis, & minus suscipere cap. de subst. & 8. Metaph. ca. 10. cum inferius in eodem c. numer. 77. ait, in hoc, quod forma substantialis suscipiat magis, & minus multos Scotistas conuenire cum Seraphico, & Subtili; respondeo falsum esse Doctorem subtilem hanc opinionem docuisse, quia potius oppositum docuit, vt dixi disput. 5. de gener. & cor. quæst. 5. art. 2. & superius disputat. 10. quæst. 11. concl. 2. & si aliqui Scotistæ tenent substantiam suscipere magis, & minus, non tamen volunt, quod suscipiat magis, & minus per intensionem, & remissionem (nisi fortè Ant. And.) ad instar formæ accidentalis v.g. caloris, & albedinis, quæ modò est magis intensa, modo minus, sed volunt quod suscipiat magis, & minus indiuisibiliter, & tota simul, itaut semel inducta non amplius succedente intendatur, vel remittatur, sed semper cum eis permaneat quousque corrumpatur, & sic defendit Fab. theor. 55. & hunc modum indicauit Doctor 8. Met. q. 3. si quis hanc partem defendere vellet, & forte in hoc sensu intelligit S. Bon. substantiam suscipere magis, & minus, non autem quod suscipiat intensionem & remissionem successiuè, vt accidentia suscipiunt, quia oppositum docuit Arist. pluribus in locis, & ratio repugnat, vt suo loco dictum est.

Sed admisso etiam, quod forma substantialis intenderetur, ac remitteretur, adhuc nunquam dici potest, & omnino repugnat priuationem, & formam simul existere etiam pro temporis instanti, quia tunc contradictoria sequerentur, de eodem, respectu eiusdem, ac in eodem temporis momento, quod forma esset in subiecto, & non esset in subiecto;

subiecto ; quod autem ait Ferchius in oppositi comprobationem cum duobus gradibus albedinis receptis stare priuationem duorum graduum recipiendorum, vtique verum dicit, sed non probat formam stare cum sui priuatione ; quis non videt, dum aqua calefit, & est primus, vel secundus gradus caloris inductus, stare cum illis gradibus priuationem tertij, & quarti; quis de hoc dubitat ? cum ergo in argumento dicitur formam & priuationem esse incompossibiles, sermo est de forma, & priuatione comparatis secundum eundem gradum, quia si secundum diuersos comparatio fiat, vt v. g. priuatio tertij gradus cum duobus iam in subiecto existentibus non ob id dicuntur priuatio ; & forma simul existere, sed priuatio vnius gradus existere cum gradu præcedenti ; quia ergo materia in generatione transit totaliter de non esse formæ ad esse formæ, hinc argumentum deducit formam non præexistere in materia, nec secundum se totam, nec secundum aliquid sui. Tum quia etiam Ferchius ipse in hoc eodem c. 11. num. 78. fatetur argumentum ex partitione formæ deductum secundum diuersas partes intensionis non facere contra S. Bonau. & Contarenum ponentes totam essentiam formæ præexistere in Seminario, ac secundum omnes gradus, atque totam extrahi secundum esse actuale specificum ; ergo frustra quoque recurrit ipse ad hanc partitionem formæ, vt soluat nostrum argumentum, quia nec S. Bon. nec Contar. talem partitionem admittunt in inchoatione formæ, & secundum eos non expectatur noua pars formæ ab agente introducenda, sed solum vnio totius formæ præexistentis in materia cum materia, quam dicunt haberi ope agentis extrinseci per præuias dispositiones.

122 Secundò arguebatur ex Bassolio 2. d. 18. quæst. vn. quod non solum forma, & priuatio sunt simul incompossibiles in materia, sed etiam formæ ipsæ adinuicem non se compatiuntur in eodem subiecto nec secundum se totas, nec secundum aliquas sui partes; nec secundum esse essentiæ, nec secundum esse existentiæ, quia essentiæ ipsæ formarum sunt, quæ inuicem repugnant, & in quælibet parte formæ includitur essentia formæ.

Respondet Ferchius negando Bassolij dictum, & primò de ornis substantialibus, nam formæ substantiales non sunt inter se contrariæ, nec incompossibiles ratione sui, sed ratione dispositionum contrariarum, quas exigunt, vt sint in actu completo ; deinde quoad formas accidentales in esse intenso, & completo aliquę formæ accidentales sunt contrariæ, quo non obstante nullæ sunt in esse potentiali, & incompleto incompossibiles, at nec in esse completo, & actuali, sed remisso sunt incompossibiles, præsertim (inquit) secundum nos, qui ponimus contraria duo simul esse posse in eadem numero materia ; quæ præsertim quoad primam partem fuit responsio ipsius Contaren. c. 11. cit. pag. 148. propè finem. Contra primam partem solutionis insto, quia minus consultò confunditur in ea formarum contrarietas, & incompossibilitas, quia incompossibilitas reperiri potest nedum inter inuicem opposita, sed etiam inter disparata, vt docet Doct. 1. d. 11. q. 2. de filiatione, & spiratione passiua, & nos cum ipso disput. 9. log. qu. 1. de oppositis, opposita propriè dicuntur illa, quæ speciali modo inter se adinuicem pugnant, & sic inter se pugnant, vt non æquè pugnent cum tertio, vt calor ita repugnat frigori, vt non eadem ratione pugnet cum alijs, vt v. g. cum sono, vel dulcedine; disparata verò sunt illa, quæ ita inter se repugnant, vt eadem ratione indeterminatè, & indifferenter cum quolibet alio repugnent, & hæc sunt duplicis generis, alia quæ habent solam incompossibilitatem formalem, quia vnum nequit esse alterum, vt albedo, & dulcedo ; alia quæ habent incompossibilitatem subiectiuam etiam, quia nequeunt esse in eodem subiecto, etiamsi contraria, & opposita non sint, vt duæ formæ substantiales, istæ namque etiam quocunque accidente præcisto in eadem materia esse non possunt saltim naturaliter loquendo, quia tunc idem constitutum ex eis esset simul, & semel in pluribus speciebus essentialibus, possunt ergo plures substantiales formæ esse incompossibiles, & inuicem repugnare, non quidem oppositè, & contrariè, sed disparatè etiam antecedenter ad dispositiones ; tum quia contrarietas dispositionum, quas exigunt, ex tali earum intrinseca incompossibilitate ortum ducit, ideò enim tales dispositiones contrarias petunt, quia sunt talis naturæ, vndè diei solent inter se contrariæ saltim virtualiter, quæ vitualis contrarietas sufficit, ne simul possint esse naturaliter in materia.

Neque etiam subsistit altera pars solutionis de formis accidentalibus, nam in esse potentiali vtique nullæ formæ sunt incompossibiles in eodem subiecto, quia incompossibilitas, & repugnantia formalis earum prouenit ex actuali entitate illarum, vnde quamdiu considerantur in esse possibili, nulla incompossibilitas eis conuenit in tali statu, quia talis status abstrahit ab actualitate essendi ; quando verò sunt in esse actuali, & remisso vtiq. simul esse possunt, quia vt sic contraria non censentur, sed tantum sub gradibus intensio, neque nos dicimus duo contraria esse posse simul in eodem subiecto naturaliter loquendo, sed tantum de potentia Dei absoluta, vt dictum est disp. 1. quæst. 5. articul. 2.

123 Tertiò vrgebatur, quod infinitæ essent formæ in materia actu, quia si omnes precedunt secundum aliquid sui, cum sint possibiles formæ infinitæ sincathegorematicè ; erit vtiq. sub infinitis formis imperfectis, & incompletis. Respondet primò hoc non à nobis consequenter inferri, quia disp. 5. de gen. q. 2. art. 2. n. 68. tenemus, quod si omnes formæ substantiales sint in materia in esse incompleto, non sequitur infinitas; deinde eadem disp. q. 7. ar. 2. n. 172. non est nobis inconueniens, si detur infinitas sincategorematica in rebus actualitatibus, quare multo minus inconueniens erit, si detur in formis imperfectis, & incompletis sub modo potentiali; & absolutè loquendo non concludit, quia iuxtà S. Bon. concreauit Deus ab initio ipsi materiæ rationes seminales secundum multitudinem specificam finitas, multiplicatio quoque indiuiduorum dato initio, & fine mundi erit finita, & ideò consequentia non tenet ; sic etiam Contar. ponit in seminario latentes gradus specificos finitos, quia species substantiales nequeunt esse infinitæ secundũ Arist. ad singularia verò habenda in infinitum non est necesse ponere singulorum indiuiduorum singulas rationes seminales, nam ipse gradus specificus formæ ex coniunctione sui cum hac materia efficit vnũ singulare, ex coniunctione cum alia materia aliud singulare ; & item ex alia & alia coniunctione eiusdem gradus specifici etiam cum eadem portione materiæ exurgit aliud, & aliud singulare.

Sed primum gratis, & falsò nobis imponitur, nam ibi verba nostra sunt illa, nec etiam alia ratio benè deducit, quia opinio illa non inquit formas in compositi dissolutione in materiam rursus immergi, & velut in eius gremio abscondi, & latere quousq. rursus ab agente extrinseco foras extrahantur, vt asserebant Anaxagoristæ, & consentire videntur assertores inchoationum, imò docet formas à materia diuelli, & veluti loco dissitas in se, & per se conseruari, admissa ergo illa opinione (nempe de separabilitate cuiuscunq. formæ) non sequitur hæc infinitas formarũ in materia, sed potius in seipsis; hæc ibi, quibus verbis, vt patet, data illa opinione de formarum separabilitate, ac perennitate non dicimus infinitatem non sequi, sed non sequi in materia, sed potius in seipsis ; affirmamus ergo infinitatem sequi, licet non in materia falsum est ergo quod nobis hic imponitur. Quod verò nobis adscribit in alio loco de infinitate sincategorematica etiam in rebus actualibus non repugnante, planè verũ est, at nõ omnes id concedũt, imò quamplures negant & præsertim ex assertoribus inchoationũ, & ideò contra ipsos argumentum vrgetur ad hominem. Quod ait ex S. Bon. rationes seminales specificas in materia esse finitas, & ideò in iltis infinitatem non sequi, planè data illa hypothesi consequentia nostra non tenet, adhuc tamen sequitur in indiuiduis, cum mundus secundũ Philosophum sit perennaturus, & cum hæc quæstio tractetur intrà terminos Peripateticos, vt ab initio Disp. protestatur Ferchius cum Contra. c. 9. nescio quomodo nunc extra chorum saltet, præsertim cum nobis frequenter id obijcere soleat, vt non venialem errorem. Neq. hoc etiam inconueniens satis fæliciter Contar. euitat, dum ait pag. 145. propè finem non tot gradus indiuiduales in seminario præexistere, quot possunt indiuidua produci in quacunq. specie, quia idem gradus specificus cum alia, & alia materia coniunctus potest intra eãdem speciem diuersa constituere indiuidua successiuè. Quoniam hinc sequitur idem indiuiduum semel corruptum posse iterum numero redire, nam contingere potest, vt post multas annorum centurias idem gradus specificus per dispositiones eiusdem rationis eidem numero portioni materiæ coniungatur, si autem eædem partes essentiales redeunt, profectò idem quoque numero totum redire necesse est.

Conatus est hunc quoq. nodum dissoluere doctiss. Contar. etiamsi satis iudicet implicatum, negando adhuc consequentiam, quia essentia alicuius rei compositæ, nedum in simplici essentia eius partium essentialium consistit, sed etiam in tali determinata vnione essentiali ipsarum, quæ fit per determinatum concursum plurium accidentium, quod cum gradus aliquis formalis, & materia, quæ olim compositum aliquod determinatum constituerant, non possint denuo secundum eandem prorsus dispositionem vniri, inde sequitur, vt ex diuersitate illius vnionis essentialis non amplius valeant illudmet compositum conficere. Cæterum vnionem non esse de essentia compositi, sed conditionem tantum necessariò simpliciter requisitam pro constitutione totius latè probatum est disp. 5. Phys. q. 12. ar. 2. atq. ideò Doct. 4. d. 43. q. 1. ad vltimum probabiliter tenet compositum posse idem redire, licet non redeat eadem vnio partium, dummodo redeant eædem partes; tum quia vt ibidem Doct. aduertit, si partes redeunt, eædem, verisimile est etiam vnionem redire eundem numero ; nam eius numeralis identitas non videtur à loco, & tempore dependere, aut alijs accidentibus extrinsecis ; & quamuis illa prior vnio fuerit interrupia, hoc non officit, quia interruptum potest redire idem numero, & non tantùm absolutum, sed respectus, si extrema eius redeant eadem numero, hæc autem vnio est respectus prædicamentalis extrinsecùs aduenies, vt sæpè dictum est, vel saltim transcendentalis ; vide Bassol. 2. d. 18. impugnantem hoc dictum §. *contra tertium modum*.

124 Quartò arguebatur ex Scoto 2 dist. 18. retorquendo fundamentum inchoatorum, quod erat tale, si forma non præcedit in materia secundum vllam prorsus inchoationem ; ergo forma creatur, & fit ex nihilo ; quod argumentum ita retorquet Doctor, illa pars formæ, quæ de nouo producitur, non præcesserit in materia, quia de nouo generatur, ergo sit ex nihilo sui, quia pars, seù inchoatio præcedens ab illa distinguitur, ergo illa pars adhuc creatur. Respondet Ferchius, pro ijs, qui ponunt vnam partem formæ esse inchoationem, aliam partem de nouo produci, sufficienter respondisse Zerbium, & Suessanum, sed contra S. Bon. & Contaren. ponentes totam essentiam formæ præexistere in seminario secundum esse potestatiuum, atque totam extrahi secundum esse actuale specificum, hæc ratio calorem non habet ; supponit enim formam in esse actuali, & completo fieri secundum partem ex forma incompleta secundum partem ; at secundum Doctorem seraphicum particula *ex*, in eductione formæ

de seminario non dicit partem, sed consubstantialitatem, quo pacto ex globo fit rosa. Sed contra, nam prius admisit etiam in forma substantiali partes intensionis, itaut secundum vnum gradum præexisteret in materia, non secundum alium; Deindè quamuis argumentum re vera directè concludat contra ponentes formam secundum vnam partem in materia præcedere, & secundum aliam de nouo produci, attamen, vt à Scoto conficitur 7.Met.quæst.12 contra omnes militat opiniones, siue ponatur forma præexistere secundum partem, siue secundum totum, siue secundum esse essentiæ, siue existentiæ; quia positis quibuscunque præexistentibus, aut aliquid nouum est, cuius nihil præficit, aut non; si sic, quæcunq; præexistunt frustra ponuntur propter creationem vitandam, quia aliquid quantumcunq. modicum est, & non ex aliquo sui; si non, nulla est generatio, quia tunc quodlibet esset in quolibet, & nulla entitas quantumcunq. perfecta est noua; cum igitur Contaren. non neget nouitatem generationis, imo dicat per eam acquiri de nouo copulationem gradus cum materia, & nouâ eius determinationem, & existentiæ actualitatem, de ista noua completione, actuatione, & vnione procedit argumentum, quod cum fiant ex nihilo sui, dici debent creari, seu ex nihilo fieri; neq; dicas istæc non propriè produci, quia habent rationem modi, & modus non est per se producibilis, quia re vera hæc solutio magis consistit in verbis, & in modo loquendi, quam in re, nam ista determinatio, ista vnio re vera anteà non erat, & postea est, ergo facta est, & cum sit facta de nihilo sui, erit creata; & sic patet inchoatores creationem non euitare, nisi omninò negent generationem de nouo, cum Anaxagoristis.

125 Quod verò dicebat secundum S.Bon.particulam *ex*, in eductione formæ de seminario non dicere partem, sed consubstantialitatem, quo pacto ex globo fieri rosa dicitur, quicquid sit de hac consubstantialitate, cui contradicere nolo ob reuerentiam tanti Doctoris, certum est, quod vt explicatur à Ferchio, parum iuuat ad euadendum relatum argumentum, quia cum tota hac consubstantialitate diceretur forma fieri de nihilo, vt ipse explicat supra c.10.n.70.Tum quia Ferchius hìc pro suo instituto tenetur positionem Contareni tueri ex eius principijs, non ex alienis; vndè quia ex eius principijs, non loquitur, per se ipsum respondet huic argumento Contar.c.11.pag.142.à principio, & vltrò concedit in generatione nullam formam generari, quæ non præfuerit, sed gradum quendam essentialem illius substantiæ spiritualis, qui prius in ipsa torpebat, & latitabat, excitari per dispositiones, & vt cæteris gradibus superemineat, educi, vt inde resultet noua generatio; Neque hinc sequitur non dari nouam generationem, etiamsi forma de nouo non fiat, quia non est forma, quæ fit, & generatur 7. Met. 26.& 27.& lib.8,tex.8,sed compositum, vndè cum ex permutatione horum graduum subiectum recipiat diuersam speciem, denominationem, definitionem ac esse substantiale, propterea iure dicetur ipsum compositum generari, ac essentialiter transmutari, quæ quidem transmutatio ab alijs differt accidentalibus, quia in eis non fit permutatio gradus alicuius essentialis, sed solùm alicuius accidentis. Sed Contra, quia compositum ex ipso Contareno disp. de distinctione partium à toto non est substantia distincta à partibus vnitis, ipsumque componentibus; cum ergo non generetur nec materia, nec forma, sequitur nullam dari generationem substantialem, quia nullus datur terminus eius; Dices cum ipso ibid.cap.4.generari formam in materia ex 7.Metaph.26.quatenus introducitur, & connectitur essentialiter cum materia, ex quibus compositum constituitur. Contrà, ex hoc sequitur solam vnionem de nouo haberi per generationem, at vnio est accidens, cum sit relatio ipso quoq; Ferchio concedente lib.2.n.26.ergo illa generatio non erit substantialis, sed accidentalis, cum non terminetur ad nouam substantiam, quæ accipiat esse de nouo, ac simpliciter fiat, nam formam fieri in materia non est simpliciter fieri, sed fieri in hoc. Resp.Contar. cap.4. cit. vnionem, sicut & omnem relationem posse dupliciter considerari, vel, scilicet formaliter pro solo illo respectu vnionis abstractæ, & sic est quidem pura relatio, & accidens, vel consideratur subiectiuè, seu fundamentaliter, & tunc falsum est, quod semper vnio sit accidens, seu relatio simplex, vnio enim essentialis, quæ fundatur in essentiali habitudine, & coniunctione partium non est quidem accidens, sed quoddam essentiale, quod quidem essentiale non est aliquid partibus coniunctis, & totum actualiter componentibus superadditum.

Sed vnionem physicam inter materiam, & formam non esse substantiam formaliter, ac entitatiuè, sed accidens latè probaui disp.5. Phys. q.9. non enim substantialis dicitur, quia formaliter sumpta, ac entitatiuè substantia importet, aut modum substantialem, sed sicut actio productiua termini substantialis entitatiuè est accidens, denominatur tamen substantialis à termino producto, qui est substantia, ita vnio dicitur substantialis, quia est inter substantias sub rationibus substantialibus, vt docet Scot.3.d.7.q.1. D. si ergo forma substantialis non fit de nouo in generatione substantiali, neq; compositum vt substãtia distincta à materia, & forma, sed sola earum vnio, sequitur generationem substantialem non dari, sed omnem esse accidentalem; Denique data hac sententia, quod solum compositum de nouo producatur, & nullatenus forma, quicquid ponatur in materia præcedere, non formarum inchoatio dici debebit, quia iuxta hunc dicendi modum forma non fit nec secundum totum, neq; secundum partem, sed potius dici debebit inchoatio cõpositorum, & ita loquendũ esse tenet Aureol.2. d.18.q.vn.ar.1.qui negãt formas vllo modo fieri de nouo simpliciter.

126 Quintò adhuc idem fundamentum de vitanda creatione retorquebatur ex Canon.2.Phys. quæst. 1, nam vel gradus, & pars formæ actualis, quam dicunt in materia præcedere, & producta, vel improducta, non secundum, vt patet, si primum, ergo vel est producta ex nihilo sui, vel ex aliquo, si secundum, ergo dabitur processus in infinitum; si primum, ergo creationem non euitant, ad quam euitandam has formarum inchoationes excogitarunt. Resp. Ferchius hanc quoque retorsionem Canonici supponere in gradu specifico formæ inchoato, & consummato partem, & partem, quod suppositum ipse cum Contaren. non tenet; sed neque concludere contra Seminaristas illud tenentes, quia productio formæ in seminario est à Deo ex nihilo; non vitant autem creationem Auctores, nec vitare intendunt in respectu ad Deum primò producentem essentias formarum, sed intendunt euitare in respectu ad agens secundum, quod in generatione naturali non faciat formam ex nihilo, sed ex aliquo, non tamen ex parte, sicuti sit compositum, sed ex toto consubstantiali, vt agens secundum non largiatur multitudinem entitatis formalis, sed perfectionem. Contra, repeto quod dixi supra, si ipse non tenet illud suppositum de partibilitate formæ, cur in tali partibilitate fundauit suã responsionem ad primum assignans plures gradus, & partes intentionis, nedum in forma accidentali, sed etiam in substantiali? modo ait, quod negat, quia omnia sibi licent; hæc itaq. retorsio Canonici fundatur in retorsione Doctoris facta in præcedenti argumento, & contra Inchoatores partibilitatem formæ admittentes optimè concludit, & ab ipsis creationem non euitari etiam respectu agentis secundi, nam quæritur cur agens primam partem formæ materiæ concreatam ex nihilo fecisse dicatur, respondebunt vtique id esse, quia ex nulla sui parte præcedente facta est; at ex hoc ipso infertur, quod sicut hac ratione prima illa pars formæ concreata materiæ à Deo dicitur ex nihilo facta, quia ex nulla parte sui præcedente, ita eadem ratione altera pars formæ ab agente naturali producta, facta est ex nihilo, quia hæc pars posterior distincta est ab illa priori, & illa non est pars istius, licèt ambæ sint partes totius, & integræ formæ; ergo adhuc incurritur creationis incõmodum etiam respectu agentis naturalis; & ideò dixi retorsionẽ Canonici fundari in retorsione Doctoris.

127 Sextò, tandem arguebamus contra modum dicendi illorum Seminaristarum, qui pro formarum inchoatione ponebant in materia præcedere esse quoddam earum non actuale, sed merè possibile, nam vel per hoc esse possibile formarum intelligitur esse possibile subiectiuum, & hoc non est aliquod esse formæ, sed esse materiæ, veluti subiecti præcedentis, ex quo forma fit, & in hoc sensu coincidit cum communi sententia; vel intelligitur esse obiectiuum formarum, at hoc non potest dici inchoatio formæ in materia præcedens, quia tale esse possibile est à potentia actiua efficientis causæ, quatenus esse potest terminus actionis illius ex Scot. dist.12. q.1. & non in potentia passiua materiæ. Respondet Ferchius possibile, quod est ratio seminalis, nec est subiectiuum, quia non est entitas subiecti, nec est obiectiuum, quia non est entitas efficientis, sed est possibile formale, quoniam forma est prius in potentia, posterius ab efficiente extrahitur de potentia ad actum; fundatur verò hæc possibilitas in essentia formæ existente extra nihil, extra mentem, & extra causas existente, inquam, sed sub modo possibilitatis, & incompleti, quæ possibilitas est ad actualitatem completam, consequuntur tamen in eadem essentia formæ possibilis duo respectus, alter ad efficiens, à quo forma potest extrahi ad actum perfectum, quale efficiens est causa naturalis externa, & ipsa quoque ratio seminalis, vt causa effectiua partialis interna, alter ad materiam, quam potest informare actu secundum esse perfectum, vnde secundum istos duos respectus potest dici & possibile obiectiuum in ordine ad efficiens, & possibile subiectiuum in ordine ad passum, quamquam hoc secundum sit minus propriè dictum, nam potius appellandum est possibile informatiuum, quia forma potest informare, non subijci, materia vero est possibile subiectiuum, quæ potest subijci; hinc liquet argumentum hoc vltimum continere fallaciam consequentis ab insufficienti enumeratione; quia præter possibile subiectiuum, & obiectiuum datur possibile formale, quod declarauit Zerbius 7.Metaph.q.9. distinguens formale formabile, & formale formatum.

125 Non opus erat Ferchium hoc argumentum soluere pro Contaren.defensione, & inchoationum formarum, quia vt dicebamus in ea quæst.6.disp.2. Phys. nu.137. sententia, contra quam vltimum illud argumentum direximus, & tribuitur Baccon.2. d.18. quæst.vn. art.2.& quol.1.q.6.art.2.non propriè ponit inchoationes formarum, quia nihil reale, & actuale formæ ponit in materia præcedere, sed purum esse possibile, quod in generatione postea dicunt conuerti in esse actuali eiusdem formæ. Sed quicquid sit de hoc, certũ est, quod si nos hanc responsionem dedissemus, & hoc possibile formale vltra possibile subiectiuum, & obiectiuum intrusissemus sine expresso Arist.textu, sed ex sola Zerbij auctoritate, vel nobis, millies dixisset, *nihil ex Arist.nihil ex Arist.* nullus Auctor præter Arist.apud me facit auctoritatem, mihi Scotum adducere, vel alios Auctores est petere principiũ, ostendite mihi textum vt vobis credam; hęc igitur omnia dicta sua, & similia nunc contra ipsum repeto, nam quando ego tractaui de possibili obiectiuo (quod hic dicit in margine ab Aquario irrideri 7.Met. dilucid.11.) disputar.6.Metaph. quæst.2. firmaui illud & rationibus, & Arist.auctoritatibus, quæ ibi videri possunt; sic pariter hic facere debebat Ferchius, qui Aristot. lingua loqui profitetur, hoc possibile formale nouiter intrusum ostendere in Aristot. vt ei credamus, &

non

non ex solo Zerbij testimonio, plura, ac innumera sperabam ab hoc viro Aristot. loca produci pro defensione Seminarij Contareni, sed nulla hactenus audiui, benè tamen plura expressè contra Aristot. dicta, vt quod substantia suscipiat magis, & minus per intensionem, & remissionem. Sed postquam hoc possibile formale ex Arist. testimonio probare nequiuit, probasset saltim ratione, aut aliqua rationabili declaratione, sed neque id præstitit, nam si Bassolio credere volumus 2.d.18.qu.vn. §. *Contra tertium modum*, hoc possibile formale ita declaratum implicat contradictionem, dicere enim, quod illud possibile sit ens aliquid positiuum, & extra intellectum, & cum hoc quod nullam habeat actualitatem sibi propriam, est contradicere, actus enim, & potentia sufficienter diuidunt ens, & sic diuidunt, quod omne ens extra intellectum necessariò est ens actu, & quod non est ens actu, non est ens extra intellectum positiuum, sed nihil positiuum est in actu, nisi habens actualitatem propriam, ergo &c. Tum quia aut essentia formæ, in qua talis eius possibilitas fundatur, est existens, vel non existens, si non est existens, ergo erit possibilitas obiectiua, si verò est existens, vt ipse inquit, ergo nequit dicere respectum ad efficiens, à quo extrahatur ad actum perfectum, quia efficiens nihil extrahit de potentia ad actum, nisi de potentia vel subiectiua, vel obiectiua, primo modo materiam deducit agens ad actum formalem, & specificum, & largitur multitudinem, scilicet entitatis formalis, secundo modo extrahit ad actum formam non existentem, & compositum, & quodcunque possibile obiectiuum largiendo actum existentiæ. Tum quia hæc existentia, sed sub modo possibilitatis, & incompleti, quæ possibilitas sit alicuius rei existentis ad actualitatem completam, est propria materiæ, vt colligitur ex Aristo. quandocunque de materia loquitur, ergo irrationabiliter prorsus tribuitur formæ. Deinde quod forma per respectum ad materiam, quam informare potest, dici possit possibile subiectiuum est omnino contra rationem, vt & ipsemet fatetur, quia forma potest informare, non subijci; materia verò est possibile subiectiuum, quia potest subijci, & tamen cognito hoc loquendi modo, vt erroneo, adhuc ipso vtitur infra lib.2. cap.5. numer.26. vbi ait formam habere potentiam subiectiuam in ordine ad materiam, quatenus eam informare potest; abeat ergo hoc possibile formale intrusum absque ratione, vt nulla Aristot. auctoritate stabilitum. Tandem, quod ait rationem seminalem cum agente extrinseco coagere ad sui complementum, vt causam partialem internam, videtur impossibile, quia nihil potest efficere seipsum, vt dictum in Physicis.

Rationes speciales contra eandem positionem.

128 Disp. 2. Phys. qu. 7. inchoationes formarum refellimus in generali, at disp. 5. de gener. q. 6. eandem Contareni positionem duabus præsertim rationibus specialibus impugnauimus, quibus etiam diximus illam positionem reddi cæteris irrationabiliorem, & minus perceptibilem. Prima ratio est, quia inchoationes formarum poni solent à Seminaristis, vt sint quædam initia factionis formarum ab agente naturali, ne de nihilo fieri dicantur; cum ergo Contarenus ponat formam nullo pacto produci per generationem, sed solum excitari, vt cæteris gradibus superemineat, frustra ponit seminarium formarum, quia ex tali positione non consequitur finem, ad quem est excogitatum. Quod si dicat tale seminarium ab ipso positum deseruire, non quidem vt ex eo formæ educantur, ac de nouo fiant, tanquam ex parte, vel alio modo creationem excludente, sed vt in eius gremio formæ omnes foueantur, ac veluti consopitæ iaceant, vt loquitur Contaren. donec per præuias dispositiones ab agente naturali euocentur, & excitentur. Replicauimus ibi ex tali metaphora loquendi potius appellari debere illud cubile formarum, quam Seminarium, ex quo formæ fiant, cum nullatenus de nouo producantur, sed in illo modò latitent, modò appareant, modò excitentur, modò sopite iaceant.

Hanc nostram rationem Ferchius libr. 1. c. 8. multipliciter traduxit, postquam enim ipsam ad suum libitum efformauit primò inquit falsum esse, alios Inchoatores libenter admittere, quod formæ substantiales de nouo producantur, quia ex quatuor modis ponendi formarum inchoationes relatis ab ipso numero 117. ex Scoto 7. Metaphysicor. quæstione 12. apertum est, quod ratio seminalis materiæ concreata secundum nullum ex illis fit de nouo; secundò falsum esse ad nullum finem Contarenum posuisse Seminarium formarum, nam quamuis non concedat formas de illo de nouo produci, concedit tamen alios fines, quos ibi septem enumerat; tertiò falsum esse alias opiniones seminarium ad hunc finem posuisse, vt formæ fiant de nouo, nam tertius modus à Scoto relatus asserit formas vniri de nouo, non fieri de nouo, & quartus modus sentit formam non fieri de nouo quoad rem, sed quoad modum essendi; denique ait irrisoriè nos accepisse metaphoras à Contaren. adductas de sopore, ac excitatione, indeque per iocum seminarium ab ipso positum appellasse cubile, quod tamen sine ioco asseri posset, quia licet eandem rem occultam diuersis exemplis, ac metaphoris declarare, vnde ex variis muneribus dici potest seminarium, gremium, latibulum, promptuarium, thesaurus, ac denique etiam cubile, in quo sopitæ sint ab æterno, & in tempore ab agente naturali excitentur formæ, vt quasi vigiliam, & quasi operationem exerceant naturalem.

Hæc tamen non est verax, sed impostoria traductio, quoad primum imponitur nobis, quia licet diximus alios inchoatores posuisse formas de nouo produci, addidimus tamen cum hoc etiam admisisse semper aliquid formæ præcedere, vt ex eo fieri formæ de nouo dicerentur, & non de nihilo; nec vnquam diximus rationem seminalem materiæ concreatam secundum aliquem ex relatis modis fieri de nouo; si enim fuit ipsi materiæ concreata, iam de nouo ab agente naturali fieri non potest, nisi iam actum agat, sed diximus aliam partem formæ, vel modum ab agente naturali de nouo produci, non ipsam rationem seminalem in materia præcedentem. Quod secundum etiam imponitur nobis, quia non diximus Contarenum absque vllo fine seminarium illud statuisse, sed non ad eum finem, ad quem ab alijs fuit institutum, nam alij posuerunt, vt ex eo fierent de nouo formæ sine periculo creationis, hæc autem duo valde differunt, & secundum asseruimus, non primum, vt ipse nobis impingit in argumento, quod ad libitum suum efformat nomine nostro. Et falsum est alios modos à Scoto relatos non admisisse productionem aliquam formæ, vel quantum ad rem, vt duos primos, vel quantum ad modum essendi; vt quartum; tertius quidem non ponit formam vllo modo produci de nouo, sed solam eius vnionem, vel copulationem cum materia, at hic est modus Contar. vt & Ferchius ipse fatetur, & ideo non est enumerandus inter alios à modo Contar. diuersos. Denique si hic admittit, & defendit metaphoras Contareni de sopore, & excitatione formarum, si habet pro philosophicè dicto, quod formæ in seminario per totam dormiant æternitatem, & in tempore postea ab agente naturali quasi ad vigiliam excitentur, & ad operationem, seuerè nimis nobiscum agit inferius lib.3.pag.298.c.7.n.42. vbi nos corripit, quod ad declarandum materialitatem formarum vt ab anima intellectiua distinguantur, dicamus illas esse, quæ suaptè natura in suo esse, fieri, & conseruari materiæ sunt immersæ, & alligatæ, quia hæc vocabula, inquit, *immersa, & alligata*, sunt metaphoræ à disputatione reijciendæ; iudicet æquus Lector, si Ferchius, cum tanta indulgentia Contareno permittit metaphoram soporis, & vigiliæ in formis, num nobis absque scrupulo permittere possit aliam metaphoram immersionis, & alligationis ad materiam; ob quam excæcat passio animum, nec sinit cernere verum.

130 Secunda ratio, quare hæc positio sit cæteris irrationabilior, erat, quia cæteri omnes formarum Inchoatores hoc seminarium posuerunt esse quid corporeum, & materiale, vt Auicen. qui ponebat formam corporeitatis, at Contaren. ponit hoc seminarium esse quandam essentiam spiritualem materiæ concreatam, ac ei perpetuò hærentem, quod à secluso non est auditum; at explicare tenetur, quare hoc seminarium formarum debeat potius esse spirituale quidpiam, quam corporale, siue enim inseruiat, vt formæ ex eo traducantur, siue vt in eius gremio foueantur, planè ad hoc munus obeundum maiorem proportionem videbatur habere essentia corporalis, quam spiritualis, cum & ipsæ formæ materiales sint, & corporeæ. Tenetur etiam explicare, quomodo hæc essentia spiritualis materiæ illabatur, ac inexistat, num scilicet vt forma informans, sicut anima rationalis dicitur esse in corpore, an potius, vt forma assistens, & quicquid dicatur est purum, ac merum figmentum.

Respondet Ferchius lib.1.ca.9. quod etiam quædam formæ in materia, & corpore existentes dicuntur spiritus, hęc enim vox *spiritus*, ex D. Aug. lib. de cognitione veræ vitæ tom.9.n.183. ex habet significata, quorum vnum est, vt anima brutorum dicatur spiritus, vt Genes. 6. *interficiam omnem carnem, in qua Spiritus vitæ est*, Eccl. 3. *quis scit si spiritus hominis ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* & 13. de ciuitat. Dei c.24. ex diuina scriptura memorat Aug. spiritum hominis, spiritum pecoris, spiritum corporeum, vt ventum, nulla ergo necessitas erat in Theologia ex substantia spirituali nominata intelligere substantiam intellectualem, vt Deum, Angelum, animam rationalem; & in philosophia Arist. nomen spiritus nunquam inuenitur vsurpatum pro substantia spirituali, & incorporea, sed significat semper corpus aliquod subtile, mobile, ac motiuum celerrimè, ad quod adducit nonnulla ex Arist. loca, in quibus spiritus, & forma spiritualis, qua constituitur spiritus, non est intelligendus angelus aliquis, vel dæmon, sed substantia quædam, & forma existens in corpore, quę tamen dat esse corporeum, cum etenim sint diuersi gradus formarum, gradus corporeitatis datur à forma corporeitatis, sed gradus ignis, vel auri, vel sanguinis, vel plantæ non dantur à forma corporeitatis, propter hoc essentia spiritualis seminarij dicitur, quia vt sic non dat esse corporeum, sed est indifferens ad esse corporeum, ad esse ignis, ad esse auri, & cætera; dixit etiam spiritualem essentiam seminarij ad vitandas difficultates, quæ sequuntur opinionem Auicen. reposita ab ipso ca.9.cart.336. vbi etiam explicat, quare hoc seminarium sit potius spirituale quidpiam, quam corporale; subdit etiam n.65. nos in argumento confundere similitudinem cum proportione, corporale, & corporale habent maiorem similitudinem, non habent maiorem proportionem, extrema similitudinis in eadem qualitate conueniunt, & sunt idem, extrema proportionis frequenter sunt maximè dissimilia, atque diuersa, est namque proportio inter causa, & causarum, potentiam, & obiectum, materiam, & formam, motiuum, & mobile, terminum à quo, & ad quem, Deum, & creaturam, & Scot. 1.d.3.qu.3.C. ait, quod proportio requirit dissimilitudinem proportionatorum, sicut communiter dicitur in omni proportione, sicut patet de materia, & forma, parte, & toto, causam, & causato, & cæteris proportionalibus; considerentur anima rationalis, & corpus humanum, hæc habent per se

proportionem ad constituendum hominem, at anima spiritualis est, & informat corpus, est inextensa in subiecto extenso, est incorruptibilis, & immortalis in carne mortali, & corruptibili &c. proportio ergo est inter formas eductas & materiam, ex qua educuntur, non autem similitudo. Denique vt respondeat vltimæ parti argumenti ait Contaren. sufficienter quoque explicasse, an hæc essentia spiritualis re pectu materiæ sit forma informans, vel assistens, etenim secundum ipsum illa essentia spiritualis per vnum aliquem gradum immediatè informat materiam, alij gradus in ea latentes mediante essentia inhærent materiæ.

131 Sed Contra, probo non sine fundamento per essentiam spiritualem apud Contaren. nos intellexisse substantiam incorpoream, ac immaterialem, quoniam regula est apud Philosophos, & Theologos, à Ferchio acceptata vestig. 1. c. 17. nu. 49. quod quando vox aliqua absolutè profertur, stat pro suo famoso, & proprio significato; sed sic est, quod nomen spiritus, licet varia habeat significata, primum tamen & principiale est, quod significet rem incorpoream, & immaterialem, ac inextensam; ergo cum à Contaren. absolutè pronuncietur *essentia spiritualis* in præcitata quæstione, & sine vlla declaratione, vt ibi est videre, recte à nobis accepta est pro suo principali significato, scilicet pro immateriali forma, atque incorporea; maior patet, probatur minor ex illo eodem loco D. Aug. lib. de cognitione veræ vitæ, quem respondens adducit, nam ibi nomen spiritus sex habet significata; primo dicitur summus Spiritus omnium Deus, vt ibi Spiritus est Deus secundo modo Angeli spiritus nuncupantur, vt ibi, facit Angelos suos spiritus; tertiò anima rationalis, vt ibi, exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam; quartò vita brutorum, vt ibi, quis scit, si spiritus iumentorum &c. quintò venti, vt ibi, spiritus procellarum; sexto aer, vt ibi, aperui os meum, & attraxi spiritum; iam ergo patet, quod tribus primis modis, qui sunt principaliores, significat spiritus substantiam immaterialem, & incorpoream; ergo vox ista spiritus, vel spirituale absolutè pronunciatum sumi debet pro aliquo incorporeo, & immateriali, & est necessitas in Theologia ex substantia spirituali nominata intelligere substantiam intellectualem, Angelum vel animam rationalem, quia hæc sunt significata principalia illius nominis; cum ergo Contaren. formam Seminarij essentiam vocet spiritualem absolutè & absq. vlla limitatione, vel declaratione, in suo principali significato accipienda est ex regula iam tradita pro forma incorporea, & immateriali. Conf. quia ideò Contaren. formam seminarij appellauit spiritualem, vt penitus excluderet formam corporeitatis ab Auicen. introductam pro Seminario; ergo spirituale sumitur à Contaren. prout excludit corporeum, & extensum, vel saltim sic sumi debet, si non ex eius intentione, saltim ex modo loquendi. Tum quia quamuis Arist. regulariter vtatur, nomine spiritus ad significandum corpus aliquod subtile, mobile, ac motiuum celerrimè, tamen nomen spirituale inde deductum nunquam applicat ad res cum materia commixtas, vt notauit S. Bon. 2. d. 3. art. 1. q. 2. in corpore quæsiti immediatè ante solutionem obiectionum, dum ait Philosophum dicere, quod spiritualium, & corporalium non est materia vna, vbi etiam addidit Marginista, quod Arist. nunquam est vsus isto nomine *spirituale*, vbi materia reperitur, non ergo ad phrasim Aristot. vocauit Contar. formam materialem, seminarij spiritualem. Præterea licet forma seminarij posita à Contar. non tantum det esse corporeum, vt præstabat forma corporeitatis Auicen. sed det quoque esse ignis, ferri, plantæ &c. & ad hæc omnia sit indifferens, non videtur, cur ex hoc capite dici possit essentia, vel forma spiritualis etiam ad phrasim Arist. qui per spiritum intelligit corpus aliquod subtile, mobile, ac motiuum celerrimè.

132 Quod verò subdit de discrimine inter similitudinem, & proportionem à nobis ignorato antequam illud nobis declararet, à nobis declaratum fuit disputation. septima, Physic. quæstion. 6. articul. 5. à num. 132. explicando quæ proportio inter causam, & effectum esse debeat, & disputat. 6. de Anim. quæstion. 7. articul. 1. numer. 207. explanando quod inter potentialem, & obiectum non est necessaria similitudo in essendo, sed sufficit proportio mouentis ad mobile, pro quo citauimus ibi Doctorem 4. d. 45. quæst. 2. A. & antequam Ferchius citaret nos 1. d. 3. q. 3. C. ad cognoscendum tale discrimen, nos illud viderimus nedum in eo loco, sed etiam qu. 1. prologi X. & 2. d. 3. qu. 9. & d. 12. qu. 1. & 3. d. 1. qu. 1. ad 2. prin. & 4. d. 1. qu. 1. §. *Ratio secunda*, & 4. d. 49. qu. 11. & quol. 12. & 14. & alibi frequenter, cum nil frequentius offendatur in Scoto, quam hoc discrimen inter similitudinem, & proportionem. Sed quod nobis impingit respondens vereor ne recidat in ipsam, quod nempe non bene perceperit discrimen inter illa, licet enim verum sit proportionem poscere dissimilitudinem inter sua extrema in quibusdam conditionibus, non tamen in omnibus, imò si nullam haberent conuenientiam, nullam proportionem inter se fundare possent, hinc dicitur quod inter ens, & non ens nulla cadit proportio, eadem ratione ait Doctor 4. d. 1. q. 1. I. punctum esse improportionabilem lineæ, quia in quantitate non conueniunt neque proportio causæ ad causatum, motiui ad mobile excludit similitudinem in esse, quia causa vniuoca, & effectus vniuocus conueniunt in esse, & in modo essendi, cum sint eiusdem speciei, idem etiam potest mouere seipsum, nec tamen est à seipso dissimile in esse; quando ergo inquit Doctor 1. d. 3. qu. 3. C. proportionem requirere dissimilitudinem proportionatorum, hoc non debet absolutè intelligi, vt Ferchius voluisse videtur, sed tantum quod debent esse dissimilia in illis conditionibus comparatur ad inuicem in ratione causæ, & effectus, motiui, & mobilis, quia inter istas rationes est necessariò dissimilitudo, vt ibi optimè explicant Lichet. & Bargius, vndè optimè proportio saluatur etiamsi conueniant in alis, ideòq; formæ corporeæ, & materiales etiamsi cum materia in materialitate conueniant, adhuc tamen proportionantur in ratione actus, & potentiæ; non ergo est absolutè vera doctrina, quam tradit Ferchius de discrimine inter proportionem, & similitudinem, si velit proportionem necessariò excludere si militudinem in esse, i no S. Bon. 2. d. 19. art. 1. q. 1. ratione sexta probat animam esse immortalem ex proportione inter potentiam, & obiectum in hoc sensu quia veritas eius obiectum est incorruptibilis, ergo & anima.

Deindè adhuc falsius est quod inquit inter formas eductas, & materiam ex qua educuntur esse quidem proportionem, non tamen similitudinem; licet enim non debeat esse similitudo in esse specifico, tamen esse debet similitudo quantum ad hoc, quod ambo sint corporea, & extensa, nam si forma sit spiritualis, & impartibilis proportionari quidem potest cum materia in ratione actus, & potentiæ, receptibilis, ac receptiui, minimè verò in ratione formæ, vel effectus educti, & in ratione causæ, vndè educta sit, quia vt notat Doctor 4. d. 1. q. 5. §. *contra istam opinionem*, & S. Bonau. 2. d. 18. art. 2. q. 2. antè resolutionem quæstionis nulla forma spiritualis talem habet proportionem cum materia, vt ab ea possit educi, licet habeat, vt in eam possit induci, & recipi, qua de causa dixit Arist. 2. de gener. animal cap. 3. animam intellectiuam de foris venire; ergo seminarium formarum, ex quo debent educi materiales formæ, licet in alijs rationibus specificis possit, ac debeat esse dissimile ab ipsis, tamen quantum ad materialitatem, & corporeitatem conuenire debent, quia nec forma corporalis potest educi de seminario spirituali, nec forma spiritualis de corporali; vt ergo seminarium sit idoneum promptuarium, vndè educantur formæ, debet esse corporeum, sicut formæ ipsæ educibiles, non verò incorporeum, & spirituale; atque ideò non erit debita ad eductionem proportio, vt ait Ferchius, si seminarium ex quo, sit spirituale, & forma educta corporalis. Rursus non solum ex indigentia materialitatis formæ debet illud seminarium, vndè educitur, corporeum esse, ac materiale, sed etiam ex indigentia materialis agentis illam educentis, vt benè notauit Basolius 2. l. 18. qu. vn. §. *contra tertium modo dum*, nam si tale seminarium ponatur quid spirituale, tunc agens corporale non posset ipsum attingere per actionem suam, & ita tale seminarium nihil faceret ad generationem formarum, frustraque poneretur.

133 Denique cum ait Contaren. quæst. de origine formarum cap. 9. benè explicare, quare hoc seminarium formarum potius poni debeat spirituale quidpiam, quam corporale, & an hæc essentia spiritualis seminaria sit forma informans, vel assistens, fateor hanc explicationem repetita diligentia me in illo capite aduertere non potuisse; imò ex eo capite oppositum colligo eius, quod ait Ferchius, dum enim nos petimus, quomodo hęc essentia spiritualis materiæ illabatur, ac inexistat, an sicut forma informans, vel potius assistens, respondet ipse nu. 67. quod secundum Contaren. per vnum aliquem gradum immediatè informat materiam, alij verò gradus in ea latentes mediante essentia inhærent materiæ; at in eo capite nono apertè negat Contaren. essentiam illam spiritualem informare materiam nec quoad gradum corporeitatis, vt aiebat Auicen. nec quoad alium quemlibet actum, quia peripateticæ legis non permittunt vllam formam informantem materiam ab ea inseparabilem, vt ait se probasse quæst. de simplicitate Cœli; tum quia si daretur aliqua forma perpetuò materiæ per informationem inhærens, tunc non fieret resolutio cuiuscunq; compositi vsque ad materiam primam, sed vsque ad tale compositum, quod est contra Arist. 1. Phys. 82. vbi definitur materia, quod sit primum subiectum, ex quo inexistente res fiunt, ac in quod vltimò resoluuntur. Tum etiá quia hoc asserendo irrita, ac vana redderetur ratio Arist. qua ex medio transmutationis inuenit materiam primam: si enim in nulla transmutatione fieret resolutio vsque ad materiam primam, sed solùm vsque ad tale compositum progressus resolutionis admitteretur, indè ratio primæ materię penitus informis nunquam cognosci potuisset; his, & similibus rationibus improbat eo cap. Contar. formam corporeitatis ab Auicen. positam pro seminario formarum, quæ nullam indicant rationem, cur forma seminaria potius spiritualis poni debeat quam corporalis, nec indicant Contarenum velle formam suam seminariam spiritualem per vnum aliquem gradum immediatè informare materiam, vt ei tribuit Ferchius, sed potius oppositum, quia si talem formam admitteret si perpetuò materiam informantem, eadem inconuenientia sequerentur contra suam formam spiritualem, quæ ipse infert contra formam corporeitatis Auicen. inferius verò cap. 11. pag. 143. in fine nec essentiam illam spiritualem, nec gradus in ea latentes vult esse formas per se subsistentes, quia id solum inquit conuenire substantijs spiritualibus materiam non informantibus, ergo re vera Contarenus non explicuit, cur hoc seminarium formarum potius spirituale poni debeat, quam corporale, neque an hæc essentia spiritualis sit forma informans, vel assistens, quia cap. 9. videtur negare esse informantem, & cap. 11. videtur negare esse subsistentem.

134 Tertia adhuc ratio ad positionem Contareni impugnandam deducitur ex absurdis ad eam consequentibus, nam si illa spiritualis essentia pro seminario formarum materiæ concreatæ materiam informat perpetuò per vnum aliquem gradum vt ei tribuit Ferchius præ-

præterquam quod explicari non potest quodnam compositum sit illud, & quodnam esse recipiat materia à forma seminaria secundum talem gradum, adhuc sequuntur illa inconuenientia, quæ Contaren. inferebat contra formam corporeitatis Auicen. quod nempe daretur aliqua forma inseparabilis à materia, & nunquam fieret resolutio vsque ad materiam. Nec valet dicere, hoc absurdum non esse secundum gradum genericum, indeterminatum, & confusum quia sic etiam respondere posset Auicen. de sua forma corporeitatis. Sequeretur etiam omnes formas ignis, aquæ, ferri, lapidis &c. eiusdem esse essentiæ, quia omnes conuenirent in illa forma seminaria, & in illa omnes identificarentur, atque ita solum differrent quoad gradus intrà eandem essentiam, atque speciem, atque ideò differrent tantum accidentaliter, quia magis, & minus intrà eandem speciem differentiam tantum parit accidentalem. Nec valet, quod ait Contaren. quod adhuc differrent secundum gradus essentiales, quia cum omnes illi gradus determinati sint eiusdem essentiæ vt ipse concedit cap. 9. in fine, & c. 10. pag. 140. ab initio, vbi vult non tam esse varias essentias, quam eiusdem essentiæ varios gradus, planè talis diuersitas nequit esse, nisi accidentalis, & intrà eandem speciem essentialem. Conf. quia cap. 11. pag. 142. concedit formas canis, & equi, vt latent in essentia illa spirituali seminaria, nedùm ab ea non distingui essentialiter, sed nec etiam essentias habere inter se actualiter distinctas. Quod si dicas tunc inter se gradus illos actualiter, & essentialiter distingui, quando à generante determinationem, & complementum recipiunt, vt ipse ibid. innuere videtur; hoc statim reijcitur ex eo, quod docet in eodem capite pag. 143. circa medium, vbi dicit quod forma, vel gradus equi non accipit determinationem, & complementum per aliquam eius additionem essentialem, sed solum per additionem habitudinis, ac copulationis cum materia; si ergo non additur in generatione aliqua essentialis differentia, sicut antè generationem gradus illi non erant inter se essentialiter distincti, ita neque post, sed tantum accidentaliter ratione diuersarum dispositionum. Tum quia si differentia inter illos gradus verè essentialis esset, tunc illa essentia spirituali non consisteret in indiuisibili, quod Arist. repugnat 8. Metaph. cap. 10. essentiæ sunt sicut numeri. Nec valet solutio Contar. Arist. ibi loqui de gradibus determinatis, & specificis; nam doctrina, quam ibi tradit, & ratio qua id probat, valet generaliter de omnibus essentijs tam specificis quam genericis, vt intuenti patebit, loquitur enim non tantum de essentijs disparatis, sed etiam subordinatis.

135 Quarta, & vltima ratio est, quia vt diximus ab initio huius quæstionis de origine formarum, eadem quantùm ad hoc currit difficultas de origine formarum substantialium, & accidentalium, si namque seminario non admitto, sequitur formam substantialem ab agente naturali creari, quia fieret ex nihilo sui, nam subiectum nihil est sui, idem pariter sequitur de forma accidentali, atque ideò aut ponendum est quoque seminarium, & inchoatio pro formis accidentalibus, sicut ponitur pro substantialibus, aut qua ratione non erit necessarium respectu accidentalium ad euitandam creationem, nec erit pariter necessarium respectu substantialium; & quidem hoc argumentum directè procedit generaliter contra omnes inchoatores; Specialiter tamen contra Contar. deduci potest, quia cum ipse velit omne quid fieri ex alio constitutiuè, vt mox videbimus eius fundamentum examinando, nec videret tale principium, ex quo forma substantialis possit constitui, cum sit simplex, credidit esse ab æterno in materia concreatas; ergo idem pariter erit dicendum de forma accidentali, cum sit forma simplex, aut qua ratione admittitur huius noua productio absque creationis periculo; aut ope alicuius principijs, ex quo constitutiuè fiat, idem quoqae de forma substantiali erit asserendum. Neque dicat Contaren. cap. 11. in fine accidentia esse adeò vilis, & exilis entitatis, vt illorum origo, non ita seuerè, vt origo formarum substantialium, sit indaganda; nam accidentia magis ad oculum fiunt de nouo, ac intereunt, & ideò principaliter de ipsis quærendum est, quomodo de nouo fiant sine creationis periculo, & sine aliquo principio, vel subiecto, ex quo constitutiuè fiant, tanquam ex parte intrinseca ipsorum.

Respondet Contar. ibidem nulla accidentia ex nihilo fieri, quia producuntur per emanationem ex substantijs, nam sicut ipsæ substantiæ primam originem suæ essentiæ substantialis habent à primo ente, scilicet à Deo, ita & ipsæ valent per emanationem producere accidentia, quæ sunt entia deteriora. Contrà, quando ignis v. gr. producit calorem in manu mea, vel illum calorem creat, & producit ex nihilo, vel ex aliquo; non primum, vt Contar. quoque concedit; si ex aliquo nimirum ex subiecto, & non tanquam ex principio constitutiuo facti, quia est forma simplex, idem quoque de forma substantiali dicere poterit, ac debebit; neque vera erit illa sua propositio, quam assumit, vt vnicum fundamentum suæ positionis, quod ad factionem ex aliquo præexigitur subiectum, vt pars constitutiua rei factæ. Si dicat creationem accidentium euitari præcisè, quia de nouo fiunt per agentia naturalia; præter quam quod hoc non sufficit, quia requiritur concursus materialis causæ simul cum agente naturali, adhuc hoc admisso, idem pariter de formis substantialibus dici poterit excepta rationali anima, quod possint ab agente naturali immediatè de nouo produci absque vlla creatione, quia quantum ad hoc est eadem ratio de productione formæ substantialis, & accidentalis, vt sæpè dixi.

Obiectiones ad oppositum solutæ.

136 FVndamentum Contareni, quod iacit pro sua positione quæst. cit. cap. 10. sic retulimus disp. 5. de gen. quæst. 10. nil fieri potest ab agente naturali, quin subiectum aliquod constitutiuum illius rei concurrat, velut pars intrinseca eius, in hoc enim sensu semper docuit Arist. quicquid fit ex aliquo fieri, & non ex nihilo, vt patet 1. de gener. 17. 7. Met. 22. 1. phys. 33. 34. & 75. cum ergo formæ non habeant, ex quo possint subiectiuè constitui, concludendum est esse ingenerabiles, & incorruptibiles, alioquin ex nihilo fieri dicerentur. Neque hoc euitatur, si dicas sufficere, vt subiectum præcedat, in quo forma producenda recipiatur; minimè, nam Arist. 1. Phys. 82. probans materiæ necessitatem in quacunque rerum productione, ne ex nihilo fieri dicantur, ait, *si enim fit, aliquid subijci oportet, ex quo fiat*, quibus verbis significari videtur necessitas alicuius subiecti, ex quo res fiat constitutiuè, nam si determinare voluisset Arist. quod illud subiectum concurrere debeat, vt receptiuum tantum, non vtique dixisset requiri subiectum, *ex quo fiat*, sed *in quo fiat*.

Respondemus huic argumento disp. 5. cit. de gen. qu. 10. nu. 143. falsam esse illam maiorem, & nunquam sufficienter probatam, scilicet opus esse, ne res creari dicatur, aut ex nihilo fieri, debere fieri ex aliquo velut ex parte; Ferchius lib. 1. cap. 4. ait hic nos per cautelam sophisticam transire à parte arguentis ad partem respondentis; quod qua ratione dicat non video, nam immediatè ante numerum præcitatum fundamentum Contaren. adducimus, & statim sub illo num. 143. respondemus ad illud, neque impugnandas assumimus formarum inchoationes, sed supponimus fuisse sufficienter impugnatas à Scoto 2. dist. 18. alijsque Scotistis, vt ibi est videre; vndè hæc mera impostura est; c. autem 2. num. 15. ait argumentum Contar. à nos fideliter non referri; primò in maiore Contaren. à parte subiecti solam substantiam proponit *nulla substantia potest ab agente naturali essentialiter produci*, vos extendistis ad quodcumque ens dicentes, *nil fieri potest ab agente naturali*, omittitis quoque particulam, *essentialiter*, quæ necessaria est, dum essentia formarum ponitur ab æterno fuisse, & negatur de nouo fieri, non negatur fieri secundum totalem existentiam, vel secundum modum actus, aut perfecti, aut determinati; secundo in prædicato maioris ait Contar. *quin subiectum aliquod constitutiuum eius concurrat*, vos adulterinam particulam adiungitis, *velut pars intrinseca eius*, subiectum, & pars differunt, vt suprà num. 2. conclusionem Contar. prorsus violatis, Contar. colligit, *quare formæ substantiales non possunt essentialiter produci ab agente naturali*, vos concludit formas esse ingenerabiles, & incorruptibiles; fortasse, vt occultè insinuaretis argumentum Contaren. non esse in forma, quoniam colligit prædicatum in conclusione, quod in neutra præmissarum collocatur; Subdit num. 16. neque fideliter à nobis referri Contar. præoccupatam responsionem; scribitis, Arist. 1. Phys. 82. probans materiæ necessitatem in quacunque productione, Contar. verò ait, & litera 82. 1. Phys. in qua probans Philosophus æternitatem materiæ, ex eo quod si illa aliquando produci fuisset, id factum esset ex alia materia; Contar. probans *æternitatem*; inquit, vos pro æternitate *necessitatem* materiæ scribitis, differunt necessitas, & æternitas; Profectò Arist. 1. Phys. 82. probat necessitatem materiæ in quacunque generatione, & corruptione, vt præter duo contraria ponatur subiectum, quod eis subijci possit, & ex quo subiecto cum forma constare possit compositum; vos autem quod factum est tex. 52. transtulistis ad 82. falsam citationem Contareno veraci in citando adscribentes; hæc Ferch. loc. cit. solito supercilio.

137 At euidenter ostendo fundamentum Contar. esse fideliter relatum, sicut præoccupatam responsionem, ibi enim disputabatur de origine, non cuiuscunque formæ, sed formarum substantialium, igitur loquendo in subiecta materia, in qua eramus, de inchoationibus formarum substantialium, illa nostra propositio, *nil fieri potest ab agente naturali &c.* æquiualet omninò propositioni Contar. nam non erat ibi sermo, nisi de productione essentiali, & de productione substantiæ, dum enim aqua fit calida, non dicitur hæc productio essentialis, nec dicitur substantia produci; Neque nos particulam adulterinam adiunximus illi maiori, cum diximus *velut pars intrinseca eius*, imò hæc erat necessaria ad explicandum quid sit esse subiectum constitutiuum alicuius rei ad differentiam alterius rei, vel formæ, quam in se recipit, sed intrinsecè non constituit, neque oppositum deducitur ex his, quæ Ferchius habet suprà num. 2. ibi enim sic loquitur *ad excludendam factionem ex nihilo Contar. exigit, vt res fiat ex subiecto constitutiuè, Ferchius, vt res fiat ex parte, siue illa sit subiectum, vt materia, siue forma*, ergo ratio partis etiam secundum ipsum conuenit subiecto constitutiuo, & licèt in plus se habeat esse partem, quam subiectum constitutiuum, quia forma est pars, nec tamen est subiectum constitutiuum, tamen ratio partis conuenit subiecto constitutiuo, & materia est pars subiectiua constitutiua compositi naturalis, & ideò non spuriè addita est illa particula *velut pars intrinseca*, sed erat necessaria ad sensum Contar. falsum quoque est conclusionem à nobis deductam esse à conclusione Contar. diuersam, & argumentū, vt à nobis conficitur non esse in forma, & in conclusione colligere, quod in neutra præmissarum collocatur, nam maior est illa *nihil*

fieri potest ab agente naturali, quin subiectum aliquod constitutiuum eius concurrat, quæ huic æquiualet *nihil est generabile ab agente naturali quin subiectum aliquod &c.* minor est, *sed formæ non habent, ex quo possint subiectiuè constitui*, sequitur conclusio, ergo sunt ingenerabiles ab agente naturali, & consequenter etiam incorruptibiles; quamuis ergo Contaren. argumentum sit aliquantisper in verbis permutatum, vt breuius reduceretur, sensus tamen omninò idem est, nec vllum verbum necessarium deficit.

138 Quo autem ad impostturam infidæ relationis præoccupatæ responsionis eiusdem Auctoris, alium expurgatorem præter ipsum Ferchium nolo, qui vestig. 1. cap. 17. nu. 49. referens argumenta Pererij, & Piccol. primum, quod adducit, erat hoc; Aris. & peripatetici putant euidenter demonstratam esse æternitatem materiæ primæ in 1. Phys. 82. quia si vnquam fuisset producta, oporteret eam esse productam ex aliquo subiecto, quare antè materiam esset alia materia, & sic res procederet in infinitum. Respondet Ferchius ibi Arist. probare materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem eo modo, quo generantur, & corrumpuntur composita, non autem esse æternam; & num. 50. habet hæc verba, *miror autem viros alioqui eruditos in illo tex. 82. 1. Phys asserere æternitatem materiæ, cum in textu materia non dicatur æterna*; si ergo verum est Contaren. vt ait Ferchius, dum ait in eo tex. 82. probari æternitatem materiæ, iam Ferchius ipse deprehenditur mendax, & inconsultò miratur de Pererio, & Piccol. quod hoc dixerint; Sed nos fideliter Contar. præoccupatam responsionem asserimus, & ipse in sua Defensione Contar. offendit, non defendit; hæc sunt formalia Cont. verba cap. 10. Nec dicat aliquis indè tantùm colligi necessitatem alicuius subiecti, in quo res producenda recipiatur, non tamen inferri necessitatem alicuius principij, ex quo res ipsa constituiuè fiat; tollitur enim hoc effugium ex litera 82. tex. eiusdem 1. Phys. in qua probans Philosophus æternitatem materiæ ex eo, quod si illa aliquando producta fuisset, id factum esset ex alia materia, ea verba profert, *si enim fit, aliquid subijci oportet, ex quo fiat*, quibus expresè significari videtur necessitas alicuius subiecti, ex quo res fiat constituiuè, nam si determinare voluisset Arist. quod illud subiectum concurrere debeat, vt receptiuum tantùm, non vtique dixisset requiri subiectum *ex quo fiat*, sed dixisset *in quo fiat*; ita Contaren. ibi; ex quibus verbis constat totum eius intentum in hac præoccupatione fuisse ostendere ex illo tex. 82. in cuiuscunque rei factione interuenire debere materiam, non tantum vt subiectum *in quo formæ*, & mutationis, sed etiam, vt ex quo constituatur intrinsecè res facta; vndè de æternitate materiæ non curat ibi, sed de necessitate alicuius subiecti, ex quo res fiat constitutiuè, & talem necessitatem deducere intendit ex Arist. tex. 82. cit. dum probat materiæ necessitatem, vt principij constitutiui rei factæ; quare quamuis necessitatem posuerimus in nullo Contaren. offendimus, qui in hoc proposito de æternitate materiæ sollicitus non est, sed de necessitate per modum principij intrinsecè constitutiui, vt palam ex eius verbis constat.

139 Ipse verò Contar. offendit, dum vult talem necessitatem etiam per modum principij constitutiui probari tex. 52. non autem in tex. 82. nam Contar. apertè dicit probari talem necessitatem tex. 82. illis verbis, *si enim fit subijci aliquid oportet ex quo fit*, & veracissimè hoc asserit Contar. sicut falsissimè id Ferchius negat; nam tex. 82. probat vtique Arist. necessitatem materiæ, vt principij, in quo recipitur forma, vel priuatio, & sic commune subiectum contrariorum; non tamen vt principij, *ex quo*, simul cum forma constituatur compositum, vt perperam Ferchius arbitratur, quia de materia in ratione talis principij ibi nec verbum quidem, sed tantùm, vt est subiectum contrariorum, quo pacto est principium in fieri, non in facto esse, est principium mutationis, non compositi; necessitas verò eius, vt principij *ex quo*, res fit, & constituitur, ostenditur tantum tex. 82. vt optimè Contar. quia planè non satis fidum inuenit Procuratorem in sua causa, cum loco defensionis ipsum offendat, dum negat tex. 82. ostendi ab Arist. necessitatem materiæ in ratione principij constitutiui, quod asserit Contar. Sed agè redeamus ad argumẽtum Contar. & proponatur eodem prorsus modo, quo proponitur ab ipso, ne causetur Ferchius; nulla substantia potest ab agente naturali essentialiter produci, quin subiectum aliquod constitutiuum concurrat; sed formæ rerum naturalium, quæ sunt substantiæ, non habent ex quo possint subiectiuè constitui, quare non possunt essentialiter produci ab agente naturali, & ad probationem maioris repetantur Arist. testimonia iam supra adducta in nostra relatione argumenti. Adhuc respondeo eodem modo, vt suprà (vt hinc pateat non maiorem argumentum energiam habere sub verbis ipsissimis Contar. quam sub nostris) negando maiorem, si absolutè sumatur, quandoquidem illam tantùm verificatur in factione compositorum, non autem cuiuscunque substantiæ, ad loca Arist. & præsertim ex tex. 82. 1. Phys. quibus probare intendit Contar. quicquid fit, fieri ex aliquo tanquam ex subiecto rei factæ constitutiuo, respondeo ex ipso Ferchio eius Procuratore vestig. 1. cap. 17. num. 49. & 50. quod cum ait Arist. in eo tex. 82. *si enim fiat subijci aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat*, hæc Arist. propositio præcisè est de ipso fieri, vt competit composito, quod fit ex subiecto primo inexistente, & ideò conclusio quoque Arist. præcisè est de ipso fieri compositorum, ne plus colligatur in conclusione, quam seminatum sit in præmissis; non verò loquitur de fieri in communi simpliciter, & absolutè sumpto, quo pacto etiam formæ conuenire potest; itaque fieri speciale, quod est ex parte præexistente, composito tribuitur, & à forma, ac materia æqualiter remouetur, fieri commune siue ex parte præexistente per modum subiecti, siue non ex parte proculdubio competit formæ.

140 Secundò arguit Ferchius lib. 1. cap. 2. in fauorem Contaren. probans formas substantiales nec verè produci, neq; verè corrumpi, sed tantum per accidens, idque probare contendit ex Scoto, & Arist. vt ostendat nos oppositum tenentes nec Scotistas, nec Aristotelicos esse; non vtique Scotistas, quoniam Scotus 2. d. 17. q. 1. A. B. C. ponit totum produci per se formas per accidens totum propria productione produci, formam non propria productione, sed productione totius, totum prius natura, formam posterius ad productionem totius, totum produci, vt primum terminum, ita quod fieri totius est via, & ratio ad esse formæ. Atque per hoc secundùm Scotum Arist. vitat creationem animæ, quia sicut forma Cœli secundum Philosophos non creatur, eo quod forma Cœli non prius fuit terminus creationis, quam Cœlum, sic, neque in productione animę rationalis actio Dei terminatur in primo signo naturæ ad esse animæ, sed actio Dei in primo signo naturæ terminatur ad esse totius hominis, in secundo signo ad esse animæ humanæ terminatur per accidens; Theologi verò tenẽt oppositum, quod actio Dei in primo signo naturæ terminatur ad animam rationalem, in secundo ad vnionem animæ cum corpore, atque ad productionem totius, propter hoc Theologi ponunt animam intellectiuam creari, Arist. negat; his consonat Scot. omninò in 4. d. 43. q. 2. M. docens secundum Arist. animam rationalem non creari, quoniam non producitur propria, & priori productione, quam producatur totus homo, sed eadem productione totius producitur & anima idipsum in primo d. 3. q. 6. X. Y. docet Soctus tam in generatione substantiali, quam accidentali, nempe quod totum per se generatur, & corrumpitur forma per accidens; ideoq; forma non dicitur produci, nec esse terminus productionis, sed tantum compositum; nota particulam *tantum*, compositum producitur, & ipsum generatur, & corrumpitur, qui autem Scotistæ Scoto contradicunt, in hoc non sunt Scotistæ, tales sunt offensores, dum aiunt formas substantiales verè produci, verèque corrumpi.

141 Resp. quod si finis, non volantibus oculis, vt dicere solet, disputationes nostras Ferchius legisset, vidisset hæc omnia, & singula loca iamdudum à nobis citata disp. 2. Phys. q. 7. art. 2. num. 145. & 146. & disp. 5. de Gener. num. 15. & 143. vidisset falsò, & perperam hæc loca ab ipso intellecta, vidisse Arist. secundùm Scotum non ita euitare creationem, vt ipse ait, nec Theologos ponere animam creari ob rationem ab ipso allatam; vidisset tandem quamlibet formam substantialem, nedum verè, & propriè produci, sed etiam per se produci propria productione distincta a productione compositi, & sanum intellectum datum ad loca Arist. & Scoti, cum inquiunt solum compositum per se produci, formam verò per accidens, quæ omnia ibi latè declaramus non ex nostro capite, sed ex animaduersione Lich. 2. d. 17. q. 1. & Tromb. 12. Met. qu. 5. qui sicuti fuerunt Scotistæ fidelissimi, & melius Ferchio Scotum intellexerunt, ita & nos; vide hæc omnia ibi per extensum, ne bis iam dicta repetantur, vnum duntaxat locum citat. ipse à nobis non allegatum 1. d. 3. quæst. 6. X. Y. vbi ait, quod Scotus docet tam in generatione substantiali, quam accidentali, quod totum per se generatur, & corrumpitur, forma per accidens; sed falsum est Doctorem hoc ibi dicere, quis enim diceret totum per accidens per se generari, cum non sit vnum per se? imò ibi diserte docet oppotum, quod ens secundum quid, & per accidens nequit esse per se terminus generationis; solum inquit ibi, quod cum forma, quæ est terminus mutationis, non habeat esse propriè, sed si illud, quo compotum habet esse, ita ipsa non dicitur produci, nec esse terminus productionis, sed tantum compositum, siue illud compositum sit ens per se, siue per accidens; nota quod non dicit ens per accidens per se generari, vt ei Ferchius impingit, nota etiam, quod non dicit formam non habere esse, simpliciter, & absoluè sumptum, prout excludit non esse, quia sic vtique tam forma, quam materia habent propriam entitatem aliam ab entitate compositi, sed dicit formam non habere esse proprie, cum sit illud, quo compositum habet esse idest esse proprium, & solitarium, vt explicat Sampson. 5. phys. qu. 1. imò & Scotus ipse quol. 9. ab initio, quod per se esse potest sumi tripliciter &c. vndè concludit, quod sicut non habet esse proprie, & per se idest solitarium, & per se subsistens in hoc sensu, ita non per se producitur, vt per se productio est talis esse per se acquisitio, sed sicut habet non esse simpliciter, vt recedit à non esse, ita etiam habet per se productionem propriam, quæ talis esse est acquisitio, vt ait Tromb. loc. cit. & sic etiam explicare videtur S. Bon. 2. d. 7. par. 2. art. 1. qu. 1. ad argumenta; imò in hoc sensu prius forma producitur, quam compositum, vt notat Lichet. cit. quia cum forma sit causa compositi, certè opus est, vt prius habeat esse in rerum natura, quam compositum ipsum, vndè prorsus implicat, quod Ferchius inquit tanquam de mente Scoti, totum prius natura produci, formam posterius ad productionem totius, ita quod fieri totius est via, & ratio ad esse formæ; imo res è contra se habet, quod produci formæ est via ad productionem totius, nam prius natura forma intelligitur è materia educi, vel in ipsa recipi, ac induci, quam intelligatur compositum produci, cum totum non producatur, nec coalescat, nisi ex partibus vnitis; & quando totum dicitur primus terminus generationis, omnes explicant quod sit primus primitate intensionis totalitatis, & adæquationis, vt dixi disp. 5. de gen. num. 15. non autem de prioritate

te executionis, quæ sunt adeò certa, vt nequeat quis dubitare, nisi volens.

142 Deindè concesso, quod contendit Ferchius, formam nullo pacto per se, & propria productione produci, sed tantum ad productionem totius, adhuc non sequitur, quod nequeat dici verè produci; ad hoc enim sufficit, quod producatur ad productionem alterius, nam verè, & realiter produci in plus se habet, quam per se, & propria productione produci; nam sicut verè, & realiter sunt in rerum natura formæ tam substantiales, quàm accidentales, ita debèt esse termini alicuius productionis siue propriè, siue alterius, ad quod consequuntur, alioquin entia improducta forent. At instat Ferchius num. 12. Quod per accidens est, non verè est ex lib. 6. Metaph. sum. cap. 1. sed formæ vniuersaliter producuntur per accidens, & per accidens corrumpuntur, vt Scotus docet in Schola Arist. ergo non verè producuntur. Hoc argumentum non videtur in forma, mutantur enim termini in maiori, & minori, & fit transitus ab esse ad produci. Facilè tamen respondetur ex declaratione iam data, quo sensu forma dicatur produci per accidens, quo etiam pacto poterit explicari Arist. cum ait, quod per accidens est, non verè esse, non enim vtique voluit Arist. negare formas tam substantiales, quàm accidentales verè, & realiter esse in rerum natura, sed esse nihil, aut pura entia rationis, quis demens hoc dicere? & tamen iuxta intellectum Ferchij hoc sequeretur, sed dicuntur esse per accidens, quia non sunt per se in tertiò perfectis modo, vt entia per se subsistentia, sed sunt in alio, & cum alio. Sed præterea eam propositionem in terminis apud Arist. loc. cit. non inuenio, sed si ibi, vel alibi habeatur, intelligi debet iuxtà sensum alterius propositionis, quam habet 1. Phys. 27. & 30. cum ait *quod verè est nulli accidit*, quod dictum iuxtà communem Expositorum ita interpretari solet, quod verè, & per se subsistit, sicut substantia non est alteri accidens, & si per verè esse intelligit per se esse, & subsistere, quo pacto verè esse competit tantùm compositis, & suppositis.

143 Tandem ex hac doctrina Scoti, & Scotistarum enodantur cauillationes nonnullæ in nos à Ferchio intortæ lib. 1. c. 6. cum enim diximus disp. 5. de gen. q. 6. quod compositorum propriè est fieri ex 1. Phys. 64. & 7. Met. 26. & 27. & 8. Met. 8. quia fit ex alio, vt ex parte, & est id, *quod* fit, non autem *quo*, aliud fit, cuius fit pars, forma verò non fit, sed potius infit, seu fit in alio. Ferchius loc. cit. pt imò dicit nos illos textus ex eius fonte hausisse vestig. 1. nu. 49. & 50. secundò violasse primam, & vltimam citationem, quia Aris. non docet in illis textibus formam fieri in materia, vel infieri; nec nos considerare Aris. textum, tandem ex hoc deduci formam non fieri simpliciter, sed in alio, non fieri quoad esse, sed quoad inesse, & sic esse essentialiter ingenerabilem, vt dicebat Contar. cuius tamen oppositum ex hoc nos probare putabamus, at probare non poteramus, nisi arguendo à secundum quid ad simpliciter hoc modo, forma fit in alio, & cum alio, ergo forma fit. Hęc sunt verba liuoris, non veritatis, hoc textu iam nos citauimus in disp. 2. Phys. q. 7. art. 1. antequam suæ Vestigationes essent impressæ, & quidem mirum est huius hominis genium, si aliquam Scoticam propositionem apud ipsum inuenimus, & dicamus eam à Scoto sumpsisse, negat ita factum, sed ait se hausisse ex eodem fonte, vndè Scotus hausit lib. 3. pag. 352. & dum nos citamus textus tritissimos, & communissimos, qui passim apud omnes leguntur, contendit esse ab ipso haustos, omnia sibi licent, nihil nobis; primum, & vltimum textum non violauimus, quia non diximus in eis textibus determinate doceri formam fieri in materia, vel infieri, sed potest citationem omnium illorum textuum simul ad probandum solum compositum propriè fieri, dicimus formam non propriè fieri sed potius infieri, *vt ibidem ostendit Arist.* hæc sunt nostra verba loc. cit. de gener. vndè ly *ibidem*, referri debet ad tex. 26. & 27. Meta. vbi hoc habetur, non autem ad alios, vbi non habetur sed Ferchius particulam *ibidem* referre voluit ad textus, in quibus nō habetur vt ansam inueniret calumniæ; quod autem ait nos examinare quid sit, vel non sit in textu Aris. recidit in ipsum, qui 1. Phys. 82. defendendo Contar. affirmat ibi asseri, & probari materiæ æternitatem, negat verò vestig. 1. offendendo Perei. & Piccol. vt patet ex dictis suprà nu. 138. quam etiam accuratè consideret ipse Aris. textus patet ex dictis supra num. 81. & 82.

144 Quod autem ex eo, quod Aris. dixerit formam non fieri propriè, sed compositum, ipsam verò potius infieri, non benè deduci, quod forma nullo modo simpliciter, & absolutè fiat, est expressa doctrina nedum Scoti, & Scotistarum loc. cit. sed etiam S. Bon. 2. d. 7. p. 2. art. 2. q. 1. de rationibus seminalibus, cum enim ad oppositum arguisset formam non produci ab agente naturali, quia solius compositi est fieri, ex Arist. cit. respondet, quod sicut dicit Philosophus, propriè loquendo forma non generator, sed compositum cum enim producitur forma, non producitur in se, nec per se, sed vt in materia, & sic facit compositum, & ad illud terminatur generatio, nihilominus generatio, vel productio naturalis respicit compositum principaliter gratia formæ, & ideò idem S. Bon. 2. d. 1. art. 1. qu. 1. non longè à principio ait, quod si formæ non producerentur, omninò nihil produceretur; non ergo benè deducitur ex eo quod forma fit in materia, non autem per se, & in se sicut compositum, quod nullatenus fiat, sed sit ingenerabilis, vt Contar. & Ferchius pro eo deducebat; Tum quia nec Ferchius ipse tale argumentum admittit, vestig. 1. cap. 17. num. 50. imo ait ex hoc argumento inferri ridiculam conclusionem, quod scilicet forma sit æterna, vndè respondet ibi, quod propriè fieri, & corrumpi est compositorum, & hoc modo materia, & forma non fiunt, sed alio modo forma fit, scilicet per fieri in communi; itaque fieri speciale, quod est ex parte præexistente compositi, tribuitur, sed à forma, & à materia æqualiter remouetur, fieri commune siue ex parte præexistente, siue non ex parte proculdubio competit formæ; sic Ferchius, non ergo per ipsum valet hæc consequentia, forma fit in materia, nec fit ex materia, tanquam ex parte, ergo nullatenus fit, quia potest fieri per fieri in communi, licèt non per fieri in speciali ex alio, tanquam ex parte, cum hoc sit proprium compositorum, & quidem si hoc argumentum valeret, non minus de forma substantiali probaret, quam de accidentali, quia nec ipsa fit per se, & in se, sed in alio; ergo inferri posset non fieri simpliciter, & quoad esse, sed tantum secundum quid, & quoad inesse, vndè patet illas Ferchij instantias esse meras cauillationes; illud verò argumentum à secundùm quid ad simpliciter, forma fit in alio, ergo forma fit, non est à nobis confectum, sed ipse sic conficit, vt materiam calumniandi habeat, & subsannandi; nos disp. 5. cit. quæst. 6. solum diximus ex eo quod forma non fiat propriè, sicut compositum, aut quod fiat in materia non benè deduci, quod nullo modo fiat, sed sit ingenerabilis, vt Contar. contendebat, sed solum quod fieri nequeat, nisi dependenter à subiecto, in quo fiat, & conseruetur, nec posse de nouo acquirere esse, nisi per inesse; non autem quod acquirat solum inesse, & simpliciter præhabuerit esse.

145 Tertiò arguit Ferchius pro Contar. cap. 5. nu. 40. principia non fiunt ex alterius, forma & materia sunt principia, ergo forma non fit ex materia, neque fit ex composito, quoniam id, ex quo aliquid fit, est præsuppositum ordine naturæ, vel durationis ei, quod ex ipso fit, sed forma non præsupponit compositum ordine naturæ, vel durationis, nam principium esset prius principiatio contra 5. Meta. ergo forma non fit ex composito, neque fit ex alia forma iuxta 12. diuinorum tex. 12, & 7. Met. 32. ergo forma non fit ex forma, cum ergo non fiat ex aliquo accidente, aut dicendum est fieri ex nihilo, vt vult Ferchius, aut esse ingenerabilem, & perrennem, vt vult Contar.

Resp. hoc argumentum contradicere præcedenti relato nu. 140. vbi volebat ex Arist. & Scot. fieri, & esse totius præcedere natura fieri, & esse partium, quod hic negatur, sed quicquid sit de hoc, dico breuiter formam fieri ex materia, non quidem tanquam ex parte, sed tanquam ex subiecto, ex cuius potentia educitur, & à quo in suo esse dependet in genere materialis causæ, & hoc esse dictum ad phrasim Arist. iam satis ostendi art. præced. quæ hic repetere non oportet; quomodo autem intelligendum sit principia non fieri ex alterutris iam dictum est disp. 1. Phys. qu. 1. id esse intelligendum in eodem genere principiandi, nam in diuerso genere nil obstat vnum ex alio fieri posse, sic enim forma citra controuersiam fit ex priuatione, tamquam ex termino à quo.

146 Quartò contendit cap. 10. opinionem de formarum inchoationibus fuisse expresè D. Aug. 3. de Trinit. c. 7. & 8. vbi docet *omnium, quæ ad oculos nostros prodeunt occulta quadam semina in elementis mundi latere, per quæ illa, quæ illa, quæ in occulto erant in apertum progrediuntur*, quam etiam auctoritatem adducit Magister in littera d. 7. par. 2. Sed ad hanc auctoritatem iam responsum fuit disp. 2. Phys. q. 7. art. 1. nu. 139. per rationes seminales occultas intelligi ab Augustino facultates, & virtutes naturalium causarum agentium, & patientium, ex quarum applicationem adinuicem varij oriuntur effectus, & per hoc explicauit Magos, & Demones non sua virtute creasse animalia in Ægypto, sed applicando actiua passiuis protulisse; ita hanc auctoritatem exponit S. Thomas p. 1. qu. 115. art. 2. & Scotus 2. d. 18. qu. vn. L. pro qua etiam expositione Amicus in Phys. tract. 6. q. 3. dub. 1. art. 2. affert Durand. 2. d. 18. q. 2. Heruæum ibid. q. vn. art. 3. Ægid. 2. d. 8. Capreol. 1. d. 42. q. vn. art. 3. & Henric. quol. 4. q. 14. & denique Zerbius ipse, quem pro se citat Ferchius 7. Met. q. 9. propè finem soluendo argumenta Seminaristarum expresè ait auctoritatem Augustini nostræ sententiæ non contradicere, si debitè audiatur; Ex quo patet penitus superuacaneam fuisse fraternam illam correptionem nobis à Ferchio factam libr. 1. c. 10. ab initio, vbi ait huic opinioni de rationibus seminalibus eos reuerentiam, & honorem deferre debuisse vel hoc nomine, quod Sanctus Augustinus est, nisi summa nostra modestia obstitisset.

147 Postremò hanc opinionem roborat auctoritate S. Bon. 2. d. 7. q. 10. & d. 18. art. 1. q. 3. vbi expresè Seraphicus Doctor hanc sententiam docet, quam proindè nos quoque ait defendere debuisse, vt potè qui sumus Doctores Seraphici Collegij; hinc de tanto facinore in nos sic inuehit lib. 1. c. 4. num. 32. Sixtus Quintus felic. record. in diplomate quo declarauit D. Bon. inter primarios Eccles. Doctores reponendum, bis affirmat à se institutum fuisse Collegium Seraphicum in Vrbe ad S. Bonau. doctrinam docendam, & propagandam in vtilitatem Ecclesiæ; vos offensores in illud Collegium cooptati fuistis, pecunias ecclesiasticas in vsum vestrum consumpsistis, coronam doctoratus cum voce actiua intra Religionem, passiua ad dignitates intra, & extra Religionem indè reportastis; Vsurpatis beneficium Ecclesiasticum, si officium propter quod dabatur, non exercetis, at non solum non propagatis doctrinam Seraphicam, sed eam confutatis, conuellitis, vituperatis, scilicet pro magis beneficijs reddi solet magna ingratitudo; Et rursus eandem repetit amarulentiam infra cap. 9. numer. 62. dicens; & vos, qui vt audiretis D. Bon. doctrinam ex instituto Sixti Quinti sanctæ record. honores

Seraphicos, & eccleſiaſticos obtinuiſtis, pecuniam Eccleſiæ conſumpſiſtis, panem D. Bonauen. deuoraſtis, tam ignominiosè proſcinditis Doctoris Eccleſiæ, & Religionis noſtræ ſummi doctrinam? ſi eam non auditis, veſter eſt defectus, qui à debito officio deſiexiſtis, hæc ibi Ferchius ſolito ſupercilio, ac imperiali auctoritate.

Reſpondeo rurſus repetendo illud Euang. *Medice cura te ipſum, eijce primum trabem de oculo tuo* &c. hic benè quadrat addagium, *cacabus ad ollam*; quamuis verum ſit Baccalaureos, quamdiu degunt in Seraphico Collegio, iuſſu Sixti Quinti doctrinam S. Bonau. audire teneri & Regentes pro tempore eandem docere, ob reuerentiam tanti Doctoris, ſub cuius auſpicijs Collegium illud fuit erectum; attamen extra Collegium illud in quibuſcunque alijs Seraphicæ Religionis noſtræ gymnaſijs, & Collegijs tùm ex Religionis conſuetudine immemorabili; tùm ex præſcripto variarum Conſtitutionum Pontific. & præſertim Vrbanarum in cap. quintum Regulæ tit. 4. de literaria fratrum Scholaſticorum occupatione doctrina Scoti doctoris Subtilis legitur, & auditur; quod ſi in aliquo puncto mens expreſſa Scoti non habeatur ex D. Bon. Doctore ſeraphico, vel Alexandro Alenſi Doctore irrefragabili ſumenda eſt reſolutio ex præſcripto Conſt. Vrb. loc. cit. ita adamuſſim fecimus nos in noſtra Philoſophia conſcribenda, Scoti ſententiam docemus, & profitemur, vbi eius mentem habemus expreſſam, quod ſi non ſit expreſſa, ſupplementum accipimus ex D. Bon. vel Alenſi, vt videre eſt diſp. 10. Phyſ. qu. 2. art. 2. & diſp. 11. qu. 6. n. 98. & alibi; nec vllibi, quod ſciam, defendimus vnquam opinionem aliquam reiectam à S. Bon. vt omninò improbabilem, & vt erroneam damnatam, vti defendit Ferchius, qui veſtig. 6. tuetur circulationem animarum rationalium ex ſuppoſitione æternitatis cum Ariſt. ad euitandam earum infinitatem actualem, & adhuc acrius propugnat toto lib. 4. Defenſ. quam quidem poſitionem D. Bonau. expreſsè damnat vt peſſimum errorem, nedum in Theologia, ſed etiam in Ariſt. philoſophia 2. diſtinct. 1. artic. 1. quæſtion. 2. vbi in argumentis ad oppoſitum ex quinta via ex indè probat Mundum non fuiſſe de facto ab æterno productum, quia nunc forent infinitæ animæ rationales in actu, quia ſunt incorruptibiles; & præoccupans quandam reſponſionem inquit; *Si tu dicas ad hoc, quod circulatio eſt in animabus, vel quod vna anima eſt in omnibus hominibus; primum inquit, eſt error in philoſophia, quia vt vult Philoſophus, proprius actus eſt in propria materia, ergo non poteſt anima, quę fuit perfectio vnius, eſſe perfectio alterius etiam ſecundum Philoſophum*; & ſtatim in reſolutione quæſtionis in fine antè ſolutionem argumentorum ad oppoſitum iterum ſubdit; *ad vitandum autem infinitatem actualem neceſſe fuit ponere aut animæ rationalis corruptionem, aut vnicatem, aut circulationem, & ita auferre beatitudinem, vnde iſte error & malum habet initium, & peſſimum finem*, iam ergo patet Ferchium tenere poſitionem in via Ariſt. ſuppoſita mundi æternitate, quam in eadem via reprobat, & damnat, vt peſſimum errorem Seraphicus Doctor, atque ideò ipſe proſcindit verè, conuellit, & vituperat doctrinam Seraphicam, & magnam reddit ingratitudinem pro ingenti beneficio, in Seraphico Collegio accepto, cuius & ipſe fuit alumnus; eandem animarum circulationem damnat, vt errorem, & ſomnium in philoſophia etiam 2. diſt. 18. art. 2. quæſt. 2. in corpore.

148 Sed ſcrutemur vlterius, quis noſtrum magis deflectat à Doctrina Seraphica in hac ipſa controuerſia, quam tractamus de formarum origine; Tres in hac re ſunt ſententiæ prima eſt S. Bon. quod educantur de ſeminario formarum ab initio materiæ concreatarum; altera eſt S. Thomæ, Scoti, & aliorum, quod educantur de ſimplici potentia paſſiua materiæ abſque ſeminario, vel inchoatione præuia illarum; vltima demum eſt Ferchij, qui pro ea citat Philoſophum (alium auctorem non addo, quia apud Doctores Scholaſticos alium auctorem pro hac ſententia citatum non video, imò nec ipſum Philoſophum) formas omnes ex nihilo produci ab agente naturali; ex his tribus poſitionibus de formarum origine primam approbat, & recipit Seraphicus Doctor; ſecundam, quam nos ſequimur, explicitè non probat, vt improbabilem, & erroneam; tertiam tandem omninò reprobat, nam 2. d. 7. qu. 10. vt ipſe citat, in corpore quæſiti determinat agens naturale educere, & producere quidem formas ſubſtantiales, non quidem ex nihilo, ſed ex ſeminario formarum præexiſtente in materia, quia agens naturale nequit aliquid ex nihilo producere, vt iam probauerat ſupra 2. d. 1. art. 1. qu. 1. in fine; quod rurſus docet 2. d. 18. art. 1. qu. 3. in corpore quæſiti, vbi admittit rationes ſeminales in materia, vt neceſſarias ad productionem formarum ab agente naturali, quia ex materia fit, vel educitur forma mediante operatione naturæ, quæ non producit aliquid ex nihilo, & ideò rationabiliter (inquit) ponitur ratio ſeminalis eſſe eſſentia formæ producendæ differens ab illa ſecundum eſſe completum, & incompletum, ſiue ſecundum eſſe in potentia, & eſſe in actu; patet ergo etiam in hac ipſa quæſtione de formarum origine magis Ferchium deflectere à doctrina Seraphica, quam nos, cum teneat ſententiam manifeſtè à S. Bon. reprobatam; & tamen adeò audacter, & acriter obijcit nobis, quod à Sancti Doctoris doctrina deuiemus, & non alia de cauſa, quia vt ſæpius inculcauimus, omnia ſibi licere putat, nihil nobis.

ARTICVLVS IV.

Quomodo formæ materiales fiant per eductionem de potentia materiæ, earumque diſcrimen ab anima rationali.

149 QVia igitur formæ materiales non fiunt ex nihilo, vt probatum eſt art. 2. neque fiunt ex ſeminario formarum, in quo præceſſerint ſecundum aliquod eſſe proprium actuale totale, vel partiale, vt conſtat ex dictis art. 3. remanet, quod fieri dicantur per eductionem de potentia materiæ, ſeu per neceſſarium concurſum cauſæ materialis, tum ſcilicet recipiendo, tum ſuſtentando formam, qui concurſus, ſi benè intelligatur obſtat, ne forma materialis creari dicatur, ſicut creari dicitur anima rationalis, quæ in corpore quidem recipitur, cum fit, non tamen in eo ſuſtentatur, & ideò non dicitur fieri dependenter à materia, nec dependenter ab ea conſeruari. Quid ſit autem formam educi, vel eductam eſſe de potentia materiæ ex inſtituto declarauimus diſp. 2. Phyſ. q. 7. art. 2. num. 148. vbi dicimus formam educi de potentia materiæ nil aliud eſſe, quam ſuum fieri neceſſariò eſſe fieri in materia, & quod ſuum eſſe neceſſariò eſt eſſe in materia, ita quod ſi ſit aliqua forma, quæ vtique ſit, & fiat in materia, tamen abſolutè fieri poſſit, quantum eſt ex ſe, ſine materia, illa non dicitur educi, quia de neceſſitate ſuum eſſe, & fieri, non eſt neceſſariò eſſe, & fieri in materia; pro qua explicatione ibi Scotum allegauimus 4. d. 1. q. 1. antè Hh. vbi ait *formam autem materialem dico eſſe omnem illam, quę ex natura ſua neceſſariò inclinatur naturaliter, vt ſit actus materię, ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis*, pro eadem explicatione adduximus quoque Canonicum 2. Phyſ. q. 1. art. 1. vbi ait formam educi de potentia materiæ nihil aliud eſſe, quam formam dependere in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari ab ipſa materia; & ex hoc eſſe dicitur forma educi ab intrà, & non dari ab extrà, quia ſuum eſſe neceſſariò eſt eſſe in materia, ſicut in ſubiecto proprio ſibi, ſi quæ autem forma eſt, quæ poſſit eſſe ſine compoſito, & ſine materia, illa dicitur ab extrà, quia de neceſſitate ſuum eſſe non eſt neceſſariò in materia eſſe; adduximus quoque Baſſolium 2. d. 18. quæſt. vn. art. 2. §. *& ita dico*, vbi eodem modo loquitur, quibus nunc addo Tromb. q. de immortal. animæ art. 2. Hinc poſteà diſp. 5. de gener. & cor. quæſt. 2. art. 2. n. 68. diximus formas materiales ideò dici tales, quia ſuapte natura in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari materiæ ſunt immerſæ, & alligatæ, ita quod fatali neceſſitate ruant eo ipſo, quod ab ea diuelluntur, in quo ab anima rationali ſecernuntur, quæ ob ſui immaterialitatem independenter à materia fit, & conſeruatur, vndè etiam dum corpus informat, ſuo modo ſubſiſtit, qua de cauſa dum ab eo ſeiungitur, non ſtatim interit, ſed ſeparata ſeruatur.

Reſpondet Ferchius lib. 3. cap. 8. hanc eductionis definitionem eſſe ex noſtro capite prolatam, non ex Ariſt. probatam, eſſe noſtram ſingularem, quam omnes alij negabunt, ità igitur (inquit n. 46.) & concordate cum alijs in ſignificato vocis, & probate nobis tale ſignificatum ex Ariſtotele, & tunc audiemus; Secundo inquit, probationem ex Scoto 4. d. 1. q. 1. H. h. non eſſe ad rem, quia ibi Scotus loquitur de forma materiali, eamque deſcribit, at eductionis non meminit. Tertiò inquit lib. 1. cap. 7. pag. 55. num. 53. malè nos cum Modernis, qui non ſequuntur impoſitionem terminorum ab Ariſt. poſitorum, per hoc alias formas ab anima rationali ſecernere, quod omnes ſint eductæ de potentia materiæ præter ipſam, quia potius res è contra ſe habet, quod nulla alia forma educitur de materia, niſi intellectiua, quod etiam rurſus confirmat lib. 2. cap. 12. pag. 226. in fine capitis. Quartò rurſus lib. 3. cap. 7. num. 43. pag. 299. ait malè nos diſcernere alias formas ab anima rationali, quia hæc ſit immaterialis, cæteræ verò materiales, quia anima rationalis eſt materialis, & per materiam in qua, & per materiam ex qua, & titulus immaterialitatis à nobis animæ datus non eſt Scoti, ſed Aquinatis. Quintò in eodem capite num. 42. ait declarare formam materialem per hoc, quod eſt immerſa materiæ, & alligata, eſſe phraſim Thomiſticam, non Scoticam, & eſſe metaphoras à diſputatione reijciendas. Tandem lib. 3. cap. 2. num. 11. pag. 269. & c. 7. num. 44. pag. 300. nos redarguit, quod etiam diſtinxerimus cæteras formas ab anima rationali, quia aliæ formæ ſunt penitus materiæ immerſæ, & ab ea prorſus dependentes in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari, at anima intellectiua non ità, quia eſt forma veluti ſubſiſtens, & à materia independens, ait enim id eſſe contra Scotum quol. 9. vbi reſolutè negat animam ſubſiſtere, præſertim verò, quandò eſt in corpore; ita diſcurrit Ferchius loc. cit. ſolito ſupercilio, vbi ſic diſcurrendo ſtylo illo ſuo per modum Dialogi malè diſcerni poteſt, an iſta proferat reſpondendo, vel potius contra nos arguendo.

150 Sed ſiue iſtæ ſint ſolutiones, ſiue inſtantiæ, ſingula illa ſua ſex dicta facilè refelluntur, & quidem dum ait definitionem illam eductionis formarum, & explicationē per dependentiam, & inhærentiam formarum in materia eſſe noſtram, & ex noſtro capite inuentam, quam omnes alij negabunt, palam contradicit his, quæ ſupra dixerat eodem lib. 3. cap. 2. pag. 270. num. 12. vbi ait doctrinam hanc de eductione formarum propter dependentiam, & inhærentiam formæ à Thomiſtis eſſe tranſcriptam; quare cum nobis inquit, ire, & concordate cum alijs in ſignificato vocis, poſſumus rationabilius replicare, quod eat ipſe, ſecumque concordet, & poſteà eum audie-

audiemus; sed in vtroque loco malè loquitur, quia modus ille explicandi eductionem formarum per dependentiam à materia in genere causæ materialis in suo esse, fieri, & conseruari, neque est à nobis inuentus, neq; à Thomistis transcriptus, sed est communis omnium Peripateticorum negantium formas materiales ex nihilo fieri, aut ex seminario formarum traduci, vt testatur Suarez disp.15.Met.sec.2.numer.10.& 13. & Scotistæ præsertim ita loquuntur, vt ibidem ostendimus citando Canon. & Bassol. quibus etiam addi potest Tromb.cit. & Tatar.1. Phys. quæst. vtrum principia rerum naturalium sint contraria notab.4. vbi ait, formam educi de potentia materiæ est produci ab agente de potentia subiecti sic, quod illa forma dependeat ab illo subiecto, sic quod non possit esse sine subiecto, & ita passim loquuntur quoque alij Scotistæ, quare melius dixisset Ferchius hanc doctrinam de formarum eductione esse à Scoto, & Scotistis transcriptam, quam ex Thomistis.

Præterea hæc formarum eductio est vtique magis ex Arist. probata, quam factio earum ex nihilo; nam supra in hac ipsa quæst. art.2.n.82. apertè probatum est ex Arist. formas materiales fieri ex materia, non quidem tanquam ex parte, quia hoc est proprium compositi, sed tanquam ex subiecto, in quo necessariò fiunt, ac sustentantur, probatum, inquam, id est ex 5. Metaph. cap.24. & 1. de Gener. animal. cap 18. ex quibus locis non candide relatis contendebat ipse Ferchius probare oppositum; vbi verò Arist. suam illam factionem formarum ex nihilo vel saltim à longè insinuauerit, nunquam Ferchius ostendit, nec vestig.1. neque toto lib. Defens. solum affert locum, & sæpe repetit ex lib. de Xenophane, & Zenone, vbi Arist. non acceptat vt vniuersaliter verum communè illud Antiquorum pronunciatum *ex nihilo nihil fit*, cum ergo hoc sit verum in compositis, quia fiunt ex aliqua sui parte præsuppositâ, remanet quod sit falsum in simplicibus, & cum materia non fiat ex nihilo, quia est ingenerabilis, & incorruptibilis 1.Phys.82. remanet, vt hoc solum in formis sit falsum, quia ipsæ re vera fiunt ex nihilo, quia ex nulla sui præsuppositâ parte. Sed locum illum contra ipsum militare iam suprà ostendi art.2. num. 105. etiam ex ipsius confessione vestig.1. cap.5. vbi nu.13. apertè fatetur, quod quando Arist. libro cit. dixit contra Antiquos illam propositionem *ex nihilo nihil fit*, non esse vniuersaliter veram, quia aliqua re vera facta sunt ex nihilo, fatetur, inquam, Ferchius hoc Arist. dictum ad formas non extendi, quia ibi Arist. inquit *non multa facta fuisse ex his, quæ non sunt*, significat enim ibi ex auctoritate Hesiodi solam materiam primam, & amorem, seu Intelligentias fuisse ex nihilo productas; non ergo per hæc ex nihilo facta potuit intelligere formas, inquit Ferchius, quia tunc ex nihilo facta essent multa, & valdè multa, sicut sunt formæ, non autem pauca, vt ait Arist. nullus ergo remanet locus in Arist. ex quo ostendat Ferchius factionem formarum ex nihilo, atque ideò magis est in Arist. fundata nostra formarum eductio de potentia materiæ, quam factio earum ex nihilo.

Sed fac vlterius nostram formarum eductionem nullibi ab Arist. fuisse insinuatam, ergo ob id non debet recipi, nec nos debemus in Peripato audiri? Hæc consequentia deduci nequit sine vitio consequentis etiam ipso Ferchio teste vestig.1. cap. 11. num. 30. cum enim Pererius ibi ab eo adductus probaret non dari creationem, vel factionem alicuius ex nihilo in Philosophia, quia nusquam Aristot. nec leuiter quidem talem factionem ex nihilo significauit, Ferchius hunc arguendi modum valdè exprobrat Pererio, & ait esse ab auctoritate negatiuè, atque fallacem, & proindè talem dat regulam, quam & supra retuli num.88. in simili proposito; quod Arist. affirmat, & negat; idem Peripatetico affirmandum, vel negandum, at si Arist. non affirmat, nec negat, non esse affirmandum, vel negandum Peripatetico sine vitio consequentis non dicitur, multas veritates Aristot. nec attigit quidem, multas quoque omnium consensu scripsit, quæ ad nos non peruenerunt, nil igitur, nisi dicta dicere est nos veritate, ac iudicio priuare; ita Ferchius ibi; sicut ergo Pererius malè probat non dari in Philosophia creationem, vel factionem ex nihilo, quia ex Aristot. non probatur, nec ab Arist. innuitur, testeipso Ferchio; ita in proposito è contrà malè instat ipsemet eductionem formarum recipi non debere, quia non probatur, nec innuitur ab Arist. aut si benè contra nos hic instat, benè quoq; Pererius contra suam factionem ex nihilo arguebat; at Ferchius modò vult suam instantiam contra nos vrgere, quia omnia sibi licere putat, nihil alijs; in ore suo omnia pretiosa, at eadem in aliorum ore sordida.

151 Secunda solutio, vel instantia, quod probatio à nobis adducta ex Scoto 4.d.1.q.1. Hh. non sit ad rem, facilè reijcitur ex ipso Scoti discursu, quamuis enim ibi vocabulum eductionis non habeat, disertè tamen declarat factionem formarum materialium, prout ab anima intellectiua discriminantur, & ait formam materialem esse omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinat naturaliter, vt actus materiæ, siue sit substantialis, siue accidentalis, & omnem talem inquit ibi suapte natura præsupponere materiam, in qua sit, nec ab illa esse ita absolutum, vt extrà eam existere possit. Deindè sub lit. Ii. prosequens idem discrimen formæ materialis ab immateriali, sic arguit, forma materialis dependet in essendo à materia; ergo & in agendo; Et sub litt.KK. repetit, & iterum istud de materia, & conclusio secunda manifesta sunt apud Philosophos, qui posuerunt ordinem causarum secundarum esse simpliciter necessarium, ita quod forma materialis non potest ab alio agente produci, nisi concurrente materia, tanquam causa præsuppositâ termino productionis, quibus verbis apertè admittit concursum materialem materiæ in formam per modum passiuæ eductionis. Et tandem, vt à formis materialibus animam intellectiuam discriminaret subdit, si quæras, an ex dictis possit haberi propositum de anima intellectiua. Respondeo, inquit, quicquid Philosophi senserint de ea, an creetur, vel non, tangetur distinct. de Resurrectione; sed ex conclusionibus prædictis manifestè ostenditur propositum de ipsa, non enim potest creari ab Angelo, patet ex prima, nec à quacunque natura meré intellectuali creata, patet per idem, nec ab aliqua corporali substantia, siue per formam substantialem, siue per accidentalem, quia ipsa anima est nobilior quacunque forma substantiali, vel accidentali, forma autem ignobilior non est principium actiuum ad producendam nobiliorem; quibus verbis indicat Doctor suprà per formas materiales intellexisse omnes accidentales, & substantiales à materia dependentes in suo esse, fieri, & conseruari; cum ergo Doctor ibi talem factionem formæ materialis describat, & à materia dependentiam in essendo, qualis non conuenit animæ intellectiuæ, planè satis ad rem circumscribit eductionem formarum materialium de potentia materiæ, vt ab anima rationali secernuntur.

152 Tertia etiam solutio, vel instantia facilè excluditur; verum quidem est modernos passim animam rationalem ab alijs formis materialibus secernere per hoc, quod ipsa non educitur de potentia materiæ, sicut aliæ; & ita præsertim loquitur Pererius (quem adduco) quia etiam Ferchius eiusdem auctoritate in Genesim suum firmauit placitum, quod creatio non sit productio ex nihilo, lib.1. Defens.n.9. pag.17.& lib.2.cap.2. num.95. libro de materia, & priuatione cap.8. his verbis. Ad has autem obiectiones facilè respondere possumus hoc modo; ad primam habet sanè generatio aliquam similitudinem creationis propter eam rationem, quæ in obiectione posita est, sed hoc interest, quia id quod creatur, vel non requirit vllum subiectum, vel certè tantùm, vt recipiens, nec eiusmodi vt per affectiones, & dispositiones eius producatur, id quod creari debet, at quod generatur exigit necessariò materiam, tanquam id, in quo ipsum recipiatur, sustentetur, & per cuius dispositiones, & affectiones procreentur; & forma quæ creatur non est eiusdem ordinis cum materia, in qua recipitur, vt patet in anima rationali, & gratia, forma verò, quæ per generationem fit, eiusdem generis, & ordinis est cum materia sua; sed hic de re lege Scotum 2.d.18.q.vn. acutè, doctèque disputantem; non dicitur autem forma induci in materia (ne quis falsò opinetur formam per se productam extrinsecus adiungi materiæ, sed dicitur educi ex materia, vt intelligatur forma produci cohærens, imò immersa materiæ per trasmutationem eius inseparabilis ab ea in fieri, esse, & operari, cuius rei illud clarissimum est argumentum, quod per contrarias affectiones, & mutationem materiæ non solum separatur à materia, vt fit in anima rationali, sed penitus interit, vt in alijs omnibus formis physicis contingit; ita Pererius, quibus verbis, vt patet, nobiscum est, & cum Scoto in explicatione vocabulorum creationis, & eductionis, & immeritò pro se citari à Ferchio.

Clarius adhuc ad rem propositam loquitur eodem lib.cap.22. ad 6. dubitationem respondens enim sic loquitur; Ad 6. apud Christianos Philosophos, & Theologos, aliud est aliquid esse formam materiæ, & aliud esse formam omninò materialem, illud enim dicitur esse forma materiæ, quod dat esse materiæ, & simul cum ea facit vnum compositum essentiale, quod sit ens specificè completum, & absolutum; id autem vocatur forma materialis, quod est eductum de potentia materiæ, eique immersum, & ab ea inseparabile; quo circa anima rationalis dicitur forma materiæ, propriè autem non appellatur forma materialis; vt autem planius intelligatur, quid sit educi è potentia materiæ, exponemus quinque proprietates, quas habent formæ omnes eductæ ex potentia materiæ, prima est, quod tales formæ producuntur ab agentibus materialibus per actiones materiales, & per dispositiones materiales, hoc est, hærentes, & infixas in ipsa materia. Secunda est, quod tales formæ pendent in fieri à materia, hoc est, non possunt gigni, nisi intra materiam, eique penitus copulatæ, non enim per se producuntur, & extrinsecus aduenient, & adiunguntur, materiæ. Tertia est, quod pendent à materia in esse, nam extrà eam materiam, in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis, aut per se subsistere, aut in alia materia existere possunt, sed planè idè est eas separari à sua materia, quod ipsa penitus interire. Quarta est, quod pendent à materia in operationibus suis, ex quo fit, vt operationes huiusmodi formarum subiectiuè non sint in forma, sed in toto composito. Quinta est quod pendent à materia quidditatiuè, quamobrem sine ea nequeunt aut definiri, aut perfectè intelligi; eas igitur formas materiales, & eductas ex potentia materiæ appellare oportet, in quibus inerunt prædictæ quinque proprietates; hæc Pererius, quibus sufficientissimè mihi explicatum videtur *eductionis* vocabulum, quod Ferchius lib.3.cap.8. num.45. ait esse adeò obscurum, vt non fuerit hactenus sufficienter explicatum, vndè eius explicationem enixè postulat à nobis, & nostræ Classis Philosophis, atque Theologis.

153 Verùm neque hoc *eductionis* vocabulum est à Modernis inuentum, neque discrimen illud, quod anima rationalis sit educta de potentia materiæ, cæteræ verò quidem; sed antiquissimum est apud Peripateticos præsertim Scotistas, & Thomistas; Scotus quidem non semel vocabulum eductionis habet, vt Ferchius ipse fatetur, illudque

præ-

præsertim declarat 2.d.12.q.1. lit. G. vbi duplicem extractionem memorat, vnam compositi de potentia obiectiua, alteram formæ de potentia subiectiua materiæ his verbis; secunda extractio est secundum quod agens de potentia materiæ præexistentis, & quæ in fine generationis est pars compositi, educit formam, quæ est altera pars compositi, quæ prius non fuit in actu, nec in re extra sicut materia &c. Et 9.Met. q.13. §. *ad oppositum* ait, cum omnis materia recipiat formam suam, sequeretur quod eodem modo se habet materia aeris ad formam ignis, & corpus organicum ad animam intellectiuam, aer etiam ad lumen, & esset nihil dictu, quod quædam formæ educuntur de potentia materiæ, siue passi, quædam non, & vanum esset quærere, quæ sint, & quæ non, quæ sunt contra dicta communia, & contra Philosophum, secundum quem, vt videtur, intellectus est ab extra; ita Scotus, quibus apertè fatetur hanc distinctionem esse peripateticam, & de mente Philosophi 2. de gener. animal. cap. 3. vbi ait animam intellectiuam de foris venire. Et rursus quol. 2. ab initio tres refert articulos damnatos in Vniuersitate Parisiensi, quorum tertius est, *quod forma non recipiunt diuisionem, nisi secundum diuisionem materiæ, error, nisi intelligatur de formis eductis de potentia materiæ*, & statim subdit doctor, ergo de formis non eductis de potentia materiæ hoc dicere est error, & per hanc formam immaterialem non eductam de potentia materiæ intelligit animam intellectiuam, de qua ibi loquitur, vt patet ex verbis sequentibus; iam ergo Doctor agnoscit animam rationalem esse formam immaterialem, & non eductam de potentia materiæ, hoc que discrimen agnoscit tota Vniuersitas Parisiensis; non ergo hoc est inuentum Modernorum, neque alienum à mente Philosophi, quam non intellexisse totam Sorbonicam Scholam temerarium esset asserere.

Sed volens experiri, num etiam Ferchius ipse aliquando admiserit, & approbarit hoc discrimen inter animam intellectiuam, & cæteras formas, quod hæ sint eductæ de potentia materiæ, non illa, accepi librum suarum Vestigationum, indicem lego verbo *forma*, & notatum reperio vestig.6.num.113. *forma educta, non educta* locum citatum quæro, & video ex Ragusæo afferri responsionem ad 1. argumentum Alexandri his verbis; Ragusæus disput.21. cap.11. maiorem negat de forma extrinsecus accedente, quæ non educitur de potentia materiæ; negat minorem de forma educta, nam anima, quæ est intellectus, sola extrinsecus accedit authore Arist.2. de gener. animal. cap.3. quam responsionem, & doctrinam in ea contentam approbat Ferchius, dum ipsam non reijcit, imò in indice rerum notabilium reponit; ergo discrimen illud inter animam rationalem, & cæteras formas adeò exploratum est, ac familiare apud meliores Peripateticos, vt Ferchius ipse aliquando illud approbauerit. Quod verò ait inter omnes formas solam animam intellectiuam eductam esse de potentia materiæ, præterquam quod est propositio malè sonans, nullum prorsus habet fundamentum præter Ferchij voluntatem terminos peruertere volentis, vt inter omnes singularis appareat, sicut postea constabit.

154 Quarta quoque solutio, vel instantia est prorsus voluntaria, nam discrimen illud inter animam intellectiuam, & cæteras formas, quod hæ sint materiales, idest prorsus à materia pendentes in suo esse, fieri, & conseruari, anima verò immaterialis, quia non ita dependens, approbatur passim à Philosophis, & Theologis, ideoque Pererius supra relatus n.152. dicebat, apud Christianos Philosophos, & Theologos aliud esse aliquid esse formam materiæ, & aliud esse formam omninò materialem, illa enim vocatur forma materialis, quæ est educta de potentia materiæ, estque ei immersa, ac ab ea inseparabilis, quocirca infert animam rationalem posse quidem dici formam materiæ, non tamen formam materialem; Et hac eadem ratione Scotus ipse quol.2. ab initio loc. cit. animam rationalem vocat formam immaterialem, quia non est educta de potentia materiæ, alias verò materiales, quia sunt eductæ, sic etiam loquitur 4. d.1. q.1. Hh. & seq. vbi formas materiales vocat, quæcunque dependent à materia in fieri, & in essendo, animam verò rationalem ab earum numero excludit, quia non ita dependet; sic etiam loquitur 8. Met. qu.1. ad argumenta, cum dicit accidens esse generabile, & corruptibile, non quidem tanquam compositum, sed sicut generabile, & corruptibile dicitur omnis forma substantialis materialis. Imò id magis ex professo docet quol.9. per totum, vnde Ferchius intendit de mente Doctoris deducere oppositum, ait enim liter. B. hinc etiam patet, quare anima separata non est persona, licet enim non sit nata inhærere, & ideò sit ens per se secundo modo prædicto, licet etiam posset esse ens per se primo modo, idest solitariè, non tantum per virtutem causæ extrinsecæ, sicut potest accidens, vel forma materialis, sed virtute naturæ suæ sibi derelictæ, & hoc quia non necessariò dependet à materia in proprio suo esse &c. quibus verbis omnem formam à materia dependentem in esse vocat materialem, à quorum numero excludit animam intellectiuam, quia non dependet à materia, & consequenter apud ipsum dici non debet anima forma materialis, sed immaterialis. Deindè sub lit. C. ostendens tertiam rationem non concludere, quæ adducebatur ad probandum angelum materiam informare non posse, ait rationem illam non probare, quia non ideò quod forma aliqua à materia recedat, siue sit immaterialis, repugnat ei esse in materia, seu informare materiam, quia licet anima intellectiua ita recedat à materia, tamen ita perfectè potest vniri materiæ, sicut aliqua forma inferior, quia licet dependere à materia sit imperfectionis, vt patet in cæteris formis inferioribus, non tamen est euidens, quod posse communicare actualitatem suam materiæ sit imperfectionis, & præcipuè, quando talis communicatio potest esse sine dependentia, vnde Doct. formas inferiores materiæ communicatas cum dependentia in esse, vocat materiales, seu materiam concernentes, alias verò non sic communicatas cum dependentia, vocat immateriales, ac à materia recedentes, qualis est anima, vt ibi Gadius explicat; Item, quod anima rationalis non sit forma materialis, alias verò vtique docet quol. 7. lit. P.

155 Rursus sub lit. K. postquam dixit animam corrupto toto adhuc in suo esse remanere, *alię autem formę materiales non manent in suo esse corrupto toto*, vndè per materialem distinguit cæteras formas inferioris ordinis ab anima rationali. Et denique lit. H. disertè declarat, cur debeat anima dici forma immaterialis, & in quo sensu dici possit materialis, etenim docens, qualis immaterialitas possit legitimè concludi ex immaterialitate operationum animæ, inquit, *ex hoc ergo medio, scilicet ex operatione potest concludi ipsius animę talis immaterialitas hoc est, à materia in essendo separabilitas, non autem illa immaterialitas vlterior, quæ est impossibilitas informandi materiam*, quibus verbis significat, vt Gadius adnotauit, in duplici sensu posse animam dici immaterialem, primò quia est separabilis à materia, quatenus non dependet ab ea, vt cæteræ formæ inferiores, & materiales, vt supra dixerat, & in hoc sensu concedit esse immaterialem, imò talem dici debere ad differentiam aliarum formarum inferiorum, quæ dicuntur materiales; secundò dici posset immaterialis, quia non possit esse perfectio materiæ, nec informare materiam, quo sensu Intelligentiæ dicuntur formæ abstractæ, ac immateriales, & sic negat Doctor animam dici posse immaterialem imò in hoc sensu ait dici posse, ac debere materialem, quia potest informare materiam, ac esse perfectio materiæ; ergo titulus immaterialitatis, nedum ab Aquinate, sed etiam à Dunsio animæ rationali tribuitur, vt à cæteris formis inferioribus discriminatur, quæ dicuntur formæ materiales.

Deindè Ragusæus disp. 16. de formarum origine hanc eandem doctrinam affert, vt in Peripato communi calculo receptam, vndè cap.2. pro intelligentia quæstionis nonnullas præmittit obseruationes ab omnibus concessas, & præsertim tertiò obseruat formas informantes duplices esse, alias omninò materiales, alias partim materiales, partim immateriales, prioris generis sunt omnes illæ formæ, quæ in esse, & conseruari, vt aiunt, à materia pendent, quæque absque materia consistere nullo modo queunt, posterioris generis sunt fomæ illæ, quæ in materia quidem producuntur, tamen in esse, & conseruari à materia non pendent, imò absque materia aliquando consistere possunt, & eiusmodi formæ sunt animæ rationis participes, quæ in humanis quidem corporibus producuntur, non tamen organorum, aut vllius affectionis vi, propterea à corporibus non pendent, sed ab eisdem solutæ per seipsas consistere possunt. Sed eandem quoque distinctionem formarum materialium, ac immaterialium, hoc est, à materia pendentium, vel non pendentium, tradidit etiam aliquando Ferchius ipse, nam vestig.1.n.44.pag.38. quærens, cur plerumque subiectum in factione formæ de nihilo sui requiratur, si enim omnes ex nihilo fiunt, vt opinatur ipse, in nullius formæ factione videtur necessarium subiectum. Respondet hanc necessitatem prouenire ex ratione facti, non ex ratione effectionis, quando etenim res facta est nata esse in subiecto à quocunque vel quomodocunque tandem producatur in subiecto erit, veluti calor, siue à Sole æquiuocè productus, siue à calore vniuocè, siue naturaliter in aere, siue violenter in aqua, semper in subiecto producitur, quia ratio eius talis est, vt subiecto inhærere aptum sit; quando autem res facta est nata per se existere, & non in subiecto, tunc producens quauis factione producat, faciet rem non in subiecto; hæc planè formarum distinctio, quæ hic traditur à Ferchio, de natis produci, & inhærere subiecto, & de aptis per se existere, ac independenter ab eo, coincidit omninò cum distinctione communiter tradita de formis materialibus, & immaterialibus, nam per materiales intelligunt formas prioris generis, & per immateriales formas generis posterioris, vt patet ex earum explicatione.

156 Quinta instantia, vel potius censura, quod declaratio materialitatis formæ per hoc quod sit immersa, & alligata materiæ, sit Thomistica phrasis, non Scotica, & sit à disputatione reijcienda, vt locutio metaphorica, & figurata, facilè refellitur, quia per talem figuratam locutionem denotatur omnino de dependentia formæ materialis à materia in suo esse, fieri, & conseruari, ac omnimoda inseparabilitas ab ipsa, vnde cum Scotus quoque & Scotistæ talem agnoscant dependentiam in cæteris formis à materia, iam in isto dogmate, & declaratione conueniunt cum Thomistis, siue in loquendo eadem phrasi vtantur, siue non, hoc enim parum refert. Et falsum est in scientijs, ac disputationibus metaphoris vti interdum non licere, vt docet Cartarius in Phys. controu.1. super tex.69. & controu.3. super tex.81. vbi ait Arist. materiam appetere formam, sicut fœmina marem, & turpe pulchrum, quæ absque dubio est metaphorica, & figurata locutio, nec alicui mirum esse debere inquit, si Arist. interdum vsus sit metaphoris in rebus ipsis explicandis, sicut in præsenti, dum explicat materiam primam, sicut pariter lib. 3. de anim. dum docet naturam intellectus nostri, eo quia in explicatione rerum difficillimæ cognitionis illis vti est conueniens, quia metaphoricæ locutiones ad analogiam reducuntur, vt ait Arist. 2. lib. Rethoric. & eo vel maximè tunc licet vti metaphora cum talis cognitio per metaphoram non transcendit terminos

proprios

proprios artis, sicque se habet cognitio materiæ primæ, ac intellectus nostri, quæ quidem etsi sint per metaphoras, seu per analogiam explicata, tales tamen declarationes non excedunt terminos physicos, ita Cartar. ibid. Imò Ferchius ipse hac ipsa doctrina aliquando est vsus lib. 1. Defens. cap. 8. n. 61. pag. 65. cum enim diceret Contarenus formas ab æterno consopitas manere in seminario formarum, ibique latere quousque per dispositiones ab agente naturali existentur ad perfectam existentiam, ac operationem, nosque disp. 5. de Gener. qu. 6. argueremus ex tali metaphora seminarium illud potius dici debere cubile formarum, in quo formæ sopitæ iaceant per totam æternitatem, & ab agente naturali euocentur, & existentur in tempore &c. Ferchius ibi inquit hanc metaphoram non esse irridendam, quia licèt interdum rem aliquam ocultam metaphoris, & exemplis declarare, & nil vetare, quin seminarium formarum à Cont. positum possit dici cubile, in quo sopitæ sint ab æterno, & in tempore ab agente naturali existentur formæ vt quasi vigiliam, & quasi operationem exerceant connaturalem, si ergo in scientijs licet interdum metaphoris vti, & de facto ipse Contareno permittit metaphoram de sopore formarum ab æterno in materia, ac earum vigilia, & excitatione in tempore vt legitimam, cur ambò nobis vetitum erit vti metaphoris immersionis, & alligationis ad materiam ad declarandam materialitatem formarum? Quis non videt maiorem habere cum formis materialibus proportionem vocabulum immersionis, & alligationis ad materiam, quam vocabula soporis, & vigiliæ, quæ sunt animatorum propria, & tamen Ferchius hanc metaphoram approbat, illam reprobat à scientia.

Deindè cap. illo 7. lib. 3. vbi num. 42. de hac metaphora nos reprehendit, statim nu. 43. ad declarandam materiæ primæ imperfectionem appellatur ab eo, *fex substantiarum*, quæ sanè locutio non est naturalis, & propria, sed metaphorica, & figurata, quia *fex* propriè significat crassiorem partem liquorum in fundo vasis subsistentem; cur igitur metaphoris ipse vtitur in illo eodem loco, vbi nobis illas vetat? Sed quid plura? has eadem metaphoras, quas hic esse à disputatione reijciendas, *immersa, & alligata materiæ*, alibi ipse non semel adhibuit, nam vestig. 1. cap. 19. nu. 62. ab initio appellatur ab ipso scientia naturalis *alligata materiæ*; & vestig. 6. lib. 1. pag. 254. col. 1. supra nu. 16. appellatur Physicus, *alligatus materiæ*; si ergo ipsi licuit has ipsas adhibere metaphoras, ac in eodem ferè proposito, cur amabo non licebit nobis sanè non video quid sit rationabiliter hic Ferchius respondurus, nisi fortè dicat multa licere seni, quæ non Iuueni; Denique quod forma materialis sit actus immersus materiæ non est phrasis, quam viderim apud Aquinatem, sed apud Alensem 7. Met. tex. 8. in fine, & 12. Met. 14.

157 Sexta demum, vltimaque solutio, vel istantia, quod malè diximus animam rationalem ab alijs formis per independentiam à materia, & subsistentiam, & contra Scotum animam appellauerimus subsistentem, cum id resolutè neget quol. 9. aut nulla est, aut planè calumniosa, quia nec Doctor ibi absolutè negat animam esse subsistentem, neque nos absolutè id affirmamus, vt tribuit nobis Ferchius disp. 5. de gen. quæst. 2. art. 2. ibi namque bis diximus animam rationalem esse formam subsistentem, semel nu. 65. & iterum nu. 68. nec vnquam id absolutè affirmamus, sed cum limitatione, nam subsistentia simpliciter, & absolutè dicta dubio procul soli conuenit composito, & supposito, vt ait Doctor quol. 9. A. sed in primo loco diximus eam formam subsistentem comparatione aliarum formarum inferiorum, quæ in suo esse, & fieri prorsus à materia dependent, ac proindè dicuntur formæ suaptè natura materiæ inhærentes, & quia anima rationalis non ita dependet, ritè appellatur à nobis, & ab alijs forma subsistens in hoc sensu quatenus excludit inhæsionem, ac dependentiam à materia communem alijs; profero verba nostra sub illo nu. 65. *Secus est de anima, esto desineret in corpore, quia est forma per se subsistens, vnde sicut in eius incaptione esto fiat in corpore, non ob id dicitur educi, vel generari, quia non fit dependenter ab eo, sed solum cum eo, ratione suæ subsistentiæ, & independentiæ, ita &c.* vbi patet per subsistentiam aliud nos non intelligere, quam independentiam eius à materia, quam omnes animæ intellectiuæ concedere tenentur; Rursus sub nu. 68. dicimus animam rationalem ab alijs materialibus formis per hoc discriminari, *quia ob sui immaterialitatem independenter à materia fit, & conseruatur, vnde etiam dum corpus informat, suo modo subsistit*, quibus verbis iterum cum limitatione, *suo modo*, dicimus animam subsistere in corpore, quatenus in suo esse, & conseruari ab ipso non dependet; quam tamen limitationem fraudulenter Ferchius immutauit, vt videremur absolutè tribuere subsistentiam animæ in corpore, vbi enim nos scribimus disp. 5. cit. quæst. 2. art. 2. nu. 68. col. 2. linea 15. *vnde etiam, dum corpus informat suo modo subsistit*, ipse lib. 3. c. 7. n. 44. pag. 300. ita nostra verba refert, & rescribit, *vnde etiam, dum corpus informat, in suo esse subsistit*, abstulit particulam limitatiuam à nobis positam, *suo modo*, & posuit absolutam, *in suo esse*; ita candidus est in referendis nostris dictis, qui vbique nos appellat falsatores suorum; immeritò tamen, quia abbreuiamus quidem sæpè sua dicta, & argumenta, quia non putabamus singula sua verba singula continere mysteria, nunquam tamen falsauimus, vel transmutauimus, itaut sensum omninò peruertant; neque vnquam professi sumus singula eius verba, ac integrum referre textum, vt ipse circa nostrum profitetur, vnde referendo nostra dicta, & verba mutando, quibus mysterium subest, vt est illa particula *suo modo* falsator voluntariè, & studiosè omninò deprehenditur.

158 Quod autem in sensu explicato iuxta mentem Doctoris possit anima rationalis dici forma subsistens, vt nempè subsistentia excludit inhærentiam, & dependentiam formæ à materia in suo esse clarè docuit Doctor eodem quol. 9. vnde oppositum ipse deducere intendit, etenim sub lit. B. ait, quod anima potest dici ens per se, nedum secundo modo, sed etiam primo modo (nempè ex tribus modis per se essendi, quos immediatè anteà præmiserat sub lit. A.) quia potest à materia separari, & per se existere potiori iure, quam accidens, & quælibet alia substantiali forma, quia potest solitariè existere, non tantùm per virtutem causæ extrinsecæ, sicut potest accidens, vel forma materialis, sed virtute suæ naturæ sibi relictæ, & hoc quia non necessariò pendet à materia in suo esse, sicut cæteræ formæ, quem modum subsistendi vocat infra lit. L. subsistere impropriè, & secundum quid, quia rigorosè accipiendo vocem subsistentiæ soli supposito tribui solet; Quod totum iam declarauimus disp. 2. Phys. quæst. 2. art. 2. quam doctrinam nedum diximus esse Scoti quol. 9. sed etiam Scotistarum, & præsertim Bassolij 2. d. 12. quæst. 1. art. 3. ad 3. vbi optimè declarat, quo sensu materia, & anima possint dici subsistere, quamuis enim (ait) dici nequeant subsistere accipiendo vocem *subsistere* pro esse completo suppositali, dici tamen possunt subsistere, quia possunt suaptè natura præsertim anima rationalis per se solitariè existere, & hæc quidem naturaliter; Quamuis autem ex illis tribus modis quibus aliquid dici solet ens per se, à Scoto assignatis sub lit. A. solùm ens per se tertio modo dicat esse propriè subsistens, non ideò hoc dixit, quia præfatum modum subsistendi animæ rationalis, & materiæ, quatenus dicit independentiam à subiecto, nolit admittere, vt verum, & rationalem, quia vt notaui disp. 2. cit. Phys. quæst. 2. art. 2. quam doctrinam nedum diximus esse Scoti quol. 9. sed etiam Scotistarum, & præsertim Bassolij 2. d. 12. quæst. 1. art. 3. ad 3. vbi optimè declarat, quo sensu materia, & anima possint dici subsistere, quamuis enim (ait) dici nequeant subsistere accipiendo vocem *subsistere*, pro esse completo suppositali, dici tamen possunt subsistere, quia possunt suaptè natura præsertim anima rationalis per se solitariè existere, & hæc quidem naturaliter; Quamuis autem ex illis tribus modis quibus aliquid dici solet ens per se, à Scoto assignatis sub lit. A. solùm ens per se tertio modo dicat esse propriè subsistens, non ideò hoc dixit, quia præfatum modum subsistendi animæ rationalis, & materiæ, quatenus dicit independentiam à subiecto, etiamsi communicabilis sit supposito; Sed ita dixit, vt ostenderet proprium, & rigorosum modum subsistentiæ esse illum tertium pro incommunicabiliter per se esse.

Imò in hoc eodem sensu, quo nos locuti sumus, Ferchius quoque ipse lib. 2. defens. cap. 5. nu. 27. pag. 183. ipsam animam rationalem cum D. August. appellat formam subsistentem ad differentiam aliarum his verbis *sic anima rationali in recessu à corpore seruatur in esse simpliciter, propter quod à S. August. siue Gennadio de Ecclesiasticis dogmatibus appellatur forma substantiua* quod idem est, ac forma subsistens, & rursus animam rationalem subsistere docuit idem August. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 5. vbi ita discurrit *anima est spiritualis substantia, omne enim, quod alij vitam subministrat; ipsum est necesse, vt subsistat, sed anima vitam corpori tribuit; igitur anima realiter subsistit*; quod ergo anima rationalis sit forma subsistens ad differentiam aliarum, quę sunt omninò in suo esse à materia dependentes, non est sola phrasis Thomistica, sed etiam D. August. Scoti, atque ipsius Ferchij, qui vt sæpius dixi secum pugnare non curat, dummodo nos impugnet; vide Tatar. 2. de anim. quæst. 1. notab. 1. eodem modo discurrentem de animę subsistentia; etiam S. Bon. vocat animam formam subsistentem, quia est à corpore independens in esse 2. d. 17. art. 1. q. 2. & 3. in resolutione quęsiti & d. 18. ar. 1. q. 2. ad 1. prin.

Obiectiones Ferchij diluuntur.

159 IN oppositum Primò obijcit Ferch. libr. 3. cap. 2. numer. 11. pag. 269. quod sit contra Scotum dicere animam rationalem esse subsistentem, Scotus enim in 4. d. 43. qu. 1. §. *de primo* refert opinionem Aquinatis 4. d. 44. quæst. 1. dicentis, quod aliorum animalium forma non est per se subsistens vt post compositi solutionę manere valeat, sicut est de anima rationali. Idem fundamętum, quod anima sit per se subsistens refert Scotus quol. 9. artic. 3. in 2. ratione contra seipsum, & respondet; Quamuis ista ponatur ratio fundamentalis pro conclusione ista, quod anima intellectiua est subsistens, tamen conclusio non videtur vera loquendo propriè de subsistente eo modo, quo prius dictum est, quod ens per se tertio modo ibi accipiendo, dicitur subsistens, sed nec anima intellectiua vnita est per se subsistens, ideſt solitariè, sicut accidens in altari dicitur per se ens. Deindè tribus modis ex quol. 9. A. dicitur ens per se, primò non cum alio, sic accidens separatum à subiecto est ens per se; secundò non inhærens actu, & aptitudine, sic omnis forma substantialis est ens per se; tertiò non per se ordinabile ad aliud, sicut suppositum est ens per se, & illud solum propriè dicitur subsistens, per se subsistens primo modo non competit animæ vnitæ cum corpore, vt Scotus dicit, & quoad hunc sensum separata nihil plus haberet, quam accidens separatum; secundo modo omnis forma substantialis est subsistens, & hoc modo anima intellectiua nil plus habet, quam cęteræ formæ sicut ergo absurdè diceremus accidens separatum per se subsistere, vel quamlibet formam substantialem per se subsistere, sic absurdè hoc dicitur de anima rationali in duobus istis sensibus. Tertio modò impossibile est, vt anima intellectiua sit per se subsistens, quia est per se communicabilis, vt forma materiæ, & est nata esse per se pars totius compositi.

Præterea Scotus quol. 9. ad L. scribit *anima intellectiua non dicitur subsistens, nisi impropriè, & secundum quid, licèt dicatur ens, & per se ens primo modo accipiendo esse*, scilicet quoad esse existentiæ. Amplius

plius Scotus quol.4. M. *quod subsistere est equiuocum, vnomodo accipitur propter se esse prout excludit inhærere, & in alio esse, vt pars in toto &c. alio modo subsistere est in communicabiliter per se esse*, si loquamur de anima vnita corpori, non est subsistens primo modo, quia est per se pars in toto; non secundo, quia intrà, & extrà totum est per se communicabilis, non est igitur doctrina Scoti, quod anima rationalis sit subsistens. Sed est fundamentum Thomistarum, sicut & doctrina de eductione propter dependentiam, & inhærentiam formæ à Thomistis transcripta est.

160 Resp. ad 1. Doctorem in eisdem verbis ex ipso relatis satis apertè declarare, quo sensu anima rationalis nequeat dici subsistens loquendo nimirum de subsistentia propriè dicta, quo pacto soli conuenit composito, & suppposito, non negat tamen dici posse subsistentem, quatenus potest esse per se solitariè, non tantum per virtutem causæ extrinsecæ, sicut potest accidens, vel forma materialis, sed virtute naturæ suæ sibi relictæ, & hoc quia non necessariò dependet à materia in suo esse proprio, imò his ipsis verbis affirmat hoc modo dici posse subsistentem, & ens per se primo modo sub lit B. quem subsistendi modum vocat inferius lit. L. subsistentiam secundum quid, ac impropriam ad differentiam subsistentiæ rigorosè sumptæ, quæ soli conuenit suppposito. Ad 2. satis declarat Doctor lit. B. quomodo anima vnita, sed præsertim etiam separata dicatur potiori iure per se ens, siue subsistens primo modo, scilicet solitariè existens vel existere potens, quam accidens separatum, quia hoc habet anima ex natura sua quod possit separari, & separata existere, non verò accidens, vnde patet falsum esse, quod ait Ferchius quoad illum primum modum per se essendi vel subsistendi animam separatam nil plus habere, quam accidens separatum, nam anima separata ita per se existit suaptè natura, sed accidens virtute tantum agentis extrinseci supplentis vices subiecti, & ideò potiori iure anima separata potest dici per se subsistere, quam accidens separatum, quia anima separata ita existit virtute propria, non verò accidens separatum. Ad 3. locus ille quol.9. L. facit pro nobis, nam fatetur Doctor posse in aliquo sensu subsistentia tribui animæ intellectiuæ, quo non potest tribui cæteris formis materialibus à materia inseparabilibus. Ad locum denique ex quol. 4. M. primò concedi potest nec animæ vnitæ, nec separatæ conuenire subsistentiam in illa duplici acceptione ibi memoratæ, sed in ea acceptione, quam explicat Doctor quol.9. B. quatenus scilicet dum est coniuncta materiæ, non ita dependet ab ea quin possit separari, & quando est separata dicitur per se subsistere, ideſt solitariè existere, & licet non sit suppositum, quia est incommunicabilis, tamen habet modum suppositi, vt notat Doctor 1.d.12.q.1.ad 2. & 4.d.12.q. 3. ad 2. & in hoc tantum sensu nos quoq. animam diximus esse formam subsistentem. Deindè dici potest subsistere primo modo acceptum duo habere membra, sumitur enim prout excludit inhærere, vel in alio esse, vt pars in toto, quamuis ergo anima vnita subsistens dici nequeat, vt subsistere excludit in alio esse, vt pars in toto, adhuc tamen dici potest subsistere, vt excludit inhærere, ideſt dependere à materia in esse, fieri, & conseruari, quo sensu formæ omnes materiales dicuntur inhærere materiæ. Et tandem anima separata poterit dici subsistens primo modo quia in tali statu excludit inhærere, & in alio esse ad modum partis, quia actu non constituit totum, sed per se existit.

161 Secundò obijcit Ferchius lib.3.c.7. num.43. pag.299. probans animam rationalem esse formam materialem, & per materiam in qua, & per materiam ex qua per S.Bonau. 2. d.17. qu.2. & Scotum quæst.15. in lib. de anima; & ait quod titulus ille immaterialitatis datus animæ non est Scoti, sed Aquinatis nam Scotus tale facit argumentum contra Aquinatem quol.9. *si instetur quod simili ratione posset concludi per operationem & vlterius per potentiam, quod anima intellectiua sit immaterialis, & tamen conclusio est falsa, hoc est, quod non sit perfectio materiæ, licèt secundum aliquos vera sit de immateriali, hoc est non composita ex materia, & forma*, anima ergo intellectiua est materialis, quia perfectio materiæ, & quia ex materia secundum Scotum, licèt secundum aliquos existimetur immaterialis hoc secundo modo. Respondet ibi Doctor Subt. pro Aquinate, sed illam responsionem duplici argumento reprobat, & relinquit instantiam, tanquam benè probantem. Hoc idem ibi probat in margine ex Scot. 4. dist.1. quæst.1.Gg. vbi sub nomine formæ materialis comprehendit etiam animam rationalem.

Resp. Doctorem seipsum declarare, quo sensu dicat falsum esse, quod anima intellectiua sit immaterialis, ita scilicet quod non possit esse perfectio materiæ, & in hoc sensu neque nos asserimus esse animam formam immaterialem, sicut est Angelus, sed dicimus esse immaterialem in sensu, quem Doctor ipse magis declarat lit.H. quia quamuis informet materiam, ab ea tamen non dependet in essendo, vt cæteræ formæ inferiores, sed ab ea separari potest, & separata conseruari; totam itaque vim illius quartæ rationis, & quomodo ex operatione immateriali possit alicuius naturæ concludi immaterialitas lit.H. illis verbis, *ex hoc ergo medio, scilicet operatione potest concludi ipsius naturæ talis immaterialitas, hoc est, à materia in essendo separabilitas, non autem illa immaterialitas vlterior, quæ est impossibilitas informandi materiam*, ex quibus verbis patet Doctorem concedere animam esse immaterialem in eo sensu, qui passim intenditur, quia non dependet à materia, & est ab ea separabilis, & eam negat esse immaterialem, vt immaterialitas dicit impossibilitatem informandi materiam, quo sensu nemo asserit animam esse formam immaterialem, nisi qui cum Auerroe faciunt eam formam assistentem; hic tamen modus loquendi, quod nempe forma materialis vocetur, quæ potest esse perfectio materiæ, non est admodum vsitatus, nam iuxtà communem loquendi modum forma materialis appellatur, quæ à materia dependet in suo esse, fieri, & conseruari, vt ipse quoque Doctor declarauit 4.d.1. quæst.1.Hh. vndè ritè dicebat Pererius supracit. num.152. apud Philosophos aliud esse aliquid esse formam materiæ, aliud verò esse formam materialem; atque ideò animam intellectiuam benè dici formam materiæ, non tamen propriè formam materialem. Quamuis autem quoad materiam *ex qua*, probabile putauerit D. Bonau. animam esse compositam, ac etiam Scot.q.15. de anim. inclinauerit, attamen in lib. Sent. vbi maiorem facit auctoritatem oppositum docuit pluribus in locis, Sed præsertim 2.d.16.q.vn.§. *alia opinio*, lit.F. imò & in illo ipso quol.9. lit.H. vbi ait non includere materiam partis, addit autem *corporalem*, vt abstraheret ab illa quæstione, an saltim habeat materiam spiritualem. Quod tandem Ferchius ad marginem adiecit Doctorem 4. d.1. q.1. Gg. sub nomine formæ materialis animam quoque intellectiuam comprehendere constat prorsus falsum esse ex discursu ipsius Scoti ibidem suprà relato nu. 151. quin potius Doctor ibi formam materialem ab anima intellectiua discriminat sub litt.KK. & ipse S.Bonau.2.d.18.art.2. qu.1. in resolutione quæsiti, quamuis animam componat ex materia, & forma, vocat nihilominus formam immaterialem, quia à corpore independentem.

162 Tertiò lib.1.cap.7.n.53.pag.55. probat Ferchius animam non benè distingui à cæteris formis, quod aliæ sint eductæ de potentia materiæ, ipsa verò minimè, nam potius res è contrà se habet, quod ipsa sola est educta de potentia materiæ, quod probat tali discursu; quoniam distinctio vocum educi & induci fundatur super illum textum & 2. de Gen.anim. c. 3. formæ possunt comparari vel ad efficiens *ex quo* vel ad materiam *in qua*; formæ quæ ab agente extrinseco in materia veniunt educi, hoc est ab extrà duci dicantur, talis est sola mens; animæ aliæ, quæ non veniunt ab extrinseco sed intrinseco agente, non dicantur educi, quia non veniunt ab extrinseco; formæ omnes in ordine ad materiam in ea fiunt, & sunt, vnde omnes quoad fieri in materia induci dicantur, quando scilicet totum fit, quando totum destruitur, sola mens educitur de materia, & potentia materiæ, quoniam extrà materiam ducitur, est enim separabilis, aliæ formæ sunt inseparabiles, vndè non possunt esse sine toto, sed cum toto intereunte intereunt; sunt quippè ex 13.Met.sum.1. cap.2. priores toto ratione, non substantia, vndè nulla alia forma educitur de potentia materiæ, nisi intellectiua.

Resp. hoc argumentum plus esse imperatorium, quam probatorium, propositiones siquidem proferuntur in modo imperatiuo, sed non probantur, nec mirum, quia Ferchius ipse vltrò fatetur se in hoc discursu voluntariè loqui, & ad placitum suum, vndè quia cæteri Philosophi, ac Theologi nolunt eius imperio subijci, totum eius, quantus est, discursum ex integro negabunt, & præsertim propositionem illam adeò malè sonantem *nulla alia forma educitur de materia, nisi intellectiua*, quam saluare nequit Ferchius nisi terminos peruertendo, & sumendo contrario modo, quam faciant alij, & cum magna improprietate, nam vt notat Canonicus 2.Phys.q.1.ar.1. educi est ab esse intrà duci, & non ab extrà dari, & in hoc significato etiam Sacra Scriptura vtitur hoc vocabulo 2.Esdræ qu. 15. aquam de petra eduxisti, & sic etiam habet communis loquendi modus; non ergo formæ, quæ ab agente extrinsecus in materia veniunt dici debent educi, hoc est, ab extra duci, sed propriè loquendo dici debent induci, ideſt aliundè producta introduci in materia; Et adhuc minus propriè, quando homo destruitur, anima diceretur educi de materia; quia eductio formæ apud Philosophos pertinet ad generationem totius, non ad corruptionem, & magna confusio est velle eodem eductionis vti vocabulo in hominis generatione, ac eiusdem corruptione, adeò vt mens dicatur educi, & cum gignitur homo quatenus ab extrà dicitur iuxtà primam explicationem in generatione, & quatenus extrà materiam ducitur in corruptione iuxtà secundam; imò hæc duo significata eductione animæ in generatione, & interitu totius sibi prorsus repugnare videntur, quoniam in generatione animam educi idem est, quod ab extrà duci in corpus, in corruptione verò hominis animam educi est ab intra duci ad extrà, ideſt à corpore extrà corpus, quæ omnia constant esse prorsus voluntariè dicta, & absque vllo prorsus fundamento; animam rationalem nec esse formam materialem, nec eductam de potentia materiæ probat Tromb. qu. de immort.anim.art.1.concl.

Quartò quia disp.5.cit.de Gen.q.2.ar.2.nu.65. admittimus gratiam non creari, sed potius educi de potentia animæ iuxtà dicta disputat.3. Phys.qu.5.art.2. de formis supernaturalibus in vniuersum, Ferch.l.3. defens. cap.2. multis Scoti auctoritatibus munitus nos adoritur ostendens de mente Doctoris gratiam, cæteraq; dona supernaturalia verè & propriè creari, & annihilari, sed præsertim vim facit in quadam Scoti auctoritate 3.d.11.q.1. vbi ait Angelum, animam, & gratiam propriè creari, quia de nihilo producuntur à primo efficiente, vndè tandem concludit nos esse transfugas à schola Scot. ad Schola Caiet. & Suar.

163 Resp. nos loc.cit.disp.3.Phys.q.5. art.2. omnes ferè illas auctoritates adduxisse, & præsertim illam, quam censet magis vrgen-

tem

tem 3.d.11.q.1. atq; ideò vltrò ibi concessisse Scotum magis inclinasse ad oppositam partem, quod nempe gratia creetur, addidimusque ita locutum esse, non ob aliquam rationem vrgentem, quam nunquam adduxit, sed ne recederet à communi modo loquendi Scripturarum, & PP. qui dicunt gratiam in nobis à Deo creari, vel concreari, quas etiam auctoritates diximus explicari posse de creatione in sensu morali, vt nempe gratia creari dicatur ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, idest in nouo esse constituuntur ex nihilo, idest non ex meritis secundum illud ad Ephes.2. creati in Christo Iesu in operibus bonis, vt explicat D.Thom.p.2.q.110.art.2.ad 3. vndè tandem concluſimus ibi propè finem articuli, quod qui vult sustinere cum communiori, & non minus probabili gratiam, & cætera dona supernaturalia creari, id tenere debet ob auctoritatem Sanctorum, Scripturarum, & scholasticorum antiquiorum, quorum auctoritati maximè est tribuendum, non autem ob aliquam rationem cogentem, quia re vera nulla talis ad est, imò potius vrget in oppositum insistendo in notione iam assignata eductionis. Neq; desunt Scotistæ nobiles tum ex antiquioribus tum ex Recentioribus nobiscum sentientes, ex Antiquioribus enim id luculenter tenet Mairon.3.d.1.q.5. vbi ab initio sic loquitur; Hìc prætermittendum est, quod quatuor modis dicitur aliquid creari à Deo, primò sicut à causa vniuersali tantum, & sic anima creatur à Deo, quia Deus cum omni causa secunda concurrit; secundo modo sicut à causa particulari, vel partiali, vt humanitas Christi, vbi Deus suppleuit causalitatem agentis particularis; tertio modo, sicut à causa totali, sed in genere causæ efficientis tantum, vt gratia creatur à Deo totaliter, & effectiuè, sed dependet ab anima subiectiuè, sicut à causa materiali in qua; quartò sicut causa totalis suppletur, quia nulla alia causa concurrit, & hoc modo Angelus creatur totaliter à Deo, quia in suo esse, sicut in suo fieri dependet, non dependet nisi à Deo; vbi vt vides, ait gratiam creari, non quia verè non educatur de potentia materiæ, pendeatque ab anima in suo esse, fieri, & conseruari, sed quia in genere causæ efficientis totaliter dependet à Deo, vndè etiam iuxtà hanc explicationem intelligi possunt Scripturæ, & Patres, cum aiunt gratiam creari, vel à solo Deo dari, quia nempe nulla alia causa secunda concurrit ad eius productionem in genere causæ efficientis; licèt concurrat aliqua in genere causæ materialis, scilicet anima.

164 Ex Recentioribus quoque id tenent tanquam probabile Poncius disp.13. log.q.2. nu.21. Gregorius Ruiz controu. 3. in quartum sent. Scoti conclusione prima (licèt in secunda conclusione doceat quoque oppositum, vt probabilius) vbi id probat, quia gratia pendet ab anima in esse, & fieri, ergo gratia educitur de potentia materiæ, consequentiam probat, nam formam educi de potentia subiecti est pendere ab eo in esse, & fieri. Imò idipsum Ferchius quoque tenetur asserere gratiam, scilicet & cætera dona supernaturalia educi de potentia animæ, non verò creari, nam ipse lib.3.c.4.& c.8. nu.46. negat formas substantiales à materia dependere in suo esse, & fieri, & ait hanc dependentiam solis accidentalibus formis conuenire ea ratione, qua accidentia sunt, quæ nata sunt inhærere subiecto; Cum ergo & gratia, & alia dona supernaturalia sint formæ accidentales, à materia pendebunt in suo esse, & fieri, & consequenter non incipiunt in anima per creationem, sed per eductionem; Neque dicas obstare, quod sunt formæ supernaturales, nam quod essentialiter conuenit generi, nequit repugnare speciei; si igitur essentialiter, & per se conuenit formæ accidentali, vt sic, à subiecto pendere in suo esse, & fieri, vt etiam Ferchius concedit, sic etiam per se conuenit tam formis naturalibus, quam supernaturalibus, quæ sunt eius species. Tum quia actus supernaturales non ponuntur creari, imò à nobis effici partialiter, vt aiunt de visione, & fruitione beata; ergo supernaturalitas non obstat, quin gratia possit educi de anima. Quod tandem ait nos esse transfugas de Schola Scoti ad Scholam Caiet. parum curamus, quia ad conuitia spectat; quis nostrum sit transfuga, Scotoque ac subtilium Scholæ rebellis, poterit prudens Lector ex toto suæ Defensionis libro coniectare, in quo nedùm vbique opiniones tenet Scoto, & Scotistis auersissimas, sed nullibi cessat eos subsannare, & conuitiari omni deposito pudore; vndè lib.1.c.3. ab initio non pudet vocare Scotistas omnes transcriptores, de nouo parùm, aut nihil facientes; quin etiam Scotum ipsum Præceptorem eadem nota denigrat lib.3. pag.341. n.82.& ait vbique se non recipere Scotum, & apud ipsum Scoti auctoritatem valere, sicut apud Thomistam; Sed hæc odiosissima mittamus ex rabie, & virulentia in confratres eructata, non ex veritate deprompta.

Postremo pluribus probat formam substantialem non educi de potentia materiæ, nec ab ea dependere in suo esse, & fieri lib. 1. pag. 49. n.46.& seq. & rursus lib.2. c.10. quæ omnia soluta sunt supra in hac q.art.2.n.87.& indè, neque opus est hìc repetere.

QVÆSTIO V.

De formarum desitione, vel interitu.

CIrcà formarum originem, & inceptionem tota quæstione precedenti versati sumus tam substantialium, quam accidentalium, qua sumpta occasione occurrimus obiectis à Ferchio contra nostram sententiam in 1. & 2. lib. Defens. vt tueretur vel suam factionem ex nihilo, vel factionem ex seminario formarum cum Contareno; nunc de earundem formarum desitione, & interitu agendum est, vt hac occasione ad alia possimus occurrere, quæ obijcit lib.3.& 4.quod quidem maiori, qua potero breuitate, duobus articulis præstabo.

ARTICVLVS I.

An omnis forma Physica sit corruptibilis.

165 OMnem formam physicam, siue substantialis sit, siue accidentalis, sola anima rationali excepta, sicut generabilis est, ac verè incipit in materia, ita quoque esse corruptibilem, ac in materia desinere iam disp.5.de gener.qu.2.art.2. determinatum est, ac ipsa quoque experientia docet in omnibus trasmutationibus tam substantialibus, quam accidentalibus, quæ quotidie contingunt. Neque obstat, quod afferri solet ex Aristot. 1. Phys.& 7.Met.& alibi frequenter, quod fieri, & corrumpi proprium est compositi, non formæ. Quia vt benè Suarez notauit disp.15. Met. sec. 2. hæc instantia magis consistit in verbis, & modo loquendi, quam in re, etenim forma re vera anteà non erat, & posteà est, ergo facta est; & post corruptionem compositi non amplius est loquendo de formis materialibus, & anteà erat, ergo verè desinit esse; & quando Arist. loc.cit. dixit fieri esse compositorum, non formarum planè non loquitur de fieri quocunque modo sumpto, sed certo quodam, & peculiari modo, qui soli composito conuenit, vt passim omnes Metaphysica explicant 7. Met.q.illa, an solum compositum per se generetur.

Ferchius tamen vestig.6. lib.1.c.2. probauit quibusdam rationibus in Arist.textu fundatis omnem formam substantialem, prout ab accidentali distinguitur, esse separabilem à materia, sempiternam, atq; incorruptibilem, disputatiuè tamen potius, quam assertiuè, & quia insolutas eas reliquit (qua de causa ignoro, fortè ad exercitium aliorum) vt eius monitum obseruaremus datum vestig. 4. nu.46. *æquum non esse, quæ contrà veritatem pugnant, insoluta dimittere, aut in iudicio de veritate præuaricari*, eas diluimus loc. cit. de gener. & cor. & quando rem gratam ei feciſse arbitrabamur eius præcepto obtemperando, ecce quod totus in furorem versus lib.3. Defens. conclamat, & perstrepit illas rationes non fuisse à nobis solutas, & adhuc in suo robore remanere, sic enim loquitur libr. illo pag. 271. num.14. Quia tamen impugnantibus est omninò repugnandum, affirmo illam vniuersalem, *omnis forma substantialis est separabilis*, esse falsam, sed vos non esse sufficientes vestris rationibus ad probandum, quod illa sit falsa, neque esse sufficientes vestris responsionibus ad defendendum, quod illa non sit vera, sic enim est à me munita, vt vos iactare possitis, sed ruinam afferre illius conclusionis non possitis; ita Ferchius solito supercilio; & sic integrum tertium illum librum consumit in defensione illius propositionis, quam fatetur esse falsam, atque ideò totum librum impendit in defensione falsitatis, quod an Philosophum deceat veritatis vestigatorem alieno iudicio relinquimus.

166 Cæterum, quam benè dixit loc.cit.vestig.4.n.46. æquum non esse, quæ contra veritatem pugnant, insoluta dimittere, aut in iudicio de veritate præuaricari; tam malè dixit posteà lib.3.Defens. pagina 271. n.14. impugnantibus esse omninò repugnandum, etiam quando pro veritate pugnant, nam vltrò fatetur ibi nos impugnare propositionem falsam, & veritatem propugnare; hoc, inquam, malè dicitur, nam pugnanti pro veritate vtrique disputanti nota cedendum est, non repugnandum, aut contradicendum; quod enim ad disputandum ingenuum Philosophum compellit, & excitat, est veritatis inueniendæ desiderium, non æmulatio, iactantia, & contendendi libido, vndè ex allegatis verbis illius Auctoris palam colligitur motum esse ad illam defensionem, non ex veritatis inquirendæ desiderio, sed ex mera æmulatione, ac contentionis æstu, ac mera indignatione, quod eius rationes, tanquam proprio Marte inuentas soluere tentauerimus; cum tamen argumenta illa, quibus eam propositionem stabiliuit, sint communissima, & ex tritissimis Arist. textibus collecta, sicut & solutiones nostræ communes sunt, & desumptæ ab Expositoribus illorum textuum Scoto, Alensi, D.Thoma, & alijs. Nec quæro succenseat nobis Auctor ille, quod dicamus argumenta illa esse comunia, illis verbis quæ habet lib.3.Defens.pag.263.n.4. *Intelligo intentionem vestram, quæsiuistis, vtrum apud alium aliquem illas rationes inuenire possitis, vt ostenderetis illas non esse peregrinas; non potuistis hac vice, etiam falsa mihi imponendo, ostendere, quod rationes illæ non sint meo labore partæ, sed cum diuino lumine illustrante*; non, inquam, ita succenseat, quia talem inquisitionem planè non fecimus, imò libenter esse ex suo pænu ibi admisimus; quia tamen nunc eius verbis cogor ad hanc inquisitionem faciendam, ostendam esse argumenta communissima vno vel altero excepto, quod in falsa fundatur textuã Arist. expositione ex proprio capite data; displicet tamen quod ait has rationes fuisse proprio labore partas, *sed cum diuino lumine illustrante*, nam sæpius ibi fatetur, & præsertim paulò infrà pag.271.n.14. propositionem illam *omnis forma substantialis est separabilis*, ad cuius probationem eas induxit, esse falsam; si ergo falsa est, pudeat eum dicere rationes illas falsum probantes fuisse proprio labore partas diuino lumine illustrante, quia Deus, qui est summa veritas, at mendacium non illustrat, nec ad comprobationem falsi concurrit.

Quoniam verò quæritur hìc Auctor has suas rationes non fuisse à nobis fideliter relatas, & verba omisisse necessaria ad vim argumenti con-

constituendam; hic magis ad verbum illas referam, & cum particulis magis prægnantibus vt ipse cupit, vt indè pateat adhuc ex illis maius robur argumenta illa non sumere, nec re vera permissum esse, quod ad vim argumentorum spectabat, & quæ sunt prætermissa, non nisi breuitatis gratia fuisse dimissa, non autem ad eneruanda eius argumenta, neque enim tenetur quilibet Auctor Aduersariorum argumenta verbatim referibere, sed sufficit si necessaria perstringat, ad prolixitatem vitandam; neque arbitrabamur singula verba illorum argumentorum specialia continere mysteria, alioquin planè singula relata fuissent, nunc referamus eius argumenta per ordinem, nostras solutiones, & earum impugnationes à Ferchio factas lib. 3. Defens.

Primum, & Secundum Argumentum.

167 PRimò itaque arguit Ferch. loc. cit. ad probandum omnem formam substantialem esse separabilem, & perennem, Arist. 5. Met. tex. 15. docens, quod vocabulum substantia accipitur pro forma, declarat de qua forma nomen substantiæ vsurpetur dicens substantiam dici. *Et id quod cum quod quid sit, etiam separabile fuerit, tale verò cuiusque forma, & species*; In 7. Met. comparantur materia, forma, compositum, vt agnoscatur quænam horum sit substantia, & magis substantia, ait autem *ex his itaque speculantibus accidit substantiam esse materiam*; *at impossibile, est*; *etenim separabile, & quod quid videmus maximè inesse substantia, propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur magis esse, quam materia*; si itaque forma ideò est substantia, & magis substantia, quam materia, quia forma est separabilis, satis vera est conclusio, quam probamus, nam hæc differentia inter materiam, & formam est vniuersalis, scilicet quod forma est magis substantia; ergo & ratio huius differentiæ, nempe separabilitas vniuersalis esse debet, vt causæ, & effectus æquentur. Denique 12. Met. 26. *Actus namque est forma, si separabilis sit, & quod ex ambobus &c.* quibus ex auctoritatibus quatuor obseruo; Primò in his Philosophum loqui de forma communissimè, & metaphysico ritu, non de forma aliqua specialissima; secundò quia separabile ratione etiam à Mathematico expenditur, cum hìc sermonem metaphysicum habeat, separabilitas metaphysica videtur accipienda, scilicet rei, & rationis. Tertiò quia ponitur differentia inter materiam, & formam, atque separabilitas magis attribuitur formæ; sanè materia ratione, & re est à singulis formis separabilis, ergo & forma omnis erit hoc pacto separabilis. Quartò in 12. Met. & 5. Met. discriminantur forma substantialis, & accidentalis, atque substantialis affirmatur separabilis, accidentalis minimè; si formam accidentalem ratione, & secundum quid separabilem esse negas, profectò Mathematicam abstractionem denegas; igitur separabilem re, & simpliciter concedere debes omnem formam substantialem, qui fateris formam accidentalem non esse re, ac simpliciter separabilem. Probatur consequentia, quoniam illa separabilitas conceditur formæ substantiali, quæ negatur accidentali in citatis locis.

Secundò arguit, ex 7. Met. 4. & 12. Met. 3. discimus esse differentiam inter formam substantialem, atque accidentalem, quod nullum accidens est separabile, substantia est separabilis; quæ differentia si est vniuersalis, & benè assignata concludit, quod omnis substantia est separabilis; atqui forma substantialis est substantia, ergo omnis forma substantialis est separabilis, nimirum eo separationis genere, quod formæ accidentariæ non cogruit, tale est separabile esse re, nam separabile esse ratione commune est substantiæ, & accidenti, & accidens, & substantia non discriminantur in ea separabilitate, quæ est eis communis.

168 Respondeo sum est ad hæc duo argumenta simul disp. 5. de Gen. q. 2. art. 2. nu. 69. Arist. locis allegatis præsertim in secunda ratione non ponere illam differentiam inter formam substantialem, & accidentalem, quod illa sit separabilis à materia, non ita, sed ponit illam differentiam inter substantiam ex vna parte, & accidens ex alia in hoc sensu, quod substantia est per se existens, & separabilis ab accidentibus, accidentia verò non habent esse per se, nec possunt separari à substantia; ita exponunt ibi omnes præsertim Scotus in expositione illorum textuum, & quol. 2. ab initio, & textus de se patet; ex eo autem quod substantia separabilis sit ab accidente non è contra sanè non videmus, quomodo rite hinc inferatur omnem formam substantialem esse separabilem à materia, potius enim inferri deberet esse separabilem à suis accidentibus & iuxtà hanc phrasim loquitur in alijs locis, cum dicitur substantiam esse separabilem, vult enim, quantum est ex se, ab accidentibus separari, non autem formam substantialem à materia, in quibus etiam aduertendum est hoc prædicatum *separabile* de composito, & prima substantia, in quantum est illa, quæ per se subsistit, præcipuè enunciari, formæ verò participatiuè, inquantum scilicet magis participat de actualitate compositi, quam materia, vt loquitur Doctor quol. 9. M. Tandem si vnquam Arist. loc. cit. vel alibi docet formam substantialem esse separabilem in sensu arguentis, accipienda est indefinitè illa propositio, non autem vniuersaliter, sicut accipitur illa 1. Phys. prima principia sunt contraria, & hoc ne Arist. sibi contradicat, dum 2. de Gener. animal. c. 3. sentientem, & vegetantem inseparabiles dicit, & solam mentem separabilem, & 8. Met. 3. & 6. Met. 1. & 2. apertè docet non omnem formam substantialem esse separabilem, teste Ferchio vestig. 6. lib. 1. c. 6. & 7.

Quoniam ad 2. argumentum prius occurrimus, Ferchius lib. 3. cap. 9. n. 49. hanc solutionem quoque prius impugnat resoluens secundum argumentum in duos syllogismos, & postea inquit nos non respondere ad medium terminum, non ad prædicatum, non ad subiectum conclusionis, non ad materiam, non ad formam; sed dicunt (inquit) concludi separabilitatem substantiæ ab accidente; verum dicunt, sed non ad propositum, aliud enim est quærere qui à quo sit separabile, quod in nullo termino syllogismi continetur, aliud est quærere, qualis separabilitas, cui conueniat, quod est conclusum, & ad quod non respondent; ergo ad argumentum non respondent, sed ad propriam imaginationem. Hæc impugnatio in solis verbis, & minis consistit, in quibus etiam sibi contradicit, nam primò concedit verum esse, quod dicimus ex argumento concludi separabilitatem substantiæ ab accidente, & statim dicit non concludi quid à quod sit separabile, sed solum qualis separabilitas, & cui conueniat, esse conclusum. Deindè conclusio, quam ab initio capitis assumpsit probandam, est hæc, omnem formam substantialem esse separabilem à materia re, & ratione, & hoc incipit probare per primum argumentum, quo ostendit non tantum qualis sit separabilitas formæ substantialis, sed etiam à quo sit separabilis nempè à materia, vt ipse fatetur posteà num. 50. si ergò secundum argumentum dirigitur, ad probandam illa conclusionem, quam per primum argumentum probare incæpit, non tantum probare debet, qualis sit separabilitas formæ, & cui conueniat, sed etiam à quo sit separabilis nempè à materia, alioquin secundum argumentum vel nihil probabit, vel insufficienter probabit, quia ad probandam conclusionem propositam, non sufficit ostendere formam substantialem esse separabilem re, & ratione, sed etiam probari debet, esse sic à materia separabilem, quod tamen in virtute illius secundi argumenti non probatur, quia probatur tantum esse sic separabilem ab accidentibus nam de illa tantum separabilitate loquitur Arist. in illis textibus, vt etiam ipse fatetur. Conf. quia Arist. in illis textibus nedum probat qualis sit separabilitas substantiæ vniuersaliter sumptæ, quod nempè sit rei, & rationis, sed etiam ostendit à quo sit sic separabilis, nempè ab accidente; ergo in virtute illorum textuum nequit Ferchius ostendere tantum modum separabilitatis formæ, nempe re, & ratione, sed etiam ostendere debet quid à quo, idest a quo sit ita separabilis, alioquin nec argumentum erit ex intentione textus deductum, neque sufficienter probabit propositum, nempe assumptam conclusionem, quæ est, omnem formam substantiale esse separabilem à materia re, & ratione, in qua conclusione, vt patet, probari debet & modus separabilitatis, & quid à quo simul, & semel; aut ergo sua impugnatio non est ad rem, aut suum argumedum secundum non probat intentum, quia probabit tantum modum separabilitatis formæ substantialis, non autem à quo sit ita separabilis.

169 Sed adhuc minus ad propositum est admiratio, quam facit illis verbis. Quando in 5. §. dicunt se non videre quomodo ex separabilitate probata inferatur separatio materiæ à forma; mirabile esset, si hoc ipsi viderent in argumento secundo, quod in eo non est à me scriptum, ergo non scripsi illam consequentiam, quare videre non potuerunt ipsam, liber Vestigationum impressus est legi; potest ita ludendo Ferchius sed cadit ludus in ipsum, nam mirabilius est, quod ipse viderit nos talem consequentiam illi adscribere, quod intulerit separationem materiæ à forma; quia hic non disseritur de separabilitate materiæ à forma, sed è contra formæ à materia, & dicimus ex tali separabilitate substantiæ ab accidentibus nos non videre, *quomodo ritè inferatur omnem formã substantialem esse separabilem à materia, potius enim inferri deberet esse separabilem à suis accidentibus*, hæc sunt nostra verba etiam ab ipso fideliter relata; & hæc est consequentia quam nos dicimus ritè inferri non posse, virtute illius argumenti, nempe separationem formæ à materia, non autem separationem materiæ à forma, vt ipse inquit; nos ergo benè vidimus, & consideraumus consequentiam ab ipso intentam in suo argumento, at ipse non bene vidit, quod in nostra solutione scriptum iacet.

Deindè, quia ad loca Arist. in primo argumento allata applicamus eandem solutionem datam ad loca adducta in secundo, quod nempe intelligat substantiam quantum est ex se esse ab accidentibus separabilem. Ferchius num. 50. hanc glosam impugnat ostendendo, quod in illis textibus in primo argumento allatis non fiat comparatio inter substantiam, & accidentia, sed inter ipsas substantias præcisè, & per hoc distinguatur præsertim forma à materia, & composito, quod forma est separabilis à materia, & composito, quæ separabilitas nequit conuenire materiæ in ratione potentiæ, quia potentia non est separabilis ab actu mensurante, sicut in his quæ sunt ad aliquid scriptum est de sensatione, & scientia, neque etiam composito, quia compositum nequit separari à partibus; quod si loqueretur Arist. de separabilitate respectu accidentium, non benè per talem separabilitatem discriminaretur forma a materia, & composito, quia talis separabilitas est communis tribus substantijs materiæ, formæ, & composito, non autem est propria ipsius actus, hoc autem totum ostendit ponderando tres illos textus in primo argumento adductos; Prima auctoritas ex 7. Met. 15. (hæc tamen habetur 5. Metah. non 7.) *accidit igitur duobus modis dici substantiam, & ipsum vltimum subiectum, quod non dicitur de alio, & id quod, cum quod quid sit, etiam separabile fuerit, tale verò cuiusque forma, & species* significata per vocabula *substantia* sunt duo, vnum est *vltimum subiectum*, quod 7. Met. 7. dividitur in materiam, formam, & compositum; reliquum significa-

tum

tum est vnum ex istis tribus, scilicet *forma*, quæ habet duas conditiones *quidditatem*, *& separabilitatem*, & comparata ad reliquas duas substantias, scilicet materiam, & formam distinguitur ab eis per separabile, & per quid; secunda auctoritas ex 7.Metaph.8. *Ex his itaque speculantibus, accidit substantiam esse materiam, at impossibile est, et enim separabile, & quod quid videntur maximè inesse substantiæ, propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur esse magis, quam materia*, liquidò constat in textu præcisè comparari tres substantias inter se, & non ad accidens de quo nec verbum quidem; & Arist. per *quidditatem, & separabilitatem*, probat formam esse magis substantiam, quam sit materia, si loqueretur de separabilitate ab accidente, hoc est commune tribus substantijs comparatis, non proprium formæ, ergo nihil concluderet; præterea quidditas competit soli formæ, sed in ordine ad materiam, quam specificat, & ad compositum, quod constituit; ergo & separabilitas conuenit soli formæ in ordine ad compositum, sine quo potest esse, quantum est ex se, sicut prius realiter potest esse sine posteriori, ergo & similiter habet separabilitatem à materia. Tertia auctoritas ex 12. Metaphys. 26. similiter ponit formam separabilem esse comparando ad substantias, & non accidens, *cadunt autem hæc in prædictas causas, actus namque forma est, si separabilis sit, & quod ex ambobus, priuatio etiam, vt tenebræ, aut agrotans, potentia autem materia, hæc namque est, quod ambo fieri potest*, comparatur actus ad potentiam, & compositum, comparatio est inter substantias, vt constat, atque actus dicitur esse forma, si separabilis sit, vbi separabile soli actui datur non composito, quia compositum non potest separari à partibus, non materię in ratione potentiæ, quia potentia non est separabilis ab actu mensurante, si autem separabile respectu accidentium diceretur, esset commune tribus substantijs, & non proprium ipsius actus.

170 De hac Ferchij expositione illorum trium textuum dicam, quod ipse inquit de nostra; est expositio inermis, verba sua sunt, sed nulla auctoritate, nulla ratione fulta, & ex proprio capite data, & in primis hæc sua expositio contradicit his, quæ habet in formatione primi argumenti vestig.6. libr. 1. capitul. 2. hic enim dicit fieri in illis textibus comparationem tantum inter substantias, & nec verbum quidem fieri de accidentibus; ibi autem in quarta obseruatione dicit, quod in 12.Metaph. & 5.Metaph discriminatur forma substantialis, & accidentalis, & substantialis affirmatur separabilis, accidentalis minimè; ergo ex eius confessione in illis textibus non fit tantum comparatio inter substantias quoad separabilitatem, sed etiam inter substantiam, & accidens. Deinde hic ait separabilitatem, de qua fit mentio in istis textibus, esse propriam formę, nec conuenire materiæ, ac composito, imò formam per ipsam discriminari ab illis; at ibi in tertia obseruatione dicitur, quod in eis textibus ponitur differentia inter materiam, & formam, atque separabilitas magis attribuitur formę, sanè materia ratione, & re est à singulis formis separabilis, ergo & forma omnis erit hoc pacto separabilis, quibus verbis palam concedit Ferchius separabilitatem, de qua est sermo in eius textibus, esse quidem communem materiæ, & formæ, magis tamen conuenire formæ, & per hoc formam discriminari à materia; Rursus hic negat materiæ conuenire separabilitatem à forma, quia potentia non est separabilis ab actu mensurante; ibi verò in eadem tertia obseruatione manifestè concedit materiam re, & ratione esse à singulis formis separabilem.

Sed præterea ostendo hanc expositionem non esse ad intentionem textus; nam in 1.loco scilicet 5.Metaph.15. vel loquitur de separabilitate, vt communis est omni substantiæ, vel planè in sensu longè diuerso ab eo, quem comminiscitur Ferchius, id autem probo non exponendo illum textum ex meo capite, vt ipse facit, sed cum Alensi, & Scoto; Alensis enim exponit, quod ibi Arist. reducit omnes modos substantiæ ad duos, vno modo substantia dicitur, vt subiectum vltimum, ideſt prima substantia, quia ad illud stat tota resolutio prædicamenti; alio modo dicitur substantia quodcunque fuerit tale, quod per ipsum est aliquid ens, & per quod fuerit aliquid separabile, & dictum ab alio, tale verò quod sic dicitur substantia, est forma, & species vniuscuiusque, nam vnumquodque per formam est ens, quia forma est ratio essendi, & etiam per formam vnumquodque distinguitur ab omni alio, quia illud idem, quod est principium essendi est principium distinguendi, per eandem enim formam, per quam homo est homo, per eandem non est Asinus; ita Alensis, ex qua expositione patet separabilitatem sumi ab Arist. iuxta hanc expositionem in sensu longè diuerso ab eo, quem Ferchius intendit, nam forma dicitur separabilis, quatenus constitutum per ipsam separatur, & secernitur à quocunque alio; Et cum hac expositione consonat quoque Scoti expositio, cum in eundem textum ait, quod ibi Arist. reducit omnes dictos modos substantiæ ad duos, substantia vno modo est secundum quam dicitur subiectum vltimum, ideſt prima substantia, quæ ita subijcitur, quod non adhuc de alio prædicatur, & quod est hoc aliquid ens, quasi per se existens, & separabile fuerit, ideſt distinctum ab omnibus alijs; tale verò ideſt alio modo dicitur substantia vniuscuiusque forma, & species; ita Scotus concinens Alensi, & solum in hoc differens, quod separabilitatem tribuit substantiæ in primo significato vt, scilicet dicit primam substantiam, non autem formæ; vndè etiamsi Ferchius contendat sumi separabilitatem, non pro distinctione, vel distinguibilitate, vt exponunt Alensis, & Scotus, sed in sensu ab ipso prætenso, adhuc intentum non habet, quia talis separabilitas substantiæ adscribitur in primo significato, nimirum vt est vltimum subiectum, quæ cum 7.Met.7. diuidatur per ipsum in materiam, formam, & compositum, iam hic erit sermo non de separabilitate à materia, quæ sit propria formæ, sed de separabilitate, quæ est communis tribus substantijs, quæ quidem est separabilitas ab accidente; Neque recurrat Ferchius ad solitum effugium dicendo hanc non esse Scoti expositionem, sed Antonij Andreæ ab Aquinate rescriptam, nam potius est ab Alensi rescripta, & quando etiam concederetur eam expositionem non esse Scoti, sed Antonij Andreę, hoc sufficit, vt sit præferenda suæ, quia sicut ipse dicit pluries valere vnum Arist. quam decem Mairones lib. 3. pag. 327. num. 69. ita dico pluris valere vnum Aragonium, quam mille, & centum mille Ferchios.

171 In secundo etiam loco nempe 7. Met. 8. satis clarè constat ex ipsis verbis contextus non ibi sermonem fieri de aliqua separabilitate, quæ sit propria formæ, sed quæ sit communis ad minus formæ, & composito, quia per esse separabile, quod maximè conuenit substantiæ probat formam, & compositum esse magis substantiam, quam materia; sed ne exponere videam ex proprio capite, audiantur Alensis, & Scotus; Alensis inquit, in parte ista, quia probauit secundum opinionem aliorum, quod materia erat maximè substantia, hic ostendit, quod non est verum, sed quod compositum, & forma sunt magis substantia, quam materia, & est ratio eius talis, de ratione substantiæ est, quod sit separabilis, & quod sit hoc aliquid in se subsistens, sed hoc magis conuenit composito, & formæ, quam materiæ, ergo ipsa sunt magis substantia, quam materia; hæc Alensis, cui sic concinit Scotus in eundem textum, arguit contra dictas opiniones ostendens, quod materia non est maximè substantia per talem rationem, de ratione substantiæ videntur esse duo, scilicet quod sit separabilis ab alijs, & quod sit hoc aliquid, sed materia non est huiusmodi, ergo materia non est maximè substantia, ita Scotus; ex quibus apparet hic esse sermonem de separabilitate, vt est communis omni substantiæ, & ex eo probari formam, & compositum esse magis substantias, quia talis separabilitas, magis conuenit formæ, & composito, quam materię, vt & Ferchius ipse fatetur vestig. 6.lib.1.cap.2. formando primam rationem in tertia obseruatione. Ex quo facilè diluitur ratio, qua probabat Ferchius hic sermonem esse de quadam separabilitate, quæ sit propria formæ, quia per quidditatem, & separabilitatem probat Arist. formam esse magis substantiam, quam sit materia, si loqueretur de separabilitate ab accidente, hoc est commune tribus substantijs comparatis, non proprium formæ, atque adeò nihil concluderet; falsum est assumptum, quia vt constat ex expressis verbis textus non sola forma probatur esse magis substantia, quam materia, sed etiam compositum, *etenim separabile, & quod quid videntur maximè inesse substantiæ, propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur esse magis, quam materia*, quamuis autem de separabilitate loquatur, vt communis tribus substantijs comparatis, adhuc benè concludit formam, & compositum esse magis substantias, quia sunt magis separabiles, & hoc aliquid, quam materia, vt Ferchius ipse dicebat vestig.6.lib.1. cap.2. formando primum argumentum in tertia obseruatione.

In tertio tandem loco ex 12. Metaph. 26. neque fit sermo de aliqua separabilitate, quæ sit propria formæ, quia separabilitas tribuitur ibi tam formæ, quam composito, dum dicitur *actus namque forma est, si separabilis sit, & quod ex ambobus*, adeoque tam forma, quam compositum sunt actus separabiles, loquitur ergo de illa separabilitate, quæ communis est omni substantiæ, & per quam substantia à toto genere distinguitur ab accidente, de qua separabilitate in tex. 25. immediatè præcedendi locutus erat dicens, *cum autem quædam separabilia sint, quædam inseparabilia sint, illa sunt substantia*; imò si rursus Scoticam, & Alensem expositionem attendere velimus in nullo ex his sensibus loquitur Arist. de separabilitate actus, sed in sensu Platonicorum, vt apud ipsos est videre, & denique si etiam loqueretur de separabilitate formæ in sensu Ferchij, nihil certi indè deduci potest, quia loquitur conditionatè *actus namque forma est, si separabilis sit*; Ex his itaque constat, cum ait Arist. formam esse separabilem, vel intelligendum esse de separabilitate ab accidentibus, quæ est communis omni substantiæ, vel in alio certè sensu ab eo, quem Ferchius finxit ex suo capite absque adminiculo rationis, vel alicuius Auctoris.

Tertium, & quartum Argumentum.

172 TErtiò principaliter arguit Ferchius vestig. cit. in 8. Met. tex. 8. violentissimè id conficitur, dum Arist. disserit de substantia, quæ est forma *necesse est, inquit, aut sempiternam hanc esse, aut corruptibilem absque eo, quod corrumpatur, & factam esse absque eo, quod fiat, ostensum est autem, & declaratum in alijs, quod formam nullus facit, neque generatur, sed efficitur hoc, fit autem quod ex his*, in hac auctoritate obserua primam partem, in qua talem disiunctiuam facit Philosophus, necesse est formam substantialem aut esse sempiternam, aut esse corruptibilem absq; eo, quod corrumpatur, & esse factam absque eo quod fiat, sed pars secunda huius disiunctiuę est simpliciter falsa, nempe vt aliquid sit factum absque fieri, & corruptum absque corrumpi; ergo prima pars est vera dicens omnem formam substantialem esse sempiternam. Posses respondere illam disiunctiuam non esse

sufficien-

sufficientem, nam primò forma non est sempiterna, secundò non generatur sine generatione, sed tertiò verum esse, quod forma generatur, sed generatione. Contra insurgit Arist. in secunda parte dicens ostensum esse alibi, quod nullus facit formam, quodque forma non fit. Rectè ait, nam hoc demonstrauit 7.Met.à 26. ad 32. vt mox dicam; compositum ergo fit, forma non fit, nisi fiat sine fieri, & corrumpatur sine corrumpi.

Quartò arguit Arist.12.Met.12.ac in 7.Met.26.&7.32. textibus demonstrat materiam, & formam non fieri; si namq; forma fiat, atque omne, quod fit, fit ex materia, & forma, ergo forma fiet ex alia forma, & materia ex alia materia in infinitum, ita Philosophus, colligehinc formam non fieri, nisi secundùm accidens; si igitur accidentia consequentia formam fient, forma dicetur fieri, si non fiant, non dicetur fieri. Quia verò simile, vel eodem argumento in 1. Phys. 82. concluſum est materiam non esse generabilem, aut corruptibilem, ob id pleriq. omnes inferunt materiam esse perennem, etsi composita oriantur, & occidant; æquum est de forma quoq. asserere eam esse perennem, cum vtrobiq. eadem sit concluſa ingenerabilitas, & eadem demonstratione.

Resp. in primis hæc duo argumenta non esse propria, sed communia, nam primum argumentum, cuius vis consistit in hoc, quod solum compositum fit, & forma non fit, adducitur ab omnibus metaphysicis 7.Met. quæst. illa, an compositum tantùm primò, & per se generetur, vbi etiam declarant, quo sensu intelligendus sit Arist.loc. cit.cum ait compositum fieri, non formam; adducitur à Pererio lib.6. de forma c.3.in illo dubio, an omnes formæ physicæ sint generabiles, & corruptibiles sub his verbis; sed dicet aliquis, Arist.7. Met. & 12. lib.affirmare neque materiam, neq. formam generari, sed totum compositum; ergo nulla forma est generabilis, & respondet Arist. illis verbis significare voluisse formam non generari per se, atq. separatim à materia, sed eam generari in materia, quod nihil aliud est, quam generari ipsum compositum; vtitur etiam hoc argumento S. Bonau. 2.d.7.part.2. qu.1. ad probandum formam non produci à natura, & eodem modo respondet. Aliud quoq. argumentum adducitur in terminis ab omnibus metaphysicis in præfata quæstione, & per eam probant, non quidem formam esse simpliciter ingenerabilem, & incorruptibilem, vt Ferchius, sed non per se primò generari, vel corrumpi, quia omne, quod sic generatur, generatur ex materia, tanquam ex parte sui, sed forma non habet materiam partem sui, ergo &c. videantur Scotus, Ant. And. Soncin. & alij in ea quæstione.

173 Ad hæc duo argumenta, sicut ferè in idem coincidunt, ita eadem ferè solutione satisfecimus disput.5. de gener.qu.2. art. 2. nu. 70. & 71. quod Arist.in eis locis non negat, absolutè formam fieri, sed negat fieri eo modo, quo compositum nempe per se primò, & vt aliquid per se existens, & subsistens, quia quod hoc modo fit, ex materia & forma fit, vnde per hanc rationem non concludi ingenerabilitatem formæ simpliciter, & absolutè loquendo, & quomodocunque, sed tantùm ingenerabilitas per se, qualis est ea, quæ composito conuenit. Hanc solutionem impugnat Ferchius, primò quia in relatione tertij argumenti magnam partem textus omisimus ex 8.Met.tex.8. ex qua nostra responsio refellitur; deindè nu.61. quia quando verbum *fit* prædicatur secundum adiacens, significat fieri simpliciter, quando tertium adiacens, significat fieri tale, vel tantum, vel aliud iuxta exigentiam tertij additi, sed in 12.Met.12.in textu ponitur *fit* secundum adiacens *post hæc quod neque materia fit, neque forma* igitur forma non fit simpliciter secundum suum proprium esse, sed secundum quid fit in alio nempè ratione sui accidentis, quod fit in alio; alia plura habet Ferchius pro defensione huius tertij, & quarti argumenti, & impugnatione nostræ solutionis, & præsertim pro defensione tertij plures facit obseruationes circa textum 8.ex lib. 8. Met. quæ hic nec rescribere, nec impugnare curo, quia nostra solutio ad hunc, & alios textus, approbatur, imò datur ab ipso alibi nempè vestig.1.cap.17.n.50. vnde vel sua solutio non est bona, vel eius impugnatio non est efficax, & alicuius momenti.

Itaq. loc.cit.vestig.1.c.17. n.49. apud Ferchium arguunt Pererius, & Piccol.quod apud Arist.non detur creatio, quia Arist.& Peripatetici putant euidenter demonstratam esse æternitatem materiæ primæ in 1.Phys.82. quia si vnquam fuisset producta, oporteret eam esse productam ex aliquo subiecto, quare ante materiam primam esset alia, & sic res procederet in infinitum. Ferchius huic argumento respondens nu.50.redarguit hos Auctores, quod dixerint 1.Phys.82. assertam esse æternitatem materiæ (in quo palam sibi contradicit,idipsum cum Contareno concedens lib.1.Defens.cap.2.in fine num.16, vt supra notaui n.138.)his verbis, miror autem viros alioqui eruditos ex illo tex.82.1.Phys.asserere æternitatem materiæ, cum in textu materia non dicatur æterna, & merito quidem, quoniam eadem ratione omnis forma assereretur æterna; siquidem in 7.diuinorum 32. forma fieri negatur, sicut & materia fieri negatur *fit enim, vt puta ænea sphæra, sed non sphæra, neque æs, et in ære fit, semper namque oportet præexistere materiam, et formam*, etc. in eodem 7. text.26. & 27. amplius huic hanc rationem probantem, quòd nec materia, nec forma fiant, ne infinitus progressus concedatur; idem præstat 12. Met.12. & eadem propositione, omne quod fit, fit ex aliquo subiecto, & aliquid fit, quæ de composito est vera, clarissimè verò in 8.Met. de forma, inquit, *necesse est aut sempiternam hanc esse, aut corruptibilem absque eo, quod corrumpatur, et factam esse absque eo, quod fiat; ostensum est autem, ac declaratum in alijs, quod formam nullus facit neque generatur, sed efficitur hoc, fit autem quod ex his*. Si igitur illi Peripatetici inquit Ferchius, ex negatione ipsius fieri, & interire arbitrantur probè colligi æternitatem, cum Arist. tam multis locis negat, quod forma fiat, vel intereat, consequens est, vt omnis forma sit æterna, quod est ridiculum; Quare oportet cum Arist. dicere, quod forma fit absque eo, quod fiat, & corrumpitur absque eo, quod corrumpatur, nam proprie fieri, & corrumpi est compositorum, & hoc modo materia, & forma non fiunt, sed alio modo forma fit, scilicet per fieri in communi, per quod fieri etiam materia fit, certè Arist. propter eandem rationem negauit materiam, & formam fieri, ne si fiant ex aliquo, infinitus processus occurrat; itaque fieri speciale, quod est ex parte præexistente composito tribuitur, sed à forma, et à materia æqualiter remouetur; fieri commune siue ex parte præexistente, siue non ex parte, proculdubio competit formæ, nosque arbitramur materia eadem ratione fieri; ita Perchius ibi.

174 Conferas modò hoc Ferchij argumentum cum tertio, & quarto illorum duodecim, quæ scribit vestig.6.lib.1.cap.2.& videbis eundem esse prorsus discursum, & ex eisdem textibus deductum, ad inferendam eandem conclusionem ridiculam (vt ipse inquit) quod omnis forma sit æterna; si ergo hoc consequens, quod omnis forma sit æterna, ridiculum est, ex eius confessione, etiam illa duo argumenta, scilicet tertium, & quartum erunt ridicula, & non adeò efficacia, vt posteà exaggerat vestig.6.lib.1. cap.2. & lib. 3. Defens. cap.9. nisi fortè valdè vrgentia sint vestig.6. non vero vestig. 1. ex mutatione loci; Conferas item suam responsionem ad hæc argumenta vestig.1.num.50. cum nostra supra relata, & videbis esse eandem in substantia; quare si sua est bona solutio, etiam nostra, nisi fortè in ore suo sit bona, & pretiosa, non autem in nostro, & si ipse referens auctoritatem ex 8.Met.tex.8.*necesse est autem* non omisit partem textus, ex qua sua responsio refelli poterat, neq.nos hunc defectum commisimus, sed quantum necessarium erat ad argumenti valorem allegauimus, cum totum, & integrum textum referamus, sicut ipse refert vestig.1.nu.50. Quare quando etiam impugnat solutionem nostram probans formam non fieri simpliciter secundum suum esse, suam quoq. solutionem impugnat, datam ad idem argumentum vestig.1.nu.50. in qua & ipse concedit formam verè fieri secundum suum esse simpliciter per fieri commune, licet non per fieri speciale, quod proprium est compositorum, ergo nostram impugnans solutionem, suam quoque destruit, cum qua nostra coincidit; ex quo patet verum esse, quod sæpius diximus Ferchium non curare sibimet repugnare, dum modo nos impugnet.

Attamen, vt verum fatear, nec bene impugnat solutionem suam, nec destruit nostram, si vera est doctrina, per quam occurrit cuidam replicæ Piccol.loc.cit.vestig.1.cap.17.n.49. ait enim Ferchius negasse Arist. materiam fieri 1.Phys 82. quatenus fieri est proprium compositorum nempe ex parte præexistente. fieri verò commune in ratione non ponitur; At inflat pro Piccol. quod tunc ratio Arist. qua probat materiam non fieri, peccasset per fallaciam consequentis, quia ex eo quod materia non potest propriè gigni, neque corrumpi inferret simpliciter, & absolutè non gigni, nec interire. Occurrit Ferchius fallaciam non adesse, quando enim vox aliqua absolutè profertur, stat pro suo famoso, & proprio significato, quapropter cum Arist.infert, quod materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, infert absolutè absque vlla fallacia; ex hac ergo sua doctrina eneruatur sua impugnatio nostræ solutionis, ac etiam suæ, quia quando verbum *fit* absolutè profertur, & prædicatur secundum adiacens, stat pro suo famoso, & proprio significato, quale est fieri composito conueniens per modum subsistentis, ac per se stantis, & ideò cum dicitur 12.Metaph.12. *post hæc quod neque materia fit, neque forma* remouetur à forma non fieri in communi, & absolutè sumptum, sed fieri speciale, quod est proprium compositi, quæ est communis responsio, & expositio illius textus, sicut & aliorum ad idem ex 7.Metaph.26. & 27.

Quintum argumentum.

175 QVintò arguit eodem c.9.n.8. in 1.de anim.tex.12.ac 13. traditur, si forma habeat proprium opus, in quo non communicat cum habente corpus, formam separari posse à materia, nunc autem omnis forma substantialis habet opus proprium, in quo materia non cõmunicat, cum in 2. de ortu, & interitu 53. dicatur materiæ proprium esse pati,& recipere, agere autem alterius potentiæ,scilicet formæ, atque in 1.Metaph.tum.2. cap.2. apertissime traditur materiam non posse seipsam transmutare, quapropter forma agit, materia nullatenus agit; ergo non communicat in proprio ipsius formæ; sed quia hoc argumentum non satis videbatur in forma, illud reducit ad formam Ferchius lib.3.Defens.cap.9.num.62. & alia de causa mox aperienda.

Resp. neq; hoc argumentum esse nouum, neque proprium, sed longè antea præuisum,ac retortum ab alijs,& quidem primò à S.Bon. 2.d.19.art.1.q.2. vbi quærit, an quæuis anima etiam brutalis ex prima conditione immortalis fuerit, & pro parte negatiua sic arguit, nulla forma est separabilis à corpore, nisi quia habet operationem propriã

præter

præter corpus, sed nullus spiritus brutalis est huiusmodi, ergo &c. Maior manifesta est ex Philosopho 1. de anim. Deindè idem argumentum retorquetur etiam à Pererio loco iam cit. si extrà materiam subsisterent formæ materiales, operarentur ne aliquid? si nihil essent otiosæ; si aliquid, vel illa actio esset motus physicus, at nullus motus physicus potest esse sine materia, vel non esset, ergo neque illæ formæ essent physicæ; itaque Ferchius motiuum argumenti ex D. Bon. desumpsit, & maiorem veram, de suo adiecit minorem falsam, quam probauit tritissima auctoritate, parum tamen ad rem faciente, ex 2. de ortu, & interitu 53. quod materiæ est pati, formæ est agere. Ad hoc argumentum breuiter respondemus disp. 5. de gen. num. 72. plus probare, quam eius Auctor velit, probat enim non solum etiam formam accidentalem esse separabilem, quia ipsa quoque habet in hoc sensu proprium opus, in quo non communicat cum materia, calor enim in aqua non communicat in calefaciendo cum ipsa; sed probat etiam formam materialem separatam non futuram otiosam, sed proprium opus exequi, cuius oppositum docet Auctor ille in eodem cap. Decimus igitur omnes formas materiales in suis operationibus communicare cum materia, quia cum sint extensæ, non possunt modo inextenso operari, non habent autem talem modum, nisi in materia, vndè etiamsi proprium formæ sit agere, tamen non est in potentia proxima ad agendum, nisi cum est in materia.

Hanc solutionem Ferchius impugnat, & primò negat argumentum suum concludere, quod forma accidentalis etiam sit separabilis, & quod habeat proprium opus, in quo non communicat cum materia, quia ex fundamentis cap. 2. vestig. 6. positis accidens est instrumentum formæ substantialis in agendo, quamobrem in omni actione accidentis, vt instrumenti forma substantialis, vel compositum est agens principale, cum autem forma substantialis agit, materia prima non est agens principale respectu actionis elicitæ à forma substantiali; neque est par ratio de forma substantiali, & accidentali, quia accidens à sua materia *in qua*, accipit esse, & agere 7. Met. 2. accidentia sunt entis &c. Sed forma substantialis dat esse ipsi materiæ, at agere illi non communicat, materia verò neque esse, neque agere dat formæ substantiali, ad probationem, quod aqua non communicat cum actione caloris, ait nos petere principium, quoniam calor in materia receptus non est instrumentum formæ aquæ, sed formæ ignis prius existentis in materia; concedit tamen indè sequi formam separatam non futuram otiosam, & negat oppositum docuisse illo 2. cap. vestig. 6. Tandem ad solutionem in se ait suum argumentum dicere formam non communicare cum materia propriam operationem extensio autem non est materia prima, sed accidens quoddam, & instrumentum formæ operantis, ergo nil ad rem; si etiam principalis causa communicat operationem instrumentali causæ, non sequitur, ergo communicat ipsi materiæ operationem, deinde communicare proprium opus cum materia, esset, si materia esset instrumentum cooperans formæ, sicut pedes cooperantur potentiæ motiuæ in ipso ambulare 2. de gener. animal. cap. 3. sicut pupilla cooperatur visui in efficienda sensatione 2. de anim. 9. & patet in 1. de anim. 12. Met. & 13. Sed vos (inquit) loco ipsius cooperari instrumentaliter, vultis quod ex eo operatio communicetur materiæ, quia forma in materia operatur, nonne, & anima rationalis in materia operatur intelligendo, & volendo? an propterea communicat operationes has corpori, & materiæ? non vtique quæ de potentia proxima dicitis non sunt ad propositum, agimus de communicatione operationis formæ cum materia, vos de conditione constituente principium operatiuum in potentia proxima.

176 Sed in primis malè negat accidentalem formam habere propriam operationem, respectu cuius se habeat, vt agens principale simpliciter, & absolutè loquendo, quia vt notat Doctor 4. d. 12. q. 3. §. *dico ergo* quamuis in ordine ad actionem substantiæ generatiuam accidens concurrere nequeat nisi vt instrumentum substantiæ disponendo ad terminum principalis agentis, tamen in ordine ad actionem alterius accidentis productiuam est agens principale, non verò instrumentale, & agit in virtute propria, non in virtute substantiæ, vt ex instituto ostensum est disp. 7. Phys. qu. 6. art. 4. hinc declarans Doctor cit. lit. C. auctoritatem illam communem ex 2. de anima 50. quod calor est instrumentum animæ, inquit in nutritione dari duas actiones, & duo principia agendi, respectu alterationis præuiæ principium agendi est calor, respectu formæ carnis inducendæ principium est anima, vel forma carnis, & primum agens dicitur instrumentum respectu secundi, non propriè subordinatione virtutis ad virtutem sed effectus ad effectum, vndè magis propriè diceretur agens dispositiuum, quam instrumentale; & hoc sufficienter probatum est disp. Phys. cit. ne dicat Ferchius more suo nos in hoc quoque principium petere, quod accidens possit esse agens principale in productione alterius accidentis, in quo consistit robur retorsionis illius argumenti; & in hoc sensu dicimus calorem in aqua existentem calefacere manum, vt agens principale, non verò vt instrumentum formæ ignis, à quo fuit productus, quia potest talis ignis abesse, aut destructus esse, vndè calefaciendo manum nec est instrumentum formæ ignis, nec formæ aquæ, sed agens principale, vt clarè ostendit Doctor loc. cit. vndè retorsio argumenti adhuc stat in robore, quia re vera accidentalis forma est agens principale propriam habens operationem, & ex propria virtute sufficienter prodeuntem in productione alterius accidentis, quia talis effectus re vera non excedit talem virtutem productiuam. An verò dixerit vestig. 6. lib. 1. c. 2. formam substantialem separatam futuram otiosam in tali statu, vel potius id ei imposuerimus, poterit quisque experiri legendo, quæ habet in fine illius capitis, vbi sic loquitur; si reluctetis, quod otiosæ futuræ sint formæ, si accidentibus destitutæ suis agere, vel pati nequeant, frustrà igitur erunt. Respondeti potest frustrà in tota specie concedendum non esse, in singulari aliquo non esse negandum; semper autem aliqua forma cuiuscunque speciei in actu perfecto est; sed neque vlla forma singularis est frustrà, si enim nunquam ad actum perfectum esset peruentum, frustrà esset, satis autem est, si tempore congruo, vel semel operetur, sicut argumentatiua facultas, postquam viuens perfectam staturam attigit, non amplius agit, nec tamen est frustrà, ita Ferchius, quibus verbis palam concedit formam substantialem separatam futuram otiosam, & nihil acturam, non tamen esse frustrà, quia semel est operata tempore congruo, cum proprijs erat accidentibus prædita, vndè non video qua fronte neget illud asseruisse in eo capite.

177 Impugnatio autem nostræ solutionis est, quia falsum est, quod communicare formam cum materia in propria operatione contingat tantum, si materia sit instrumentum cooperans formę, sicut pedes cooperantur potentiæ motiuæ in ipso ambulare, & pupilla visui in efficienda sensatione; est quidem hic vnus modus, quo operatio formæ communicatur corpori, velut instrumento, quæ communicatio impedit separabilitatem formæ, si hæc necessario operatur per determinata corporis organa, at sunt alij modi communicationis operationum formæ cum materia eius separabilitatem impedientes; hinc Expositores passim in præfatos textus 12. & 13. 1. de anima aduertunt tribus, vel quatuor modis posse formam in sua operatione communicare cum materia, quorum quilibet sufficit ad impediendam separabilitatem; primò, quia communicatur operatio corporis velut instrumento, & est illa quæ exercetur ab anima in determinata corporis parte mediante organo corporeo, vt est visio, auditio &c. secundò dicitur operatio communis, non quia per organum exerceatur, sed quia præsupponit operationem fictam per organum, & sic intelligere in nobis pro statu isto potest dici hoc modo operatio communis, quia præsupponit operationem phantasiæ, quæ est potentia organica; tertiò dicitur operatio communis, quandò sic conuenit toti, vt non solum alicui parti, & organo insit, sed toti ipsi viuenti, & omnibus eius partibus vt nutriri, augeri &c. & sic etiam in non viuentibus operatio dicitur communis, & non propria formæ, quia operatio est primò totius, & non formæ, vt ignitio, nam hæc operatio per se, & adæquatè conuenit toti igni, vt agenti principali, & adequato, non autem ipsi formę ignis; quartò tandem modo dicitur operatio communis, & non propria formæ, si proximum, & adæquatum operationis receptiuum non sit sola forma, sed constitutum ex materia, & forma, quo pacto quælibet operatio sensitiua dicitur esse primò compositi ex materia, & forma, sicut proprij receptiui, non enim ipsa anima est immediatè receptiua visionis sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata corporis parte vt patet in princ. de sensu, & sensato, & ideò anima separata non potest sentire, quia non habet proximum receptiuum sensationis quod est organum, vt notauit Doctor quol. 9. lit. G. & H. Hinc Tromb. quæst. de immortal. anim. art. 1. concl. 6. probans animæ immortalitatem, ac separabilitatem ex text. 13. 1. de anim. ideò ait intelligere esse propriam animæ operationem, quia eam non communicat corpori, non enim intelligere recipitur in corpore, sed in solo intellectu, nec elicit illam operarionem mediante corpore, vt potentia organica; non ergo forma dicitur præcisè suam operationem communicare materiæ, tanquam instrumentali causæ, sicut anima operationem sensitiuam communicat corpori, sed etiam quia operatio dicitur esse adæquatè totius habentis, vt principij adæquatè actiui, ac etiam interdum receptiui, si actio fuerit immanens; & sic quia omnis operatio formæ materialis, vt extensa, & corporea, est adæquatè totius compositi, vt ignitio ignis, ideò nulla materialis forma dicitur propriam habere operationem, sed in operari dicitur cum materia communicare, quatenus sicut in essendo à materia necessariò dependet, ita quoque in operando, vt notat Doctor 4. distinction. 1. quæstione prima, Hh. & Ii.

178 Immo hic est sensus propriè intentus ab Arist. loc. cit. 1. de anim. 12. inquit enim, *dubitationem autem habent, & passiones animæ verum sint omnes communes, & habentis, an sint aliqua, & ipsius animæ propria*, vbi nomine habentis non materiam intelligit, sed totum compositum, adeout illæ dicantur operationes communes, quæ sunt necessariò totius coniuncti, vnde si forma habet aliquam operationem, quæ sit necessariò totius coniuncti, non erit separabilis; cumque talis sit omnis forma materialis, quia eius operatio est necessariò totius compositi, sequitur omnem talem formam esse inseparabilem. Vnde etiamsi argumentum formetur, vt ipse denuò format lib. 3. cap. 9. n. 62. adhuc non vrget; nam maior illa, quam assumit, *quæcunque forma habet proprium opus, in quo non communicat cum materia subiecta habente, talis forma potest separari à materia* per 1. *de anim.* 12. & 13. non benè colligitur ex his textibus, nam vt dixi, ibi Aristot. nomine habentis non intelligit materiam, sed totum compositum, neque vt forma in sua operatione cum materia communicare dicatur, oportet, quod ei communicet suam operationem, vt causæ instrumentali, sed tunc sufficienter communicare dicitur, quando eius operatio est necessariò totius compositi, & nequit ob eius extensionem exerceri, nisi in materia; & in hoc sensu falsa est minor, quam subdit, *sed omnis forma substantialis habet proprium opus, in quo non communicat cum materia prima*,

& denique falsa est eius probatio, quod enim materiæ sit pati, & agere formæ, probat tantum formam non communicare cum materia in operatione, quasi eam illi communicet, vt causæ instrumentali; at non probat, quod non possit dici communicare in alio sensu iam predeclarato, quatenus, scilicet sicut à materia dependet in essendo, ita & in operando, quo sensu adhuc anima intelligendo in corpore nequit dici communicare cum materia, in tali operatione, quia licet prout isto intelligat in corpore, non tamen dependenter à corpore, nec tanquam à principio intellectionis elicitiuo, nec receptiuo. Studiosè verò Ferchius argumentum hoc quintum alio modo hic efformat libro 3. Defens. c. 9. n. 62. quam prius formauerat vestig. 6. l. 1. cap. 2. & hic, tam in maiori, quàm in minori meminit solum materiæ primæ, non corporis, vti prius fecerat, quia si nomine corporis vsus fuisset, impugnatio sua non fuisset ad rem, quæ tota consistit in hoc, quod forma nequit operationem suam communicare materiæ, tanquam instrumento, quod quidem licet verum sit de materia prima, non tamen de materia organizata, siquidem anima, vt causa principalis communicat parti corporis vim operandi, seu suam operationem, qua vtitur velut instrumento ad suam sensationem exercendam, vt pedibus deambulationem, pupillæ visionem &c. atq; ideò data opera, vt sua impugnatio vim haberet particulam *corpus*, quod in argumento posuerat vestig. 6. n. 8. hic lib. 3. nu. 62. in materiam primam commutauit.

Sextum argumentum.

179 SExtò arguit Ferchius, vnum contrarium non potest recipere, vel afficere alterum 1. Phys. 51. & 12. Metaph. 6. ac 2. de gen. & corrupt. 5. corruptibile, & incorruptibile sunt contraria 10. Metaph. c. vlt. ergo si materia est incorruptibilis, vnum contrarium reciperet alterum, & duo contraria simul manerent, ita hoc sextum argumentum efformat lib. 3. Hoc quoq; argumentum tangitur à Metaphysic. 10. Metaph. quæst. vltim. vbi disputant, an corruptibile, & incorruptibile differant genere, & benè explicant, quo sensu contraria dicantur; tangitur etiam à nonnullis 1. Physic. quæst. illa, an omnia principia sint contraria, probando hanc etiam contrarietatem inter materiam, & formam reperiri, quia vna est corruptibilis, alia incorruptibilis; demum affertur ab Auerroistis ad probandum animam rationalem non esse formam informantem, vt est videre apud Fabrum theor. 67. cap. 1.

Responsum est ad hoc argumentum disput. 5. gener. n. 73. plus probare, quam velit Auctor, sic enim probaret, quod anima rationalis nequit recipi in corpore, quod corruptibile, est velut in subiecto, nec lumen, & motum in Cælo intellectiones, & volitiones in Angelis, accidentia quædam in materia, hæc enim omnia sunt formæ incorruptibiles in subiectis incorruptibilibus receptæ dicendum igitur corruptibile, & incorruptibile non esse contraria propriè dicta, vt notat Zerb. 10. Metaph. quæst. vlt. ad 1. princ. quod eo præsertim verum est, si genere logico differre dicantur, quia contraria propriè accepta conueniunt in genere, & differunt specie, vt ex eorum constat definitione; sed contraria dicuntur, quatenus sunt valde diuersa, & habent oppositas quodammodo rationes, & differunt secundum potentiam, & impotentiam, vt ibi explicant Alensis, & Scotus, quo quidem sensu actus, & potentia dicerentur opponi, & contrariari, & nihilominus vnum recipitur in alio, æquiuocat itaque ratio de contrarijs fusè, & rigorosè sumptis.

Ferchius lib. 3. cap. 9. num. 64. primò ad sequelam eorum inconuenientium his verbis occurrit, dico vos spontè oblitos esse, quod ex positione in cap. 2. dictæ formæ substantiales, & composita substantialia sunt incorruptibilia secundum esse præcisè substantiale, cõpossibilia secundum esse accidentale; igitur nisi petatis principium anima veluti forma substantialis est in materia substantiali, tanquam incorruptibile in subiecto incorruptibili; secundò dixi formam substantialem esse in subiecto incorruptibili, non dixi eam recipi quoniam etsi forma substantialis sit separabilis, quoniam non eget materia ad sui esse, immo potius continet, terminat, perficit, dat esse ipsi materiæ, quia tamen forma substantialis nil habet eam pellens, nulla forma substantialis secundum se à materia separatur, nisi secundùm accidens, quare neque recipitur in materia, nisi secundum accidens. Tertiò vos maximè istius argumenti vi impugnamini, qui tenetis illam opinionem, quod anima intellectiua sit mortalis in Aristot. si igitur, & forma corporeitatis, & anima rationalis sunt corruptibiles in materia incorruptibili, iam contra vos infero, vnum contrarium recipi in alio per se contrario, & duo contraria simul manere; reliquæ instantiæ vestræ vnam propositionem vobis memorare debent, contraria sunt sub eodem prædicamento, quæ autem sunt in vno, non habent contrarietatem cum ijs, quæ in altero, in summulis hoc discere poteratis tract. 3. *contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, à se inuicem maximè distant*, sed & Arist. prædicament. de qualis hoc asseuerauerit, 10. Metaphysicor. 14. 1. de Gener. 50. & 51. generabile igitur & ingenerabile in eodem genere substantiæ sunt contraria, ita quoque corruptibile, & incorruptibile; sed accidens corruptibile, & substantia incorruptibilis non sunt in eodem prædicamento, quare neque accidens, & substantia sunt contraria, & instantiæ non sunt ad propositum.

Deinde reijcit solutionem ipsam argumenti, quia maior, illa, vnum contrarium non potest recipere, vel afficere alterum, valet de contrarijs etiam fusè acceptis, nam de his loquitur 1. Phys. 42. & 43. 50. 54. & 56. vbi contraria accipit pro priuatiuè oppositis, & ait vnum non afficere aliud, nec alterum recipere; vnde quamuis corruptibile, & incorruptibile essent tantum contraria fusè, adhuc benè sequitur, quod vnum non recipitur in alio; sed adhuc subdit falsum esse, quod hæc non sint verè, & per se contraria, quia corruptibile, & incorruptibile sunt (inquit) in eodem genere, quod legere noluistis 10. Metaph. cap. vlt. sunt per se contraria, non per accidens, quia sunt sub eodem genere, & sub diuersa specie, nec eidem insunt propter determinationem internæ naturæ; verum propter reuerentiam trium Doct. quos citastis, hoc transilio; solum ostendi solutionem vestram non soluere, & assumere, quod corruptibile, & incorruptibile non sint sub eodem genere, quod est contra textum.

180 Sed ostendo Ferchium inconuenientia ex suo argumento illata non benè euadere; & falsa esse illa sua tria dicta; nam vestig. 6. lib. 1. c. 2. n. 4. dixit quidem formas substantiales ex positione esse incorruptibiles secundum esse substantiale, non tamen hoc dixit de compositis substantialibus, neque etiam hoc dicunt, qui ponunt inchoationes materiæ coæuas, nam licet ponant formam in materia præcedere secundum suum esse totale, vel partiale, aduenientibus tamen dispositionibus volunt formam de nouo materiæ vniri, & compositum per hoc substantialiter de nouo generati, & non tantum secundum esse accidentale, vt patet ex dictis quæst. præc. art. 3. quare potius ipse oblitus est, quod ibi dixerat, non autem nos. Deinde falsò negat se dixisse *formam recipi in subiecto*, & falsò asserit se dixisse *formam substantialem esse in subiecto*; nam in hoc suo sexto argumento, vt formatur ab ipso tam vestig. 6. cap. 2. numer. 9. quam libr. 3. cap. 9. num. 64. semper vtitur verbo recipi, & recipere, & ex eo quod forma recipitur in materia, quæ est incorruptibilis, contendit formam quoque esse incorruptibilem, quia alioqui vnum contrarium reciperetur in alio, falsum quoque est tertium dictum, ac mera impostura, quod nos teneamus animam intellectiuam esse mortalem apud Aristot. simpliciter, & absolutè loquendo, vt est videre disput. 1. de Anim. quæst. 10. liber impressus est videri potest. Contraria esse sub eodem prædicamento, nedum docuimus disp. 9. Log. ex professò quæst. 1. art. 1. sed etiam in eadem solutione sui argumenti, quam ipse verbatim refert num. 65. vbi dicimus, quod *contraria propriè accepta conueniunt in genere, & differunt specie, vt ex eorum constat definitione*, vnde opus non erat, quod per irrisionem, & contemptum remitteret nos ad hoc discendum tract. 3. Summul. potius ipsi addiscendum esset non ita crebrò sibi contradicere in eadem ferè pagina, nam hic sub num. 65. ait generabile, & ingenerabile in eodem genere substantiæ esse propriè contraria, & num. 67. in argumento septimo statim substantiæ nihil esse contrarium, quæ est manifesta contradictio, at ipse parum sibimet contradicere curat, dummodo nobis contradicere possit per fas, & nefas.

181 Impugnatio etiam solutionis nostræ friuola est, falsum si quidem est maiorem illam in argumento assumptam, quod vnum contrarium nequit aliud recipere, verificari quoque in contrarijs omnibus etiam fusè sumptis; quamuis enim verificetur in quibusdam ita sumptis, vt in priuatiuè oppositis de quibus loquitur Aristot. 1. Phys. loc citat. non tamen in omnibus prorsus, vnde Aquarius ad quæst. 8. Ferrarienfis tenet materiam, & formam quoque esse principia inter se contraria, quia habent nonnullas contrarium conditiones, opponuntur enim, vt actus, & potentia, perfectum, & imperfectum, turpe, & pulchrum &c. inquit tamen habentibus talem contrarietatem non repugnare esse simul, ac vnum in alio recipi, sed solum habentibus contrarietatem positiuam, vel priuatiuam, falsum insuper est, quod corruptibile, & incorruptibile, sint per se, & propriè contraria, quia tunc in genere substantiæ esset contrarietas quod ipse negat etiam in hac eadem positione, vt patebit argumento sequenti; tum quia & ipse discere poterat ex tract. 3. Summul. c. de oppositis, ad quẽ locum nos remisit, esse præcipuam conditionem contrariorum, quod sub eodem genere posita eidem susceptibili vicissim insint, à quo mutuò se expellant, quod conuenire nequit materiæ, & formæ, quia materia est subiectum formæ, vnde etiamsi vna sit corruptibilis, & alia incorruptibilis, non idcirco censenda sunt propriè contraria; falsum est etiam nos assumere in argumento, quod corruptibile, & incorruptibile non sint sub eodem genere, oppositum enim iam pridem docuimus ex instituto disp. 7. Log. quæst. 1. art. 1. dum Angelos reponeremus in prædicamento substantiæ cum alijs substantijs corruptibilibus; nostra responsio est hæc, *dicendum igitur corruptibile; & incorruptibile non esse contraria propriè dicta, vt notat Zerb. 10. Met. qu. vlt. in fol. ad 1. princ. quod eo præsertim verum est, si genere logico differre dicantur* &c. quod addidimus propter Zerbium dicentem loco citato corruptibile, & incorruptibile non diuidere aliquod genus, adeout sint immediatè sub eodem genere, sed immediate diuidere ipsum ens, quod non est genus; & vt patet, locutio nostra est conditionata *si genere logico differre dicantur* consuetum tamen satis est Ferchio nobis absolutè adscribere, quod dicimus conditionatè, vt statim etiam patebit argumento sequenti. Quod tandem ait se posse probare corruptibile; & incorruptibile esse contraria propriè dicta, at abstinere à probatione propter reuerentiam trium Doctorum, quos citauimus, cum legi, non potui in chachinum non prorumpere; quantam ferat vir iste reuerentiam in Scotum præceptorem quisque videre potest toto lib. Defens. per singulas ferè paginas.

Septi-

Septimum Argumentum.

SEptimò arguit vestig.6.num.10. & lib.3.defens. nu.67. omne quod corrumpitur, corrumpitur à contrario 1. Phys.47. & 1. de Cælo 20.1.de Gen.52.& 1.de Gen.49. forma substantialis non habet contrarium; nam ex cap. de substantia, substantiæ nihil est contrarium, ergo forma substantialis non corrumpitur. Si dicatur accidens connexum cum substantia perire, & eo pereunte perire formam substantialem. Contra instat, contrarium accidens prævalens est contrarium accidentibus disponentibus, non est contrarium substantiali formæ, vnum enim vni contrarium per primum de Cœlo, & 10. Metaph. 14. ergo pereunte accidente forma substantialis non peribit secundò quia substantia est valentior accidente; ergo accidens contrarium in substantia oppugnanda prævalere non potest.

182 Resp. neque hoc argumentum esse recens, nec proprio labore partum, sed adeò tritum, quod proponi solet Tyronibus in prædicamento substantiæ contra illam substantiæ proprietatem, quod non habeat contrarium, vnde sub his terminis adducitur à Tatar. cap. de subst. quæst.2. quicquid corrumpitur, à substantia corrumpitur, ergo substantia habet contrarium, vel sequitur incorruptibilem esse; & ad idem adducitur ab Ant. And. alijsq; metaphysicis 10.Met.q. penult. & nullus Nouitius est, qui eius solutionem non sciat; adducitur etiam in terminis à Zabarel.lib.2. de materia cap.8. ad probandam incorruptibilitatem quantitatis in materia sic arguendo in tertio argumento, si quantitas interiret, haberet contrarium, quidquid enim interit, à suo contrario interimitur, atqui non habet quantitas contrarium, ergo interire non potest, ad hoc argumentum responsum est disputat. 5. citat.num.74. formas materiales ideò esse corruptibiles, quia vt materiam informent, certas requirunt dispositiones, quibus amissis seruari in ea amplius non possunt, cumque extra materiam nequeant consistere, quia ab illa quoad suum esse dependent, non secus ac lumen à corpore luminoso in genere causæ efficientis, ideò extra illam statim pereunt. Et hac de causa Tatar. c.de subst. quæst.2. ad 3. inter formas substantiales admittit contrarietatem virtualem ratione dispositionum contrariarum, quas efflagitant, & Ant.And. 10. Met. q.5. & Faber ibidem disput.8.admittunt contrarietatem, si non in omni rigore sumatur, quantum nempe sufficit, vt vna dicatur alteri incompossibilis in eodem subiecto, quæ sanè repugnantia sufficit, vt vna alteram destruere dicatur, & in hoc sensu omne quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur, non verò semper à contrario rigorosè sumpto; immo Mayron.passu 16.in prædicam. veram contrarietatem admittit inter formas substantiales, quod absque dubio deterius assereretur, quam earum incorruptibilitas; ad impugnationem formæ substantialis pellitur à materia, non ab accidente pugnante, nisi dispositiuè, sed ab altera forma substantiali ei incompossibili, vt declarauimus disput.7.Phys.quæst.6.art.2.

Hanc solutionem conatur Ferchius euertere lib.3.c.9. num.67. & tria nobis imponit iniquè, primò nos contraditionis redarguit, quoniam in responsione ad 1. & 2. concessimus substantiam esse separabilem ab accidentibus, & nunc oppositum dicimus formam substantialem, & per consequens compositum substantiale sine accidentibus esse non posse. Secundò imponit quod dicamus formam dependere à materia in genere causæ efficientis, sicut lumen à luminoso. Tertiò quod hic concedamus veram, & formalem contrarietatem inter formas substantiales, quam supra disputat.1.de Gen. quæst.2. contra Cremoninum negauimus. Hæc inquam, tria falsò nobis imponuntur in responsione siquidem ad 1. & 2. non diximus absolutè substantiam esse separabilem ab accidentibus quomodocunque & à quocunque sed quantum est ex se ob prioritatem, scilicet naturalem, quam habet ad accidens ratione cuius prioritatis sibi non repugnat à quocunque accidente separari quantum est ex se, vt declarat Doctor 2. dist 3. q.4. D. & quol.2. infra B. quia prioritas naturæ includit prius posse esse sine posteriori absque contradictione ex 1.Met. c. de priori, cum quo tamen adhuc stat, vt secundum naturæ cursum forma in materia certas requirat dispositiones, quibus amissis seruari in ea amplius non possit, quæ doctrina in eadem responsione paulò infra à nobis adhuc magis declaratur illis verbis. Ad alias tres impugnationes vnica solutione satisfit probare de potentia Dei absoluta, non autem secundum communem naturæ cursum, iuxta quem experimento constat, substantiam, quamlibet certa sibi poscere accidentia pro eius conseruatione, à quibus in suo esse pendet pendentia, vt aiunt, à posteriori, velut à conditione concomitante, sic ignis pendet à calore, & aqua à frigore &c. hæc ibi; ex quibus constat hanc contradictionem omnino gratis nobis impingi Alterum quoque dictum, quod nempe hic dicamus formam dependere à materia in genere causæ efficientis, sicut lumen à luminoso, quis non videt esse meram calumniam? dicimus lumen dependere à corpore luminoso in genere causæ efficientis, non autem formam à materia eodem modo; id quod dicimus est, formam dependere à materia in suo genere, scilicet causæ materialis, sicut lumen à luminoso, seruata tamen proportione & tale exemplum attulimus, vt magis explicaretur necessaria dependentia materialis formæ à materia, quia sunt quidam effectus, qui solum in fieri dependent à causa secunda efficiente, non in conseruari, vt domus ab artifice, calor productus in manu ab igne, in qua per aliquantum temporis conseruatur etiam absente igne; at lumen continuo dependet à luminoso tam in fieri, quam in conseruari, adeout remoto corpore luminoso, statim quoque lumen euanescit; sic à pari seruata proportione vtriusque generis causalitatis nempe materialis, & efficientis dicimus formam dependere à materia in suo genere, sicut lumen à luminoso in suo, adeout in eius responsionis intelligentia nemo possit errare, nisi volens, vnde nullum hinc motiuum habuit Ferchius horribilis illius inuectiuæ. *Tantum ne monstrum? ad hæc miseriam redigor vt legam, & reseribã tã tetras falsitates? materia cuius præcisè est pati, vobis est causa efficiens*, an materia sit nobis causa efficiés videri potest disp.2.Phys.q.8.ar.5.Ferchius quidem lib.1. Defens. actiuitatem in materia non abhorruit pro formarum inchoationibus.

183 Tertium tandem nobis impositum, quod hic cum Mayron. tribuamus substantiæ formalem, & veram contrarietatem, quam negauimus supra disp.2.q.2.est quoque mera impostura, videatur disp.7. q.1.art.3.in explicatione quartæ proprietatis substantiæ, vbi dicimus errasse Mayron. passu 16. statuentem in substantijs veram contrarietatem; non est locutio nostra absoluta, sed conditionata; dicimus enim, *Immò Mayron. passu 16. in prædicam. veram contrarietatem admittit inter formas substantiales, quod absque dubio consultius assereretur, quam earum incorruptibilitas*, nota, *consultius assereretur*, non asseritur, ideſt quando alterum horum duorum sustineri deberet, forma substantialis est incorruptibilis, consultius assereretur primum quam secundum, vt innuit Doctor quol.9.infra K. neutrum tamen absolutè asseri debet, quia nec habet contrarium, nec incorruptibilis est; similis est hæc consequentia alteri, quam facit lib.4.Defens.vt art.seq.dicemus, quia enim aliquando nobis dicere per exagerationem contingit disp.5.q.7.art.2. n.172. ad conuellendam suam animarum circulationem, absurdiorem, vel saltim æquè absurdam esse animarum transmigrationem, ac ipsam mortalitatem, statim nos facit Alessandreos, & assertores mortalitatis animæ, hoc est loqui conditionatè, & per comparationem, non simpliciter, & absolutè sicut supra dixi impressum esse Tomum de Anima multis ab hinc annis quisque videre potest disp.1.q.10.quid sentiamus de animę immortalitate etiam in Aristot. sententia; At Ferchius patentes suas contradictiones vellet nobis impingere, nam ipsemet in hac eadem de contrarietate in prædicamento substantiæ palam sibi repugnat, sub nu.enim 45. in præcedenti argumento defendit generabile, & ingenerabile, corruptibile, & incorruptibile propriè, & verè esse contraria in genere substantiæ, & nunc in septimo argumento num.47.ait in prædicamento substantiæ non dari contrarietatem, ergo in hac re ipsemet contradictorius deprehenditur, non autem nos.

Octauum argumentum.

OCtauò arguit vestig.6.num.11. materia ideò à contrarijs non destruitur vnquam, quia nulli est contraria, sed neque forma vlli est contraria, non igitur forma destruetur vnquam. Item omne compositum, qua substantiale est, semper erit, scilicet in esse imperfecto, & inchoato, quod enim est indifferens ad ambo oppositа recipienda neutri opponitur, & à neutro oppositorum læditur; substantia verò quælibet cum sui mutatione est contrariorum susceptiua; ergo ab vtroque contrario recepto differt, & à neutro offenditur. Si dicas formam interire, quando interit accidens connexum, quoniam omnis forma flagitat certa accidentia, quibus desinentibus desinit. Contra, instat, forma quidem postulat accidentia quædam ad completam actualitatem suam, & secundum accidens; secundum se non postulat, quoniam substantia est separabilis 7.Met.4. Secundo quoniam omne absolutum prius essentialiter independens à posteriori potest esse sine posteriori, talis verò est substantia, si comparetur ad quodcunque accidens. Tertiò ad destructionem minus necessarij, non destruitur magis necessarium, at forma substantialis est magis necessaria, accidentalis minus, cum accidens pendeat in essendo à substantia, non è contra. Quartò prius essentialiter ad sui esse non ~~possit~~ posterius essentialiter, alioqui nulla esset causa, quæ præcederet effectum tempore, quod aduersatur, & experientiæ, & Philosopho secundo Poster. 58.

184 Resp.hoc argumentum parum, vel nihil à præcedenti differre, & ideò disp.5.de gen. n.74. satisfactum est per eandem solutionẽ formas materiales ideò esse corruptibiles, sicut & materialia composita, quia vt materiam informant, certas requirunt dispositiones, quibus deficientibus opus est quoque formam deficere, atque compositum ex ipsa; Ad illas tres impugnationes vnica solutio data est probare de potentia Dei absoluta, seu de potentia logica, quæ præcisè dicit contradictionis non implicantiam, non autem de potentia physica, quæ respicit agens naturale, & communem naturæ cursum, iuxtà quem experimento constat substantiam quamlibet certa sibi poscere accidentia pro eius conseruatione, à quibus in suo esse pendet pendentia, quam vocant à posteriori, velut à conditione concomitante, quæ melius, & aptius diceretur naturalis coexigentia suorum accidentium naturaliter consequentium, vt dictum est disput.3.Phys.qu.3. artic.1. num.43. sic ignis pendet à calore, aqua à frigore, Sol à luce &c. vnde illis rationibus dicebamus Doctorem 2.d.12.q.2. contra D.Thomam probare materiam posse de potentia Dei absoluta existere sine omni forma, quæ ideò minus consultò nunc asseruntur, vt probantes secundum communem naturæ cursum separationem substantiæ ab his accidentibus; quod autem regulariter forma substantialis accidentia

quædam, ac in certo quodam gradu sibi determinet pro conseruatione sui, quibus deficientibus ipsam quoque deficere est necesse, ipsa experientia docet, & Doctor 4.d.12.qu.3.R. Cæterum quia desiderat Ferchius ad singulas singillatim responderi lib.3.nu.72. ad 1. cum ait substantiam, seu formam substantialem non postulare aliquod accidens ad suum esse substantiale, sed tantum ad completam actualitatem suam, & secundum accidens, negatur hoc assumptum ex proximè dictis, ad probationem ex 7.Met.4. cum ait Aris. ibi substantiam esse separabilem, vel separari posse à quolibet accidente, debet id intelligi de potentia logica, non autem physica, vt notat Tromb.7.Met. q.3. & est explicatio Scoti quol.2.infrà B.& 4.d.1.q.1.KK.& 2.d.3.q.4.D.& 7. Met. q. 2. quod nempè substantia est separabilis ab accidente quocunque non quod possit hoc ab agente naturali fieri, sed quia quantum est de se non repugnat sibi contradictoriè posse esse prius duratione accidente, qui locus explicabitur ex professo quæst. seq.

Ad 2. pariter dicendum assumptum non semper verificari in ordine ad potentiam physicam, sed logicam, iuxtà quam attenditur potentia absoluta Dei, quam licèt Arist. non nouerit, nouit tamen ipsam potentiam logicam 5.Met.cap.de potentia tex.17. quæ consistit in non repugnantia rei, alioquin eadem ratione probaretur materiam posse naturaliter existere sine omni forma. Ad 3. ait Doctor 1.d.30.qu.2.§. *ad 2. quæstionem*, maiorem verificari vniuersaliter in necessariò à se, & ex se, non autem semper in necessario ab alio, quia cum istius necessitas non sit summa, potest interdum habere aliquam connexionem cum minus necessario, quo deficiente deficit etiam magis necessarium; sic passio est minus necessaria, quam quidditas, quia hæc est necessaria in primo modo dicendi per se, & illa in secundo, & nihilominus destructa passione destruitur etiam & quidditas ob necessariam connexionem inter vtramque, sic igitur in proposito forma substantialis in suo esse substantiali necessariam habet connexionem cum accidentali dispositione in certo quodam, ac determinato gradu, non quidem tanquam cum aliquo, quod ad eius esse præexigatur, vel coexigatur, sed quod ad esse eius necessario consequitur, de quo necessitatis modo loquitur Doctor quol. 8. lit. S. & 7. Met. qu. 2. paulò antè argumentorum solutionem, & ideò hæc non est vera, & propria dependentia, nam talis datur in posteriori respectu prioris non è contrà.

185 Ad 4. distinguo assumptum, prius essentialiter non petit posterius ad sui esse, tanquam quid præexactum, vel coexactum ad eius esse, concedo, tanquam quid necessario consequens, nego, qua ratione, licèt detur aliqua causa effectum suum tempore præcedens, aliquæ tamen habent illum sibi coæuum, nec non nisi natura præcedunt illum, vt Sol lucem, ignis calorem &c. sic in proposito forma substantialis petit dispositionem sibi necessariam, quæ necessario ad ipsam consequitur. Immeritò tamen queritur Ferchius de nobis, quod dixerimus nonnullas ex præfatis propositionibus ex Scoto desumpsisse dicens, *si accepissem aliquam propositionem ex Scoto, id non feciſſem quia Scoti est, sed quia ex eodem fonte accepi, ex quo Scotus accepit, nempè ex Arist. quia propositiones illæ erant protritæ in Peripato ante natiuitatem Scoti, & Scotistarum*; Fortè pudet ipsum has propositiones à Scoto didicisse? planè libenter magis eas apud Scotum lego, quam apud Arist. quia Scotus eas ratione valida fundat, & firmat, vt plurimum, non Arist. Sed mirabile hominis genium considera, qui à communi Præceptore discere dedignatur, & posteà non semel nobis obijcit, si aliquam adducimus quantumuis protritam Arist. auctoritatem, ei fuisse sublatam, ex suo fonte haustam, ex suo decem quæstionum libello perindè, ac si foret mare magnum doctrinæ Peripateticæ, & quasi auctoritates illæ non extarent in alijs libris antè Ferchij natiuitatem, sic parum infrà in hoc eodem cap.9. lib 3. pag. 342. cum citamus illam propositionem in Peripato vulgatissimam ex 9. Met. *priora generatione sunt posteriora perfectione*, tex.15. quam Scotus sæpissimè memorat. 1.d. 5.quæst.2.O.& quol.13.R.& alibi ait non esse ex nostro sacco, non ex Arist. aut Scoto desumptam, sed ex mari magno suarum Vestigationum vestig. 10. num. 69. quasi pro nostro profectu plus eius Vestigationibus incumbamus, quam Scoto, & Arist. quasi ea propositio non in altijs extet libris & alibi sæpissimè eam non memoremus in logica, & Physica, quæ antè eius vestigationes fuerunt impressæ. Immeritò tandem causatur, quod solutionem principalem huius argumenti non referamus, tanquam suam, sed cur dicitis? *respondetur, vt ibi*, & non dicitis *respondetur, vt Ferchius respondet, fortè, quia nihil quod vobis placeat, vultis vt meum recognoscere? si quid fuisset impugnandum, nomen meum plenis buccis clangere voluisſetis*, turbati animi verba sunt ista, eam solutionem non retulimus, vt suam, quia re vera non est sua; sed communis omnium ad hoc ipsum argumentum, quod autem commune est, sibi appropriare non licet, suumque vocare; an quæ benè dicit, & nobis placent, recognoscamus, vt sua, videre potest lector disp. 6. de anim. quæst. 8. art. 2. vbi plura approbamus, & recipimus eius dicta de primo cognito, eo quia in ea quæstione cum Scoto militat; ex quo quisque conijcere poterit nos non ex liuore, vel contentionis a stu ipsum in alijs impugnasse, sed quia quæ dicebat, Scoto repugnabant, vel veritati, quam nos in nostra Philosophia vestigamus Scoto duce, ac præceptore, cuius vtinam essemus digni Discipuli.

Nonum, ac Decimum Argumentum.

186 NOnò arguit, vestig.6. numer.12. & rursus lib.3. defens. num. 75. materia prima est æterna, ergo & omnis forma substantialis: probatur consequentia, quod magis accedit ad esse diuinum, magis de illo participat, sed esse diuinum est esse viuens optimum, & sempiternum 12. Met. 39. forma verò ex 1.Phys. 81. est bonum diuinum, & appetibile, materia est indiga ipsius esse diuini, & appetit illud, scilicet formam, ergo forma magis participat de ipso esse sempiterno, quam materia. Secundò, quod habet rationem finis intenti ab omnia agente subcæleſti, hoc magis est in ipsomet agente appetente, vel in effectu intento ab agente eodem; sed 2.de anim. 34. & 37. omnia agunt, vt ipso esse semper, & diuino participent, illiusque causa agunt quæcumque agunt secundum naturam, ergo forma actiua in agente appetit ipsum semper esse, & communicat effectui ipsi semper esse; ergo forma est sempiterna. Tertiò, quod est perfectiori propinquius, & similius est melius per 3. Top. loco 32. & 33. Sed forma est magis propinqua Deo, & ipsi fini intento ab omnibus agentibus, qui est æternitas, ergo forma est magis ponenda æterna, quam materia, alioquin materia magis participaret fine intento, quam forma, si materia eadem numero semper esset, forma non semper esset.

Decimò arguit eisdem locis, in 3.Top.loco primo, quod est diuturnius, & stabilius, hoc melius, at ex Arist.2. de gen.animal. esse, quam non esse, & viuere, quam non viuere melius, ergo semper esse melius, quam non semper esse, nemòque est, qui cæteris paribus non velit magis mille annos viuere, quam cum piſce ephemero ex 1. de histor. animal.cap.5. aut cum auibus ad Hipanim ex 5. de hist. animal. c.19. viuere vnum diem.

Resp. hoc quoque nonum argumentum cum decimo, quod est veluti eius confirmatio, afferri solere ab omnibus passim 1.Phys. quæst. illa, an materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, si namque talis, inquiunt, esse, foret perfectior, & nobilior, quam sit forma, quæ est corruptibilis, & adhuc magis in terminis adducitur à S.Bonau.2. d.7. par.2. art.2. qu. 1. intendens hoc argumento probare formam à natura non produci; & est secundum argumentum ab initio quæst. nobilius principium est forma, quam materia, & magis dicit quid diuinum, ergo cum natura non possit in minus, quia non potest in productionem materiæ, imo est à sola creatione, multo fortius videtur de forma; vnde solutio, quam affert ad hoc Seraphicus Doctor, posset his quoque applicari, quæ cum eo coincidunt; Attamen disp. 5. de genum. 75. ad ambo simul diximus abundanter fuisse satisfactum disp.2. Phys. q.8. art.2. in fine, vbi quæritur an materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, & in oppositum solet obijci idem argumentum, hinc scilicet sequi materiam esse forma nobiliorem ac compositio, aut formam quoque esse incorruptibilem, cui argumento ibi responsum est negando consequentiam tum quia nobilitas simpliciter attenditur ex perfectiori gradu naturæ, non ex aliqua peculiari eius conditione; tum quia maior, vel minor duratio non infert vniuersaliter in his inferioribus maiorem, vel minorem perfectionem, nam vt docet Scot.1.d.2. quæst.2. §. *ostensis igitur*, 2.d.1. quæst. 3. ex Arist.1. Ethic. cap.6. non est perfectius, quod durat per decem annos, quam quod durat per diem; tum denique quando aliqua duo habent duas perfectiones, alterius rationis illud censetur simpliciter nobilius, quod habet perfectionem superioris ordinis iuxta Scoti regulam. 1. d.8.qu.1.ad 1. quam fusius declarat 4.d.12. quæst.2. §. *hic sunt duæ opiniones*; in proposito materia habet incorruptibilitatem, forma, & compositum actualitatem, & hæc est perfectio superioris ordinis illa, atque ideò compositum, & forma sunt simpliciter nobiliores materia, ita respondemus ibi, & mentionem facimus de composito, quia re vera argumentum non minus probat de composito, quod debeat esse sempiternum, & incorruptibile, quam de ipsa forma, cum compositum sit perfectius forma, cum & totam eius perfectionem includat, & aliquid aliud, quod & ex Arist. & ratione probatum est disp.8. Phys. q.2. art.2. num. 36. licèt & hoc quoque audeat Ferchius negare lib.3. pag.341. n.82. dicens totum fortasse (conscientia remordet veritatem adeò patentem negare) esse simpliciter imperfectius, quam forma, secundum quid perfectius.

187 Quoniam verò disputat.citat.de gener.num.75. integram hanc responsionem non retulimus, ne eadem repeterentur, sed ad eam lectorem remittendo disput.2.Physic.quæst.8.art.2. breuiter diximus locum illum Topicum intelligi debere, cum cætera sunt paria, quod hic non contingit. Ideò Ferchius lib.3.defens. c.9. num.76. ait nos respondere ad argumentum decimum, nonum autem supprimere; nec ad illud benè respondere; quia non ostendimus in quo sit paritas, vel imparitas in habendo ipso esse æterno inter materiam, & formam, & loca illa Scoti à nobis citata inquit se prius vidisse, quam nos abecedarium disceremus. At impostura est nos nonum supprimere argumentum, immò lectorem pro eius solutione remittimus ad disputat.2. Phys. quæst.8. art.2. in fine vbi hoc argumentum fuerat à nobis solutum, antequam in vestig.6.c.2.lib.1. illud ex alijs Auctor hic transcriberet; vnde ex solutione ibi data disput.2.Phys. respondeo ad idem argumentum vt hic conficitur, negando consequentiam, ad probationem quod magis accedit ad esse diuinum, magis de illo participat &c. iam diximus respondendum esse ex aurea regula tradita

dita à Scoto.1.d.8.quæst.1.ad 1.& 4.d.12.quæst.2.lit.E.vbi simili argumento probat quantitatem esse perfectiorem qualitate, quia quod est propinquius perfectiori est simpliciter perfectius, quantitas est simpliciter propinquior substantiæ, quam qualitas, substantia autem est perfectissimum entium, ergo quantitas est perfectior qualitate. Respondet, si in primo perfecto concurrunt simul multæ perfectiones, qualitercunque multæ non curo modò, aliquid fortè potest esse sibi propinquius secundum vnam perfectionem, & non secundum aliam; vt potè Deus est simpliciter necesse esse, & hæc necessitas est in ipso perfectio simpliciter; quanto ergo aliquid est magis necessarium tanto erit propinquius Deo, & sic Cælum est Deo propinquius quocunque corruptibili; præter hoc autem Deus est natura intellectualis simpliciter perfecta, huic secundum hoc magis appropinquat creatura merè intellectualis, licet finita, cuiusmodi est natura angelica, & post hanc natura sensitiua, quæ magis appropinquat intellectuali, quam non sensitiua, in hoc ergo ordine propinquius est Deo musca, quam Cælum; posset ergo inferri ex primo ordine, quod Cœlum est propinquius Deo, & per consequens perfectius musca; ex secundo autem ordine, quod musca est perfectior Cælo, & ita opposita.

Dico ergo (inquit Doctor resoluendo dubium propositum) quod quandocunque in primo concurrunt perfectiones qualitercunque distinctæ, vel disparatæ illud est simpliciter perfectius, quod est sibi propinquius secundum illud quod habet rationem perfectioris, sicut secundum Philosophum 3.Topic.non sequitur Simiam esse meliorem equo, licet sit similior in conditionibus nobilioribus simpliciter, conditio autem nobilior simpliciter in primo, est intellectualitas, magis, quam necessitas essendi eo modo, intelligendo magis, quo est ibi distinctio, & ideò homo est simpliciter nobilior Cælo; nec mireris talem ordinem diuersum assignari ad primum secundum diuersas perfectiones, quia quælibet perfectio potest esse principium vnius hierarchiæ naturalis vel secundum Philosophos vnius catenæ aureæ, & ita secundum diuersas perfectiones simpliciter in primo participatas ordinatè à diuersis possunt attendi diuersę catenæ aureæ. Ad propositum dico (tandem infert) quod in substantia, vt est primum entium est duplex ordo prioritatis, vnus in substando alijs, quod includit recipere alia, & perfici ab eis, alius actualitatis intensiuæ, & secunda perfectio est simpliciter maior, quam prima, quia prima conuenit potentiali, vel saltim requirit illud, cui conuenit esse potentiale, quantitas autem propinquior est substantiæ secundum primam rationem, quia immediatior secundum rationem receptiui; qualitas autem secundum aliam, ipsa enim est principium agendi, non sic quantitas, & secundum hoc apparet minor actualitas ejus ita Doctor loc. cit. ex hoc breuiter diximus ad argumentum disp.2.Phys.cit. materiam vtique habere incorruptibilitatem, ac æternitatem, & in hoc magis accedere ad esse diuinum, quam formam, at formam habere actualitatem, quæ est perfectio superioris ordinis, quam sit incorruptibilitas, atque ideò simpliciter, & absolutè loquendo formam adhuc magis accedere ad esse diuinum, quam materiam; quod eo vel maximè dicendum est, quia etiamsi daretur formam esse æternam, & perennem materia non appeteret illam ratione talis perfectionis, scilicet perennitatis, cum illam de se habeat, sed ratione actualitatis, & ideò quando 1.Physic.81. forma dicitur bonum diuinum, & apetibile, hoc intelligi debet de perfectione per actualitatem importata non per æternitatem, quod etiam indicare voluit Philosophus, cum dixit materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, talis enim pulchritudo formæ conuenit propter actualitatem, non propter æternitatem, nam hæc etiam conuenit materiæ.

138 Ad 1. Conf. si benè concluderet, nedum probaret æternitatem formæ substantialis, sed etiam accidentalis, nam hæc quoque appetit sui conseruationem, & agit, vt ipso semper esse, & diuino participet & sic probaret æternitatem cuiuscunq. entis, & compositi tam substantialis, quam accidentalis, quod neque Ferchius ex ea positione concedit; ex eo ergo quod ens quodcunque appetit semper esse, & sui conseruationem ex 2.de anim. 34. non sine fallacia deducitur formam quamlibet esse actu sempiternam, sed deducere debebat, quod appetit semper esse, & esse sempiternam, quantum est ex se, sicut & aliud quodcunque ens, & in hoc sensu loquitur Aristot.2. de anima text.34. dicens, *naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcunque perfecta & non mutilata sunt aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper, & diuino participent secundum quod possunt, omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam*, in textu autem 37.de hac re nec verbum, quidem, vnde falso text.37.ad hoc adducit, & text. 34. omnino abutitur. Ad aliam Conf. ex 3.Top. patet responsio ex ipso Scoto loc. citat. 4. d.12. quæst.2.vbi illum locum cit. Ad argumentum decimum ex eodem 3. Top. loco primo, quod est diuturnius, & stabilius, hoc melius; patet ex eadem doctrina, quod valet cæteris partibus, in proposito autem cętera non sunt paria, quia materia est ens potentiale, forma verò actuale, quæ actualitas est perfectio altioris ordinis, quam sit perennitas, quam paritatem, & imparitatem Ferchius vidisset, si Scotum consulisset loco, ad quem lectorem pro solutione remisimus. Deinde huic propositioni ex 3.Topic.loc.1. *diuturnius, & stabilius, hoc melius* aliam propositionem oppono ex 1.moral.Nicho nac. cap.6. vbi ait Aristot. *Verumtamen nec quia sempiternum aliquid est, ideò magis bonum, erit siquidem neg. album quod diutius, quam quod vno die tantum durat albius est*; qua de causa supra dixi, quod maior, vel minor duratio non infert vniuersaliter in his inferioribus maiorem, vel minorem perfectionem nisi cætera sint paria. Vide tandem Scot.4.d.49.q.2.ad 5.prin.vbi benè explicat propositionem illam ex 3.Top. quomodo non sit absolutè vera, sed cæteris paribus.

Ad hoc etiam idem argumentum respondet Pererius lib. 6. de forma c.4. dicens posse aliquid esse ingenerabile dupliciter, vel quia propter suam perfectionem est supra generationem, vt intelligentiæ, vel quia ob suam imperfectionem est infra generationem, tanquam propè nihil existens, vt materia prima, quæ non propter se facta est incorruptibilis, sed propter formas, vt nimirum sedem, & domicilium certum præberet accedentibus, atque abeuntibus formis quod autem dici solet, incorruptibile nobilius esse corruptibili, verum qui idem est in ijs, quæ sunt eiusdem ordinis, & rationis, vt si ambo sint vel materiæ, vel formæ, vel substantiæ compositæ, alioquin quantitas Cæli, quæ est incorruptibilis, nobilior esset, quam forma equi, quæ est corruptibilis; ita Pererius cuius solutionē adduxi, non quia melior sit solutione Scoti, sed vt pateat hoc non esse argumentū proprio labore partum, ac recens, sed adultum, vel potius decrepitum. Ad illud verò, quod inquit Ferchius solito supercilio, & magistrali, ea loca Scoti à nobis citata vidisse, antequam nos abecedarium discęremus, totum concedimus, cum ipse sit grandęuus, & iam ętate prouectus, vel potius senio confectus, & nos ferè dimidium ętatis eius habeamus; at consequentiam negamus, quam hinc implicitè intendit deducere, ex doctrina Arist. nuper adducta ex 1.moral.c.6. dum docet perfectius non esse, quod per multos durauit annos, quam quod vno solo anno, vel die; hocque nostrum ętatis spatium Deo fauente non omnino inutile duximus tertendo, ludicra, & inutilia scribendo, aut octo vel decem quæstiones componendo, sed integram, & totam Scoti Logicam Philosophiam, & Metaphysicam, improbo labore lucubrauimus in septem tomos opus distributum, in quibus si non per singulas lineas textus Aristot. citamus, vt ipse profitetur in suis Vestigationibus, quod nobis valde frequenter exprobrare solet, quod pluries Scotum citemus, quam Aristotelem, causa non est, quia Aristotelici textus historia sit nobis ignota, sed quia operis nostri scopus nou fuit solam Arist. vestigare mentem, sed veram in se Philosophiam conscribere, & iuxta Scoti principia; magisque rationi, quam simplici, ac ieiunę auctoritati innixam, vt in epistola liminari in tomo Physico primę editionis protestati fuimus; & Aduersarijs Recentioribus occurrere qui de Aristot. auctoritate parum, vel nihil curant, sed solum rationi incumbunt; atque ideò contra ipsos magis rationibus agendum est quam frequenti grandine textuum Aristot. quos sine ratione non recipiunt, vnde & ipse gratior esset, si cum textus Aristot. adducit rationem quoque ex ipso adiungeret, & non puram auctoritatem iuxta decretum Aristot. 8. Physic.15. nullam opinionem esse reprobandam sine ratione.

189 Hanc tamen responsionem ex ipso Scotico fonte manantem nititur Ferchius oppugnare loc.cit. his verbis; duplex actualitas consideretur, actualitas essendi, est ipsum esse, siue actualis existentia, & actualitas informationis, sicut forma est actus informans materiam; prima actualitas tantæ dignitatis est, vt si de quidditate Dei, imino si Scot. credimus quol.6. ipsa vita Dei, quæ ponitur in definitione æternitatis à Boetio, est actualis existentia; quare actualis existentia est perfectio simpliciter, sic etiam æternitas est perfectio simpliciter, & vtraque ponitur in definitione, vel quasi de definitione Dei ab Arist. secunda actualitas informationis non est perfectio simpliciter, sed necessariò habet annexā imperfectionē partis, talisque actualitas Deo repugnat; ergo in actualitate essendi materia, & forma cōueniunt, si ergo materia habet actualitatem essendi sempiternā, forma non; ergo plus accedit ad Deum materia in esse diuino, in esse finis, in participatione Dei in subtilitate. Adde quod materia per vos est independens ab omni causa secunda etiam à forma; sed forma dependet à causa secunda effectrice in essendo, dependet à materia per vos, & non è conuersò; dependet ab accidentibus à posteriori, vt vultis; ergo etiam in ratione independentiæ magis accedit materia ad Deum, à quo Cęlum, & natura dependet 12. Met. 38. Denique duo hæc argumenta mea nituntur in ipso *esse semper*, quæ duo sunt in ipsa quidditate Dei, vnum idest *esse* conuenit materiæ, & formæ, de ipso *semper* est controuersia paricantur in esse; sed finis optatus ab omni agente secundo est ipsum *esse semper* idest finis continet ambas conditiones, hæ sunt in materia; si etiam sunt in forma, benè concludo propositum, si non sunt in forma, sequuntur absurda in argumentis illata, à nobis non sublata.

Resp. faciliter ex allata Scoti doctrina 4.d.12.q.2.F. vbi docet, quod licet actualitas essendi conueniat tam quantitati, quam qualitati, attamen actualitatis longè perfectior est, quam actualitas quantitatis, & secunda est perfectio simpliciter maior, quam prima, quia prima conuenit potentiali, vel saltim requirit illud, cui conuenit esse potentiale, qualitas etiam est principium agendi, non sic quantitas, & secundum hoc apparet minor actualitas eius; sic pariter in proposito verum quidem est actualitatem essendi conuenire tam materiæ, quam formæ; attamen quæ formæ conuenit præscindendo etiam ab actualitate informationis, longè perfectio, est quam quæ conuenit materiæ, quia actualitas formæ est determinata, & specifica, non permixtā potentiæ subiectiuæ, & est principium agendi, non sic actualitas materiæ; & ideò quando etiam actualitas essendi semper

materiæ conueniret, non formæ, adhuc non sequitur materiam magis participare esse diuinum, quod est purissimus actus, quam forma, sed forma adhuc erit quid perfectius, ac diuinius ob rationem allatam ex Scoto cit. & 1. d. 8. quæst. 1. ad 1. modus talis actualitatis non conuenit formæ ratione informationis, & quatenus pars compositi, sed secundum suam rationem essentialem in hoc consistentem, quod ipsa sit, quo aliquid est tale specificè, & determinatiuè, vt docet Scotus 1. dist. 8. quæst. 4. lit. X. Ad 2. satis suprà num. 91. declaratum est independentiam in his inferioribus non semper arguere maiorem perfectionem in independente, quam sit in dependente, nisi cætera sint paria, alioquin ratione independentiæ nedùm concluderetur materiam esse perfectiorem forma, sed etiam ipso composito, quod ibi ostensum est ex Scoto pluribus in locis, quæ hic repetere nolo, sicut ipse per singulas ferè paginas hoc argumentum repetit; quod tamen etiam adducitur, & soluitur à Pererio lib. 6. de forma cap. 4. cit. quæst. 1. quia licet existentia formæ pendeat ab existentia materiæ, quatenus forma materialis nequit extra materiam nec esse, nec operari, adhuc tamen existentia formæ præstantior est, quam existentia materiæ, quia illa est specifica, ac determinata, hæc autem est entitatiua tantum, & indeterminata, & per illam determinabilis, & perfectibilis, vndè per hoc præcisè præstat existentia formæ existentiæ materiæ, non verò quia existentia formæ sit perpetua, ac independens à materia, vt ait Ferchius; qui tamen falsò in hoc secundo argumento ait nos ponere materiam omninò independentem à forma, fatemur enim ipsam à forma dependere, tum in esse suo intrinseco & essentiali in genere causæ finalis 2. Phys. 23. quia materia est propter formam, non è contra; tum in esse extrinseco substantiali aduentitio specifico, & determinato, quod à forma recipit, in genere causæ formalis extrinsecæ, quo pacto paries albus, vt sic, dicitur ab albedine dependere. Ad vltimum negatur duo inclusa in *esse semper* ineludi in ipsa quidditate Dei, esse quidem est de quidditate Dei, at æternitas est modus intrinsecus, non prædicatum quidditatiuum ex quol. 6. per totum, negatur etiam materiam, & formam purificari in esse, seu in ipsa existentia, quia etiam præscindendo à sempiternitate, ac independentia, adhuc longè perfectior est à toto genere existentia formæ, seu esse formæ, quod est specificum, ac determinatum, quam esse materiæ, quod est purè entitatiuum, ac determinabile, & hinc negatur tandem exclusa sempiternitate à forma secutura absurda in argumentis illata.

Vndecimum argumentum.

190 VNdecimò arguit vestig. sexta numero decimoquarto & libr. 3. Defens. numer. 77. si forma substantialis accedit, & recedit à materia absque ortu, & interitu materiæ, cum ortu, & interitu ipsiusmet formæ; ergo forma accidentalis, & substantialis sunt idem re, & ratione, solùm nomine discernuntur; probatur consequentia ex Arist. & Porphyrio, Porphyrius dicit, Accidens est, quod adest, & abest subiecto præter subiecti corruptionem; Arist. 1. Topic. cap. 4. accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse; si autem forma substantialis incipiat, ac definat esse, planè adest, & abest subiecto suo præter subiecti, ideſt materię corruptionem, planè contingit formam eidem subiecto inesse, & non inesse; quare eadem tota definitio congruit etiam illi formæ, quę nomine tenus appellatur, substantialis. Nam quod aiunt nonnulli subiectum accidentis in actu priori simpliciter esse oportere, vnde prius recipitur in materia forma substantialis, quam accidentalis. Hoc voluntariè dicunt; neque enim in definitionibus accidentis ea conditio est reposita, & item materia prima nuncupata est subiectum 1. Phys. 82. atque 1. de gener. 24. quarè optimè accipitur per nomen subiecti; sed & duabus illud effugium difficultatibus patet, nam quia forma animę corporis formam organici præsupponit, anima non erit forma substantialis, aduenit enim, & abscedit à subiecto existente actu secundum formam substantialem. Item materia refertur ad agens relatione reali, omne enim passiuum reale ad actiuum realiter refertur 3. Phys. 3. & 5. Met. 20. materia verò est in potentia passiua, & actu patitur ab agente introducente formam; Materia item est subiectum generationis, quę est via in formam 2. Phys. 14. ergo illa relatio potentię passiuę, passionis, mutatio ipsa, sunt accidentia realia, quę immediatè recipiuntur in materiam; quare non est de ratione accidentis, quatenus huiusmodi, præsupponere materiam sub forma substantiali, sed hæc est conditio cuiusdam accidentis, quod modò exquirere nihil attinet.

191 Resp. hoc quoque argumentum esse protritum, afferrique ab omnibus Metaphysicis in quæstione, quomodo accidens, & substantia inter se differant, vt videri potest disp. præced. quæst. 1. vbi citantur Auctores de hoc tractantes; ac etiam ab omnibus Physicis 1. Phys. dum agunt de discrimine inter formam substantialem, & accidentalem, de quo etiam ibi nos egimus disp. 2. q. 1. art. 1. num. 5. ad 2. & art. 3. ad 2. nu. 26. sed magis ex professo disp. 5. qu. 11. art. 1. quem locum dissimulauit Ferchius, quia loco art. 1. citatus est per errorem art. 3. qui in ea quæstione non adest; & habetur in terminis à Scoto qu. 15. prædicam. an partes substantiæ sint substantiæ in argumentis pro parte negatiua his verbis, forma non est substantia, quia est in subiecto, & quia adest, & abest præter subiecti corruptionem, vt in transmutatione substantiali patet; habetur etiam apud Tatar. lib. 2. de anima quæst. 1. art. 1. § *primò scendum*, vbi mouet dubium, vtrum omnis anima dicatur esse substantia, & arguit pro parte negatiua, quia commune est omni substantiæ in subiecto non esse, sed anima est in subiecto, quia in corpore, ergo &c. Tum quia anima potest adesse, & abesse subiecto, ideſt corpori præter subiecti, ideſt corporis corruptionem, igitur &c. Ad hoc autem argumentum respondetur est disp. 5. de gener. num. 75. abundè satisfactum esse locis nunc citatis in Phys. in quibus vberè assignatur differentia formę substantialis ab accidentali, de quo adhuc etiam exactius actum est disp. præced. qu. 1. & diximus neque adhuc argumentum concludere intentum, si totum concedatur, adhuc enim nec ipse discrimen assignabit formę substantialis ab accidentali, si enim dicat ex hoc differre, quod forma accidentalis, dum à subiecto diuellitur, statim interit, non sic substantialis, non satisfacit, quia & nos dicemus, vt ipse obijcit alijs, hoc esse voluntariè dictum, nec in definitione accidentis eam conditionem reponi, atque ideò totam ex integro conuenire formę substantiali, etiamsi separabilis ponatur, & incorruptibilis.

Ferchius lib. 3. Defens. num. 77. discrimen à nobis positum ex Scoto disp. 5. Phys. q. 11. art. 1. videre noluit, quia pro primo articulo illius quæst. citatur tertius, quia Amanuensis, vel impressor pro prima numeri figura accipit tertiam, & solùm refert locum ex disp. 2. Phys. q. 1. art. 1. ad 2. vbi obiter hoc dubium tangimus, & dicimus esse inferius ex professo expendendum, scilicet disp. 6. qu. 11. art. 1. vnde nos non fugimus solutionem argumenti, vt ipse ait, cum ibi sit solutum assignando verum discrimen inter formam substantialem, & accidentalem, antequam suas decem imprimeret Vestigationes, sed ipse potius refugit impugnationem illum dissimulando locum; quod quidem discrimen adhuc exactius explicatum est disp. præced. quæst. 1. per totam, adeò vt præter ibi dicta aliud hic non sit addendum; Ad id verò quod addidimus, neque adhuc argumentum suum concludere intentum si totum concedatur, respondet n. 78. his verbis, sæpius tentastis arguendo contra me exprimere à me solutionem argumentorum, sed frustra; non soluam; dico igitur me nullam conditionem ponere in definitione Accidentis Aristotelica, nam Aristot. in cap. 2. anteprædicam. scribit: *in subiecto verò esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est, vt quædam grammatica in subiecto quidem est in anima* ex istis conditionibus duæ *esse in subiecto*, & *non esse partem subiecti*, conueniunt omni formæ, sed accidentalis forma *non potest esse sine subiecto*, ex hoc si seiungatur à subiecto necessariò interit; quare si ita describi accidens, vt aduenial sine ortu subiecti, cum ortu sui, & recedat sine interitu subiecti, at cum interitu sui, in hac secunda parte explicaui particulam *in esse subiecto* nouam conditionem non posui; & credendum est Porphyrium idem intellexisse per vocabula abesse, & adesse, quod Aristot. intellexit per inesse, & non inesse. Potest etiam ponderari ad principale propositum argumenti particula *contingit*, quoniam formam accidentalem *contingit inesse, & non inesse*; ergo ex opposito formam substantialem non contingit inesse, & non inesse, sed necessariò inest subiecto, & nunquam non inest; ergo separabilis est, quia per hoc distinguitur ab accidente, quod forma accidentalis non potest esse sine subiecto, substantialis potest.

192 Hæc responsio potius est Sophistæ decipere volentis, quam veri, & ingenui Philosophi veritatis vestigatoris, nam in hoc tertio lib. pag. 271. num. 4. fatetur propositionem illa *omnis forma substantialis est separabilis*, esse falsam etiam de mente Aristot. vestig. 6. lib. 1. c. 6. & 7. cum ergo vestig. 4. num. 46. dicat *æquum non esse, quæ contra veritatem pugnant insoluta dimittere, aut in iudicio de veritate præuaricari*, si videbat hæc argumenta duodecim illam falsam propositionem probantia non esse à nobis sufficienter soluta, tenebatur in hoc tertio libro, ostensa nostrarum solutionum insufficientia, veras suas solutiones adiungere, nec finere lectorem in iudicio de veritate præuaricari; quare cum hic obstinatè dicit, *non soluam*, & mordicus nititur adhuc eam falsitatem fulcire, ac stabilire, nec boni Theologi, nec ingenui Philosophi functus est officio. Sed vt verum fatear neminem arbitror solutionem horum argumentorum ab illo exprimere, cum enim sint communissima, & protrita, vt ostensum est, quisque etiam modicè instructus illa ex se dissoluere potest, quandoquidem nihil omnino conuincant; & præsertim hoc vndecimum circa quod versamur, ex discrimine formæ substantialis, & accidentalis deductum nullatenus vrget etiam ipso Ferchio teste, qui vestig. 6. lib. 1. c. 6. & 7. probat de mente Aristot. formam substantialem non posse ab accidentali vniuersaliter discerni, quod substantialis sit re separabilis à materia, accidentalis autem non re, sed ratione tantum, quia 8. Met. tex. 3. & 6. Met. text. 1. & 2. formarum substantialium quasdam dicit esse separabiles re à materia, nempe animam intellectiuam, & quasdam inseparabiles, nempe alias formas materiales; si ergo hoc non est verum, ac legitimum discrimen formæ substantialis ab accidentali, hoc argumentum vndecimum in tali discrimine fundatum nihil vrget.

193 Præterea adhuc vrget instantia à nobis iam facta, quod toto hoc argumento concesso, adhuc non euitatur quod definitio accidentis non competat ex integro ipsi formæ substantiali, quia sua illa conditio, per quam vnam ab alia secernit, quod nempe forma accidentalis *aduenial sine ortu subiecti, cum ortu sui, & recedat sine interitu subiecti, at cum interitu sui*, non reponitur in definitione accidentis, nec à Porphyrio, nec ab Aristot. data, Porphyrius enim inquit accidens esse illud *quod adest, & abest præter subiecti corruptionem* vbi, vt patet nullam mentio-

mentionem facit de corruptione formæ, quam vtique addere sciuisset, ac debuisset, si per ipsam propriè forma accidentalis à substantiali discerneretur. Aristot. ait, accidens est, *quod contingit eidem inesse, & non inesse*, vbi quoque nulla fit mentio de ortu formæ accidentalis, dum subiecto aduenit, neque de interitu, dum recedit. Nec suffragatur Ferchio locus adductus ex c. 2. antepræd. *in subiecto verò esse dico, quod tum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo*, quasi per hoc Aristot. indicare voluerit inesse subiecto, quod est proprium accidentis, esse ita illi inhærere, vt non possit esse sine subiecto absq; sui interitu, & per hoc distinguatur ab inesse formæ substantialis. Non, inquam, suffragatur, quia esse sic alligatum subiecto, vt extra illud forma separata existere nequeat commune est tam formæ accidentali, quam substantiali materiali ex Arist. 8. Met. 3. & 6. Met. 1. & 2. teste ipso Ferchio loc. modò cit. vestig. 6. lib. 1. c. 6. & 7. Tum quia quantum ad esse in subiecto, vt sic, pares facit Arist. formam substantialem, & accidentalem 4. Phys. 23. enumerans modos essendi *in* dicens, *amplius vt sanitas in calidis, & frigidis, & omninò forma in materia*, vbi, vt patet, quantum ad esse in subiecto eodem modo loquitur de forma substantiali, & accidentali. Tum quia in illo eodem loco ab ipso citato c. 2. antepræd. falsum est Arist. distinguere formam accidentalem à substantiali per hoc, quod accidentalis ita sit in subiecto, vt non possit esse sine eo, non ita substantialis, nam potius per hoc distinguit, quod accidens non est pars alicuius compositi per se vnius, benè tamen forma substantialis, quod illis verbis innuit *non sicut quædam pars* forma verò in ratione partis refertur ad compositum, non ad subiectum, & sic vult innuere accidens non esse partem vnius per se compositi, non verò subiecti, vt explicat Ferchius quis enim ignorat formam non esse partem subiecti, quod informat? quæ explicatio deducitur ex his, quæ paulò infra habet Arist. cap. de substantia circa medium, dum ait *non conturbent autem nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint, ne fortè cogamur eas non esse substantias, confiteri, non enim ita ea, quæ sunt in subiecto dicebantur, quasi vt partes inessent alicui*, vbi, vt patet, formam substantialem ab accidentali distinguit per hoc, quod inest alicui per se toto, vt pars eius, non sic ea, quæ sunt in subiecto, scilicet accidentia.

194 Neque etiam alia ponderatio facta circa particulam *contingit*, facit ad rem, quoniam illa contingentia indefinitione accidentis posita ab Arist. potius ad subiectum referri debet, cui contingit habere, vel non habere formam, nam forma accidentalis ex parte sua non contingenter inest subiecto, sed necessario, cum extra illud existere nequeat, vt ipsemet fatetur, data autem hac explicatione tota illa definitio æquè conuenit formæ substantiali perinde ac accidentali, quia materiæ tam est contingens habere vel non habere hanc formam, vel illam substantialem, quam subiecto habere hanc, vel illam accidentalem, vel non habere; immo ille suus discursus videtur implicatorius, dum inquit formæ substantiali non contingere inesse, & non inesse, sed necessariò inest subiecto; nam immediatè supra hoc attribuebat formæ accidentali, quod necessario inesset, quia sine subiecto esse non potest, & per hoc eam secernebat à substantiali; quomodo ergo immediatè infra potest sine contradictione manifesta talem necessitatem inhærentiæ ad subiectum tribuere formæ substantiali, & negare accidentali quomodo item ex hoc, quod *forma substantialis necessario inest subiecto, & nunquam non inest*, hæc enim sunt eius formalia verba, deducit hanc consequentiam *ergo separabilis est*, nam ex illo antecedente potius mihi inferendum videbatur, *ergo non est separabilis*, nam forma quæ necessario inest subiecto, & sine subiecto esse non potest, inseparabilis dicitur, quia non potest per se separata à subiecto existere, sed tantum in subiecto.

Hic denique nota totum hoc vndecimum argumentum integrum hic fuisse relatum vt iacet vestig. 6. nu. 14. etiam cum illis duabus difficultatibus, quibus patere dixit solutionem ab ipso inter arguendum relatam, & impugnatam; quia hic lib. 3. Defens. nu. 77. inquit à nobis disputat. 5. de gener. 75. studiosè fuisse omissas, & ad illas non respondisse. Verum equidem est fuisse inibi à nobis studiosè omissas, nec respondisse ad illas, & ratio est, quia duæ illæ difficultates ad nos non attinebant, nam illæ difficultates adducuntur ab ipso ad impugnandam responsionem ab ipso inter arguendum allatam, *quod aiunt nonnulli subiectum accidentis in actu priori simpliciter esse oportere, vnde prius in materia recipitur forma substantialis, quam accidentalis*, hanc solutionem nos non recipimus, neque hoc est discrimen, quod ponimus inter formam substantialem, & accidentalem, immo nos quoq; illud reiecimus disputat. 5. Phys. quæst. 11. articul. 1. numer. 128. ac etiam disputat. præced. quæst. 1. vt communem dicendi modum Thomistarum, & ideò opus non erat illis duabus difficultatibus respondere, quæ nostram solutionem minimè vrgebant; Verum tamen est Thomistas quoque parum, vel nihil illis duabus vrgeri difficultatibus, nam ad primam de anima rationali præsupponente in materia formam corporeitatis, statim assumptum negabunt, vt manifestam principij petitionem, quia ideò ipsi non admittunt formam corporeitatis præcedere animam in materia, quia tunc anima adueniret enti in actu, & sic anima forma substantialis non esset, sed accidentalis. Ad aliam de generatione, alijsque respectibus immediatè in materia fundatis facilè respondebunt, & benè, quod cum inquiunt formam accidentalem præsupponere in materia substantialem, non de quacunque forma accidentali loquuntur, sed de forma accidentali perfecta, & completa, qualem inquiunt esse dum taxat accidens absolutum, scilicet quantitatem, & qualitatem; & ideò duæ illæ difficultates à Thomistis facilè contemnentur.

Duodecimum, & vltimum argumentum.

195 DVodecimò & postremò sic arguit vestig. 6. libr. 1. num. 15 perfectum est prius imperfecto iuxta 1. de Cælo textu 10. qua propositione Princeps Peripateticorum probat motum circularem esse prius natura recto, & naturalem priorem eo, qui est præter naturam, perpende materiam, & formam informatricem, forma est vtique perfectior, & perfectio, nam endelechia est; ergo forma est prior, & antiquior, quam materia in rerum natura; si ergo materia suæ existentiæ nescit exordium, aut epilogum, neque forma ortum, aut interitum patietur. Hoc verò argumentum ita retulimus breuitatis gratia disp. 5. de gen. nu. 76. perfectum est prius imperfecto etiam tempore 1. de Cælo 10. forma est materia perfectior, & antiquior in rerum natura; si ergo materia suæ existentiæ exordium nescit, tanto magis forma nec ortum, aut interitum patietur.

Resp. hoc quoque argumentum esse protritum, & vulgare, affertur siquidem à Metaph. 7. Metaph. quæst. illa, an forma sit prior materia, & composito, vbi declarant esse priorem prioritate perfectionis, non originis, vel durationis, & sic etiam ad hoc idem argumentum respondet Pererius lib. 6. de forma c. 4. quæst. 2. Nos tamen disput. citat. de gener. num. 76. diximus hoc etiam argumentum plus æquo probare, vt conficitur à Ferchio, si enim materia est æterna, & forma est antiquior materia, ac prior nedum perfectione, sed etiam duratione, profecto plusquam æterna erit, & ante æternitatem; iam igitur disputat. 1. de Cælo quæst. 5. ab initio contra eumdem Auctorem, cui propositio illa valde familiaris est, diximus non esse vniuersaliter, sed indefinitè accipiendam, & præsertim in propositō veritatem habere non potest, quia potius materia præcedit formam prioritate originis, vt docet Doctor 2. distinct. 12. quæst. 1. & 2. ex D. Aug. quo autem sensu forma sit prior materia, vide Doctorem 7. Metaph. q. 6. Ant. Andr & Zerb. ibidem. Accedit ex ea maiori absolutè prolata æquè benè inferri posse compositum etiam tempore præire materiam, & formam, quia est perfectius ambobus. Vide quæ consequentiæ deducantur ex quibusdam propositionibus, quas indefinitè protulit Aristot. & hi blaterones eius recipiunt pro vniuersalissimis; quasi propositiones omnes Aristot. sint vniuersaliter veræ? sanè aliam asseruit propositionem 9. Metaphysicor. 15. huic ex diametro oppositam *priora generatione sunt posteriora perfectione*, quomodo ergo ambæ erunt vniuersaliter veræ. Irrationabilis hic philosophandi nonnullorum modus inde traxit originem, quod isti simplicissimæ, & ieiunæ Aristotel. auctoritati nimirum fidunt, nec nisi solis auctoritatibus sua asserta probant, quod quam virum Philosophum dedeceat diximus disputat. 1. quæstione 1. articul. 1. Hæc est nostra responsio ad 12. argumentum loco citato.

196 Ferchius lib. 3. Defens. numer. 79. vehementer conqueritur de falsa relatione sui argumenti à nobis facta, illudque conferendo cum ipso, vt ab eo conficitur vestig. 6. num. 15. quatuor comminiscitur à nobis falsata. Prima fallacia, inquit, est, quia ego fideliter textum citaui, in quo non est illa particula *etiam tempore*, quam vos spuriam infideliter inclusistis, secunda est, quia reliquistis adiunctam particulam sequentem, etenim in demonstratione propositiones sunt vniuersales, Aristot. verò, vt scripsi, vtitur illa propositione in demonstratione, qua demonstrat motum circularem esse recto natura priorem, & naturalem motum eo, qui præter naturam, atque tandem dari quintum corpus, quod sit prius elementis, quo fit, vt illa propositio sit vniuersalis *omne perfectum est prius natura imperfecto*, hanc particulam cautè omisistis, quia refutat vestram responsionem, contenditis enim illam propositionem esse indefinitam. Tertia fallacia, quia scribo *perpende materiam, & formam informatricem, forma est vtique perfectior, & perfectio, nam endelechia est*, hæc est mea minor cum sua probatione cognita Peripateticis ex 2. de anim. 2. 6. & 7. vos loco minoris posuistis conclusionem in minori sic *forma est materia perfectior, & antiquior in rerum natura* post ambas propositiones sequitur in mea vestigatione conclusio talis, *ergo forma est prior, & antiquior, quam materia in rerum natura*; Quarta fallacia, nam subsumo conditionalem in 12. argumento *si ergo materia sua existentiæ nescit exordium, aut epilogum, neq; forma ortum, aut interitum patietur, sed siue separetur, siue aliter, satis, superque ostensa est separabilis*, vos verò in antecedente omisistis particulam de interitu, scilicet *epilogum*, & contra regulas grammaticæ constructionis scripsistis *tanto magis forma nec ortum, aut interitum patietur*, vbi solæcismus est, nam particula comparatiua *tanto magis*, ponitur, & terminus comparationis non ponitur; sic voluistis apud lectorem traducere meam imperitiam grammaticæ, logicæ, philosophiæ.

197 Quatuor hæc non sunt fallaciæ nostræ, sed eius impostura, & vt incipiamus à prima, verum quidem est 1. de Cælo 12. non poni ab Arist. illam propositionem *perfectum est prius imperfecto*, cum illa particula *etiam tempore*, attamen cum hac particula ponitur 8. Physic. 75. qui locus cum tali particula refertur etiam à Ferchio vestig. 1. cap. 9. num. 22. & lib. 2. Defens. pag. 240. quare cum sit eadem propositio, quæ habetur 1. de Cælo 12. & 8. Physic. 75. & ad eandem conclusionem probandam iuducatur, nempe motum circularem esse recto priorem, quamuis 1. de Cælo 12. non exprimatur particu-

la *prius tempore*, subintelligi debet, ne propositio hic, vel ibi sit manca, & ideò piaculum non fuit, nec Ilij excidium, si illam addidimus particulam *prius tempore*. Præterquamquod eam addidimus, ne imperitiam logicè arguentis apud lectorem traduceremus (quamuis ipse oppositum dicat) & ne eius argumentum fallax deprehenderetur, dum in conclusione colligit, quod in præmissis non seminauerat, colligit enim Ferchius *ergo forma est prior, & antiquior, quam materia in rerum natura*, quæ planè conclusio sine fallacia deduci nequit, nisi in illa maiori *perfectum est prius imperfecto* apponatur, vel subintelligatur particula *prius tempore*, nam antiquitas dicit prioritatem temporis, vt constat; si ergo in maiori non intelligitur talis prioritas, sed sola prioritas naturæ, quomodo in conclusione concludit de forma respectu materiæ prioritatem durationis? non ergo est fallacia in argumento suo, vt à nobis relato, sed vt ab ipso confecto, dum illam particulam *prius tempore* omisit, vnde de bono opere nos lapidamur ab eo, dum nobis fallaciam impingit, qui eius argumentum referendo eius fallaciam lectori occultare curauimus. Secunda fallacia, inquit, est, quia cautè relinquimus particulam *prius natura*, vt potè quæ refutat nostram responsionem, in qua dicimus eam propositionem esse indefinitam, quæ tamen vniuersalis est ea particula apposita, sic dicendo *omne perfectum est prius natura imperfecto*. Fateor ita poni ab Aristotel. citat. 1. de Cælo 12. at certè neque cum hac particula ab ipso Ferchio refertur, sed absolutè sic *perfectum est prius imperfecto*, vnde si nos propositionem illam falsauimus, quia particulam *prius tempore* addidimus, falsauit & ipse, quia particulam *prius natura* non posuit, si nos peccauimus per excessum, ipse per defectum. Tum quia, vt dixi, tam 8. Physic. 75. & 1. de Cælo 12. hæc propositio inducitur ad probandum demonstratiuè prioritatem motus circularis respectu recti, si ergo particula *prius tempore* addita propositionem facit non vniuersaliter veram, sed tantum indefinitam; cum Aristotel. 8. Metaphysicor. 75. assumat propositionem illam cum tali particula *prius tempore* non demonstrabit, nec eius propositio erit vniuersalis, sed indefinita. Tum quia infra numero 83. pagin. 343. illam propositionem *perfectum imperfecto est prius tempore* absolutè sumptam sine particula *prius natura*, concedit esse vniuersalem. Tum tandem, quia falsum est, quod à nobis ablata sit ab ea propositione particula *prius natura*, quia vt notat Doctor quol. 4. & cum eo docent Formalistæ nostri, in prioritate temporis includitur prioritas naturæ, & quod tempore præcedit alium, etiam natura præcedit, quia temporis prioritas, vt maior, infert naturæ prioritatem, vt minorem; & particula illa ampliatiua *etiam tempore* satis indicat non fuisse intentionis nostræ naturæ prioritatem omnino prætermittere, immo illam inclusam presuppositisse in ipsa temporis prioritate.

198 Tertia fallacia est, inquit, quia quam ipse fecit conclusionem, nos facimus minoremsita sanè, vt cælaremus fallaciam argumenti, vt ab ipso conficitur, nam arguendo, vt ipse arguit in hunc modum *perfectum est prius imperfecto, perpende materiam, & formam informatiuam, forma est vtique perfectior, & perfectio, nam endelechia est; ergo forma est prior, & antiquior, quam materia, in rerum natura*, clarè patet in conclusione à parte prædicati, vel maioris extremitatis poni particulam, quæ nec fuit in maiori, nec in minori, scilicet *antiquior*, quæ quidem fallacia non contingit formando argumentum ex nostro relatu sic *perfectum est prius imperfecto etiam tempore 1. de Cœlo 12. forma est materia perfectior, & antiquior; si ergo materia sua existentiæ nescit exordium* &c. & quamuis loco minoris posuerimus suam conclusionem redigendo argumentum ad breuiorem formam, nullum ob id ei præiudicium illatum est, quia illa non erat vltima conclusio, vnde argumentum adhuc sub tali forma sine vlla fallacia totum suum retinet robur, si quid habet. Quarta tandem fallacia etiam falsò imponitur, quia in conclusione à nobis illata, cum ambæ particulæ ponantur nempe ortus, & interitus, quando fit sermo de forma, ambæ quoque debent intelligi de materia, vnde infertur conclusio de forma; vnde implicitè cum carentia exordij materiæ intelligitur etiam carentia interitus, præsertim quia apud Aristot. 1. de Cælo text. 126. eo ipso, intelligitur etiam carentia interitus, præsertim quia apud Arist. 1. de Cælo tex. 126. eo ipso, quod aliquid non habet exordium, consequenter nec patitur interitum, *si enim ingenerabile est, inquit, & incorruptibile esse supponitur, & si generabile, corruptibile esse necesse est*, tum quia absolute loquendo, & in virtute argumenti solus ortus tam ex parte materiæ, quam formæ poni deberet, non autem interitus, quia in toto primo argumento non fit mentio, nisi de duratione à parte ante, ad quam pertinet ortus, non autem de duratione à parte post, ad quam spectat interitus; & in conclusione vltima deducta illa particula comparatiua erat omninò necessaria, scilicet *tantò magis*, nec sine vitio consequentis taceri potest, nam in toto priori argumento in qualibet propositione, ac etiam in ipsa conclusione ponitur comparatio cum excellentia ex parte formæ in perfectione, ac durationerespectu materiæ, vt patet illud intuenti; ne ergo fallacia committatur debet in conclusione sub illa perseuerare adhuc sermo comparatiuus inter materiam, & formam quoad perfectionem, & durationem, itaut concludatur, *si ergo materia sua existentiæ nescit exordium, vel interitum tanto magis forma nec ortum, nec interitum patietur*, supple quia est perfectior, & antiquior materia, vnde falsum est, quod ponatur in conclusione sub illa particula comparatiua *tanto magis*, sine termino comparationis, quia terminus comparationis in hac conclusione est ille idem, qui terminus erat in comparatione habita in præmissis, & in toto priori discursu; vndè à primo ad vltimum patet, nedum nos suum argumentum in nullo falsasse, vel deturbasse, sed ad meliorem formam, & ab omni fallacia immunem per nos redactum esse, quia immunitate non gaudet, vt ab ipso conficitur.

199 Ad id, quod dicebamus propositionem illam *perfectum est prius imperfecto natura, & tempore*, non esse vniuersaliter, sed indefinitè accipiendam, & præsertim in proposito veritatem habere non posse, quia potius materia præcedit formam prioritate originis, vt docet Doct. 2. d. 12. qu. 1. ex D. Aug. &c. occurrit, quod terminus Augustini acceptus à Doctore subtili considerari debet in Theologia, non habet locum in Philosophia Arist. Scotus, Aragonius, Zerbius sunt Arist. discipuli, qui si negant doctrinam præceptoris, mali discipuli sunt, & à schola excludendi, si cum Arist. sunt confitebuntur *perfectum esse prius imperfecto ordine naturæ*. Et inferius num. 83. ostendit hanc propositionem esse vniuersalem, quia syllogismus in prima figura directus, si maiorem non habeat vniuersalem, continet fallaciam consequentis, & non est in modo; Arist. autem in prima figura talem facit syllogismum; perfectum prius natura est imperfecto, sed circulus est perfectus, recta linea verò nulla, ergo circulus est prior natura, quam linea recta, si maior est vniuersalis, probaui quod optabam, & vos malè dicitis eam esse indefinitam; si non est vniuersalis, ergo impingitis Arist. fallaciam consequentis.

200 Sed vereor sanè, ne potius Ferchius sit ab Arist. schola eliminandus, quam Scotus cum suis discipulis, dum negat veritatem adeò apertam, sicut est ista, quod materia præcedit natura, & origine formam, quam & ipse aliquando fassus est, atque probauit ex ipsomet Arist. vt est videre vestig. 1. c. 13. num. 40. vbi habet hæc verba, *materia est per se prior natura, & generatione, quam forma, quod habes 2. de partibus animal. cap. 2.* & per hoc ibi probat formam non esse rationem producendi materiam similem illi, à quo dependet, (ecce dependentiam formæ à materia concessam, quæ toto lib. Defens. perpetuò negatur) quia nullum per se posterius tempore, vel naturali origine potest esse causa effectiua sui prioris, sed materia est prior secundum naturalem originem, ac etiam secundum tempus respectu formæ per 2. de partibus animal. cap. 1. igitur nullius formæ naturalis vi potest effici materia, vel interire; ita arguit ibi Ferchius; ex qua patentissima contradictione poterit conijcere lector, qui magis mereatur à Peripato excludi, & exsibilari, num Ferchius refuga, an Scotus cum suis subtilissimis discipulis. Dum verò num. 83. accingitur ad probandum illam propositionem esse vniuersaliter veram *omne perfectum est prius natura imperfecto*, planè expectabam ipsam inductione comprobaturum, quæ est vera methodus probandi veritatem vniuersalem alicuius propositionis per veritatem singularium sub ea contentarum ex 1. Topic. c. 10. sed fuit vana spes, probat enim quia syllogismus Arist. quo probat motum circularem esse prius natura recto, est in prima figura; ecce verissimum, ac indubitatum, quod dicere soleo testes istos, vel textuales Arist. historicos nullam propositionem scire probare ratione, sed tantùm Arist. testimonio, vndè non amplius erimus Peripatetici, sed Pytagorici, apud quos, vt fertur, nullius propositionis erat probatio præter hanc *Magister dixit*; occurrit tamen Ferchius infra nu. 84. dicens; si Arist. absque ratione esset locutus, sine ratione Aristotelici sequerentur, sed nec ante, nec post Arist. aliquis Philosophus repertus est, qui tam esset ratione armatus, quam ipse; citare ergo Arist. est citare rationem; Concedatur totum, si ergo Arist. nunquam sine ratione locutus est, non debent probari propositiones solo Arist. testimonio, sed ratione per ipsum adducta; & sic in proposito, si volebat Ferchius probare ex Arist. propositionem illam *omne perfectum est prius natura imperfecto* esse vniuersaliter veram debebat adducere rationem, qua eam probat Arist. non autem probare, quia syllogismus, in quo accipit Arist. eam propositionem pro maiori, est in prima figura, atque ideò vniuersalis esse debet; at ipse ex more propositiones omnes sola auctoritate probat, nunquam ratione, vel rarissimè.

201 Ad absurda, quæ deducebamus ex illa propositione *perfectum est prius imperfecto etiam tempore*, quod nimirum forma esset plusquam æterna, ac antè æternitatem, quia est perfectior materia, quæ est æterna; & quod compositum quoque præcederet tempore suas partes, quia est perfectior vtraque Respondet sub n. 82. sequuntur hæc absurda ex corruptela per vos indita Arist. propositionem; vos vtique dixistis *etiam tempore*, non Aristoteles, non ego; de partibus autem ac toto discussio est prolixior proposito; Scotus quol. 9. H. docuit formam secundum principalitatem, & independentiam esse priorem, & magis ens tum materia, tum composito, & in theor. 20. principali concl. 5. Vlterius si totum est suæ partes, tunc duæ partes sunt plusquam totum 10. Nicomac. c. 2. bonum vnum cum altero magis expetendum, quã solum, & in hoc sensu totum est perfectius, dummodo partes ambæ sint bonæ, & perfectæ, sicut Arist. limitat. 6. Topic. nunc autem forma est bonum, & perfectio, materia est indiga boni, & imperfecta, vndè dubium est, an duæ simul debeant dici perfectius, & melius, quam forma sola; si autem totum sit à partibus diuersum, fortasse totum est simpliciter imperfectius, totum quippe est realiter causatum à forma, dependens essentialiter, posterius naturaliter ipsa, habet in se defectum primæ vnitatis, perfectę simplicitatis, quidditatis specificantis, & actualitatem emendicat à forma, propter hos defectus repugnat

toti

toti esse prius, quam materia, vel forma; formæ non repugnat, imo est independens, & prior, & magis ens, quam materia, quam totum, non igitur ex maiori primi de Cœlo 12. concluditur de toto, quod efficaciter concluditur de forma.

202 Hæc tamen responsio omninò friuola est, ac irrationabilis, quia supra ostensum est nu.197. illam particulam *prius tempore*, non à nobis fuisse intrusam in ea propositione *perfectum est prius imperfecto*, sed positam ab Arist.8.Phys.75.ac etiam ab ipso Ferchio locis ibi citatis, non ergò nos tantum, sed & Arist.& ipse dixerunt *perfectum esse prius imperfecto etiam tempore*, licet id modo neget ad euitanda absurda inde sequentia, sub nu. 82. immò sub nu.83. non solum concedit hanc propositionem esse veram, sed vult etiam esse vniuersalem, absolutè sumptam etiam non memorata particula prius natura (de qua prius sub num.79.adeò erat anxius, quia sine ipsa dicebat propositionem illam non esse vniuersaliter veram, atque ideò nos illam falsasse eâ supprimendo particulam) vnde sic erigit ibi demonstrationem ab Arist.factam 8.Phys.75.ad ostendendum motum circularem esse priorem recto etiam tempore *perfectum imperfecto est prius tempore, motus circularis est perfectus, motus rectus est imperfectus, ergo motus circularis recto est tempore prior*; & immediatè post numero 84. probat eam propositionem esse vniuersaliter veram, quia ex nono Metaphysic. 17. actus semper tempore quoque præcedit potentiam, & sic perfectum est semper prius imperfecto etiam tempore; ergo hæc propositio etiã cum illa particula *prius tempore* ex confessione quoque ipsius Ferchij non est spuria, non adulterina, sed Aristotelis genuina, & ideo non euitat absurda inde deducta, si contendit ipsam esse vniuersaliter veram; Quæ dicit de toto, & partibus ad euitandum absurdum, quod præcedere tempore partes, si perfectum præcedit tempore imperfectum, omnia falsa sunt, & in superioribus soluta, Scotus quol.9.infra lit.H.totum oppositum habet, ait quidem formam esse magis ens, quã compositum, secundum principalitatem, ac independentiam, at inquit compositum adhuc esse prius, & maius forma secundum perfectionem, & in hoc sensu explicat locum, quem adduxerat in oppositum, ex 7.Metaphysic.text.7, iuxta versionem antiquam, *si forma est magis ens materia, erit & composito propter eandem rationem*, scilicet quoad principalitatem, & independentiam, quod etiam intelligi non debet absolutè in quocunque genere causæ, sed in genere causæ finalis, quod est nobilius cæteris, sic enim materia dependet à forma, non è contra 2.Phys.23. vt supra explicui nu. 101. & sic etiam explicari debet Doctor, cum eandem habet propositionem theor. 20. prin. conclusione quinta, ne sibi contradicat 8.Met.q.2.ad 2.princ.vbi concedit substantiam compositam esse suis partibus perfectiorem, verum tamen est iuxta versionem, quæ modo est in vsu, manifestè docere Aristotelem septimo Metaphys.septimò compositum esse perfectius ens tam materia, quam forma, sic enim iacet *si forma prior materia est, & magis ens, illud quoque quod ex ambobus est, prius erit ob eandem rationem*.

203 Alia quoque responsio, quod totum est perfectius, dummodo partes sint bonæ, & perfectæ sicut Arist. limit. 6. Topic. at quamuis forma sit bona, & perfecta materia tamen est indiga boni, ac imperfecta, quia non est Ferchij responsio, sed Pererij, & Zimar. illam suo loco recipi disp.8.Phys. qu.2.art.2. nu.36. quia materia habet gradum perfectionalem determinatum in entibus, per quem distat à summo ente; tum quia materia est substantia, cum sit principium intrinsecum compositi substantialis, tum quia est perfectior quolibet accidente, & quodlibet accidens in suo genere dicit aliquam perfectionem; tum tandem quia est essentialiter ens, ergo includit saltim bonitatem entis primariam, quæ vel est passio entis, vel modus intrinsecus à qua bonitas, vel passio dimanat; deniq. de ista responsione tota, & citatione ex lib.6.Topic. dicam, quod ipse dixit respondens ad quoddam Pererij argumentum vestig.1.c.17. nu.53. *multa dicuntur, pauca probantur; vaga citatio textuum parum vtilitatis lector, parum conciliat auctori, quotus enim quisque est, qui vnius authoritatis consulendæ gratia totum librum legere velit?* ob quam oculatus, & rigidus est Ferchius in alios sibi omnia permittens. Vltima demum solutio in qua concedit compositum esse simpliciter imperfectius forma, est alijs absurdior, nam oppositum ostendi disp.Phys.8.cit.nu. 36. quia Arist. cap. de substantia ait primam substantiam, per quam intelligit compositum, ac ens per se subsistens directè in prædicamento positum, esse maximè substantiam; tum quia illud, quod includit omnem perfectionem alterius, & vltra hoc aliam superaddit, est perfectius simpliciter illo, sed compositum est huiusmodi respectu formæ, nam supra illam addit perfectionem materiæ entitatiuam, ac etiam propriæ tertiæ entitatis, quam admittit Ferchius in hac tertia solutione, ratio, qua probat, & confirmat hanc solutionem, est quod totum sit imperfectius simpliciter forma, quia est causatum à forma dependens essentialiter, posterius naturaliter ipsa &c. æque bene probat esse imperfectius materia, & iam soluta est superius nu. 91. vbere ex Scoto pluribus in locis quantum attinet ad causalitatem, & dependentiam totius à partibus; quantum verò ad posterioritatem, potius ex ista inferri deberet oppositum quia posteriora generatione solent esse priora perfectione 9. Met. 15. & deniq. licet forma sit actus dans esse specificum composito, est tamen actus informans, quæ actualitas annexam habet imperfectionem partis ex ipso Ferchio eodem lib.3. nu. 76. in defensione decimi argumenti, at compositum est actus subsistens quæ actualitas est longè perfectior actualitate informationis,

204 Denique ad aliam propositionem, quam adducimus ex 9.Met. 15. *prima generatione sunt posteriora perfectione*, oppositam illi, *perfectum est prius imperfecto tempore*, vt hanc ostenderemus non esse vniuersaliter accipiendam, sed indefinitè; respondet primò adnotationem huius propositionis ex nostro sacco non venire, sed à nobis fuisse notatam ex sua vestig.10.nu.69.ait deinde n.84. propositionem non sic haberi 9.Met.15.sed sic *quæ generatione posteriora, forma & substantia priora sunt, vt vir puero*, nos autem eam propositionem inuertere, quasi propositiones inuertere nihil referat; ait denique cuius sensum sciretis, si tex.13.non præcedentem legissetis? in eodem genito numero potentiam præcedere dicitur, simpliciter tamen actum esse priorem potentia, & perfectum imperfecto, vt generans genito, concluditurque tex. 17. non, *& quemadmodum diximus tempore semper præcedit actus, alius ante alium vsque ad eum, qui est primò mouentis*, notare particulam *semper*, nam mihi videtur vniuersalis, non indefinita; idem educite ex 12.Met.40.ex 14.Met.cap.4.ex 3.de Anim.19.27. Scotus cum Arist. est nam quol.13.C. affert ex 9. Met. 13. tex. sic, actus est prior potentia non solùm tempore & ratione, sed etiam substantia, hanc propositionem, vt maiorem in syllogismo ponit Scotus; ergo tanquam vniuersalem ponit. At de illo sale *ex vestro sacco* à baiulis deducto iam sup.dixi n.185.quod nos illam propositionẽ inuerterimus est mera impostura, nam ita apud alios reperitur, ita refertur à Doctore 1.d.5.qu.2.lit.O.& quol.13. supra lit.R.ita denique reperitur etiam in suo sacco loco ab ipso citato vestig.10.nu.69. Sed hæc omnia sunt dicteria, ac ludrica, at interim non video, quid ad instantiam respondeat, instantia est illam propositionem *perfectum est prius imperfecto tempore*, non esse vniuersalem, sed indefinitam, quia oppositæ propositio habetur ex 9.Met.15.*priora generatione sunt posteriora perfectione*; responsio est eam propositionem esse vniuersaliter veram, quod probat ex eodem.9.Metaphys.tex.17. & ex Scoto quol.13. quia actus est simpliciter prior potentia etiam tempore; hoc planè non est respondere, sed principium petere; hoc enim, est quod contendit instantia nostra, illam propositionem non esse vniuersaliter veram, quoniam in rebus generabilibus posteriora tempore sunt perfectione priora, quia natura procedit de perfecto ad imperfectum.

205 Sed adhuc ex illis eisdem textibus ostendo illam propositionẽ *actus est prior potentia* apud Arist.loquendo de prioritate temporis non esse vniuersaliter veram, & postquam enim Philosophus de actu, & potentia in se tractauit tex.13. & seq. comparat illa adinuicem quoad prioritatem, & posterioritatem, & inquit, *omni itaque tali* (scilicet potentia) *prior est actus & ratione, & substantia, tempore verò quodammodo quidem est, quodammodo verò non*, quibus vltimus verbis indicat eam propositionem quoad prioritatẽ temporis non esse vniuersaliter veram; pergit deinde Philosophus declarare istos tres modos prioritatis actus de potentiam, & probat in eodem textu esse absolutè priorem ratione, idest notione, ac definitione, quia potentia magis nescitur, & definitur per actum, quam è conuersò, nam possibile ex hoc dicitur possibile, quia potest habere actum, & ita ratio possibilis sumitur ex natura actus, ex hoc enim dicimus habere potentiam ædificandi, quia potest habere actum ædificandi, & potentiam speculatiuam, quia potest speculari; loquitur deinde de prioritate temporis, & inquit, quod in eodem numero potentia præcedit actum, prius enim materia fuit in potentia ad hominem, quam esset actu homo, & prius semen frumento, & visuum videnti; in diuersis autem numero actus præcedit potentiam, quia generans est prius genito, nam homo in potentia fit homo actu, & musicum in potentia fit musicum actu semper mouente aliquo primo, idest ab aliquo mouente primo reducitur ens in potentia ad actum, mouens autem, idest agens est iam ens in actu, ita exponunt hunc textũ Scotus, & Alensis; tandem tex.15. loquitur de alio prioritatis modo, qui quidem pertinet ad prioritatem perfectionis, & ait actum etiam substantia esse potentia absolutè priorem, *quia quæ generatione posteriora forma, & substantia priora sunt, vt vir puero, & homo semine*, quod sic ibidem declarat Alensis, quia in motu naturæ id, quod est prius in intentione, est posterius in executione, & quia natura procedit de imperfecto ad imperfectum; ideò perfecta sunt prius in intentione, sed tamen sunt posterius generatione, omne autem perfectum, vt sic, potentialitatem dicit respectu perfecti, perfectum autem dicit actum, & ideò sicut perfectum præcedit imperfectum intentione, & nobilitate, ita actus potentiam; & hoc est quod dicit (inquit Alensis) Arist. quod manifestum est, quod actus est prior potentia substantia, & specie, nam in his, quæ habent generationem, illa, quæ sunt posteriora specie, substantia, & intentione, sunt priora generatione; & è conuerso ea, quæ sunt posteriora generatione, sunt priora specie, & perfectione, eo modo quo dicimus, quod vir est prior puero perfectione, & non generatione, & homo sperma-te; ita Alensis.

206 Hinc tandem tex.17.prædicta epilogans concludit, quod actus est prior potentia, substantia idest perfectione, & secundum rationem, idest definitione, & etiam tempore, quemadmodum dictum est, semper enim præaccipitur vel præexigitur actus alius ante alium, secundum quem, scilicet agens est in actu, & hoc vsq.ad eum actum, quod est mouens, vel vt loquitur Arist. qui est primo mouentis; ex quo patet, quod cum ait *tempore semper præcedit actus* non intendit inducere vniuersalem prioritatem temporis in actu ad potentiam, quia talem vniuersalitatem excluſit supra tex. 13. dum dixit interdum actum esse priorem tempore potentia, interdum è contra; sed ly *sem-*

per

per refertur ad sensum, quò ibi declarauit actum semper præcedere potentiam, scilicet in diuersis numero, quia semper est alius ante alium vsque ad eum, qui est primo mouentis, alioquin in eodem numero potentia præcedit tempore actum; quod si illa propositio *actus præcedit tempore potentiam* esset vniuersaliter vera in sensu Ferchij, tunc esset vera non tantùm in diuersis numero, vt inquit Arist. sed etiam in eodem numero, quod tamen ipse negat, & in sensu Arist. assumit Scotus propositionem illam loc.cit.quol.13.lit.C. constat ergo actum esse priorem potentia simpliciter, & absolutè loquendo quoad prioritatem diffinitionis, & perfectionis, non verò temporis, quemadmodum etiam dictum est disp.6.Met.q.5. & hoc etiam sensu Pererius lib. 6.c.4.explicat formam esse materia priorem ordine, scilicet perfectionis, & intentionis, non autem ordine durationis; Queritur Ferchius propè finem lib.3. Defens. quod quosdam Peripateticos aliquantulum perstringamus, vt nimium fidentes actoritatibus eius, in cuius dictis vindictam stringit, & ipse virulentum calamum in immerentem & innocentissimum Præceptorem Scotum, cuius vtinam esset dignus corrigiam calceamenti soluere; in Cælum tamen scommata non ascendunt.

ARTICVLVS II.

An forma semel corrupta, vel à materia separata denuò redire naturaliter possit ad eandem materiam informandam.

207 FErchius vestig.6.lib.6 cap.10.& 14. vt argumentum euitaret de infinitate animarum rationalium ex asserta animæ immortalitate, & suppositа mundi æternitate in Arist. sententia admisit animarum circulationem in humana corpora, adeout naturaliter, seu secundum communem naturæ cursum eadem anima iam à corpore separata redire possit, imò de facto redeat procedentibus seculis ad idem corpus humanum, si non numero, saltim specie idem informandum. Hanc animarum circulationem, & regressum in humana corpora siue eadem numero, siue solum specie, vt ipse profitetur latè impugnauimus, & reprobauimus disp.5.de gener.q.7. art. 2. vt impium in fide catholica, & vt erroneam, fictitiam, ac fabulosam in vera Philosoph a, ac denique vt minimè fundatam in Aristot. Hinc Ferchius totum lib. 4. Defens. impedit in defensionem huius circulationis; quam conqueritur nos denigrasse vocando eam fabulam, & figmentum, quod non fecerunt nec D. Aug. nec Scotus; ita loquitur lib.4.cap.2.nu.10.& quia eius impietatem opinionis ostendimus cum Scoto 4.d.43.q.3. §. *hic sciendum*, & D.Aug.12.de Ciuit.Dei cap.13. vt refert Doctor, quibusdam scripturæ locis præsertim Psalm. 11. *in circuitu impij ambulant* per quos impios explicat S.Aug.Philosophos animarum circulatores; & per rationem de beatitudine, quia secundum istum circulum nulla esset vera beatitudo, pro eo quod anima beata reditura esset ad miserias, quas prius habuit, & ita dù beata est, aut credit se numquam rediturам, & sic falsa opinione beata est, aut credit se rediturам, & tunc timet, & per consequens non est beata. Respondet subnexum nu.10.quod S.Aug. & Scotus in Theologia scribunt, vnde procedunt ex principijs reuelatis, nempe scientia supernaturali spiritualibus spiritualia comparantes; & nos in Philosophiam naturalem, quæ procedit ex naturaliter notis, adducimus auctoritates rationes, quæ non sunt naturaliter notæ, & petimus principium procedendo ex ignotis; & sic infra nu. 25. hanc D. Aug. rationem deductam ex beatitudine dissoluit dicens procedere ex supernaturaliter notis, quia perpetuitas beatitudinis non est naturaliter nota, vnde sic arguendo, anima est beata, ergo perpetuo est beata, inquit sophisma committi figuræ dictionis mutando quale in quando.

208 Cæterum Ferchius capere non vult punctum à nobis toties inculcatum, quod sicut profitati sumus in epistola limitari ad Lectorem tomo physico in prima editione, non suscipimus puram, & etgnicam Arist. philosophiam tradere, & explicare, sed philosophiam in se, ac veram, & Christianam Philosophiam, quæ Theologiæ debeat inseruire, eliminatis erroribus Arist. quare cũ ita res se habeat, ex primo nostro instituto tenemur in philosophia refellere opiniones, quæ nostræ Theologiæ aduersantur, nedum ex principijs naturalibus, sed etiam reuelatis; Deinde ratio D. Aug. si bene ponderetur, non procedit ex sola conditione perpetuitatis beatitudinis, sed etiam ex ipsa ratione beatitudinis in se, de cuius ratione est, vt excludat infœlicitatem, & miseriam, cui directè opponitur, saltim pro eo tempore, quo anima ponitur beata; fœlix namq; ille est, qui nunquam efficitur miser 1. Ethic. capit.10. vbi ad fœlicitatem videtur Aristot. exigere etiam perpetuitatem, at non excluderetur data hac animarum circulatione, quia vel anima beata crederet se nunquam rediturам, vt arguit Aug. sic falsa opinione beata esset, quæ non esset vera beatitudo, aut credit se rediturам, & tunc timet; & per consequens nec adhuc esset beata, hoc est Augustini argumentum, non autem illud sophisticum; ad quod conatur Ferchius reducere argumentum Augustini. Neque de nobis conqueri debet Ferchius, quod hanc suam circulationem figmenti, & fabulæ denigrauerimus titulis, nam adhuc longè grauiori censura fœdauit eam, atque damnauit S. Bonau. Seraphicus Doctor, cuius doctrinam ipse confitetur, 2.d.1.ar.1.q.2.propositione, quinta, probans enim ibi mundum non esse ab æterno, quia nunc extarent infinitæ animæ rationales, quia sunt formæ incorruptibiles, præoccupat Ferchij responsionem hoc modo. *Si tu dicas ad hoc, quod circulatio est in animabus, vel quod vna anima est in omnibus hominibus; primum est error in Philosophia, quia vt vult Philosophus, proprius actus est in propria materia; ergo non potest anima, quæ fuit perfectio vnius esse perfectio alterius etiam secundum Philosophum*, quibus vltimis verbis etiam aliam Ferchij euasionem præcludit, cum ait hanc circulationem tueri ad aures Arist. dicit enim S.Bon. hunc esse errorem etiam in philosophia Arist. & paulò infrà in fine resolutionis quæsiti iterum repetit *Ad vitandam autè infinitatem actualè necesse fuit ponere, aut animæ rationalis corruptionem, aut vnitatem, aut circulationẽ, & ita auferre beatitudinem; vnde iste error & malum habet initium, & pessimũ finẽ*; determinat itaque Seraphicus Doctor hanc opinionem de animarum circulatione, nedum erroneam esse in fide catholica, ac in vera, & Christiana Philosophia, sed etiam in Philosophia Arist. vt hoc pacto omne præcluderent effugium impijs Circulatoribus ad hunc errorem defendendum, eandem rursus refutat 2.d 18.art.2.quæst. 2. vbi vocat nedùm errorem, sed etiam somnium in Philosophia. Eandem quoque fert censuram in hanc opinionem Alphonsus de Castro aduersus hæreses verbo *Anima* hæresi octaua quam posteàquam confutauit etiam naturali ratione, appellan.poetarum figmentum, si quis Platonem imitatus dicat, cum in aliud corpus animæ transfunduntur, præteritorum obliuiscì, & tandem concludit, *ex quo aperte conuincitur hanc doctrinam non solum à fide catholica, sed etiam à vera Philosophia esse alienam*, & sic etiam loquitur *Triumphus catholicæ veritatis aduersus omnes hæreses*, editus à D.Ambrosio à Mediolano de Rusconibus de Cumis Monaco Casinensi referendo acta Albigensium, & Albanensium hæresi octaua, non ergo absque magno fundamento hanc opinionem figmentum, & fabulam appellauimus & Tatar.4.d.43. quæst. 2. vocat fatuam; Nunc itaque videamus quomodo occurrat Ferchius rationibus quibus loco citato hunc errorem reprobamus disput.5.de gen.q.7.artic.2.

209 Prima ratio incipit ibi nu.168.quia siue hæc circulatio admittatur in quæcunque corpora animalia promiscuè, siue in sola humana, vt tenet Ferchius ad Arist.mentem suppositа mundi æternitate, coguntur Circulatores isti admittere animarum regressum ad eadem corpora etiam numero post varias aliorum corporum informationes, cur enim post multas annorum centurias contingere nequit, eandem materiam ab eadem rursus anima informari? & sic in opinionem incidunt Platonicis adscriptam, quod procedentibus sæculis post compleram circulationem octauæ sphæræ ijdem omninò effectus redibunt qui antea fuerunt; & sic dicimus contra ipsos procedere rationes ibidem præcedenti num.167.factas contra Platonicos, & omnia absurda contra eosdem inducta, præsertim illud quod omnes actus liberi tollerentur ex parte voluntatis nostræ, nam si redituri sunt ijdem omnino effectus eadem cœlesti circulatione redeunte; ergo necesse erit in eadem prolabi peccata in hoc sæculo, quæ in superiori patrata fuere, nec liberum erit cuique vxorem ducere, vel in cœlibatu permanere, cum ad eundem statum vitæ ciuilis redire cogatur in hoc sęculo, quem habuit in elapsis.

Ferchius lib.4. huic rationi multipliciter occurrit, & in primis c.1. ait nos falsò hanc opinionem de eodem numero reditu rerum post completam circulationem octauæ sphæræ Platonicis tribuere, & falsum quod hoc referant D.Aug.lib.12.de Ciuit.Dei cap.13. D.Hier. in cap.1.Eccl. Deinde cap.2.nu.14.ait rationem adductam ex absurdo, quod tollerentur omnes actus liberi, ex Scoto transcriptam non concludere, cum multi Catholici teneant in actu libero stare necessitatem cum libertate; qui enim ponunt omnes actus liberos ab æterno prædeterminatos cum premotione physica in voluntate, siue absque illa, ponunt consequenter necessario in sensu composito elici actus, nunquam enim elicitur actus in sensu diuiso; cum hac tamen necessitate tenent libertatem; negat deniq. posse vnquam contingere, quod eadem anima reuertatur ad eandem numero materiam informandam, & rationem assignat c.2. nu.13. ex eodem Scoto 4.d.43. q.3.C. quoniam per actionem liberam potest materia diuerti ab illo statu, in quo prius erat, & per actionem talem esse diuisa, & dispersa (vbi non in nostro textu irrepsisse errorem, cum ibi legatur *per actionem naturalem*, de quo nos vehementer Ferchius coarguit, quia re vera *per actionem talem*, Doctor intelligit actionem liberam, de qua immediatè antea locutus erat, vnde legendo naturalem emergit sensus omninò oppositus; sed re vera non fuit noster error, qui integram rationem ex Scoto transcripsimus, quæ habetur sub lit. C. sed Typographi, quia cum inueniret dictionem *talem* non satis in prima litera apertam, accepit *talem*, pro dictione *naturalem*, abbreuiata) addit etiam materiam primam esse diuisibilem in infinitum, nam quando diuiditur magnitudo, diuiditur, & subiectum, cum ergo sint infinitæ partes proportionales in materia, possintq. in ipsa esse infinitæ diuisiones, & coniunctiones, ac proindè & infinitæ congregationes, & disgregationes partis cuiuslibet cum qualibet, infinitum autem est impossibile pertransire; idcircò cum infinitis dispersionibus pars à parte segregetur, non est possibile, vt omnes partes eædem quæ integrant vnam materiam numero adæquatam vni animæ, iterum congregentur.

210 Sed in primis disp.5.qu.7. nos absolutè non diximus eam opinionem de reditu eorundem numero effectum post multa sæcula esse Platonicum, nec vt talem referri à S.S.Aug. & Hier. loc.cit. sed diximus eam opinionem Platonicis adscribi solent ab Auctoribus, hæc

hæc enim sunt nostra formalia verba à quæstionis *prima opinio extrema, quæ Platonicis solet adscribi &c.* & ita re vera est, quod Auctores passim cum Platonicis adscribere solent, ita Marginistæ Scoti ibid. 4. dist.43. quæst.3. ab initio & Tatar. ibid. non longè à principio testatur hanc fuisse veram opinionem Platonis, Pererius lib.6. de formacap.24. Auersa quæst.37. suæ phil.sect.9. & alij passim, Toletus etiã, & Bannes 2.de gener. quæst.vlt.dicunt hanc opinionem Platoni solere adscribi, sed plures ex eius Sectatoribus non eam admittere, vt Platonis sententiam, & præsertim Iamblicum; non ergo erraui mus dicendo hanc opinionem solere Platonicis adscribi, Neque etiam Joc. citauimus D. Augustt. Hier. Fisin. & Alcin. vt testes, quod hæc fuerit Platonis opinio, sed vt referentes illam opinionem, quam dixeramus Platonicis adscribi, nam & in hac quæstione, & in alijs nunquam mens nostra fuit impugnare opinantes, sed opiniones, cuiuscumque illæ fuerint, Verum tamen est, quod licèt D. Augustt. 12. de Ciuitate Dei cap.13. opinionem illam non referat, vt Platonis, sic tamen eam referre videtur lib.22. de Ciuit. Dei cap.27. vbi comparans ad inuicem opiniones Platonis, & Porphyrij de anima rationali sic loquitur; singula quædam dixerunt Plato, atque Porphyrius, quæ si inter se communicare potuissent, facti essent fortasse Christiani, Plato dixit sine corporibus animas in æternum esse non posse, ideò enim dixit etiam sapientium animas post longum tempus tamen ad corpora redituras, Porphyrius autem dixit animam purgatissimam, cum redierit ad Patrem, ad hæc mala mundi numquam esse redituram; dicat itaque cum Platone Porphyrius, redibunt ad corpora, dicat Plato cum Porphyrio non redibunt ad mala, & ad ea corpora redire consentient, in quibus nulla mala patiantur; hæc itaque non erunt, nisi illa, quæ promisit Deus beatas animas in æternum cum sua æterna carne facturus; hæc ibi D.Aug. ex quibus aperte constat Platonem apud ipsum huius opinionis fuisse, quæ passim ei adscribitur, pro qua etiam citatur à Mairon.4.dist.46.quæst.2.imò & à S.Ron.2.dist.18.art.2. qu.2.in corpore.

211 Responsio verò quam affert ad Scoti rationem ex nostra libertate deductam, quod data hac positione non concludit, quia Catholici quamplures tenent in actu libero stare necessitatem cum libertate, est omninò extra propositum, nam Catholici necessitatem, quam dicunt stare cum libertate, dicunt esse necessitatem consequentiæ, & ex suppositione diuini decreti, non autem consequentis; at ex præfata positione redirent ijdem omnino actus voluntatis nostræ ex reditu eiusdem cælestis circulationibus, & astrorum aspectus, vnde cum redirent ijdem in virtute naturalis causæ, planè talis eorum necessitas ne dum esset consequentiæ, sed etiam consequentis, talis est enim necessitas effectus à causa naturali pendentis, quæ libertatem omninò destruit. Ratio denique quam adducit n.13. ad interrogationem nostram, cur nequeat post multas annorum centurias eadem numero materia eadem rursus anima informari, quia per actionem liberam potest materia diuerti, & dispergi, friuola est, quia sicut per actionem agentis liberi potest materia ab eodem situ diuerti, ac dispergi, sic pariter poterit per actionem eiusdem agentis ad denuo dispersam coadunari, & ad eundem situm reduci; & per eam rationem non intendit Doctor probare impossibile esse naturaliter redire eandem materiam sub eadem numero forma, sicut Perchius intendere videtur nostræ interrogationi respondens, sed tantum probare intendit hoc non necessario futurum esse ex vi circulationis cælestis, vt aiebat opinio Platonicis adscripta; Quod tandem aiebat de diuisibilitate materiæ in infinitas partes, ex qua deducebat nunquam naturaliter posse eandem materiæ portionem reparari, vt eadem forma informetur, refellitur ex Scoto 4. d.43. q.3. F. ad rationes pro 3. opin. quia pars materiæ eadem non obstante diuisione materiæ manet; ergo in illa parte reduceretur eadem forma, quæ prius, si non propter aliud impeditur reditio eiusdem formæ, nisi propter alietatem materiæ, & tunc generatum nouum esset partim numeraliter idem ei, quod præfuit, partim diuersum; quia pro illa parte materiæ, quæ manet eadem, esset genitum idem prius corrupto, similiter naturaliter potest eadem materia saluari tota sine diuisione, vt potè ignis in vrinali inclusus conuertatur in aerem, & è conuersò totus ille aer conuertatur in ignem, hic non est dispersio materiæ, quare concludit Doctor per hanc diuisionem, & dispersionem materiæ non benè euitari regressum eiusdem numero formæ naturaliter, vti concedit Perchius; Tum quia si infinitæ sunt possibiles segregationes, & congregationes partium materiæ, infinities quoque supposita mundi æternitate iuxta positionem redire debent ijdem effectus numero in hoc vniuerso, & ideò non videtur impossibile, vt aliquando contingat earundem particularum materiæ congregatio, quæ alias fuit, vt sub eandem formam transire possit.

212 Videns itaque Perchius per hoc non satisfieri argumento, inferius eodem lib.4.num.18. vt magis fundatè respondeat, nostram accipit solutionem, quam præoccupando indicauimus disp.5. cit. art.2. num.168. illis verbis. *Nec dicat Perchius semper animam in corpus nouũ regredi, quia licet redire possit eadem materia, quia hæc non corrumpitur, sed permanet eadem in genito, & corrupto, non tamen redire potest eadem mixtionis forma, quæ corpus constituit, quia hæc corrumpitur.* Hanc, inquam, nostram solutionem libenter accepit Perchius, quam ampliat, & declarat num.18.19.20.21. vbi hoc iacto fundamento, tanquam à se inuento, nec à nobis præuiso, sic nos alloquitur; *conuertite vos in quamcunque faciem, in quemcunque ventum, non poteritis ipsum destruere, potest canis rabidus saxum iniectum dentibus constringere, confringere non potest*, quibus rabidis verbis potius se rabidum canem ostentat, quam nos. Verùm immeritò sibi arrogat solutionem, quam nos ipsi suppeditauimus, & quamuis hoc negare contendat c.3. num.23. dicens hanc solutionem quoq; dedisse vestig.6. tamen quia longissima est, ac in duos libros distributa, citare debebat locum per capita, vel numeros, vbi talem assignauit solutionem, vaga citatio, vt ipse inquit vestig.1.c.17.n.53. per integros libros parum vtilitatis lectori, parum fidei conciliat auctori; in ea vestig.6. bis ex professo tractat de hac circulatione lib.2.c.10. & 14. & nullibi ex his locis, inuenire potui hanc solutionem, de qua adeò gloriatur, vnde palam est hanc ipsum apud nos conspexisse, sibi placuisse, & appropriasse. At hæc quoq; solutio licet longè melior præcedenti, refellitur, primo quia innititur puncto de forma corporeitatis in viuentibus posita præter animam, quod non est minus controuersum, quam punctum, quod præ manibus habemus. Tum quia non probauit Perchius, vt debebat pro hac solutione fundanda, formam mixti separabilem non esse naturaliter numero eandem, nisi per auctoritatem Arist.2. de gener.c.vlt.quæ corrumpuntur secundùm substantiam non eadem numero redire, sed specie quam Scotus 4.d.43.q.2.§. *Quantum ad istum articulum*, ostendit opus non esse, quod intelligatur vniuersaliter, & de quocunque effectu omninò, sed vt in pluribus; imò ibidem §. *De 2. articulo*, ait possibile esse naturæ reducere corpus mixtum idem supposita tertia opinione in præced.art. quod probat, quia si talis opinio sit vera, quandocunque materia tota eadem approximatur agenti eidem sine impedimentis potest reduci idem, nec tantum eidem agenti numero, sed eidem secundum speciem, quia identitas secundum speciem in agente æquiualet identitati numerali; probatio, si in isto instanti hic ignis ex illo ligno generat ignem hunc, & si in eodem instanti ille alius ignis esset approximatus eidem ligno, generaret eundem ignem; sed possibile est totam materiam, ex qua formabatur corpus istud, alias in generatione naturali esse iterum sub forma seminis, & menstrui in alia matrice, sicut probatur per dictum Gregorij moral.4. & ponitur lib.2. dist.20. q.2. ergo tunc in alia matrice formaretur idem corpus minimum. Tum quia etiamsi de facto concedamus nec omnes, nec aliquos effectus redire eosdem numero, secundum communem naturæ cursum, nulla tamen intrinseca impossibilitas assignari potest aut ex parte affectuum reproducibilium, aut ex parte causarum, sed solum extrinsecum impedimentum, vt latè probamus cum Scoto qu.cit.art.2. num.173. & consentit Perchius ipse lib.4.numer.13. cum reddens causam, cur nequeat idem omninò effectus reuerti, ait iure statutum est, vt idem non reparetur, sed nouum producatur, ne scilicet aliquid nimirum, aliquid nihil de actu participet ex infinitis singularibus affectibus ab eadem causa possibilibus, non ergo absolutè, & intrinsecè implicat redire virtute causarum naturalium eandem mixtionis formam, & in eadem materia, sed tantum per extrinsecum Auctoris naturæ decretum, quia si eandem facit redire animam procedentibus sæculis, nulla potest reddi ratio conuincens, cur quoq. non eandem permittat redire formam mixtionis sub eadem materia. Deniq. si hæc solutio valida est, non piget, gloria nostra erit, & quod solida sit, & quod Perchius dignatus sit eam à nobis mutuare.

Secunda ratio propugnata.

213 SEcundum argumentum contra animarum circulationem ponitur à nobis disp.5. cit.q.7. art.2. n.168. quia rationes factæ contra Platonicos n.167. absolutè impugnant circulationem animarum, siue in eadem corpora numero, siue specie, sic enim tollitur vera beatitudo animæ, vt constat ex discursu Augustini relato contra Platonicos, nam reditura esset ad miserias, siue in eodem numero, siue in eodem specie corpore, parùm refert; quem discursum D. Aug. esto conetur Perchius inualidum ostendere nu.25. sufficienter tamen munuimus supra, & contra eius solutiones propugnatus est nu.208. ab initio articuli. Et quia sæpè solet hic Auctor euadere dicendo id asserere in sententia Arist. supposita mundi æternitate, non autem secundum veritatem; ibidem hoc effugium præclusimus quia candidiores Philosophi de mente Arist. immortalitatem animæ defendunt, vt in statu separationis beari possit; sed hanc non assequitur, si ponatur immortalis, & separabilis cum debito regrediendi ad corpora semper, atque adeò nihil refert animam statuere immortalem, & separabilem hoc modo, vel absolutè mortalem; ad quid enim hæc immortalitas, quæ animam in meliori statu non ponit, quam mortalitas ipsa? sanè minimè opus erat, vt tam prolixa disput. Perchius Alexandreos assertores mortalitatis animæ insectaretur, & redargueret, si adeò exilem, & seruilem immortalitatem ei adscribere volebat, nam tandem dat eis manus, ad destruendum alium animæ statum, in quo rectè gestorum præmia referat, malè verò pœnas luat, vnde satius fuisset, quod cum eis in animæ mortalitatem consensisset, quam cum Pitagoreis in eius regressum ad corpora, fabulosior siquidem est animarum circulatio etiam in sola corpora humana, quam ipsa mortalitas; & vtique ex Philosophia potiores rationes habemus, & ex Aristot. plura loca pro animæ mortalitate, quam pro eius circulationes; ita ibi.

214 Quoniam veritas odium parit, discursus hic noster Perchij præcordia vulnerauit, ac ideò in furorem egit, vt lib.4. n.27. nedum

contra

contra nos, sed omni pudore posposito contra omnes Scotistas, & contra Scotum ipsum præceptorem laxatis habenis ad iram furere, ac debacchari audeat his verbis; *Ita est, vt dicitis, vincat veritas, candidiores Philosophi sunt, qui supposita mundi æternitate defendunt ad mentem Aristot. animæ immortalitatem; sed Scotus vester Doctor Subtilis secundum Aristot. defendit animam esse mortalem propter æternitatem motus sic Ioannes Bassolius, Petrus Tatar. Philippus Fauentinus, sic ves quoque qui animam intellectiuam esse mortalem tenetis; ergo & Scotus & Scotistæ nigro luto Epicuri exclusi sunt à candidioribus Philosophis, & inter nigriores inclusi*, prosit vobis; Hæc iniquissimè & mendacissimè Ferchius in Scotum, & Scotistas, quam calumniam in Scotum non semel inculcat supra lib. 3. Defens. cap. 1. num. 5. inquit, *Scotus Doctor vester 4. dist. 43. qu. 2. proponit istas duas enunciationes, prima, Anima intellectiua est immortalis, atque pro ipsa auctoritates, & rationes ex alijs profert, & dissoluit, secunda, Anima intellectiua est mortalis, & ex se affert pro ista auctoritates, vel rationes, nec tamen soluit*, ex quo subinfert num. 6. quod *Scotus deseruit defensionem veritatis catholicæ, quia noluit defendere veritatem istam, anima est immortalis, quando voluit soluere argumenta, quæ contra ipsam attulit*, Inferius etiam eodem lib. 3. cap. 6. eandem calumniam vehementius inculcat, nam n. 30. inquit *Alexandrinus quidam, nempe vester Doctor argumenta pro hac propositione negatiua anima non est mortalis, omnia soluit argumenta pro hac affirmatiua, anima est mortalis, nulla soluere voluit*, & sub nu. 32. *Scotus 4. d. 43. q. 2 proponit istas duas, anima intellectiua non est mortalis, quæ vera est, & anima intellectiua est mortalis quæ falsa est, omnes auctoritates, & rationes pro veritate factas ad vnam vsque diligentissimè soluit, auctoritates, vel rationes pro falsitate nullatenus, soluit* & sub eodem numero paulò infra *dico Scotum debuisse, & iure philosophico, & iure theologico soluere argumenta pro negatiua, atq. cum hoc non fecerit, nec boni Philosophi, nec boni Theologi esse functum officio, quia fecit contra finem intentum à Theologo, & Philosopho, quę debuit soluere, non soluit, quę debuit defendere, non defendit, quę debuit probare, non probauit, quę debuit non probare, probauit*.

215 Deinde eodem cap. num. 33. *hinc duo mala secuta sunt, primum in Doctoribus qui animaduertentes Scotum scripsisse contra Fidem Catholicam sic, vt argumenta pro veritate destrueret, & argumenta contra veritatem catholicam construeret, & constructa relinquet, sed in fine quatuor verba bona proferret ad lectorem fallendum, ex his apparet, quanto sint gratię referendę misericordię creatoris &c.* & alia plura contumeliosa prolequitur ibi contra pijssimum Doctorem, & præceptorem suum ingratissimus homo. Et infra num. 37. ita *ait quidem falsitas ista, qua Scotus probatam reliquit, est capitalis*, & tandem in fine capitis concludit, & totum virus effundit. *Dico Scotum malefeciſſe, quia contra veritatem Fidei Catholicę probauit hęresim, & probationes non soluit*, At non contentus adeò immortaliter infamasse pijssimum Doctorem appellando Alexandrinum, & animæ rationalis interfectorem toto lib. 3. locis citatis; Iterum lib. 4. n. 27. sermonem blasphemum redire facit in præceptorem appellando ipsum Epicureum, & luto Epicuri exclusum à candidioribus Philosophis; & inferius n. 36. inquit Scotum probasse falsitatem falsitate falsificando nimirum textus duos Aristot. 4. d. 43. q. 2. supra I. & infra K. & quia hanc calumniam crebrò quoque nobis impingit, subinfert per contemptum summum, *vos sanè eritis imitatores præceptoris vestri in referendis auctoritatibus*; hæc omnia in subtilissimum Doctorem scommata, & conuitia ad verbum referre volui, vt omnibus futuris seculis, constet insolens ac temerarius ausus discipuli in Magistrum, Astianactæ in Hectorem, & minutuli muris in Indicum Elephantem; vtarq. eius verbis, quæ habet in fine primi libri nostram exaggerando feracitatem in alios Auctores; tædet hæc & legisse, & scripsisse, qui plura volet, & ad nauseam vsque legat Ferchij librum, & talia contra Scotum eraculata reperiet maledicta, qualia nunquam ausi sunt dicere infensiores Scoti Aduersarij, & gloriæ eius æmuli.

116 Nescio planè quinam insanus furor hominem hunc impulerit in tot scommata, & conuitia in pijssimum præceptorem, quem alias adeo extulit supra alios Doctores tum vitæ puritate, tum doctrinæ integritate, & pietate tam in vita eiusdem, quam in Apologia pro eodem; væ qui dicitis, bonum malum, & malum bonum, inquit Propheta; ab hac ingenti, & immanissima impostura Scotum cum suis discipulis vindicabo, primò ex ipso Ferchio, deindè ex resolutione eiusdem Scoti in ea quæst. de animæ immortalitate 4. dist. 43. q. 2. Ferchius vestig. 6. lib. 2. cap. 6. de Arist. sententia in hac re tres ait vigere Peripateticorum sententias; prima est communior, quod anima sit immortalis; secunda, quod mortalis, quam c. 7. ait esse Alexandrinorum, dicentium Arist. assertiuè tenuisse animæ rationalis mortalitatem. Tertia denique, licit Aristotelem dubium, cum hoc tamen, quod magis in immortalitatem consenserit, & expressius hanc pluribus auctoritatibus docuerit, licèt quædam alia habuerit principia, quæ in dubitationem eius animum reuocabant, & suspendebant, & hanc esse ait opinionem Scoti, & Scotistarum, fideliter, & veracissimè; imò in eodem c. 6. nu. 95. contendit Scot. quol. 21. Q. non amplius dubium, & ancipitem potuisse Aristotelem de animæ immortalitate, sed certum, ac sine vlla hæsitatione. Si igitur ex eius relatu talis est sententia Scoti, & Scotistarum, eamq; omninò discriminauit à sententia Alexandrinorum assertiuè tenentium animæ mortalitatem in Aristot. qua conscientia, qua fronte ausus est postea toto lib. 3. & 4. defens. Scotum cum suis sequacibus appellare Alexandrinos, ac Epicureos, animæ interfectores, mortalitatis assertores? & præsertim nos, qui in proprio quæsito de hac re disp. 1. de anim. qu. 10. num. 133. pro resolutione quæsiti talem statuimus de mente Scoti conclusionem *Dicendum est animam rationalis immortalitatem esse de Fide, & prostatu isto, quamuis efficacissimis rationibus probetur, non tamen vera, & rigorosa demonstratione ostendi posse; Aristotelem autem, licet hanc veritatem agnouerit, illam tamen non ita clarè, ac indubitanter docuisse, sed cum aliqua formidine ad oppositum*, deinde num. 134. probamus ab initio, quod Arist. agnouerit hanc veritatem ex multis locis ipsius; & tandem in fine eiusdem numeri concludimus, quod licèt Aristot. ex quibusdam eius principijs habuerit formidinem ad oppositum, tamen illa ipsa loca ad bonum sensum deduci posse propter consuetam eius loquendi obscuritatem, & magis ad immortalitatem inclinasse, quia immortalitatem expresse asseruit, licèt non demonstrauerit, mortalitatem verò nusquam, sed solum ex quibusdam principijs, & propositionibus deducitur; & sic etiam adamussim loquuntur Scotistæ alij Scotum secuti; ergo iniquissimè, & mendacissimè Scotus, & Scotistæ recensentur à Ferch. inter Alexandrinos, & Epicureos, nunquid Scotus tenet cum Alexandrinis intellectum agentem esse Deum; vt animæ mortalitatem defendat?

217 Sed breuiter videamus etiam Scoti progressum in 4. d. 43. qu. 2. vbi ait Ferch. Scotum tanquam Alexandrinum animæ mortalitatem docere; Scotus in ea quæstione quærit, Vtrum possit esse notum per rationem naturalem resurrectionem generalem hominum esse futuram; respondet in corpore quæsiti ex tribus propositionibus posse concludi propositum, & si illæ omnes ratione naturali essent notæ, haberemus propositum, sunt autem illæ; Prima, *anima intellectiua est forma hominis specifica*; secunda *anima est incorruptibilis* ex quibus sequitur, quod forma specifica hominis sit incorruptibilis; additur tertia, quod *forma specifica hominis non remanebit perpetuo extra corpus*; Ex quo iam patet primum Ferchij mendacium, cum ait Scotum ibi proponere has duas enunciationes. *Anima intellectiua est immortalis, anima intellectiua est mortalis*; nam in responsione ad quæstionem proponit tres propositiones iam relatas, non verò duas à Ferchio allegatas; Deinde procedit ad indagandam veritatem singularum, aitque primam non tantum ex fide, sed etiam ex ratione naturali esse notam; De secunda propositione incipit vestigare sub lit. H. & pro parte affirmatiua scilicet, quod anima intellectiua sit immortalis varias Aristotelis auctoritates, & rationes adducit; pro negatiua verò duas duntaxat auctoritas ex Aristotele adducit; prima est ex 7. Metaph. cap. vlt. vbi vult, quod omnes partes, quæ possunt manere separatæ à toto sunt elementa; idest partes materiales, & præter tales necesse est ponere in toto aliquam formam, qua totum est illud, quod est, quæ non potest manere separata à parte materiali toto non manente; ergo si concessit animam intellectiuam esse formam hominis, non ponit eam manere separatam à materia toto non manente. Præterea principium videtur apud eum, quod incipit esse, desinit esse, vndè 1. de Cœlo contra Platonem videtur habere pro impossibili, quod aliquid inceperit, & sit perpetuum, & incorruptibile, & 3. Phys. c. de infinito, Cuius est principium eius finis est.

218 Propositis hoc modo auctoritatibus, & rationibus pro vtraq; parte, sub lit. I. resoluit quæsitum de secunda propositione, an sit naturaliter nota, & inquit. Potest dici, quod licet ad illam secundam propositionem probandam sint rationes probabiles, non tamen demonstratiuæ, imò nec necessariæ; & quod adducitur pro ea secundum primam viam de auctoritatibus Philosophorum dupliciter potest solui, vno modo quia dubium est, quid Philosophus circa hoc sensit, variè enim loquitur in diuersis locis, & habuit diuersa principia, ex quorum aliquibus videtur sequi vnum oppositum, ex alijs aliud; vndè probabile est, quod in illa conclusione semper fuerit dubius, & nunc magis accedere ad vnam partem, nunc ad aliam iuxtà hoc quod tractabat materiam consonam vni parti magis, quam alteri. Est & alia responsio realior, quia non omnia dicta à Philosophis etiam assertiuè, erant ab eis probata per necessariam rationem naturalem; sed frequenter non habebant, nisi quasdam probabiles persuasiones, vel vulgarem opinionem præcedentium Philosophorum; vnde quandoque Philosophi acquiescunt propter suas persuasiones probabiles, quandoque propter assertiones suorum principiorum præter rationem necessariam, & illa responsio sufficeret ad omnes auctoritates, licet essent expressa, quod non concludunt propositum; ita Doctor, per quam secundam responsionem concedit Aristotelem tenuisse assertiuè immortalitatem animæ, non tamen per rationem naturalem necessariam, & rigorosè demonstratiuam, itaquod aliquo modo solui non possit, & ideò soluit postea auctoritates, & rationes, quæ fuerant pro immortalitate adductas, non vt ostendat Arist. de hac re fuisse dubium, vel tenuisse animæ mortalitatem, sed vt ostenderet non probasse immortalitatem assertam ratione omninò necessaria, & demonstratiua; Ex quo constat Scotum, non nisi per summam calumniam à Ferchio Alexandrinum dici nam ipse concedit Aristotelem expresse tenuisse immortalitatem animæ (licet id non probauerit rigorosa demonstratione) quod directè Alexandrini negant, & ideò inter candidiores Philosophos computandus est, non inter Epicureos.

219 Deindè §. *de tertia propositione*, ad tertiam illam propositionem trutinandam descendit, ac deniq; lit. T. quæsito principali respondens

dens ait, *Dico ergo, quod illarum trium propositionum, ex quibus formatur ratio ad resurrectionem quodammodo à priori, quia sumptæ sunt à forma hominis resuscitandi; prima est naturaliter nota, sed alia duæ non sunt sufficienter nota ratione naturali, licet ad eam sint quædam persuasiones probabiles; ad secundam quidem plures probabiliores, vnde & illam videtur magis expressè sensisse Philosophus; ad tertiam autem pauciores, & per consequens ex istis non est per illam viam sufficienter nota ratione naturali.* Hinc tandē concludit lit. X. ac etiam in fine quæstionis secundam propositionem, scilicet de immortalitate animæ, non teneri per rationem naturalem, quæ demonstratiuè necessitet ad assensum sed per fidem, & euangelium dicente Christo nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; Quod etiā inibi probat auctoritate D. Augustī. 13. de trin. ca. 9. vbi hoc apertè docet his verbis: *humanis quippe argumentationibus hæc inuenire conātes vix parui magno præditi ingenio abundantes ocio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt; fides autem ista totem hominem immortalem futurum, qui vtique constat ex anima, & corpore, & ob hoc verè beatum, non argumentatione humana, sed diuina auctoritate promittit*, quibus verbis D. Aug. docet acutissimos Philosophos omnibus conatibus suis vix tantum potuisse animæ immortalitatem agnoscere, non autem plenè, & euidenti argumentatione humana, ideoque potius teneri per certitudinem fidei quam demonstrationis.

220 Ex dictis itaq. patet, quare Scotus explicitè non soluerit duas illas auctoritates, quas adduxit pro animæ mortalitate, & quidem exigui momenti, vt Ferchius ipse fatetur, quia procedunt ex communibus, non ex proprijs, de quibus tamen tot iurgia excitauit, quasi Doctor hæreticus, vel hæresiarca euaserit ipsos non soluendo, sic enim loqui non pudet ipsum de pijssimo Præceptore lib. 3. nu. 5. Nam de sensu Arist. inquit §. *potest dici*, nos posse dupliciter discurrere, primò dicere possumus, quod fuerit dubius, variè enim loquitur in diuersis locis, & habuit diuersa principia ex quorum aliquibus videtur sequi mortalitas, & ex alijs immortalitas; deinde realius, & magis ad intentionem Philosophi dici potest, quod assertiuè tenuerit immortalitatem, non tamen per rationes omninò demonstratiuas, sed solum valdè probabiles, quia non omnia dicta à Philosophis etiam assertiuè, erant ab eis probata per necessariam rationem naturalem; discurrendo de mente Arist. primo modo, vt ostendatur Arist. dubius fuisse pro vtraque parte, vtiq. vt arguit Ferchius, debent argumenta resolui vel pro vtraque parte, vel pro neutra; at discurrendo secundo modo minimè opus erat illas auctoritates dissoluere adductas pro animæ mortalitate, quia iuxta hanc viam conceditur Arist. assertiuè tenuisse animæ immortalitatem, & per rationes valdè probabiles, licet non demonstratiuas, cui assertioni illa principia communia, quæ videntur opposita, minimè præiudicant, quia licet ex illis principijs communibus procedendo, non concludatur immortalitas animæ, sed potius mortalitas, ex alijs tamen principijs proprijs sufficienter, ac valde probabiliter deducitur; adhuc tamen sequendo istam secundam viam tenebatur Doctor soluere rationes adductas pro animæ immortalitate, non quidem vt ostenderentur nullatenus concludere, quia sic faceret Arist. magis ad mortalitatem declinare, quam immortalitatem, sed vt ostenderentur non concludere necessariò, ac demonstratiuè. Quod si Ferchius instet etiam iuxtà hanc secundam viam debuisse Scotum soluere, & explicare duas illas auctoritates ab ipso adductas pro animæ mortalitate, vt ostenderet Aristotelem assertiuè, & non ancipiter tenuisse animæ immortalitatem. Resp. Scotum hoc etiam sufficienter præstasse lit. L. dum explicat auctoritatem adductam ex 12. Met. 16. pro immortalitate his verbis. Ad illud de 12. Met. dicitur, quod Arist. ponit illud sub diuino, & dicit, *forsan*; sed non dicit forsan ad istud, quod intellectus manet posterius; & sequitur, *omne namque impossibile forsan*, vbi dubitat, an possibile sit omnem animam manere post compositum; si ergo expressè asserat (potest dici) quod tamen non fuit per rationem necessariam demonstratum, sed per rationes probabiles persuasum. Quib. verbis Doctor contendit Arist. non dubitatiuè, sed assertiuè dixisse intellectum manere post compositi corruptionem, per quod sufficienter satisfacit implicitè auctoritati, quam in oppositum adduxerat ex 7. Met. c. vlt. vbi dixisse videtur vniuersaliter formam non posse manere separatam toto non mananente, nam postea 12. Metaph. 16. & 17. expressè excipit intellectum quem manere ait post compositi dissolutionem; & per eandem auctoritatem satisfecit quoque implicitè alteri principio ex 1. de Cælo deducto, *quod incipit esse desinit esse*, nam & in eodem loco 12. Met. 16. ab hoc principio vniuersali intellectum expressè excipit, qui incipit cum composito, scilicet homine, sed non desinit cum ipso, immo manet post ipsum; Cum ergo Doctor contendat in eo tex. 16. & 12. Met. Aristot. non dubiè, sed assertiuè, & expressè docuisse animam manere post hominis interitum, eo ipso significat principia illa duo in oppositum militantia, fuisse tandem ibi ab Arist. limitata, & excepta in intellectu.

221 Possumus etiam aliter huic Ferchij querimoniæ ex Doctissimo Raguseo occurrere disp. 34. c. 19. vbi duas ex Scoto relatas vias explicandi mentem Arist. adamussim secutus est, nam quando erat iuuenis ait eam opinionem esse secutum, quæ doctissimis quibusque viris, atque in perpatetica philosophia haud parum exercitatis, maximè probata est; Aristotelem in hac difficultate semper hæsitasse, & dubiū extitisse; postea inquit tēporis progressu, & re maturius cōsiderata in eā venisse sententiam (quæ est altera via à Scoto insinuata) quod Arist. ab initio quidem de hoc negotio hæsitauerit, at re diligentissimè considerata immortalem prorsus humanam animam censuisse; verùm quoniam apertissimè cognouit veritatem hanc de animæ immortalitate suæ philosophiæ principijs penitus aduersari, ne iterum philosophiam alijs principijs fundare coegeretur, studiosos maluit de ipsius sententia, quæ ad eam rem pertineret, dubios atque incertos esse; vnde concludit quod si Aristotelicæ philosophiæ principia dumtaxat spectemus, immortalem animam statuere nulla ratione nos posse, si ea verò, quæ de anima diserté scripsit, diligenter attendamus necesse omninò esse, immortalem illam fateamur. Ita ergo Doctor iuxta secundam viam fatetur Arist. assertiuè, & expressè tenuisse, & docuisse quædam suæ philosophiæ principia, quæ tali dogmati non satis erant consentanea, & sunt illa præsertim, de quibus meminit Doctor in illis duabus auctoritatibus ad oppositum; neque tenebatur Scotus hæc Arist. principia cum tali dogmate componere, cum nec Aristot. ipse composuerit, sed semper difficultatem occultauerit ex talibus principijs orientem; cum quo adhuc stat, quod non ob id fuerit Alexandreus quod non negauerit immortalitatem fuisse Arist. notam, assertamque ab ipse expressè; an verò consequenter ad sua principia lectori iudicium reliquit, proponendo illa principia suæ philosophię, quibus repugnare videtur; rationes verò pro immortalitate adductas dissoluit, vt sepè dixi, non vt ostenderet Aristot. fuisse dubium, aut ad mortalitatem inclinasse, sed vt ostenderet non esse illas demonstrationes omninò necessarias, ac insolubiles, & nota nunquam Scotum dixisse animam secundum philosophiam, vel Aristot. esse mortalem, sed solum quod nequit rigorosa demonstratione ostendi eius immortalitas.

222 Quod tandem dicebat Ferchius lib. 4. num. 36. Scotum 4. d. 43. q. 2. K. falsificasse textum 66. primi de anima, quia Arist. habet in græco & latino *ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari marcescit alio quodam interius corrupto*, quod quidem intelligere est accidens, quod aliquando est, aliquando non est. Scotus autem habet *intellectus corrumpitur in nobis quodam interiori corrupto*; falsificasse etiam tex. vlt. ex 7. Met. quem adducit pro mortalitate animę supra lit. I. nam in relatione illius textus superius allegati num. 217. in fine duas ponit particulas, in quibus tota vis argumenti consistit, quę tamen non sunt in textu, prima est particula *omnes*, quę non est in textu; secunda de forma, quę non posset manere separata à parte materiali. Hoc inquam totum calumnia est manifesta, & odiosissima in Preceptorem petulantia, fieri enim potest, vt vsus sit Doctor alia versione antiquiori diuersa ab ea; qua vtimur, nam tales extare versiones minus fideles circa illos textus 65. & 66. testatur Raguseus disput. 21. cit. capitul. 6. circa medium in margine immo & eadem versione tunc temporis vtebatur S. Bonauent. 2. dist. 18. art. 2. quæst. 1. in corpore quæsiti referendo opinione Comment. & 8. d. 19. art. 1. q. 1. in tertio argumento ab initio & in scripto Oxonienſi sic loquitur, non sic loquitur in Reportatis: tum quia nec omnino certum sit, an per *ipsum intelligere* intelligat Arist. actum ipsum secundum intelligendi, qui est accidens; nam loquitur de illo intelligere, quod desinit alio quodam interius corrupto hoc autem durante non desinit, at intelligere pro actu secundo cessat, & desinit illo etiam quodam interiori superstite; quia non semper intelligimus, & intellectio transit, & illud interius remanet. Ex textu 7. Met. vltimo non retuli, Doctoris verū, sed sensum, & falsum est vim rationis inde deductæ consistere in illis duabus particulis; siquidem in Reportatis eandem affert rationem, vel auctoritatem pro animæ mortalitate sine illis particulis sic arguens; 7. Met. 1. in fine declarat Aristot. quod partes remanentes post dissolutionem tantum erant materiales in composito, sicut patet de carne, & quod alia est forma ab vtraque parte, si igitur anima intellectiua sit forma corporis, sequens fuit dicere, quod non remanet post corruptionem compositi, quia quicquid potest remanere post diuisionem, est pars materialis secundum eum; patet ergo vim argumenti consistere sine illis particulis, quàm verò candidus sit Ferchius in referendis textibus Aristotel. conijce ex dictis supra num. 82.

Tertia Ratio propugnata.

223 TErtium argumentum contra animarum circulationem deduximus disp. 5. de gen. nu. 169. ex eo quod Ferchius ait vestig. 6. lit. 2. c. 10. & 14. vbi eam probat, quia Aristot. quidem improbat transitum animarum in quodlibet corpus cuiuscunq; speciei 1. de anima 55. at de corpore in corpus humanum determinatæ speciei non improbat; sed nullibi quoque eam affirmat subdimus nos, adeout non magis ipse affirmare hoc possit in Arist. sententia, quam nos negare. Nec dicat hoc colligi ex 2. de gen. c. vlt. vbi ponit in rebus generalibus circulum in specifica identitate ad eorum perennem conseruationem, in perpetuis verò ponit circulum in numerica identitate, & ideò, quia corpora humana sunt corruptibilia, redeunt eadem specie tantum; at quia rationales animæ sunt indefinentes, eædem numero secundum circulum reuertentur quod etiam confirmat ex 4. de gen. an. c. vlt. vbi ait Arist. animalium ortus circuitu cælesti gubernari, nempè vt subcælestia cælestem circulationem imitentur. Sed certè nil minus cogitauit Arist. præfatis in locis, quam asserere animarum rationalium circulationem, nam primo loco per ingenerabilia eadem numero recurrentia in circuitu cælestes intelligit orbes, vt omnes exponunt præsertim Scot. 4. d. 43. qu. 1. ad 3. prin. & con-

stat

fiat ex ipso contextu, sic enim reuoluuntur in girum, vt eadem numero ad idem reuertantur punctum; quia eorum circulatio est per totum localem, non generationis, & corruptionis; anima autem si per circulum reuerteretur in corpora, sanè talis circulatio non fieret per solum motum localem, sed per veram mutationem substantialem, qualis est generatio, alio verò loco intendit solum Arist. ostendere circulationem in corruptibilibus in specifica identitate per generationem pendere à circulatione orbium cælestium, præsertim Solis, & Lunæ factam per motum localem in identitate numerica, alioqui probaret quoque motum, & circulationem animarum brutorum, cum de cuiuscunque animalis ortu, & interitu ibi loquatur.

Respondet Ferchius lib. 4. c. 4. n. 41. & 44. non adduxisse illos duos textus ad concludendum, quod anima rationalis in corpore circulariter generato eum identitate specifica reuertatur circulariter in identitate numerica, sed solum ad ostendendum omnium subcælestium in generali, & animalium in speciali generationes perfici circulatione. Deinde num. 30. ait quod in textibus 51. 52. 53. primi de Anima Arist. animæ migrationem, vel regestum nullatenus tangit, sed ingressum præcisè, siue enim primò, siue secundò, vel tertiò anima in corpus ponatur, semper exposcit corpus determinatæ speciei, non autem cuiuslibet; regressum autem in corpora vel alterius, vel eiusdem speciei non negat, sed affirmat in corpus eiusdem speciei; vnde in 1. de Anima 65. Arist. expresse docet visiuam, quæ erat in oculo senis, posse videre, si accipiat oculum iuuenis; ergo de materia, de passo, de instrumento vnius speciei poterit migrare in aliam numero materiam, passum, instrumentum eiusdem speciei; sed quod ex hypothesi impossibili dicitur de sensu, ibidem sine hypothesi affirmatur de intellectu, qui de corpore senescente incorruptus migrat in corpus adolescens.

224 Sed an per illos duos textus contenderit vestig. 6. lib. 2. c. 14. probare circulationem animarum de corpore in corpus eiusdem speciei in numerica identitate; & an hæc fuerit sua conclusio ex illis deducta, conijci potest ex his quæ habet ibi in prima sua assertione, in qua sic loquitur. *Circulus est ab Aristot. positus in rebus generabilibus vniuersaliter ad eorum perennem conseruationem ex libr. 2. de gener. & corr. cap. vltim. specialiter in 4. de gener. animal. cap. vltim. asseuerauit Philosophus animalium ortus circuitu cælesti gubernari, nempè vt sub cælestia cælestem circulationem imitentur; porrò quæ sunt perpetua eadem numero redeunt, quæ sunt caduca redeunt eadem specie; ergo quia corpora humana sunt corruptibilia, redeunt eadem corpora specie, non numero, quia rationales animæ sunt indesinentes, eadem numero secundum circulum reuertentur*, hæc est conclusio quam colligit ex toto illo discursu, in qua planè loquitur de circulatione animarum in corpore in identitate numerica. Quod autem ait in secundo loco nempe text. 51. 52. 53. nullatenus ab Aristot. tangi animarum migrationem, vel regressum, sed ingressum præcisè, verum vtique est, at in hoc sibi palam contradicit; nam vestig. 6. libr. 2. capitul. 10. numer. 226. & capitul. 14. numer. 144. apertè dicit, ibi Aristotel. reprobare migrationem animarum in quodlibet corpus, vt bruti, vel plantæ, vnde quia ibi non reprobat migrationem in corpora eiusdem speciei, cum hanc quoque refellere debuisset, si sibi displicuisset, deducit talem migrationem esse de mente Aristotel. in hac ergo responsione suam illam argumentationem omnino destruit, & sibi contradicit, Denique quod Aristot. 1. de Anima 65. docuerit migrationem intellectus de corpore senescente in corpus adolescens, in eo textu talem doctrinam non video, & nulli dubium est, quod si adeò expresse loqueretur Aristotel. vt iactat Ferchius, talem quoque auctoritatem adduxisset vestig. 6. lib. 2. capitul. 14. vbi remis, & velis hanc migrationem astruere nititur de mente Arist. vt autem pateat de tali migratione ibi nec quidem verbum fieri totum hic rescribo textum 65. *Intellectus autem videtur innasci substantia quadam existens, aut non corrumpi, maximè enim corrumperetur vtique ab ea, quæ est in senio, debilitate, nunc autem quemadmodum in sentorijs accidit, si enim acciperet senex oculum talem, & videret vtique sicut & iuuenis, quapropter senium non est, quia sustinuit aliquid anima, sed id in quo, sicut in ebrietatibus, & morbis*, vbi planè nullius talis migrationis intellectus de corpore in corpus fit absoluta mentio, sed solum conditionata de sensu ex hypothesi impossibili, quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret sicut iuuenis; & hoc exemplo vtique noluit ex tali hypothesi impossibili transitus potentiæ sensitiuæ de corpore in corpus declarare, & affirmare sine hypotesi migrationem intellectus de corpore senescente in adolescens, vt ait Ferchius; sed solum declarare voluit, vt ibi omnes exponunt, quod sicut debilitas senij in visiua potentia non redundat in virtutem animæ in se, sed tantum per organum, cui est alligata, ita nullo modo attingit virtutem incorpoream, cuius est nullum organum omnino, qualis est intellectus, alias plures habet Ferchius cauillationes loc. citat. contra hanc tertiam rationem, quas libenter transilio, quia plus dicacitatis, & mordacitatis ostentant, quam veritatis.

Quarta Ratio propugnata.

225 QVartum argumentum directè impugnans animarum circulationem habetur disp. 5. cit. n. 170. & est ratio Arist. 1. Post. tex. 4. qua reijciebat circulationem Platonicam, ibi enim contra Platonem inferebat, quod nostrum scire esset quod dam reminisci eorum, quæ sciuimus in alio sæculo; hæc ratio autem æquè conuincit, siue anima in idem numero corpus redire dicatur, siue in idem specie, habitus enim, & species intelligibiles in anima recipiuntur, & conseruantur, non in toto coniuncto; & cum nulla sit ratio, cur in statu separationis illas adhuc non retineat, cum ab organis non dependeant, & habeant esse permanenter ad differentiam actuum, nec vllum contrarium eis opponatur, consequenter quando rursus redibit ad informandum corpus, species suppeditabit ad recognoscenda obiecta antea nota, siue in alio corpore, siue in eodem, vnde ratio contra Platonem non procedit, quia poneret animam redire in idem corpus, sed absolutè, quia ponebat eam rursus in corpus reuerti, siue sit idem numero, siue specie & ideò circulationem animarum impugnat quocunque modo ponatur, & hæc est ratio, quam affert Doctor 4. d. 43. q. 3. li. C. qua citat Aristot. 1. Post. tex. 4. vbi arguit contra Platonem, qui dicebat addiscere nostrum non esse, nisi reminisci, vt rursus ait quol. 13. R.

Ferchius lib. 4. c. 5. primò inquit hanc rationem quam producimus, vt Aristotelicam, multa contra Arist. continere; prima particula, quam ait esse contra Arist. est illa *habitus enim, & species intelligibiles in anima recipiuntur, & conseruantur, non in toto coniuncto* hanc probat esse contra Arist. quia obiecta memoriæ, & reminiscentiæ sunt phantasmata, & in phantasia, quare sunt in toto coniuncto, & coniuncto destructo destruuntur, in libro de memoria, & reminiscentia species memorabilium collocat in primo sensitiuo c. 1. *quare manifestum est, quod primo sensitiuo horum cognitio est, memoria autem ea, quæ est intelligibilium non sine phantasmate est, quare intellectiui secundum accidens vtique erit, per se autem primi sensitiui* pereunte autem per se subiecto specierum memorabilium, & actuum memorandi, & habituum, perit etiam species & habitus, qui sunt in subiecto per accidens; quare si qui sunt habitus, vel species memorabilium in intellectu, ipsi corrumpuntur corrupto coniuncto, & speciebus memorabilibus in coniuncto existentibus infra c. 2. & vlt. significat, quod reminiscentia, & memoria sunt partis sensitiuæ, sunt corporeæ, sunt totius coniuncti, & per accidens sunt ipsius intellectiui.

226 Hæc impugnatio in primis non est ad propositum, quia in signata particula nostra sermo est de habitibus spiritualibus & speciebus intelligibilibus, non autem de sensibilibus de quibus procedit impugnatio, quamuis autem species sensibiles, & phantasticæ sint in toto coniuncto, intelligibiles tamen sunt in potentia intellectiua præcisè ex Arist. 3. de Anima text. 6. vbi ait animam esse locum specierum intelligibilium, non tamen totam, idest secundum omnes suas potentias, sed solum secundum potentiam intellectiuam, vt ibi passim explicant expositores. Circa quod notat Doctor 3. dist. 3. q. 6. N. valde melius conseruari species intelligibiles in intellectu, quam sensibiles in organo memoriæ sensitiuæ, quia illæ saltim per læsionem ac indispositionem organi, in quo subiectantur, corrumpi possunt, sed non illæ, tum quia sunt immateriales, tum quia non habent contrarium, tum quia imprimuntur intellectui, qui nunquam marcescit, quia de causa ait Doct. ibid. intellectum fuisse consulto ab Arist. non subiectum, sed locum specierum appellatum, quia habet potissimam loci proprietatem, quæ est conseruare locatum; imò 4. d. 45. q. 1. & 3. declarat species adeò indelebiliter imprimi in intellectu, vt etiam maneant post mortem, vt dictum est disp. 6. de Anima q. 4. art. 1. nu. 76. Vnde falsa est illa consequentia à Ferchio deducta, quod species intelligibiles in intellectu corrumpantur corrupto coniuncto, & speciebus memorabilibus in coniuncto existentibus, nam possunt species deficere in parte sensitiua ob organi læsionem, & non in intellectiua, quam talis læsio non tangit, neque oppositum docet Arist. loc. cit. lib. de memoria, & reminiscentia, sed solum docet potentiam intellectiuam pro statu isto non posse suis speciebus conseruatis vti ad rememorandum sine phantasmate ob necessariam connexionem potentiarum. Nec etiam voluit ibi Arist. negare memoriam intellectiuam vltra sensitiuam, imò ibi eam expresse admittit, vt notat Doctor 4. d. 45. q. 3. §. *de secundo*, dicit enim quorundam intelligibilium nos memorari, vt quod triangulus habet tres angulos, & hoc quidem quia didicit, & fuit speculatus; & licet ibi dicat, quod memoria intelligibilium non est sine phantasmate, non propter hoc negandum est memoriam esse in intellecto, sicut non negatur intelligere in intellectu, esto secundum ipsum ibi, & 3. de anim. 30. & 39. nunquam intelligamus sine phantasmate ob connexionem potentiarum pro statu isto. Quia ergo pro statu isto memoria intellectiua pendet à sensitiua, non è contra, & sensitiua est veluti radix intellectiuæ, ideò Arist. ibi tantum tribuit memoriæ sensitiuæ, & quodammodo illam euehit supra intellectiuam; & eadem de causa inquit memoriam per se esse primò sensitiui, per accidens verò esse partis intellectiuæ; ita loquitur Arist. non quia negare intendat veram memoriam in parte intellectiua, sed quia nulla recordatio pertinet ad intellectum pro statu isto, tanquam primariò, & radicaliter sufficientem, vt ibidem explicat Doctor sub lit. K. & nos cum ipso disp. 6. de anima q. 4. art. 1. 77. Quę quidem expositio præterquam quod non exiguum habet in Arist. fundamentum, concordat cum nostra Theologia docente animas separatas recordari præteritorum, vnde Lucæ 16. diues ille recordabatur fratrum suorum, & Abraham Lazari sine ministerio memoriæ sensitiuæ, & ideò pijssimus Doctor, ita Arist. philosophiam explicat, vt nostram Theologiam potius astruat, quam destruat; sed Ferchius ita explicat, vt destruat, dum negat in anima separata remanere species, & habitus in statu coniunctionis acquisitas. Videatur Doct. loc. cit. 4. d. 45. q. 3. §. *de secundo*, vbi nedum explicat,

sed

sed etiam retorquet auctoritates à Ferchio adductas ex lib.de mem.& remin. pro destructione memoriæ intellectiuæ, quæ communiter adducuntur ad omnibus negantibus memoriã intellectiuam apud Arist.

227 Secunda particula nostræ rationis, quam impugnat, est illa, *& cum nulla sit ratio, cur in statu separationis illa adhuc non retineat, cum ab organis non dependeant, & habeant esse permanenter ad differentiam actuum*, ait sub nu. 51. hanc particulam in primis continere cautelam sophysticam, quia non reddimus rationem conclusionis, sed quærimus rationem ab alijs, quod fit propter defectum probationis, quam cauillationem, nedum hic obijcit, sed millies alibi in toto illo suo libro. Hanc tamen non esse cautelam sophysticam, sed legitimum arguendi modum comprobat praxis Auctorum omnium, qui frequenter asserta sua probare solent, quia nulla est ratio vrgens ad oppositum, & hoc præsertim fieri solet in quæstionibus de potentia Dei absoluta, in quibus probari solet aliquid esse Deo possibile, quia non implicat, & non implicatio probatur soluendo rationes in oppositum. Et in proposito cum dicimus nullam esse rationem, cur in statu separationis non conseruentur in anima habitus, & species intelligibiles, hoc non dicimus ob defectum probationis, quam latè suo loco assignauimus disp.6. de anima q.4.art.1.probando necessitatem specierum intelligibilium pro memoria præsertim intellectiua; sed quia non omnia in vno loco sunt promiscuè confundenda, sed aliqua etiam sunt supponenda ex alibi dictis. Et dum ab arguente dicitur, nullam esse rationem contrà aliquam suam propositionem, non hoc dicitur, quia à respondente rationem petat, sed vt respondens vel concedat illam propositionem, vel si negat paratus est reddere rationem suæ propositionis, & hæc sufficiant pro expurgatione huius frequentissimæ querelæ, quam toties nobis inculcat, & refricat. Deindè inquit hanc particulam esse contrà Arist. lib. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 2. inquit *corruptis animalibus corrumpuntur & scientiæ, & sanitas, quæ in animalibus*, nos autem hic affirmamus habitum scientiæ non corrumpi:hoc idem colligit ex c.de quali, vbi habetur *si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi grandis permutatio facta sit vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiusmodi &c. non videntur facilè posse moueri*, at nulla est permutatio in homine atrocior 3. Nicom.c.9. quam mors, vndè in tali permutatione omnes scientiæ, & virtutes acquisitæ secundum Arist. pereunt, hoc autem est, quia perit subiectum primum, sine quo intellectus nihil intelligit, amat, odit, reminiscitur.

228 Neq; hæc impugnatio est ad propositum, quia quamuis etiam verum sit multos habitus scientificos remanere in anima separata, vt docet Scot.4.d.45.q.1. iuxtà illud D.Hier.in prolog. Bibliæ *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in Cœlis*, tamen de conseruatione horum habituum modò non est sermo in argumento, sed de conseruatione specierum intelligibilium iam anteà in statu coniunctionis acquisitarum præsertim est sermo, & quamuis in prima particula loquamur tam de habitibus, quam de speciebus, quæ recipiuntur in anima, tamen cum posteà in secunda dicimus illa remanere in statu separationis, restringimur ad species; vndè in quibusdam etiam codicibus nostris legitur sic illa particula, *& cum nulla sit ratio, cur in statu separationis illas adhuc non retineat* &c. non autem legitur *illa*, & hoc euidenter colligitur ex his, quæ immediatè sequuntur, nam reddentes rationem, cur isthæc in statu separationis conseruentur, ac perseuerent, addimus quia *nullum contrarium eis opponitur*, hoc autem non vtique de habitibus intelligi debet, qui contrarium habent, sed de speciebus præcisè, vt diximus disp.6.de Anim.cit. q.4. artic.1. nu.76. vbi habetur, quod licèt habitus sit forma permanens, tamen habet contrarium, cuius actione destrui potest, at species siue intelligibiles, seu sensibiles contrario carent, nam species contrariorum v.gr. albi, & nigri simul manent in eodem oculo, quare si aliàs contingat eius subiecto insidere incorruptibili, vt de intelligibilibus euenit, perpetuò conseruantur in eo. Et denique quod in nostro argumento sit præcipuè sermo de speciebus intelligibilibus, cum dicimus perseuerare quoque in statu separationis, & nullum contrarium eis opponi, colligitur ex conclusione, quam deducimus illis verbis, *consequenter quando rursus redibit ad informandum corpus, species suppeditabit ad recognoscenda obiecta anteà nota*; argumentum itaque de speciebus præsertim procedit, non de habitibus, non enim dicimus animam separatam suppeditare habitus, sed species intelligibiles ad recognoscenda obiecta anteà nota, per quod etiam refellitur obiectio quam facit num.52.contra tertiam particulam, quasi dixerimus habitibus nullum esse contrarium. At quando etiam diceremus tam species, quam habitus conseruari in anima separata, si isti à contrario non destruantur, non esset malè dictum, quia, vt dixi, absolutè verum est ab anima separata multos habitus deferri hic acquisitos ad aliam vitam; Et illæ auctoritates à Ferchio in oppositum adductæ, quomodo debeant intelligi, & explicari, iam diximus disp. 3. de anima q. 6. de desitione habituum in fine, & doctrina ibi tradita est Scoti 4.distinct.45.quæst.1.vndè illæ difficultates solutæ fuerunt, antequam ab ipso obijcerentur, & nedum ibi, sed etiam disput.8.quæst.1. artic.1.nu.15. vbi agimus de permanentia specierum, & habituum in anima separata.

229 Deindè sub eodem n. 52. vt ostendat nec species, nec habitus in anima separata conseruari, inquit, bifariam formas destrui, vel per causam positiuè destruentem, quo pacto ignorantia praua destruit scientiam, virtus vitium; vel per cessationem causæ influentis, aut conseruantis, quo pacto actus videndi, vel intelligendi definit esse cessante influxu actuali in causa, & species in sensu exteriori cessat absente obiecto, & sic etiam ait scientiam destrui posse per obliuionem, sicut namque ex actibus generatur, & conseruatur habitus, sic per non actum diuturno tempore amittitur, & est exemplum de lumine, quod deficit absente luminoso; imò ait ibi in magine nos veritate coactos lib. de Gener. cart.277. col.1. docere accidentia, quæ non habent contrarium, corrumpi per cessationem influxus conseruatiui. Denique ait præter has destructiones formarum dari aliam destructionem per accidens, vt Arist. paulò anteà relatus dixit; siue igitur species intentionales contrarium habeant, siue non, destruuntur vel destructione subiecti per accidens, vel cessatione causæ conseruantis, habitus verò destruuntur & per se, & per accidens, & per negationem contrarij, & per negationem conseruantis, vndè tandem concludit in argumento nostro esse paralogismum consequentis ab insufficienti enumeratione causarum corruptionis, vel desitionis. Sed de permanentia specierum intelligibilium iam suo loco tractatum erat abundè disp.6. de anima quæst.4. art.1. quæ hoc loco supponi debebant, non enim corrumpuntur per se, quia nullum habent contrarium, non per accidens ad corruptionem subiecti, quia imprimuntur in subiecto incorruptibili; non desinunt per cessationem causæ influentis, vel conseruantis, quia non habent esse in fieri ad instar entis successiui, sicut habent actus, nec necessariò pendet à causa efficiente in suo fieri, & conseruari; vt dictum est disp. 6. cit. de anima n.76.& quando disp.5.de gener. qu.4. nu.104.dicimus accidentia non habentia contrarium, corrumpi per cessationem influxus conseruatiui, sermo ibi erat de lumine in aere, speciebus intentionalibus in medio, & alijs accidentibus, quæ à causis efficientibus necessariò pendent in fieri, & conseruari, quales non sunt species intelligibiles; per illum verò modum destructionis per accidens ab Arist. relatus lib.de long. & breu. vitæ cap.2. voluit significare duntaxat destructionem specierum in intellectu ex destructione ipsarum in phantasia, non quidem simpliciter, sed secundum quid nimirum quantum ad operationem, quia pro statu isto quamuis intellectus destructa specie phantastica adhuc intelligibilem retineat, non tamen potest exire in actum ob connexionem potentiarum, eo modò quod Doctor 4.distinct.43.quæst.1. ad 2.prin. explicat textum 66. primi de anima iuxtà antiquam versionem, *intellectus corrumpitur quodam interiori corrupto*, idest impeditur quantum ad operationem, & sic quasi corruptus habetur, non quod sit corruptus simpliciter, sed hæc auctoritas magis explicabitur infrà num. 240. De habituum verò desitione ex instituto egimus disp.3. de anima quæst.6. vbi dictum est habitus per accidens corrumpi ad destructionem subiecti, & etiam per se ex contrarijs actibus siue destructione subiecti, nunquam tamen ex cessatione actuum verè, & propriè destrui solitariè sumpta, sed quatenus cessatio ab actibus est in causa, vt in plurimum, quod eliciantur actus oppositi, vndè falsum est, quod ait Ferchius in hoc proposito, vt ibi est videre.

230 Rursus sub num. 53. responsionem affert, quam dederat vestig. 6. lib. 2. num. 146. ex Arist. 3. de anima 20.dicente *non reminiscimur autem, quoniam intellectus passiuus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit*; hæc igitur est ratio, cur non reminiscamur eorum, quæ anima in alio corpore cognouit, quia reminiscentia, & memoria non sunt sine imaginatione, & intellectus non intelligit quicquam eorum, quæ pertinent ad reminiscentiam sine imaginatione; imaginatio, quæ est intellectus passiuus præcedentium hominum, corrupta est, & sine imaginatione illa præcedente, non potest ille intellectus, qui est immortale, & æternum, & impassibile in nobis existens, intelligere aliquid reminiscibile, sic in primo de anima 66. asseruitur, quod corrupto habente corpore intellectiuum non meminit, neque amat, quia istæ operationes, vel passiones non erant ipsius intellectus, sed ipsius communis habentis. Hæc responsio refellitur à nobis disputat. 5. cit. sub eodem num. 170. quia Arist. textus non adducitur ad rem. Arist. enim ibi non mouet dubitationem, cur non reminiscamur eorum, quæ anima cognouit in alio corpore, sed cur si intellectus est à corpore separabilis, non reminiscimur post mortem eorum, quæ nouit coniunctus, & inquit non reminisci ob defectum imaginatiuæ, quæ ad reminiscentiam inseruit, quæ Aristot. doctrina præsenti dubitationi applicari minimè potest, nam difficultas vrget de anima non in statu separationis, sed nouo corpori coniuncta, cur non recordetur eorum, quæ nouit in alio corpore, in quo statu vtique imaginatio non deest, vt eius ministerio valeat vti speciebus iampridem acquisitis in alio corpore; dicere autem, quod ad hunc vsum necessaria foret imaginatiua alterius corporis, & non sufficere imaginatiuam præsentis, vt Ferchius innuit, est voluntariè dictum, nam inquit Aristot. 1. de anima 65. quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis; ergo si ad operationem sensitiuæ, quæ vtique est organis magis alligata in suis operationibus, quam intellectiua, sufficeret aliud organum, dummodò esset ei coniunctum, tantò magis in proposito dicendum est de anima rationali, quod imaginatiua corporis nouiter informati sufficit ei ad exercendam quamcunque operationem ab ea dependentem, quam in alio corpore poterat exercere, nec opus esse imaginatiua illius.

231 Occurrit ad hæc lib.4.n.55.primò malè à nobis explicari textum 20. tertij de anima de homine mortuo, & intellectu separato, sic

enim

enim Piccol. in illum textum arguit, de intellectu coniuncto verum est ipsum nihil intelligere sine intellectu passiuo corruptibili de intellectu separato falsum est at Arist. loquitur de illo intellectu incorruptibili, qui nihil intelligit sine intellectu passiuo corruptibili, ergo non loquitur de intellectu separato, sed coniuncto, verum intellectus separatus est hominis mortui coniunctus viui, loquitur itaque Arist. de hominibus viuis, non de mortuis, quando ait *non reminiscimur*; hoc etiam probat ponderando verba textus, nota subiectum quæsiti *nos*, nota prædicamentum *reminiscimur*, ex parte subiecti Arist. loquitur de se, & suis, hi erant viui, & intellectus coniunctus in eis; ex parte prædicati probat idem ex 1. de anima 66. vbi reminisci non intellectui, sed toti coniuncto conuenire dicitur. Cæterum Arist. tex. 20. cit. loqui de intellectu separato, & post mortem est communis ferè omnium Interpretum expositio, quorum illos referam, qui sunt ad manum alios vtique relaturus, si haberem, quia est communis expositio tam veterum, quam Recentiorum Peripateticorum; ita exponit Themistius lib. 3. de anima cap. 28. conferens hunc textum com tex. 66. primi de anima, vbi cum ait intellectum non reminisci, vtique de intellectu separato loquitur, & homine post mortem, ait enim *quare & hoc corrupto neq; meminit neq; amat, non enim illius erant, sed communis quod quidem destructum est*, quibus verbis ait Themistius respõdere illa in isto text. 20. tertij de anima, non recordamur id circò ab occasu, quia hic impatibilis est, intellectus verò, qui patibilis dicitur, abolebitur, & sine hoc nihil intelligit; sic etiam de homine post mortem, & de intellectu separato ex eodem text. 66. primi de anima hunc textum explicuit Eminent. Cardinalis Oregius amantissimus olim mei Mæcenas in doctissima sua Disput. de animæ immortalitate pag. 112. ex græco; vndè nescio, qua ratione Ferchius ex illo tex. 66. 1. de anim. deducere prætendat in hoc 20. tertij de anim. illi correspondente de intellectu coniuncto; & homine viuo sermonem fieri cum indè totum oppositum deducatur, ex hoc enim, quod *reminisci* non intellectui separato, sed toti coniuncto conuenit, vt ibi habetur, sequitur *non reminisci*, de quo est sermo tex. 20. 3. de an. conuenire intellectui separato, & homini defuncto, & hac etiam ratione Raguseus disputat. 21. de animæ immortal. capit. 8. versus finem hunc text. 20. eodem modo explicat, quod loquatur de homine defuncto, quia clarum est, dum nos viuimus, reminisci, & falsum esset dicere de nobis viuentibus absolutè, quod non reminiscamur; quare post mortem (inquit) remanet solum intellectus semper intelligens, & nunquam reminiscens, quasi velit Aristot. docere intellectum separatum solis acquisitis speciebus in continuo intelligendi actu versari; quibus verbis tradit Raguseus species intelligibiles hic acquisita in intellectu separato conseruari, non ergo id monstrum est apud Peripateticos, neque piaculum in Aristot. sententia, sic etiam explicat Contaren. quæst. de immortal. animæ capit. 2. ratione 13. Tromb. ibidem, artic. 1. concl. 6. in fine. D. Th. 3. de an. cap. 20. Auersa, Conimb. Caiet. Thien. in hunc textum Apollinaris ibid. & alij passim.

232 Itaque dicendum in eo tex. de intellectu separato sermonem fieri, & hoc quidem colligitur, tam ex priori parte textus, quam ex posteriori, nam in priori parte sic loquitur *separatus autem solum est hoc, quod quidem est, & hoc solum est immortale, & perpetuum*, in posteriori autem sic *non reminiscimur autem, quia hoc quidem impossibile est*, quibus verbis satis patet non de viuentibus loqui, quis enim demens diceret reminiscentiam in hoc statu nobis non conuenire? loquitur ergo de statu separationis; quomodo autem id intelligendum sit, declarat Doctor. 4. d. 45. q. in fine, quod post mortem non reminiscimur, quatenus non manet memoria sensitiua, seu cogitatiua, quam Arist. ibi vocat intellectum passiuum ob propinquitatem ad verum, & proprium intellectum, & cum ait in tali statu nos non reminisci, non debet intelligi de quacunque reminiscentia, quia etiam ait sine tali intellectu passiuo ibidem nihil intelligi, & tamen certum est intellectum separatum intelligere, alioquin immortalis non esset, quia in statu separationis propriam operationem habere non posset; sed sicut vult dicere animam nihil posse intelligere eo intelligendi modo, quo vtitur in corpore, scilicet recurrendo ad phantasmata, ita vult dicere non reminisci eo modo, quo reminiscimur in hoc statu per dependentiam à memoria sensitiua, quia tunc non adest ordo ille necessarius potentiarum intellectiuæ, & sensitiuæ in operando circa idem obiectum, qualis nunc interuenit pro statu isto; & hoc etiam modo explicat Doctor Arist. lib. de memoria, & remin. 4. d. 45. q. 3. §. *de secundo* nam licet ibi dicat memoriam intelligibilium non dari sine phantasmate, non propter hoc negandum est memoriam est in intellectu, sicut non negatur intelligere in intellectu, & tamen secundum ipsum ibi non intelligimus sine phantasmate; hinc dicebat S. Thom. cit. intelligere esse quodam modo æquiuocum in statu coniunctionis, & separationis ob diuersum intelligendi modum, & si etiam dici potest de reminisci; sic etiam hunc textum Conimb. exponunt non omnem recordationem extincto corpore deperire, sed eam duntaxat, quę sit interuentu imaginationis quam etiam expositionem dat Contar. q. de immortal. animæ c. 7. ad 8. Cum verò dicebat Ferchius, quod si in eo tex. 20. sermonem haberet Arist. de anima separata, dicendum erat in numero singulari, non reminiscitur autem anima, non autem in numero plurali de nobis *non reminiscimur autem*, in quo loquendi modo suam expositionem Ferchius specialiter fundauit; respondeo & expositionem illam, ac quoque ponderationem modi loquendi Arist. esse verbatim de sumptam à Caiet. lib. 3. de anima in eum textum. Huic verò Caiet. ponderationi trifariam respondet Capredonus de Theologia Arist. lib. 1. c. 10. primò ex doctrina D. Th. 1. p. qu. 75. art. 4. ad 1. docet ibi hominem sumi pro anima, & hoc modo sumpsit hic Arist. quandoquidem secundum ipsum 9. Ethic. illud potissimum videtur esse vnumquodq; quod est in ipso principale, sicut quod facit Ciuitatis Rector, ciuitas facere dicitur; Cum itaq; anima intellectiua sit quid in homine potissimum, anima intellectiua pro homine sumitur, ac per hoc dicitur homo, quo circà potuit dicere Arist. de anima sermonem habens *nos homines reminiscimur*; secundò respondet Arist. doctrinam esse 1. de anima 64. conuenientius dici, hominem addiscere, vel intelligere per animam, quam animam ipsam addiscere, vel intelligere, & pari modo de reminiscentia nos aptius per animam reminisci dicimur quam animam reminisci, & ideò Arist. loc. cit. asserit melius dici *nos non reminisci*, quam animam, vel aliquam animæ partem non reminisci; vt ergo Arist. doceret doctrinam sibi conformem loquendo de anima post mortem dixit *non reminiscimur*, hoc est, nos homines qui sumus post mortem secundum partem principalem, scilicet secundum animam intellectiuam *non reminiscimur*. Tertiò tandem ait Arist. dixisse *non reminiscimur*, quia de reminiscentia loquebatur, cuius subiectum est totum humanum compositum, & non anima sola, & ad hoc explicandum ait, *non reminiscimur*; notat tamen hic idem Auctor lib. 1. cit. c. 39. ad 1. quod cum Arist. hic, & 1. de anima 63. inquit non dari reminiscentiam post mortem, sermonem habere de reminscentia ad partem sensitiuam spectante, non autem de memoria ad intellectum pertinente, quam in anima separata asserit inueniri, in qua etiam vult conseruari de mente Arist. habitus, & species hic acquisitas c. 38. & 39. & respondet ad omnia allata à Ferchio in oppositum; vbi etiam notandum est doctissimum hunc Thomistam doctrinam ibi Arist. singulariter profiteri, & quid ipse senserit de anima & alijs substantijs separatis, ideoque librum illum Theologiam Arist. nuncupasse; quod addo ne dicat Ferchius, vt solet, nos extrà Peripatum abire, & extrà propositum.

233 Deindè vlterius dicit, num. 41. quod etiam si admitteretur anima nouum corpus informans retinere species in alio corpore acquisitas, non sufficit imaginatiua præsens, vt eius ministerio valeat vti speciebus prius acquisitis, vt nos dicebamus, quia requiritur phantasma, & consideratio actualis ipsius phantasmatis in imaginatione ad hoc, vt intellectus valeat vti scientia acquisita. At nos hanc euasionem præclusimus suprà per paritatem sumptam ex tex. 65. primi de anim. de potentia disiua, quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Verum, quia punctus difficultatis pendet ex causalitate phantasmatis, & modo concurrendi ad intellectionem; promptius hæc responsio infringitur ex eo, quod communiter dici solet non ita essentialiter pendere intellectum à phantasmatibus in secunda motione, sicut in prima, in qua accipit comprincipium efficiendi actum intelligendi, qua ratione dicebat Arist. 3. de anima 8. & 8. Phys. 32. *non* egere amplius intellectum alio motore ad intelligendum cum species impressas adeptus fuerit, quam doctrinam recipit, & approbat Doctor 1. d. 3. ad 1. prin. ac etiam 4. d. 45. q. 1. ad 1. princ. vbi explicans illam auctoritatem ex 3. de anim. 39. ita se habent phantasmata ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum, ergo sicut sensus non potest aliquam sensationem habere, nisi moueatur à sensibili, sic nec intellectus aliquam intellectionem, nisi moueatur à phantasmate; respondet, quod illa auctoritas debet intelligi quoad acquisitionem speciei, & hoc primam, & primæ, sed quoad vsum non est intelligendum; & ratio est, quia intellectus potest vti forma prius acquisita, licet illa non habeantur, quæ prius necessaria erant ad acquirendam illam formam, non sic sensus loquendo de sensu exteriori potest vti aliqua forma prius acquisita, quia non est conseruatiuus speciei prius receptæ ad posterius operandum; sic igitur in proposito concesso semel, quod species acquisitæ ab anima in veteri corpore conseruentur in ipsa, poterit ipsis vti in corpore nouo, etiamsi non adsit illa eadem phantasia prior, virtute cuius illas acquisiuit, & per eas cognoscere quidditates anteà habitualiter notas, & recognoscere obiecta anteà cognita, quia illa non est amplius necessaria ad talia obiecta recognoscenda, cum in ordine ad illa se habeat intellectus, velut in secunda motione. Cui quoque doctrinæ subscribit Raguseus disp. 21. c. 11. ad 2. Alexandræorum, vbi probans animam separatam posse propriam habere operationem, vtique speciebus hic acquisitis independenter à phantasmatibus inquit, animaduertere oportet phantasmata non necessariò ad ipsam intellectionem efficiendam necessariò concurrere, sed prius tantummodò ad speciei intelligibilis eductionem requiri; vbi autem intelligibile obiectum in sua specie refulgens intellectui præsto est, tunc intellectus absque vllo phantasmatum auxilio in intelligendo actum erumpere potest, anima igitur à corpore seiuncta (inquit) quamuis nullum amplius commercium cum phantasmatibus habeat, multas tamen intelligibiles species habet, quibus optimè suum intelligendi munus exerceat; eadem igitur ratione in proposito nostro, si anima cum illis speciebus in nouum corpus reuertatur poterit obiecta in ipsis relucentia iterum recognoscere, & recogitare absque phantasmatum auxilio.

Præterea Alphonsus de Castro aduersus hæresim hanc de animarum transmigratione lib. 2. cit. de Anim. her. 8. idem contorquet argumentum de præteritorum memoria, & solutionem ex Ferchio allatam euincit casu D. Pauli narrato 2. Corinth. 12. siquidem in tertium

Cœ-

Cœlum raptus vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, in quo raptu, quamuis ipse dubius sit, an eius anima in corpore fuerit, an extrà corpus, hoc tamen est certum, animam tunc minimè corporeis sensibus vsam, sed ipsam solam sine vllo corporis adminiculo in illa fuisse arcanorum contemplatione, quoniam corporei sensus ad illa contemplanda minimè valerent, & tamen posteà illorum, quæ vidit reminiscebatur; si ergo huius, quod in breuissimo tempore extrà visum est cum ad corpus redijt, reminiscitur, multò magis anima illorum reminisceretur, in quibus per tot tempora in alio corpore viuens remorata est; eandem deniq; rationem contrà animarum circulationem vrget S.Bonau.2.d.18.art.2.q.2. in corpore quæsiti.

Quinta Ratio propugnata.

234 QVintum argumentum erat disp.5.cit.nu.271. quia etiamsi ratio adducta à Ferchio in præcedenti argumento sufficiens esset pro obliuione gestorum in alio corpore, quare in nouo corpore assumpto non recordatur gestorum saltim extrà corpus in proximo statu separationis? Respondet Ferchius vestig.6.lib.2.nu.147. quoniam intellectus possibilis innascitur in corpore, sicut tabula, in qua nihil est pictum 3.de anima 14. & iure ex proportione materiæ, materia quippè non recipit formam nouam, nisi veteribus abiectis, vt nuda accedat ad nudam ita intellectus accessurus ad corpus denudatur ab accidentibus oppositi status, scilicet separationis. Ratio quoque istius status coniunctionis hoc exigit, scilicet propter ordinem potentiarum cognitiuarum in agendo, sicut in essendo; in essendo materia est propter formam, corpus propter animam; in agendo actio corporis est propter actionem animæ, & actio formæ sensitiuæ propter actionem intellectiuæ; hæc cum ita sint necessarium est intellectiones, & habitus animæ separatæ in iterata coniunctione deleri, ne anima occupata circa obiecta secum aduecta naturalem famulatum respueret. Sed loc.cit. hanc responsionem refellimus, quia in primis textus Aristot. non facit ad rem, nam Arist. ibi ideò dixit intellectum possibilem innasci in corpore, sicut tabula, in qua nihil est depictum, quia supponebat tunc primò innasci, & fieri, non autem, quod præcederet in alio statu, nam si hoc supposuisset, sanè non dixisset accedere omni specie nudum.

Repellit hanc impugnationem Ferchius lib.4.cap.7.nu.57. quia Arist.de nuditate loquitur in textu *oportet autem sic, vt in tabula, in qua nihil est scriptum actu, quod quidem accidit in intellectu*, de nuditate ergo ab omni specie textus loquitur, de innasci verò vel primò, vel secundò, vel decimò nihil, in textu Arist. vndè inquit nos componere textus nouos ad ipsum decipiendum. Deindè ait, fieri intellectum tunc primò est simpliciter falsum in Arist.quia 2. de gener. animal.cap.3. solus intellectus est antè corpus, & extrinsecus accedit, sic in 1.de anima 65. *intellectus innasci videtur substantia quædam existens, & non corrumpi*, est ergo substantia quædam existens antè corpus, & non nascitur cum corpore, sed tantum innascitur. Rursus 1.de anima 82. de intellectu animastico *rationabilissimum enim esse hunc antiquissimum, & dominum secundum naturã*, si antiquissimus, & elemẽtis prior secundum naturam, qui fieri potest, vt fiat, quando innascitur in corpus nouum? quare concludit falsum esse, quod Arist. in eo textu supponeret tunc intellectum primò innasci, & fieri, & non in alio statu præcessisse, idque à nobis proponi, sed non probari.

235 Sed erramus circa illum tex. 14. 3. de anima vtentes verbo *innasci*, quod in textu non est, planè Ferchius ipse causa nostri erroris fuit, qui vestig.6.lib.2.n.147. postulationi respondens, quare non recordamur saltim gestorum extrà corpus? occurrit, *quoniam intellectus possibilis innascitur in corpore sicut tabula, in qua nihil est depictum* 3.*de anim.* 14. si ergo de innasci nihil est in textu, cur tale verbum memorat referens illum textum? ipse ergo nouos componit textus, non autem nos; attamen nostra expositio ad illum textum verissima est, scilicet ab initio intellectum in corpore innasci, sicut tabulam, in qua nihil est depictum, quia supponit, vel intendit in alio statu non præcessisse, sed tunc primò innasci, & fieri in corpore; quod ex ipso contextu colligitur, quia si in alio statu præcessisset, cum alijs intellectionibus, & habitibus, quos tunc exerceret in iterata vnione cum corpore, tunc non diceretur innasci, sicut tabula, in qua nihil fuit depictum, sed sicut tabula, in qua fuit quidem aliquid depictum, sed posteà abrasum. Deindè in eo textu, vt notant Apollinaris, ac cæteri Expositores, soluit dubitationem quandam superius præmissam, dicens quod passio multipliciter accipitur, quædam enim est passio propriè sumpta, quæ fit cum abiectione contrarij, sicut calefactio; quædam verò largè sumpta, per quam sola fit acquisitio, vel sola deperditio qualitatis; & consequenter ad dubitationem dicit, quod intellectus, dum intelligit, ab intelligibilibus non patitur passione corruptiua, sed solum perfectiua, intellectus enim est in potentia ad intelligibilia, antequam intelligat illa, neq; est aliquid illorum in actu, nisi cum actu intelligit ipsum, & ex hoc, quod ab intelligibili recipit intellectionem, non necessariò abijcitur alia dispositio contraria, sicut in tabula rasa contingit, in qua nihil est pictum, ipsa enim ad omnem picturam est in potentia, & cum in ea de nouo producitur pictura, non propter hoc dispositio aliqua contraria abijcitur; at hoc non contingeret si intellectus in alio statu præcessisset cum intellectionibus, & habitibus alijsq; accidentibus oppositis, & incompossibilibus statui coniunctionis, nam vt posset in corpore intelligere opus esset, vt ab intellectu abijcerentur huiusmodi dispositiones contrariæ, vt de facto Ferchius affirmat, quia accidentia in statu separationis, & coniunctionis sunt opposita, & seinuicem impediunt. Deniq; vt notant Conimb. in hoc textu, & Caiet.3. de anima cap.2.de intellectu agente, hic locus est aduersus Platonem, qui in Menone, Phædro, alijsque in locis docuit nostros animos antequam in hæc caduca, & moribunda corpora descenderent, omnium rerum notiones in se consignatas habuisse, sed contagione corporis, & quasi tetri carceris insolentia in obliuionem superioris intelligentiæ delabi, reminisci tamen discendo, atque ita omnem nostram disciplinam recordationem quandam esse, & hunc errorem confutauimus (inquiunt) ex instituto initio lib.1. Post. vbi eius meminit Arist. Ex qua notatione duo sunt colligenda aduersus Ferchium, vnum est re vera Arist. in hoc textu docere intellectum in corpore innasci, omninò primò itaut in alio statu non præcesserit antè corpus, quia loquitur aduersus Platonicos, qui ita dicebant; alterum est huius erroris Arist.quoque meminisse 1.Post. cap.1. (quod supra negabat Ferchius lib.4.n.48.) idem habet D. Th. 2. contra gentes cap.93.

236 Deindè falsum est, quod ait Ferchius animam rationalem antè corpus præexistere, & non potius cum ipso simul fieri etiam secundum Arist. estò verum sit non cum ipso desinere, quandoquidem ita expresse docuit Arist.12. Met. tex.16. & 17. ibi namque de formarum inceptione sermonem habens distinguit de duobus formarum generibus, quædam enim sunt formæ mouentes, sicut Intelligentiæ, & istas inquit antè singularum rerum generationem existere; aliæ verò sunt formæ, quæ habent rationem causæ formalis, & compositum constituentis, & has inquit non prius existere, quam compositum per ipsas constitutum, & sub isto secundo genere formarum animam quoq; rationalem comprehendit; nam quærens deindè, tex.17. an aliqua formarum secundi generis post compositi dissolutionem queat manere superstes, ait in quibusdam id contingere posse, & specificat hanc esse animam rationalem; ambos textus hic rescribo, vt pateat eorum claritas; *causa itaque mouentes, tanquam anteà orta existunt; quę verò, vt ratio, simul sunt, cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est, & forma anea sphæra simul atque anea sphæra, si autem aliquid posterius permanet, considerandum est, in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus, omne namque fortassis impossibile est*; vbi Alensis, cui concinit Scotus, exponit dicens, notandum est, quod sententia Philosophi in breui est ista, quod de essentia cuiuslibet formæ est, quod incipiat esse cum forma composita; sed tamen aliqua forma est, quæ potest habere esse post substantiam compositam, sicut est intellectus, licet enim potentiæ sensitiuæ, quæ sunt alligatæ organis, non habeant esse post substantiam compositam, tamen forma intellectiua habet esse; ecce textum clarum, & clariorem eius expositionem Alensis, quem non semel Ferchius in lib. defens.appellat Metaph expositorem sublimem; vnde nescio ex quo capite pretendat Ferchius vestig.6.lib.2. nu.146. ex hoc textu oppositum probare, quod anima corpori præexistat, dum inquit, *idem autem est dicere in* 12.*Met.*17. *quod anima posterius manet, & quod sit antè*, nam Arist.expresse docet animam posterius corpore manere, & antè illud non præexistere; & Scotus 4.d.43. quæst. 2. M. ait in principijs Arist. animam accipere esse de nouo, cum non ponat eam perpetuò præcessisse sine corpore, nec prius in alio corpore.

Loca verò quæ in oppositum adducit aut falsa sunt, aut malè intellecta, nam secundò de gen.animal.cap.3. vt iique ait solum intellectum extrinsecus accedere, & non ex spumoso, & crasso semine oriri, quẽadmodum sentientem, & vegetantem, quæ ex potentia materiæ educuntur, nequaquam tamen exprimit ante corpus præexistere, nam verba textus sunt ista, *restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*, in quibus verbis, vt patet, nulla fit prorsus mentio de mentis præexistentia antè corpus, sed solum dicitur extrinsecus aduenire, non autem intrinsecus de potentia materiæ, siue anteà præextiterit, siue tunc actu in corpore producatur extrinsecus à Deo. Alter quoque locus ex 1. de anim. 65. *intellectus innasci videtur substantia quædam existens*, omninò extorqueri videtur, cum indè infert Ferchius ergo substantia quædam existens antè corpus, & non nascitur cum corpore, sed tantum innascitur? nam potius ex illa phrasi deducitur animum nasci, atque produci, & non quidem extrà, vel antè corpus, sed in corpore, hoc enim sonat *innasci*, quod in alio nasci, in alio fieri; subdit tamen, quod innascitur, vt *substantia quædam existens*, ne quis suspicaretur nasci, & fieri in materia, vt aliæ formæ substantiales, quæ fiunt in materia, ac dependenter ab ea, ac proindè dicuntur formæ materiales, & inhærentes, non autem per se existentes, cuius tex.optimam tradit expositionem Card.Oreg.q.cit.ad 5. & velle sic arguere, intellectus innascitur, vt substantia quædam existens; ergo est substantia existens antè corpus, est manifesta fallacia consequentis, sicut si diceretur Petrus est existens, ergo est existens antè Paulum, qui est pater eius. Alter deniq; locus ex 2. de anim. 82. non adducitur ad rem, quia non est ibi sermo de prioritate temporis, sed naturæ, & dignitatis, vt colligitur ex verbis immediatè præcedentibus, *anima autèm aliquid esse melius, & præstantius impossibile est, impossibilius autem adhuc intellectu*, vndè & antiquitas ibi prioritatem significat excellentiæ, ac dignitatis animæ supra cæteras formas inferiores, vt indicat verbum *dominij*.

237 Secundò responsionem illam Ferchij ad argumentũ principale datam

datam vestig.6. lib. 2. n.147. vlterius impugnauimus disp.5.de gener. nu.171. quia ratio, quam ibi adducit ex proportione formæ ad materiam non conuincit, materia enim denudari debet veteribus formis, vt nouam suscipiat, quia illæ opponebantur nouæ, & eius accessum impediebant; at non videtur, cur anima debeat pariter exuere species vel habitus, quos in statu separationis habebat, quia hæc accidentia non impediunt eius coniunctionem cum corpore. Instat Ferchius lib.4. nu.78. in hac impugnatione, vel responsione nos principium petere, dum dicimus non videri necessarium animam separatam exuere intellectiones, & species illius status in reunione cum corpore, quia hæc accidentia non impediunt, eius coniunctionem cum corpore; hoc, inquit, erat nobis probandum, non proponendum, nam accidentia status separationis, & coniunctionis sunt opposita, & ideò dum anima separata reunitur debet illius status accidentia dimittere nam intellectus coniunctus est alligatus sensibus in recipiendis obiectis, & obiectorum cognitione, separatus est solutus à sensibus, & nihil ab eis recipere potest. At falsum est hic nos principium petere, & in probatione deficere, nos enim in nostra solutione negamus illam suam paritatem ex materia, & forma desumptam, quia materia quidam denudari debet veteribus formis, vt nouam suscipiat, quia opponebantur nouæ, & eius accessum impediebant, quo pacto accidentia animæ separatæ negamus impedire coniunctionem eius cum corpore; atque ideò cum nos responderemus, & negaremus, ad aliud non tenebamur, sed ipsi incumbebat probare paritatem, & talem oppositionem, quam postea hic probat, vt suo muneri satisfaceret ex oppositione statuum separationis, & coniunctionis; at non probat sufficienter, quia non omnia accidentia, quæ animæ conueniunt in statu coniunctionis repugnant omnibus, quæ ei competunt in statu separationis, & è contrà, sicut enim species hic acquisitas retinere potest in alio statu, quod non obscurè Arist. significauit 1.Ethic. cap. 11. vbi vult defunctas animas multa cognoscere, quæ hic fiunt, nempe prosperos amicorum successus, vel infortunia, quod non videtur melius fieri posse, quam per species amicorum hinc aductas; ita quoque si possit item anima in corpus reuerti, poterit secum deferre species, vel habitus, quos habeat in priori statu; nam species vnius obiecti non repugnat cum specie alterius etiamsi vna esset infusa, & alia acquisita, & intellectio alicuius obiecti semper est eiusdem rationis, siue ab anima coniuncta eliciatur, siue separata, vndè status illi opponuntur solum in modo cognoscendi, & acquirendi species per dependentiam, vel independentiam à sensibus, nequaquā verò in speciebus ipsis acquisitis, ac intellectionibus, quia omnes sunt spirituales & eodem modo à suis obiectis specificantur in vtroque statu.

At rursus num. 79. probare contendit accidentia animæ separatæ tam scilicet actus, species, & habitus deberi deleri, vt cum corpore possit denuò coniungi, quia natura nec redundat in superfluis, nec deficit in necessarijs; si anima coniuncta intelligat obiecta, & habitus spectantes ad statum separationis, iam impedietur ab intellectione obiectorum pertinentium ad statum coniunctionis 2. Topic. loc. 33. non contingit simul plura cogitare; ergo superfluum est secum aduehere obiecta separationis, nam hoc est aduehere impedimenta. Secundò anima intellectiua in corpore nihil intelligit sine ministerio corporis, & sensuum 3.de anim. 30. 39. ergo obiecta separationis non intelliget, cum illa sint intelligibilia, & non per sensum; nec dici potest, quod intelligantur sine sensuum famulatu, quia modi isti intelligendi per sensum sunt incompossibiles. Tertiò quia si intellectus secum deferret obiecta separationis, semper circa talia obiecta versaretur, quæ de se sunt magis intelligibilia, & ad quæ magis inclinatur 1.Met. 1. quam circa sensibilia, & in idem recidit ratio subsequens; Denique aliam rationem deducit ex 3.de anima 61, quæ in summa consistit in hoc, natura ad melius tum animæ, tum corporis, tum totius compositi consistit, vt intellectus in corpore existens nihil cognoscat nisi famulatu corporis, & sensuum, quem famulatum non respiceret, si obiecta meliora sine hoc famulatu cognoscere posset, & in eorum cognitione fælicitate potiri, qui enim habet finem, non quærit media ad acquirendum finem.

238 Resp. ad hæc omnia facilè suppositā doctrina superius ex Scoto allegata nu.233. quam tenent ex Peripateticis quamplures, & præsertim Raguseus ibi citatus, & Costunius de triplici statu animæ rationalis disp.5.sect.8. Cardinales Tolet. 1.de anim.text. 12. & Oregius qu.cit.ad 4. nimirum intellectum, etiam in statu coniunctionis phantasmatibus non indigere, nisi in prima motione, idest in acquisitione specierum, & prima intellectione facta per eas in secunda verò motione non semper illis indigere, sed vti posse speciebus anteà acquisitis sine recursu ad phantasmata, pro quo Bargius 1.d.3.q.6.§. *Ad aliud de Philosopho*, duas adducit Scoti auctoritates valdè expressas, vnam 4.d.45.q.1.ad 1.prin. iam superius allegatam, alteram 1.d.3.q.4.in corpore quæsiti; Itaque ad 1. negatur sequela antecedentis, quod scilicet si anima separata secum deferat obiecta separationis impediretur ab intellectione obiectorum ad statum coniunctionis pertinentium, ad probationem ex 2.Topic.loc. 33. quod non contingit simul plura cogitare, quicquid sit de sensu huius propositionis modo, de quo dixi disp.6.de anima qu.9.dico, quod si vtraque obiecta simul intellgere nequibit, sufficit, vt possit intelligere successiuè, & disiunctim vnum post aliud. Ad 2. verificatur assumptum præsertim in prima motione, non tamen semper in secunda, vndè comparatis ab intellectu speciebus obiectorum separationis, illisque retentis in nouo statu coniunctionis, poterit eis vti absque phantasmatum adminiculo, & in eorum consideratione se habebit, velut in secunda motione; quare negatur consequentia, ad probationem dico, quod licet in statu separationis dari nequeat modus intelligendi per sensum, seu per dependentiam à sensibus, quia anima in tali statu est quocumque sensu destituta, attamen in statu coniunctionis, non repugnat modus intelligendi independenter à sensibus, non quidem simpliciter, & absolute, & respectu cuiuscunque obiecti, hoc enim pacto est proprius dumtaxat status separationis, seu animæ separatæ, sed in secunda motione, & respectu obiectorum, quorum species fuerunt anteà comparatæ in statu separationis, nam si comparatæ fuissent in statu coniunctionis, mediatè saltim eorum intellectio penderet à sensibus. Ad 3. occurrendum ex doctrina Scoti 2. dist. 42. qu. 4. §. *respond. ergo*, quod ex imperio voluntatis poterit intellectus diuerti a consideratione obiecti potentioris ad mouendū ad contemplationē debilioris, vti etiam modo de facto pluries contingit; nec illud profusum argumentum cum sua conf. maius mysterium continet.

Ad vltimum dico idem ferè argumentum afferri à Doctore, vel saltim valdè simile 4.d.41.q.2.ab initio ad probandum, quod anima separata non possit acquirere cognitionem alicuius prius ignoti, quia tunc intellectus frustra vniretur corpori, probatio consequentiæ, non vnitur propter perfectionem corporis, quia forma non est propter materiam, sed è conuerso 2. Phys. ergo vnitur propter perfectionem sui acquirendam, vt scilicet per vsuum sensuum in corpore acquirat scientiam, sed istud esset frustrà, si separata sine vsu sensuum posset eam acquirere. Respondet Doctor lit. F. ad 1. princ. quod non sequitur frustra animam vniri corpori, estò enim quod propter perfectionem animæ fieret ista vnio vt scilicet acquireret perfectionem suam ex tali vnione, non sequitur, quod frustrà vniatur, si per aliam viam posset eam acquirere; si enim aliquid ordinatur ad finem non frustrà fit, si alio modo possit finis acquiri, sicut si sanitas possit acquiri per lotionem, & potionem, non frustrà fit lotio, etsi per potionem possit sanitas haberi, ita etsi cognitio possit acquiri per vsum sensuum, & per alium modum ab anima separata, non frustra fit vnio ex quo ipsa est conueniens vno modo acquirendi cognitionem; aliter & magis ad rem, quod vnio animæ ad corpus non est finaliter propter perfectionem corporis, nec solum perfectionem animæ, sed propter perfectionem totius consistentis ex illis partibus, & ideò licèt nulla perfectio possit accrescere huic parti, vel illi, quæ non posset haberi sine tali vnione, tamen non fit frustrà vnio, quia perfectio totius, quæ principaliter intenditur à natura, non posset haberi, nisi illo modo; ita Doct. ibi, ex qua doctrina sufficienter soluitur propositum argumentum ex hypotesi, quod anima separata denuò reuniatur corpori retentis habitibus, & speciebus, quæ habebat in statu separationis Demum S.Bon.2.d.18.art.2.q.2. in resolutione quæsiti ait somniū esse hanc animarum circulationem, & quod cum recedunt à corpore obliuiscantur malorum, quę habuerunt in corpore, & cum denuò accedunt, obliuiscantur prius cognitorum.

Sexta Ratio Propugnata.

239 SExtum argumentum contrà animarum circulationem factā disp.7.cit.de gen.q.7.art.2.nū.172. erat, quia multi habitus vitiosi in voluntate generati in statu coniunctionis permanebunt in ipsa in statu separationis, & tamdiu conseruari poterunt in ipsa, quousque recurrente vice sua iterum nouo corpori vniatur, & sic ille homo in eadem inclinabitur vitia, in quę alter homo ex præcedenti corpore constitutus. Ferchius cap.8.lib.4.in primis notat nos in hoc argumento redargutionis, nam superius in primo argumento volebamus, quod homo constitutus ex eodem intellectu cum præcedente corpore corrupto, & homo constitutus ex eodē intellectu cum corpore de nouo genito esset idem homo numero, nunc veritate conuicti dicimus; quod esset alter, & alter numero. Hæc tamen est mera calumnia, nunquam enim diximus animam, quæ hoc anno recedit à corpore hoc, si post multos annos reuertatur in aliud numero corpus, eundem numero hominem constituere, quasi sola formæ identitas sufficiat ad vnitatem, & identitatem numeralem compositi sine identitate materiæ; sed in primo argumento diximus quod admittentes circulationem animarum in diuersa numero corpora eiusdem speciei coguntur & ipsi concedere circulationem Platoni adscriptam in idem numero corpus, sicut enim naturaliter videmus eandem materiam ad diuersas transire formas, cur post multas annorum centurias contingere nequit eandem materiam rursus eadem anima informari, si animæ continuò redeunt ordine circulari ad corpora informanda? nulla ergo est redargutio in hoc argumento, nisi quam ipse fingit, & nobis affingit.

Deindè negat assumptum, quia nullus habitus vel bonus, vel malus cum intellectiua recedente recedit de corpore, sed intereunte corpore interit, status enim coniunctionis, & status separationis sunt status oppositi in anima rationali, oppositorum oppositæ sunt conditiones, & affectiones; quando igitur anima transit ab vno statu ad alium, omnia præteriti status accidentia deponit & nuda procedit ad statum oppositum, vt alternatim fungatur operationibus congruis huic, vel illi statui. Tum quia amare, odisse non sunt operationes intellectus, sed compositi, quo destructo intellectus amare, aut odisse non potest 1.de anima 66. non potest tristari, aut gaudere, irasci,

vel

vel timere 1. de anima 63. non potest misereri, cogitare, addiscere, reminisci 1. de anim. 64. denique hæc dicere de anima intellectiua est ac si diceremus animam texere, vel ædificare. Demum ex hac nostra ratione arguit ad inconueniens, cum enim anima intellectiua in corpore innascitur, ex corpore multas prauas inclinationes concupiscentiæ, & iracundiæ subit propter pugnam sensualis appetitus contrà rationem, & corporis contrà animam; non ergo à Deo esset anima in corpus infundenda vnquam, ne à corpore, & sensu inclinetur ad ista vitia.

240 Cæterum non adhuc sufficienter probauit Ferchius in hominis interitu deleri ab intellectu omnes species hic impressas, & omnes habitus, nec ratione, nec ex Aristot. illa namque ratio ex oppositione statuum deducta iam supra diluta est num. 237. nam status separationis, & coniunctionis non opponuntur in obiectis ipsis intellectis & rationibus cognoscendi, quæ sunt species intelligibiles, sed in modo cognoscendi, seu in modo vtendi illis, nam in statu coniunctionis vtimur illis dependenter à phantasmatibus, in statu separationis independenter, licet in statu quoque coniunctionis aliquo pacto vsus illarum dari possit independenter à sensibus ex dictis nu. 233. in secunda motione. Nec etiam sufficienter probauit ex Aristot. nam illa quoque duo loca ab ipso adducta ex libr. de longit. & breuit. vitæ cap. 2. & ex cap. de qualit. in prædicamen. in quibus videtur docere Aristot. habitus in intellectu existentes corrumpi ad corruptionem eorum, qui sunt in sensibus, iam explicata sunt supra num. 228. & 229. ex dictis suo loco de hac re disp. 3. de anim. quæst. 6. in fine, & disput. 8. quæst. 1. art. 1. num. 15. imò ex Aristot. colligit oppositum Scot. 1. dist. 3. quæst. 6. N. ex 3. de anim. tex. 6. dum mentem appellat locum specierum, quia est scilicet conseruatiua earum, & Ragusæus disputat. 20. cap. 8. ex tex. 20. 3. de anim. vbi ait Aristot. docere post mortem nos non reminisci gestorum in hac vita, non quia species hic acquisitæ deletæ sint in ipso hominis interitu, sed quia iam acquisitis speciebus in continuo actu intelligendi versatur, vndè non tam est reminiscens, quam continuo per eas intelligens, & sic etiam significasse videtur 1. Ethic. capit. 11. vbi vult defunctas animas cognoscere prosperos amicorum successus, vel infortunia, quod manifestum signum est in anima separata remansisse amicorum species, & simulacra; Quinimò in illo ipso loco in oppositum citato de longitud. & breuit. vitæ capit. 2. dum ait destructo animali destrui scientiam, planè non loqui videtur de habitu scientifico animæ inhærente, sed alio existente in ipso animali, seu eius phantasia, qui scientifico correspondet, loquitur enim eodem modo de corruptione scientiæ, & sanitatis, quod tamen non benè diceretur si per scientiam intelligeret habitum scientificum animæ insidentem, imo ibi videtur distinguere scientiam, quæ est in animali, & ait ad eius interitum corrumpi, à scientia, quæ est in anima, sic namque loquitur *corruptis animalibus corrumpuntur, & scientia, & sanitas, quæ in animalibus*, & statim subdit *quapropter & de anima ratiocinabitur quis vtique ex his, si enim est non natura, sed quemadmodum scientia in anima, sic & anima in corpore, erit vtique ipsius & alia corruptio præter corruptionem, qua corrumpitur corrupto corpore, quare quoniam non videtur esse talis, aliter vtique habebit ad corporis communionem*; & D. Thomas in huius textus expositione ait Aristot. hic de anima intellectiua non loqui, quia dicit esse corruptibilem, vnde hæc auctoritas vel nobis fauet, vel certe non aduersatur. Deniq. animam separatam secum species deferre hic à phantasmatibus elicitas, ac etiam per eas intelligere in statu separationis tenet quoque Contaren. cui tantum defert Ferchius, quæst. de immortalitat. animæ capit. 7. ad 8. vbi etiam approbat doctrinam Scoti de anima separata, & angelis in hac materia quantum ad modum cognoscendi per species, ac eam amplectitur, idem etiam tenet Capredonus de Theologia Arist. lib. 1. cap. 38. & 39. vbi vult de mente Arist. & habitus, & species hic acquisitas in anima separata permanere, & ait in morte scientiam corrumpi quoad id, quod se tenet ex parte sensus non autem intellectus.

241 Quæ autem adducuntur ex text. 63. 64. primi de anima non satis fideliter allegantur, nam in text. 63. non habetur animam non posse tristari, gaudere, irasci, vel timere, sed potius text. 64. vbi nec etiam loquitur absolutè, sed dubitatiuè cum particula *fortassis*; imò contextus illi etiam Ferchio sunt explicandi, quandoquidem videantur animæ omnem prorsus auferre propriam operationem, & ponere esse solius compositi, & habentis omnes operationes, etiam illas, quas dicimus esse inorganicas, indifferenter enim ibi loquitur de actionibus sensitiuis, & intellectiuis, organicis, & inorganicis, & inquit omnes esse compositi, & habentis irasci, misereri, addiscere, cogitare &c. per quod excluditur etiam communis responsio, quod Aristot. ibi loquatur de operationibus organicis, quæ sunt totius coniuncti, vt principij tam actiui, quam receptiui; nam loquitur ibi etiam de addiscere, & intelligere, quæ non sunt ita totius habentis; itaque ex Scoto 4. dist. 45. quæst. 1. E cuiuscunque totius forma non est nata per se esse, eius totius potest esse aliqua operatio propria, quæ non potest esse formæ suæ; sed per oppositum cuius forma specifica nata est per se esse; illius totius non potest esse aliqua operatio perfecta, quæ non possit esse formæ, vt operantis, quia operatio perfectissima non potest inesse, nisi insit secundum formam perfectissimam, & non potest esse secundum formam perfectissimam, & possibilem per se esse, nisi possit illi per se inesse, quia illud erit per se immediatum receptiuum, & ita si per se est, per se potest recipere, concedo ergo (inquit Doctor) quod intellectio est propria operatio totius hominis, sed secundum formam perfectissimam in eo, tanquam secundum rationem propriam operandi, nec hoc solum, sed quia hæc forma est separabilis, sic inest secundum eam, quod potest esse eius, & ideò sic est propria totius, quod potest esse partis, licèt quamdiu est in toto, denominatio actionis non tribuatur ipsi immediatè, sed supposito, cuius est pars, quandoquidem actiones suppositorum esse dicantur 1. Metaph. in proœmio, vt declarat Doctor 1. dist. 12. quæst. 1. ad 2. princ. & 4. distinct. 12. quæst. 3. ad 2. princ. quam etiam expositionem Scoti recipit, & approbat Contaren. quæst. cit. de immortal. animæ capit. 7. ad 8. est tamen adhuc differentia inter actiones organicas, vt videre, & inorganicas, vt intelligere, quod istæ tribuuntur supposito præcisè, vt vltimè denominato, non autem vt immediatè earum actiuo, & receptiuo, illæ verò vtroque modo, & ideò nequaquam dici possunt operationes propriæ ipsius formæ, sed necessariò sunt ipsius habentis. Denique argumentum, quod deducit ad inconueniens ex nostra ratione, nullum est, nam nostra ratio indè inconueniens deducit, quod ex hypotesi homo de nouo constitutus per eandem animam ad statum coniunctionis reuertentem in eadem inclinaretur vitia, in quæ alter homo ex præcedenti corpore constitutus ex prauis habitibus animæ inhærentibus non autem ex hoc, quod inclinaretur in vitia, & prauas inclinationes ex corpore nouo contractas.

Vltima Ratio Propugnata.

242 POstremò circulationem animarum impugnauimus disp. cit. de gener. num. 168. & num. 272. quia turpius absurdum, vel saltim æquè turpe, & nostræ fidei perniciosum non minus est circulatio animarum quam sit mortalitas ipsa, ita diximus num. 172. Tum quia etiam ex philosophia potiores rationes, & ex Aristot. plura, ac manifestiora habemus loca pro animæ mortalitate, quam eius circulatione, ita diximus num. 168. primum argumentum absolutè procedit, & secundum veritatem Fidei nostræ Catholicæ; alterum verò procedit in via Aristotelis.

Ferchius lib. 4. pag. 433. cap. 1. valdè infidè hunc nostrum refert discursum, vt illum calumniari posset, tanquam hæreticum, & parum fidei nostræ consentaneum, vbi enim nos dicimus *ex philosophia potiores rationes, & ex Arist. plura, ac manifestiora habemus loca pro animæ mortalitate, quam eius circulatione*, relicta comparatione rescribit nostram propositionem, tanquam absolutè prolatam sic *nos habemus ex philosophia potiores rationes pro animæ mortalitate*, quam quidem propositionem nunquam nos asseruimus, sed oppositam, nam disp. 1. de anima q. 1. c. de animæ immortalitate n. 1 < 2. hæc verba habemus *ex his omnibus colligitur, quomodo opinio de immortalitate naturaliter sit euidentior, quia euidentiores pro se rationes habet quarum præcipuæ sunt quatuor vltimæ*; non ergo diximus ex philosophia haberi potiores rationes pro mortalitate animæ absolutè loquendo, neque facta comparatione cum immortalitate, sed præcisè facta comparatione cum animarum circulatione, vt patet ex nostra propositione iam relata ex n. 168. in fine; & rursus, cum diximus haberi ex philosophia potiores rationes pro animæ mortalitate, quam pro circulatione, non loquimur de philosophia in se, quæ est vera philosophia, vt nobis impingit Ferchius in eodem cap. sed de philosophia Arist. quia in eo paragrapho, vbi eam habemus propositionem sub n. 168. disputamus cū Ferchio de circulatione in sententia Arist. vt patet ex illis verbis *Nec dicat Ferchius id sentire in sententia Arist. supposita mundi æternitate, non autem secundum veritatem*, ad quod præcludendum effugium statim subdimus *Nam candidiores philosophi*, de mente Arist. immortalitatē animæ defendunt &c. quam periodum terminamus illis verbis, *& vtique ex philosophia potiores rationes, & ex Arist. plura ac manifestiora habemus loca pro animæ mortalitate, quam eius circulatione*, quæ vltima verba addita sunt ad declarandum philosophiam, de qua est sermo in ea propositione, esse philosophiam Arist. non autem ad innuendum oppositum, vt intellexit Ferchius, vt nos calumniari posset; tum quia inferius nu. 172. volentes distinguere, philosophiam in se à Philosophia Aristotelis, hanc vocamus peripateticam, illam verò veram philosophiam his verbis *hæc igitur, & alia absurda sequuntur in vera philosophia, ac etiam Peripatetica ex animarum circulatione*; ergo per philosophiam in discursu facto num. 168. intelligimus philosophiam Aristot. de qua ibi erat sermo, non autem philosophiam in se; & ibi duas facimus comparationes, primò comparamus immortalitatem cum mortalitate & dicimus candidiores Philosophos de mente Arist. immortalitatem animæ defendere; deindè mortalitatem comparamus cum circulatione, & dicimus ex philosophia, & Arist. plures haberi rationes, & locos pro mortalitate, quam pro circulatione; quod rursus nunc asserimus, nam pro mortalitate plures extant auctoritates, & rationes deducuntur ex Aristot. vt patet apud Auctores eam tuentes de mente Arist. at pro circulatione nec vnus quidem textus potest afferri, vt constat ex supradictis num. 224.

243 Deindè sub nu. 172. comparando rursus mortalitatem cum circulatione dicimus *hoc enim turpius putamus absurdum, vel saltim æquè turpe, & nostræ fidei perniciosum non minus, quam sit ipsa mortalitas* Ferchius hanc nostram propositionem lib. 4. p. 433. c. 1. ab initio ita rescribit *hoc enim turpis putamus absurdum, vel saltim æquè turpè, & fidei*

nostræ perniciosius, quam sit ipsa moralitas, vbi, vt vides, fraudulenter particulam æquatiuam *perniciosum non minus*, immutat in excessiuam *perniciosius*, & paulò inferius sub eadem phrasi excessiua repetit rursus eandem nostram propositionem hoc modo, tertium nempe à nobis assertum est *perniciosior est immortalitas cum transmigratione animarum, quam sit ipsa mortalitas respectu fidei catholicæ*, in qua propositione præter indicatam fraudem particulæ excessiuæ facit nos asserere nedum circulationem, sed etiam ipsam immortalitatem illi coniunctam esse mortalitate perniciosiorem, quod tamen absit à nobis vnquam assertum esse, quia quoad esse magis vel minus, vel æquè perniciosum, nunquam comparauimus mortalitatem cum immortalitate siue per se sumpta, siue circulationi adiuncta, sed precisè comparauimus cum ipsa circulatione; & valdè apud me differunt illæ duæ propositiones, circulatio est perniciosior, vel æque perniciosa, ac mortalitas ipsa; immortalitas cum circulatione est perniciosior ipsa mortalitate, nam prædicatum *perniciosius aut æque perniciosum*, in prima propositione affirmatur de ipsa circulatione præcisè, in secunda verò affirmatur nedum de circulatione, sed etiam de ipsa immortalitate, si non per se sumpta, saltim circulationi coniuncta; super hanc impostturam posteà Ferchius integram instituit Disputationem ad cognoscendum, vtrum perniciosior sit Fidei Catholicæ mortalitas animæ intellectiuæ, an immortalitas cum regressu in humana corpora tantum; & cap.2. illius Disp.probat mortalitatem esse longe perniciosiorem, quam sit immortalitas cum regressu ex Concil. Lateranen.sub Leone X. sess. 8. vbi tanquam perniciosissimus error damnatur animæ mortalitas, *cum illa non solum vere, per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit, quod manifestè constat ex Euangelio, cum Dominus ait, animam autem occidere non possunt, & alibi, qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, & cum æterna præmia, et æterna supplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit*; hic expresse est damnata mortalitas animæ, at regressus animarum in corpora humana, neque in hoc Concilio, neque in alijs reperitur damnatus, ergo est perniciosior mortalitas animæ, quam immortalitas cum regressu.

244 Resp. in primis negando minorem, nam Thriumphus Catholicæ veritatis supracit. hæresi octaua, quæ erat Albigensium, & Albanensium, refert, quod Ecclesia vniuersalis in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Papa, & Federico I. Romanorum Imperatore anno salutis 1179. 5. Martij Celebrato 300. & amplius P. P. inter quos præsidebat Summus Pontifex Alexander III. hanc assertionem cum ceteris Albigensium erroribus damnauit, Imò & in eodem Conc. Later. sub Leone X. à Ferchio adducto, ac etiam in eodem decreto non obscure hæc hæresis damnatur ex duplici capite; nedum enim decernit Concilium, quod anima sit immortalis in præallegato decreto, sed insuper, quod est multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda pro corporum multitudine, per quod significat eandem animam plures homines successiuè non constituere, vt asserunt circulatores; decernit item pœnas, & præmia animabus hinc decedentibus respondentia æterna esse, atque perpetua, quod non stat cum circulatione, quæ statuit animas statis temporibus sæpius, ac infinities ad corpora regredi, ergo in eodem decreto simul cum mortalitate damnatur circulatio, quod neq; Ferchius negare potuit disp.cit.c.4.in fine; Deinde concesso etiam toto argumento nil ritè contra nos concluditur, neq; enim nos diximus circulationem esse Fidei Catholicæ perniciosiorem quam sit mortalitas ipsa, sed diximus non esse minus perniciosam, neque in titulo perniciositatis comparauimus mortalitatem cum immortalitate, aut per se sumpta, aut circulationi coniuncta, sed præcisè cum ipsa circulatione; & hanc præcisè diximus *esse æque turpe absurdum, et nostræ Fidei perniciosum non minus, quam sit ipsa mortalitas*, quam etiam eandem phrasim adhibuimus disp.1. de anima q. 10. de anim.immortalitate nu.158.illis verbis *& certè minus absurdum est imponere Arist.hanc hæsitationem, quam circulationem animarum, cum hæc circulatio sit æque impia, ac mortalitas animæ*.

245 Imò quando etiam hoc diximus, non vtique absolutè locuti sumus, sed per quandam exaggerationem, quia vt notat Doctor 2.d. 33.q.vn. ad primum secundum Philosophum 2.Ethic. c.vlt. sicut in moribus via deueniendi ad medium est aliqualiter procedere vltrà medium versus extremum, ita frequenter Sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes excessiuè locuti sunt volentes declinare ad aliud extremum, & ita multum ponderandum est contra quos hæreticos Sancti sunt locuti, sicut August. contra Arium videtur quasi declinare ad Sabelliũ, & è conuerso, similiter contra Pelagium declinare ad Arium, & è conuerso; hac quippe cautela se Ferchius excusat lib.3.c.6.nu.30. cur non soluerit rationes à se facta pro separabilitate cuiuscunque substantialis formę in vniuersali, videbam enim, inquit, Alexandræos multos ad hoc malum inclinatos, vt crederent animam intellectiuam esse mortalem, & inseparabilem fundari in vniuersali negatiua *nulla forma est separabilis*; vt ergo mentes Peripateticorum ad hanc veritatem *quædam forma substantialis est separabilis, simpliciter, & incorruptibilis*, adducerem, inclinaui ad extremum contrarium, & pro viribus ostendi, omnem formam substantialem esse ingenerabilem; & incorruptibilem, & separabilem, vt mens lectoris grauata in hanc partem longè facilius ad veritatem intentam, hoc est ad formam separabilem cum Arist. tenendam accederet. Hanc eandem excusationem nos quoque assumimus non minus nobis, quam ipsi valituram; videbamus enim nonnullos animæ immortalitatem tuentes quidem, sed cum hoc errore, vt crederent eandem animam sæpius redire sæculorum successu ad diuersa corpora informanda, quod quidem & veritati, & Arist. aduersatur, vt ergo mentes horum Peripateticorum ad hanc veritatem, quod non datur animarum circulatio, adduceremus; inclinauimus ad extremum contrarium, & diximus circulationem animarum esse turpius absurdum, vel saltim æque turpe, & nostræ Fidei perniciosum non minus, quam sit ipsa mortalitas; quod per exaggerationem, inquam dictum est, ac veluti per excessum, vt mens lectoris grauata in hanc partem, longe facilius veritatem intentam, hoc est; ad circulationem negandam accederet secundum veritatem, ac etiam secundum Arist. quam circulationem Faber aduersus Atheos disp.1.cap.12. num.261. tribuit Pythagoricis, & Platonicis, & ait nunquam fuisse ab Arist. admissam.

246 Demum c.4.illius Disp.pag.452. nobis rursus imponit, quod lectores hortemur ad Alexandræorum opinionem amplectendam, illis verbis, Verùm Offensores mei ad Alexandræorum opinionẽ hortantur dicentes *satius fuisse cum Alexandræis consentire in animæ mortalitatem absolute*, hæc quoque mera impostura est, nam nu.168. dicimus, candidiores Philosophos de mente Arist. immortalitatem animę defendere, vt in statu separationis beari possit, quare si Ferchius eam volebat infinities esse ad huius mundi miserias redituram, Alexandræis manum dare ad destruendum alium animæ statum, in quo recte gestorum præmia referat, male verò pœnas luat, *vnde satius fuisset, quod cum eis in animæ mortalitatem consensisset, quam cum Pitagoreis in eius regressum ad corpora fabulosior siquidem est animarum circulatio etiam in sola corpora humana, quam ipsa mortalitas, & vtique ex philosophia, & ex Arist. plura, ac manifestiora habemus loca pro animæ mortalitate, quam eius circulatione*; Et rursus inferius n.172. concludimus in hæc verba *resoluè dicimus satius esse in Arist. sententia animæ mortalitatem tenere, quam immortalitatem asserere, cum tam absurda appendici transmigrationis animarum, hoc enim turpius putamus absurdum, vel saltim æque turpe, & nostræ fidei perniciosum non minus, quam sit ipsa mortalitas*. Ex hoc vtroque loco constat semper sermonem esse de immortalitate animæ in Arist. sententia, non autem in philosophia in se; constat etiam absolutè loquendo nos asserere de mente Arist. immortalitatem animæ defendi debere cum candidioribus Philosophis; & tandem comparatione facta inter mortalitatem, & circulationem dicimus in Arist. plures reperiri auctoritates, & rationes pro mortalitate, quam pro circulatione, quia pro illa plures referuntur ab Alexandræis, nulla verò pro ista à Circulatoribus, vt constat ex dictis; atq; ideò dicebamus ex hypothesi, quod horum duorum errorum alter in Aristotelis sententia defendi deberet, præsta potius mortalitatem tenere apud Arist. quam non semel hęsitando significauit, quam circulationem ab ipso neque somniatam, absolutè tamen loquendo in eius sententia teneri debere immortalitatem animę quam expressius significauit, & apertissime non semel fassus est, licet necessaria ratione non demonstrauerit, quę est sententia Scoti 4.d. 43. q. 2. Ex hac itaque vltimæ rationis impugnatione satis patet, quod in toto volumine Defensionis Ferchij correspondent vltima primis à conuitijs, & impostturis initium suscepit, ex eisdem creuit progressus, & tandem in hæc definit, quibus à volumine detractis, sicut pro defensione nihili, aut factionis ex nihilo præsertim elaboratum est, ita resoluitur in nihilum; & hæc dicta sufficiant pro responsione ad doctrinam, quam inter iniurias, & conuitia sparsam in eo libro vix colligere potui; ad scommata, & conuitia fateor me esse imparẽ, & impotem ad respondendum, quod si etiam potens essẽ, nec adhuc respõderem; nam & status Religionis, & Philosophiæ studiũ ne coercet.

Vt autem Lector æquus iudex in hac causa esse possit, in calce huius Respõsionis adscribo, quę eleganter dixit doctissimus Raguseus disp. 23.c.20.de quorundam auditorum, & Auctorum temeritate, & arrogantia de illis inquit, *non possum equidem non illorum temeritatem, atq; inanem arrogantiam vehementer deplorare, qui nulla prorsus ratione ducti, nec vllis fundamentis subnixi, sed sola fide auctori cuipiam habita, libros tanquam verissima pronunciare audent quæcunque vel ab auctore illo scripta sunt, vel quæ ab eodem excercere aliquo modo possunt*; de istis verò ait, Vocare hos ego soleo scientiarum perturbatores, veritatisq; obscuratores, nec quidem iniuria, hi enim cum rerum varietate, de quibus loquuntur, tam lepido quodam dicendi genere multitudinis primum animos ad beneuolentiam alliciunt; vbi dein apud diuites, vulgaresque homines fama celebres facti sunt, quæcunque videantur suo arbitratu pronunciant, auctores alios commendant, alios condemnant; dictorum, sententiarumue aliorum censores se exhibent, quasi ij soli propterea quod reconditarum literarum cultores vocitentur, rerum omnium iudices honorarijque arbitri sint constituti; His vulgus, his iuuenes nulla prorsus habita ratione, omni discrimine remoto, iuxta vera, ac falsa, quæ tanquam firmissima, ac constantissima cum cæteris postea communicant, ac si eadem ab ipsius veritatis ore percepissent; quid plura? omniscientes isti eo temeritatis peruenerunt, nimioque multitudinis applausu adeò tumidi facti sunt, vt illos non pudeat vel grauissimorum in quacunque scientia Doctorum sententias aperte corrigere, quorum certè ineptissimi essent auditores.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De ordine accidentis ad subſtantiam.

247 ARiſt. 9. Met. tex. 4. comparans ſubſtantiam cum accidentibus triplicem præſertim tribuit primitatem ſubſtantiæ in ordine ad accidentia, nimirum primitatem definitionis, cognitionis, & temporis illis verbis *ſubſtantia & ratione, & cognitione, & tempore omnium primum eſt*, quas omnes prioritates latè declarat Doctor 7. Metaphyſ. quæſt. 2. 3. & 4. vbi Ant. And. Zerb. Faber. & alij Metaph. ego de hac re breuiter agam in hac ſola quæſtione, quia difficultate vacat.

Circa primam prioritatem ſubſtantiæ ad accidens nempe rationis conueniunt Expoſitores per hoc Ariſt. intellexiſſe prioritatem definitionis accipiendo nimirum rationem pro definitione iuxta conſuetam Ariſt. phraſim, quod manifeſtè colligitur ex eius probatione, inde enim probat ſubſtantiam eſſe ſic accidente priorem, quia accidens definitur per ſubſtantiam, non è contra; pro cuius intelligentia recolendum eſt ex dictis diſp. 1. Log. q. 4. art. 2. ab initio duplicem aſſignari ſolere definitionem, vnam purè quidditatiuam ex ſolo nempe genere, & differentia conſtantem, quæ eſt propria ſubſtantiæ, alteram verò per additamentum daram, & eſt illa quæ vltra genus, & differentiam aliud exigit extraneum additum, vt res perfectè, & exactè intelligatur per ordinem ad ipſum, & hoc modo dicuntur accidentia definiri per ſubſtantiam 7. Met. 15. 16. 17. ſicut enim accidens non dicitur ſimpliciter, & abſolutè ens, ſed cum addito *entis ens*, modo ſuperius explicato q. 1. ſic etiam definiri debet definitione non ſimpliciter dicta, ſed per additamentum data, res enim definiri debent, ſicuti ſunt; ratio autem, cur ſubſtantia cadere debeat in definitione accidentis per additamentum innuitur à Doctore 4. d. 12. q. 1. L. quia omne accidens habet rationem formæ inhærentis, talis autem formæ nequit haberi perfectus conceptus quietans intellectum ſine illo, cui inhæret, conceptus autem perfectus formæ inhærentis non poteſt haberi quietans intellectum, niſi cointelligatur id cuius eſt, & cui inhæret; cum igitur definitio exprimat perfectè conceptum definiti, ideò quantumdunque eſſentialia formæ exp imerentur ſine illo, cuius eſt forma, quamuis quidditas eius indicaretur, tamen non eſſet conceptus perfectus quietans intellectum & ideò nec definitiuus, & hæc eſt neceſſitas definiendi accidens per ſubſtantiam.

Et ſi obijcias, ergo pars eſt neceſitas formam ſubſtantialem definiri per additum, ſicut & accidens. Reſp. vtrobique eſt neceſſitas (inquit Doctor) patet per Philoſophum definientem animam 2. de anima, vbi ſtatim ponit corpus, quod eſt perfectibile ipſius, vel totum compoſitum, cuius ipſa eſt pars, nec aliquid ponit pertinens ad eſſentiam animæ, ſed tantummodo hoc, quod eſt actus, quod ſignificat reſpectum animæ ad illud, cuius eſt forma, non tamen eſt ſimilis additio hic, & ibi, quia in definitione formæ ſubſtantialis additur aliquid, quod facit per ſe vnum cum ipſa, vel cuius ipſa eſt per ſe pars, quod dico propter modum dicendi diuerſum formam definiri vel per totum, vel per materiam, ſed in definitione formæ accidentalis additur aliquid, cum quo non facit per ſe vnum, nec cuius eſt pars per ſe. Dices definitio eſt oratio perfecta explicans eſſentiam, & quidditatem rei; ergo quicquid pertinet ad eſſentiam, & quidditatem rei explicandam non eſt additum, ſed eſſentiale. Negatur conſequentia, quamuis enim quicquid pertinet ad eſſentiam rei nequeat eſſe quid additum, ſed eſſentiale, attamen quod pertinet ad eam explicandam poteſt eſſe quid additum, & præter eſſentiam, quia eſſentia rei explicari poteſt nedum per prædicata quidditatiua, ſed etiam per aliqua eſſentiam neceſſario conſequentia, qualis eſt in propoſito ordo tranſcendentalis, quem dicit forma ad materiam, accidens ad ſubiectum.

248 Circa aliam primitatem nempe cognitionis notat Doctor. 7. Met. q. 3. & cum eo Ant And. poſſe dupliciter intelligi, quod ſubſtantia ſit prior cognitione ipſo accidente, vel primitate originis, & generationis, vel primitate perfectionis; quando Ariſt., nquit ſubſtantiam eſſe priorem accidente cognitione, non intelligit de prioritate originis, nam in hoc ſenſu ſaltim pro ſtatu iſto, & reſpectu cognitionis noſtræ, res potius è contra ſe habet, quod accidens eſt prius cognitione ſubſtantia iuxta illud, quod docuit Ariſt. 1. de anima tex. 11. accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quodquid eſt, ex quo ſic arguitur, illud eſt prius cognitionem alio via originis, ex cuius cognitione in cognitionem alterius deducimur, ſed ſic eſt, quod ex cognitione accidentis pro ſtatu iſto deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ, non eſſe contra, ergo &c. Probatur minor, quia pro ſtatu iſto omnis noſtra cognitio ortum ducit à ſenſu, & ideò nihil intellectus cognoſcere poteſt, quod aliquo modo non fuerit in ſenſu, ſed iliud, quod eſt in ſenſu eſt ſpecies accidentis, quia obiecta ſenſuum exteriorum ſunt accidentia, vt patet, ergo &c. hoc modo probat Doctor accidens eſſe prius ſubſtantia quoad cognitionem primitate originis 1. d. 3. q. 3. K. & d. 22. q. 1. de quo ex profeſſo tractaui diſp. 6. de anima q. 6. art. 2.

248 Loquitur ergo Ariſt. de primitate perfectionis, intenditq. ſubſtantiam eſſe priorem cognitione, quam ſit accidens, quoad perfectionem, quatenus ſubſtantia eſt perfectius cognoſcibile, quam accidens, eſt autem perfectius cognoſcibile, quia habet perfectius quod quid eſt quod expreſsè colligitur ex ipſo Ariſt. contextu, vbi ſic loquitur *ſcire enim tunc putamus vnumquodque magis, cum quid eſt homo, aut ignis ſciamus, quam quale, aut quantum, aut vbi*, notat tamen Doctor qu. 3. cit. in fine, quod licèt ſubſtantia ſit perfectius cognoſcibile ſimpliciter, tamen poteſt perfectius adhuc cognoſci à nobis accidens ſecundum proportionem cognoſcibilitatis ſuæ, neq. iſta duo repugnant, quia perfectius v. g. ſpecies alicuius albi remiſſi mihi repreſentat ipſum album, cuius eſt ſpecies, quam ſpecies ſoli s repræſentet oculo Aquilæ ipſum Solē, & magis vi leo albū ſecundū proportionem viſibilitatis ſuæ, quam Aquila Solem ſecundum proportionem viſibilitatis ſuæ, licèt Sol ſimpliciter ſit perfectius viſibile, quam hoc album; non ergo repugnat, inquit Doctor, quod ſubſtantia ſimpliciter ſit in ſe perfectius intelligibile, ac etiam nobis ſi poſſemus illam pro ſtatu iſto cognoſcere ſub proprio conceptu quidditatiuo, & adhuc tamen accidēs ſit perfectius cognoſcibile nobis ſecundum proportionem cognoſcibilitatis ſuæ. Obijci ſolet, quod accidentia ſupernaturalia, vt lumen gloriæ, gratia, charitas &c. ſint priora ſubſtantia quoad cognitionem etiam prioritate perfectionis, quia ſunt in ſua entitate perfectiora, quā ſit ſubſtantia cum ſint ordinis ſupernaturalis. Reſp. negando aſſumptū quamuis enim in genere moris accidentio ſupernaturalia ſint perfectiora ſubſtantia, tamen in genere entis quælibet ſubſtantia etiam minima præſtat omnibus accidentibus etiam ſupernaturalibus, vt docet Scotus 3. diſt. 13. quæſt. 1. ad 3. princ.

250 Concinit huic expoſitioni Alenſis 7. Met. tex. 4. & 5. quæſtiuncula quinta, vtrum ſubſtantia ſit prior accidente noritia; Dicendum eſt, inquit, quod prius notitia poteſt eſſe duobus modis, vno modo quaſi paſſiuè, vt ſi ſenſus, prius ideſt prius cognitum, ita quod illud vocetur, prius notitia, ſuper quod fertur noſtra notitia, & cognitio prius; ſecundo modo poteſt intelligi prius notitia quaſi actiuè, quaſi dicatur prius notitia, quod facit maiorem notitiam, non quia prius cognoſcatur à nobis, ſed quia quando cognoſcitur, facit maiorem notitiam de re, quam aliquid aliud; primo modo accipiendo prius notitia, accidens poteſt eſſe prius notitia ipſa ſubſtantia, & quadam prioritate temporis, quia prius tempore fertur noſtra notitia ſuper accidens, quam ſupra ſubſtantiam, ſecundo modo, accipiendo prius notitia ſubſtantia eſt prior notitia accidente, quia ſi de eadem re cognoſcitur ſubſtantia rei, & accidens rei, maiorem notitiam habemus de ipſa re per ipſam ſubſtantiam, quam per accidens, ita quod prius notitia non eſt, prius notitia in tempore, ſed prius hoc eſt dignius, vel nobilius notitia, & iſto modo accipit his Philoſophus, quia ipſe dicit, quod ſi de eadem re cognoſcimus, quid eſt, quale eſt, maiorem cognitionem habemus per ipſum quid eſt, quale per ipſum quale eſt, quia vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ſic ad notitiam 2. Met. 4. ita Alenſis.

251 Circa prioritatem temporis, quam etiam attribuit ſubſtantiæ in ordine ad accidens eſt maior difficultas, quia nullo, vnquam tempore fuit ſubſtantia ſine accidentibus, ſed ab initio cæpit ſubſtantia accidentibus comitata; tum quia ſubſtantia non eſt prior accidente, quod eſt eius priora paſſio, non enim reperitur, vel reperiri poteſt ſubſtantia ſine propria paſſione; tum demum, quia ſi eſt prior tempore omni accidente; ergo eſt prior ipſo tempore, cum tempus ſit quoddam accidens, & ſic tempus erit ante tempus. Ad hanc difficultatem explicandam varij ſunt modi dicendi quorum præcipuos breuiter hic tangam, vt melior eligatur, ex Scoto 7. Met. q. 2.

Prima expoſitio eſt Commentatoris 6. Met. tex. com. 4. vbi diſtinguit de accidente ſeparabili, & inſeparabili, & ait quod ſi ſubſtantia comparetur ac accidens ſeparabile, quælibet ſubſtantia tam ſimplex, quam compoſita, dici poteſt prior tempore ſuis accidentibus, quia quædam illorum tempore præcedit, vel ſi illorum aliqua non præcedit, ſaltim quantum eſt ex ſe poteſt ab illis ſeparari; ſi verò comparatur ad accidens inſeparabile, tunc nō verificatur de ſubſtantia compoſita, ſed ſolùm de materia, quæ, cum ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, præcedit tempore quodlibet accidens proprium ſubſtantiæ cōpoſitæ eam conſequens ratione formæ, quæ de nouo aduenit, vt v. gr. ignis non eſt prior tempore calore, tamen materia ignis eſt prior tempore caliditate, quæ conſequitur formam ignis. Hæc expoſitio multipliciter reijcitur à Scoto loc. cit. & quamuis quoad primam partem poſſit ad bonum ſenſum reduci, vt poſtea patebit adducendo Scoti expoſitionem, tamen quoad ſecundam partem, nec eſt in ſe vera, neque ad intentionem Ariſt. non quidem in ſe vera, nam vel eſt ſermo de materia, vt informata aliqua forma ſubſtantiali, & ſic non eſt prior tempore accidentibus talem formam conſequentibus, ſub qua ſupponitur eſſe; in materia verò vt antecedit talem formam, præcedit quantitas interminata, quæ eſt illi coæua in opinione Commentatoris; ergo in nullo ſtatu accidentia præcedit. Neque etiam eſt ad intentionem Ariſ. nam de eadem ſubſtantia aſſerit triplicem illam primitatem temporis cognitionis, ac definitionis, at ſubſtantia gaudens hac triplici primitate in ordine ad accidentia non eſt materia prima, ſed ſubſtantia completa, nam materia potius eſt valdè ignota, & cognoſcitur per analogiam ad formam, ergo &c.

252 Secunda expoſitio eſt Alenſis loc. cit. pro qua etiam citatur D. Thomas, quod pro tanto ſubſtantia dicitur eſſe prior tempore accidentibus, quia dari poteſt, imò de facto datur aliqua ſubſtantia ſine omni prorſus accidente, nempè Deus, vnde cuicunque ſubſtantiæ, qua talis, non repugnat præcedere omne accidens tempore, & ſine omni accidente exiſtere; quia ergo non omnis ſubſtantia eſt ſub accidente, omne tamen accidens eſt in ſubſtantia, ideò ſubſtantia dicitur prior tempore ipſo accidente; & hæc quoque expoſitio innuitur à

Comment.loc.cit. Sed & hæc quoque reijcitur à Scoto loc. cit. quamuis enim in se potest aliquam veritatis speciem præseferre, omninò tamen aliena est ab intentione Philosophi, quia ipse in tali comparatione substantiæ ad accidens non loquitur de aliqua substantia singulari, sed de substantia in se; tùm quia loquitur de substantia, quæ est in genere, qualis non est Deus diuidit enim ens in substantiam, quantitatem, qualitatem, & alia prædicamenta, & intendit ostendere prædicamentum substantiæ præcedere quodlibet prædicamentum accidentis; tum quia non loquitur de vna substantia comparatione accidentium alterius, quia substantia non dicitur separabilis, nisi respectu accidentium suorum, quæ sibi insunt. Tum tandem, quia quando etiam sic loqueretur, adhuc falsum est suppositum mundi æternitate Deum duratione præcedere aliarum substantiarum accidentia, nam facta tali suppositione forent Deo coæterna.

Tertia expositio est Zimaræ theor.9. & Zabarel. lib.2. de materia c.8. dicentium hanc prioritatem temporis conuenire substantiæ respectu accidentis separabilis, nam respectu inseparabilis solùm est prior natura; vndè dicunt, quod cum Arist. ait substantiam præcedere accidens ratione, cognitione, tempore, & natura, non debet intelligi coniunctim, quasi quælibet substantia quodlibet accidens omnibus his quatuor modis præcedere debeat, sed disiunctim itaut præcedat vel tempore, vel natura &c. At neque hæc expositio vera est, neque ad intentionem Philosophi, primò quia illa particula *natura* in plerisque codicibus tam Græcis, quam Latinis non habetur; tum quia illam primitatem tribuit Aristot. substantiæ absolutè in ordine ad quodcunque accidens, ait enim *substantia & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est*, & coniunctiuè legit, non disiunctiuè; tum quia difficultas adhuc vrget de substantia in ordine ad accidens separabile, quia quamuis tale accidens à substantia separari possit, nunquam tamen substantia sine omni tali accidente reperitur, quod necessarium videtur, vt dicatur omne tale accidens duratione præcedere.

255 Quarta itaq. expositio est Scoti loc.cit. Met. quæst.2. §. *Ideò dicitur sic*, vbi ait, quod cum substantia dicitur esse prior omni accidente, non accipitur tempus, vt definitur 4. Phys. nam primitas temporis est ipsius substantiæ, inquantùm substantia est, sed tempus non est mensura, nisi motus, & quietis, & eorum, quæ sunt in motu, & quiete, substantia autem secundum se non est aliquid tale, sed abstrahit à motu, & quiete; nec etiam accipitur hic tempus pro quacunque duratione, vel mensura extrinseca successiua alia ab essentia rei, nam de illa esset quæstio, quia tunc substantia posset eam præcedere, cum sit ei accidens; itaqae illud à Philosopho dicitur hic prius tempore alio, quod potest quàtum est de se separatum existere ab illo, aliud autem non sine ipso, & in hoc sensu substantia dicitur esse prior quocunq. accidente, quia quantum est ex se potest esse sine omni accidente ratione suæ independentiæ; & hanc expositionem colligit Doctor ex ipsa Arist. litera, vbi per talem separabilitatem probat prioritatem temporis in substantia respectu cuiuslibet accidentis, *aliorum enim quæ prædicantur, nullum est separabile sed hæc sola*; ex quo deducit vlterius Doctor prioritatem temporis, vt hic à Philosopho accipitur, coincidere cum prioritate naturæ, quam definiuit 5.Met.16. cum dixit *quædam verò secundum naturam & substantiam quacunque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minime*, vbi vt vides eodè modo loquitur ibi de prioritate naturæ, sicut hic in 7. Met. loquitur de prioritate temporis; & ratio est, quia hic non loquitur de antecessione temporis actuali, quę est vera, & propria tęporis prioritas, quo pacto Adam nos viuentes pręcessit, sed de antecessione temporis aptitudinali, quę coincidit cum prioritate naturæ essendi 5.Met. definita tex.16, quia, inquit Doctor, nihil est prius natura in hoc sensu, quod nõ sit etiam prius tępore nempè aptitudinaliter; eandem expositionem confirmat 2. d.3. q.4. D. dicens, omne quod est prius natura alio, est prius duratione hoc modo, scilicet quod quantum est de se non repugnat sibi contradictoriè posse esse prius duratione suo posteriori, vniuersaliter enim prioritas naturæ includit in priori posse esse sine posteriori sine contradictione ex 5.Met. cap. de priori; sic etiam explicat 4.d.1.q.1.KK. quod substantia secundum totum genus suum præcedit quodcunq. accidens definitione, cognitione, & tempore, hoc est separabilitate quantum est in se; & sic tandem loquitur quol.2.lit.B.

254 Vt autem declaret, quo pacto possit hæc prioritas temporis sic explicata conuenire substantiæ tam respectu accidentis separabilis, quam inseparabilis, inquit vnum posse præcedere aliud tempore in sensu prædeclarato dupliciter, vno modo, quia non dependet ab illo, alio modo, quia non est causa necessaria illius, quod probatur per oppositum, quia si vnum non potest ab alio separari, hoc est, vel quia dependet ab illo; vel quia est necessaria causa illius; & tunc inquit, quod substantia respectu accidentium separabilium est prior vtroq. modo, quia nec dependet ab illis, nec est illorum causa necessaria, at respectu accidentium inseparabilium est prior vno modo tãtum, quia scilicet non dependet ab eis, non tamen alio modo, quia est necessaria causa illorum, subiectum enim est necessaria causa suæ passionis, & ratione talis intrinsecæ necessitatis nequit ab ea separari, licèt ex alio capite posset separari nempe ratione independentiæ. Adhuc tamen dici potest, ac etiam magis ad intentionem Arist. quod cum dixit substantiam esse priorem tempore omni accidente, non loquitur de accidente inseparabili, sicut est propria passio, sed de accidentibus separabilibus, quæ sunt in cæteris prædicamentis, & hoc euidenter colligitur ex ipsa litera, inquit enim quod substantia est prior omnibus alijs præeicamentis, quia nullum illorum est à substantia separabile, ipla vero substantia est separabilis ab illis, passio autem substantiæ secundum principia nostra non est in prædicamento accidentis, sed in prædicamento sui subiecti, cui identificatur, saltim per reductionem. Quod autem Arist. per prioritatem temporis non intellexerit antecessionem actualem durationis, quam propriè, & principaliter significat, sed solam prioritatem naturæ essendi, explicatam non per actualiter esse vnum sine alio, sed per posse esse quantum est ex se, colligitur apertè ex ipso Arist. progressu, quatuor enim modos prioritatis enumerat, quibus ait substantiam præcedere accidens definitionis, scilicet cognitionis, temporis, & naturæ; *substantia*, inquit, *& ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est*, & posteà non nisi triplicem probat in ea prioritatem definitionis, cognitionis, & temporis, confundens prioritatem temporis cum prioritate naturæ, nec aliam addit rationem ad ostendendam prioritatem naturæ ab ea diuersam, qua probat prioritatem temporis, signum euidens accepisse prioritatem temporis, prout coincidit cum proprietate naturæ essendi, quæ consistit in separabilitate prioris à posteriori, nempe pro antecessione durationis aptitudinali, nam in hoc sensu coincidit cum prioritate naturæ essendi. Et hæc etiam fuit explicatio Alex. Aphrodi. 7.Met.tex.4. vbi ait substantiam esse priorem tempore multis suis accidentibus actu, vniuersim omnibus aptitudine, quam recipit Schainus in eodem loco Fonseca 7.Met. c.1.q.2.sec.2. Suarez disp. 38. Met. sec.1. in fine, Auersa q.21. Phil. sec.9. in calce, & alij passim, iuxtà quam expositionem patet quid sit dicendum ad difficultates propositas supra num.251. contra hanc proprietatem, vrgent enim de prioritate temporis propriè accepta pro actuali, antecessione durationis vnius ad aliud.

255 Sed Contra hanc expositionem arguunt ex Thomistis nonnulli quia confundit prioritatem temporis cum prioritate naturæ, quæ in tali independentia, & separabilitate consistit prioris à posteriori ex 5.Met.16. at Arist. vt patet ex allegato textu prioritatem temporis distinguit à prioritate naturæ. Tum quia alioqui negatio esset in sermone Philosophi, & superflua esset particula illa *tempore*, si solam vellebat significaræ naturæ prioritatem, & non durationis propriè dictam.

Faber 7.Met.q.4.cap.2. negat prioritatem naturæ benè explicari per separabilitatem prioris à posteriori, quia potius de se includit inseparabilitatem, vndè negat prioritatem naturæ explicari ab Arist. 5. Met.tex.16. non enim explicat ibi propria naturæ prioritatem, sed illam, quæ dicitur prioritas, à quo non conuertitur subsistendi consequẽtia; prioritatem verò naturæ propriè dictam explicat in postprædicamentis cap. de priori, vbi asserit, quod illud est prius natura alio, quando inter ea conuertitur subsistendi consequentia, sed vnum est causa alterius; quod declaratur exemplo passionis, & subiecti, nam existere ente existit vnum, & existente vno existit ens, sed ens est causa vnius, & in hac causalitate consistit prioritas naturæ, ex quo deducitur (inquit) quod illud, quod est prius natura non potest esse separatum ab aliquo, imò illa inter quę cadit naturæ prioritas tantum, cadit inseparabilitas vnius ab alio, vt patet de subiecto, & passione at prioritas temporis, quam ponit Arist. in textu, & declarauit Scotus, est talis, quod illud, quod ponitur esse prius tempore alio, est separabile ab illo, quantum est ex se, concedit itaque Faber hic Arist. loqui de prioritate temporis, non naturæ subdit tamen loqui de prioritate temporis aptitudinali, non verò actuali, quæ est prioritas temporis propriè dicta, & per hanc dictionem inquit resolui omnes difficultates.

256 Sed hæc responsio est omninò præter intentionem Scoti, & Arist. Scotus locis omnibus citatis prioritatem temporis, quam assignauit Philosophus 7.Met.4. substantiæ in ordine ad accidentia, explicauit de prioritate naturæ essendi, quam per separabilitatem prioris à posteriori definiuit 5.Met.16. & disertè inquit talem separabilitatem inferre talem prioritatem naturalem substantiæ ad accidens; nec inconueniens est prioritatem temporis sic sumptam cum tali prioritate naturæ coincidere, quia nec ilta prioritas naturæ est intellinendi duntaxat, sed etiam essendi, & illa prioritas temporis non est actualis, sed aptitunalis, vndè talis prioritas temporis aptitudinalis coincidit cum prioritate naturæ essendi, quæ per prædictam separabilitatem explicari solet Arist. etiam loc. cit. prioritatem temporis aptitudinalis sumpsit pro prioritate naturæ, tum quia eodem modo eam definiuit, quo fuit ab ipso definita prioritas naturæ essendi 5. Met. 16. tum quia non diuersa ratione probauit proprietatem temporis, & naturæ substantiæ ad accidens, sed per eandem omninò rationem nempe separabilitatis, & quidem rationabiliter, quia licet prioritas temporis actualis differat à prioritate naturæ, tamen prioritas temporis aptitudinalis non differt, sed omninò coincidit cum prioritate naturæ essendi, quæ per talem separabilitatem explicatur. Deindè falsum est, quod ait Faber, hanc prioritatem separabilitatis, & secundum subsistendi consequentiam non esse veram naturæ prioritatem, & naturæ prioritatem in prioritate causalitatis præcisè consistere, vt ipse deducit ex postprædicam. cap. de priori. Nam quamuis prioritas causalitatis sit quidam verus, & præcipuus modus prioritatis naturæ, quo causa dicitur esse prior natura suo effectui, adhuc tamen dantur alij modi prioritatis, & prę suppositionis naturalis etiam inter ea quorum vnum non ponitur causa, vel quasi causa alterius, sic intellectiua

poten-

potentia in anima dicitur esse naturaliter prior volitiua, licet hæc non causetur ab ea, sic etiam priuatio dicitur natura præcedere formam in materia, non esse creaturæ præcedere eius esse ordine naturæ &c. inter quæ tamen nulla causalitas intercedit; ergo prioritas naturæ non consistit præcisè in prioritate causalitatis. Et quamuis Aristot. in post prædicam. cap. de Priori hanc prioritatem causalitatis prioritatem secundum naturam appellauerit, & à prioritate secundum incouertentiam distinxerit, attamen 5. Met. 16. & 7. Met. hanc quoque appellauit prioritatem naturæ, prout à prioritate temporis distinguitur actuali, secundum quam vnum dicitur existere actualiter prius alio in aliqua duratione; atq; ideò non vnus duntaxat modus prioritatis debet assignari, sed plures, vt de facto assignaui disp. 9. log. q. 2. art. 1. ne confusio contingat in diuerso modo loquendi de prioritate naturæ; etiam pariter negandum est, quod Faber aiebat, ad prioritatem naturæ pertinere inseparabilitatem potius à posteriori, quam separabilitatem, vt patet de subiecto, & passione; quamuis enim id veritatem haberet in prioritate naturæ intelligendi, non tamen in prioritate naturæ essendi, quæ potius in tali separabilitate consistit.

Itaq. ad argumentum propositum Thomistarum dicendum est non confundere Arist. hic prioritatem temporis propriè dictam, quæ nimirum in actuali antecessione durationis consistit, cum prioritate naturæ essendi, sed prioritatem duntaxat temporis aptitudinalem, quæ non est propria durationis prioritas, sed naturæ in essendo; & falsum est Arist. cit. 7. Met. 4. distinguere prioritatem temporis à prioritate naturæ, nam non diuersa rationem vtramque primitatem de substantia ostendit, sed eadem omninò ratione, scilicet separabilitatis prioris à posteriori absque vlla contradictione ab intrinseco proueniente; vndè nec particula *tempore* superfluit, aut nugatoria est, sicut neque particula *natura*, sed vna est alterius declaratiua, adiungitur namque *natura*, ne temporis prioritas propriè sumatur pro actuali anteccessione durationis; sed aptitudinali tantum; & adiungitur *tempore*, ne prioritas naturæ sumeretur pro simplici præsuppositione naturali, quæ dicitur prioritas naturæ intelligendi, quæ omnem separabilitatem excludit.

QVÆSTIO VII.

An accidens corporeum subiectari possit in subiecto incorporeo, & è contrà incorporeum in corporeo.

257 HOc esse naturaliter impossibile fatentur omnes, & expressè negat Doctor 4. d. 1. qu. 5. §. *contra istam opinionem*, & 2. d. 12. q. 2. C. & quol. 14 B. §. *ad intellectum quæstionis*, & q. 19. V. & D. Bon. 2. d. 18. art. 2. q. 2. ante resolutionem quæstioni. Quod accidens corporeum, & materiale in subiecto spirituali, & incorporeo nequeat subiectari probatur, quia talis forma habet plures partes extensiuas, quarum vna petit naturaliter esse extra aliam (hic enim sermo est de partibus extensionis, non autem intensionis, quæ etiam in subiecto indiuisibili coadunari possunt) ergo connaturaliter nequit forma corporea in subiecto spirituali, & indiuisibili collocari, quia tunc huiusmodi partium pluralitas, & extreitas non consequeretur finem à natura optatum, & præstitutum. Quod autem neq; è contra possit naturaliter accidens spirituale in subiecto corporeo recipi, & subiectari suadet Doctor cit. 4. d. 1. q. 5. §. *contra opin. istam*, quia aut talis forma esset ibi indiuisibiliter, idest aut tota in toto, & tota in qualibet parte, aut tota in toto, & pars in parte, non primo modo, quia inter omnes formas perficientes materiam sola intellectiua ponitur talis; non secundo modo, quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem formæ spiritualis. Dices, quod anima rationalis, quamuis sit forma spiritualis, adhuc tamen etiam naturaliter in subiecto materiali, & corporeo recipitur, & subiectatur; ergo idem quoque dici poterit de forma accidentali spirituali, & incorporea. Contrà, quia vt aiebat Doctor, hoc specialiter animæ rationali conuenit, quia est in corpore per simplicem informationem, non verò per inhæsionem, aut dependentiam ab eo, at forma accidentalis non potest esse in subiecto naturaliter independenter ab eo, cum sit forma suapte natura à subiecto dependens in fieri, & conseruari, vndè si ponatur esse in subiecto extenso, erit tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut anima, non autem pars in parte, quia partes non habet, & sic tota pendebit essentialiter in suo esse, fieri & conseruari à toto subiecto, ac etiam simul à singulis subiecti partibus totaliter, & sic essentialiter pendebit à pluribus causis totalibus, quod saltim naturaliter repugnat ex dictis disp. 8. Phys. q. 3. art. 3.

258 Maior est difficultas de potentia Dei absoluta, & supernaturaliter, an hoc fieri possit, in qua Poncius disp. 13. Log. qu. 2. concl. 3. partem tenet affirmatiuam cum quibusdam Recentioribus. Oppositum tamen probabilius est, & præsertim in sententia Doctoris; qui locis citatis non tantum loquitur regulariter, & secundum id, quod euenit iuxtà communem naturæ cursum, sed etiam de potentia Dei absoluta, nam 4. d. 1. p. 5. §. *contra opin. istam* loquitur de Sacramentis, & reijcit virtutem quandam supernaturalem, & spiritualem, quam ponebat illa opinio in ipsis à Deo productam, quod vtique naturaliter contingere nequit, sed supernaturaliter euenire illa opinio contendebat, & præter rerum ordinem, sic pariter loquitur in 4. d. 12. q. 2. §. *hic sunt*, lit. C. disputatur enim ibi, an sicut in Sacramento Eucharistiæ quantitas sine subiecto remanet, ita etiam possit remanere qualitas, & quædam opinio id negabant, quia si albedo esset sine quantitate, esset spiritualis, & sic nulla esset repugnatia, quin inesset spiritui, & sic spiritus posset esse albus; respondet sub lit. C. ad 4. non habet apparentiam, quia sicut lapis non potest esse sapiens, quia nullo modo habet rationem receptiui respectu sapientiæ, sic angelus non potest esse albus, quia nullo modo est susceptiuus formæ eius siue forma ista poneretur diuisibilis, siue non (& nota particulam *nullo modo*, ad omnes euasiones præcludendas) nunc quidem est duplex ratio, quarè non potest esse albus, vna est extensio in ipsa forma, & inextensio angeli; alia ratio, quia hæc forma est hæc forma, & Angelus est angelus, & secunda ratio est essentialis ratio impossibilitatis; prima non, quia est veluti ratio secundaria, & consequens, qua adhuc ablata remanet prima, per quod significat id implicare ex ratione formali formæ, atq; subiecti, atq; ideo nec de potentia Dei absoluta fieri posse; sic tandem loquitur etiam quol. 19. lit. V. vbi ait ita angelo repugnare albedinem sicut naturæ diuinæ alienam personationem, vndè in angelo nedùm ponit negationem actus, & aptitudinis ad recipiendam in se albedinem, sed ponit quoq; positiuam repugnantiam, sicut in natura diuina ponit repugnantiam ad personationem alienam; certum ergo est apud Doctorem etiam de potentia Dei absoluta repugnare, quod accidens spirituale sit in subiecto corporeo, & accidens corporeum in subiecto spirituali; quod etiam adhuc magis exprimit 4. d. 44. q. 2. §. *aliter dicitur*, vbi æqualem reputat repugnantiam susceptientis ad susceptum etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quod in angelo recipiatur albedo ac in lapide sapientia, loquitur autem ibi de potentia absoluta, quia disputat, quo modo ignis infernalis crucit malignos spiritus, idem colligitur ex 1. d. 8. quæst. 1. §. *tertia conclusio*, vbi indè probat Deum non esse materialem, nec quantum, quia non est capax alicuius accidentis materialis.

259 Quoad primam partem, quod scilicet nec de potentia Dei absoluta possit accidens corporeum in subiecto recipi incorporeo, & spirituali, vt albedinem, vel calorem in angelo aut anima, vel quantitatem, probatur, quia tunc angelus harum formarum denominationes reciperet, vndè diceretur albus, quantus, calidus &c. sed talium denominationum angelus est prorsus incapax; ergo etiam, & formarum, vndè tales deriuantur denominationes; consequentia patet, quia hoc ipso, quod subiectum est alicuius denominationis formalis incapax, sufficienter arguitur in eo incapacitas formæ, quia non est capax formæ, nisi vt similem capiat ab ea denominationem. Quæ etiam ratio probat conclusionem quoad alteram partè, non posse, scilicet accidens spirituale, vt intellectionem, & sapientiam recipi in subiecto corporeo v.g. lapide quia tunc lapis diceretur sapiens, & intelligens, quod si lapis talis est prorsus incapax denominationis hinc statim deducitur esse quoque incapax talis formæ denominantis.

Respondet Poncius in append. apolog. num. 241. posse in angelo recipi quantitatem, albedinem &c. ac pariter sapientiam in lapide absque eo, quod angelus dicatur quantus, & albus, ac lapis sapiens; & ratio est, quia quantitas, & albedo non denominant subiectum quantum, & album, nisi cui insunt extenso modo, quo pacto non ponerentur in angelo, qui est indiuisibilis; nec pariter, sapientia lapidem denominaret sapientem, quia non sic denominare potest, nisi potentiam, quæ sapienter agere potest. Contra, quia redit idem argumentum, quod si angelus tales denominationes suscipere nequit; ergo neque formas, vndè tales denominationes deriuantur, probatur consequentia quia effectus formalis formæ primarius, qui in eius denominatione consistit, formalissimè habetur per solam receptionem formæ in subiecto, vndè subiectum esse quantum, vel quale aliud formaliter non est, quam habere quantitatem, aut qualitatem, vt docet Arist. in prædicamentis cap. de habere, & Auctor sex principiorum in eodem capite, dum dicunt, *nihil aliud est dicere albedinem, aut longitudinem habere, quam album, aut longum esse*, & sic etiam docet Scotus 1. d. 3. q. 7. §. *ad auctoritatem*, lit. Y. habere qualitatem est esse uuale, ergo eo ipso, quod angelus habeat albedinem, & quantitatem, siue habeat extenso, vel inextenso modo diceretur albus, & quantus. Tum quia falsum est albedinem non posse denominare, nisi subiectum in quo reperitur extenso modo, quia indiuisibiliter reperitur in puncto quantitatis, & adhuc illud denominat album, ergo si potest in angelo recipi, poterit illum consequenter denominare album. Tum quia, si concedatur etiam non posse albedinem præbere denominationem albi, nisi illi subiecto, in quo ponitur extenso modo, ex hoc potius deduci debet nullatenus recipi in angelo, quia non vnitur subiecto, nisi illud denominet tale, & denominatio subiecti à forma, non est nisi vnio eius cum forma, si ergo nequit denominare subiectum, nisi in quo reperitur modo extenso, sequitur recipi non posse in subiecto, cui nequit vniri modo extenso, quia formam esse subiecto vnitam est denominare subiectum tale.

Respondet Poncius in append. apolog. nu. 242. posse subiectum esse capax formæ, à qua non recipit omnem denominationem, quam potest dare, & affert exemplum de natura irrationali, quæ est capax vnionis hypostaticæ ad personalitatem diuinam, & tamen non est capax denominationis personæ, quam personalitas nata est dare mediante vnione hypostatica ad ipsam; quam paritatem fusè prosequitur; sic ergo albedo poterit esse in aliquo subiecto, quod non denominet album, & sapientia sapiens, vndè nu. 244. tandem ait duplicem esse effectum formalem albedinis, vnum, qui consistit in communicatione formali ipsius albedinis quoad suam entitatem præcisè alterum, qui

consistit in communicatione albedinis modo extenso; primum effectum debet albedo communicare subiecto cuicunque inest, siue sit corporeum, siue incorporeum, alioquin sequeretur contradictio non tamen secundum, & sic esset in angelo. Ad 2. impugnationem ait me loqui contrà omnes Philosophos, qui dicunt albedinem quoad se totam, & omnes partes eius esse extensè diuisibilem, & subiectari in subiecto extenso, & nemo ponit vllam partem ipsius subiectatam in puncto quantitatiuo, & ideò negat antecedens, quod albedo sit in puncto quantitatis.

Sed in primis exemplum illud de vnione hypostatica non est ad rẽ, quia inquit Doctor 3. d.2. qu.1. sub D. quod personari non est denominatio sumpta ab vnione hypostatica, vt sic, sed à natura assumpta, quæ si est intellectualis dicitur personari, si verò sit irrationalis dicitur solum suppositari, at in proposito esse album, vel calidum sunt denominationes formales, quæ præcisè à forma denuantur, non autem à subiecto, vndè malè ex hoc infert nu.243. quod aliqua forma possit esse in aliquo subiecto sine eo, quod tribuat ipsi denominationem omnem, quam posset tribuere alij subiecto; hoc enim falsum est, quia denominatio, quam ex parte sua nata est præstare forma, indifferenter communicatur cuicunque subiecto. Inepte etiam distinguitur duplex ille formalis effectus albedinis, nam effectus formalis albedinis, & cuiuscunque alterius formæ explicatur ab Aristot. loc. cit. per hoc præcisè, quod subiectum habeat talem formam, non autem hoc, vel illo modo, tum quia quod albedo sit in subiecto extenso modo, non habet hoc à seipsa, sed à quantitate, cui insidet, & ad cuius extensionem extenditur; ergo talis modus non pertinet intrinsecè ad effectum eius formalem, qui præcisè ab ipsa attendi debet; tum quia extensio non propriè requiritur, vt det denominationem albedinis, quia albedo existens in puncto quantitatis, ita illud denominat album, sicut partem, sed potius vt exercere possit operationem disgregandi visum; Malè etiam negat ad 2. impugnationem antecedens, quia non dixi in illo totam albedinem, vel eius partem esse in puncto quantitatis, sed punctum albedinis, vndè dixi quod albedo reperitur indiuisibiliter in puncto quantitatis, ex quo loquendi modo benè poterat Poncius deprehendere me locutum non esse de tota albedine, aut albedinis parte, sed de puncto albedinis correspondente puncto quantitatis, quæ dicitur albedo punctualis. At instat, quod pessimè vocetur punctum albedinis albedo, nam sicut punctum quantitatis non vocatur quantitas, nec facit aliquid quantum, ita nec punctum albedinis vocari debet albedo, aut poterit facere album. Sed friuola est instantia, nam licet punctum quantitatis non dicatur absolutè, quantitas, dicitur tamen quantitas punctualis, & albedo existens in puncto quantitatis dicitur pariter albedo punctualis ad differentiam albedinis extensæ, quæ est in partibus quantitatis; & licet punctum non faciat subiectum, cui inest quantum, quia esse quantum est esse extensum, & diuisibile, quod puncto repugnat, tamen esse album, esse calidum, sicut potest conuenire indiuisibili extensionis, quod proindè ponitur à Doctore 2.d.2. q.9. esse posse subiectum alterationis, & intensionis, ita præstari potest per indiuisibile albedinis, vel caloris, & certè si tota superficies est alba, non solum eius partes albæ dicuntur per partes albedinis, sed etiam eius indiuisibilia per indiuisibilia albedinis, quod si hoc Poncius negat, pessimè negat, & contrà omnes loquitur Philosophos.

260 Hinc Poncius loc.c. in logica concedit angelum in tali casu denominari album, calidum, quantum &c. inquit tamen non posse dici quantum, nisi per quantum intelligendo habens quantitatem, si namq; per quantum intelligeretur substantia habens partes quantitatiuè extensas, angelus in eo casu, non esset quantus. Contrà, quia forma eiusdem rationis in quocunq; subiecto ponatur, semper tribuit effectum formalem eiusdem rationis; ergo si albedo, vel quantitas ponerentur in angelo, tanquam in subiecto per ipsas informato, præstarent eandem denominationem, seu eiusdem rationis cum ea, quâ modò corporibus præstant, quibus insunt; sed quantitas existens in substantia materiali reddit eam formaliter impenetrabilẽ, & albedo reddit eam formaliter visus disgregatiuâ, ergo huiusmodi formæ, si ponerentur in angelo, eodẽ modo ipsum denominare deberent, & sic in eo casu Angelus esset formaliter impenetrabilis, ac disgregatiuus visus, quod implicat, quia suaptenatura penetrabilis est cũ quacunq; substãtia, & de se inuisibilis. Et sic etiam dicendum esset è contrà, si accidens spirituale poneretur in subiecto corporeo, vt sapientia in lapide &c. & quâuis de intellectione, aut amore posset euadi, quod non diceretur intelligens, vel amans, hoc est quia tales denominationes vitales non consistunt in simplici, & pura receptione formæ, seu actus vitalis in subiecto, sed in operatione, quæ consistit in quadam tendentia vitali in obiectum intellectum, & amatum ex dictis in lib. de an. at si sumantur formæ, vel accidentia spiritualia quorum denominationes habeantur sufficienter per eorum vnionem ad subiectum, equidem de istis argumentum concludit sine vlla prorsus euasione.

261 Altera pars conclusionis, quod scilicet accidens spirituale recipi nequeat in subiecto corporeo, potest adhuc speciali ratione probari superius à Scoto insinuata 4.d.1.qu.5. B. quia vel talis forma accidentalis esset tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut anima rationalis in corpore, & hoc non, quia simul dependeret essentialiter à pluribus causis totalibus in genere causæ materialis, scilicet ab illis partibus, quarum quælibet totaliter illam sustentaret, quod implicat, vt dictum est disp.8.Phys. quæst.3. art.2. vel esset tota in toto, & pars in parte, & sic non esset spiritualis, sed materialis, nam extensio repugnat cum spiritualitate; & hæc quidem ratio adducitur à Scoto loc.cit. vt absolutè probans etiam de potentia Dei absoluta, nedum modo extenso vt exponit Poncius, sed nec inextenso, posse accidens spirituale recipi in subiecto corporeo, vt satis liquet ex ipso Scoti discursu, qui suo dilemmate partem vtramque refutat.

Respondet Poncius loc.cit. hoc argumentum probare ex hypotesi tantum, quod poneretur forma spiritualis in subiecto corporeo, sicut à qualibet parte illius penderet totaliter in esse in genere materialis causæ, quo sensu concedit implicare idem accidens spirituale poni in subiecto corporeo iuxta principia Scoti negantis posse eundem effectum dependere è pluribus causis totalibus, & adæquatis in eodem ordine, at non solum hoc modo, sed alijs quoque non implicantibus potest cogitari, quod forma accidentalis, & spiritualis ponatur in subiecto extenso, & corporeo; quamuis enim talis forma suapte natura à subiecto dependeat in esse, & conseruari, non ita tamen necessariò, quin eam Deus producere possit absque tali dependentia, quo dato casu potest eam ad subiectum taliter vnire, vt non dependeat ab illo, quo pacto anima rationalis dicitur esse in corpore; non enim Deus in rerum productione, aut conseruatione tenetur conformari connaturali earum exigentiæ; Deindè etiamsi deberet necessariò accidens dependere à suo subiecto, posset adhuc poni in pluribus partibus subiecti realiter, vt ab omnibus, & singulis penderet quidem, non totaliter, sed partialiter, adeout si vlla pars istius subiecti totalis periret, perire etiam deberet illa forma, nisi Deus partialem illum influxum suppleret in genere causæ efficientis; Tandem posset eam formam spiritualem taliter in subiecto corporeo collocare, vt penderet ab aliqua parte istius totius quoad esse, & conseruari totaliter, & adæquatè, non tamen à cæteris partibus nec totaliter, nec partialiter; his igitur tribus modis contendit Poncius posse accidens spirituale in subiecto corporeo collocari absque vlla prorsus implicantia, & hoc etiam est præcipuum eius fundamentum ad defendendum oppositum conclusionis nostræ.

262 Sed Contrà, quia in primis non desunt asserentes modum vnionis formæ accidentalis cum materia non posse à sustentatione præscindi, & posita vnione materiæ cum tali forma statim intelligi dependentiam ex parte formæ, & sustentationem ex parte materiæ; si ergo in accidente non distinguantur duo modi ex natura rei, vnus informationis simplicis, & alius inhærentiæ, quæ est dependentia à subiecto, sed dicatur per vuum, & eundem modum informare, & dependere, tunc primus modus collocandi accidens spirituale in subiecto corporeo prorsus implicabit; nec paritas assumpta de anima rationali valebit, quia in ea datur simplex receptio, & informatio sine sustentatione, & dependentia à materia, quia non est nata dependere ab ea, si enim esset forma sic dependere nata, non posset in materia recipi, quin simul, & semel etiam ab ea dependeret; ergo in proposito quia forma quælibet accidẽtalis etiam spiritualis ita nata est à subiecto pendere, non poterit in eo collocari, quin statim ab eo dependeat. Et per hoc etiam præcluditur tertius modus, in quo dicebatur ita posse accidens spirituale in subiecto corporeo collocari, vt ab aliqua duntaxat parte pendeat in esse, & conseruari, non verò à cęteris; si namque cæteras quoque partes subiecti informat, etiam à cęteris dependebit, si nequeat informatio talis formæ à dependentia, & sustentatione præscindi. At neque alius modus assignatus collocandi accidens spirituale in subiecto extenso indiuisibiliter, itaut partialiter pendeat à singulis partibus, videtur rationabilis; quia non apparet in primis, quo pacto concursus materialis illarum attemperari possit, itaut pars quæ nata est totum illud accidens, & totaliter sustentare, mox non nisi partialiter concurrat, & inadæquatè sustentet, nam quamuis fortè in causa efficienti hoc posset admitti attamen in materiali non facilè potest explicari, tum quia eo ipso quod talis forma est tota in toto, & tota in qualibet parte, iam est tota in vna parte independenter ab alia, nec videtur cur destructa forma in vna parte debeat quoque in alijs informatio cessare; quod si dicatur debere in cæteris cessare, quia à singulis dependet partialiter, ac inadæquatè, & ab omnibus simul adæquatè; hæc erit petitio principij; quia id est, quod impugnatur, non posse à singulis partialiter tantum dependere, quia est forma tota non solum in toto, sed etiam in qualibet eius parte; ergo admissa semel dependentia formæ à subiecto, & quod sit indiuisibiliter in qualibet eius parte, à singulis etiam totaliter dependebit, ac adæquatè; & per hoc reijcitur impugnatio ad hoc facta à Poncio append.apolog. n.227.

263 Denique dum ex eo probat Doctor non posse accidens spirituale recipi totum in toto, & totum in qualibet parte subiecti materiali, quia hoc tantum conuenit animæ rationali, supponit, quod accidens ponatur in subiecto iuxtà connaturalem modum suæ informationis, quod est informare inhæsiuè, ac dependenter ab eo, & quidem totaliter, & adæquatè ab eo, in quo totum resident; facta autem hac suppositione argumentatur hoc esse impossibile, quia vel poni deberet idem effectus à pluribus causis totalibus totaliter, & adæquatè dependere; vel accidens esse in subiecto independenter ab eo in genere materialis causæ, quod inter omnes formas soli animæ rationali competere dicitur, aliæ namq; suaptenatura pendent à subiecto, quod informant, in suo esse, & conseruari, siue ab agente naturali in tali subiecto collocentur, siue immediatè à Deo; In hoc itaque sensu tantum dixit Doctor, quod si accidens spirituale in subiecto corpo-

po-

poreo collocaretur, & indiuisibiliter in qualibet eius parte, tunc idem effectus penderet adæquatè simul, & semel à pluribus causis totalibus; si namque alia multiplicentur miracula, & supponatur tale accidens poni in subiecto per modum simplicis vnionis, qui non habeat rationem sustentationis fateor argumentum non tenere; & facta tali suppositione planè ex hoc capite non negasset Doctor accidens spirituale posse à Deo collocari in subiecto corporeo; adhuc tamen ex alio capite repugnantia manet insinuata in probanda altera conclusionis parte, nimirum ex incapacitate denominationis formæ spiritualis accidentariæ in materiali subiecto, vt in præcedenti ratione deductum est.

QVÆSTIO VIII.

An idem numero accidens possit simul esse in diuersis subiectis; & plura numero in eodem.

264 QVæstio hæc, vt ex eius titulo patet, duas habet partes, & quoad primam partem non procedit naturaliter, hoc enim modo certum est apud omnes idem numero accidens, nedum simul plura numero subiecta adæquata informare non posse, sed neque etiam successiuè, siquidem tunc idem accidens migraret de subiecto in subiectum, quod est naturaliter impossibile; procedit ergo quæstio in hac parte quoad potentiam Dei absolutam, & quærit num idem numero accidens possit in diuersis subiectis realiter, ac æquè immediatè inhærere; Et quamuis Poncius affirmatiuam teneat partem disp. 13. cit. q. 3. iuxtà quæ dixerat quæst. præc. quia accidens spirituale, vt ibi statuerat, potest esse in pluribus partibus eiusdem subiecti extensiue; ergo pariter idem numero accidens potest esse in pluribus subiectis distinctis etiam non vnitis inter se, non enim maior repugnantia hic cernitur, quam ibi. Attamen Scotus oppositam negatiuam expressè docuit 3. d. 1. qu. 2. §. *contrà hoc*, vbi volens probare non posse eandem naturam à pluribus diuinis personis simul assumi, quia talis natura esset infinita, sic arguit, quia sicut forma substantialis, quæ substantialiter perficeret plura supposita esset actualiter illimitata, ita accidens consequens, quod accidentaliter perficeret eadem supposita, esset illimitatum; exemplum, sicut anima est illimitata ad perficiendum plures partes corporis substantiales, ita scientia est accidens illimitatum respectu plurium partium corporis; igitur sicut essentia diuina, quia est essentialiter natura trium suppositorum est infinita quasi natura essentialis eorum, ita natura humana esset infinita, licèt quasi natura aduentitia pluribus suppositis. Conf. istud, quia ita impossibile videtur vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duabus materijs; igitur si necessariò sequitur infinitas ex hoc, quod vna forma substantialis est in pluribus materijs, necessariò sequitur infinitas, ex hoc, quod vnum accidens est in multis; ita Doctor loc. cit.

265 Totum hunc discursum Scoti ex integro referre volui, vt pateat expressè docuisse partem negatiuam quæsiti; & quam immeritò dicat Poncius loc. cit. Scotum non absolutè negasse posse idem accidens esse simul in pluribus subiectis, neque absolutè dixisse ex hoc sequi infinitatem formæ accidentalis, sed tantum esse conditionaliter locutum hoc modo, *si necessariò sequitur infinitas in forma substantiali ex hoc, quod vna sit in pluribus materijs necessariò sequitur infinitas ex hoc, quod vnum accidens est in multis*; Verùm licèt ita loquatur in confirmatione illa, attamen in ratione principali, quam Poncius omisit, nunc allata, non loquitur conditionatè, sed absolutè, arguit enim *sicut forma substantialis, quæ substantialiter perficeret plura supposita, esset actualiter illimitata, ita accidens consequens, quod accidentaliter perficeret eadem supposita, esset illimitatum.* Vndè supposita hac ratione principali, cum in confirmatione deducit *igitur si necessariò sequitur infinitas in forma substantiali &c.* non potest dici, quod conditionatè loquatur, sed potius absolutè, est enim, ac si diceret, si igitur necessariò sequitur infinitas in forma substantiali, vt nunc probatum est, sic etiam in accidentali, absolutè ergo tenet nullam formam siue substantialem, siue accidentalem posse simul informare plura subiecta adæquata, quia tunc sequeretur talem formam esse infinitæ perfectionis.

266 Quomodo autem hinc sequeretur talem formam futuram esse infinitæ perfectionis latè probaui ratione à Scoto insinuata, & à Licheto optimè deducta disp. 5. Phys. q. 7. art. 2. n. 97. quia quanto aliqua forma est illimitatior ad perficiendum plura perfectibilia, tanto in se est perfectior, & hinc est, quod arguimus animam intellectiuam inter omnes formas perfectiorem, quia vna, & eadem simul perficit omnes partes compositi, & si eadem anima posset simul plura corpora perficere, adhuc perfectior indicaretur; ergo si eadem forma numero posset plures, & plures materias adæquatas in infinitum (quod dicendum est si semel dicamus posse tres, vel quatuor simul informare, quia non esset maior ratio de tribus, vel quatuor, ac pluribus in infinitum) informare, iam illa forma esset perfectionis infinitæ. Quia verò Recentiores hanc rationem infirmare conantur assumpta paritate de materia, quæ per potentiam Dei potest pluribus formis simul subijci, & de corpore quod potest in pluribus locis replicari, absque quod sequatur in eis infinita perfectio. Hanc paritatem excluſi cum Licheto loc. cit. quia corpus respectu plurium locorum merè passiuè se habet, nullamque habet virtutis exercitium in eorum aquisitione, nec illis aliquam præstat perfectionem; sic etiam materiam pluribus subijci formis non maiorem argueret in ea perfectionem, sed potius imperfectionem, cum talis subijcibilitas dicat passiuitatem; at formam informare materiam dicit perfectionem, quia importat actuationem materiæ, quam vim actuandi, & perficiendi forma habet ab intrinseco, & ex natura sua, vndè quanto est de se illimitatior ad plura perfectibilia perficienda, tantò est perfectior; tum quia informatio fit per exercitium virtutis informatiuæ in genere causæ formalis, non sic replicatio corporis in pluribus locis, & materiæ sub pluribus formis; nam ad hæc omnia & corpus, & materia merè passiuè se habent, quæ solutio fundamentū habet in Scoto 3. d. 14. q. 2. in fine, & 4. d. 10. q. 2. R.

267 At contra hanc solutionem multipliciter instetit Poncius disp. 4. Phys. num. 66. tum quia corpus non solum passiuè se habet, sed etiam exercet virtutem repletiuam bene, quam forma exercet informatiuam. Tum 2. quia eatenus corpus merè passiuè se haberet ad plura loca, quia haberet esse in illis formaliter à pluribus vbi productis à solo Deo, sed etiam forma haberet esse in pluribus materijs per plures vniones à solo Deo productas. Tum 3. quia si fit maioris perfectionis in forma informare plures materias, sic etiam maioris esset perfectionis in materia informari pluribus formis; & si forma nequit informare plures materias sine exercitio nouæ virtutis informatiuæ, sic etiam materia nequit informari pluribus formis præsertim eductis absque exercitio nouæ virtutis sustentatiuæ. Tum denique quia ad summum concluderet argumentum casu, quo poneretur forma posse extendi ad informandas plures materias in infinitum, non autem quatuor tantum, vel decem. Ad hæc omnia explicitè, vel implicitè ex præfata Scoti, & Licheti doctrina respondi loc. cit. antequam objicerentur à Poncio, quia eadem objiciebantur à Ruuio, Murcia, & alijs, vt ibi est videre n. 81. & 84. tam in prima, quam in secunda impressione tomi physici. Ad 1. itaque ex doctrina allata negatur assumptum, quia vt docet Scot. quol. 11. N. corpus replere locum est facere distare latera continentis, hoc autem potest intelligi dupliciter (inquit Doctor) vel effectiuè, & sic agens distendens latus à latere facit ea distare, vel quasi formaliter, & sic medium, vel corpus interceptum dicitur facere distare latera continentis, ex quo patet virtutem repletiuam in corpore non esse actiuam, & ratio est, quia corpus per suam quantitatem facit distare latera continentis, quantitas autem non est forma actiua; tum quia vt docet idem Doctor 4. d. 10. q. 2. lit. L. repletio non dicit nisi præsentiam corporis contenti à continente, at informatio vltrà præsentiam formæ in materia dicit etiam exercitium virtutis informatiuæ in genere formalis causæ, quod non dicit præsentia corporis ad locum; tum quia forma est perfectio materiæ, corpus non est perfectio loci; atque ideò ex hoc quod forma plures, & plures possit informare materias adæquatas benè potest deduci infinitas, non ita ex hoc, quod possit corpus poni à Deo in pluribus locis.

268 Ad 2. dictum est ibi n. 78. in fine, quod licèt replicaretur forma in pluribus materijs, non tamen informaret ex vi simplicis replicationis, sicut præcisè ratione istius dicitur esse corpus in pluribus locis, sed per verum exercitium virtutis informatiuæ, & formalis causalitatis, quæ causalitas non exercetur à corpore, dum ponitur in pluribus locis, cuius rei signum est, quia ad informandam materiam trium palmorum maior virtus informatiua requiritur in forma, quam ad informandam materiam vnius palmi, qua ratione anima dicitur alijs formis perfectior, quia potest vna, & eadem plures informare eiusdem corporis partes. Ad 3. negata est ibidem primam paritas ex Scoto cit. 3. d. 14. q. 2. in fine, vbi ait, quod infinitas extensiua ad aliqua, vt ad formas recipiendas non concludit infinitam entitatem receptiui, sicut patet de materia, si esset receptiua infinitarum formarum, imò magis concludit imperfectionem; alia verò paritas de virtute sustentatiua materiæ, quod deberet augeri, si plures simul reciperet formas eductas, etiamsi concedatur parum vrget, quia virtus hæc sustentatiua semper est potentia passiua, quæ à toto genere imperfectionem dicit, vndè ex eius augmento in materia, non sequitur in ipsa maior perfectio ex doctrina Scoti relata. Ad 4. dixi loc. cit. n. 82. quod qua ratione poneretur eadem forma posse simul informare tres, vel quatuor materias, sic etiam posset informare infinitas, eo modo quo deducit Doctor 3. d. 1. qu. 2. §. *contra hoc obijcitur*, quod qua ratione posset natura esse in duabus personis, pari ratione, & in infinitis; tum quia si forma esset determinata ad quatuor v. g. vel sex materias palmares, vltra quas non posset alias informare, tunc omnes istæ simul sumptæ integrarent adæquatam materiam pro tali forma, & singulæ essent inadæquatæ, vnde non amplius defenditur, quod possit eleuari ad informandas plures adæquatas.

Has solutiones rursus impugnat Poncius in append. apolog. à n. 20. potius repetendo eadem argumenta, quam noua formando; quia si forma non informaret plures materias ex vi simplicis replicationis, sed per verum exercitium virtutis informatiuæ, sic neque corpus repleret diuersa loca ex vi replicationis, sed per exercitium virtutis repletiuæ. Tum quia licèt sustentatiua virtus dicat imperfectionem, tamen hæc ipsa imperfectio habet aliquam perfectionem annexam, ratione cuius sustentare plura esset maioris perfectionis, quam pauciora, sicut ex hoc ipso colligi potest materiam primam esse perfectiorem quantitate, eo quia potest recipere, & sustentare formam substantialem, quam nequit sustentare quantitas. Tum quia virtus informatiua dicit imperfectionem entis incompleti, ergo si hoc non obstante maioris est perfectionis in forma plures informare materias, etiam non obstante, quod virtus sustentatiua dicat imperfectionem, erit maioris

perfe-

perfectionis plura sustentare, quam pauciora. Deniq. solutionem ad 4.impugnat, quia sine magna iniuria, vel ignorantia consequentia illa deduci nequit, quod si eadem forma potest duas, vel tres informare materias, ergo infinitas, & quod eam consequentiam admittunt, ideò hoc dicunt, quia putant non sequi eo perfectiorem esse formam, quo plures informauerit materias, aliam quoq. solutionem ad idem argumentum redarguit, nam quamuis materia determinaretur ad certum numerum formarum, ille certus numerus non esset materia adæquata in sensu quæstionis, quia in hac quæstione per materiam adæquatam intelligitur materia illa, cum qua facere potest vnum per se, quale esset vnum corpus organicum completum respectu animæ, & vna materia diuisa numero ab alia respectu formæ ignis, vel aquæ, numerus autem omnium materiarum, quas posset informare anima non esset materia adæquata in hoc sensu, sed quęlibet ex illis materijs esset adæquata, & cōsequēter forma plures tales informās informaret plures adæquatas in sensu questionis, locum vero Scoti 3.d.14.q.2.in fine, in quo tota nostra solutio, ait minimè nobis fauere, nam Scot. loquitur de perfectione non inuoluente imperfectionem ex conceptu suo formalis, qualis perfectio est in causa efficiente, de cuius perfectione agit Doctor, non verò loquitur de perfectione inuoluente imperfectionem ex conceptu suo formali, qualis est perfectio, quam habet materia, quatenus sustentatiua.

269 Sed neque istæ impugnationes sunt valdè vrgentiores præcedentibus, nec valdè differentes, ad 1. iam cum Licheto supra notabilem assignaui disparitatem in replicatione formæ in pluribus materijs, & corporis in pluribus locis, & in virtute informatiua ex parte formæ, ac virtute loci repletiua ex parte corporis; & arguenti incumbebat hanc paritatem probare, & non simpliciter proponere, at eam semper proposuit, numquam probauit, quod hactenus viderim; & quidē cum forma sit actus, & perfectio materiæ, & eo perfectior, quo plurium partium materię simul informatiua, corpus autem nequaquā sit perfectio loci cui sit præsens, neq. perfectius sit, quia ponatur à Deo in pluribus locis, quia hoc totum ei prouenit ab extrinseco, nunquā sufficienter probari poterit assumpta paritas de corpore in pluribus locis, & forma in pluribus materijs, quantum est necessarium in proposito. Ad 2. primò potest absolutè negari, quod virtus sustentatiua dicat aliquam perfectionem, prout pertinet ad genus causæ materialis, cum enim, vt sic, à passiuitate, & receptibilitate præscindi nequeat, nullam potest dicere perfectionem, & hinc est, quod Deus talem virtutem sustentatiuam nullo pacto supplere potest in genere causæ materialis, sed tantùm in genere causæ efficientis, & ideò Doctor 1.d.8. q.3. §. *Teneo opinionem meam*, ait rationem substandi accidentibus in substantia dicere imperfectionem, ideoq. sub hoc significato nomen substantiæ Deo attribui non posse, vt scilicet dicitur à substando, sed tantum vt dicitur à subsistendo, iuxta quam doctrinam negandū vlterius erit, quod Poncius assumit, quod sustentare plura sit maioris perfectionis, quam substentare pauciora, nam cœteris paribus substantia, quæ paucioribus substat accidentibus, censetur perfectior ea, quæ substat pluribus, quia censetur actualior, & à potentialitate remotior; & ideò neq. valet assumpta paritas de virtute informatiua formæ, & sustentatiua materiæ. Sed neq. etiam valet concedendo, quod arguens intendit, scilicet quod virtus sustentatiua dicat aliquam perfectionem illi imperfectioni annexam, quia vt notat Doctor 4.d.12.q.2. F. si fiat comparatio inter virtutem actuatiuam, quæ se tenet ex parte formæ, & sustentatiuam, quæ se tenet ex parte materiæ, illa est longè maior perfectio quam ista, nam illa nempe actualitas est perfectio simpliciter ex genere suo nullam ex suo conceptu claudens imperfectionem, atq. ideo primo enti competere potest, non ita sustentatiuitas, quia hæc ex sua ratione conuenit potentiali, vel saltim requirit illud cui conuenit, esse potentiale; vnde ex hoc, quod materia pluribus subijciatur formis in infinitum, nunquam sequi potest infinita perfectio in ipsa, quia infinitas non est nata sequi nisi ad perfectionem simpliciter, quæ ex suo conceptu nullam includit imperfectionem; benè tamen sequi potest ex hoc, quod forma sit in pluribus materijs eas simul actuando ob oppositam rationem, quia nimirum actualitas est perfectio nullam includens imperfectionem ex genere suo.

270 Ad 3. respondetur ex eadem doctrina, quod virtus actuatiua formæ per accidens solùm dicit imperfectionem entis incompleti, nō autem ex genere suo, quod optimè declarauit Scot. 1.d.8.q.4.X. dum ait, quod forma in creaturis habet aliquid imperfectionis, scilicet quia est forma informans aliquid, & pars compositi; aliquid etiam habet, quod non est imperfectionis, sed consequitur eam secundum suam rationem essentialem, seu formalem, scilicet quod ipsa sit, quo aliquid est tale, exemplum, sapientia in nobis est accidens, hoc est imperfectionis, sed quod ipsa sit, quo aliquid est sapiens, hoc non est imperfectionis, sed essentialis rationis sapientiæ; quibus verbis ostendit Doctor virtutem actuatiuam formæ in sua ratione formali non includere, quod sit pars, & imperfectionem entis incompleti, sed merè per accidens; & ideò negatur consequentia, quod erit quoq. maioris perfectionis in materia sustentare plura non obstante imperfectione sustentationis, sicut non obstante imperfectione informationis est maior perfectio in forma plures informare materias, negatur, inquam, ob rationem allatam, quia virtus actuatiua formæ est perfectio simpliciter non includens imperfectionem ex genere suo, vnde imperfectio informationis, & partis annexa non impedit augmentum perfectionis eius in infinitum, quia talis imperfectio est per accidens illi connexa, quatenus actuatiuam virtutem habet, at virtus sustentatiua materiæ, vel est imperfectio simpliciter, & absolutè loquendo, vel saltim per se, & necessariò ex genere suo connexam habet imperfectionem, & ideò deduci nequit esse perfectiorem, quo plura sustentauerit; aut quod si non est perfectior, quo plures sustentauerit formas, nec etiam forma sit futura perfectior, si plures informauerit materias, vt intendit deducere arguens.

271 Ad 4. immeritò ait Poncius eam consequentiam non sine magna incuria, & ignorantia deduci, nam vt dixi in argumento eandem prorsus consequentiam, vel saltim omninò similem deducit Doctor cit. 3.d.1.q.2.§. *contra hoc obijcitur*, vbi sic arguit, quia essentia diuina concluditur esse infinita ex hoc, quod ipsa eadem potest esse in tribus personis, igitur ista natura esset infinita; si posset esse in pluribus personis, probatur consequentia, quia qua ratione posset esse in duabus personis, pari ratione, & in infinitis; ita ibi discurrit Doctor, in cuius discursus comprobationem notant ibi Lichet. & Aretinus cum ipso Doctorem frequenter alibi similem deduxisse consequentiam, sic enim arguit 1.d.2.p.1.q.3. quod si possent esse plures Dij, ergo & infiniti, sic etiam arguit distinct. 2. part. 2. quęst. 4. quod si possent esse plures filij in diuinis, ergo & infiniti, sic pariter arguit quol. 2. quod si possunt esse plures productiones eiusdem rationis in diuinis possunt esse infinitæ, nisi appareat determinatio ad certum numerum, ergo cum magna incuria (absit, quod dicam, ignorantiam) Poncius dixit, non nisi ex magna incuria, vel ignorantia posse illam deduci consequentiam, cum modus ille arguendi sit Scoto familiarissimus; sic enim argui potest & in præsenti, & in similibus, nisi appareat determinatio ad certum numerum, quam determinationem Poncius adhuc apparere non fecit. Impugnatio vero alterius nostræ solutionis ad illud 4. argumentum planè ostendit impugnantem nostram non percepisse solutionē, vel potius noluisse percipere, quæ consistit in hoc, quia si ponatur forma esse determinata ad certum numerum materiarum, vltrà quas non posset alias simul informare, vel hęc determinatio conueniret sibi ex natura rei, sicut v.g. hæc anima determinatur ex sua natura ad informandum corpus palmorum decem, vel per aliquid de nouo sibi à Deo superadditum, quo aucta sit eius informatiua virtus, & quocunque modo dicatur, semper sequitur aggregatum ex illis materijs esse adæquatum perfectibile talis formæ sic suaptenatura determinatæ, vel à Deo eleuatæ, & sub tali eleuatione consideratæ, vt euidenter ostendo disp. 5. cit. n. 80. & singulas materias v.g. palmares esse perfectibilia inadæquata, sicut brachium dicitur animæ perfectibile inadęquatum; & parum refert quod vna materia palmaris sit alteri palmari continua, vel diuisa quo ad hoc, continuitas enim, vel discontinuitas non facit, quod brachium v.g. dicatur, vel non dicatur adęquatum animæ perfectibile, nam brachium esto sit residuo corporis continuatum non ob id dicitur adęquatum perfectibile animę, sed semper est inadęquatum siue sit continuatum, siue diuisum, & continuitas facit solum, vt possit proximè ab anima informari; & ideò si anima semel ponatur sufficiens, & determinata ad decem materias palmares informandas singulæ per se sumptæ, sibi inuicem continuatæ, siue non, erunt inadęquatum perfectibile respectu talis formæ, quia per nullam ex eis exhauritur tota virtus informatiua formæ.

Demum explicatio, quam affert ad locum Scoti 3.d.14. q.2. in fine, etiamsi admittatur, nobis non officit, siue enim loquatur de perfectione non inuoluente imperfectionem, siue non, sufficit nobis, quod doceat infinitatem extensiuam ad formas recipiendas non concludere infinitatem entitatiuam receptiui; imò cum materia, vt sustentatiua, dicat perfectionem inuoluentem ex suo conceptu imperfectionem, vt ipse ibi fatetur, sequitur materiam non futuram simpliciter perfectiorem ex hoc, quod plures sustentet formas, hoc tamen non sequitur de forma, quia hęc in ratione actuantis dicit perfectionem ab omni imperfectione ex sua ratione formali semotam, & ideò si hæc plures in infinitum possit informare materias, benè deducitur in ipsa infinitas perfectionis, non sic in materia; vndè quocunque modo explicetur auctoritas illa, semper est pro nobis, & paritatem ab Aduersarijs assumptam de virtute informatiua formæ, ac substentatiua materiæ mirabiliter labefactat.

272 Secundò principaliter probatur hoc idem assertum ex Scoto loc. cit. speciali ratione de formis à materia dependentibus, quia tunc illa eadem forma dependeret à pluribus causis totalibus, & adęquatis in genere causæ materialis, quod repugnat; vt Poncius quoque concedit, quam rationem latè tractaui disp. 5. phys. q. 7. art. 2. probando eandem formam substantialem plures materias adęquatas simul, & semel informare non posse; Sed ait hoc non impedire, quominus possit poni in pluribus subiectis, nisi dependeat totaliter, & adęquatè à quolibet ex illis pluribus, sed non debet dependere sic necessariò, potest enim fieri, quod à quolibet ex illis partialiter tantùm, ac inadęquatè dependeat, aut nullatenus ab eis dependere supplente Deo interim vices illorum in genere causę efficientis; Sed an hoc benè dicatur, & pręsertim ad mentem Scoti iam supra dictum est nu. 262. & 265. itaque pro exacta huius quęsiti resolutione videnda sunt quę dixi in simili quæsito de forma substantiali disp. 5. cit. Phys. qu. 7. art. 2. nam quantum ad hoc quicquid ibi de forma substantiali dictum est, hi pariter de accidentali est asserendum.

273 Quoad aliam quęstionis partem, num scilicet plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto esse possint, sunt tres sententię; prima est Thomistarum id absolutè negantium etiam de potentia

rentia Dei absoluta, quod adeò mordicus illorum nonnulli defendunt, vt nedum negent posse plura accidentia numero differentia ut eodem subiecto simul reperiri, sed nec etiam successiuè, vndè voluod semper reproduci in eodem subiecto idem numero accidens, qu & antè perierat, scilicet eundem calorem, idem lumen, idem vbi, imòdo eundem motum localem, si fiat super idem spatium, vndè quanaqua reducitur ad priitinam frigiditatem, dicunt acquirere eandem numero, quam amiserat, quia semper idem accidens reproducitur; Et quidem supposito, quod accidens per subiectum indiuiduaretur, vt tenet communis Thomistarum, sanè ita dicendum esset, nam quodcunque accidens in ipso poneretur, haberet idem indiuiduatiuum, & ideò esset idem indiuiduum accidens; ita refert Suarez disp. 5. Met. sec. 9. nu. 1. Thomistæ tamen communiter concedunt plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem subiecto successiuè & repugnantiam attendunt solum in ordine ad simultatem, vt videre est apud Blasium à Concep. disp. 4. Metaph. quæst. 3. vbi pro hoc modo dicendi citat Fland. 5. Metaph. quæst. 9. ar. 7. Soncin. 7. Metaph. quæst. 3. Caiet. 3. 3. p. qu. 35. art. 5. Capreol. 1. dist. 9. quæst. 2. art. 3. Salmaticen. trac. de princ. indiuid. disp. 2. dub. 3. Alia sententia pariter negat vnquam naturaliter contingere posse, quod duo accidentia solo numero differentia in eodem reperiantur subiecto, tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam cum distinctione procedit; nam accidentia intensionis incapacia potest quidem Deus in eodem subiecto multiplicare numero, nequaquam tamen illa, quæ sunt intensionis capacia, & præsertim per gradus homogeneos, quia non potest Deus impedire eorum vnionem intensiuam, per quam fiunt vnum numero accidens; ita Pasqual. tom. 2. Met. disput. 42. & alij nonnulli.

274 Tertia tandem sententia est Scoti 3. d. 8. qu. vn. §. *contrà istam rationem*, & 5. Met. qu. 7. vbi nedum negat id repugnare in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed etiam naturaliter concedit euenire in quibusdam accidentibus præsertim respectiuis supposita earum reali distinctione à fundamento, quam Thomistæ concedunt; quem sequuntur Scotistæ ibidem, & Ant. And. 5. Met. q. 8. Tromb. q. 7. Faber disp. 12. fusè, & exactè, Aureolus 1. d. 7. q. 2. ar. 1. Suarez disp. 5. cit. sec. 8. & alij quamplures; Quod probat ex opposito Thomistarum fundamento, quia tenet accidentia non primò indiuiduari ex eorum subiecto, sed ab vltima eorum realitate, vt constat ex dictis supra disp. 10. qu. 8. quarè cum accidentia in seipsis habeant, quo indiuiduentur, & numero per se distinguantur, item & posteriora sint subiecto, cui insunt, nihil repugnabit plura in eodem subiecto esse posse, quandoquidem cum vnitate prioris multitudo stare possit posterioris, non ergo id repugnat ex parte indiuiduationis eorum; At neque id etiam repugnat ex capacitate subiecti, quia subiectum habens potentialitatem ad plures formas eiusdem speciei est illimitatum ad illas, sed quod est illimitatum ad aliqua non amittit capacitatem ad alia, estò aliquid illorum actu habeat; ergo estò subiectum vnum accidens habeat, aliud etiam poterit recipere saltim ab agente supernaturali, ideoque ex parte eius repugnantia attendi nequibit, qua etiam ratione probatum est disp. 5. Phys. q. 4. art. 2. plures formas substantiales disparatas nedum numero, sed etiam specie diuersas, posse in eadem materia coniungi de potentia Dei absoluta. Conf. quia quod est illimitatum ad aliqua non oportet complurificari cum illis, sed subiectum accidentium est illimitatum ad plura accidentia eiusdem rationis, nam saltim plura recipit successiuè, vt sanior pars Thomistarum concedit; ergo non oportet illis complurificari, & ideò absolutè non repugnat plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto collocari. Variæ responsiones Thomistarum ad hoc argumentum ex dictis supra disp. 10. q. 8. refelli possunt, siquidem omnes in eo fundantur, quod vnitas numeralis accidentis dependeat ex vnitate numerali subiecti, quod præterquamquod videtur petitio principij loc. cit. abundè confutatum est.

275 Deindè principaliter probat Doctor experimento etiam de facto plura accidentia solo numero differentia in eodem subiecto reperiri, plures namque phantasticè species solo numero differentes reperiuntur in eodem organo phantasiæ; item plures species visibiles solo numero diuersæ in eadem parte medij; item plures relationes eiusdem speciei, puta plures paternitates in eodem homine ad plures filios, quæ omnia plurificari solo numero necesse est in eodem subiecto, vt latè probat Doctor loc. citat. Ad hoc argumentum tres affert solutiones Caiet. loc. cit. vna est, quod plures species sunt in eodem organo, at non in eadem parte, sed in diuersis, quia cum sint intentionales videntur saluari in puncto, vt patet de videntibus per minimum foramen multa antea, altera est, quod species, & forma aduenies alteri formæ eiusdem speciei vnitur cum illa, & fit vna numero cum illa, intensior tamen, sicut lumen generatum in eodem diapliano à secunda candela fit idem lumen numero cum primo, non autem est aliud lumen numero à primo distinctum. Tertiò tandem negat species intentionales Petri, & Pauli solo numero distingui, quia aliud est considerare obiecta in esse reali, & aliud ea considerare in esse sensibili, & repræsentatiuo, vel præsentabili, quamuis enim primo modo solo numero differant Petrus, & Paulus, tamen secundo modò differunt specie, quia illæ species habent inter se aliquam differentiam, per quam differunt specie abinuicem, nam vna repræsentat vnum album, & alia aliud album, & ob hanc diuersam repræsentationem sunt diuersarum specierum; & hanc solutionem Thomistæ passim recipiunt, vt Salmaticenses, & Blasius à Concep. loc. cit. Pasqualig. disp. 42. cit. sect. 2. num. 15. & alij passim; perperam tamen inquit Faber hanc quoque solutionem à Suarez recipi, nam sect. 18. cit. num. 16. expressè inquit species visibiles Petri, & Pauli conuenire in ratione specifica, & solo numero differre, eamque dissimilitudinem in repræsentando diuersa numero obiecta ait esse maiorem numerali materialiter tantum, non autem formaliter, ac intrà sphæram eiusdem speciei. Demum ad illud de pluribus paternitatibus in eodem homine in ordine ad diuersos filios passim aiunt Thomistæ plures terminos eiusdem rationis attingi posse per vnam, ac eandem numero relationem.

276 Hæc vltima solutio de relationibus, quod vna, & eadem numero sufficit ad plures terminos præsertim adæquatos latè reiecta est disp. 8. Log. q. 6. art. 2. vbi adamussim omnes, ac singuli modi refutantur, quibus Thomistæ hactenus conati sunt id explicare; vndè hic alias de speciebus intentionalibus restat refellere; Prima quidem ab ipsomet Scoto excluditur, quia organum oculi, vel phantasiæ non possunt in tot minimas partes diuidi, quæ possent per se informari tot speciebus visibilibus, vel imaginabilibus, quot possunt simul esse in toto organo, vndè cum sit modicæ quantitatis citò impleretur speciebus, nec posset alias recipere; tum quia organum non nisi in partes sensibiles diuidi potest, & istæ sunt necessariò quantæ, ergo non tot possunt in ipso assignari, quot species sunt in eo receptibiles, ac receptæ, atque ideò debent esse in eadem parte compenetratæ; Similiter arguit 5. Met. q. 7. n. 4. de pluribus speciebus in medio, ponatur hic vnū album tantum, scilicet ouum, species eius erit in toto medio illuminato, quantùm durat virtus eius, ponatur aliud album, species eius erit in eadem parte cum specie alterius albi, aut illud aliud non videbitur ab oculo dispositio, quod est contrà sensum. Secunda quoq; solutio reiecta est disp. 5. de anima q. 2. ar. 2. n. 34. quia si in eodem medio esset species duarum albedinum, non integrarent vnam perfectiorem, & ratio est, quia impossibile est, quod per eandem speciem magis intensam videantur simul distinctè magis, & minus intensum album, sed oculus per species videt distinctè illa duo alba, licet vnum sit intensum, alterum remissum; ergo non per eandem speciem intèsiorem, sed per duas omninò distinctas. Tum quia tunc oculus non videret, vt de facto videt, duo obiecta, seu duas albedines, vnam magis intensam, & aliam minus, sed videret vnam albedinem intensiorem illis duabus, quia sicut est vna species, sic vnum tantum repræsentaret obiectum, ac etiam falsò repræsentaret, quia non datur album ita intensum à parte rei in essendo, sicut est intensa species in repræsentando; Ibidem etiam refutatum est, quod dicebatnr de lumine, quia si essent duo lucida aliquantulum inter se distantia eidem medio applicata, in quo extaret columna, vel aliud corpus opacum, hæc duo lucida duas vmbras oppositas causarent, vt patet experientia; ergo quodlibet producit lumen distinctum, patet consequentia, quia vmbra est priuatio lucis; ergo si sunt duæ priuationes, erunt duo lumina, non vnum intensius, quod adhuc vlterius ibi prosequor cum Scoto cit. 5. Met. qu. 7. Tum quia quando adhuc concederetur lumen secundæ candelæ fieri idem numero lumen, sed intensius, cum lumine prioris candelæ, non adhuc sequitur concedi debere vnam speciem repræsentantem fieri vnam numero cum alia specie adueniente, quia cum repræsentent diuersa numero obiecta, non possunt euadere vna numero species.

277 Tertia tandem responsio, quod species, scilicet huius, & illius albi repræsentatiuæ specie abinuicem differant, & essentialiter, impugnata est suprà disp. 10. quæst. 8 1. & ab eodem Doctore cit. distinct. 8. quæst. vn. reijcitur, quia tam species expressæ, quam impressæ distinguuntur per obiecta, & quidem sub esse repræsentabili considerata, quare si obiecta solo numero differentia repræsentant, & sub eadem ratione specifica, ac solum numeraliter diuersa, nequaquam species repræsentatiuæ specie abinuicem different, sed solum numero; & illa quæcunque sit dissimilitudo in repræsentando, ad summum materialis erit, ac veluti accidentalis, non autem essentialis, & specifica. Confirm. ex dictis loc. citat. quia non videtur possibile, quod aliqua specie distinguantur, quæ non recipiant aliqua specie distincta, at species sensibiles huius, & illius albi ita se habent, quod nec in esse rei, nec in esse repræsentatiuo respiciunt aliqua specie distincta, sed tantum numero; ergo inter se non nisi numero differunt. At occurrit Pasqualig. disp. 42. cit. sect. 2. nu. 15. quod quamuis hoc, & illud album solum indiuiduaiiter differant, sunt tamen ita diuersa, vt species repræsentatiua vnius nequeat vllo modo repræsentare aliud, ex quo fit, quod cum repræsentare conueniat speciebus non ratione suæmet indiuiduationis, sed ratione essentiæ, atque hæ species differant inter se in esse repræsentatiuo, quia quod vna repræsentat nequit repræsentari per aliam, consequenter differant in essentia. Quod etiam confirmat, quia plus differunt duæ species intentionales duorum indiuiduorum inter se, quam duæ species eiusdem indiuidui, sed istæ numero differunt, ergo illæ differunt plusquam numero, & consequenter specie. Verùm ad hæc, & similia satis dictum est supra disput. 10. quæst. 11. quæ hic non sunt repetenda, sed necessariò ibi videnda pro confutatione huius tertiæ solutionis. Tandem quando concederetur huiusmodi species intentionales inter se specie differre, plures tamen paternitates in eodem patre, vel similitudines in eodem albo, non nisi numero possunt inter se differre, nec vllatenus fingi potest hæc accidentia relatiua inter se specie differre; ergo saltim in his accidentibus vrgebit argumentum.

278 Oppositum probare nititur Blasius à Concep. loc. cit. hoc argumento, subiectum est de se impotens ad recipiendū simul duo acciden-

dentia eiusdem speciei, & solo numero diuersa, & nihil potest ei addi etiam de potentia absoluta, per quod reddatur potens ad illa simul recipienda; ergo nec naturaliter, nec supernaturaliter hoc potest euenire; consequentia patet, probatur assumptum quoad primam partem, quia si esset subiectum ex se potens, posset connaturaliter illa recipere, quotiescunque enim datur in ordine naturæ potentia passiua, quæ ex se nata est aliquem recipere actum, toties debet dari potentia actiua potens reducere talem potentiam ad actum; probatur quoad aliam partem, quia non potest illa recipere, nisi per natiuam, & propriam entitatis suæ virtutem, neque enim aliter recipit accidentia, quam per exhibitionem propriæ entitatis suæ; ergo si entitas subiecti est ex se insufficiens, & impotens ad receptionem duorum accidentium solo numero diuersorum, manebit semper in illa insufficientia, & in illa impotentia. Conf. quia si potentia, quæ est in subiecto ad receptionem accidentium solo numero differentium, non est determinata, & limitata ad receptionem solum vnius simul, & pro eodem instanti, non erit potius determinata ad receptionem duorum, quatuor, sex, centum, mille, ac infinitorum; & sic subiectum habebit potentiam ad recipienda simul infinita accidentia solo numero diuersa, atque ideò eius potentia erit infinita in actu, nam potentia actiua Dei dicitur infinita in actu, quia quantum est ex se potest se ad infinitos effectus extendere.

279 Resp. hoc argumentum destruere potentiam obedientialem in rebus, vel saltim confundere obedientialem cum naturali, dum id, quod rei non conuenit naturaliter, negat etiam conuenire posse per diuinam potentiam; & si valeret, æquè benè probaret non posse per diuinam potentiam qualitatem augeri in infinitum, nec idem corpus poni in pluribus locis simul, aut duo corpora in eodem loco, quia si qualitas esset ex se potens ad talem intensionem, posset connaturaliter illam recipere, sic pariter si idem corpus esset de se potens ad esse in pluribus locis, aut cum alio corpore ad essendum in eodem loco, posset quoque connaturaliter sic se habere, quod si naturaliter nequit sic se habere, ergo neque supernaturaliter; non enim poni potest in pluribus locis, aut in eodem loco simul cum alio corpore, nisi per exhibitionem propriæ entitatis suæ, & sic in multis alijs posset instari. Vt ergo ad simile argumentum dictum est disput. 11. Physic. quæst. 8. nu. 130. distinguenda est in rebus potentia naturalis ab obedientiali, non quidem entitatiuè, sed in ordine ad agens, & dicendum multa conuenire posse illis ratione potentiæ obedientialis, quæ non conueniunt ratione naturalis, quia per illa comparatur ad agens illimitatum, per istam verò ad agens limitatum; neque istæ potentiæ repugnant adinuicem, quia sunt vna potentia ad diuersa comparata, nec quæ conueniunt rei ex vi potentiæ obedientialis, dicuntur repugnare, vel esse contra naturam illius, eo quia non conueniunt secundum potentiam naturalem, quia non dicitur potentia naturalis, quasi ita determinatè petat, & absolutè postulet ipsa natura rei, sed quia ita petit in ordine ad agens naturale, absolutè tamen est indifferens ad hoc, & illud, & ideò quæ conueniunt rei ex vi potentiæ obedientialis dicuntur supra naturam rei, non contra naturam, & sic in proposito ex vi potentiæ naturalis, & per ordinem ad agens naturale respectu quorundam accidentium, licet non absolutè respectu omnium determinetur ad recipiendum vnum dumtaxat accidens eiusdem speciei, non autem plura simul; adhuc tamen ex vi potentiæ obedientialis, & in ordine ad agens supernaturale potest recipere plura simul, ex quo non sequitur hanc pluralitatem repugnare naturæ subiecti, quia potentia non dicitur naturalis, eo quod sic absolutè postulet natura rei, sed quia ita postulat, vt subest actioni agentis naturalis. Neque etiam confirmatio rectius concludit, nam si argumentum valeret, æquè probaret subiectum non posse simul recipere plura accidentia specie differentia, quod est contra experientiam, & consequentia eodem modo probatur, quia non erit potius determinata ad receptionem duorum, trium, &c. quam millium, & infinitorum, & sic eius potentia erit infinita in actu; neganda est ergo consequentia, quia vt notat Doctor 3. d. 14. q. 2. in fine infinitas extensiua ad aliqua, vt ad formas recipiendas, non concludit infinitam entitatem, vel virtutem receptiuam, sicut patet de materia, si esset receptiua infinitarum formarum, immo magis concludit imperfectionem, sed infinitas extensiua ad aliqua, vt ad effectus simul causalibus concludit infinitatem extensiuam, eo quod talis pluralitas concludit maiorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit, non ita de receptiuo. Deinde plura accidentia numero diuersa sunt quidem possibilia, non tamen infinita actu, & cathegorematicè, sed sincathegorematicè tantum, idest finita in infinitum.

280 Cæterum cum Auctores tertiæ sententiæ concedant plura accidentia solo numero diuersa etiam naturaliter posse in eodem subiecto reperiri, est adhuc difficultas in ijs assignandis. Quidam Thomistæ distinguunt de accidentibus completis, & incompletis, quales dicunt esse species intentionales, & ista concedunt posse numero multiplicari in eodem subiecto, conuicti argumento supra facto de speciebus, de cæteris verò negant, nempe de completis, ita præsertim inter alias Iauellus 5. Met. quæst. 16. qui vario modo declarant, cur hæc posteriora accidentia intentionalia dicantur incompleta, non verò alia. Alij alio modo distinguunt, quædam esse accidentia propria, seu intrinsecè à subiecto manantia, & hæc aiunt plura numero esse non posse in eodem subiecto; quædam verò extrinseca, & aduentitia, quæ proinde dici solent accidentia communia, & hæc aiunt posse simul esse, pro qua citatur Iand. 5. Met. quæst. 36. Alij distinguunt aliter, nam quædam accidentia habent latitudinem intensiuam, quæ intendi possunt per additionem partis ad partem; alia verò carent huiusmodi intensiua latitudine, & hæc posteriora inquiunt posse simul numero pluralificari in eodem subiecto, non verò priora, quia illa nequeunt coadunari in eodem subiecto, quin vnum numero accidens internum constituat, atque ita significauit Doctor 3. d. 8. quæst. vn. B. Alij rursus id concedunt solum de accidentibus intentionalibus, item & realibus respectiuis, & absolutis non eductis de potentia materiæ, & tandem de eductis, si non per motum educantur; & negant solum de accidentibus realibus absolutis, eductis per motum de potentia materiæ ac ita significauit Doctor 5. Met. quæst. 7. quem sequitur Ant. And. & alij Met. Scotistæ ibidem quæst. 8. & Aret. 3. d. 8. q. vn. art. 2. vbi fateor me non satis intelligere quid intelligant per accidentia non educta de potentia materiæ, nisi id explicetur cum Fabro, vt aliqua dicantur non esse educta, quia non sunt educta per motum, & cum præuia alteratione abiectiua è natura subiecti, hoc enim modo species sensibiles non sunt eductæ de potentia materiæ, neque lumen in medio, quia istæ formæ non inducuntur cum alteratione abijciente à subiecto, quamuis alias absolutè loquendo dici eductæ debeant, quia eo modo, quo fiunt, à materia dependent in suo fieri, & conseruari, vt optimè notauit etiam Trombet. 9. de immortal. animæ art. 2. §. *pro responsione ad hæc argumenta*.

281 Alij tandem alio adhuc modo distinguunt de accidentibus numero differentibus, quædam enim ita differunt solo numero, vt præter distinctionem entitatum in reliquis omnibus habeant quandam similitudinem; & conuenientiam, scilicet in munere vel officijs ad quod destinantur, & in quacunque habitudine, quam dicunt, vt sunt duo calores, duæ albedines, & similia; alia verò sunt, quæ licet in specifica ratione conueniant, & sub ea tantum numero differant, tamen non habent inter se tantam similitudinem, sed differunt vel in munere, vel in habitudine, quæ est veluti diuersitas quædam materialis, vt sunt v.g. duæ visibiles species diuersorum indiuiduorum (nam si essent eiusdem se habent, vt accidentia prioris generis) vt item sunt duæ relationes paternitatis &c. hac igitur præmissa distinctione dicunt quod accidentia prioris generis naturaliter multiplicari nō possunt in eodem subiecto, benè tamen quæ sunt posterioris generis; quod præterquam quod experientia constat, adhuc valida roboratur ratione tum ex fine, tum ex efficienti deducta; ex fine quidem, quia multiplicatio accidentium prioris generis esset superuacanea, & otiosa, non sic quæ est accidentium secundi generis ratione diuersorum munerum, & diuersarum habitudinum; ex efficienti item, quia quando accidentia sunt omnino similia nullum agens per se intendit aut pluralitatem eorum, aut aliud inducere in subiectum iam habens aliud omnino simile, quia solum intendit agens reddere passum sibi simile, quod per vnam tantum huiusmodi formam consequitur; at verò quando accidentia non sunt omnino similia, cessat hæc ratio, & subiectum indiget maiori assimilatione, & ideò agens illam procurat, vt v.g. quamuis medium recepta specie Petri fit illi simile intentionaliter non est sufficienter simile Paulo, & ideò manet in Paulo virtus ad inducendum speciem, qua illud reddat simile, & sic de alijs; ita rem hanc explicuit Suarez citat. disputat. 5. sect. 8. num. 16. quam explicationem dubio procul à Scoto deduxit 3. d. 8. quæst. vn. siquidem ibi Doctor probans duo accidentia non repugnare solo numero diuersa in eodem subiecto esse arguit à fortiori ex eo, quod etiam de facto plura aliquando sunt in eodem subiecto, & non exemplificat, nisi de accidentibus secundi generis, scilicet de speciebus phantasticis, item & de relationibus. Immo sibi obijciens, quare ergo per operationem naturæ non potest eadem quantitas disponi, & alterari ad plures qualitates simul habendas, quæ sunt eiusdem rationis? huic difficultati occurrens de his tantum loquitur, quæ sunt accidentia primi generis; & ideò benè dixit Faber loco citato, modum dicendi Suarez omnino cum opinione Scoti coincidere.

At instat Pasqual. disputat. 42. citat. sect. 4. in fine, quod licet admittatur prædicta distinctio accidentium, quæ habent idem munus, & diuersum, id tamen sufficienter non probat plura numero accidentia posse in eodem subiecto reperiri præsertim naturaliter, quia huiusmodi accidentia diuersum munus habentia differunt specie, & non solo numero, nam exercent diuersa illa munera ratione proprij esse, hoc autem esse nequit ratione proprij esse indiuidualis, nam omnia quæ haberent diuersam indiuiduationem, exercerent etiam diuersum munus; opus est ergo, quod illud exerceant ratione alicuius esse diuersi, quod non sit indiuiduatio, diuersitas autem supra diuersitatem indiuidualem importat diuersitatem essentialem. Sed hæc difficultas, vt dixi, resoluta est supra disp. 10. quæst. 11. vbi etiam dictum est non quamcunque differentiam quomodocunque maiorem numerali esse specificam, nam masculus & fœmina v.g. magis inter se distinguuntur, quam duo masculi, vel fœminæ solo numero differentes.

QVÆSTIO IX.

De Accidentia, & formis supernaturalibus.

282 FAtale est (vtita dicam) quod quæ contra me aut impugnando, aut respondendo scribit P. Poncius non nisi in fine vel compositionis, vel excusionis Tomi, ad manus perueniant; impugnauit

gnauit nonnulla mea physica in suo tomo physico, quæ tunc solum mihi innotuerunt, cum ad finem tomi physici postera properaret editio, vt in epist. liminari lectorem fecit ibi monitum Typographus, quo factum est, vt in eo Tomo eius obiectionibus adamussim satisfacere non potuerim, vt voluissem, sed per quasdam additiones suis locis opportunè interiectas, & celerrimè factas, ne prælum otiaretur; ita nunc pariter contigit, cum enim ad finem ferè Tomi posterioris Met. properaret editio, ad manus peruenit Appendix Apologetica, in qua Poncius illis occurrit additionibus; nec fine mei admiratione, cum libellum videam Romæ impressum 1645. vnde valde dolui, quod non citius ab amicis fuerit missus; sicut enim, cum primum prodijt *Defensio Ferchij*, sine mora respondi, ita pariter cum Poncio fecissem, cum hunc Auctorem minimè illi inferiorem exittimem; ne tamen videar vel pugnam refugere, vel dedignati, in his tribus vltimis quæstionibus quædam tangere volui huc spectantia, cetera reseruando soluenda, ac diluenda in opportuniorem locum, cum nimirum tomus de gener. & corr. denuò excudetur, vt potè qui magnam habet cum tomo physico affinitatem. Cum itaque disputat. 3. Physic. quæst. 5. articul. 2. probabile statuerim non solum actus supernaturales, sed etiam habitus de potentia sui subiecti educi, licet non tanquam de mente Doctoris, quem ibi dixi in oppositam partem manifestè pendere; quamuis idipsum probabile quoque censeat Poncius ipse..... voluit tamen rationes soluere, quibus hoc problema loc. cit. stabilitum fuit, sed an id assecutus sit, faciamus experimentum.

283 Prima ratio, qua id probatum fuit loc. citat. est hæc, omnis forma accidentalis, cum sit apta inhærere subiecto, nata quoque est fieri, & conseruari dependenter ab eo, ergo cum habitus supernaturales sint formæ accidentales, debent fieri dependenter à subiecto, & consequenter creari; Sic refert Poncius argumentum nostrum, puto tamen, quod per errorem pro *educi*, posuerit, *creari*, in conclusione, alioquin nec illa est nostra, nec rectè ex antecedentibus deducta, & est error adeò expressus, vt statim erratorum indicem adiuerim, vbi tamen hunc notatum non reperi, vt itaque sit nostrum argumentum pro *creari*, legatur educi, *educi*. Respondet ad hoc breuiter Poncius in hoc argumento manifestè principium peti in antecedenti, quod ab omnibus Thomistis, & Scotistis asserentibus gratiæ creationem negatur. Sed cum antecedens duas contineat partes, explicare debebat, an in vtraque principium petatur, an in altera tantum, & quænam hęc sit; antecedentis prima pars est hæc, *omnis forma accidentalis, est apta nata inhærere subiecto*, & quoad hanc partem arbitror neque à Thomista, neque à Scotista negari, altera pars antecedentis, quam fortè negabunt, est illa, *nata quoque est fieri, et conseruari dependenter ab eo*; sed certè hæc secunda pars sequitur immediatè ex prima, nam si forma aliqua nata est inhærere subiecto, statim sequitur modum factionis eius esse per dependentiam à subiecto, sicut è contra, eo ipso, quod aliqua forma nata est per se subsistere, seu existere independenter à subiecto, statim sequitur modum factionis eius esse per independentiam à subiecto, vt communiter dicitur de anima rationali; sicut ergo valeret arguere, anima rationalis est forma per se existere nata, & non alteri inhærere, vt subiecto, ergo nata est fieri, & conseruari independenter ab eo, sic è contra valebit arguere, omnis forma accidentalis est apta inhærere subiecto; ergo nata est fieri, & conseruari dependenter ab eo; non ergo in illo antecedente petitur principium, quia quoad primam conceditur ab omnibus, & secunda pars immediatè sequitur ex prima.

284 Secunda ratio erat talis, ideò anima rationalis dicitur creari, & non educi de corpore (licet in nullo instanti etiam naturæ prius sit in se, quam in corpore, cum existentia rei non mensuretur per instans naturæ) quia de se nata est subsistere; ergo cum habitus supernaturales non sint formæ natæ per se subsistere, si in primo instanti in quo fiunt, fiunt in subiecto, planè ex eo educentur, nam hoc est formam educi de potentia materiæ, non prius in se produci, quam in subiecto, si forma est nata inhærere. In hoc argumento primò notat Ponc. multos defectus num. 180. in primis, quod anima rationalis non sit in vllo instanti naturæ prius in se, quam in corpore, videtur contra omnes tenentes eius creationem, qui propterea asserunt duas actiones interuenire in eius productione, vnam qua ipsamet producitur, & hanc priorem, alteram posteriorem, qua vtitur corpori, sed hoc nequit fieri, quin ipsa prius habeat esse, quam fit in corpore, non autem prioritate temporis, ergo prioritate naturæ; quam etiam doctrinam ait nos tradere disp. 3. Phys. nu. 67. de formis ipsis eductis, in quarum eductione duas fatemur actiones, vnam qua producuntur quoad subsistantiam, alteram quoad modum sustentationis, ex quibus illa est indifferens ad hoc vt ponatur actio sustentatiua, aut non ponatur, quod stare non potest absq. prioritate naturæ prioris actionis prioritate saltim, à qua non conuertitur subsistendi consequentia. Quin & ipsemet Scotus 1. d. 17. quæst. 6. nu. 5. expressè asserit, quod in eodem instanti temporis, in quo gratia creatur, infunditur animæ, sed in alio, & alio instanti naturæ, quia prius natura charitas creatur, quam animæ infunditur; idem etiam in 4 d. 1. q. 1. nu. 26. §. *Secunda conclusio*, in probanda sua conclusione vtitur hac maiori, forma quæ creatur, prius naturaliter est à causa efficienti, quam materiam informet, quia si non prius naturaliter, ergo non accipit esse à causa, nisi actione illa, qua subiectum informatur, quæ non est creatio. Deinde irridet rationem nostram pro ea doctrina adductam, nempe quod ideò non possit anima esse natura prior, quia existentia rei non mensuratur per instans naturæ, quæ si valeret sequeretur non solum falsam esse doctrinam Scoti iam traditam de præcessione formæ creatæ ad inhesionem, seu informationem, sed etiam materiam ipsam non posse præcedere natura formam eductam, & sic non posse esse causam eius.

285 Sed ad hæc omnia occurrimus disput. 2. quæst. 7. art. 2. nu. 144. 145. & 146. citando hæc, & alia loca Doctoris, antequam à Poncio hic objcerentur, vbi benè explicuimus; quo sensu intelligendum sit formam, quæ creatur prius naturaliter esse à causa efficiente, quam materiam informet sub num. 146. & quo sensu dicatur anima rationalis à Scoto 4. d. 43. quæst. 2. alia actione produci, & alia vniri, & quod in aliquo instanti naturæ prius in se producitur, quam materiæ vniatur, vt ait ibidem §. *potest dici*, & 2. d. 17. qu. 1. non enim ita intelligi debet, quasi in aliquo signo naturæ prius in se existat, quam in corpore, quia hoc asseri nequit, tum quia productio, & existentia rei non mensuratur per instantia naturæ, sed temporis, vt explicui disput. 9. Log. quæst. 2. art. 1. tum quia etiam ex dictis ibidem explicando varias naturæ prioritates, nulla naturæ prioritas explicatur per hoc, quod in aliquo signo existat prius in quo non existat posterius, etiamsi si esset prioritas natura essendi, sed per posse esse in aliquo signo quantum est de se, in quo aliud non existat, iuxta explicationem ab Arist. datam 5. Met. 16. de prioritate naturæ, quod illa dicuntur priora natura, quæ possunt esse sine alijs non tamen alia sine ipsis; nam si prioritas explicetur per actualem antecessionem in existentia, & non potentialem tantum, tunc talis prioritas non est naturæ prioritas, sed durationis, vt supra explicatum est quæst. 6. nu. 253. & inde; quare cum ait animam rationalem prius in se produci in aliquo signo naturæ, quam sit in corpore, loquitur in eo sensu, quem docet 4. d. 1. quæst. 1. quia non est nata à materia dependere in suo fieri, etiamsi in omnino primo instanti fiat in materia, adhuc prius natura dicit ordinem ad efficiens, quam ad materiam, quia est forma, quæ totaliter continetur in virtute actiua agentis, & nullo modo, in passiua subiecti, & ita est de anima rationali; tum quia cum anima rationalis producatur in corpore à Deo, sed independenter ab eo in genere materialis causæ, quia materia nullum habet influxum materialem in ipsam, vt habet in ceteras formas materiales, hac ratione benè dicitur prius natura in se produci, quam sit in corpore, cum naturæ prioritas sæpè explicari soleat per talem independentiam; cum qua explicatione benè intellecta adhuc benè persistit doctrina à Scoto tradita locis supracitatis de præcessione formæ creatæ ad inhesionem, seu informationem, quia eo ipso, quod creatur, fit independenter à subiecto, tanquam à causa, neque sequitur inconueniens contra nos ab arguente illatum, nempe materiam ipsam non posse precedere natura formam eductam, & sic non posse esse causam eius; vt enim materia dicatur natura precedere formam eductam minimè opus est, quod in aliquo instanti naturæ materia existat, in quo non existat forma, quia vt dixi, nec existentia rei mensuratur per instans naturæ, nec prioritas naturę explicatur per hoc, quod vnum in aliquo priori signo existat, in quo non existat aliud, sed per hoc, quod vnum possit quantum est ex se, sine alio existere, si sit prioritas naturę essendi; quare cum materia ita se habeat vt quantum est ex se possit existere sine forma educta, semper dicitur eam naturâ præcedere, etiamsi talis forma educta esset sibi coęua in existentia.

286 Neque nos disput. 3. Phys. num. 67. habemus doctrinam de formis eductis, quam refert arguens, immo potius oppositum, nam ibi ad 2. dicimus, quod anima rationalis non dicitur conseruari dependenter à materia, quia eius vnio cum materia non est sustentatio, at vnio aliarum formarum est sustentatio, & ideò dependenter ab illa conseruantur; quod si interdum illa doctrina alibi à nobis innuitur, non tamen eo modo, quo ibi ab arguente refertur, sed vt à nobis explicatur loco citato disputat. 2. numer. 146. vbi dicimus animam rationalem alia actione produci, & alia vniri, quia prior actio non necessario simpliciter dependet à secunda ex intrinseca ratione animę, posset enim in se produci, & non vniri; è contra verò ceteræ formæ etsi diuersa actione producantur, & vniantur, prior tamen actio à secunda dependet si producantur iuxta earum exigentiam, nam ita produci postulant, vt ipsum agens producendo vniat, & vniendo producat, qua ratione dicimus eadem actione produci, & vniri; ita loquimur ibi.

Deinde respondet num. 181. ad rationem in se, & ait argumentum ita procedere, ac si quis argueret hoc modo, ideò dicitur Antichristus futurus, quia Deus hoc reuelauit, ergo cum Deus non reuelauit Franciscum futurum, debemus dicere, quod non sit futurus; quod si etiam per ly *ideò* intelligant causam solam, & præcisam adhuc eodem modo peccat, quia etiam in casu de Antichristo potest fieri, quod ideò solummodo, & præcisè dicatur Antichristus futurus quia Deus id dixit, nec tamen valet consequentia, itaque directè nego consequentiam, quia quamuis illa esset sola ratio, ob quam anima diceretur creari, & illa ratio non conueniret habitibus, non sequeretur quod habitus non crearentur, quia posset alia ratio illis conuenire, ob quam crearentur, quæ alia ratio si conueniret animæ, tum falsum esset antecedens in sensu præciso.

287 Hæc solutio satis ostendit arguentem vel non percipisse, vel potius noluisse percipere vim argumenti, quod quidem fundatur in ratione ipsa eductionis, ac formæ educibilis etiam ab ipso concessa in hac ipsa responsione ad tertiam additionem num. 175. vbi ait *Immo ego ipse dico eductionem consistere in fieri cum dependentia, tanquam*

à causa, quæ est ipsissima ratio eductionis, quam nos explicuimus disput. 2. Phys. q. 7. art. 2. per totum, quod & ipse fateri coactus fuit disputat. 4. Phys. num. 27. cum ergo secundum ipsum, & nos ratio eductionis consistat in fieri cum dependentiam à subiecto, tanquam à causa materialiter influente in formam eductam, & forma educibilis sit quæ nata est fieri, & conseruari in subiecto cum tali dependentia, nostrum argumentum ita procedit, *ideò anima rationalis dicitur creari, & non educi de corpore, quia de se nata est subsistere, vnde quantumcunq; in corpore producatur semper independenter ab eo producitur, & illud respicit, vt subiectum merè in quo non ex quo*, hoc est nostrum antecedens, quod vt patet fundatur in ratione eductionis & formæ educibilis, quæ consistit in fieri formæ cum dependentia à subiecto, tanquam à causa, vnde cum anima non ita dependenter à corpore fiat quia de se nata est subsistere, inferimus ipsam non educi de corpore etiam producatur in corpore, sed creari, & ex hoc, quia habitus supernaturales non sunt formæ natæ per se subsistere, sed inhærere, inferimus, quod si producuntur in subiecto fiunt dependenter à subiecto; cum talem dependentiam exigat eorum natura inhæsiua, nam hoc est formam educi de potentia materiæ, non prius in se produci, quam in subiecto, si est forma nata inhærere. Poncius verò studiosè illud nostrum antecedens non retulit ex integro, sed mutilatum hoc modo *anima rationalis ideò dicitur creari, quia de se nata est subsistere*, vt hinc nos carperet argumentandi ab insufficienti causa creationis, non autem præcisa, & adæquata, quia quælibet forma etiam educibilis potest à Deo creari si extra subiectum produceretur, ac independenter ab ipso, seu ipso non concurrente in genere materialis causæ; at nos non ita arguimus, sed dicimus animam ideò creari, & non educi de corpore, quia de se nata est subsistere, & quia independenter producitur ab eo, quam aliam causam creationis, quæ potest etiam aliis formis conuenire materialibus, si extra subiectum à Deo producantur, licet non sint natæ subsistere, subticuit Poncius, vt argumentum calumniari posset, & facilius soluere.

Denique soluto argumento etiam vltima verba, quæ in nostro habetur consequente, redarguit, quæ sunt illa, *nam hoc est formam educi de potentia materiæ non prius in se produci, quam in subiecto, si est forma nata inhærere*, subdit ad hæc verba Poncius. Si loquantur de prioritate temporis est falsum, & id asserere hic est petere principium, si verò loquantur de prioritate naturæ etiam est falsum suppositâ doctrinâ ipsorum, quod forma creata non prius natura producatur quam insit. At iam explicui, in quo sensu negamus formam creatam v. gr. animam prius in se produci, quam sit in subiecto, in aliquo signo naturæ, & in quo sensu id debeat concedi, quia nempe independenter fit à subiecto, etiamsi fiat in subiecto, vnde ratione talis independentiæ prius natura dicit ordinem ad efficiens, quam ad materiam ideoque prius dicitur in se produci, quam sit in subiecto, non autem quia re vera in aliquo signo etiam naturæ existat, in quo non existat in subiecto, cum rei existentia non mensuretur per instantię naturæ, sed temporis; & quia habitus supernaturales, sicut & vniuersaliter quælibet accidentalis forma, non prius in hoc sensu in se producitur, quam in subiecto, quia producitur dependenter à subiecto iuxta exigentiam suę naturæ inhæsiuæ, hinc arguimus productionem eorum in subiecto non esse creationem, sicut est animæ productio, sed eductionem, nam cum forma nata est inhærere, si fit in subiecto, fit etiam dependenter ab ipso in genere materialis causæ, ideoque dicitur educi, & non creari.

280 Tertia ratio erat ad idem, quia si poneretur gratia in vno instanti creata, deinde animæ infusa, etiamsi in fieri à subiecto non penderet, adhuc tamen penderet in conseruari, quia non est forma subsistens, vt anima, atque ita consequenter eius desitio erit corruptio & non annihilatio, quia desinit in subiecto, à quo dependebat in conseruari, ex quo postea sequitur, quod etiam per eductionem incipere debeat, si desinit per corruptionem. Respondet Poncius nu. 182. si loquantur de instanti naturæ itaut velint, quod si gratia creatur pro vno instanti naturæ, & infundantur deinde pro alio instanti naturæ, quod tum creabitur in primo instanti temporis, in quo includuntur illa duo instantia naturæ, & consequenter conseruari poterit pro alijs instantibus creatiuè absque dependentia à subiecto, non obstante, quod non sit forma subsistens, quia sicut hoc non impediret creationem ipsius in primo instanti in casu posito, ita nec conseruationem absque dependentia à subiecto posset impedire, & sic non deberet desinere per corruptionem, sed per annihilationem. Quod si loquantur de instanti tempori, itaut velint quod si gratia crearetur in instanti temporis extra subiectum, & postea posteritate temporis poneretur in subiecto, tum etiam negandum est, quod deberet conseruari ab illo subiecto cum dependentia, nec hoc probatur per hoc, quod non sit forma subsistens.

289 Nos loquimur in argumento de instanti temporis, & non naturæ, quia vt sæpius dictum est, productio, & existentia rei non mensuratur per instans naturæ, sed temporis. Et falsum est, quod in casu posito in tępore sequenti, cum gratia ponitur in subiecto, scilicet anima, non conseruaretur dependenter ab eo, quia cum sit forma accidentalis, ac proinde apta inhærere, statim ac ponitur in subiecto, illi inhæret; & consequenter ab eo in suo esse, & conseruari dependet, hoc enim est formam inhærere subiecto, quod ipsum informare cum dependentia ab ipso in suo esse, & conseruari, vnde quia non est forma nata per se subsistere, sed inhærere, eo ipso, quod ponitur in subiecto, dependet in suo conseruari ab ipso, adeoquod extra ipsum suapte natura existere nequeat. Confirmatur, quia si in Sacramento Eucharistię denuò reproduceretur à Deo substantia panis sub suis accidentibus, esto ante talem reproductionem conseruentur illa accidentia à Deo influxu creatiuo, quia independenter à subiecto, tamen in casu reproductionis conseruarentur deinceps influxu eductiuo, quia dependenter à subiecto iuxtà connaturalem eorum exigentiam, non alia ratione nisi quia sunt formæ suaptenatura inhæsiuæ, & non subsistentes vt anima; ergo idem pariter de gratia dicendum esset, quod posita in anima dependenter, conseruetur ab ipsa, cum currat hinc indè eadem ratio quâtum ad hoc, vel si hoc negatur de gratia, poterit etiam id negari de accidentibus Eucharisticis in casu posito de reproductione substantiæ sub ipsis, quod tamen à nullo negatur, quod sciam. Cum autem ait, quod sicut hoc, scilicet non esse formam subsistentem non impediret creationem eius in primo instanti in casu posito, ita nec conseruationem absque dependentia à subiecto posset impedire. Dico, quod sicut hoc non impedit creationę eius in primo instanti, ita nec impediret conseruationem eiusdem pro tempore, sequenti creatiuè, si quemadmodum in primo instanti extra subiectum producta, fuit, ita etiam extra subiectum perseueraret deinceps, at sicut impediret eius creationem in primo instanti, si pro tunc produceretur in subiecto, ita etiam tempore sequenti impediret conseruationem creatiuè, si ponatur in subiecto deinceps, ex hoc enim, quod non est per se subsistere nata, sed inhærere, petit connaturaliter in subiecto fieri, & conseruari, vnde eo ipso quod fit in subiecto, vel conseruatur in eo, censenda est fieri, & conseruari dependenter ab eo, quia fit, & conseruatur iuxta naturalem suam exigentiam. Et planè est voluntarium omnino, ac sine fundamento dicere quod forma accidentalis creata extra subiectum si posteà in subiecto ponatur, adhuc conseruentur influxu creatiuo, & non potius eductiuo, ac dependentia ab ipso, nam eadem quoque ratione è contra dici posset, quod accidentia Eucharistica conseruantur adhuc influxu eductiuo, eo quia ab initio, dum erant in pane ante consecrationem, ita conseruabantur dependenter à subiecto.

290 Quarta ratio erat, quia Scot. 4. d. 1. quæst. 1. Hh. *secunda conclusio*, omnem illam formam vocat materialem, idest ex materia eductam, vel educibilem, quæ ex natura sua inclinatur naturaliter, vt sit actus materiæ, itaut suaptenatura aliter nequeat existere, sed hæc ratio conuenit habitibus supernaturalibus: ergo non creantur. Respondet Poncius sub num. 183. hanc nostram explicationem illius loci non esse de mente Scoti, sed potius contra ipsum, nempe *itaut suaptenatura aliter nequeat existere* nam si hoc intelligeret Scotus, contradiceret sibi; vnde inquit sensum illorum verborum esse istum, quod omnis illa forma sit materialis, idest educibilis connaturaliter à subiecto, quę ex natura sua inclinatur, vt sit actus materię cum dependentia ab ipsa, hæc autem ratio non competit habitibus supernaturalibus in sententia eorum, qui dicunt eos creari.

Sed planè sensus verborum Scoti citati in explicatione formæ materialis & educibilis, est, quem nos dedimus, neque noster sensus est ab eo diuersus, quem Poncius ipse assignat, cum enim dicimus formam materialem esse illam, quæ necessariò ex natura sua naturaliter inclinatur, vt si actus materiæ, itaut suaptenatura aliter nequeat existere, nisi in materia, voluimus significare, quod est actus materię cum dependentia ab ipsa, vt ipse explicat, quia ex tali dependentia procedit necessitas sic existendi in materia, & si talis dependentia non adesset, nec etiam forma totalem necessitatem haberet existendi, semper in subiecto, vt constat de anima rationali, cum autem subdit, quod hęc ratio non competit habitibus supernaturalibus, oppositum in ea ratione ostendimus ex Scoto loc. citat. quia per eam definitionem formę materialis, vel educibilis sola anima rationalis ibidem à Scoto excluditur, quæ non cum tali necessitate inclinatur, vt sit actus materiæ, quia suaptenatura, & secluso miraculo potest extra illam existere; vnde præter animam rationalem sub ea descriptione omnem formam comprehendit, siue sit substantialis, siue accidentalis, vt patet ex ipso contextu.

291 Quinta ratio est, quod actus supernaturales educantur ex potentia subiecti, & non creentur, ergo idem dici poterit de habitibus, nam nulla ratio potest adduci de habitibus, quę non elidatur in actibus. Respondet Poncius negando consequentiam cũ probatione, nã est vna disparitas, ob quam id debet dici de actibus, quæ non currit de habitibus, & quidem obuia, & euidens, quia scilicet nostra potentia virtute sua propria concurrit cum habitu ad producendos actus, & propterea quandoquidem non possit attingere terminum creationis debent actus educi, habitus autem supernaturalis non producitur à nostra potentia, nec quidem particulariter, sed à solo Deo, & propterea ex hoc capite non debet educi.

Fateor prædictam disparitatę inter actus, & habitus esse obuiam, & euidentem, at quia non multum vrget in proposito, ideò Scotistæ à me citati art. 2. cit. alias disparitates adducunt inter actus, & habitus, & parum de ista curant, quantumuis obuia, ac euidenti, & quidem hæc disparitas parum, vel nihil facit ad rem, non enim ideò Deus dicitur creare habitus supernaturales, quia immediatè ipse illos producat absque interuentu causæ fęcundæ efficientis, quia in sententia multorum anima vegetatiua, & sensitiua à Deo immediatè producuntur sine consortio causæ secundæ efficientis, & tamen non creantur, sed dicuntur à Deo immediatè educi de potentia materiæ; tum quia concursus causæ secundæ materialis excludit rationem eductionis à factione for-

formæ, non autem concursus causæ secundæ efficientis, tum quia cum hoc, quod nulla causa creata efficiens cum Deo concurrat ad productionem supernaturalium habituum, sed à solo Deo producantur, adhuc consistere potest, quod non creentur, sed educantur, si illos ipsemet immediatè producat in anima, & dependenter ab ea. Tum quia Thologi passim admittunt quosdam actus supernaturales à Deo in nobis immediatè operatos, vt colligi videtur ex Concil. Trid. sess. 6. c. 5. *tangente Deo cor hominis* &c. quos etiam videtur admittere, vt eductos de potentia animæ, immediatè à Deo, non autem esse creatos; ergo creatio, vel eductio alicuius formæ non ponitur, vel aufertur per concursum causæ secundæ efficientis, vel negationem eius, sed per concursum causæ materialis, vel eius defectum; non ergo ex hoc actus dicentur educi, & non creari, habitus autem è contra, quia ad illorum productionem concurrit causa secunda efficiens cum Deo, non autem ad productionem istorum; sed ex hoc, quod ad productionem actuum concurrit cum Deo causa materialis, & fiunt dependenter ab ipsa, non autem habituum; quod si etiam habitus fierent ab ea dependenter, ipsi quoque dici deberent educi, & non creari, vt nos probabile censemus. Denique disparitas ista nequit adduci sine manifesta principij petitione; si enim ex actuum supernaturalium eductione quis etiam arguat eductionem habituum, & negetur paritas, quia potentia nostra virtute sua concurrit ad productionem actuum, & quia nequit attingere terminum creationis, debent educi, habitus autem supernaturales non producantur à nostra potentia, quia creantur; si inquam, ita respondeatur planè committitur manifesta principij petitio; quia pro ratione disparitatis adducitur id, quod est in controuersia.

292 Objcit deindè, quod non soluerimus rationem ab ipso adductam pro creatione gratiæ in supplemento facto ab ipso ad quæst. 6. distinct. 17. primi, & quod defendamus sententiam Scoto omninò contrariam, nec benè nos satisfeciſſe locis Doctoris in oppositum apertè loquentis, & tandem quod proinde maneant adhuc integra, & insoluta quatuor argumenta, quæ opposuit contra nostram explicationem eductionis.

Respondeo nos hactenus non vidisse rationem illã, nec esse ad manus supplementum; illud neque opus erat, vt adeò insudaret ad ostendum eductionem habituum supernaturalium non esse de mente Doctoris, quia id nos quoq; libenter admittimus disp. 3. cit. n. 77. diximus tamen Doctorem id tenuisse potius ob Sanctorum, & Scripturarum auctoritates, quam ob aliquam rationem conuincentem, ac posse illam sententiam defendi, vt valdè probabilem ob Scholasticorum etiã antiquiorum auctoritatem, quibus est maximè deferendum; oppositam tamen etiam tutati sumus loc. cit. intra terminos solius probabilitatis, idq; nobis licere posse iudicauimus, tùm quia nonnulli Scotistę id etiam fecerunt tum ex antiquis, tum ex Recentioribus, vt dixi supra numer. ..... tum quia Doctor ipse nunquam probando creationem habituum supernaturalium, videtur illam potius tenuisse solum ex suppositione communioris sententiæ, quam quod per fundatam rationem id asserendum putaret.

293 An verò adhuc maneant insoluta quatuor argumenta ab ipso obiecta disp. 4. nu. 27. contra explicationem nostram eductionis disp. 2. Phys. quæst. 7. art. 2. nu. 148. nunc est examinandum, ibi dicimus, formam educi, vel eductam esse de potentia materiæ, formaliter nil aliud esse, quam suum fieri necessariò esse fieri in materia, & quod suum esse necessariò est esse in materia, ita quod si sit aliqua forma, quæ vtique sit, & fiat in materia, tamen absolutè fieri possit, quantum est ex se sine materia, & esse sine materia, ista non dicitur educi, quia de necessitate suum esse non est necessariò esse in materia, quam explicationem ibi collegimus ex Doctore 4. d. 1. q. 1. §. *Secunda conclusio*, & probauimus, quia iuxta hanc explicationem optimè insinuatur ad rationem eductionis, non sufficere ex parte materiæ concursum receptiuum, sed etiam sustentatiuum requiri, ita quod eductio formæ formaliter importat dependentiam formæ ad subiectum, in quo recipitur, & sustentatur, tanquam ad causam, à qua dependet in genere materialis causæ; per illam namque necessitatem fiendi, & existendi in materia benè indicatur dependentia formæ à materia, sicut è contra vbi talem necessitatem non videmus, vt in anima rationali, nec etiam in tali forma talem dependentiam arguimus; quam etiam eductionis explicationem Poncius ipse amplectitur tùm disp. 4. Phys. cit. tùm in ea append. apologet. §. *Tertia additio*, nu. 175. verbis supra relatis. *Imo ego ipse dico eductionem consistere in fieri cum dependentia à subiecto, tanquam à causa*, vnde & ipse fatetur disp. cit. nu. 27. fortè de solis verbis nobiscum disputare.

Primò igitur arguebat contra assignatam eductionis explicationem quod anima rationalis habet suum fieri in materia, adeout esset miraculum, quod produceretur extra materiam, & tamen non educitur; ergo eductio non consistit in hoc quod suum fieri necessariò sit fieri in materia. Respondetur est ad hoc disp. 2. cit. quæst. 7. art. 2. in fine ex dictis in eo articulo patere, quo pacto anima rationalis fiat naturaliter in materia, quia nimirum illam exigit, non vt veram causam suæ existentiæ, sed vt conditionem concomitantem eius naturalem statum, quod ex eo arguimus, quia post corporis interitum adhuc anima conseruatur absque miraculo, non autem forma materialis; vnde maius miraculum esset, si forma materialis extra materiam fieret, quam si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materiæ necessitatem, sicut illa, ad suam existentiam, cum eam tantum requirat, vt conditionem concomitantem, non vt causam.

Reijcit Poncius in append. nu. 175. hanc solutionem, quia non tollit impugnationis vim, quia non ostendit sufficere pro eductione, quod aliquid fiat necessariò in subiecto, quod est intentum impugnationis, benè quidem ostendit, quod si educi non esset fieri necessariò quandocunque in subiecto, sed fieri cum dependentia à subiecto, contra hoc non esset exemplum de anima, quæ quamuis fiat in subiecto, non tamen fit cum dependentia à subiecto, tanquam à causa, sed contra hoc non adduxi illud exemplum, sed contra fieri præcisè in subiecto necessariò, & naturaliter, imò ego ipse dico eductionem consistere in fieri cum dependentia, tanquam à causa, quod si per suum fieri in subiecto intelligunt Maſtrius, & Bellutus fieri cum dependentia, certè debebant illud proponere, quando tractabant de eius explicatione; Addo vlterius, quamuis hic propter hoc exemplum de anima videantur admittere dependentiam formæ eductæ quoad suum fieri à subiecto, ex, quo educitur, quia dicunt formam materialem exigere materiam, vt veram causam suæ existentiæ, hoc tamen videri contra eorum principium disp. 3. num. 67. *§. hęc argumenta*, vbi respondentes ad obiectionis aliquas meas dicunt necessariò concedendas esse duas actiones causæ educentis, seu conseruantis formam à subiecto, vnam, qua conseruatur, seu habet esse ipsamet entitas formæ, alteram qua conseruatur vnio ipsius ad subiectum; nam hic videntur negare dependentiam formæ quoad suam entitatem à subiecto, licet dependeat quoad suam vnionem, vnde non videntur admittere aliam dependentiam formæ eductæ à subiecto, quam talem qualem habet anima, quia anima etiam dependet quoad vnionem. Addit tandem malum esse illud indicium ex quo colligunt, quod forma materialis exigat subiectum, tanquam causam, anima verò exigat, nempè quia anima potest absque miraculo conseruari sine subiecto, forma non potest, nam gratia nequit absque miraculo conseruari sine subiecto, & tamen non exigit subiectum, tanquam causa quandoquidem creatur iuxtà communem Scotistarum.

294 Sed ostendo solutionem allatam tollere omnino vim impugnationis, nam ipse fatetur tolli, si per eam ostendatur educi non esse necessariò fieri quomodocunq; in materia, vel subiecto, sed fieri cum dependentia ab eo, & fatetur contra hoc tunc non procedere exemplum de anima, quæ quamuis fiat in subiecto, non tamen fit cum dependentia à subiecto, tanquam à causa; sed per solutionem allatam hoc totum ostenditur, vt patet eam legenti præsertim apud nos, ergo verè tollit vim impugnationis; & sub illo num. 248. in ipsa explicatione eductionis benè, & apertè explicuimus dependentiam formæ educibilis à subiecto, tanquam à causa in genere materialis causæ, diximus enim per eam necessariam factionem, & cõseruationem formę materialis in subiecto iuxtà suæ naturæ exigentiam optimè indicari dependentiam formæ à subiecto, tanquam à causa, à qua dependet, adeout opus non erat, vt Poncius hanc expressionem desideraret in nobis, tum quia adhuc expressius id docemus disp. 5. Phys. q. 4. art. 1. Et rursus sub eodem num. 148. in ipsamet eductionis explicatione dicimus per eam benè explicari concursum materiæ non solùm attingere debere vnionem formæ, sed etiam ipsammet existentiam formæ, & necessarium esse non solùm, vt conditionem concomitantem ad connaturalem eius statum, qualis est modo corpus ad animam rationalem, sed etiam, vt veram, causam in primo instanti, in quo fit; vnde falsum est, quod addit nos propter exemplum de anima allatum in suo argumento posteà admisisse dependentiam formæ eductæ quoad suum fieri à subiecto. Neque oppositum dicimus infra disp. 3. nu. 67. non enim ibi negamus dependentiam formæ quoad suam entitatem à subiecto, sed solùm dicimus distinguendam esse actionem, qua conseruatur entitas ipsa formæ à Deo, & qua conseruatur eius vnio ad subiectum, & ex vi prioris conseruari entitatem formæ absolutè præscindendo à subiecto, quia influxus ille Dei terminatur ad solam entitatem formæ, & indifferens est ad conseruandam formam, dum est in subiecto, vel extra subiectum, ideoque determinatè conseruari in subiecto solùm ex vi posterioris, quia hæc terminatur ad vnionem, per quam formaliter dicitur forma inhærre subiecto, per quam doctrinam minimè reuocatur, quod dictum fuit disp. 2. num. 148. in eductionem formæ materiam concurrere, eiusque concursum non solum attingere debere vnionem formæ, sed etiam ipsammet entitatem formæ; Quod denique addit malum esse illud indicium &c. quia gratia nequit sine miraculo conseruari absque subiecto, & tamen non exigit subiectum, tanquam causam; dico potius ex hoc deduci debere, quod gratia non creatur, sed educitur iuxta connaturalem modum, quo exigunt formæ aliæ accidentales produci, & hanc esse vnam prę cipuam rationem, quæ nos mouit ad asserendam, vt probabilem, eductionem formarum supernaturalium, cum enim in subiecto fiant, & existant tanta necessitate, quanta fiunt, & existunt in eo aliæ formæ accidantales naturales, vtique ista necessitas æqualem dependentiam à subiecto arguebit in omnibus.

295 Secundò arguit, quia forma materialis, quæ educitur, non ita necessariò habet suum fieri in materia, quin posset quantum est ex natura sua fieri, & conseruari absque materia. Respondetur est à nobis loc. cit. hoc negando, quandoquidem directè repugnet naturę materialis formæ fieri, vel conseruari extra materiam.

Refellit Poncius hanc solutionem loc. cit. num. 176. horribili apparatu ab initio, ait enim sustineri non posse in principijs philosophiæ, aut Scoti, aut fidei, quia secundum veram philosophiam, & Scotum vbique omne absolutum non habens necessariam connexionem cum

alio

lio absoluto, potest de potentia absoluta conseruari, & produci sine illo, non etiam secundum principia fidei, ex quibus constat accidentia eucharistica conseruari absque subiecto; ergo non potest saluo hoc principio fidei teneri, quod forma materialis, quantum est ex natura sua non possit produci, & conseruari absque subiecto, & quod ita conseruari sit contra naturam ipsius. Vnde re vera hæc propositio Mastrij (inquit) meretur censuram non philophicam tantum, sed theologicam; nisi posset defendere se dicendo quod ipse, dum dicit esse contra naturam formæ materialis, quod possit conseruari, & produci absque subiecto, quantum est ex natura sua velit dicere, quod sit contra naturam ipsius, quod ex natura sua exigeret connaturaliter sic produci, aut conseruari. Ita planè intelligo, atque ita passim alij loquuntur, vnde opus certè non erat tantam commouere tempestatem, & Philosophorum, & Theologorum contra meam responsionem, quam alium ferre sensum posse non credo, nisi quem ipse tandem fassus est, & ait esse doctrinam veram, & communem. At non potens de re censuram ferre, contendit saltim modum loquendi esse improprissimum, neque enim (inquit) vllo modo propriè loquendo, idem est dicere, non potest quantum est ex natura sua produci extra subiectum, & ex natura sua non exigit, aut non potest exigere sic produci. Deinde si in hoc sensu loquatur (subdit) non respondet ad meam obiectionem, nam ego opposui, quod non peteret ita esse in subiecto, quin posset esse extra ipsum quantum est ex natura sua, & intellexi hoc in sensu proprio, sic, scilicet vt non repugnet ipsi de potentia absoluta poni extra subiectum. At hic planè est ineptissimus & improprijssimus loquendi modus dicere nempe quæ non repugnat rebus de potentia Dei absoluta, & per solam obedientialem potentiam possunt conuenire, quod illis conueniant ex natura sua, sic enim dici posset ex natura sua igni conuenire non calefacere, graui non descendere, quia de potentia Dei absoluta possunt hæc agentia ab his connaturalibus actionibus impediri; tum quia re vera idem est dicere, accidens quantum est ex sui natura, & conditione non potest produci extra subiectum, & quod ex natura sua non exigit sic produci, adeo quod ly *ex natura sua*, dicit naturalem eius exigentiam. Si ergo suo argumento cum ait, formam materialem non ita necessariò habere fieri in materia, quin possit *quantum est ex natura sua fieri, & conseruari absque materia*, sic intelligit, vt non repugnet ipsi de potentia absoluta poni extra subiectum, vt ipsemet explicat, sanè impropriè magis loqui non poterat, quia quæ conueniunt rebus de potentia Dei absoluta non dicuntur ei conuenire ex natura sua, sed potius supra, vel præter naturam, si non contra naturam, & tunc admissa hac improprietate loquendi, vtique non est negandum assumptum in argumento, sed consequentia quę inde deducitur, quia vt aliqua forma dicatur educi, non obstat, quod per Dei potentiam fieri possit, & conseruari sine subiecto per miraculum, sed obstaret, si ita citra miraculum posset existere, vt euenit de anima rationali, quæ ad interitum corporis non interit, sed adhuc sine miraculo conseruatur separata sine ipso, nam illa forma, quæ sic nata est per se existere citra miraculum, etiam si sit in subiecto, censenda est non dependere ab ipso in suo esse, tanquam à causa.

296 Tertiò arguit, quod quamuis forma materialis exigat fieri, & conseruari in materia, tamen si actu non penderet à materia in fieri, non educeretur, & similiter quamuis anima rationalis possit connaturaliter fieri, & conseruari absque dependentia à materia, tamen si dependeret à materia educeretur; ergo malè explicatur eductio dicendo, quod illa forma educatur, quæ fit in materia, & petit connaturaliter non esse, nec conseruari absque materia. Ad hoc responsum est disp.2.Physic.citat.quod si forma materialis non fieret cum dependentia à materia, vtique non fieret per eductionem, adhuc tamen suaptenatura peteret sic fieri, nec enim actualem eductionem ponimus consistere in tali exigentia, sed in actuali dependentia formæ à materia ex tali exigentia suborta.

Reijcit hanc solutionem Poncius in append.num.177. & ait, mirum est, quod non viderint hanc responsionem excludi per alteram partem obiectionis, quam non tetigerunt, credo, quia non potuerunt nam dicitur in obiectione, quod anima rationalis, si produceretur dependenter à subiecto, educeretur, & tamen non haberet dependentiam ex exigentia dependentiæ subortam; ergo malè explicatur in hac responsione eductio consistere in dependentia ex exigentia dependentiæ suborta. Fateor fuisse à nobis omissam solutionem ad alteram obiectionis partem, non quia non potuerimus illam assignare, sed potius quia eam non necessariam dijudicauimus, cum quique videre possit implicare manifestè, quod in ea proponitur, nempe animam rationalem fieri posse cum dependentia à materia; si enim educeretur de corpore, tunc non amplius esset forma immaterialis, sed materialis, quia tunc tota educeretur de toto corpore, & pars de parte, quare sicut implicat formam immaterialem fieri materialem, sic implicat animam rationalem educi de corpore, & fieri dependenter à materia, & hæc est ratio, cur ad alteram illius obiectionis partem respondere negleximus. Dices, si forma materialis fieri potest independenter à materia, & per creationem, vt in prima parte obiectionis concedimus, cur non etiam è contra poterit forma immaterialis fieri per eductionem, ac dependentiam à materia vt dicitur in altera obiectionis parte? Resp. rationem ex dictis modò deduci, quia concedendo primum, nullum sequitur inconueniens v.g. quod forma materialis fiat immaterialis, cum enim etiam facta per creationem adhuc retineat exigentiam, vt fiat, & conseruetur cum dependentia à subiecto, manet adhuc in linea formarum materialium, ac concedendo secundum, sequitur inconueniens iam illatum, quod forma immaterialis fiat materialis, eo modo, quo deductum est.

297 Quartò opponebat, quod habitus supernaturales petant produci, & conseruari in subiecto, itaut miraculum esset, quod conseruarentur absque subiecto, & tamen non educuntur, quandoquidem secundum Scotistas communiter creentur. Ad hoc etiam responsum est loc.cit. hac ratione habitus quoque supernaturales connaturalius produci per creationem, quam per eductionem, quam solutionem refutat Poncius loc.cit.n.179, adducendo, & soluendo singulas rationes, quibus à nobis probata fuerat eductio etiam habituum supernaturalium, quas rationes iam in hac ipsa quæstione propugnauimus, & eius solutiones impugnauimus.

Alias quoque responsiones, quas affert Poncius in append. citato apolog. ad nostras physicas additiones libenter hic adduxissem, ac refutassem, si loci opportunitas adesset, sed quia ad varias materias philosophicas spectant, quæ non commodè possunt hic in vnum reduci, satius mihi visum est, id reseruare opportunioribus locis, & præsertim in recusione quamcitius habenda tomi de gener. & corr. vbi multa opportunè cadent. Interim nota non singulas istius Auctoris responsiones, ad nostras physicas additiones egere confutatione, cum enim in aliquibus viderit nos veritatem acu tetigisse, non audet contradicere, sed controuersiam reducit ad quæstionem de nomine, seq. defendit Burlæicis armis confugiendo ad distinctionem de larga, & stricta vocabulorum acceptione; quod quidem prudens lector experiri poterit in responsione ad ipsam primam nostram additionem, quę in præfata append. apolog. habetur nu.64. cum enim in ea additione contra ipsum probauerim ad mutationem Physicam requiri de mente Arist. & Scoti, quod priuatio præcedat duratione formam in materia, nec sufficere, quod præcedat natura præsertim negatiuè, vt ipse asserebat, respondet in hoc puncto inter nos non esse quæstionem, nisi de nomine, quia ita est, vt nos dicimus, si physica mutatio propriè, & strictè sumatur ipsum verò, quando hoc negauit esse necessarium, mutationem accepisse non strictè, sed largè, ita respondet ad nostra fundamenta ibid. num. 166.

298 Hic tamen dissimulare nequeo, quod habet ibid.num.164. vbi ait, dicunt præterea in proponenda mea sententia, quod ego doceam priuationem in casu, quo fieret generatio, absque præcessione temporaria, vt ita loquar, priuationis, præcedere debere natura formam, non tamen positiuè, quasi pro aliquo signo naturæ priuatio præcedat formam in materia, sed negatiuè, quatenus re vera præcessisset. At nec ego propono hanc doctrinam, nec ab vllo benè proponi potest, quia inuoluit manifestam contradictionem, habetur enim in ea, quod priuatio præcedat natura formam, & tamen, quod hoc non sit quasi præcederet pro aliquo signo naturæ, vnde cum præcedere natura, nihil aliud sit, quam præcedere pro signo naturæ, manifesta est contradictio, quod præcedat natura, & tamen non præcedat pro aliquo signo naturæ; ego verò docui, quod præcedat negatiuè natura, & pro signo naturæ, non verè, quod præcedat positiuè natura, aut in signo vllo naturæ; ita Poncius. Sed planè doctrinam illam & explicationem de prioritate naturæ positiua, & priuatiua, vel negatiua, vt à nobis affertur in additione citata, absque vlla contradictione proposuit Doctor non semel locis ibi citatis in terminis 2.d.1.q.2.§. *Respondeo*, & 3.d.3.q.1.lit.E. & vt explicatur ab ipso Doctore prioritas illa naturæ negatiuæ negatiua, patet nullam inuoluere contradictionem; immo hæc ipsa doctrina, & sub his terminis mihi videtur proponi ab ipsomet Poncio disp. de priuat.n.3. & seq. cum enim dicimus mutationem esse transitum subiecti à non esse tale, ad esse tale, ideoque priuationem re vera tempore præcedere formam, ait intelligi debere non quidem de non esse tale, quod præcessit in subiecto, sed quod præcessisset, si forma introducta non fuisset; ergo hæc explicatio prioritatis naturæ negatiuæ, nedum à Scoto proponitur, sed etiam ab istomet Auctore, qui proinde immeritò hanc explicationem damnat veluti implicatoriam.

QVÆSTIO X.

De Accidentibus relatiuis.

299 NVllam relationem dari posse, quæ suum terminum naturæ præcedat, immo id manifestè destruere naturam respectus præsertim actualis, qui sequitur extrema in actu posita, nedum ostendi disp.8.log. sed etiam disp.5.Phys.q.2. & iuxta Scoti doctrinam, & iuxta rei veritatem in se. Oppositum tamen tenet Poncius in append. apolog. nu.33. vbi ait ex alibi dictis ab ipso disp.17.log. nu.42. actionem, qua agens creatum producit terminum, esse relationem naturæ suæ præcedentem terminum, qui producitur, quam doctrinam ait ab incunabulis accepisse à melioribus, quos vnquam viderit Scotistas, non verbales, & textuales, quibus cortex tantum Scoti, non spiritus, non vita comperta est, sed reales, & solidos, qui rationum medullas penetrare satagebant. Et quia nos oppositum asserimus etiam de ipsa relatione causalitatis disp.5.cit.q.2. contendit loco cit. nostras probationes ad hoc ibi adductas dissoluere, & infirmare.

Primò itaque ibi probata fuit alligata doctrina de relationibus in vniuersum, ac etiam de ipsa relatione causalitatis ex Scot. in 2.d.1.q. 2.E. vbi ait, quod fallit nos imaginatio, dum putamus relationem causa-

causalitatis mediare, veluti viam inter causam, & effectum, quia re vera sequitur, sicut vniuersaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis; idem etiam clarius 1.d.35. q. vn. L. vbi ait *omnis igitur actualis relationis terminus est aliquod ens actu, in quocunq. igitur instanti natura causa refertur ad effectum, tunc est in termino esse actuale, potest autem illud absolutum terminans esse sine respectu ad ipsum; igitur ita est simul cum isto respectu, quod est prius naturaliter eo*, idem legitur 1.d.43. q.vn.C. *non est aliquis respectus prior ex parte causæ, quam ex parte causati, immo ab ipsa causa sub ratione absoluti est ipsum causatum sub ratione absoluta, & posita tertiò sequitur respectus* &c. idem quoque legitur 1.d.30.q.2. *Omne agens creatum tale est, quod posito aliquo effectu per ipsum ad ipsum, vt ad fundamentum, & ad productum, vt ad terminum consequitur habitudo eorum, ratio autem quare relatio actualis consequitur, non est nisi, quia hoc est hoc, & illud est illud: sicut ratio quare albedine, & albedine positis sequitur relatio realis actualis, vt similitudo, non est nisi hæc albedo, & illa albedo* &c. idem habet 1.d.30. q.2. sub G. dum probat relationes etiam mutuas non terminari, nisi ad absolutum, cumque id probasset de paternitate, & filiatione inquit *non enim ex hoc sequitur nisi, quod ista duo absoluta sunt priora istis duabus relationibus, & hoc est verum, imò ambo absoluta sunt priora vtraq; relatione, quia qualibet relatio non tantum præexigit fundamentum, sed etiam terminum*, & loquitur de prioritate naturæ, vt cõstat ex eius discursu, ex hoc enim, quod relationes mutuæ sunt simul natura, infert quod ambo absoluta sunt priora vtraq; relatione, idem etiam docet 4.d.12. q.1.D. & d.12.q.1.D. & quol.11. & alibi sæpè, vbi vniuersaliter de omni relatione docet, quod non insurgit, nisi positis extremis in actu, & affert exemplum etiam in ipsis respectibus actionis, & productionis.

Et hæc quidem loca Scoti, vt verba ipsa sonant intelligunt omnes vnanimiter Scotistæ, vno vel altero excepto inferioris notæ, & præsertim Expositores eius magnus Lichetus, Bargius, Tataretus, & alij, quos dubio procul arbitror, & in hoc, & in alijs vltra corticem sensum Doctoris vsq; ad præcordia penetrasse longè melius, quam Scotistæ à Poncio relati suppresso nomine, quorum nomina libenter audiissem, illorum namque suppressio suspicionem vehementem ingerit Scotistas illos esse verbales, & fictitios, non reales, & solidos, vt inquit ipse; At n. 34. ait has auctoritates non sufficere pro luculentia nostri asserti probatione, quod ait constare explicatione sua, quæ est inter præcipuos huius ætatis Scotist. qui sua opera non commiserunt typis, communissima; Verum si hæc sua explicatio adeò excellens est, vt valeat ipsa sola satisfacere tot, tamque apertis Scoti testimonijs in oppositum, eam in medium afferre debebat, vt considerari posset; citare verò pro eius corroboratione præcipuos huius ætatis Scotistas, qui typis non tradiderunt, vanum est, quia posset quilibet similes citare auctores pro suis placitis comprobandis nominibus suppressis etiamsi non extarent; ergo pro meo placito Scotistas omnes adduxi, qui typis tradiderunt, tam veteres, quam Recentiores, vno vel altero excepto. Quod si dicat illam suam explicationem esse, quam dedit disp.17. log. n.21. nec voluit hæc repetere; dico me quoque illam pluribus confutasse disp.6. Met. q. 1. art.4. quæ nec ego volo hic repetere.

300 Secundò probata fuit, ibidem, quia opposita doctrina, quod nempe relatio præcedat naturam terminum destruit essentiam relationis, natura siquidem eius est, vt sit habitudo inter duo extrema, ergo nisi sint extrema, non erit hæc habitudo, sicut non potest esse vnio, nisi sint partes vnitæ, & vno extremorum deficiente vnio euanescit. Deridet hoc argumentum Poncius, & respondet negando, quod per eam doctrinam destruatur natura relationis, ad cuius probationem distinguit consequens, nisi sint priora natura, negat consequentiam, nisi sint pro illo ipso instanti temporis, secundum quod exigitur à relatione iuxta naturam, particula relationis, concedit consequentiam, ad exemplum de vnione dicit primò aliquam vnionem non præsupponere naturaliter vtrumque extremum, vt patet de vnione, quæ est causalitas materiæ circa formam eductam, & quamuis deficiente quocunque extremo deficeret vnio, non sequitur ex hoc præsupposito extremorum natura, sed sufficit necessaria simultas temporis, dicit secundo alias vniones, quæ præsupponunt extrema hoc habere ex eo, quod ipsæmet ex natura sua non prærequirantur ad productionem vllius ex extremis, vnde non est idem dicendum de ipsis, ac de alijs vnionibus, ac relationibus, quæ ex natura sua prærequiruntur, tanquam causalitates productiuæ extremorum.

Sed planè potius deridenda videtur allata responsio quam argumentum, vt potè quæ plura inuoluit falsa, & mirabilia, non si essentia relationis in eo consistit, quod sit habitudo inter duo extrema, & quidem actu existentia, si sit actualis, nedum pro quocunque temporis instanti illa duo extrema relatio postulabit, sed pro quocunque etiam signo naturæ, quia etiam pro quocunque tali signo petit habere, quod ei ab intrinseco, & essentia iter conuenit, vnde sicut homo nedum pro quocunque temporis instanti est animal rationale, sed etiam pro quocunque signo naturæ, sic etiam & relatio nedum pro quocunque temporis instanti, sed etiam naturæ inter duo extrema versatur; & si pro aliquo signo naturæ non intelligitur inter duo versari, iam illa non erit relatio, sed quid absolutum. Tum quia terminus, & fundamentum, vt relatiua sunt, nedum sunt simul tempore, sed etiam natura, quam relatiuorum simultatem ita explicat Doctor 1.d.28.q.2.F. vt se mutuò inferant in existendo; ergo fundamentum cum relatione nequit natura terminum præcedere, & hoc valet de quacunque relatione, quia hæc doctrina datur de relatione à toto genere. Tum quia relatio passim ponitur præsertim à Scotistis causari ab extremis, loquendo præcipuè de relatione necessariò extrema consequente, hæc enim non habet aliam causam ab extremis, vt monet Doctor 1.d.17. q.2. §. *quantum ad istum articulum*; cum ergo causa debeat saltim natura præcedere causatum, etiamsi sint simul tempore, opus est quod extrema sint priora natura ipsa relatione. Ex quo tandem sequitur omnino implicare, quod habet in fine solutionis dari, *quasdam relationes, quæ ex natura sua prærequiruntur, tanquam causalitates productiuæ extremorum*, nam si verum est, quod communiter dicitur relationes causari ab extremis, tantum abest, quod relatio debeat extrema præcedere, vt eorum causalitas, vt potius res è contra omnino se habeat, quod extrema debent natura relationem præcedere veluti eius concausæ, vel dabitur circulus in causalitate relationum, & extremorum eius. Quod autem ait hoc patere de vnione, quæ est causalitas materiæ circa formam eductam, hoc vtique fortè patebit in Schola Recentiorum, quibus est illa doctrina communis, non tamen in Schola Scotistarum, apud quos id est omnino falsum, vt ostendi disp.5.Phys.q.4.art.1.

301 Tertiò probata fuit, quia repugnat dari relationem, quæ non terminetur ad aliquid, repugnat dari relatiuum absq. correlatiuo; ergo non est excogitabilis relatio, quæ natura terminum præcedat in fundamento, quia tunc in eo signo relatio intelligeretur esse, nec tamen intelligeretur terminus eius, qui non nisi in posteriori signo intelligitur; & fundamentum in eodem signo intelligeretur in esse relatiuo absque correlatiuo, quod non concipitur, nisi in posteriori signo, cum tamen relatiua sint simul natura. Respondet primò hoc argumentum militare contra paternitatem diuinam præcedentem originem terminum, & filiationem, vnde cum non probet, quin illa præcedat, nihil probabit in proposito. Respondet secundò distinguendo antecedens, repugnat dari relationem, quæ non sit ad terminum existentem pro omni signo naturæ, vel originis, quo intelligitur relatio, & repugnat relatiuum absque correlatiuo existente pro omni instanti naturæ, & originis, quo existit relatiuum, negat antecedens; repugnat dari relationem, quin terminetur ad terminum pro omni instanti temporis, & relatiuum sine correlatiuo existente pro eodem temporis instanti concedit; & pro eodem etiam instanti naturæ itaut vnum non præcedat alterum pro instanti vllo naturæ *in quo*, licet præcedat pro instanti naturæ *à quo*; distinguit etiam consequens, non est excogitabilis relatio, quæ terminum præcedat natura pro instanti *in quo* transeat; pro instanti *à quo* negat consequentiam, & negat quod sit inconueniens, quod relatio intelligatur pro instanti naturæ *à quo*, in quo non intelligitur terminus, & relatiuum pro instanti *à quo*, in quo non intelligitur correllatiuum; nec correlatiua debent esse simul natura sic, vt vnum non possit esse prius alio prioritate *à quo*, quamuis non debeat esse prius altero prioritate *in quo*, de quarum prioritatum distinctione, cum ab omnibus supponatur non est necesse hic agere.

Sed nulla istarum solutionum subsistit, non quidem prima, quia aliud est loqui de prioritate naturæ, aliud de prioritate originis, siquidem cum simultate naturæ stat originis prioritas, vt ex professo ostendi disp.9.Log.q.2. art.1. & 2. ex Scoto 1.dist.28.q.3.F. & 4.d.13. q.1.S. vbi ait, quod licet paternitas sit simul natura cum filiatione, & Pater simul natura cum Filio, adhuc tamen stat, quod Pater prior sit origine Filio, quia licet relatiua sint simul natura, prout simultas dicit non posse esse sine seinuicem, tamen cum hoc stat prioritas originis, quæ nihil aliud dicit, nisi à quo est aliud, vt idem docet quol.4. §. *Contra istam rationem*, & 1.distinct.10. q.vn. in fine; non ergo argumentum nostrum militat contra paternitatem diuinam, eo quod hæc origine terminum præcedat, quia argumentum loquitur præcisè de prioritate naturæ, & hanc contendit excludere ab omnibus relatiuis, & sicut concludit in creatis ità pariter in diuinis, quia etiam in diuinis Pater, & Filius sunt simul natura, nec inter illa datur prioritas naturæ, sed originis tantum, quatenus Filius est à Patre. Distinctio verò adhibita in solutione secunda ex dictis in refutatione solutionis ad præcedens argumentum exposa manet, vbi ostensum est inter relatiua, vt sic, simultatem temporis non sufficere, sed etiam requiri simultatem naturæ, vt docet Aristot.c.de ad aliquid, vbi docet relatiua, esse simul natura, contra quam relatiuorum proprietatem illa secunda solutio directè militat. Quod quidem Poncius considerans tertiam tandem addit solutionem, in qua concedit relatiua esse simul etiam in eodem naturæ instanti *in quo*, posse tamen vnum relatiuum aliud precedere prioritate naturæ *à quo*, ac pariter in eodem sensu posse natura suum terminum præcedere, nempe prioritate naturæ *à quo*. Sed neque etiam hæc alia responsio sufficit, immo valde inconsultò confundit prioritatem natura cum prioritate originis, nam sola prioritas originis propriè loquendo explicatur per ordinem à quo aliud, & à prioritate naturæ distinguitur, & potest esse sine illa, vt patet in causa, & effectu, vt relatiua sunt, quæ dicuntur simul natura, sed causa est prior origine effectu, quia est *à quo aliud*, & è contra datur prioritas naturæ sine isto ordine *à quo aliud*, vt est prioritas simplicis præsuppositionis absq; vlla causalitate; & instantia naturæ dicuntur instantia *in quibus*, non autem *à quibus*, non quod in vno detur prius, in quo non sit posterius, vt dicemus, aliter esset instantia durationis *in quibus*, sed quatenus in vno instanti præsupponitur aliquid esse non necessario præsuppositio posteriori, quod in relatiuis contingere nequit, quæ sunt simul nedum naturali existentia, sed etiam

etiam naturali intelligentia, vt notat Doctor 1.distinct.2.q.2.§. *de primo*, quæ monia fusè declarata sunt disputat.9.cit.log.qu.2.

302 Quartò sub n.41.nos redarguit, quod disp.5.Phys.cit.n.12. diximus relationem causalitatis, & actionis, qua denominatur causa efficiens efficere, non esse extrinsecus aduenientem sed intrinsecus, & inquit id à nobis contrà omnia principia dici, nam certum est actionem, quæ est causalitas causæ efficientis, spectare ad prædicamentum actionis, & consequenter esse relationem extrinsecus aduenientem, non verò prædicamenti ad aliquid, ad quod spectant relationes intrinsecus aduenientes. Sed rursus quod ait certum esse de actione, quæ est causalitas efficientis causæ, quod scilicet spectet ad prædicamentum actionis, si fortè certum sit in Schola Recentiorum, non tamen in Schola Scotistarum, nam vt dixi disputat.cit.phys.nu.12. Scotus 4.distinct.13.quæst.1.G. & H. quem locum Poncius fortiter dissimulauit, disertè distinguit actionem de genere relationis, quæ est productiua termini, & effectus, ab actione de genere actionis, quæ non est productiua termini, sed præcisè transmutatiua subiecti, itaut pro termino respiciat non aliquem effectum per ipsam factum, sed aliquod subiectum per ipsam transmutatum, vndè dum ignis aquam calefacit, actio prædicamenti actionis non respicit pro termino calorem in ipsa productum, sed aquam per calorem transmutatam, nec vna actio debet confundi cum alia, & prima est de genere relationis ac intrinsecus aduenientes secunda verò de genere actionis, ac extrinsecus aduenientes, idque probat Doctor ibidem hac ratione, ille dicitur respectus intrinsecus aduenientes, qui positis extremis necessariò consequitur ad ea ex vi præcisæ positionis ipsorum, sed statim ac ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu consequitur in ambobus extremis præsertim in creatis relatio producti, ad producens, & è contra ex Scoto 1.distinct.30. G. & distin.35. L. & 43 C. & 2.dist.1.q.2.E. ergo est respectus intrinsecus aduenientes; Quia tamen, vt dixi disp.7.phys.q.2. efficiens duo respicit terminum, scilicet vel effectum ab ipso productum, & subiectum ab ipso transmutatum, si causalitas efficientis consideretur, vt respicit subiectum, vtique dici debet importare relationem extrinsecus aduenientem, at quia non benè exprimitur adæquatè per talem habitudinem, cum adhuc magis præcipuè importet habitudinem ad effectum productum, ideò absolutè loquendo malè ponitur importare relationem extrinsecus aduenientem, de quo rursus videri possunt quæ contra hunc Auctorem discussi in hac materia disputat.6. Met.quæst.1.art.5. Tum quia causalitas, simpliciter, & absolutè dicta importat dependentiam actiuam, vel passiuam causæ, & effectus, per quam causa dat esse, & effectus recipit esse, quæ quidem dependentia sequitur necessario extrema in esse posita, atq; ideò inter relationes extrinsecus aduenientes est recensenda.

Postremò sub eodem nu.41. ait falsum esse, quod diximus loc. cit. relationes paternitatis, & filiationis agnosci ab omnibus Scotistis, velut intrinsecus aduenientes; cum potius sint extrinsecus aduenientes, & præsertim in sententia, quam ipse amplectitur, ponente illas esse ipsammet actionem, & causalitatem. At planè immeritò id negat, videatur Magister Formalit. cum omnibus Formalistis in diuisione entis in absolutum, ac respectiuum, quandoquidem diuidentes respectiuum in respectum intrinsecus, & extrinsecus aduenientem, dicunt relationem intrinsecus aduenientem esse, quæ necessariò ponitur positis fundamento, & termino, & afferunt exemplum de paternitate, filiatione, similitudine &c. sic etiam loquitur Tatar. cap. de ad aliquid q.1. dub.1. art.2. cum cæteris Parisiensibus, & sic denique loquuntur alij Scotistæ, adeout nullum Scotistam præter Poncius viderim id negantem.

303 Objcit deindè n.42. præcipuum fundamentum Recentiorum tenentium causalitatem esse priorem effectu, non posteriorem; datur aliquis influxus causæ in effectum, qui necessariò prærequiritur ad positionem effectus, & ad resultantiam cuiuscunq; relationis sequentis in effectu ad causam, siue tanquam ratio fundandi, siue tanquam conditio, sine qua non, sed ille influxus est distinctus à causa, & effectu, & hoc supposito est causalitas, qua causa denominatur causare in actu secundo, habet enim omnia ad hoc requisita; ergo causalitas causæ non sequitur effectum; probatur antecedens, quia potest esse effectus, & causa quoad entitatem suam absolutam in rerum natura simul existentes, vt cum Deus se solo effectum produceret, sine eo quod sequatur illa relatio posterior effectu, quę sit causalitas, vt est euidens; ergo debet esse aliquid præter illas entitates, ratione cuius sequatur illa relatio; sed nihil aliud assignari potest præter influxum aliquem prejum causæ in effectum; probatur etiam minor quoad primam partem, in qua sola potest esse difficultas, quia potest esse entitas causæ, & effectus absq; illo influxu, vt iam dictum est; ergo influxus ille distinguitur ab illis realiter siue modaliter; quo argumento proposito, quia apud nos ait inuenire non potuisse solutionem illi applicabilem, rogat, vt si illud vnquam soluere velimus, id faciamus in forma, vt intelligatur, & videatur an quidpiam dicamus ad propositum.

Resp. antequam respondeam in forma prius examinandum est, an hoc argumentum sit in forma, mihi enim, vt efformatur ab ipso, plusquam tribus videtur constare terminis, vt patet consideranti minorē, vbi assumitur eum influxum esse à causa, & effectu distinctum, & præterea esse causalitatem ipsam, & hinc tandem concluditur causalitatem causæ non sequi effectum vbi vt patet, non tota subijcitur minor extremitas; cumque argument m sit in tertia figura, vbi medium in vtraq. subijcitur, non facilè videtur ad quem illius modum pertineat, cum constet ex duabus particularibus affirmatiuis; sed quidquid sit de hoc, iam in forma respondeo negando simul maiorem, & minorem, cum suis probationibus, neutra enim benè probatur, non quidem maior, nam maior est hæc, *datur aliquis influxus causa in effectum, qui necessariò prærequiritur ad positionem effectus, & resultantiam cuiuscunque relationis sequentis in effectu ad causam*, id autem non concluditur in probatione maioris illius quæ ab arguente dicebatur antecedens, quasi argumentum esset enthimema, & non potius integer syllogismus ex tribus propositionibus contextus, sed concluditur hæc, *ergo debet esse aliquid præter illas entitates ratione cuius sequatur illa relatio*, quæ sanè vt patet, non est maior illa probanda, nam in ea assumebatur admittendum esse influxum aliquem præcedentem positionem effectus, sed hic in probatione maioris concluditur, quod talis influxus debeat esse aliquid præter entitates causæ, & effectus, ratione cuius sequatur relatio illa; Sed neq. hoc etiam ritè concluditur, nam enthimema assumptum in probationem maioris erat hoc; *potest esse effectus, & causa quoad entitatem suam absolutam in rerum natura simul existentes, vt cum Deus se solo effectum produceret sine eo, quod sequatur illa relatio, quæ sit causalitas; ergo debet esse aliquid præter illas entitates ratione cuius sequatur relatio illa*, sanè aut ergo vim consequentiæ huius non percipio, aut omninò vitiosè deducitur, cum potius oppositum omninò deduci deberet, si enim sumitur in antecedēte, quod potest esse effectus, & causa in rerum natura sine eo, quod sequatur illa relatio posterior effectu, quæ sit causalitas, quomodò hinc deducitur influxum debere esse aliquid præter illas entitates ratione cuius sequatur illa relatio? imò cum Deus nequeat aliquid producere influxu, si effectum producit sine eo, quod aliqua sequatur relatio posterior effectu, quæ sit causalitas, potius deduci debebat aut influxum non esse aliquid præter entitates causa, & effectus, aut saltim non esse aliquid, ratione cuius sequatur illa relatio. Eadem ratione nec ritè probatur minor quoad primam partem, quod scilicet ille influxus sit realiter, vel modaliter à causa, & effectu distinctus, quia si potest esse in rerum natura entitas causæ, & effectus absq. illo influxu, vt patet in Deo producente, potius hinc deduci debet nullum esse necessarium talem influxum à causa, & effectu distinctum, sed esse aliquem modum huic, vel illi realiter identificatum, & absolutè posse produci effectum absque influxu medio realiter, vel modaliter distincto.

304 Quantum ego coniectare potui, vis argumenti, si tamen vllam habet, potest in hoc consistere, quod cum in creatis sequatur talis relatio in effectus ad causam, vt etiam concedunt Scotistę oppositæ opinionis, debet admitti in causa aliquid prævium, quod sit veluti ratio fundandi talem relationem, vel saltim conditio sine qua non, & hoc esse nequit, nisi prejus influxus in causa ad positionem effectus; aliquin non esset maior ratio, cur talis relatio sequi debeat in effectu, dū à causa creata producitur, quam dum producitur à solo Deo. Sed etiā in hoc sensu deductum argumentum nihil probat, aut æquè probat de Deo, & causa creata, quia neq. Deus producit effectum sine influxu; & si hic influxus esset ratio fundandi relationem sequentem, talis relatio esse deberet in causa, non in effectu, quia in eo fundatur relatio, in quo est ratio fundandi; atq. ad argumentum in se dicendum est, siue effectus procedat à causa creata, siue à Deo immediatè, semper ad absolutum in causa sequi immediatè absolutū in effectu, vt ait Doctor 2. d.1. q.2. ad princ. & in effectu semper sequi relationem ad causam, quæ est ipsa passiua causalitas, seu dependentia effectus à causa, cum hoc solo discrimine, quod dependentia à causa prima est cum ipso effectu identificata, cum sit ei essentialissima, vt ait Doctor 4.d.12.q.1.ad 2.princ. non autem dependentia à causa secunda; & ratio, cur in effectu semper talis sequatur relatio dependentiæ, non est aliquid prejum in causa, velut ratio fundandi, aut conditio sine qua non, vt in argumento assumitur, sed est præcisè ipsa positio causæ, & immediata consecutio effectus ad eam, nam inter hæc duo extrema in actu posita sequitur necessariò, & vniuersaliter relatio effectus ad causam, cum sit intrinsecus aduenies, absque alia noua, & distincta entitate, quæ sit ratio fundandi, & etiam sequitur relatio in causa ad effectum, si causa sit relationis capax, vt ait Doctor 2.d.1.q.2. ad 2. princ. nisi ordo ad necessarium, & talem relationem fundat causalitas actiuæ, aliud poni non potest, vt innuit Doctor 2.d.1.q.2. ad 2. princip. nisi ordo ad necessariò prærequisita ad agendum, & ad alias concausas, ratione cuius causa dicitur esse in potentia proxima ad producendum effectum, & ad fundandam relationem actualem causalitatis, vbi antea erat tantum in potentia remota nec aliud mysterium in hoc argumento notare potui, quæ omnia fusè declarata sunt disp.5.cit.q.2.

305 Deinde aliud quoque argumentum intorquet Poncius loc.cit. n.35. & 40. virtute cuius nedum putat prosternere nostrum assertum, quod scilicet causalitas consistat in respectu causæ ad effectum, qui etiam sit posterior effectu, sed etiam omnes probationes, quibus illud stabilire contendimus, est autem hoc, quia causa habet aliquam denominationem, quando effectus erit ab ipso, quæ non habetur à respectu sequente effectum, & per ipsum intelligitur causa sufficienter causare, & effectus produci; ergo superfluit quicunque respectus consequens vel saltim ille non erit influxus causæ, sed illud aliud, à quo sumitur prefata denominatio; antecedens probat tum ad hominē, quia inquit nos talem denominationem admittere ante resultantiam relationis; tum in se, quia in illo signo, in quo effectus est à causa,

& se-

& sequitur relatio in effectu, est aliquid ex parte causæ, aut effectus, vel vtriusque ratione cuius sequitur ille respectus in effectu ad causam, quod non esset, quando non sequeretur ille respectus; impossibile est enim, quod aliquis respectus habeat necessariò sequi ad extrema pro aliquo instanti, qui non sequeretur pro alijs instantibus, nisi sit aliquid pro illo instanti, pro quo sequitur, quod non esset pro instantibus alijs, pro quibus non sequeretur; sed quodcunque illud est, dabit denominationem aliquam causæ accidentalem, sine qua posset esse; ergo causa pro illo instanti, pro quo ab ipso exit effectus, habet aliquam denominationem accidentalem, quæ non prouenit à respectu posteriori.

Resp. negando assumptum, quia in eodem omnino temporis instanti, in quo causa denominatur causans, & operans, sumitur talis denominatio causæ vel intrinsecè ab ipso respectu causalitatis actiuæ sibi inhærente, si est relationis capax, vel extrinsecè ab ipsa causalitate passiua, vel dependentia effectus ad causam, vt in causa prima contingit, quæ non est relationis capax, nam ad absolutum in causa non prius prioritate temporis sequitur absolutum effectus, quam relationes præfatæ consequantur, sed hęc omnia habentur eodem temporis instanti, in quo causa dicitur operans, & effectum producens, & ideò ab illis relationibus præcisè tales denominationes habentur, nec vnquam tales denominationes concessi loc. cit. haberi in causa, & effectu antecedenter ad eas relationes, vt arguens imponit, quia operatio causæ non attenditur nec mensuratur per instans naturæ, sed per instans temporis, sicut & existentia effectus ad probationem antecedentis dico, vt ad precedens argumentum, vel nihil omnino precedere in causa, aut in effectu, vel vtroque, quod sit ratio sequelæ illius relationis, sed hęc immediatè consequitur ad ambo illa extrema in esse posita, sicut pariter in hoc, & illo albo nihil ponitur præuium, vt insurgat similitudo inter illa, præter albedines ipsas in rerum natura positas, talis enim est natura cuiuscunq; relationis intrinsecus aduenientis, vt consequatur precisè ipsas extremorum entitates in actu positas nullo alio præuio ab ipsis realiter distincto, & pro quolibet instanti ponuntur causa, & effectus, pro quolibet etiam illa relatio necessariò consequitur. Vel si aliquid est necessarium de nouo in causa, vt talis relatio sequatur, aliud poni non potest, vt nuper dicebam, nisi ordo ad necessariò prærequisita ad agendum, & ad alias concausas. Sed ab hoc ordine, & habitudine non denominatur causa actu operans, & producens effectum, sed tantum dicitur esse in potentia proxima ad agendum, & operandum, vbi antea non erat, nisi in potentia remota; vnde semper stat quod actualis, & formalis denominatio causæ, & effectus defumi nequeat, nisi à relationibus consequentibus positionem effectus, qui immediatè consequitur ad virtutem absolutam causæ.

DISPVTATIO XIII.

De substantijs Spiritualibus Deo, & Intelligentijs.

1 *Considerationem substantiarum abstractarum, quatenus naturali lumine sunt cognoscibiles, Aristot. 3. de Anima 36. remisit ad primam Philosophiam his verbis*, vtrum contingat aliquid separatorum intelligere, ipsum existentem non separatum à magnitudine, aut non; considerandum est posterius, *& ideò Aristot. de his agit libr. 12. Metaphysic. dictum est autem disputat. 1. Metaphys. quæst. 1. num. 10. & 11. Intelligentias pertinere ad Metaphysicam nostram quantum ad conceptus proprios ex communibus, & ad Metaphysicam in se quoad conceptus proprios ex proprijs; rationes autem proprias, & ex proprijs ipsius Dei pertinere ad Theologiam supernaturaliter reuelatam; & quidem in hac vltima Disputat. mens erat exactè pertractare de Deo, & Intelligentijs quantum ad præfatos conceptus ad Metaphysicam pertinentes, & de eorum attributis naturaliter cognoscibilibus, vt in Tomo physico in fine de primo Motore pollicitus eram; cæterum quia cognitio de his substantijs, si intra solos naturalis luminis terminos si stamus, admodum debilis est, ac exigua, vt ait Aristot. 2. Metaphys. text. 1.* sicut Vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt, *consultius visum est totam hanc tractationem ad Sacram Theologiam reseruare, ac etiam ne volumen hoc secundum Metaphys. nimis excrescat, & mole primum excedat; quare hic perfunctoriè solum existentiam, & naturam harum nobilium substantiarum venabimur cætera ad essentiam, & attributa illarum spectantia ad Theologiam reseruando exactius pertractanda.*

QVÆSTIO I.

An possit naturaliter demonstrari Deum esse, & quomodo.

2 AD eliminandum, omninoque euellendum impijssimum, ac bestialissimum Atheistarum errorem, qui vt sine Deo viuerent, Deum esse negarunt, mouent quæstum præsens omnes tum Theologi, tum Met. vel ad calcem Metaphys. vel ad initium Theologiæ; non est autem sermo de Deo sub ratione Deitatis, vt sic, qui dicitur conceptus Dei proprius sub proprijs, quia sub hoc conceptu non est nobis cognoscibilis lumine naturali, sed tantum supernaturali lumine fidei; sed sermo est de Deo, vt significatur, & concipitur nomine entis infiniti, & independentis, ac etiam primæ causæ incausatæ, qui dicuntur conceptus Dei proprij ex communibus, & sunt nobis possibiles, & attingibiles lumine naturali, & pro statu isto; quare sensus quæsiti est, an possit naturaliter demonstrari dari in rerum natura vnum primum ens incausatum, ac infinitum, & à cæteris independens, à quo alia omnia entia dependeant, vt à primo principio. Omnes Metaphysici, ac Theologi vno, vel altero excepto affirmant demonstrari posse naturaliter Deum esse, & contrariam sententiam, quæ Rabbi Moysi; & Petro de Aliaco solet adscribi, alij temerariam censent, alij erroneam, vt videre est part. 1. quæst. 2. artic. 2. de qua censura videri potest Smisinchius tract. 1. disput. 1. quæst. 4. Et quidem, quod etiam secluſa reuelatione diuina naturalis ratio dictet Deum esse expressè ex Sacra Scriptura colligitur, cum ait ex creaturis cognosci creatorem vtique per discursum naturalem ab effectis ad causam, ita habetur Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, Sap. 13. *à magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, hinc Apostolus ad Rom. 1. reprehendit Philosophorum, & gentium vecordiam, quod Deum ipsum ex creaturis coacti cognouerint, & tamen vt Deum non glorificauerint *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

Quamuis autem omnes ferè Scholastici, vt dixi, in hoc conueniant, quod possit existentia Dei naturali lumine demonstrari, fatentur tamen pariter non posse propter quid, & à priori demonstratione rigorosè demonstrari, & ratio est, quam significat Doctor 1. distinct. 2. quæst. 1. nam Deus, vt est hæc essentia singularis, & suaptè natura existens, non cognoscitur à nobis secundùm se distinctè, quatenus significatur hoc nomine Dei, sed solum ex creaturis à nobis confusè cognoscitur, quatenus confusè significatur nomine entis infiniti, ergo medium, quo à priori potest demonstrari esse de ente infinito est omninò nobis ignotum, atque ideò remanet id solum ostendi posse per demonstrationem à posteriori. Conf. quia ad demonstrationem à priori requiritur, vt à demonstrante habeatur definitiuus conceptus subiecti; at pro statu isto non habemus definitiuum conceptum Deitatis, quia modo concipimus ipsum sub ratione tantum attributali, aut modo intrinseco; ergo eius existentia nequit à nobis propriè demonstrari à priori, sed tantum à posteriori; variæ autem viæ sunt ad hanc veritatem venandam à posteriori, quæ tamen omnes non sunt efficaces, quas innuit S. Thomas 1. par. quæst. 2. artic. 3. ac eius Expositores.

3 Prima ratio, quæ occurrit, est illa vulgata sumpta ex Aristot. 8. Physicor. cap. 4. 8. & 10. & 11. Metaphysic. cap. 3. ex motu deducta; cum enim quicquid mouetur ab alio moueatur, quod & ipsum moueri necesse sit, idque ab alio, nec fas sit in infinitum progredi, quia sic non esset primum mouens, necesse est deuenire ad aliquod primum mouens, quod cæteta moueat immotum, quod Deus est. Sed hanc viam ex motu desumptam non esse sufficientem ad concludendam existentiam primi Motoris iam ostendi disputatione vltim. Physicor. quæstione 8. articul. 3. cum Scoto quæst. 3. prolog. 5. & 1. distinctione 2. quæst. 1. per totam, quæ sunt ibi videnda, non hic repetenda.

Secunda ratio sumitur ex gradibus perfectionum, cum enim detur in rebus creatis magis, & minus bonum, verum, nobile, debet esse aliquid optimum, verissimum, nobilissimum, quod sit mensura bonitatis, veritatis, & nobilitatis cæterorum omnium, ac proinde, quod sit summè, ac infinitè ens, ideoque cæterorum omnium entium causa, quod est D. O. M. Neque hæc ratio satis conuincere videtur, nec illæ consequentiæ legitimè deductæ, nam in quantitate discreta datur maior, & minor numerus nec tamen datur infinitus numerus, aut maximus, quo maior dari nequeat; sic etiam in quantitate continua datur maius, & minus corpus, non tamen infinitæ molis, aut maximum, quo maius dari nequeat. Nec satisfacit, quod inquit Valentia, ad huius rationis efficaciam sufficere, quod quotiescunque datur à parte rei magis, & minus, detur etiam maximum inter ea, quæ de facto existunt vt patet in corporibus, quorum omnium datur maximum, quo maius non existit, vt vltimum Cœlum; sic enim pariter legitimè infertur inter ea, quæ sunt magis, & minus entia dari aliquod ens, quo maius non sit inter ea, quæ de facto existunt, & hoc erit Deus. Non, inquam, satisfacit, quia Deus nedum debet esse maius ens omnibus entibus actu existentibus, sed etiam possibilibus; ergo ex eo, quod detur ens maximum, & perfectissimum omnium entium actu existentium non concluditur hoc esse Deum, nisi quoq; probetur esse maximum omnium possibilium. Tum quia neq; etiam ex hoc bene deducitur, quod illud primum, & perfectissimum sit causa omnium cæterorum, quia homo est perfectissimus omnium animalium, & tamen non est causa cæterorum, & Angelus est perfectissimus spirituum creatorum, & tamen non est causa aliorum spirituum inferiorum, quæ etiam instantiæ fieri possunt in genere accidentium.

4 Tertia ratio, quam adhibet Doctor loc.cit.1.dist.2.quæst. 1. §. *quantum ad 1. art.* sumitur ex ratione effectus, & subordinationis causarum efficientium, potestque deduci vel vt fecimus diputat.15.phys. quæst.8.artic.3.numer.106. vel breuius hoc modo, constat multas esse res in hoc mundo productas, idest quæ acceperunt esse post non esse, vel igitur res huiusmodi sunt à se ipsis productæ, & hoc non, quia nihil producit seipsum ex dictis disp.8.Phys.quæst.2.art.1.vel ab alio, & de hoc rursus quæritur, an sit à seipso productum, vel ab alio, cumque nequeat dari processus in infinitum in ordine producentium seu effectu, & causæ, opus est assignare vnam primam causam omnium increatam, & incausatam, quæ sit aliorum causa. Quæ ratio, si benè perpendatur, intentum satis conuincit, & nititur duobus principijs, naturaliter notis primum est, nihil seipsum producere, sed quicquid producitur ab alio debere produci, cuius principij veritatem loc.cit.in Physica satis demonstrauimus, quia producens est prius saltim natura producto, & ad exercitium actus productionis requiritur existentia realis, & actualis in causa, quarè si idem seipsum realiter produceret, tunc esset prius, & posterius natura seipso, ac simul esset existens, & non existens, quatenus enim producens est prius producto, ac existens, vel præexistens; quatenus verò productum posterius est, & non existens, quia cum producitur transit de non esse ad esse, & sic de eodem contradictoria verificarentur; aliud principium est, quod in ordine producentium nequit dari processus in infinitum, & præsertim in essentialiter ordinatis, sumiturque ex Arist.2.Met.tex.2. & probatur multipliciter à Doctore loc. cit. K. euidentior tamen probatio, quæ ex eiusdem dictis colligi potest est. Quod si in causis subordinatis talis daretur progressus in infinitum, tunc tota illa causarum collectio (eo modo, quo colligi potest multitudo sincathegorematicè infinita) esset dependens, & independens, quæ contradicunt, probatur hæc sequela ex Smisinch. esset quidem dependens, quia nulla dicitur esse in illa collectione, quin sit dependens, ergo tota collectio est dependens, quia quod negatur de omnibus partibus collectionis distributiuè, etiam negatur de tota collectione, cum collectio non sit aliquid præter omnes partes distributiuè, vt constat; independens quoque, nam nec extrà illam collectionem est aliqua causa, à qua collectio dependeat, cum ponatur esse collectio omnium causarum, nec intrà collectionem est aliqua, à qua collectio dependeat adæquatè, alius enderet totum ab aliqua sui parte adæquatè; non ergo dari potest progressus in infinitum in tali ordine producentium, sed omninò peruenire debet ad aliquod primum ens increatum, & incausatum, quod si cæterorum principium tum in genere causæ efficientis, quam finalis, quandoquidem tales causalitates nullam imperfectionem importent, vt materialis, & formalis, sed potius perfectionem.

5 Confirmat Doctor totum hunc discursum loc.cit.K. quia effectiuum nullam imperfectionem ponit necessario, ergo potest esse in aliquo sine imperfectione, sed si in nullo est effectiuitas sine dependentia ad aliquid prius, in nullo est sine imperfectione; ergo effectiuitas independens potest inesse alicui naturæ, & illa est simpliciter prima; ergo effectiuitas simpliciter prima est possibilis; quod si tale efficiens primum est possibile, erit quoq; de facto existens, quia cum sit primum ens, & à se, non ab alio consequenter erit necesse esse. Conatus est Bassolius 1.d.2.qu.1.hanc rationem dissoluere admittendo processum in infinitum etiam in essentialiter ordinatis, vndè vniuersitas causatorum non est aliquod vnum essentialiter, quod debeat intelligi dependere ab vna causa extrinseca isti vniuersitati, sed pro tanto datur intelligi iste vniuersitas causata, quia quælibet pars eius causata non est à seipsa, sed ab alia, & illa ab alia, & sic in infinitum. Sed vt hæc euasio præcluderetur, paulò aliter probaui illius progressus infiniti absurditatem, quam passim probari soleat; quod scilicet tota illa causarum collectio esset dependens, & independens dependens quidem, quia nulla illarum ponitur prima, independens verò, quia nulla extrinseca ponitur, à qua tota illa collectio dependeat; Fateor tamen neq; hanc euasionem sufficienter præcludi per illud dilemma Smisinch. nam diceret Bassol. totam illam collectionem causarum esse dependentem, non quia tota dependeat ab aliqua causa prima toti illi collectioni extrinseca, sed quia distributiue, vna causa dependet ab alia perfectiori, & illa adhuc à perfectiori, & sic infinitum, quod autem affirmatur de partibus omnibus collectionis distributiuè, affirmatur de tota collectione, & sic erit tota dependens, & sic etiam respondet Rubion.1.d.2.q.1.

Sed instabit quis ex Scoto cit. lit. K. ad hanc euasionem præcludendam, quia quo causa est superior, eo est perfectior in causando; ergo in infinitum superior erit in infinitum perfectior, & ita infinitæ perfectionis in causando, & per consequens non causans in virtute alterius, quia quælibet talis in virtute alterius causans est imperfectè causans, quia est dependens ab alia in causando. At neque hæc instantia conuincit, neque hic modus arguendi tenet in multitudine sincategorematicè infinita, vt dixi disp.9.Phys.q.2.art.2.nu.35. quia in tali collectione non datur vltimum, vel supremum, alioquin sincathegorematicè infinita nõ foret instantia autem procedit perindè ac si peruenire deberet ad aliquam causam, quæ sit infinitæ perfectionis, & infinitè distet ab alijs inferioribus causis, quæ imaginatio est falsa, quia supposito processu in infinitum in causis nunquam peruenire poterit ad aliquam causam infinitæ perfectionis, & in infinitum ab inferioribus distantem; sed tantum peruenire poterit ad causam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, & à qualibet inferiori non quidem infinitè distantem, sed finitè in infinitum. Quare ex quinque probationibus, quas Doctor adducit 1.d.2.q.1.K. ad improbandum progressum in infinitum in essentialiter ordinatis, puta validiorem esse quintam, & vltimam probationem superius tactam, scilicet quia effectiuum nullam imperfectionem ponit necessariò ideò poni debet in aliquo sine imperfectione, & tale erit primum efficiens, & à se, nam per hanc quintam rationem euasio præfata Bassolij sufficienter præcluditur, licet hanc etiam soluere nitatur, pro hac demonstratione Doctoris videatur Suarez disp.39.Met.sect.2.num.20. & seq. qui eam elegantissimè deducit, & pertractat.

6 Quarta ratio, ex præcedenti est veluti confirmatio sumitur ex possibili, & necessario, cum enim ea, quæ sunt contingentia possint esse, & non esse, debet admitti aliquod ens necessarium, per quod ea quæ sunt possibilia capiant esse, quod quidem ens necessarium sit causa suæ necessitatis, seu ex se habeat esse necessarium, & sit incausatum ab alio, ne detur processus in infinitum. At fortè dicetur ad hoc, sicut ad præcedens argumentum, quod quodlibet contingens in particulari de possibilitate ad actum reductum est per aliud indiuiduum, quod erat existens, & hoc rursus per aliud, & sic in infinitum, nec ideò opus esse recurrere ad aliquod ens, cui necessariò, & à se conueniat existere, vt cætera entia contingentia per ipsum reducantur de potentia ad actum. Sed hæc euasio statim præcluditur, quia de essentia contingentis est, quod possit esse, & non esse, possunt esse, quando non dum existunt, possunt non esse, quando actu existunt; si ergo de facto tota entium contingentium collectio non existeret, possent ista contingentia de potentia ad actum deduci; aut ergo per se ipsa, aut per aliud, quod non sit contingens; si secundum; habetur intentum, primum verò dici non potest, quia vt suprà probatum est, nihil potest semetipsum de nõ esse ad esse ducere, & omne quod producitur ab alio realiter distincto produci opus est; tum quia ex suppositione illa entia contingentia non essent; & consequenter in seipsis nihil essent. Dices, rursus quodlibet ens contingens distributiuè de possibilitate ad actum esse reductum per aliud indiuiduum, quod erat existens, & istud per aliud, & sic in infinitum. Contrà, quia licet ista solutio videretur aliquo pacto præcedenti argumento adaptari, cùm tota collectio causarum, & causatorum dicebatur dependens, non quia tota dependeret ab aliqua vna toti collectioni extrinseca, sed quia vna causa illius collectionis dependebat ab alia, & hæc rursus ab alia perfectiori in infinitum; attamen huic argumento de tota collectione entium contingentium adaptari non potest, quia non solum singula illa entia contingentia petunt ab alio produci, sed etiam tota collectio, quia tota illa collectio ex sua ratione essentiali petit per se, & ab intrinseco reduci de potentia ad actum existendi per aliquod ens, cui necessariò per se existere in actu exercito conueniat; Probatur hoc; quia tota illa collectio potest non esse, & de non esse ad esse deduci; & hoc ab alio ente, quod sit omnino extra illam collectionem; hoc autem erit ens necessarium, à se, & independens; vnde hæc quarta ratio sic deducta adhuc mihi videtur efficacior, quam sit tertia, nam illa tertia ex solutionibus Bassolij non parum infirmatur, ista verò nequaquam, imò per istam potest illa validè confirmari.

7 Quinta ratio, omnibus euidentior sumitur ex admirabili ordine, & connexione partim huius vniuersi, ac eiusdem gubernatione, cum enim res omnes naturales etiam omnis cognitionis expertes propter finem operentur, nec se ad illum dirigere valeant, & tamen ab illo minimè aberrent, necesse est, vt sit aliquod supremum intelligens, quod illas omnes ad suum finem dirigat; & hoc argumentum sæpe nobis à sacra Scriptura suggeritur, cum inquit Sap.13. *à magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri*; & Prouerb.3. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit Cœlos prudentia, sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt*, & Psalm.18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, vnde hac via incesserunt etiam S.S. Patres pulcherrimum istum, quem videmus, creaturæ, ordinem, & miram circa res omnes prouisionem vni Factori, & Gubernatori adscribentes; sic Iustinus quæstion.61.gentium interrogatus vnde probetur Deum esse respondet *ex eorum, quæ sunt concreatione, constitutione, stabilitate*, & Dionys.cap.7. de diuinis nominibus ait *Deum cognosci ex creaturarum ordinatissima dispositione*, Eusebius septimus præpar. Euangelica capit. secundo, *sicut domus sine artifice, aut pannus sine texente fieri non potest, ita neque vniuersum hoc sine auctore* Lactantius libro primo de falsa religione cap.2. *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, qui oculos in Cœlum tollens non aliquam intelligit esse prouidentiam ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione*. sic etiam loquitur Nazianzenus orat.2. de theol. sic denique Chrysostom.hom.9.ad pop. Antioch. vbi explicans illud Psalm. 18. Quomodo, inquit Cœli enarrant gloriam Dei; vocem non habent, os non possident, illis non est lingua, quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum (respondet) cum enim vi teris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum corpus permeare, tanquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit, tacet Cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens,

hic enim sensus à natura est illo certior, ac manifestior; hæc & similia elegantissimè habet ibi Chrysostomus ad rem nostram.

8 Eodem etiam argumento, vt ad rem promptissimo, vsi sunt Philosophi ad persuadendum vnum reperiri primum ens, ac vnam primam causam, à qua cætera omnia in esse dependeant, vndè Cicero lib. 2. de natura Deorum inquit, quando machinatione quadam aliquid moueri videmus, vt sphæram, & alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; certè dubitandum minus est eum impetum Cœli cum admirabili illa celeritate moueri, vertique videmus constantissimè conficientem anniuersarias vicissitudines cum summa salute, & conseruatione rerum omnium, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti, & diuina ratione. Et apud eundem Ciceronem lib. eodem Velleius simili discursu Cottæ dubitationem de existentia huius primi entis dissoluit, eiusque existentiam comprobauit. Quidem enim potest esse tam apertum, tanque perspicuum, cum Cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hęc regantur. Quod ni ità esset, non potuisset assensu omnium dicere Ennius, Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iouem; illum verò, & Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem; Plato in Symphosio dixit ex pulchritudine omninò rerum creatarum pulchritudinem quandam diuinæ naturæ de repente conspici, & Arist. tandem 12. Met. cap. 2. ait quonam pacto ordo erit, non existente aliquo perpetuo separato, ac permanente? quod cap. 10. declarat exemplo domus, familiæ, & exercitius, qui sine duce, & rectore esse non potest. Videatur denique Hurtadus disp. 20. Met. sect. 1. vbi graphicè ac elegantissimè hoc argumentum prosequitur, ac tanta dicendi venustate, ac energia, vt planè rudem quemlibet, ac insentatum hominem de hoc suprà omnia importantissimo dogmate possit erudire, ac efficaciter persuadere etiam renitentem; Et qui adhuc plura desiderat P. Fabrum nostrum consulat lib. aduersus impios Atheos disp. 1. vbi de hac re vberrimè, & eruditissimè scribit.

Soluuntur Obiectiones.

9 IN oppositum Primò obijci solet, quod si daretur Deus, omnem malum tolleretur de mundo, quia deberet esse infinita bonitas excludens omne malum; ergo cum tot sint mala, totque peccata in mundo, videtur quod non si Deus, probatur sequele maioris, nam si vnum contrarium esset actu in rerum natura infinitum, nihil sibi contrarium esset in natura, ergo si aliquod bonum sit actu infinitum, quale esset Deus, si daretur, nihil mali esset in vniuerso. Conf. corpus infinitum nullum aliud corpus secum compatitur; ergo nec ens infinitum aliud ens cum eo; probatio consequentiæ, tum quia sicut repugnat dimensio dimensioni, ita actualitas actualitati repugnare videtur; tum quia sicut si esset aliud corpus ab infinito faceret cum illo aliquid maius infinito, ita si esset aliud ens ab infinito, faceret aliquid maius infinito.

Respond. Doctor loc. cit. quod causa infinita actiua ex necessitate naturæ non compatitur sibi aliquod contrarium, siue sit ei contrarium formaliter scilicet secundum aliquod, quod conuenit sibi essentialiter, siue virtualiter, scilicet secundum rationem effectus sui, quem virtualiter includit, vtroque enim modo impediret quodlibet incompossibile suo effectui, sicut argutum est prius, Deus autem est liberè, ac voluntariè agens respectu omnium, quæ sunt extrà ipsum, & ideò compatitur malum; Quod etiam permittit ad maiorem ostensionem suæ bonitatis, vt scilicet ex malo bonum educat, vt dicit August. Dices numquid Philosophi ponentes Deum agere, ex necessitate naturæ non ponebant esse aliquod malum in vniuerso? Respondet Doctor Philosophos in hac re esse deceptos etiam secundum naturale lumen. Ad Conf. negatur consequentia cum eius probationibus, ad primam ait Doctor, quod non est similis incompossibilitas dimensionum in replendo locum, & essentiarum in simul essendo, non enim vna entitas sic replet totam naturam entitatis, quin cum ista alia entitas possit stare, hoc autem non debet intelligi de repletione locali, sed quasi mensuratione essentiali; sed vna dimensio replet eundem locum secundum vltimum capacitatis suæ, & ideò aliud cum ipso esse non potest replens locum, sed bene posset esse cũ eo aliud corpus non replens locum, itaquod vna entitas potest esse cum alia, sicut posset respectu loci cum corpore replente locum aliud corpus esse non replens locum. Similiter ad aliam probationem negat paritatem, quia corpus infinitum, si esset cum alio, fieret totum maius vtroque ratione dimensionum, quia dimensiones alterius corporis essent aliæ à dimensionibus corporis infiniti, & eiusdem rationis cum eis, & ideò totum maius esset propter diuersitatem dimensionum, & totum non maius, quia dimensio infinita non potest excedi; hic autem tota quantitas infinitæ perfectionis nullam recipit additionem in ratione talis quantitatis ex coexistentia alicuius finiti secundum talem quantitatem.

10 Secundò formæ se habent, sicut numeri 8. Met. 10. sed in numeris ascendendo secundum perfectionem non est dare primum, quia in ipsis est processus in infinitum, ergo &c. Deindè, si tale ens primum daretur, vel esset à se, vel ab alio, non secundum, quia tunc non esset primum, si à se, vel igitur effectiuè, quod est impossibile, quia nihil seipsum efficit, vel finaliter, & hoc non, quia sicut nihil efficit seipsum, ita nihil est finis sui; nec tandem materialiter, vel formaliter, quia tunc oporteret, quod aliquo effectiuò esset, quod formam introduceret in materiam. Demum si esset tale agens primum, seu prima causa omnium, aut ageret necessariò, & naturaliter, & sic nihil esset contingens in vniuerso, aut contingenter, & sic nihil esset necessarium, quorum vtrumque est falsum.

Respond. quod Arist. per eam oppositionem re vera non intendit inducere similitudinem inter species, & numeros, qualis in argumento prætenditur ex dictis disp. 8. num. 178. sed hoc etiam admisso nihil indè concluditur; sed tantùm ex argumento, & paritate assumpta sequitur, quod sicut in numeris ascendendo nunquam peruenitur ad perfectissimum, quia infinitum pertransiri non potest, sic pariter cum inter Deum, & creaturam sic infinita distantia quoad perfectionem, ascendendo per species possibiles nunquam peruenireturad Deum. Ad 2. primum ens dicitur esse à se effectiuè, non quidem positiuè, quasi seipsum efficiat, sed priuatiuè, quatenus non est causatum ab alio. Ad 3. prima causa est agens liberum ad extra, & agit extra omnia contingenter, vnde in tota rerum creatarum vniuersitate nihil est necessarium simpliciter, sed omnia sunt simpliciter contingentia, ac possibilia non esse præter primum ens.

11 Tertiò potest Deus inuincibiliter ignorari, quod vtique non esset, si naturali lumine eius existentia attingi posset; probatur assumptum, nam psalm. 13. dixit insipiens in corde suo non est Deus, & exod. 5. dixit Pharao se nescire Deum. Tum, quia si talis ignorantia non esset possibilis, credibile non esset tot extitisse homines Idolatras falsos Deos colentes. Tum tandem, quia Molina in hac ipsa quęstione refert ex multorum relatu audiuisse Brasiliæ incolas nullum coluisse Deum antequam à Lusitanis edocerentur.

Resp. negando assumptum, alioquin Philosophi gentium, qui coluerũt Idola, fuissent excusabiles, cuius oppositum asserit Apost. Rom. 1. hinc Damascen. lib. 7. orthod. fidei c. 2. ait *notitia Dei est omnibus à natura insita* & c. 1. & 3. *neque id aliquis ratione vtens ignorare potest*, & D. Greg. lib. 27. moral. c. 3. *Omnis homo eo ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit, Deum esse*, quare ad 1. probationem dicendum ignorantiam insipientis, & Pharaonis fuisse vincibilem, & omninò culpabilem, eo quod eis media non deferunt cognoscendi Deum, sed excecauit eos malitia eorum, & sic pariter dicendum ad aliam de antiquis Idolorum cultoribus, & de Brasiliæ incolis, si tamen relatio illa Molinæ fide digna sit.

12 Quartò tandem aiunt Scholastici quidam non posse Dei existentiam naturali ratione, sed tantùm fide cognosci, primò quia Hebræ. 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est; ergo fide solum cognosci potest existentia Dei, non vero lumine naturali; hinc Patres non rarò singnificant sine altiori lumine diuinæ reuelationis Deum cognosci non posse, ita D. Aug. de Ciuit. Dei cap. 7. de Philosophis agens inquit, *quidam eorum quædam magna* (de Deo) *quantùm diuinitùs adiuti sunt inuenerunt, quantùm autem humanitùs impediti sunt, errauerunt*. Nec valet, quod aliqui respondent ex D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 7. D. Paulum, & Patres loqui de Deo, vt est author supernaturalis, & remunerator in tali ordine, non autem de Deo, vt consideratur intrà ordinem naturæ; Nam Damascen. 1. de fide orthod. c. 2. ait *fieri nequit, vt præter ea, quæ diuinitùs à sacrosanctis veteris, & noui Testamenti oraculis patefacta, & explanata sunt, quidquam de Deo loquamur, aut etiam omnino cogitemus*, loquitur autem ibi de Deo, quatenus concipitur, tanquam increatus, sempiternus, ab omni conuersione, & commutatione liber, simplex, compositionisque ac corporis expers, bonus, iustus, rerum omnium architectus &c. quæ est Dei consideratio in ordine naturæ. Deinde Scriptura ipsa Sap. 13. & 14. expressè negat posse Deum ex creaturis discursu naturali cognosci, imò potius nos in errorem ducere, quam in Dei cognitionem, inquit enim creaturas in *Dei odium factas esse, & in tentationem animabus hominum & in muscipulam pedibus incipientium; ideoque non potuisse eos, in quibus Dei scientia non subest, de his quæ videntur bona intelligere cum, qui est, neque operibus attendentes cognoscere quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores Orbis terrarum Deos putasse*. Denique de eodem nequit esse scientia, & fides, sed Deum esse est articulus fidei, ergo nequit demonstratiuè cognosci nec à priori, nec à posteriori.

Resp. D. Paulum loc. cit. re vera de Deo loqui, vt ex supernaturalis Auctor, vt liquet ex ipso contextu, & in eodem sensu regulariter loquuntur S. S. Patres, quod si interdum aliqui loquuntur de Deo etiam, vt est Auctor naturæ, solùm insinuare voluerunt nos non posse naturali lumine Dei notitiam comparare pro statu isto absque plurium errorum periculo præsertim quo ad quid est, & circa eius attributa, vt in Philosophis experientia docuit, qui etsi vnius Dei existentiam agnouerint, tamen in explicanda eius natura, & essentia valdè hallucinati sunt. Ad 2. dicendum creaturas per accidens solum esse factas in muscipulam animabus dominum, nempe propter insipiens cor eorum, vt ibidem Sapientia explicat dicens *pedibus insipientium*, nam si sapienter vtantur homines lumine naturali ex contemplatione mirabilis huius molis Vniuersi non pauca vera de Deo possunt philosophari. Ad vltimum non non est illa specialis difficultas huius materiæ, sed est communis omibus illis, quæ dici solent creditæ, & demonstratæ; vnde breuiter occurrendum est ex dictis disp. vlt. Logicæ posse in eodem intellectu, & de eodem obiecto simul manere habitum fidei, & scientiæ etiam in eodem tempore, & in hoc sensu posse de eodem

dem obiecto haberi fidem, & scientiam nempè habitualiter, siue etiam actus illorum habituum possint esse simul, siue non, de quo ibi dictum est; & hæc sufficiant pro hac quæstione in præsenti, de qua fusius in Theologia; alia verò plurima Atheorum argumenta, vel potius deliria P. Faber loc. cit. disp. 1. exactissimè soluit.

QVÆSTIO II.

Quomodo Deus sit cognoscibilis naturaliter ab intellectu viatoris quoad quid est.

13 DE hac re tractat fusissimè, & exactissimè Doct. 1. d. 3. p. 1. pro cuius breui resolutione, quantum ad Metaphysicum spectat, notandum ex Doctore ibidem triplicis generis esse conceptus, qui possunt de Deo formari, alij sunt communes Deo, & creaturis, vt quod sit substantia, vita intellectualis, spiritus &c. alij sunt proprij ex communibus, vt quod Deus sit ens infinitum, summè bonus, summè sapiens, summè iustus &c. alij tandem sunt proprij ex proprijs, vt quod sit vnus, & trinus &c. hoc prænotato.

Dicendum est cum Doctore loc. cit. naturaliter, sed solius luminis naturalis ductu non tantum haberi posse de Deo conceptus primi generis, sed etiam secundi, non tamen tertij generis, nimirum proprios ex proprijs. Probatur assertum quoad omnes partes; probatur quoad primam, quia Deum concipimus sub ratione entis, substantiæ, vitæ intellectualis, in quibus conceptibus conuenit Deus cum creaturis nedum analogicè, sed etiam vniocè nimirum sicut in prædicatis dictis in quid de Deo, & creatura, vt patet ex dictis disp. 2. Met. per totam; hosque conceptus acquirimus naturali lumine ducti, vt patet ex dictis ibidem. Quoad secundam partem probat Doctor ibid. §. *quartò dico*, vbi ait, quod ad multos conceptus proprios de Deo possumus peruenire, qui non conueniunt creaturis, cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter in summo, & perfectissimus conceptus, in quo quasi in quadam descriptione perfectissimè cognoscimus Deum, est concipiendo omnes perfectiones simpliciter, & in summo; tamen conceptus perfectior, & simplicior nobis possibilis inquit, est conceptus entis simpliciter infiniti, iste enim est simplicior, quam conceptus entis boni, vel entis veri, vel aliquorum similium, quia infinitum non est quasi attributum, vel passio entis, siue eius de quo dicitur, sed dicit modum intrinsecum illius entitatis, ita quod cum dico ens infinitum, non habeo conceptum quasi per accidens ex subiecto, & passione, sed conceptum per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis, sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens, sicut albedo visibilis, imò intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se, & ita patet simplicitas huius conceptus, scilicet ens infinitum; hos igitur, & similes conceptus proprios Deo ex communibus possumus habere de Deo via naturalis discursus.

14 Quomodo autem præfati conceptus possint haberi via naturalis discursus explicat Doctor citat. 1. distinct. tertia, quæst. prima §. *quintò dico*, quia formari possunt per abstractiones à nostro intellectu factas medijs speciebus à creaturis acceptis; quia siue vniuersalius, & minus vniuersale cognoscantur per eandem speciem minus vniuersalis, siue vtrumque habeat speciem intelligibilem sibi propriam, saltem illud quod potest imprimere, vel causare speciem minus vniuersalis in intellectu, potest etiam causare speciem cuiuscunque vniuersalioris; & ita creaturæ, quæ imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiam imprimere species transcendentium, quæ communiter conueniunt eis, & Deo; & tunc intellectus propria virtute potest vti multis speciebus simul ad concipiendum illa simul, quorum sunt istæ species, puta speciem boni, speciem summi, speciem actus ad concipiendum summum bonum, & actualissimum; quod apparet sic per locum à minori, imaginatiua enim potest vti speciebus diuersorum sensibilium ad imaginandum compositum ex illis diuersis, sicut apparet imaginando montem aureum.

15 Quo tandem ad tertiam partem conclusio est Doctoris loc. citat. §. *tertiò dico*, vbi ait, quod Deus non cognoscitur naturaliter à Viatore in particulari, & propriè, hoc est, sub ratione huius essentiæ, vt hic, & in se; probat autem, quia Deus sub ratione talis cognoscibilis est obiectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantum, & ideò à nullo intellectu creato potest sub ratione huius essentiæ, vt hęc, naturaliter cognosci; nec aliqua essentia naturaliter cognoscibilis à nobis sufficienter ostendit hanc essentiam, vt hæc, nec per similitudinem vniuocationis, nec imitationis; vniuocatio enim non est, nisi in generalibus rationibus; imitatio etiam deficit, quia imperfecta est, nam creaturæ imperfectè diuinam imitantur essentiam; ergo Deus, vt hæc essentia, & sub conceptu proprio ex proprijs naturaliter ab intellectu creato attingi non potest. Restat ergo posse Deum à nobis via naturalis discursus cognosci quoad quid est per conceptus communes, & proprios ex communibus; triplex autem solet assignari via cognoscendi Deum naturaliter ex D. Dionysio, prima est via causalitatis, cum ab ipsis rebus effectis ad primam causam omnium effectricem progredimur, hacque via potius attingimus quod est de Deo, quam quid est; secunda dicitur via remotionis, cum scilicet quicquid est imperfectionis in creaturis à Deo remouemus, & hac via potius cognoscitur quid non sit Deus, quam quid sit; tertia tandem dicitur via eminentiæ, cum scilicet, quicquid est perfectionis in rebus creatis, Deo qui eminenter omnia continet, attribuimus, & hæc est melior via, & magis directa ad vestigandum quid sit de Deo, vt docet Doctor loc. cit.

16 In oppositum adducit Doctor quædam argumenta probantia, Deum nullo modo quantum ad quid est ab intellectu viatoris attingi posse, primò quia ex 3. de anima 30. & 39. phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum, igitur intellectus nihil intelligit, nisi cuius phantasmata potest per sensus apprehendere, Deus autem non habet phantasma, ergo &c. Tum 2. quia sicut se habet oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad ea, quæ sunt manifestissima naturæ; ergo impossibile est nos Deum cognoscere, sicut impossibile est noctuam Solem intueri. Tum 3. infinitum inquantum infinitum est ignotum ex 1. Physic. & 2. Metaph. ergo nequit intellectus noster Deum attingere sub ratione entis infiniti. Tum demum Greg. super Ezech. inquit, quantumcunque mens nostra in contemplatione Dei profecerit, non ad illud, quod ipse est, sed ad illud, quod sub ipso est, attingit.

Respondet Doctor §. *ad argumenta principalia*, propositionem Aristotel. præsertim intelligi debere in prima motione, qua intellectus nimirum mouetur ad acquisitionem specierum non semper in secunda, qua scilicet mouetur ad actum cognoscendi per species iam acquisitas; tum quia vt paulò supradictum est, quamuis Deus non habeat proprium phantasma formaliter; cognoscitur tamen virtualiter ex phantasmate creaturarum modo explicato. Ad 2. ait Doctor, quod oculus noctuæ non habet cognitionem, nisi intuitiuam, & naturalem, & quantum ad istas duas conditiones potest exponi auctoritas Aristot. de impossibili, quia sicut impossibile est illi oculo naturaliter, & intuitiuè considerare obiectum illud, sic intellectui nostro est impossibile naturaliter, & intuitiuè cognoscere Deum. Ad 3. inquit, quod licet nequeat intellectus creatus infinita obiecta simul attingere naturaliter, quia id argueret in ipso infinitam virtutem, adhuc tamen potest obiectum infinitum intensiuè attingere, quia intellectio talis infiniti non concludit infinitatem actus, quia non oportet actum habere talem modum qualem habet obiectum, quia actus sub ratione finiti potest esse ad obiectum sub ratione infiniti, nisi esset actus comprehensiuus, & concedo, quod talem actum circa obiectum infinitum non habemus, nec est possibile, de quo vide 3. distin. 14. q. 2. litt. F. Ad vlt. conceptus ille, qui potest naturaliter de Deo à nobis haberi, dicitur à Gregorio esse sub Deo, quia est imperfectior, ac deterior conceptu proprio ipsius Dei ex proprijs eius accepto, adeout sensus sit, quod cum concipimus Deum ex creaturis, nunquam nos attingere singularem, & proprium conceptum ipsius Dei, vt hæc essentia, sed conceptum valdè inferiorem illi; & hæc quoad hanc quæstionem dicta sufficiant, quia exactior cognitio ad Theologiam reseruatur.

QVÆSTIO III.

An possit ratione naturali probari præter Deum extare alias substantias spirituales in vniuerso.

17 PEr huiusmodi substantias spirituales intelligimus naturas quasdam completas intellectuales à Deo distinctas, & sic immateriales, vt sint corporeæ molis expertes, quam experimur in his materialibus substantijs. Et quæstio non vertitur de possibili, nam possibilem esse talem naturam negari nequit, illud enim dicitur suaptenatura repugnare, quod in suo conceptu contradictoria includit, seu prędicata seinuicem destruentia, vt quod accidens sit substantia, Deus creatura &c. at in conceptu substantiæ spiritualis iam explicatæ talis prędicatorum repugnantia minimè reperitur; nam nec spiritualitas repugnat cum substantia, vt sic, neque intellectualitas, nam Deus est substantia spiritualis, & incorporea; nec repugnat cum substantia creata, vt sic, quia anima rationalis est spiritualis substantia creata; nec repugnat cum substantia completa, vt sic, quia Deus est talis substantia completa; possunt ergo componi hæc omnia prędicata simul ad vnam naturam constituendam, quæ sit substantia creata intellectualis completa, & hæc erit Angelus. Quæstio igitur est de facto, an ratione naturali possit probari dari de facto in rerum natura huiusmodi spirituales substantias completas intellectuales; & est triplex opinio, prima affirmat posse probari ratione naturali saltim à posteriori deducta ex pluribus effectibus nobis notis deducta, qui nequeunt referri, nisi in Dæmones, vel Angelos, ita Faber opusculo aduersus Atheos tota disput. 1. Secunda affirmat id posse constare nedum ratione à posteriori, sed etiam à priori, vt Suarez disput. 35. Metaph. sect. 1. Tertia tandem negat vtrumque & asserit existentiam harum substantiarum non nisi ex principijs fidei posse constare, ita Vulpes dum alijs plurimis tom. 1. p. 2. disp. 8. art. 1.

18 Dicendum primò actualem existentiam harum substantiarum spiritualium non sufficienter ostendi ratione naturali à priori. Probatur hæc conclusio examinando, & soluendo rationes, quibus prætendit Suarez oppositum à priori demonstrare, quas omnes refert, & reijcit Vulpes loc. cit. Primo itaq. ex Suarez hanc rationem refert, vt à priori ostendentem angelos esse; non repugnat à parte rei, neque deest virtus ex parte primæ causæ, ergo euidens est dari substantias creatas prorsus immateriales subsistentes; probat antecedens, substantiam simul esse creatam, & immaterialem nullam inuoluit repugnan-

gnantiam, hoc quippè prædicatum immateriale non excedit limites creaturæ; ergo potest talis substantia creari. Et respondet sequelam esse vitiosam, siquidem ex possibilitate non rectè infertur factum, nisi quando causa non modo est infinitæ potentiæ, vt queat impedimentum omne superare, verum, & naturaliter agit, prout potest. Cæterum minus candidè refert Vulpes hoc, & sequens argumentum Suarez, siquidem hæc non adducuntur ab ipso ad probandam actualem existentiam substantiarum immateralium, sed ad ostendendam solam possibilitatem earum, seu non repugnantiam; inquit enim sub nu. 2. in fine. aliud est quærere, aut probare has substantias esse possibiles; aliud esse de facto, illud enim prius pendet ex sola diuina potentia cum non repugnantia ex parte rei; hoc autem posterius præter potentiam requirit diuinam voluntatem, quæ difficilius ostendi potest, quia eius decretum liberum est, cum tamen facultas, seu potentia sit necessaria. Hinc num. 3. ponit primam conclusionem his verbis, dico primò posse ratione demonstrari esse possibiles substantias creatas immateriales, siue spirituales; & posteà numero quinto ponit secundò conclusionem his verbis, dico secundò ratione naturali posse sufficienter ostendi esse in vniuerso substantias aliquas creatas omninò immateriales; & primam conclusionem probat ratione à Vulpio adducta, cum eodem antecedenti, *quia non repugnat ex parte rei, neque etiam ex parte causæ efficientis*, sed non cum eodem consequenti, nam hinc infert Suarez *ergo euidens est huiusmodi effectum esse possibilem*, iuxtà conclusionem probandam; Vulpes autem infert, *ergo euidens est dari substantias creatas prorsus immateriales subsistentes*.

19 Secundò aliam rationem à priori pro existentia Angelorum refert Vulpes ex Suarez, possibilius videtur substantiam immaterialem dari, quam materialem, ista de facto exigit; ergo debet illa quoque existere necessariò; probatur maior causa efficiens semper intendit sibi assimilare effectum; ergo quo effectus est causæ similior eò vt ab illa fiat, est aptior Deus est prima omnium causa, estque substantia spiritualis; ergo possibilius est, magisque consentaneum, vt ab eo procedant effectus immateriales, quam materiales. Deindè reducit hoc argumentum Vulpes ad inconueniens, quia ex eo infertur dari substantiam creatam spiritualem infinitæ perfectionis Deo adæquatè similem similitudine vniuocationis in gradu numerico, quod est erroneum; hinc iterum dicit assumptum in maiori tantum possibilitatem talis effectus inferre, non factum, quoniam Deus agens liberum præcisè agit, quæ vult. Cæterum neque hoc aliud argumentum Suarez refert candidè Vulpes, nam facit quædam hoc argumentum Suar. sect. 1. cit. n. 3. non tamen ad probandam actualem existentiam angelorum sed solam possibilitatem, vt ibi est videre; imò reductionē illam, quam facit Vulpes quoad actualem Angelorum existentiam, præoccupauit Suarez quoad possibilitatem, de qua in eo argumento loquebantur, his verbis. Dices, hoc discursu probaretur substantiam infinitè perfectam esse maximè possibilem, quia esset simillima Deo. Resp. negando sequelam; talis enim substantia non potest esse effectus Deo similis, quia nō potest esse effectus, nā hoc ipso, quod sit effectus, est in essentia dissimilis Deo, de cuius ratione est, vt non sit effectus; item si est effectus, est dependens, si est dependens, nō est infinita per essentiam, quia hæc infinitas requirit esse per essentiam; repugnat ergo tanta similitudo ad Deum, seu potius æqualitas rationi effectus; similitudo autem in sola ratione immaterialis substantiæ non repugnat cum ratione effectus, & ideò suppositā diuina omnipotentia, rectè concluditur talem effectum esse maximè possibilem; ita Suarez ex quo satis constat Suarez in præfato argumento loqui de possibilitate, non de actuali existentia angelorum; & præoccupasse instantiam factam à Vulpes. Aliud etiam argumentum ex Suarez refert Vulpes nu. 8. ad idem, quo à posteriori ex existentia actuali animæ intellectiuæ infert à posteriori possibilitatem substantiæ immaterialis completæ, quod argumentum fideliter refert, & ait non esse ad rem, quia nō probat factum, de quo hic disputamus, sed possibilitatem; quod etiam de duobus præcedentibus melius dixisset ea fideliter referendo.

20 Tertiò probat directè Suarez cit. nu. 5. dari de facto substantias separatas immateriales ex D. Th. p. 1. q. 50. ar. 1. ad perfectionem vniuersi pertinuit, vt in eo esset hic gradus substantiarum immaterialium sed Deus condidit vniuersum perfectum, ergo sunt in eo huiusmodi substantiæ; maior probatur, quia ad perfectionem effectus pertinet, vt sit perfectè similis causæ, ergo ad perfectionem vniuersi spectat quod sit simile Deo quoad fieri possit, cum ergo Deus sit substantia immaterialis, & intellectualis, ad perfectionem vniuersi spectat, vt in eo sint substantiæ immateriales, & intellectuales, ratione quarum sit simile Deo secundum hunc gradum; probatur minor, tum quia à perfecta causa, & summè bona, quæ nulli inuidet, & potentissima, quæ à nemine impediri potest, non debuit effectus prodire, nisi perfectus, tum etiam quia Deus in condendo vniuerso intendit, & communicationem suæ bonitatis, & suæ perfectionis manifestationem. Hæc ratio non benè consequentiam deducit, quia cum Deus sit agens liberum ad extra, non tenetur ad productionem effectuum perfectiorum, vndè secundum Theologos potuit vniuersum producere longè perfectius, quam sit modò; quare licet in Angelis sit maior similitudo cum Deo, quam in qualibet alia creatura, potuit tamen pro libertate eos nolle producere sola perfectione humana contentus quātum ad hunc gradum intellectualitatis, qui est immaterialis ex parte animæ; imo angeli de facto producti non sunt Deo simillimi in perfectione, & posset vtique alios sibi similiores producere, quos tamen producet nunquam, & ideo argumentum non concludit sufficienter factum.

Quartò arguitur, ad idem, naturali lumine diuiditur substantia prædicamentalis in corpoream, & spiritualem, sed datur substantia purè corporea, & materialis; ergo pariter dari oportet substantiam, purè incorpoream, & spiritualem, nec talis substantia potest esse Deus, quia ratione suæ infinitatis ponitur extrà prædicamentum. Hanc rationem rectè refellit Vulpes loc. cit. primò quia argumentum ostendit possibilitatem, non factum; secundò quia non desunt, qui Deum in prædicamento recludunt; tertiò tandem negat esse naturaliter notum substantiam prædicamentalem illo modo diuidi, nam potius sic diceretur diuidi substantiam trascendentalem, vt illa diuisio reciprocetur cum diuisione entis in finitum, & infinitum, creatum, & increatum.

21 Dicendum Secundò existentiam harum substantiarum spiritualium probari posse naturaliter ratione à posteriori, & ab effectu valdè probabili, licet non omninò necessaria. Conclusio probatur eodem modo, quo præcedens, examinando, & expendendo duas rationes, quibus à posteriori solet probari existentiam Intelligentiarū in vniuerso. Prima ratio est Arist. qui 8. Phys. & 12. Met. à text. 42. earum existentiam deduxit ex motu, & conuersione Cælorum, hic enim non potest ab ipsis Cælis oriri, sed est ab extrinseco motore, vt ex Arist. probatum est disp. 2. de Cælo q. 4. art. 3. conclusione prima; hic autem nequit esse mouens corporeum, & materiale, vt ibidem deductum est conclusione secunda; ergo erit immateriale, & incorporeum & sic mouebitur ab aliqua Intelligentia; hæc autem nequit esse Intelligentia prima, quia cum hæc sit infinitæ virtutis, vt constabit q. seq. moueret in non tempore, vt ibidem probatum est art. 4. remanet ergo, vt vnumquodque Cælum à propria intelligentia assistente moueatur.

Cæterum quamuis hæc ratio in Arist. principijs aliquam possit probabilitatem habere, attamen non necessariò concludit ex naturaliter notis, imò supponit aliqua falsa etiam sistendo intrà limites luminis naturalis; quamuis enim de facto verum sit tam secundum Arist. quam secundum veritatem Cælos ab extrinseco moueri, non ab intrinseco, vt loc. cit. dictum est disp. 2. Cæli num. 137 attamen statim num. 140. additum est non posse assignari aliquam rationem cogentem, & demonstrantem necessariò ita esse, & repugnantiam inuoluere Cælos à seipsis moueri, cum thesauri sapientiæ, & omnipotentiæ Dei sint infiniti. Deindè, quando etiam demonstraretur Cælos necessariò ab extrinseco motore cieri debere, non necessariò ostenditur hunc Motorem debere esse à primo diuersum, sicut enim Deus immediatè totum hunc Orbem produxit, ita quoque absque vlla prorsus deiectione, & turpitudine dici potest immediatè Cælos mouere, sicut absque vlla etiam deiectione ad omnes actiones causarum secundarum ponitur immediatè concurrere; nec benè deducitur motum eorum futurum instantaneum, quamuis enim sit infinitæ virtutis, attamen ad extra liberè agit, non necessariò, etiam iuxta exigentiam luminis naturalis, & sic ex propria libertate poterit immediatè mouere Cælum successiuè, & in tempore. Denique quando etiam admittere singulos Cælos habere proprios, & immediatos motores à Deo distinctos, non necessariò probatur illos esse debere incorporeos & immateriales, cur enim mouere non possent Cælos, etiamsi corporei essent? Si enim dicas corpus illud defatigatum iri irrequieta circumuolutione, facilè negabitur consequentia, cum enim Cæli nec graues, nec leues sint minore resistentia mouentur, quam palea ventis, imò nulla, vt inquit Hurtad. disp. 12. Met. sect. 2. & si fingamus corpus exanime defatigationis incapax, innatam habebit virtutem circumuehendi Cælos, vt magnes trahendi ferrum, & paleas succinum absque vllo labore. Quod si rursus vrgeas, hinc sequi penetrationem illius corporis mouentis cum Cælo, quia cum Cæli sint contigui, nequit inter illos mediare corpus absque penetratione. Iterum negabitur consequentia, quia vel ponetur vnus tantum motor corporeus existens in extima superficie vltimi Cæli, vel si singulis Cælis correspondet proprius motor, poterit Deus in sphæra mota illud incidere, & quasi cælare, vt de Sole dicitur, & cæteris astris.

22 Alia ratio euidentior, & quæ planè conuincere videretur Dæmonum, & Angelorum existentiam, deducitur ex effectibus mirabilibus Magorum, & Energomenorum, vt catenas prærumpere, fores effringere, vehi per aera, loqui aliena lingua, occulta præuidere, & diuinare futura enuntiare, &c. vt patet in historia Exodi in Magis Pharaonis, in responsione Idolorum apud Gentiles, & in illo Simone Mago, qui Dæmonis opera in sublime euolauit, vt ostenderet se esse Deum, non autem quem D. Petrus prædicabat; quorum prodigiorum, & quasi miraculorum longum facit catalogum ex antiquis historijs Faber opusc. citat. aduersus Atheos disputat. 1. cap. 6. & experientia videmus in Energumenis aliquem rusticum aliena lingua loquentem, quam nunquam didicit, nec alium in eo loquentem audiuit, ac etiam de rebus abditissimis discurrentem, qui quidem effectus reduci nequeunt in causam aliquam naturalem nobis notam, sed Dæmonibus, & Intelligentijs videntur omninò esse tribuendi. Non desunt tamen, qui hoc etiam argumentum nedum valdè probabile, sed etiam fortè euidentissimum nisi sunt eludere, qui effectuum mirabilium prædictorum volunt esse causam corpora

pora cælestia, non dæmones; sed hanc eu sionem optimè impugnat Faber opusc. cit. disp. 1. cap. 7. Alij contendunt prædictos mirabiles effectus ex forti hominis imaginatione procedere. Sed & hos quoque optimè confutat Faber loc. cit. cap. 8. Alij dixerunt opera prædicta ex proprietate naturæ contingere, vt ex peculiari hominis complexione, vel ex atra bili, aut habitibus terræ, quos etiam mirabiliter reuincit idem doctissimus Pater loc. cit. cap. 10. cuius impugnationes hic non refero ad vitandam prolixitatem, tum quia adeò eleganter, & eruditè ab ipso pertractantur, vt apud ipsum mereantur legi, & sine vlla prorsus molestia, valdè pulchra, & curiosa sunt.

23 Restat itaque vt hæc mirabilia prodigia, non nisi in aliquam substantiam separatam, & immaterialem sensibus nostris imperuiam reducantur tanquam in veram, & propriam causam, & hæc erit vel Deus, vel anima separata, vel aliquis Dæmon; Deus talis causa esse non potest plerumque enim opera Magorum ad malum finem diriguntur, & mala sunt, ac pernicioſa, vndè volatus Simonis Magi nequaquam potuit esse causa, nisi permissiuè, quia falsi fuisset testis, & mendacio specialiter fauisset ad decipiendum, quod impium est cogitare. Neque potest esse anima separata, quia, vt ait Hurtad. & alij nonnulli, anima separata ex natura rei sine miraculo corpus mouere non potest, quin illi vniatur, vt patet experientia, non enim mouet, nisi medio corpore vnito, quia non est actus assistens, sed informans. Item quia in suis actionibus à corpore pendet, est enim proprium formæ assistenti corpora mouere, quin illis vniatur, non autem formæ informanti, Deus autem non concurrit miraculosè, sed permissiuè ad dæmoniacas illusiones. Sed oppositum huius, vt valdè probabilius docui disp. 8. Phys. q. 3. nu. 32. & 33. animam scilicet separatam posse alia corpora à se instar angeli mouere, illisq; impulsum imprimere, vndè hæc probatio non conuincit, quin illi mirabiles, ac celerrimi motus in eius virtutem motiuam inorganicam referri possint, quam possidere, & extrà corpus exercere posse iam dixi ibid. n. 28. ex Scoto 4. d. 10. q. 7. illa etiam idiomata, ac etiam rerum abditarum discursus in homine rudi possent in aliquam animam separatam referri, quæ vel tales species hinc aduexisset in alium statum separationis, vel statim à Deo recepisset infusas post separationem; & ideò in hac secunda conclusione dixi pro ipsa adduci posse aliquam rationem à posteriori valdè probabilem, non tamen omninò conuincentem Dæmonum existentiam, cum huiusmodi effectus possint animabus separatis adscribi. Cæterum, quia forte non minor difficultas est ratione naturali animæ immortalitatem vestigare, & statum separationis eius, si quis ex vi huius secundi argumenti moueretur ad concedendam existentiam animarum separatarum, quæ sunt substantiæ spirituales incompletæ, poterit etiam absque magno incommodo pariter concedere existentiam aliarum substantiarum spiritualium completarum; potest in hac materia videri Daniel Sennert. tom. 2. medicinæ practicæ lib. 6. par. 9. vbi morbos admittit ex fascino, Incantatione, & Veneficijs inductos Dæmonis ope, quia in causas naturales difficulter reduci possunt.

QVÆSTIO IV.

An possit naturaliter ostendi Deum esse infinitæ virtutis, & ex Aristotele, aliasque Intelligentias ab ipso esse productas.

24 QVoad primam quæsiti partem est duplex sententia, prima est affirmatiua Scoti 1. dist. 2. quæst. 2. & quol. 7. in solutione 2. in princ. & tractatu de primo principio, & D. Thomæ par. 1. quæst. 25. art. 2. & consequenter omnium Scotistarum, & Thomistarum Caietan. quæ 1. præcipua de infinitate Dei, Soncin. 12. Metaph. quæst. 41. Iauel. eod. lib. quæst. 20. Capredon. lib. 3. theolog. Aristot. cap. 127. Tol. 8. Phys. quæst. 8. Conimb. 8. Phys. cap. 10. quæst. 3. Suarez disp. 30. Metaph. quæst. 2. Faber theor. 54. Vulpes to. 2. part. 1. disput. 42. art. 3. Contaren. disp. 15. cap. 6. Bonet. lib. 7. theolog. naturalis cap. 7. Henric. part. 35. quæst. 6. Ægid. 1. d. 43. quæst. 1. Albert. 8. Physic. tract. 4. cap. 1. Alens. 12. Met. 41. Saxij tom. 2. Catalt. disp. 1. q. 1. & aliorum passim. Alia sententia negatiua est Nominalium Ocham quol. 7. q. 22. & 23. Arim. 1. dist. 42. quæst. 3. art. 1. Biccon. 1. d. 43. 44. 45. Piccol. lib. de Cœlor. motoribus cap. 33. Zabarel. 8. Physic. in expos. tex. 78. & 79. Bonamici lib. 10. de motu cap. 20. Raguſei disp. 10. Peripat. vbi ait nec etiam ratione naturali hoc posse probari, sed ait infinitatem virtutis primi motoris sola fide teneri.

Dicendum tamen est posse naturali ratione probari Deum esse infinitæ virtutis in agendo, ac etiam ex Arist. Conclusio est Scoti loc. cit. & probatur ratione à priori, nam est naturali lumine notum Deum esse ens infinitum formaliter secundum perfectionem entitatiuam, cum sit ens per essentiam, & à se, ac omninò independens ab alio; ergo etiam naturali lumine erit notum à priori Deum habere infinitam virtutem causatiuam, habens enim esse infinitum, & illimitatum, potentiam finitam, & limitatam habere nequit; antecedens patet ex dictis q. 1. probat Doctor sequelam quol. 7. lit. Y. quod habet à se entitatem, à se habet potentiam actiuam, quæ eam consequitur, quod autem habet à se aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ sibi potest competere, nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum, quia si vnum ens habeat à se plenitudinem entitatis, & aliud ens non habeat à se talem plenitudinem, sed entitatem limitatam omninò, nulla esset ratio, quare illud plus haberet plenitudinem entitatis quam istud sed videtur esse casus, qui non potest esse in his, quæ sunt à se; ego ex hoc, quod Deus habet à se entitatem, & virtutem, eam habet cum tota plenitudine, & proindè formaliter infinitam intensiuè, eadem ratione quoque probauit Suarez à priori infinitatem entitatiuam in Deo disp. 30. Metaph. sect. 2. num. 22. ad quam consequitur infinitas virtutis, id quod est ens per participationem limitari potest aut voluntate dantis tantam perfectionem, & non maiorem, aut capacitate recipientis; id autem quod est ens per essentiam à nullo limitari potest, quia sicut nullam habet causam, à qua pendeat, ita nullum habet principium, à quo limitetur, sed Deus est ens per essentiam, ergo cum eius perfectio à nullo limitari possit, sequitur quod sit infinita.

25 Respondet Raguseus disp. 10. cap. 15. diuinam perfectionem à nullo principio exteriore limitari, sed ex semetipsa, nam sicut Deus ex semetipso est, ita ex semetipso habet illum gradum perfectionis, qui conuenit primo enti hic autem gradus summus est inter omnia entia, non autem infinitus. Hæc tamen solutio facilè reijcitur, quia nequit reddi ratio, vt arguebat Doctor, quare Deus à seipso fuerit ita determinatus, & limitatus; tum quia assignato in quolibet ente quocunque perfectionis gradu, non implicat dari ens perfectius, si gradus ille fuerit finitus, ergo implicat Deum habere determinatum gradum perfectionis, quia Deus, vt ait Anselmus, de sua ratione formali est, quo maius excogitari non potest. Tum quia vel hoc summum ens, quale poneretur Deus ex hypothesi, esset capax maioris perfectionis, vel incapax; si incapax, ergo est quid finitum, & limitatum tam positiuè, quam permissiuè; quod si est capax maioris, restat quærendum quare determinatus sit ex se ad tot gradus perfectionis, & non plures; tum quia limitatio est priuatio quædam, & defectus, qui primo enti repugnat ob summam eius perfectionem, vnde sequitur primum ens non posse esse in summo perfectum, nisi ponatur formaliter infinitum. Tum quia tunc assignari non posset repugnantia, cur alter Deus possibilis non sit, id enim ostendi solet, quia duo infinita repugnant vt probat Scot. quol. 5. at non repugnant duo finita etiamsi ambo summa ponantur, quia vt notat Doctor 3. d. 13. q. 1. summò positiuè repugnat quidem habere aliquid maius ipso, non tamen repugnat habere æquale. Tum tandem quia Raguseus ipse disp. 10. cit. ad quartam Scoti rationem concedit ex hypothesi, quod Deus sit ens finitum eminentissimum tamen super omnia alia entia, posse dari absolutè aliquid perfectius Deo, quia ens finitum est, licet non qua eminentissimum in sensu composito. Sed hoc directè repugnat rationi Dei, qui de sua formali ratione adeo perfectum esse debet iuxtà exigentiam luminis naturalis, vt nihil perfectius eo excogitari possit; satis ergo lumen ipsum naturale indicat Deum esse debere ens infinitum in entitate, & consequenter etiam in virtute, vt deducit Bonet. loc. cit. §. *de primo motore*, quia sicut res se habet ad entitatem, ita & ad virtutem; videatur Doctor 1. d. 2. q. 2. §. *ostensis igitur*, vbi quatuor vijs ex naturalibus probat infinitatem Dei in entitate, & virtute; & Alensis 12. Met. tex. 41. probat etiam ex modo actionis, quia res producit ex nihilo, quod est potentiæ infinitæ.

26 Deindè probat vlterius Doctor quol. 7. ad 1. prin. non etiam esse de mente Arist. 8. Phys. 78. & 79. & 12. Met. 41. his siquidem in locis, probat Arist. primum motorem indiuisibilem esse, ac impartibilem, ac nullam prorsus habere magnitudinem, & hoc quia habet virtutem infinitam, quæ nec in magnitudine finita reperiri potest, nec in infinita, quia ista non datur, probat verò habere virtutem infinitam intensiuè, quia infinito tempore mouet, ita expressè arguit 8. Phys. sed adhuc clarius 12. Met. 41. his verbis *quod itaque est quædam æterna, immobilisque substantia, & à sensibilibus separata constat ex dictis ostensum autem est, quod nec vllam magnitudinem possibile est hac substantiam habere, verum impartibilis, indiuisibilisque est, nam in infinito tempore mouet, nihil verò finitum infinitam potentiam habet; cum verò omnis magnitudo aut infinita, aut finita sit, finitam quidem propter hoc non haberet magnitudinem, infinitam verò, quoniam omninò nulla est infinita magnitudo.* Ex quo reijcitur communis Aduersariorum solutio dicentium ibi Arist. loqui tantum de infinita virtute primi motoris secundum durationem, & hanc assumere ad probandum primum motorem carere magnitudine vt nititur Raguseus ostendere c. 8. ex ipso Arist. discursu. Reijcitur inquam, quia cum ex eo probat Arist. primum motorem non esse in magnitudine, quia habet virtutem infinitam, planè de illa loquitur infinitate, cui repugnat esse in magnitudine, at infinitati secundum durationem non repugnat esse in magnitudine, nam Cœlum habet virtutem infinitam secundum durationem (inquit Doctor) cum sit indissolubile, infinitoque tempore virtutem suam his inferioribus communicabit ex ipso Arist. ergo loquitur de infinitate intensiua virtutis, non autem durationis, alioquin argumentum non concluderet.

Conf. ex discursu ipsis Arist. 8. Phys. 78. volens enim probare ibi primum motorem carere magnitudine, quia est virtutis infinitæ, assumit ad probandum hac propositionem, quod *impossibile est vllum finitum mouere infinito tempore*, vnde tandem in eodem argumento concludit, *quod igitur non contingit finitum infinito tempore mouere manifestum est*, quæritur ergo, an cum ait, nullum finitum posse mouere infinito tempore loquatur de finitate virtutis secundum durationem, vel secundum intensionem, primum dici non potest, quia tunc Aristot. propositio ridicula foret, sensus enim esset, quod durat finito

nito tempore non posse aliquod corpus mouere per infinitum tempus, loquitur ergo ibi de finitate, & infinitate virtutis secundum durationem. Idem colligitur ex alio discursu, quem habet tex. 79. nam rursus ibi probat primum motorem esse omnis magnitudinis expertem, quia si infinita virtus, qualis est illa primi motoris, esset in magnitudine, moueret in non tempore &c. rursus quæritur, quomodo accipiatur ab Aristot. infinitas virtutis in hoc assumpto, si loquitur de infinitate secundum intensionem, habetur intentum, si verò secundum durationem, falsum rursus esset assumptum, nam virtus agendi in hæc inferiora est in Cælo infinitæ durationis secundum Aristot. & tamen in hæc inferiora non agit momento calefaciendo, & generando, loquitur ergo de infinitate virtutis secundum intensionem, & hanc assumit, vt medium, ad probandum, quod primus motor sit omnis magnitudinis expers, infinitatem verò secundum durationem ex parte motus assumit, vt medium ad inducendam infinitatem secundum intensionem in mouente, quia nullum finitum potest mouere infinito tempore.

27 Sed Dices, ex infinitate secundum durationem in præfato sensu ex parte motus non videri bene deduci infinitatem secundum intensionem in mouente, quoniam virtus mouendi tempore infinito inest etiam reliquis Intelligentijs, quæ tamen idcircò non existimantur esse infiniti vigoris. Respondet ad hoc dubium Alensis 12. Met. text. 41. quod mouere per tempus infinitum potest esse duobus modis, vno modo in virtute propria, alio modo in virtute alterius, quod primo modo mouet est potentiæ infinitæ, quod secundo modo mouet, non oportet, quod sit potentiæ infinitæ, videmus enim, quod secundum opinionem Philosophi Cælum mouet hæc inferiora per tempus infinitum, & tamen non propter hoc est potentiæ infinitæ, & hoc quia mouet in virtute alterius, ita Alensis ibi, cui concinit Scot. ibidem in expositione eiusdem textus, & quol. 7. lit. Y. At contra hanc solutionē subtiliter initat Doctor ibidem, quia si in hoc sensu tenet Arist. consequentia; quia scilicet mouet per infinitum tempus à se, & non virtute alterius, videretur inepta, quia æquè benè deduceretur de eadem consequentia si moueret motu finito, sed à se. Respondet verò, concedo, inquit, quod vis principalis in hoc stat, quod est mouere à se, sed aliquam euidentiam habet ratio de motu infinito, quia secundum Arist. motus primus est primò infinitus, & ita ille est magis proprius primò mouenti, primitas autem motionis est medium proprium ad propositum, vt intelligatur in antecedente, mouet motu infinito prima infinitate, quæ scilicet non est ab infinitate motus alterius, sed à sola virtute illius mouentis; quia tamen Arist. non expressit illam particulam à se; ideò inquit lit. X. concedo ergo cū ista conclusione, quod Arist. siue sufficienter probauerit intentum suum, siue non; intellexit de infinitate potentiæ intensiuæ; verisimile tamen est Arist. illam particulam subintellexisse, quia loquebatur de primo motore, qui à se mouet. Sed rursus occurrit Ragusæus cit. c. 11. concesso adhuc primum motorem à se mouere, non adhuc hinc benè deduci, quod si infinitæ virtutis, sed solum omnium mouentium esse perfectissimum, cæteris; omnibus perfectione anteire. At contra ostendit Scotus lit. Y. hinc optimè deduci, quod virtus primi motoris sit infinita intensiuè, quia quod habet à se potentiam actiuam habet à se entitatem, quod autem habet à se, liquid habet illud in tota plenitudine, quæ sibi potest competere, nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum; ex hoc igitur, quod primum mouens mouet à se, benè sequitur ipsum esse infinitæ potentiæ intensiuæ.

28 In oppositum arguit Ragusæus disp. 10. cit. c. 10. probans infinitam primi motoris virtutem non solum Aristotelicæ Philosophiæ principijs accommodari non posse, verum eandem etiam omnem philosophiam penitus euertere, nam 1. de Cœlo 76. negat à pertè Deum plures mundos condere posse, quod cum eius infinitate virtutis non cohæret. Tum 2. quia 2. lib. de Cælo text. 35. docet motum primi Cæli esse determinatæ velocitatis, idque ob determinatam primi motoris in mouendo virtutem, posset autem multò velocius Cœlum moueri, si primus motor esset infinitæ virtutis. Tum 3. quia 1. Physic. ex consensione omnium Philosophorum affirmat ex nihilo nihil fieri; quod vtique non assereret, si primum motorem infinitæ virtutis posuisset, quia tunc posset vtique ex nihilo aliquid facere. Tum 4. secundum eundem à priuatione ad habitum non datur regressus, at admissa primi motoris infinitate, in eiusdem pariter doctrina mortuorum resurrectionem fateri oporteret. Tum 5. cogeretur etiam Arist. concedere materiam primam sine forma, & accidentia sine subiecto existere posse, hæc enim omnia fieri possunt ab agente virtutis infinitæ. Tandem hoc admisso fateri quoque cogeretur Deum aut nihil omnino agere, aut omnem effectum infinitum edere, siquidem quod agit necessitate naturæ, vt tenet Scotus Deum agere ex Aristot. placito, omni conatu agit, & effectum sibi similem effingere nititur.

Resp. & pro solutione notandum ex Scoto quol. 7. cit. §. *de consequentia autem*, quod cum inquit Doctor Arist. nouisse Deum esse infinitæ virtutis, per infinitam potentiam non intelligere omnipotentiam, eo modo, quo à Theologis accipi solet, quæ est infinita potentia actiua efficiendi quodcunque etiam immediatè sine causis secundis talem enim omnipotentiam, & infinitatem virtutis Arist. non nouit, quia ipse potuit necessariam connexionē causarum, ita quod impossibile est secundum eum primas causas agere siue secundis, siue causam omnino primam sine secunda causa; & hanc inquit esse rationem, cur non concessit materiam posse esse sine forma 2. d. 12. qu. 2. F. nec accidens sine subiecto, aut subiectum sine accidente 4. d. 12. qu. 1. sub lit. E. itaque per infinitam virtutem intellexit Arist. potentiam actiuam infinitam in se in efficiendo quodcunque alligatam tamen necessario cum concursu causarum secundarum. Ex hoc facilè occurritur obiectionibus Ragusei; Ad 1. dicendum ex Scoto 2. d. 3. quæst. 7. in fine non posse secundum Arist. alios mundos à Deo produci, etiamsi virtutis sit infinitæ, quia mundus de facto productus constat ex tota materia nedum actuali, sed etiam potentiali, adeò quod impossibilitas sit attendenda non ex parte Dei, sed ex impossibilitate rei, nihil enim potuit posse produci nouum in immobilibus, seu in sempiternis secundum quod talia sunt scilicet immobilia, & sempiterna, & quia non concordant cum eo Theologi in hac propositione, omne corpus sempiternum est ex tota materia illius speciei actuali, & potentiali, ideò non est concordandum cum eo in conclusione. Ad 2. ait vtique Arist. ibi motum primi Cœli esse determinatæ velocitatis, at minimè dicit id euenire propter determinatam primi motoris in mouendo virtutem, sed potius ex exigentia effectuum à Cœlo producibilium in his inferioribus vnde ratione sui posset vtique Cælum mouere velocius cum primus motor sit infinitæ virtutis in mouendo, sed ratione effectuum non potest, quia opus est quod vtatur causis secundis, & illis mediantibus agat propter necessariam connexionem, quam habet cum ipsis ob imperfectionem effectuum.

29 Ad 3. quando ex confessione etiam Antiquorum dixit ex nihilo nihil fieri, loquebatur in ordine ad agentia naturalia, & causas secundas, nam aliqua ab æterno concedit facta fuisse ex nihilo à causa prima, vnde & creationem æternam agnouit, vt postea patebit, quare si ad creationem, seu factionem ex nihilo virtus infinita requiritur, vt communior sententia tenet, argumentum reducitur ad oppositum. Ad 4. negatur consequentia, cū enim in sui operatione secundum Philosophum sine causis secundis agere nequeat, & agat iuxta exigentiā illarum, si formæ semel corruptæ, vel à materia abiunctæ ad eandem materiam informandam suaptè natura redire nequeunt, sic nec etiam per potentiam Dei redire possunt, quæ causis secundis necessariò est allegata. Ad 5. negatur consequentia quoq. ob eandem rationem, quia propter ordinem essentialem causarum secundarum cum prima secundum Philosophum simpliciter necessarium, non potest prima causa causare effectum secundæ sine ipsa causa secunda, vnde quia materia prima concurrit in genere causæ materialis ad eductionem formæ, & subiectum ad eductionem accidentis, imò & interdum in genere causæ efficientis, hinc est, quod secundum Arist. nec etiam per Dei potentiam potest esse materia sine forma, vel subiectum sine accidente, aut è contra, vt docuit Doctor loc. cit. Ad vlt. impossibilitas, cur nequeat à Deo produci effectus infinitus ad extra, etiamsi secundum Arist. poneretur agere necessario, planè in limitationem diuinæ potentiæ refundi nequit, sed potius attendi debet ex repugnantia ipsius creaturæ, quæ infinita produci non potest, eo enim ipso, quod est ab alio, finita, & limitata est, vt docet Scot. 1. d. 43. lit. B. addit tamen Alensis lib. 12. Met. in text. 41. in hac ipsa quæstione, quod potentia agētis non solum mensurari debet penes factum, vel penes actionem, sed etiam pœnes modum agendi; licet ergo quodlibet factum, & creatum ab hac potentia sit finitum, tamen modus agendi, qui est ex nihilo, non potest esse, nisi potentiæ infinitæ.

Sed adhuc instat subtiliter Doctor 1. d. 2. q. 2. in fine, quia si Arist. statuit Deum infinitę virtutis, & cum hoc ad extra naturaliter agentem; ergo ageret in non tempore; Respon. Doctor ibidem gratis concedendo hæc duo non satis cohærere in sententia Philosophi, & ideò inferius dist. 8. q. 5. ait Arist. re vera latitantes concessisse contradictiones, dum ex vna parte ponit Deum infinitæ virtutis, & necessario agentem ad extra, & ex alia ponit agere successiuè, & dari contingentiam in rebus, nam ad primam illam positionem sequitur euidenter Deum ad extra agere in non tempore, & omnem tolli contingentiam rebus; quæ difficultas apud Theologos non vrget, aut peripateticos tenentes Deum ad extra esse agens liberum, quamuis enim Deum dicant esse infinitæ virtutis, non tamen sequitur quod agat in non tempore, quia sicut in potestate eius est agere, & non agere, ita in potestate eius est agere in tempore, & agere in non tempore? alia plura argumenta contra nostrum assertum, quod non sic de mente Arist. adducit, & soluit Faber theor. 54. c. 3. & rursus alia quoq. pro opposita sententia diluit Bargius 1. d. 2. q. 2. in fine ad quos Scotistas lectorem remitto.

30 Quoad aliam quæstionis partem, nempe de productione aliarum Intelligentiam à Deo, Scotus quol. 7. §. *Sed quia*, duo dicit, nempe talem productionem, & causationem aliarum Intelligentiarum à prima esse naturaliter demonstrabilem, & hanc etiam concessisse Aristotelem ipsum, primum probat, quia non possunt esse duæ naturæ intellectuales simpliciter infinitæ, sed quæcunque natura intellectualis, si est à se, siue incausata, ipsa est simpliciter infinita, ergo non possunt esse plures naturæ intellectuales simpliciter incausatæ; prima est incausata, alioquin non esset prima, ergo quælibet alia est causata, maiorem probauit diffuse Doctor 1. d. 2. q. 1. minorem probat ibidem, quia quod habet esse à se habet illud cum omni plenitudine, & sine vlla prorsus limitatione, vt supra deductum est. Quod autem talis causatio Intelligentiarum à prima fuerit ab Arist. concessa probat Doctor quol. cit. §. *Secundum scilicet quod Arist.* ex varijs eius dictis, vt superius probatum est ex professo disp. 6. Met. q. 6. de causa necessariorum art. 1. imò ibidem sub lit. Hh. declarat quoque modum huius productio-

ctionis ad mentem Arist. quem adhuc magis declarat Faber. theor. 56. de causatione Intelligentiarum c. 3. ex Auerroe, & Zimara theor. 12. & approbat quoq; Contaren. disp. de productione Vniuersi a Deo c. 4. & quia hunc productionis Intelligentiarum modum adhuc etiam magis videtur explicasse Auicen. quam Arist. subdit Doctor, quod hæc quoque fuit intentio Auicen. expresse 9. Met. cap. 4. quod omnis Intelligentia causata est à primo, & forte in hoc non solum non contradicit Arist. sed explicat illud de modo, & ordine productionis, quod Arist. non explicauit; & si dicatur Arist. posuisse omnem Intelligentiam à primo immediatè productam, tunc Auicen. quantum ad ordinem quem ponit, contra adicit ei, sed ad propositum, quod Intelligentia sit producta, habetur concordia, De modo autem illius causationis satis haberi potest ex intentione Auicen. quoad hoc, scilicet quod non posuit eam per motum, & mutationem, vel cum aliqua nouitate, sed quod totum esse Intelligentiæ semper esset à primo, & in diuersitate essentiæ, sicut nos ponimus, quod Filius semper est à Patre in eadem essentia, & sicut secundum Arist. sempiternum est lumen in illis corporibus perspicuis, quæ nunquam cadunt in vmbra alicuius corporis, scilicet corporum causantium vmbram in vniuerso, & tamen illud lumen perpetuũ in corporius illuminatis poneretur à Sole effectiuè; non enim illud lumen diceretur à se formaliter, quia tunc non esset eiusdem rationis cum lumine in illa parte, quæ aliquando non illuminatur, nam illud lumen, cum sit nouum, certum est, quod causatum est à Sole, quod autem causatum est non est eiusdem rationis cum eo, quod est à se; sic est in proposito pariter dicendum de productione Intelligentiarum à primo efficiente.

31 Contra hoc assertum de productione Intelligentiarum à Deo plura obijci solent, quæ iam soluta sunt disp. 6. Met. cit. q. 6. art. 1. à nu. 122. vna tantum difficultas ibi mota fuit, & non plenè soluta, sed in hunc locum remissa, erat autem, quia si Intelligentiæ fuissent ab æterno productæ immediatè à Deo simul cum Cœlo, & materia prima, hoc esse nequit nisi per creationem cum sint substantiæ simplices, sed hanc Arist. non admisit, quia semper dixit ex nihilo nihil fieri, ergo &c. pro cuius difficultatis plena resolutione videndum hic breuiter, an re vera Arist. aliquam admiserit creationem saltim æternam entium necessariorum, Creationem fuisse penitus Aristoteli ignotam tenent Peripatetici quamplures Henric. quol. 8. quæst. 9. Greg. 2. dist. 1. quæst. 1. Iandun. 2. Met. quæst. 5. Aureol 4. quæst. proæm. art. 1. Marsil. 2. quæst. 1. art. quos mordicus secuti sunt Piccol. lib. de Creatione, & Pererius in Phys. lib. 5. cap. 7. vbi plures ad hoc congerit Arist. auctoritates, & rationes. Primò quia 1. Phys. 33. & 34. commendat commune decretum omnium Antiquorum ex nihilo nihil fieri posse. Secundò non potest fieri aliquid ex simpliciter non ente 1. Phys. 75. Tertiò non quodlibet fit ex quolibet, sed vnumquodque ex suo oppositio, quod est contrarium, vel priuatio 1. Phys. 43 Quartò lib. 6. Met. 22. dicit omne quod fit ex aliquo fieri. Quintò nunquam Arist. nec in Phys. nec in Met. definit efficiens, nisi per id vnde principium motus, & nunquam hunc modum indicauit efficiendi per creationem absque motu, & mutatione. Sextò lib. 5. Met. tex. 17. definit potentiam actiuam per passiuam dicens illam esse principium transmutandi aliud, inquantum aliud, & apud eum nullum potest esse agens absque patiente, sicut nec actio sine passione, & subiecto, quod creationi aduersatur, in qua cernimus agens sine patiente, & potentiam actiuam sine passiua. Septimò probat 1. Phys. 82. primam materiam non esse productam, quia debuisset produci ex alia priori materia, quod est inconueniens; ergo non cognouit aliam productionem nisi ex materia, sic etiam lib. 8. probat æternitatem temporis, & motus ex eo, quod si hæc essent facta, fuissent facta per motum, & tempus. Octauò lib. 1. de Cælo Platonem dicentem Cœlum esse natum ab aliquo principio, sed nunquam interiturum confutat, quia quod incipit esse factum est ex materia, ergo corruptibile; & hinc tandem concludit nihil reperiri aut fingi posse, quod sit magis contrarium sententiæ Aristotet. & Peripateticæ doctrinæ, quam creationẽ.

32 Opposita sententia communior, & probabilior est creationem saltim æternam nunquam fuisse ab Arist. expresè negatam, imò prius in quibusdam locis eam non obscurè insinuasse; ita Auerr. 2. Met. com. 4. & 12. Met. com. 44. & lib. de substit. Orbis cap. 2. & ibidem etiam Aphrodis. Scotus 2. d. 1. quæst. 3. & quol. 7. D. Thom. lib. 8. Phys. Sec. 2. Durand. 1. d. 35. q. 3. n. 7. Riccard. 2. d. 1. art. 3. q. 2. Maior. ibid. q. 2. Argentin. 2. d. 1. q. 1. art. 3. Thomistæ passi, vt Caiet. de ente, & essentia q. 10. Soncin. 12. Met. q. 15. & 16. Iauell. ibid. q. 5. Scoto 2. Phys. q. 2. Bannes p. 1. q. 44. art. 1. ad 7. Molin. q. 45. art. 1. in fine Suarez disp. 20. Met. sect. 2. n. 26. Tolet. 8. Phys. q. 6. Conimb. ibid. cap. 2. quæst. 2. art. 2. Contaren. disp. de productione Vniuersi à Deo c. 8. Capredon. de theolog. Arist. lib. 3. cap. 139. Scotistæ quoque vt Faber theor. 56. cap. 4. Ferchius vestig. 1. & 2. vbi etiam creationem nouam, & temporalem admittit de mente Arist. in quo planè nimis excessit, vt dictum est disp. 1. de Cœlo qu. 5. ab initio, Saxius tom. 2. Catast. disp. 1. q. 3. alij passim; Et hæc sententia satis probata manet ex dictis disp. 6. Met. qu. 6. art. 1. vbi res æternas sancitum est de mente Philosophi fuisse ab æterno productas à Deo per simplicem emanationem absq. motu, & mutatione, quæ tamen sit creatio, & productio ex nihilo rem ipsam præcedente ordine naturæ priuatio, non positiuo, vt ibi explicatum est; Sed præter ibi dicta adhuc probari potest ex lib. 8. Phys. tex. 15. circa finem vbi reprehendit Democritum, quod ipsius semper non vult principium quærere, hoc est, quod dixerit æterna, quæ semper sunt, non habere causam, ex qua sint facta; & æternitatem non impedire quo minus res æternæ causam habeant, probat exemplo trianguli, quem habere tres angulos æquales duobus rectis, fuit verum ab æterno, & tamen huius rei ab æterno etiam fuit causa. Cum vero subdit ibi, principiorum, quæ perpetua sunt, non est altera causa, loquitur de principis complexis, & demonstrabilius. Clarior autem, quam desiderari queat in hoc dubio, extat locus lib. de mundo ad Alexandrum cap. 6. nam ibi eximit dependentiam rerum à Deo in genere causæ efficientis per creationem his verbis. *Vetus igitur sermo est, à maioribusque prædictus inter homines vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata &c.* Probant etiam id aliqui de anima rationali, nam 2. de gener. animal. cap. 3. dixit illam venire de foris, idest non educi de potentia materiæ, & consequẽter fieri per creationem; Sed hanc rationem non approbat Scotus 4. d. 43. q. 2. M. quia licet secundum Arist. productio animæ rationalis non sit eductio, quia in suo fieri non dependet à materia, tanquam ex subiecto, quod necessario præexigat in sua factione, attamen neque est creatio proprie dicta, quia non ponitur actio Dei ab ipso prius ad animam terminata in se, quam sit materiæ vnita, & consequenter non fit propria actione, vnde actionem illam Dei, per quam anima accipit esse, dicit quodam modo mediare inter eductionem, & creationem proprie dictam; de quo dixi disput. 1. de anima qu. 10. num. 156.

33 Ad auctoritates in oppositum adductas facilis est solutio; ad 1. iam ductum est disp. 6. q. 6. art. 1. nu. 122. propositionem illam *ex nihilo nihil fit*, recipi ab Aristot. vt vniuersaliter veram respectu naturalis agentis, quod est finitæ virtutis, ac etiam respectu agentis supernaturalis, quando res producit per generationem ad modum agentis naturalis, & per motum, vel mutationem, non autem quando producit per simplicem dimanationem absque interuentu generationis, motus, vel mutationis, quo pacto Intelligentias secundum Arist. immediatè produxit ab æterno sibi coæuas. Ad tres auctoritates sequentes loqui ibi de factionibus agenti naturali consuetis per generationem, motum, & mutationem; sed præcipuè 1. Phys. 75. & 7. Met. 22. loquitur speciatim de factione compositorum, non verò simplicium, & ait illa fieri non posse ex nihilo, sed necessariò ex aliquo, tanquam ex parte. Ad quintam, & sextam iam dixi supra disp. 6. cit. q. 6. nu. 123. Arist. 9. Met. tex. 1. expresse concessisse potentiam actiuam, & efficientiam sine motu, vt ibi explicant Expositores, & præsertim Alensis exponens, quod ibi ait Philosophus, *potentia in plus est, quam illa, quæ secundum motum solum dicitur*, regulariter autem causam efficientem declarat per motum more physico, quia hic modus agendi agentium naturalium prius est, ac nobis proinde notior, & magis familiaris, in quo etiam sensu loquitur, cum inquit, cuilibet efficienti nempe per motum, & mutationem correspendere in omni actione subiectum patiens. Ad 7. dictum etiam est disp. 6. nu. 122. Arist. ibi non probare materiam esse simpliciter improductam, sed solùm non esse genitam, nec generabilem, quia hæc est factio ex præiacente subiecto, & hinc concludit non esse factibilem ab agente naturali, quia nihil facere potest, nisi generando, non tamen concludit vllo modo esse à Deo factibilem, vel factam, qui ex infinitate suæ virtutis res alio modo condere potest, quam via generationis; dictum est pariter loc. cit. nu. 125. Arist. 8. Phys. arguere contra Antiquos, qui dicebat factum esse motum, & tempus, ac mundum ipsum in tempore generatum, & tamen alium factionis modum non agnoscebant, quam per motum, & tempus, vnde arguit, veluti ad hominem. Ad vlt. etiam discursus ille contra Platonem est, veluti ad hominem, dicebat enim Plato Cælum esse naturæ elementaris, vt ex materia factum, quare cum materia sit corruptionis principium optimè concludit Arist. ex concessi Cælum aliquando corrumpturum iri.

34 Sed adhuc instabis, quod apud Arist. ingenitum, ac æternum conuertuntur lib. 1. de Cælo text. 125. sed mundus in Aristot. sent. est æternus, ergo ingenitus, Tum quia posita creatione discursus labascit, quo 8. Phys. & 12. Met. probat mobile, & motum esse æternum, nam alioqui, inquit, mobile factum esset per motum, & motus factus esset ex motu. Resp. quod licet apud Arist. conuertantur æternum, & ingenitum, hoc est, non genitum per veram, & propriam generationem, quę est ex subiecto, non tamen conuertuntur æternum, & improductum, cum 8. Phys. 15. doceat non repugnare æternis, etiam vt sunt æterna habere principium, & causam suæ entitatis, licet non durationis, ideoque Democritũ redarguebat, quod vniuersaliter ipsius *semper* principium quærere non volebat; imò si apud Arist. æternum, & improductum conuerterentur, non ideò insudasset 8. Phys. pro ostensione æternitatis mundi, vt notaui disp. 6. num. 125. nam facilè, & absolutè arguere poterat omne improductum est æternum, mundus est improductus, ergo æternus, quo obuio argumento cum non sit vsus, non obscurè significauit apud ipsum æternum, & improductum non conuerti; Ad aliud iam supra dictum est Arist. 8. Phys. argumentari ad hominem expositione Antiquorum, qui solam factionem per motum & ex materia agnoscebant, contra quos instat, motus nequit fieri per motum, alioquin in moribus faciendis daretur processus in infinitum, sed per vos quicquid fit, per motum fit, ergo motus non est factus, ergo æternus, nam & ipsi admiscebatur id quod non est factum esse æternum.

Tandem arguunt, quia Arist. id tantum cognouit, quod naturali ratione ostendi potest, sed possibilitas creationis naturali ratione ostendi non potest, imò potius oppositum ergo &c. minorem probant multipliciter, tum quia implicat dari productionem eius, quod tan-

tantùm est in potentia actiua, & non passiua, sicut è contra implicat dari productionem eius, quod tantùm est in potentia passiua, & non actiua, id autem sequeretur, si creatio possibilis esset; tum quia tunc ens, inquantum ens, esset producibile, quia creatio est productio rei secundum omnimodam realitatem suam, sed hoc dici non potest, alioquin eti am Deus ipse posset esse terminus creationis. Tum tandem quia nihil in aliquid verti non potest, non enim vnum oppositum potest in aliud oppositum commutari, id autem sequeretur, si creatio possibilis esset, vt pluribus probat Aureolus 4. quæst. proæm. artic. 1. ergo &c.

35 Resp. negando minorem, quamuis enim multorum Theologorum sit opinio non posse demonstrari rem aliquam esse factam, vel fieri posse per creationem, oppositum tamen probabilius est, ac de mente Doctoris 2. dist. 1. quæst. 2. vbi §. *Respondeo*, possibilitatem creationis Deo non repugnare ita probat, Deus potest immediatè aliquid causare, & efficere, igitur potest creare, & aliquid de nihilo facere; igitur potest aliquid immediatè facere; imo antecedens, est manifestum quia Deus est primum efficiens ex 2. dist. 1. lib. si nihil potest immediatè facere, tunc nec etiam mediatè potest aliquid facere, quia est primum efficiens, & ita nullum effectum producet; consequentiam probo sic, quia si potest efficere aliquid; igitur illud non habet esse ex se necessarium formaliter, & habet esse à causa, igitur habet esse post non esse secundum intellectum istius membri, immediatè etiam producit nullo alio præsupposito, quia si aliquid aliud præsupponeret, illud aliud esset effectum ab eo, sicut patet ex d. 8. primi; igitur istud non esset immediatè effectum ab eo; habemus igitur (concludit Doctor) à primo antecedente ad istud consequens, quod producit aliquid ordine naturæ de non esse ad esse, & nullo præsupposito; secundum ergo istum intellectum creat, & ista ratio, inquit videtur innui ab Auic. 6. Met. c. 2. Imò nedum esse possibilem creationem videtur lumine naturali ostendi posse, sed etiam de facto dari, circa materiam primam, cum enim hæc sit imperfectissima, facilè intelligitur illam non esse à se, quia esse à se est perfectio omnium maxima, sed non potest esse ab alio per generationem, quia generatio supponit subiectum præexistens; ergo debet esse per creationem; vnde Pererius lib. 5. Phys. cap. 7. estò obnixè tueatur creationem non fuisse Arist. notam, fatetur tamen posse naturali lumine ostendi, ad quod adducit octo rationes, quæ apud ipsum videri possunt, de quo etiam videri potest Suarez disp. 20. Met. sect. 1.

36 Itaque argumentum propositum neganda est minor, cum suis probationibus; ad primam nego maiorem quoad primam partem cum paritate assumpta in ejus probationem, nam potentia passiua dicit essentialem ordinem ad actiuam, vt ideò sit omnino impossibile subiectum, cui conueni' potentia passiua, actuari posset sine agente vim habente illud ad actum deducendi, at potentia actiua vniuersim inspecta non necessariò respicit passiuam nempe subiectum, vel passum, in quod agat, sed effectum tantum, vnde res produci potest ex nihilo. Ad 2. negatur sequela maioris, quia ens, vt sic, non dicit realitatem subiectiuam, quæ sit productionis capax distinctam à realitate talis entis, sed dicit conceptum inadæquatum, vt constat ex dictis disp. 2. quare sola ratio entis finita est producibilis; ratio verò infinita entis, quæ reperitur in Deo, improducibilis, conceptus tandem entis ab vtraque abstractus ab vtroque præscindit, scilicet à producibili, & improducili. Ad 3. negatur minor, cum enim per creationem dicitur aliquid ex nihilo fieri, hoc non in eo sensu intelligendum est, vt nihil conuertatur in aliquid, aut quod nihil sit materia ex qua tale ens fiat hoc enim vtique omninò repugnat, vnde ly *ex*, non dicit habitudinem materialis causæ, sed habitudinem ordinis, qui reperiri solet inter terminum à quo, & ad quem, vt explicat Scot. 2. distinct. 1. qu. 2. §. *Respondeo*, ex Anselm. in Monologio cap. 8. vt sensus sit id quod nihil erit in actu reale, incipiat esse aliquid per effectionem alterius, in quo nulla apparet repugnantia; quod si particulam *ex*, iuxta habitudinem materialis causæ intelligere placeat, tunc non quidem positiuè, sed negatiuè exponenda est ex eodem Ansel. sicut aliquis dicitur loqui de nihilo, idest de nulla re, tunc enim in hoc sensu, quoq. creatur dicetur fieri de nihilo, idest de non aliquo præexistente, quod habeat respectu eius, vel rationem subiecti, vel partis constituentis, vnde ly *ex*, positum in definitione creationis vtroq. modo accipi potest, scilicet vt dicat ordinem vnius post aliud, scilicet prioris, & posterioris, vt sensus sit *ex nihilo fit aliquid*, idest post nihil fit aliquid, sicut ex nocte fit dies, idest post noctem, ac etiam, vt excudat aliquod realiter præexistens, tanquam causam rei fiendæ, siue per modum materiæ, siue per modum formæ, quare in creatione quod erat nihil potest fieri ens non per conuersionem nihili in ens, vt contendit Aureolus, sed quia post nihil factum est ens, sicut ex nocte dicitur dies fieri; Qui tamen Aureoli argumenta optat videre singillatim soluta consultat Capredonum lib. 3. de Theolog. Arist. c. 141. & 142. ac seqq. vbi de hac re exactissimè tractat, & hæc, & alia plura resoluit argumenta, quæ hìc missa facio, quia propriè ad tractationem Theologicam spectant, de Creatione, sicut & alia plura ad hanc Disp. pertinentia de Deo, & Intelligentijs commodius in Theologia tractantur in proprijs Tractatibus; & hìc operi metaphysico sit vltima imposita manus ad Dei gloriam.

Gaudia post luctus veniunt, post gaudia luctus:
Semper in ambiguo Spe vt, metu vt sumus.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Franciscus Coli Presbiter Lucensis
Publ. Corrector emendauit.

Ita fuit, si fuit, nam non fuisse videtur + *non videtur, sed est.*

Fr. Emmanuel Ximenez

Al M. R. P. Fray Miguel
de Cordova que sus ms.
as Maestro de estudiantes
en el Convento de S.n
Anton.

P. Fr. Juan Tenorio
Granada

tantùm est in potentia actiua, & non passiua, sicut è contra implicat dari productionem eius, quod tantùm est in potentia passiua, & non actiua, id autem sequeretur, si creatio possibilis esset; tum quia tunc ens, inquantum ens, esset producibile, quia creatio est productio rei secundum omnimodam realitatem suam, sed hoc dici non potest, alioquin etiam Deus ipse posset esse terminus creationis. Tum tandem quia nihil in aliquid verti non potest, non enim vnum oppositum potest in aliud oppositum commutari, id autem sequeretur, si creatio possibilis esset, vt pluribus probat Aureolus 4. quæst. proæm. artic. 1. ergo &c.

35 Resp. negando minorem, quamuis enim multorum Theologorum sit opinio non posse demonstrari rem aliquam esse factam, vel fieri posse per creationem, oppositum tamen probabilius est, ac de mente Doctoris 2. dist. 1. quæst. 2. vbi §. *Respondeo*, possibilitatem creationis Deo non repugnare ita probat, Deus potest immediatè aliquid causare, & efficere, igitur potest creare, & aliquid de nihilo facere; igitur potest aliquid immediatè facere; imo antecedens, est manifestum quia Deus est primum efficiens ex [illegible] immediatè face[illegible] primum effi[illegible] probo sic, [illegible] se necessarit[illegible] non esse fec[illegible] ducit nullo[illegible] illud aliud e[illegible] non esset im[illegible] ctor) à prim[illegible] ordine natu[illegible] ergo istum [illegible] Auic. 6. Met[illegible] mine natura[illegible] primam, cu[illegible] non esse à se[illegible] test esse ab a[illegible] præexistens[illegible] Phys. cap. 7. [illegible] fatetur tam[illegible] tiones, qu[illegible] Suarez disp.

36 Itaqu[illegible] probationil[illegible] cum paritat[illegible]

cit essentialem ordinem ad actiuam, vt ideò sit omnino impossibile subiectum, cui conueni[illegible] potentia passiua, actuari posset sine agente vim habente illud ad actum deducendi, at potentia actiua vniuersim inspecta non necessariò respicit passiuam nempe subiectum, vel passum, in quod agat, sed effectum tantum, vnde res produci potest ex nihilo. Ad 2. negatur sequela maioris, quia ens, vt sic, non dicit realitatem subiectiuam, quæ sit productionis capax distinctam à realitate talis entis, sed dicit conceptum inadæquatum, vt constat ex dictis disp. 2. quare sola ratio entis finita est producibilis; ratio verò infinita entis, quæ reperitur in Deo, improducibilis, conceptus tandem entis ab vtraque abstractus ab vtroque præscindit, scilicet à producibili, & improducibili. Ad 3. negatur minor, cùm enim per creationem dicitur aliquid ex nihilo fieri, hoc non in eo sensu intelligendum est, vt nihil conuertatur in aliquid, aut quod nihil sit materia ex qua tale ens fiat hoc enim vtique omninò repugnat, vnde ly *ex*, non dicit habitudinem materialis causæ, sed habitudinem ordinis, qui reperiri solet inter terminum à quo, & ad quem, vt explicat Scotus distinct. 1. qu. 2. §. *Respondeo*, ex Anselm. i[illegible] quod ni[illegible] hil erit in actu reale, incip[illegible] terius, in quo nulla apparet repugn[illegible] a habitudinem materialis causæ ir[illegible] tm positiuè, sed negatiuè [illegible] lis dicitur [illegible] oquid de[illegible] oq. crea[illegible]

quod ha[illegible] ntis, vnde [illegible] i potest, [illegible] & poste[illegible] liquid, si[illegible] t aliquod [illegible] odum ma[illegible] nihil po[illegible] contendit [illegible] x nocte[illegible] videre[illegible] og. Arist. [illegible], & hæc, [illegible], quia[illegible] eatione, [illegible] & Intel[illegible] s Tracta[illegible] s ad Dei

Gaudia[illegible]

Semp[illegible]

Franciscus Coli Presbiter Lucensis Publ. Corrector emendauit.

Ita fuit, si fuit, nam non fuisse videtur †

Fr. Emmanuel Ximenes † *non videtur, sed est.*